7. 3

8
14 N
3

M

Digitized by Google

Digitized by Google


IHS
F. IOAN. DE CARTHA-
GENA, HISPANI, CELE-
BERRIMI THEOLOGI, EX
ORDINE MIN. DE OBSERVANT.
insignis propugnator immaculatae conceptionis
HOMILIÆ CATHOLICÆ
De Sacris arcanis Deiparæ et
Iosephi
AD ILLVSTRISSIMVM
PRINCIPĒ CARDINALĒ
POMPEIV̄ ARIGONIVM.
TOMVS TERTIVS.
ROMAE
Excudebat Bartholomeus Zannetti
ANNO. M.D.C. XIIII
Cum Privilegio, et Superiorum permissu.

8. 1/.. N 3

Digitized by Google

FRater Archangelus à Meſſana totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, & ſeruus, Reuerendo atque doctiſſimo Patri F. Ioanni à Carthagena Hiſpano, noſtri Almi ac Regalis Conueptus Romani, S. Petri de Montorio nuncupati, ſacræ Theologiæ Lectori Generali,& concionatori præſtantiſſimo,ſalutem in Domino & paternam benedictionem. Quos in Vinea Domini laboraſſe,atque indefeſſe in dies ſtrenue laborare comperimus, in communem totius Eccleſiæ vtilitatem, & noſtræ Sacræ Religionis honorem quammaximum, ratio ipſa fert, vt congruis, dignisq; fauoribus proſequamur. Hinc eſt, quod cum præteritis annis, iam plures libros prælo ac typis mandaueritis, ſed præſertim illum, Sanctiſſ. D. N. Paulo V. Pont. Max. dicatum, cuius titulus eſt: Homiliæ Catholicæ in vniuerſa Chriſtianæ Religionis arcana: nunc etiam in promptu habeas alium De ſacris Arcanis Deiparæ Mariæ, & Ioſephi, in duo volumina diſtributum, non ſolùm eundem cudendi, ac typis mandandi licentiam libenter tibi impertimur, verum etiam idipſum vt facias præcipimus cum merito ſalutaris obedientiæ, certam cum relationem habeamus ex Patrum teſtimonio, cui illum examinandum commiſimus,diuini Verbi prædicatoribus quammaxime, ac cunctis fidelibus multum vtilitatis allaturum. In quorum omnium & ſingulorum fidem has litteras noſtra propria manu, & officij noſtri maiori ſigillo muniuimus. Datum Romæ in hoc noſtro Araccelitano Conuentu, duodecima Maij. M. DC. XI.

Fr. Archangelus à Meſſana qui ſupra

locus ſigilli *manu propria.*

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

Caſar Fidelis Viceſg.

EGo D. Ioannes Franciſcus Palumbus, S. Theologiæ Lector,ex commiſſione Reuerendiſſ. Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, P. Fr. Ludouici Yſtella, ſumma cum voluptate opus perlegi editum ab Adm. Reuer. P. Ioann. de Carthagena inſigni Sacræ Theologiæ Generali Lectore Ordinis Minorum, cui eſt inſcriptio: Homiliæ Cath. de Sacris Arcanis Deiparæ & Ioſephi nilque in eo reperi, aut fidei aut moribus diſſonum;at cuncta præclara, & eximia, eruditiſſimo digna viro; qui e fecundiſſimo ingenio, ſitientibus tum Concionatoribus, tum Theologis, tum Virginis Cultoribus,vberrimos adaperit fontes, ad hauriendas in gaudio eius Laudes. Quare opus hoc cenſeo digniſſimum quod impreſſione decoretur,lucique mandetur, in cuius fidem, hæc ſcripſi die 26. Iulii. ann. 1614.

D. Io. Franciſcus Palumbus Cleric. Regularium.

Imprimatur, Fr. Damianus à Fonſeca Magiſter, & Socius Reuerendiſſ. P. F. Ludouici Yſtella, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri Ord. Prædic.

* 2 PAV-

PAVLVS PAPA V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM ſicut accepimus dilectus filius Bartholomæus Zannettus in Vrbe Typographus, primum, & ſecundum Tomum cuiuſdam operis Homiliæ Catholicæ de Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ, & Ioſephi nuncupati à dilecto etiam filio Ioanne Carthagena F. Ordinis S. Franciſci Minorum de obſeruantia, conſcripti typis mandare intendat, vereaturq. ne poſtquam in lucem prodierit, alij qui ex alieno labore lucrum quærunt, hoc ipſum opus typis cudi facere curent in ipſius Bartholomæi præiudicium. Nos eiuſdem Bartholomæi indemnitati, ne ex impreſſione huiuſmodi diſpendium patiatur, conſulere, ipſumq. ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq. Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus tàm Ioannis, quàm Bartholomæi prædictorum nominibus Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Bartholomæo, vt decennio proximo à primæua dicti Operis, dummodo antea à dilecto filio Magiſtro Sacri Palatij approbatum ſit, impreſſione computando durante, nemo tàm in Vrbe, quam in vniuerſo ſtatu Eccleſiaſtico mediatè, vel immediatè Nobis ſubiecto, opus prædictum ſine ſpeciali dicti Bartholomæi aut eius hæredum & ſucceſſorum, vel ab eis cauſam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs impreſſum vendere, aut venale habere, ſeu proponere poſſint, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, præſertim librorum impreſſoribus, ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſsionis librorum & typorum omnium pro vna Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ac pro alia eidem Bartholomæo, ac pro reliqua tertijs partibus accuſatori, ſeu Iudici exequenti, irremiſsibiliter applicandis, & eo ipſo abſque vlla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto durante decennio, dictum opus, aut aliquam eius partem, etiam prætextu declarationum, ſeu additionum quarumcumque tàm in Vrbe, quàm in reliquo ſtatu Eccleſiaſtico prædictis ſine huiuſmodi licentia imprimere aut ab alijs impreſſum vendere ſeu venale habere, aut proponere quoquomodo audeant, ſeu præſumant. Mandantes propterea dilectis filijs noſtris, & Apoſtolicæ Sedis de latere Legatis, ſeu eorum Vicelegatis, aut Præſidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iuſtitiæ miniſtris Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, & Locorum Status noſtri Eccleſiaſtici prædicti, quatenus eidem Bartholomæo, eiuſq. hæredibus & ſucceſſoribus, ſeu ab eis cauſam habentibus huiuſmodi in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, quandocumque ab eodem Bartholomæo, ſeu alijs prædictis fuerint requiſiti, pœnnas prædictas contra inobedientes irremiſsibiliter exequantur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, Indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis & innouatis, cæterisq. contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam in ipſo opere impreſsis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 5. Nouembris M. DC. XI. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

S. Cobellutius.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. PRINCIPI
CARDINALI ARIGONIO
SERAPH. RELIG. D. FRANCISCI
MERITISS. PROTECTORI.

FR. IOANNES DE ÇARTHAGENA, *eiuſdem Ordinis, Sacræ Theologiæ Generalis Lector emeritus, temporariam ac æternam felicitatem precatur.*

ETSI ad colendam amplitudinem tuam (Illuſtriſsime Princeps) & magni nominis gloriam, ſatis quiſque vel ipſa virtute, rerum geſtarum celebritate, & quo præfulges honore inuitus rapiatur, quæ iam diu omniũ animos occupauit, ac ſplẽdore perſtrinxit; tamen qui propius tuas inſignes dotes, ac animi ornamenta, & reliqua hominis præſtantis lumina poſſunt intueri, quibus facibus incenduntur? quibus motibus incitantur? Certè, vt cœleſtes globi, quorum motu ac lumine inferiora corpora reguntur, quò primo orbi propiores ſunt, eò velociori motu impelluntur; ita illi quibus tuarum ſingularium virtutum maieſtas ſplendorq; propiùs affulget, ardentiori affectu, ad te colendum accenduntur. Vt enim recenſere omittam nobilium maiorum tuorum præclara geſta, nam vt quidam Poetarum dixit:

Et genus, & Proauos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco

An quiſquam eſt qui propria tui ornamenta animo complectens non demiretur? Non poſſum omnia, epiſtolæ anguſtijs concludere, nec decet Illuſtriſſ. Princeps, ne, dum Amplitudini tuæ opus à me elaboratum De ſacris Arcanis Deiparæ dedico, videar potius gratiam aucupari. Loquuntur ſatis monumenta virtutis tuæ æternitati conſecrata, quibus excellas dotibus, quibus ornamentis incedas, te ipſo, & genere glorioſior; prædicant illa ſapientiam, litterarum eruditionem, quibus ſacrum tuum

pectus excultum eſt; Iuriſprudentiæ præſertim ſummam cognitionem commendant, ac pene incredibilem ſcientiam, quæ tibi ad dignitatem ampliſsimam aditum patefecerunt: neque enim hominum ſuffragijs, vel fortunæ, ſacro murice Cardinalis dignitatis, ſplendore, & maieſtate emicas: virtus egregia oſtrum contexuit, Virtus purpuratas veſtes cinxit, virtus mitram capiti impoſuit; vt potius dignitati ſplendorem attuleris, quàm à dignitate receperis: ornaueris potius, quam fueris exornatus: incrementum dederis, quam acquiſiueris. Quid dicam de laboribus pro Eccleſia Catholica ſuſceptis, de muneribus, quibus es perfunctus, qua prudentia, qua dexteritate, grauiſsima negotia tractaueris, confeceris? in omnium ore, & fama verſaris, omnium ſermonibus commendaris Cardinalis Illuſtriſsime, vt non mirum ſi ego, cui propiùs interdum licuit tàm præclaram lucem tuarum virtutum, mentis oculis depaſcere, nominis etiã magnitudine inuitatus, eodem elucubrationes meas inſignire voluerim. Tibi Ampliſsimo viro, Heroi præſtantiſsimo, Mecenati optimo, litterarum fautori, hoc meum de ſacris Arcanis, Marianum opus voueo. Donarium virtutis tuæ exiſtima tibi debitum. Non vereor ne vmbras operis, tuo lumine velis illuſtrare: ſunt tui clientis labores, Deiparę Virginis encomia, diuinas dotes adumbrant, cur non tui ſplendoris faces accedent, qui pietate ſingulari in cœli Reginam affectus es? Accipe ſerena fronte, quod dicatur tuo nomini, & virtuti opus. Interim ſpem conceptam, alios ſtudiorum meorum fructus, tibi ſumma ornato dignitate conſecrandi, non tam alam, quam vt Deus Optimus Maximus perficiat, enixe deprecabor.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

EN candide Lector, vt abundant, veluti aquæ fluenta, Mariæ Deiparæ Virginis laudes. Pollicitus fuerat Author ſuperiori volumine daturum ſecundum, quaſi eo abſoluere vellet, quod de cœlorum Regina opus contexere in animo erat: ſentit nunc ſe pene obrui tantæ Reginæ laudibus, meritis, encomijs, prærogatiuis, vt id exili ingenio (vt ipſe effari ſolet) tam multa complecti non poſſit; vnde abſoluto hoc ſecundo, tertium expeditur volumen, quod propediem daturus eſt, De ſacris Arcanis cultus Deiparæ Virginis. volui te monitum, quod norim quàm cupidus ſis B. V. in ſeriem diſpoſita, & facundè expoſita præconia legendo percurrere, & Authoris facundam atque excellentem doctrinam quam multo ante deguſtaſti plenius delibare. Vale.

INDEX HOMILIARVM
DE SACRIS ARCANIS PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS, & præſentationis Chriſti Domini in Templo.

LIBER OCTAVVS.

Homilia Prima.

INTEMERATAE Deiparæ Mariæ Virginis mira Excellentia, ac eximia tàm animi, quàm corporis puritas oſtenditur, ex quo, Lege Purificationis non fuiſſe comprehenſam haud obſcurè comprobatur. 1

Homilia Secunda.

Antiqua lex Purificationis explicatur, per quam, tanquam per figuram, & imaginem, ad ſpiritualem animæ purificationem inſtruimur, hancq; per Pœnitentiam fieri debere oſtendimus: cuius mirabiles effectus, vt Peccatorum animos ad eam capeſſendam prouocemus, multiplici eruditione proſequimur. 8

Homilia Tertia.

Referuntur, & expenduntur variæ cauſæ, ob quas Beata Virgo legi purificationis non obligata ſe libenter ſubiecerit: exordimur tamen à ſingulari eius obedientia, quæ in hac purificatione mirificè præfulſiſſe oſtendimus, permultaque de perfectione obedientiæ diſſerimus. 16

Homilia Quarta.

Proſequimur cauſas Purificationis Beatæ Virginis, oſtendentes ex affectu humilitatis, quæ in ea mirificè viguit, illius legi ſe ſubieciſſe. 23

Homilia Quinta.

Proſequimur Marianæ purificationis cauſas, nouas alias adducentes, ob quas immaculata Virgo, nullius mundationis indiga, legi illius ſe ſubiecerit; eam tamen cauſam copioſius illuſtramus, quæ ſcandali vitandi curam tangit. 29

Homilia Sexta.

Adducimus varias figuras præſentationem Chriſti in Templo, & oblationem eius à Matre adumbrantes; pariterq; oſtendimus per illam, Chriſtum, & Mariam reconciliationem generis humani cum Deo intendiſſe. 36

Homilia Septima.

Oblationem, quam Beata Virgo fecit in templo, offerens æterno Patri filiũ ſuum vnigenitum, multiplici tàm ſacra, quàm humana eruditione omnium fuiſſe excellentiſſimam commonſtramus. 41

Homilia Octaua.

Recenſemus varias cauſas, propter quas Chriſtus Dominus voluerit à Matre ſua in Templo præſentari, alioquin Præſentationis legi non obligatus. Proſequimur tamen duas: Nimirum, vt legibus etiam ſuis Principes parere: Parentes verò bonæ filiorum inſtitutioni conſulere ab eo edocerentur. 47

Homilia Nona.

Euangelij quod Eccleſia Romana canit in die Purificationis Beatæ Virginis, ſingula verba erudita paraphraſi explicamus, inchoantes ab illis: Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis eius; quorum variæ miſticæ expoſitiones apponuntur. 52

Homilia Decima.

Proſequimur hodierni Euangelij paraphraſim, verba illa explicantes: Tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur: Pro quorum expoſitione variæ rationes inſtitutionis huius legis iam miſticæ, quàm litterales ad informandos mores variâ eruditione illuſtratæ traduntur. 58

Homilia Vndecima.

Proſequimur eandem Paraphraſim, verba illa varijs animi conceptionibus, nec non vberrima priſcorum Patrum doctrina illuſtrãtes: Vt darent hoſtiam ſecundum, quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum. 65

Homi-

Homilia Duodecima.

De feſta quod vocant Luminarium, ſeu candelarum, ex profeſſo ſermonem inſtituimus, tria hæc peragentes: Primum, Hæreticorum petulantiam aduerſus luminarium vſum garrientium retundimus: Secundum, antiquitatem huius celebritatis aperimus: Tertium varias, tam litterales, quam myſticas inſtitutionis illius cauſas multiplici ſanctorum Patrum doctrina illuſtratas tradimus. 76

Homilia Decimatertia.

Aggredimur præludia ad expoſitionem Cantici, quod Simeon cecinit in præſentatione Chriſti Domini. Exordimur autem à dignitate ſui Authoris, multa de illo encomia proferentes, tam ex vetuſtis Authoribus, quã ex ſacris eloquijs in illa verba: Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. 83

Homilia Decimaquarta.

Proſequimur eadem præludia multis animi conceptionibus, ac varijs Patrum doctrinis illa exponentes verba: Reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini: & venit in ſpiritu in Templum, & cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in vlnas ſuas. 90

Homilia Decimaquinta.

Integrum Canticum Simeonis, Nunc dimittis ſeruum tuum, *interpretamur multiplici Sanctorum Patrum eruditione variiſque animi conceptionibus illud locupletantes.* 100

Homilia Decimaſexta.

De ſtatu Viduitatis multa encomia recẽſentur, & quæ inſigniores Viduæ fuere, tàm ex ſacris, quàm humanis litteris commemorantur: ac permulta Viduis documenta traditur, in illa verba Lucæ: Et erat Anna Propheteſſa filia Phanuel de Tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor. 109

LIBER NONVS.

De fuga Chriſti Domini, Mariæ, & Ioſephi in Aegyptum, ac de ſacris Arcanis in ea latentibus.

Homilia Prima.

Ieſu, Mariæ, & Ioſephi in Aegyptum fugientium, Prophetarum vaticinia, prædictiones, & figuræ apponuntur. 120

Homilia Secunda.

Varia ſomniorum genera aſſignantur, & ſuperſtitioſa abijcienda docetur: rationeſque traduntur, ob quas Angelus non in vigilia, ſed in ſomnis fugam in Aegyptum ſancto Ioſepho reuelauit. 124

Homilia Tertia.

Fuga Chriſti Domini, & Matris eius, variæ circumſtantiæ diſſeruntur tàm ex parte loci, & temporis factæ reuelationis, quàm ex parte Angeli reuelantis; nec non ex parte Ioſephi diuinæ iuſſioni promptiſſimè obtemperantis. 129

Homilia Quarta.

Tres præcipuæ rationes dubitandi proponuntur, ob quas videbatur non decuiſſe Chriſtum Dominum fugam arripere à facie Herodis: Totidem tamen adducuntur, quibus fugam hanc rationi valde conſentaneam fuiſſe comprobatur. 134

Homilia Quinta.

Proſequimur cauſſ fugæ Chriſti Domini à facie Herodis, alias plures ſcitu digniſſimas ex ſanctorum Patrum doctrina recenſentes, ac de bono, & vtilitate exilij permulta tradentes. 139

Homilia Sexta.

Agimus de longo, ac laborioſo Virginis itinere in Aegyptum, pariterque oſtendimus D. Ioſephum fuiſſe tàm matris, quam prolis ſingularem Protectorem. 146

Homilia Septima.

Oſtenditur, quàm vtile fuerit Chriſto Domino præſertim in eius infantia, Ioſephum, in Mariæ ſponſum, & in proprium nutritiuum, & cuſtodem elegiſſe, explicatis illis verbis: Quæſiuit Dominus ſibi virum ſecundum cor ſuum. 151

Homilia Octaua.

Cum Chriſtus Dominus per fugam recedere voluiſſet à facie Herodis, varia aſſignantur cauſa quare in Aegyptum potius, quàm in aliam

Digitized by Google

aliam regionem diuerterit. Ex profeſſoque ad id explicantur verba illa Iſaiæ: Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti à facie eius. 160

Homilia Nona.

De manſione B. Virginis cum filio, & ſponſo patienter lata in Aegypto, & de reditu eorum in Iudæam ſermonem inſtituimus; pariterq; vaticinium illud: Ex Aegypto vocaui filium meum, *ex profeſſo elucidamus.* 167

Homilia Decima.

Varia commemorantur prodigia à Chriſto Domino patrata à die fugæ in Aegyptum vſque ad reditum in Iudæam. 179

Homilia Vndecima.

Ex Euangelica Chriſti fuga Hiſtoria quatuor præcipuè documenta ad mores informandos deducimus: peccati occaſiones fugere, Dei gratiam conſeruare, Iuuenibus praua exempla non dare, ab impiorum conſortio ſe abſtinere. 182

LIBER DECIMVS.

De ſacris Arcanis B. Virginis amittentis Ieſum in Templo.

Homilia Prima.

Chriſtus Dominus in Templo ſuæ diuinitatis, & humanitatis, necnon mirabilis ſcientiæ quæ in illo latebat, preclara indicia exhibuit, variaque huius manifeſtationis imagines, & figuræ proponuntur. 187

Homilia Secunda.

Variæ proponuntur cauſæ, ob quas Chriſtus Dominus voluit manere Ieruſalem, in illa verba. Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. 192

Homilia Tertia.

Chriſtum Dominum duodennem ſapientiæ ſuæ theſauros manifeſtare inchoaſſe, ſingularemque curam habuiſſe tunc, & per totum ſuæ vitæ curriculum, veritatem docendi, quod Filius Dei, & filius hominis pariter eſſet, in illa verba: Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim: *& illa alia:* Et erat ſubditus illis. 197

Homilia Quarta.

Sub metaphora Solis, de Chriſti Domini manifeſtatione in Templo diſſeritur; multiplici Sanctorum Patrum eruditione, ac varijs animi conceptionibus verbis illis explicatis. Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate: 205

Homilia Quinta.

Agitur de noſtro profectu ſpirituali in eadem verba: Proficiebat ſapientia, & gratia apud Deum. 211

Homilia Sexta.

Explicatur adamuſſim, quomodo inſcijs Parentibus puer Ieſus potuerit manere in Templo, & qua ratione illo triduo, quo abſens fuit ab illis, victum quæritarit; ac tandem de dolore, & gaudio Virginis propter Chriſtum amiſſum, & inuentum diſſeritur, in illa verba: Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, *& in illa alia:* Regreſſi ſunt in Ieruſalem requirentes eum, & inuenerunt illum in Templo. 219

Homilia Septima.

In illa verba: Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, *oſtenditur, Deum non poſſe amitti, niſi per peccatum mortiferum, cuius turpitudo varia eruditione deſcribitur: Inueniendum verò eſſe ſedula diligentia, & ingenti animi dolore, & poſtquàm inuentus fuerit, tenaciſſimè retinendum ad imitationem Virginis.* 226

Homilia Octaua.

Deum amiſſum per peccatum, diligenter eſſe quærendum per dolorem, & pœnitentiam, bonaque ſola ſpiritualia eſſe ſollicitè quærenda, non temporalia; quia hæc vacuam relinquunt animam, illa appetitum eius explent, in illa verba: Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. 235

Homilia Nona.

Proſequimur idem argumentum ex Euangelica lectione, docentes, quo tempore, & quo loco ſit quærendus Deus: prius tamen ſupponimus, neminem poſſe quærere Deum, niſi prius quæratur à Deo. 240

Homilia Decima.

Oſtēdimus à primordijs cōſtitutionis Mundi dediſſe Deū Eccleſiæ ſuæ diſertiſſimos magiſtros, variaſque Academias inſtituiſſe, in quibus illi ſinceram doctrinam docerent. Vnde & Chriſtus Dominus Hebræorum Academiam ſua præſentia mirificè honorare voluit in illa verba: Inuenerunt ſedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos. 249

Homilia Vndecima.

Parentes Chriſti Domini ſecum ducentes Ieſum ad Templum ſanctum Ieruſalem, vt Paſchæ feſtū celebrarent, magni momēti documenta omnibus parentibus præbent, circa cultum diuinum, & filiorum educationem. 255

Homi-

Homilia Duodecima.

Proſequimur idem intentum, pleraque alia ſpiritualia documenta ex hodierna Euangelij lectione decerpentes. 261

Homilia Decimatertia.

Hæretici verba hodierni Euangelij in prauos ſenſus intorquentes multis calumnijs infectantur Deiparam, ſed ab illis omnibus apertiſſimè vindicatur innocentiſſima Virgo; in illa verba: fili, quid feciſti nobis ſic? &, quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? & ipſi non intellexerunt, quæ locutus eſt ad eos: *quæ varijs expoſitionibus illuſtrantur.* 265

Homilia Decimaquarta.

Mirabile ſuæ prudentiæ ſpecimen oſtendiſſe Beatam Virginem dum verba, & geſta Chriſti Domini in pectore ſuo recondebat, in illa verba: Mater autem conſeruabat omnia verba hæc: *quæ iuxta Sanctorum Patrum, & aliorum interpretum ſententiam multifariam explicantur.* 276

Homilia Decimaquinta.

Agitur de obedientia, & gratitudine, quam præſtare debent Parentibus filij, ad exemplum Chriſti Domini, qui matri ſuæ gratiſſimus, & obedientiſſimus ſemper extitit; in illa verba: Et erat ſubditus illis. 279

LIBER VNDECIMVS.

De ſacris Arcanis B. Virginis conuerſionem aquæ in vinum à filio ſuo poſtulantis in nuptijs Canæ Galilææ.

Homilia Prima.

IN illa verba: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus, &c. *variæ cauſæ traduntur ex priſcorum Patrũ doctrina, ob quas Chriſtus Dominus nuptijs intereſſe voluerit; illam tamen latius proſequimur, quæ matrimonij approbationem tangit, aduerſus Hæreticos illud refellentes, cuius & præclara documenta tam viris, quam vxoribus prabentur.* 287

Homilia Secunda.

Matrimonium ex ea præcipuè cauſa diſſuadetur, quòd valde difficile ſit, probam inuenire vxorem: ſi tamen nubendum ſit, mutuus inter coniuges oportet vigeat amor, vt fælix ſit connubium, in eadem verba: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. 300

Homilia Tertia.

De triplici ſpiritualium nuptiarum genere diſſeritur in illa eadem verba: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. 307

Homilia Quarta.

Beatæ Virginis verba: fili vinum non habent, *necnon illa Chriſti Domini:* quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea, *multiplici priſcorum Patrum expoſitione illuſtrantur, & à multis Hæreticorum calumnijs Deipara vindicatur.* 319

Homilia Quinta.

Proſequimur idem intentũ, ſingularia quædam dubia, quæ ex marianis verbis: Vinum non habent, *emergunt, in defenſionem B. Virginis vtiliter enodantes, ac nulla alia, quæ occurrunt, elucidantes.* 325

Homilia Sexta.

Quidã Hæretici Priſcillianiſtæ Aſtrologiæ iudiciariæ cultores exiſtimarunt Chriſtũ Dominum dixiſſe: Nõdum venit hora mea, *quia fato erat ſubiectus. Sed confutatur eorũ delyrium, pariterque illorum error acerrimè expugnatur, qui putant per Aſtrologiam iudiciariam ſingulares futuros euentus à libera voluntate pendentes, prænoſci poſſe in particulari; ac tandem, quid tuta conſcientia Aſtrologi prædicere poſſint breuiter edocetur.* 340

Homilia Septima.

Verba Virginis: Quodcumque dixerit vobis facite, *explicare incipimus, varia, quæ in illis làtent, arcana detegentes.* 350

Homilia Octaua.

Illa eadẽ verba Deiparæ Virginis, quodcumque dixerit vobis facite, *quibus Chriſto obediendum conſuluit, elucidantur, multaque obedientiæ, præcipuè tamen cœnobiticæ præconia, & vtilitates proponuntur.* 354

Homilia Nona.

In eadem Virginis verba: quodcumque dixerit vobis facite, *de gradibus perfectæ obedientiæ differimus, varijs animi conceptionibus, & Sanctorum Patrum doctrinis argumentum hoc locupletantes.* 365

Homilia Decima.

In eadem verba Deiparæ: quodcumque dixerit vobis facite, *idem obedientiæ argumentum proſequimur: celebriores viros veteris teſtamenti referentes, qui heroica eius exẽpla nobis reliquerunt; necnon creaturas alias rationis expertes, quæ Dei imperio ſemper parent.*

Homi-

Homilia Vndecima.

In illa eadem verba Deiparæ Virginis; quodcumque dixerit vobis facite, *de ſeruandis Eccleſiaſticis ceræmonÿs ſermonem inſtituimus.* 380

Homilia Duodecima.

Hodierni Euangelÿ erudita incipit Paraphraſis, ex Sanctorum Patrum, & aliorum grauiſſimorum doctorum monumentis, nec non ex quibuſdam alÿs à nobis excogitatis concinnata. 382

Homilia Decimatertia.

Proſequimur eiuſdem Euangelÿ Paraphraſim, ex varÿs Sanctorum Patrum doctrinis, & alÿs à nobis excogitatis. 389

LIBER DVODECIMVS:

De ſacris Arcanis B. Virginis, Paſſionem, & Mortem Chriſti Domini plangentis.

Homilia Prima.

B*Eatam Virginem mortem filÿ ſui vehementer doluiſſe rationibus, & Patrum teſtimonÿs, necnon verbis Simeonis:* tuam ipſius animam pertranſibit gladius, *multiplici expoſitione illuſtratis, palam fit.* 401

Homilia Secunda.

Acerbiſſimi doloris Beatæ Virginis in paſſione, & morte filÿ ſui varias cauſas, & rationes enarrare aggredimur, ab illa incboãtes omnium notiſſima, quæ ab ardentiſſimo eius amore petitur, qui menſura doloris amantium eſſe noſcitur. 409

Homilia Tertia.

Cauſas Virginis dolorem vehementer augentes in paſſione Chriſti Domini, latè, ſed compendioſè proſequimur. 416

Homilia Quarta.

Facta comparatione Mariani doloris cum reliquorum omnium tam virorum, quam feminarum doloribus, quorum tam ſacra, quam profana meminere eloquia; Virginis mærorem, reliquis omnibus acerbiorem fuiſſe in paſſione, & morte filÿ ſui apertè commonſtramus, in illa verba Hieremiæ: Cui comparabo te, & conſolabor te Virgo filia Syon? magna eſt velut mare contritio tua: quis medebitur tibi? 422

Homilia Quinta.

De acerbitate eiuſdem Mariani doloris in illa verba: Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. *Threnorũ primo.* 429

Homilia Sexta.

Beatiſſimam Virginem adeò doluiſſe de morte dilectiſſimi filÿ ſui, ut verè martyr, & pluſquam martyr fuerit, tam Sanctorum Patrum teſtimonÿs, quàm varÿs animi conceptionibus palam facimus. 432

Homilia Septima.

Doloris acerbitatem, quem Beata Virgo ſuſtinuit in paſſione Chriſti dilecti filÿ ſui nullum in ea peperiſſe ſpaſmum ex profeſſo comprobamus, refutatis aliorũ ſententÿs, qui illum admittunt, & explicatis Sanctorum Patrum teſtimonÿs, qui eis fauere videbantur. 438

Homilia Octaua.

Varia ſanctorum Patrum eruditione, multiſque animi conceptionibus verba illa Ioannis elucidantur: Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius, *cuius Fidem, Spem, Charitatem, ac inſignem conſtantiam iuxta Crucem præcipue emicuiſſe oſtendimus.* 442

Homilia Nona.

Beatam Virginem Cruci adſtantem, ſummum dolorem cum ſumma magnanimitate, in fortitudine coniunxiſſe, in illa eadem verba: Stabat iuxta Crucem Maria Mater Ieſu. 449

Homilia Decima.

Chriſtum Dominum è Cruce depoſitũ ſuſcipit ſacra Virgo in gremio ſuo; & quæ tunc maternæ pietatis officia ei præſtiterit, enarrantur; ſed prius de conſtantia eius iuxta Crucem ex ardenti amore in Chriſtum orta, varia eruditione diſſeritur. 454

Homilia Vndecima.

Quo pacto Beata Virgo Cruci aſtans humano generi multum profuerit; & qua ratione intelligendi ſint Sancti Patres, palam aſſerentes, illam cooperatam fuiſſe ad redemptionem generis humani, cùm tamen certùm ſit ſecundùm fidem Catholicam, ſolum Chriſtum Dominum ſuo ſanguine nos redemiſſe, luculenter enucleatur. 460

omni corruptione diuinitus præſeruato, necnon de glorioſa eius ad vitam immortalem intra triduum reſurrectione, varijs rationibus, ac multiplici Sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum eruditione diſſerimus. 501

LIBER DECIMVSTERTIVS.

De ſacris Arcanis B. Virginis, in morte, ſepultura, & reſurrectione eius latentibus.

Homilia Prima.

B*Eatam Virginem Patres nonnulli dubitarunt mortem obijſſe, ſed verè mortuam fuiſſe, auctoritate, & ratione comprobatur, ſed prius fit ſatis quærentibus, quare B. Virginis ortum, & mortem, necnon heroica eius facinora pauciſſimis exceptis, ſacri Euangeliſtæ reticuerint.* 466

Homilia Secunda.

Beatam Virginem ad mortem ſe præparaſſe per ſumptionem Euchariſtiæ commonſtratur; confutatis prius illorum Doctorum opinionibus, qui etiam per ſacramenta Confeſſionis, & extremæ vnctionis ſe diſpoſuiſſe perperam effutierunt. 469

Homilia Tertia.

Varia magnalia, quæ mortem Virginis præceſſerunt, vt hora mortis reuelata, allata ei ab Angelo in ſignum Victoriæ palma; Apoſtoli per totum terrarum Orbem diſperſi repente domi eius congregati, Chriſtus Dominus morti eius corporaliter præſens; ac tandem quæ filius, & Mater ad inuicem locuti fuerint, recenſentur. 474

Homilia Quarta.

Beatam Virginem nullo morbo laboraſſe, dolorem in morte nullum ſenſiſſe, nec dæmonis horribilem vultum intuitam, ſed ex ardenti diuini amoris febre obijſſe: cuius obitus triplex circumſtantia, realis præſentiæ Chriſti, loci, & temporis, hoc eſt domicilij, in quo degebat, anni, menſis, diei, & horæ, in qua è vita diſceſſit, ex doctrina antiquorum Patrum aperitur. 479

Homilia Quinta.

Varia arcana de ſepultura, & funere B. Virginis, ac de ſingulari eius pompa diuinitus ordinata, ex priſcorum Patrum, & aliorum Doctorum monimentis aperiuntur. 489

Homilia Sexta.

Super ſepulchrum Deiparæ Virginis epitaphia quatuor collocantur, ex Euangelica lectione deprompta, quæ varia eius præconia decantant. 494

Homilia Septima.

De emortuo corpore Deiparæ Virginis ab

LIBER DECIMVSQVARTVS.

De ſacris Arcanis B. Virginis, in eius aſſumptione, & coronatione latentibus.

Homilia Prima.

A*Ptè ſatis Eccleſiam Catholicam Euangelium Marthæ, & Mariæ Virgini in Cœlum aſſumptæ accommodaſſe, aduerſus oblatrantes Hæreticos palam fit.* 507

Homilia Secunda.

Quàm aptè conueniant in Beatam Virginem verba illa hodierni Euangelij: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, *pulchrè diſſeritur.* 516

Homilia Tertia.

Montis metaphoram B. Virgini accommodamus, præcipuos montes commemorantes, quorum tam ſacra, quam prophana eloquia meminerunt, permultaque dicimus, quæ Deiparæ in cœlum aſſumptæ excellentiam, & in nos miſericordiam commendant. 521

Homilia Quarta.

Sub metaphora Caſtelli varia Virginis encomia proponuntur in illa verba: Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum. 529

Homilia Quinta.

Varijs animi conceptionibus multiplicique tam humana, quam ſacra eruditione explicantur verba illa Canticorum: Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, &c. 535

Homilia Sexta.

Serpenti, Naui, & Aquilæ in ſublime volanti Beata Virgo comparatur: Volaſſe autem oſtendimus duabus alis vitæ actiuæ, & contemplatiuæ; & inſtar Aquilæ dum volauit, oculos ſuos non auertiſſe à filiorum tutela; nonnullaque alia Aquilæ propria, Beatiſſimæ Virgini in Cœlum aſſumptæ adaptantur. 546

Homilia Septima.

Beatam Virginem nullam paſſam fuiſſe internam tentationem ex peccati fomite dimanantem; ſuſtinuiſſe tamen externam ex ſuggeſtione Diaboli ortam, quam tamen ſemper

Digitized by Google

per viriliter ſuperauit, aduerſus quoſdam moderniores Doctores apertè commoſtramus. 554

Homilia Octaua.

Metaphoram palmæ multiplici eruditione, variiſque animi conceptionibus elucidare conamur, in illa verba: Quaſi palma exaltata ſum in Cades. 558

Homilia Nona.

De magnitudine gloriæ eſſentialis, qua Beatiſſimæ Deiparæ ſublimia merita fuerunt ex Iuſtitia remunerata, in illa verba: Iuſtitia plena eſt dextera tua. 565

Homilia Decima.

De magnitudine gloriæ accidentalis Deiparæ Virginis, vbi de perœlebri pompa, dulci melodia, ac regio apparatu, quo aſſumpta fuit in Cœlum, diſſerimus. 570

Homilia Vndecima.

Oſtendimus, cuſtoditas diligenter à Domino Marianæ Ciuitatis portas, quæ fuerunt conceptio, & mors, in illa verba Dauidis: Diligit Dominus portas Syon ſuper omnia tabernacula Iacob. 579

Homilia Duodecima.

Adductis variis ſacrarum litterarum locis, in ſenſu myſtico explicatis, glorioſam Deiparæ Virginis Aſſumptionem illuſtrare conamur. 586

Homilia Decimatertia.

Beatam Virginem in Cœlum aſſumptam in corpore glorioſo, ex ſacris Scripturis ſecundum ſenſum myſticum, ex ſanctis Patribus, ex Theologis Scholaſticis, ex vniuerſali Eccleſiæ conſenſu, ac tandem ex multis coniecturis cum ratione valde coniunctis, demonſtramus; pariterque aperimus errorem eſſe in fide id abnegare. 592

Homilia Decimaquarta.

Proſequimur magnitudinem gloriæ accidentalis Deiparæ Virginis, vbi de ſublimitate throni, ad quem ex die Aſſumptionis fuit euecta, ac de multiplici corona, qua ad dexterã Filii ſedens fuit coronata, diſſerimus. 604

Homilia Decimaquinta.

Proſequimur Virginis coronationem: prius tamen oſtendimus, Beatam Virginem in Cœlum aſſumptam matris pariter, & Reginæ munere fungi, vt nec voluntatem protegendi, cùm mater, nec potentiam cùm Regina ſit, in ea deſiderari ſuſpicemur.

Homilia Decimaſexta.

Deiparæ in Cœlum Aſſumptionem valde nobis vtilem eſſe oſtendimus, cùm ibi munus Aduocatæ pro peccatoribus inceſſanter exerceat. 619

Homilia Decimaſeptima.

Proſequimur magnitudinem potentiæ Reginæ Mariæ ad benefaciendum implorantibus eius auxilium; pariterque oſtendimus, quotquot ſaluantur, aut cœleſtia chariſmata recipiunt, vel certè à malis liberantur; id totum mediante Virginis interceſſione diuinitus præſtari. 625

Homilia Decimaoctaua.

Beneficentiam B. Virginis adeo in omnes ſe diffundere, vt illius participes ſint cœleſtes Incolæ: viatores omnes, tam fideles, quam infideles: Animæ ergaſtulo Purgatorii detentæ; immò & nonnulli qui pœnas Inferni ſuſtinentes, Virginis tamen interceſſione ad vitã reuocati, facta pœnitentia in Cœlum euolarunt. 633

Homilia Decimanona.

In illa verba: Martha ſatagebat circa frequens miniſterium, *explicatur, in quo conſiſtat vita actiua, quis eius ſcopus, & finis, quæ propriæ eius actiones, quibuſque tandem indigeat, vt opera eius ſint meritoria.* 639

Homilia Vigeſima.

In illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, *explicatur breuiter natura vitæ contemplatiuæ, & ſcopus, quem reſpicit, necnon quæ ſint eius propria munera, & operationes.* 642

Homilia Vigeſimaprima.

Præconia non pauca vitæ ſolitariæ, & bona, quæ ſolitudinis capacibus affert, in mediũ producuntur, in illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. 645

Homilia Vigeſimaſecunda.

Proponuntur encomia, & vtilitates maio-

res vitæ cœnobiticæ ſupra vitam ſolitariam, in illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. 648

Homilia Vigeſimatertia.

Varias in medium producimus figuras, & tropos, vitam miſtam repræſentantes, quorum Sancti Patres meminere; permultaque docemus ad hoc vitæ genus pertinentia, in eadem verba: Maria optimã partẽ elegit, &c. 653

Homilia Vigeſimaquarta.

Figuræ variæ ſacræ Scripturæ proponuntur, quæ communi Sanctorum Patrum calculo actiuam, & contemplatiuam vitam adamuſſim exprimunt, in eadem verba: Maria optimam partem elegit, &c. 661

Homilia Vigeſimaquinta.

De natura, ſcopo, & operibus vitæ miſtæ diſſeritur, eamq; perfectiorem eſſe vita actiua, & contemplatiua, apertiſſimè commonſtratur, in eadem verba: Maria optimam partem elegit. 668

Homilia Vigeſimaſexta.

In illa verba: Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, *de virtute hoſpitalitatis præcipuè erga pauperes diſſeritur.* 676

Homilia Vigeſimaſeptima.

Aurea apponitur catena hodierni Euangelij ex doctrina Sanctorum Patrum, & ex aliis à nobis excogitatis contexta; quæ tàm litteralem, quàm moralem illius ſenſum amplectitur. 701

Finis Indicis Homiliarum.

Digitized by Google

AVCTOR LECTORI.

EN candide Lector, huius voluminis verenda producere cogor: vtinam tantum animi errata, quantum ea, quæ in hunc librum irrepſere, dolerem. Illud tamen inter vtraque longum intereſt diſcrimen, quod illa dolore fugantur, hæc graui quantumuis pœnitentia, minimè delentur. Quantum potui, in emendatione errorum ſollicitus fui: at (proh dolor) Typographi aliquando, vel correctionem omninò præterierunt, vel (quod ſæpè accidit) commutarunt; ita vt quæ in vna linea deſiderabantur, ab ea ſubtraherent, & alteri non indigenti apponerent. Quare precor, vt, cum diſſonam clauſulam offenderis, cenſoriam hanc tabellam conſulas, & ad verum ſenſum eam reſtituas.

Primus numerus Paginam, ſecundus Columnam, tertius Lineam indicat.

Pag.43. col.1.lin.4. Syleni, lege Sylenos.48.2. 47. dicentur, dicuntur. ibid.49.dicuntur,dicentur.50.2.38. proſcripta,præſcripta.51.2.32.conferetur, conferretur. 52. 1. 42. contemnitis, contemnetis. 2. 5. ſpiritu, ſpiritus. 53. 1. 35. veruali, veniali. 56. 1. 2. perfectionem, perfectiorem. 57. 1. 23. in me, non.ibid. 50. ludicra, ludibria. 60. 1. 39. interpelatione, interpellatione. 61. 2. 44. filij, filii. 63. 2. 48. accidit, occidit. 78. 1. 1. quinquageſimo, quingenteſimo. ibid. 10. cerui, certe. 2. 48. mors, more. 79. 1. 2. orbe, orbem. 82. 2. 6. ceremoniæ, ceremoniæ. 87. 1. 23. præpoſiturum, poſtpoſiturum.92.1. 10. alijs, aliis. 98. 2. 47. tametſi vincat, tametſi praua, vincat. 105. 1. 51.dele, vnde.107. 2. 45. dæmonem,dæmonum.114.1.46.moleſta,moleſto. 118. 1.6.exercere,exercere,114. 2.40. accedit,quod Cornelia,dele,quod.141.1.39.auctæ,auctæ. 151. 2. 13.dilibat, diligebat,157. 2. 51.dignitas,dignitatis. 165.2.9. Aegypti,Aegyptij. 168.2.48.milli,millia.171.2.40.in cauis,in huius.173.2.6.magnæ, magnæ. 174. 2. 50. glorioſæ, glorioſe. 175. 1. 35. cuique, cuius. ibid. 57. lignicat, ſignificat. 177. 1. 42. in crine, in cruce. 180. 2. 40. ſpurciſſimo, ſpurciſſimo. 182. 2. 5. eios, eis. 182. 2. 45. tranſmigrationis, tranſgreſſionis. 184. 1. 1. lacerat, lacerant. 188. 2. 57. fatebantes, fatentes, 192. 1. 19. Homil. Nona, Homil. ſecundæ. 193.1. 1. ſpeciali, ſpeculatur. 198. 2. 22. diſcipulos, diſcipuli. 208. 1 54. profectus, perfectus. 209. 2. 43. ſemel, tam cum, ſemel vt cum. 211. 2. 5. admittendam, amittendam. 222. 1. 2. &, ſed 234. 2. 50. menſuram non habet, dele,non. 267. 1. 50. veris, verbis. 274. 1. 4. eſſe, eſſet. 278. 1. 18. in alis, in alijs. 280. 1. 51. pro, per. ibid. 38. incompatabiliter, incomparabiliter. 281. 1. 27. eiuſdem, eiſdem 284. 2. 18. ſceuræ, ſcueræ. 285. 1. 44. incolumitate, incolumitati. 290. 1. 42. pacis, patientia. 297. 2. 5. partem, parem. 305. 2. 10. victum, vitam. 307. 1. 25. illam, illas. 314. 1. 50. reditur, redditur. 315. 1. 49. paratum, partum. ibid. 39. petituram, perituram. 326. 1. 21. reditur, redditur. 328 2. 44. ab ante, ab illo ante 338. 2. 52. quæ, qua. 340. 1.42 quinquito, quinto. 341. 1. 3. ſyllabas, ſybillas. 351. 1. 5. vos, nos. 357. 1. 20. placare, placere. 1.49. quod obediendo, quod non obediendo. 360. 2. 36. requiſiui, exquiſiui. 374. 2. 10. in marg. Theodoretus, Dorotheus. 379. 2. 49. nihil Deum poſſe, nihil Deum non poſſe. 402. 2. 39. paſcente, patiente. 403. 2. 39. vterque, vtique. 408. 2 26. ad vocandum, ad vacandum. 410 1.50. ſeculi, adde mare 415.1.24. intentiſſimum, intentiſſimum. 416. 2. 49. elogium, adde proferentem. 418. 1. 49. euulgatos, euulgaturos. 413.1.49. familiarum, familiarem.424.1.48.iocrorum, ſacrorum. 425. 1. 17. dele, sir. 2. 1. illius materno, illios erat materno. 434. 1. 23. de eodem. de ſacelli. 440. 1. 18. filium, adde meum. 443. 2. 48. Apoſtoliris, Apoſtolis. 448. 2. 35. deleret, doleret. 456 1. 45. præmio, gremio. 478. 1.39. omnio, omnium. 468. 1. 22. videatur, videtur. 484. 2. 25.amauerit, armauerit.486. 2. 12. examinata, exanimata. 487. 1. 22. ſuæ, ſuæ. 497. 2. 5. maritalem, perpetuum. 501. 2. 45 Marthæ, Mariæ. 502. 2. 8. clauſus es, clauſus eſt. 2. 48. reſcieris, neſcieris. 510. 1. 7. Mariam, Maria. 515. 2. 15. celeris, cœleſtis. 517. 2. 9. petraui, penetraui. 524. 1. 31 quidam,quidem. 534. 2. 54. obſeruans, obſecundans. 551. 1. 50. effectu, affectū. 552. 2. 28. arcana vbera, arcana verba. 557. 1. 24. contingitur, contingit, vt. 558.2.14. perpuram, purpuram. 559. 2.12. rontererentur, conterrentur. 560. 2. 20. per nomen, per nomen. 565. 2. 32. accipite, accipiet. 568. 2.22. pro nomine tuo, pro nomine ſuo. 571. 2.10. ad eamen deducdam, ad eam dedoceodam. 572.2.7. quo canta, adde: mater. 575.1. 40. ſed vinum, ſed viuum. 576.1.1. eduxiſti, deduxiſti. 1.52. dele, pro. 577. 2. 34. ianthino, hiacynthino. 583.1.35. pereunt, pereunte. 2.45 Virginis ſaphirp, adde: ex. 584. 2. 58.dele, eum. 590. 1.52. in fruſtra, in fruſta. 592. 1.1. ab om- ab omni. 1.4. cogitatam, coagitatam. 596. 2. 52. Antonino, Antonio. 598. 2. 48. ſerundum Apoſtolorum, ſecundum Apoſtolum. 601. 2. 11. reaſcendi, aſcendi, aſcendi, reaſcendi. 2. 21. mutabimur, immutabimur. 602.1. 9. viuiſicauit, viuificabit. 1. 54. ob ebrietatem, ob pietatem. 603. 2.14. mombunda, octabunda. 606.1.9. oriens è mundo, oriens mundo. 607. 2. 59. parare, patrare. 611. 1.24. pietas, petar. 1.45. Deus, deus. 2.15. corditus, cadibus.615.3.52. Leonina, Vrſinæ. 614.2.8 in,a. 615.1.6. Iſaach, Iacob. 617.1.4. inter, facet. 620. 2. 34. quo, quot. 622. 1. 11. pictas, pietas. 619.2.53. anta, impoſſibile, adde: non. 637. 1. 45. dele, ſibi. 641. 2. 43. vita, vite. 647. 2. 52. Chriſtus, Chriſti. 648. 1. 22. factus ſicut, adde: ſum. 651. 1. 45. particeps, participes. 655. 1. 40. terrena, æterna. 656. 1. 43. dele, non. 657.2. 13. ſalutis ſuæ, adde: ſollicitus. 658. 2. 46. in carnalibus, in canalibus. 664. 1. 3. fequentia, frequentia. 667. 1. 40. imperatum, imparatum. 670. 1. 41. in turris, in terris. 673 1. 1. etiam perfectionem, eam perfectionem. 2.26. more, amore. 677. 2. 52. carnis, carius. 679. 1. 34. vero, veris. 680. 2.17. ſecum, tecum 690. 2. 24. in nouam, in nonam. 692. 28.expediendos, excipiendos. 693. 2. 46. inopea, inopia. 694. 1. 33. potabit, portabit. 698. 1. 1. ex petia, ex penuria. 699. 1. 21. detur pati, deturpari. 702. 2. 49. dele, eadem. 701. 1. 46. aut, autem. 707. 2. 39. poſt, ſtulti, adde: facti. 708. 1. 42. loquitur, loquetur. 2. 43. in facibus, in facibus. 711. 1.48. turbas, tubas. 2. 49. ea, ea. 712. 1. 53.viros, vos. 716. 2. 39. ſcropulum, ſcopulum. 718. 2. 45. ante gloriam, adde: daret. 721. 2. 43. debitores, debitor es. 723. 2. 9. ſecretus, ſecretius.

Cætera conſultò prætermiſimus, eo quòd nobis viſa ſunt cognitu faciliora.

DE SACRIS ARCANIS

PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS, ET PRÆSENTATIONIS CHRISTI DOMINI IN TEMPLO.

LIBER OCTAVVS.

Homilia Prima.

INTEMERATÆ DEIPARÆ MARIÆ Virginis mira Excellentia, ac eximia tàm animi, quàm corporis puritas oſtenditur, ex quo, Lege Purificationis non fuiſſe comprehenſam haud obſcurè comprobatur.

ILLORVM Rethorum morem non ſemel obſeruaui, qui ad propria ſcripta euoluenda, legentium animos vt alliciant, pertractandi argumenti ſublimitatem ſtatim eis ob oculos ponunt; quo artificio vſos video diſertiſſimos Poetas Virgilium, & Lucanum: Ille namque dicere cœpit:

At nunc horrentia Martis
Arma, virumque cano Troiæ, qui primus ab oris — *Virg. 1. Æneidos.*

Hic verò in hunc modum exorſus eſt:

Bella per Ematios pluſquam Ciuilia campos, &c. — *Lucanus.*

Imò ſacer Euangeliſta Matthæus ſuperno lumine illuſtratus ſimili artificio ad captandam beneuolentiam in exordio ſui operis vtitur, dum primum omnium inenarrabilem Chriſti generationem, vt prædixerat Iſaias: *Generationem eius quis enarrabit?* (*Iſai. 53.*) ipſe ex profeſſo ſibi enarrandam pollicetur: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* (*Matth. 1.*) Hunc igitur eundem morem imitatus, præſentis argumenti celſitudinem in huius operis limine propono. Sacra Deiparæ arcana reſerare tento, Dei Genitricis glorioſa trophæa cano: illius memoranda geſta ſcribo, quæ Deum, & hominem vtero ſuo geſtauit: eius denique tractationem proſequor, cuius ineffabilis ſanctitatis, ac puritatis excellentiam celebriores Eccleſiæ Patres vbique gentium illuſtrare niſi ſunt. Ad orientalem enim plagam magnus Pater Effren non pauca in eius laudem in Syria ſcripſit: multa Baſilius, & Nazianzenus in Cappadocia. Chryſoſtomus in Antiochia, S. Merodius Martyr in Licia, S. Gregorius Thaumaturgus in Ponto, S. Ioannes Damaſcenus in Arabia; Eſychius Presbyter, & inſignis Patriarcha Sofronius in Palæſtina, Epiphanius in Cypro, Cyrillus, & Athanaſius in Aegypto, Germanus, & Proculus Epiſcopi ſanctiſſimi Conſtantinopoli, & in Thracia, Hieronymus in Dalmatia, Ru-

Effren in Syria. S. Baſilius. S. Greg. Naz. S. Chryſoſt. S. Metod. mar. S. Greg. Thaumaturg. S. Ioann. Damaſcen. Eſychius preſ. Sophron. Patriarcha. S. Epiphan. S. Cyrillus, & Athanaſius. Germanus, & Proculus. S. Hieronym.

Rupert. Abb. Alber. Magn. S. Anſelmus. Beda. S. Irenæus, & Dionyſius, & Bernardus. S. Ildephonſ. S. Cyprianus, & Auguſt. S Thomas, & & Bonauent. Rupert. Abbas

pertus Abbas, & Albertus Magnus in Germania, Anſelmus, & Beda in Anglia: Irenæus, & Dionyſius, necnon mellifluus Bernardus in Gallia, Ildephonſus in Hiſpania, Cyprianus, & Auguſtinus in Africa, Angelicus Thomas, & Seraphicus Bonauentura in Italia. In quorum omnium perſona Rupertus in Cantica intelligens per *murenulas aureas* Virginis præconia inquit: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento, ideſt, ornamenta benedictionis, & gratiarum actionis, benedicendo, & gratias agendo Deo, quod ſic fecit tibi, ita vt non ſit locus, vbi vox laudis huius non audiatur, quæ tuum nomen celebrans iugiter te ambiat, & quodammodo de collo tuo dependeat.* Omnium iſtorum præclara ſcripta cum lego, me erubeſcentem ſilere cogunt, Simonidisq; ſententiam in memoriam reuocant: *Nunquam pœnituiſſe ſilentij; ſermonis autem ſæpius.* Verùm ſapientis Pythagoræ conſilio acquieſcens: *Aut ſile, aut affer meliora ſilentio*: permulta (diuina irrorante gratia) in laudem tantæ Matris effundam, quæ tametſi miram eius excellentiam nec ſuperent, nec exæquent, meliora tamen eſſe ſilentio, nemo ſanæ mentis diffitebitur. Vt autem id præſtem, Puriſſima Virgo, en ego tuis aduoluor pedibus, quibus Cœlites etiam ipſi ſeſe proſternunt: præſentes tuo præfulgenti numini dicatos labores ſuſcipe: affulge micantiſſima ſtella caliganti, dirige errantem, confirma vacillantem, adeſto in obſequium tuum laboranti, vt ſaltem meliora ſilentio dicam. S. Anſelmus ingenuè fatetur ad condignas Virginis laudes promendas ſe omninò impatem eſſe: *O nimis* (inquit) *exaltata, quam ſequi conatur affectus anima meæ: quò aufugis aciem mentis meæ, ò pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, quò euadis capacitas cordis mei?* Sed quid mirum, Anſelmi captum illa ſuperet, quæ Cœleſtium ſpirituum tranſcendit intelligentiam? Damaſceno dicente: *Virginem non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens, ſat dignis laudibus efferre poteſt.* Quibus perſimilia ſunt illa alia Diui Bernardi: *Quanam poterit lingua, etiam ſi Angelica ſit, dignis extollere laudibus Virginem Matrem? Matrem autem non cuiuſcumque, ſed Dei?* Iidem ergo Patres

Simonides apud Anton. Monachũ in Meliſſa par. I Serm. 73. & apud Maximum ſer. 20 Pythago. apud Euſeb. ſer. 34. Pythagoras in ſuis conſilijs.

D. Anſelm. in oratione ad Mariam.

Damaſc. ſer. de Aſſumpt.

B Bernar. ſer. 4. de Aſſump.

eximiam Virginis ſanctitatem, & puritatem admirantes præter pleraque alia, quæ Primo Tomo retulimus, hæc quæ ſubijciam edixere. Iuſtinus Martyr ait: *Nullus mortalium, quamuis donorum numeroſitate ſit præditus, Virgini valet coæquari.* D. Laurentius Iuſtinianus, *Meritò* (inquit) *quidquid honoris, quidquid felicitatis habebatur in ſingulis, totum abundabat in Virgine.* Sanctus Thomas parum id iudicans, non ſolùm cunctis mortalibus, ſed vniuerſis ſpiritibus Angelicis illam anteponit: *Exceſſit autem Maria Angelos* (inquit) *in tribus, in quibus excedebat cæteros homines, videlicet; Gratiæ plenitudine, familiaritate Dei, & puritate.* Hinc S. Effren dixit: *ſublimior eſt cœliculis, purior ſolis radio, & ſplendoribus.* S. tamen Epiphanius altius Beatam Virginem extollens hæc ſcripſit: *Matre Domini nihil nobilius, & præſtantius, Deoque coniunctius.* Sublimius tamen adhuc de Maria cogitantes D. Anſelmus, & B. Andreas Cretenſis prædicta omnia longe tranſcenderunt, dum ille dixit: *Decebat Virginem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequeat intelligi.* Iſte verò non diſſimiliter: *Excepto Deo ſolo, eſt omnibus altior.* Et quis quæſo inficiari audebit parituram puritatis fontem (de qua ſapienter idem S. Anſelmus dixit. *Mira res, in quam ſublimi contemplor Mariam locatam, omnis natura à Deo eſt orta, & omnis Dei natura ex Virgine:*) quis (inquam) futuram Dei Matrem, totius munditiæ, & ſanctitatis perfectiſſimum exemplar extitiſſe abnegabit? Id ſatis conteſtantur clariſſima illa Epitheta, quibus diuina Eloquia, ac ſacri eorum Interpretes Beatam Virginem frequenter cohoneſtant; dum illam compellant eburneum Salomonis thronum, incorruptibilem teſtamenti Arcam, Horrum concluſum, Rubum ardentem incombuſtum, Pulchram vt lunam, ſplendentem vt ſolem, lucem irradiantem, Auroram rutilantem, lucidiſſimam nubem, lectulum floridum, lilium inter ſpinas, Roſam Iericuntinam, Mulierem ſole amictam. Speculum ſine macula, in quo Deus imaginem ſuam impreſſit: nullum ſanè quantumuis ſummo artificio affabrefactum ſpeculum reperiri poteſt, in quod ſi oris halitus immittatur, continuò non maculetur, & obſcuretur; at Beata Virgo por-

S. Iuſtin. mar. erate de pace.

D. Laurentius Iuſtinian. ſer. de Aſſumpt.

S Tho. opuſ. 8.

S. Eff. orat. de laud. virg. S Epiph. orat. de laud. virg.

Anſel. de con cepta virg. c. 18.

B. Andreas Cretenſ. orat. de Aſſumpt. Virg.

S. Anſel. orat. ad Virg.

Digitized by Google

portentoſum adeò ſpeculum fuiſſe perhibetur, taliq; puritatis ſplendore nitidum, vt antiqui ſerpentis halitus, quo vniuerſum genus humanum infecit, illam minimè macularet; imò vt arbitror, nec maculare potuit: quia Beata Virgo caput eius contriuit, contrito autem capite neceſſe fuit halitum, & reſpirationem eius ceſſare: ac tandem illam comparant cæleſti Ciuitati Ieruſalem, quia ſicut de illa D. Ioannes teſtatur: *Ipſa vero Ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo: non intrabit in ea aliquid coinquinatum*: ita, nil in Beatam Virginem irrepſit impurum, quæ Ipſius puritatis edidit Auctorem, & munificum largitorem. Adhæc egregiam illam nomenclaturam, quam Propheta Habacuch Beatæ Virgini tribuit, vtpote ad Marianam puritatem commendandam non parum conferentem, ſilentio non prætermittam. Auſtrum illam nuncupauit: *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan*. Per auſtrum Meridiem ſignificari multi Interpretes docent: Meridies autem, (vt nominis eius Etymologia præſefert) idem eſt, quod *medius dies*. In medio autem die, quando ſol è directo ſuper noſtrum Zenith reſpicit, ita vt quaſi perpendiculariter correſpődeat capiti noſtro, nullam prorſus vmbram facit, quia ſplendidiſſimis ſuis fulgoribus vniuerſas partes irradiat: cum ergo Habacuc ait Chriſtum Dominum ab auſtro veniſſe, certe Beatam Virginem, à qua ortum habuit, tot ſolis iuſtitiæ radijs inſtar medij diei exornatam fuiſſe conteſtatur, vt nulla vnquam alicuius inquinamenti vmbra fuerit obſcurata. Imò non ſolum vocans illam Auſtrum, mira puritate nitentem oſtendit, ſed puritatis munificam largitricem eſſe, haud obſcurè ſignificauit. Vt enim ait D. Hieronymus, id referente Rabitio, Auſter eſt pater pluuiarum, ita Beata Virgo tam eſt ſua deprecatione efficax, vt immundis peccatoribus illam inuocantibus, diuinæ gratiæ pluuiam continuo impertiat, qua & concupiſcentiæ ardor tepeſcat, & maculæ animæ abſtergantur. Quod ſi (vt alij volunt) Meridies eſt idẽ, quod *merus dies*, quia cum quæcumque alia diei pars extra meridiem careat perfectiſſima illa luce quæ tunc viget, neceſſe eſt alicuius claritatis diminutionem ſuſtinere, & ideo nulla diei pars præter Meridiem merus dies nuncupari poteſt, per hoc verò ſatis perſpicuè ſignificari arbitror diſcrimen inter Beatam Virginem, & vniuerſum Sanctorum cœtum: ipſi enim cum non eſſent meridies, ſed veluti partes diei, obſcuritatis peccati originalis, vt minimũ participes fuere: Beata autem Virgo tanquam merus dies, tanta puritatis claritate præfulſit, vt nec minimam peccati originalis, aut actualis caliginem vnquam ſuſtinuerit. Scio etiam *Auſtrum* in hebræo (vt illius Idiomatis periti adnotãt) idem eſſe quod *dextrum*, quia ſi orientem reſpicimus, medius dies manum dexteram tenet, in quo (vt ad præſens argumentum ſpectat) illud ſuſpicor latere arcanũ, quòd ſi de ſanctitate, ac puritate inter Beatam Virginem, & reliquos fiat comparatio, Beata Virgo dexteram manum tenet, reliqui, etiam Angeli, ſiniſtram. Vnde perfectiſſimus omnium Angelorum Lucifer, licet adeò inſaniſſet, vt diceret: *Similis ero Altiſſimo*: id tamen quod conatus eſt obtinere, ſolùm fuit ſedem ſuam conſtituere in plaga Aquilonari, quæ ſiniſtrã partem tenet: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*. Ecce prænouit excellentem adeò eſſe Virginis puritatem ac eximiam eius ſanctitatem, vt multa ſuperbia intumeſcens, primas, licèt inuitus, Virgini deferre coactus fuerit; ſiniſtram tantùm ſibi arrogans, non dexteram tantæ matri debitam. Ac tandem quod ſubdit Propheta Habacuc: *Et Sanctus de monte Pharan*, eandem Virginis mirã puritatem aſtruit: nam *Pharan* (vt obſeruauit Arias Montanus in ſuo Apparatu) idem pollet quod *pulchritudo*, ſeu *laus*, vel *gloriatio*: vnde perinde fuit dicere: *Et Sanctus de monte Pharan*: ac ſi dixiſſet, ortum habiturum Chriſtum à matre pulchra propter eximiam eius animi pulchritudinem, omniq. laude, & gloria digniſſimam. Sed adhuc maiora his apponam. Memini (quod huic argumento inſeruire poteſt) magnum illum Phyloſophum Auerroem, dum de Ariſtotelici ingenij acumine loqueretur, dixiſſe: *Creditur, quod iſte homo fuerit regula in natura, quam natura inuenit ad demonſtrandam vltimam perfectionem in ſcientia totius naturæ*; ita ſanè videtur in ordine ſupernaturali beatam Virginem fuiſſe velut regulam quandam, ac normam rectè viuendi hominibus cæ-

Apocalyp. 21. — *Habac 3.* — *Rabitius.* — *Iſai. 14.* — *Ibidem* — *Habacuc 3.* — *Arias Montanus in Apparatu.* — *Auerroes de Ariſt.*

litus datam, vt non obſcurè indicant verba D.Ambroſij, dum illam vocat, *formam virtutis, & exemplar, vnde ſumuntur magiſteria expreſſa probitatis*. Ad extremum tanta fuit immaculatæ Virginis puritas, vt pro expiatione alicuius inquinamenti nullo vnquam indiguerit Sacramento veteris, aut nouæ legis, licet alioquin nonnulla ex illis ſuſceperit. recepit enim in lege ſcripta remedium per oblationem parentum, quod pro originario peccato feminis applicari ſolebat: indubitatum autem eſt apud fideles peccato originali, antequàm naſceretur, illam caruiſſe, cum nemine diſſentiente, in vtero matris fuerit ſanctificata: ſuſcepit in lege gratiæ Sacramentum Baptiſmi, tùm quia erat pro omnibus fidelibus præceptum diuinum de receptione illius: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* tum quia, vt docet D.Thom. in 4. diſt. 6. quilibet, etiam ſanctificatus in vtero materno, tenetur ad ſuſcipiendum Baptiſmum; tùm propter acquirendum caractherem, quo annumeretur in populo Dei, & diſcernatur ab Infidelibus; tùm quia Baptiſmus eſt ianua Sacramentorum, poteſtatemq; confert ad eorum vſum, & receptionem: vnde cum Beata Virgo receptura eſſet Sacramentum Euchariſtiæ, ad idq; ſub pcepto Diuino, obligabatur, certè recipit Sacramentum Baptiſmi. Illud autem ſuſcepit à Chriſto Domino, Euthymio dicente: *Scribunt quidam Apoſtolorum temporibus proximi, quod Chriſtus Virginem Matrem, & Petrum baptizauerit*. Confirmationis etiam Sacramentum licet non receperit ad eum modum, quo nos per ſigna quædam ſenſibilia, vt quidam Doctores docent (quibus tamen aduerſantur Albertus magnus cap. 81. & Pomerius lib. 7. par. 1. art. 2.) recepit tamen caractherem, & ſuperabundantem Spiritus ſancti gratiam ad profitendam Chriſti fidem, qui ſunt effectus iſtius Sacramenti. Sicut enim Apoſtoli in die Pentecoſtes receperunt perfectiſſimum Confirmationis effectum, per quod confirmati fuerunt in fide & gratia; & ideo poſtea non eguerunt Sacramento Confirmationis, vt docent grauiſſimi Theologi; potiori iure id dicendum eſſe de B. Virgine ratio ipſa poſtulat, cum manifeſtum ſit, perfectius, & copioſius illis omnibus Spiritus ſancti dona nactam fuiſſe. Sacramentum item Euchariſtiæ recepiſſe, multa ſatis perſpicuè probant, tùm diuina lex de communicando à Chriſto Domino lata: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: tùm quia, vt legimus in actis Apoſtolorum, illi *erant perſeuerantes in oratione, & communicatione fractionis panis cum Maria Matre Ieſu*: quæ verba de cæleſti pane Euchariſtię intelligenda eſſe communis eſt Patrum ſententia, quos ſequitur Gloſſa ibidem. De Sacramento deinde Pœnitentiæ licet quidam Antiqui Doctores perperàm dixerint illud ſuſcepiſſe Deiparam, pugnat apertè cum diffinitione ſacri Concilij Tridentini aſſerentis, ne dum venialiter vnquam peccaſſe: vnde cum materia circa quam huius Sacramenti ſit peccatum cōmiſſum, certè eo deficiente, nequit ſubſiſtere Confeſſionis Sacramentum. Quare Sacerdos, qui B. Virgini dixiſſet: *Ego te abſoluo*, falſam reddidiſſet formam Sacramenti, & conſequenter graue ſacrilegium commiſiſſet. De Sacramento autem extremæ Vnctionis quamuis graues Authores opinentur illud ſuſcepiſſe (quod tamen ego falſum opinor, vt ſuo loco oſtendam,) certè illud non recepit ad abſtergendas reliquias peccati, quæ veniali etiā macula ſemper caruit, vt Catholica Eccleſia docet, ſed ad comparandum maius robur, ſpecialemq; gratiam ad ſuperandas inſidias Diaboli in articulo mortis. Tandem Ordinis, & Matrimonij ſacramenta non recepiſſe ſatis exploratum eſt, cum illius ratione ſexus non eſſet capax, iſtius verò nondum acceſſiſſet inſtitutio, cum matrimonium contraxit. Conſtat igitur apertiſſimè præcellentem adeò fuiſſe Virginis puritatem, vt quamuis multa ſacramenta diuina inſtitutione ordinata fuerint ad abluendas peccati maculas, nunquam tamen illis ad hunc effectum ſibi præſtandum indiguerit.

Accedit ad hæc, quod B. Virgo ex multiplici capite obnoxia nō erat purificationis legi. Primo, quia ipſa non pepererat ſuſcepto ſemine, ſed Spiritus ſancti obūbratione: lex autem purificationis dicebat: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine maſculum pepererit, immunda erit*: quod autem hoc nomine *ſeminis* principium generationis veniat intelligendum, & non proles (vt falsò putarunt Abulenſis, Caiet. Ianſenius, & Oleaſter)

D. Ambro. lib. 2. de Virg. in prin. — *Ioan.* — *Euth. Ioan. 3.* — *Suarez 3. par. q. 37 diſp. 18 Sect. 3.* — *Albert. Mag. c. 81. Pomer. lib. 7. p. 1. a. 2* — *Card. Belar. & Suarez. de Sac. Confirm.* — *Ioan. 6.* — *Act. 1.* — *Gloſſ. in Act. Apoſt. cap. 1.* — *Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 23* — *Lib. 12.* — *Abul. q. 2. ſuper 12. c. Leui. Caiet. ibid. Ianſen. in ſua cōcordia Oleaſter in c. 12. Leu. Leuit. 12.* — *Abulen. Caietanus Ianſenius, & Oleaſter ſuper cap. 12. Leuitic.*

Oleaſter) ex eo conſtat, tum quia hebræi omnes (vt annotat Cardinalis Toletus) vertunt, *quæ effuſo ſuſcepto ſemine conceperit:* effuſum autem ſemen principium eſt generationis. Tùm quia Sept. Interpretes transferunt in hunc modum: *mulier ſi ſeminata fuerit*: non ergo ibi nomine ſeminis intelligitur proles: tùm quia Vulgata editio, quæ ex decreto Concilij Tridentini omnibus eſt anteponenda, non vertit, *Mulier, quæ fecerit ſemen*, ſed *quæ ſuſcepto ſemine*. Primo enim modo ſuſtinere poſſet locus ille explicationẽ de prole; ſecundo verò minimè: tum quia cum *ſuſcepto ſemine* idem eſſet ibi, quod *facere prolem*, omnino ſuperfluè poſitum eſſet, cum euidens ſit nullam feminam parere poſſe quæ prius quàm pariat, prolem pariendam non fecerit. Igitur cum ſacra Scriptura nihil ſuperfluum dixerit, conſequens eſt poſita eſſe illa verba *ſuſcepto ſemine* ad excipiendam Beatam Virginem, quæ abſque ſemine ſuſcepto peperit. Tandem quia tametſi verum ſit (vt volunt præcitati Doctores) phraſim hebraicam idem ſignificare, quod prolem concipere, ſeu, vt alij dicunt *ſeminificare*; ſatis conſtat ex etymologia huius nominis ſignificare, *prolem facere ex ſuſcepto ſemine*, & conſequenter quoquo modo exponatur, cum talis conditio defuerit Virgini, non fuit comprehenſa in prædicta lege. Item

Secũda ratio. probatur Secundo, quia illa conditio *ſi ſuſcepto ſemine*, appoſita fuit pro matre pariente maſculum: *Mulier* (inquit) *ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum*; nõ vero pro matre pariente feminam, de qua poſtea dicitur: *Si autem feminã pepererit*: cur enim ſimiliter non dixiſſet: *ſi autem ſuſcepto ſemine feminam pepererit?* niſi quia vna tantùm mater futura erat, quæ nullo ſuſcepto ſemine maſculum erat paritura, ad quam ſolam excipiendam ea particula fuit adhibita.

Tertia ratio. Euthym. ſuper Lucã c. 2. Lucæ 2.

Tertio, quia cum Euthymio ponderari debent verba D. Lucæ: *Poſtquã impleti ſunt dies purgationis eius, ſecundum legem Moyſi*. Ecce ait, *ſecundum legem* non ſecundum rei veritatem, nam verè ipſa nulla neceſſitate aſtringebatur expectare dies purificationis: itaque dies illi *purgationis* Mariæ non dicuntur ſecundum realem exiſtentiam, ſed ſecundum exiſtimationem, ad eum ferè modum quo Ioſeph, pater Chriſti nuncupabatur, non

tam

quod eſſet, ſed quia ſic putabatur: vt enim docuit D. Hieronymus: *Conſuetudo Scripturæ eſt geſta ita referre, quomodo tunc quando fiebant, fieri putabantur*. D. Hier. hic.

Quarta ratio. Quarto quia lex dicebat de muliere purificanda: *Omne ſanctum non tanget*: quomodo autẽ poſſet hac lege aſtringi Beata Virgo, quæ Chriſtum Dominum Sanctum Sanctorum aluo ſuo effuderat, ac vbere de cælo pleno illum lactans, nutriens, abluens, ſinu ſuo confouens, vlnis ſuis baiulans, brachijs complexa, atque caſto ore oſculans, millies tangere, & contrectare neceſſe erat. Quod ſapienter perpendens Euſebius Emiſſ. dixit: *Non enim de ea dictum fuerat, omne ſanctum non tanget; quæ ipſum Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, in ſinu fouebat, & virgineo lacte nutriebat*. Euſeb. Emiſſ.

Quinta ratio. Quinto, quia immunditia, à qua purificari præcipiebatur parturiens, vel ortum habebat ex eo, quod immundo cõceptum ſemine, & peccato originali infectum pepererat, vel ex ſordibus quas in puerperio contrahebat, vt omnes Interpretes vnanimi ſententia conteſtantur: quod poſtremum manifeſtè colligitur ex verbis ipſius ſacri textus: *Orabit pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui*. Leuit. 12.

Ecce ſordes, pro quibus abſtergendis purificationis lex impoſita erat: at Beatam Virginem conſtat ex fide catholica ex primo capite non aſtringi ea lege, cum peperit filium impeccabilem, vtpotè virtute Spiritus ſancti conceptum, & Verbo diuino ab inſtanti ſuæ conceptionis hypoſtaticè vnitum, & ab eodem beatum, & comprehenſorem. Ex ſecundo autem capite Beatam Virginem obnoxiam fuiſſe prædictæ legi, nefas eſt effutire: illa enim in partu non habuit ſordes ex fluxu ſanguinis prouenientes, cum Virgo manens pareret, & abſque vlla Virginei clauſtri violatione. Et quidem cum opera Spiritus ſancti concepiſſet, ille ſolus ſanguis profluebat à Beata Virgine, qui opus erat ad nutrimentum fœtus, quo egreſſo ab vtero totus ille ſanguis defluebat ad vbera, vt fieret lac in cibum infantis, & conſequenter nullus ſuperfluus ſanguis ſuperfuit, ex quo immundities, aut purgationis neceſſitas oriretur. Vnde S. Eligius dixit: *Nequaquam immunda iudicatur, quæ ſancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & ſanctitatis Auctorem genuiſſe probatur*. Sed Eligius de purif. B. Virg.

B. Aug lib de quinque legibus cap. 5.

elegantius D. Auguſtinus aduerſus Manichæos diſputans dixit, *Stulte, vnde ſordes in Virgine matre, vbi non eſt concubitus cum homine patre? vnde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem? vnde ſordes in domo, ad quam nullus hoſpes acceſſerit?* D. Ildephonſus: *Virgo* (inquit) *tanto magis libera fuit à corruptionis paſſione, à dolore carnis, à ſordibus ignominiæ, quanto gratia plena, & incorrupta*. Idem ſonant verba

D. Ildephonſ. ſerm. 2. de purific.

D. Zenon. ſer. 3. de natiuit.

D. Zenonis Epiſcopi Veronenſis: *Non Mater Domini tãti partus pondere exhauſta totis pollens iacuit reſoluta viſceribus, Non filius matris aut ſuis eſt vllis ſordibus delutus; neque enim reuera aliquid circa ſe, habere potuit immundum, qui humani generis peccata, ſordes, & maculas venerat mundaturus*. D.Gregor. Nazianzenus eidem veritati conſentiens his paucis verbis idem docuit: *Filius ſine vlla ſpurcitia ex virgine progreſſus eſt; nihil enim eſt ſpurcum, vbi Deus eſt*. Hæc ille, à quibus non abhorrent quæ Nicetas appoſuit in ſuis Commentarijs dicens: *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere ineffabili modo; quia ſine viri ſemine, & ſupra naturæ captum citra vllas ſordes: vbi enim Deus, nihil illic ſordidum, & impurum eſt*. Quia tamen quidam putant huic veritati refragari verba D. Hieronymi contra Heluidium, nec poſſum, nec debeo verba illius, & germanam eorum intelligentiam his non adnectere. Hieronymus præcitato loco in hunc modum loquitur: *Iunge, ſi libet, & alias naturæ contumelias, nouem menſibus vterum inſoleſcentem, faſtidia, partum, ſanguinem, pannos, ipſe ſibi deſcribatur infans, tegmine membrorum ſolito conuolutus, ingerantur dura præſepia, vagitus paruuli, octaua diei Circumciſio, tempus purgationis, vt probetur immundus, non erubeſcimus, non ſilemus, quanto ſint humiliora, quæ pro me paſſus eſt, tanto plus illi debeo*. Hactenus Hieronymus: cuius verba duplici expoſitione ſunt illuſtranda: prima, vt dicamus cum Cardin. Toleto, quod *vterum inſoleſcentem* appellat, quia ſpatio nouem menſium magis, ac magis ſolito intumeſcebat. Creſcente enim fœtu, neceſſe erat vterum magis excreſcere. Vſus eſt eodem verbo Tertullianus lib. de carne Chriſti: non tamen inde ſequitur, quod grauedinem intulerit Matri, quæ

Nazian. oratione 40.

Nicetas ſuper Lucam.

Hieron. contra Heluidiũ.

Toletus ſuper caput 2. Lucæ annotat. 35.

Tertullianus.

fuit ſine grauedine grauida. Appellat autem *faſtidia*, non quæ Mater pertulit, ſed quæ ipſe infans, in vtero clauſus, paſſus eſt. Chriſtus enim intra Virginis vterum vſu rationis, ac ſenſibus pollens, ſenſit anguſtiam loci, & alia quæ patiuntur infantes: ſi enim extra vterum pati tanta dignatus eſt pro nobis; quomodo intra vterum etiam non eſt paſſus? *Partum* appellat, quia Beata Virgo Chriſtum peperit integra quidem, & ſine dolore, ſed per vuluam, ſicut & cæteræ pariunt; quod ad diuinam humilitatis dignationem pertinet, qui pro nobis ſic eſt humiliatus. Sed difficultas eſt in verbo (*ſanguinem*) quod tamen non ad ſanguinem menſtruũ defluentem ex Beata Virgine referri debet, qui ſolet immunditiam inferre, & qui in B. Virgine non fuit, ſed ſanguis hic eſt ex nerui vmbilicaris præciſione: Chriſtus enim etiamſi non viri ſemine, ſed Spiritu ſancto formatus ſit; tamen in vtero corpus eius nutritum eſt, & coăluit ad modum ceterorum hominum, membranis duabus obtectus, & per vmbilicarem neruum ſanguinem ex puriſſima Virgine ſugebat nouem menſium ſpatio. Quando ergo egreſſus eſt ex vtero, nullam matri intulit corruptionem, tamen vmbilicarem ſecum neruum attulit, ſicut cæteri infantes, qui præciſione indigebat, ex qua modicus ſanguis defluit, ſicut ex Circumciſione etiam ſanguis emiſſus eſt, qui quidem ſanguis non efficit immunditiam Matri, & de hoc Hieron. locutus eſt. Sed iam ingenioſam aliam D. Ildephonſi Expoſitionem in verba D. Hieronymi accipe: *Quamuis* (inquit) *Doctor Hieronymus in eo opere, quod contra Heluidium egit, videatur exceſſiſſe, & in eo loco, vbi ait de hoſpitio vuluæ nouem menſium, & de veritate naſcendi, quod ille hæreticus inſultando propoſuerat, quaſi maieſtati diuinæ eſſet indignum ad tantam dignationem ſe humiliaſſe, vt inter viſcera in vtero verſaretur Virginis; vt inter fæmora feminea naſceretur tam ſordidus; ſic enim omnia opponens in contrarium, quaſi hæreticus, vt deſtrueret fidei Catholicæ veritatem. Cui è contrario egregius ille veritatis aſſertor, non cedendo, vt iſti voluit, ſed dignationem glorioſiſſimæ humilitatis Dei amplius commendando ait; quantò viliora, & inhoneſtiora pro nobis illa maieſtas diuina ſuſcepit*

D. Ildephonſ. ſerm. 2. de purificatione.

aut

aut ſuſtinuit, tanto charius nos redemit, & propenſius honorandus eſt. Tali namque ſenſu, etſi non eiſdem verbis, in quantum recolo, eidem reſpondens heretico, videtur B. Virginis non infamiam vllius colluuionis, aut pœnam peccati intuliſſe, ſed dignationem diuinam, & exinanitionem immenſam, & in forma ſerui reuerenter ſatis commendaſſe, non vt Virginem vexatam à Domino, & exoneratam oſtenderet, ſed vt clementiam pij Conditoris etiam huiuſmodi hereticis demonſtraret. Idcirco non ceſſit iſtis cum Heluidio errantibus, ſed corripuit, vt diſcerent, non infamare Virginem, & Domino non derogare in forma ſerui humilitatem. Non enim pudicitiam eius in aliquo læſam docet, qui tantum in eius laudem triumphat, neque ad horam ceſſit aduerſarijs, qui pro ea tantum, & tamdiu dimicauit verbi gladio; cui Deus contra hoſtes eius tantam reſiſtendi contulit gratiam, reuincendi præbuit virtutem, vt nemo contra eum audeat inſurgere. Deinde pluſquam ducenti & viginti Patres in trullo congregati, vt conſtat ex Septima Synodo, veritatem hanc in hæc verba docuerunt, Canone vigeſimonono: *Abſque vllis ſecundinis ex Virgine partum eſſe confitentes, vt qui ſine ſemine conſtitutus ſit, idque toti gregi annunciantes.*

Septima Syn. canon. 19.

Sexto, & vltimo tandem, tota Patrum antiquitas (quos retuli Lib. 7. Homil. 6.) vnanimi conſenſu docuit, paucis quibuſdam recentioribus temerè (vt mihi videtur) refragantibus, Beatam Virginem minimè comprehenſam fuiſſe in lege illa Moſayca: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine, &c.* ſed potius ex vi verborum ipſius legis nõ obſcurè ab ea fuiſſe exceptã. Quia tamen prædicto loco quædam illorum Patrum teſtimonia adduxi, illis prætermiſſis, alia diuerſa hic apponam. Origenes quidem ſuper Leuiticum: *Conſideremus* (inquit) *ſecundum hiſtoriam, ſi non videtur quaſi ex ſuperfluo additum: Mulier quæ conceperit ſemen, & pepererit maſculum; quaſi poſſet maſculum aliter parere, niſi ſemine concepto: ſed non ex ſuperfluo additur, ad diſcretionem namque illius quæ ſine ſemine concepit, & peperit, iſtum ſermonem præ cæteris mulieribus Legislator adiecit, vt non omnem mulierem quæ peperiſſet, deſignaret immundam, ſed eam quæ concepto ſemine peperiſſet.* Euſebius Emiſſenus non diſſimilia ſcripſit dum ait: *Scriptum eſt in lege Moyſi quod mulier, quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit. Hac lege Beata Virgo non tenetur, quæ nullo ſuſcepto ſemine Virgo concepit, Virgo peperit. Ad cuius diſtinctionem Moyſes non dixit, mulier quæ pepererit maſculum, ſed cum additamento, quæ ſuſcepto ſemine.* Cum igitur ex nuper prælibatis liquidò cõſtet in Beatam Virginẽ nec animæ maculas, nec corporis ſordes cum alijs parturiẽtibus communes, vllo modo irrepſiſſe, & ex conſequenti in lege purificationis comprehenſam non fuiſſe; meritò B. Virgo hodierna die vſurpare ſibi poſſet quod D. Bernardus id contemplans, ſapienter, vt aſſolet, illam per proſopopeiam introducẽs dixit: *Quid mihi opus purificatione? cur abſtineam ab ingreſſu Templi, cuius vterus virum neſciens templum factus eſt Spiritus ſancti? Cur non ingrediar Templum, quæ peperi Dominum Templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: Nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato.* Hinc inſignis Abbas Guaricus Sermone primo de purificatione (vt refertur in Bibliotheca veterum Patrum) tanquam D. Bernardi præclarus æmulator dixit: *Quid in ea purificandum eſſe potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permanſit; imò quæ ipſo conceptu plenè purificata fuit? Quid inquam, mundandum habuit conceptus ille, qui ſolus poteſt facere mundum de immundo conceptũ ſemine, qui fontem, quo immundus purificetur, edidit; fontem Domus Dauid, qui hodie patet indefeſſeque ſcatet in ablutionem peccatoris & menſtruatæ?* Atqui ob hãc eximiam Virginis puritatem, mundiſſimumq; conceptum, & partum, quæ ſub purificationis velamine deliteſcebant, arbitror Salomonem in perſonam eius dixiſſe: *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Non me latet hunc locũ diuerſimode ab Interpretibus exponi. D. Auguſtinus illum intelligit de vniuerſali Eccleſia, quæ ex iuſtis, & iniuſtis coaleſcit, ij enim reddunt illam nigram, illi formoſam. Theodoretus, & Origenes ad eandem Eccleſiam verba illa referentes conſiderant

Sup. lib. 7.

Orig. Homil. 8. in Leuitic.

Euſeb. Emiſſ. in Purificat. S. Mariæ.

D. Bernar. in ſerm. 3. de Purificatione.

Abb. Guaric. in ſerm. 1. de Purific.

Iob 14. 4.

Cantic.

S. Aug. ſuper hunc locum.

Theod. et Origen. ſuper 1. cap. Cant.

ſiderant Eccleſiam ex gentibus ad Deum conuerſis fabricatam, & aiunt *nigram* eſſe propter infidelitatis errores, qui in principio conuerſionis gentium vigebant: *pulchram* vero, & *decoram* ob gratiæ venuſtatem in Baptiſmi lauacro receptam. *Honorius ſuper c.1. Canticorum.* Honorius verò de anima peccatrice per pœnitentiam Deo recõciliata prædictum locum intelligendum autumat: *Nolite* (inquit) *Angeli Dei, cæleſtis Ieroſolymæ incolæ, nigram me reſpicere: nigra ſum deſpectu, & vilis, ſi priorum maculas attenditis, ſed formoſa quia pœnitentiam egi, & ſanguine Agni ſum dealbata: culpæ & ignorantiæ faciunt, vt ſim ſicut tabernacula Cedar, ſed pœnitentia, & ſanguis ſponſi faciunt, vt ſim ſicut pelles Salomonis*. Alij vero Interpretes de B. Virgine prædicta verba explicant, ſed non eodem modo. *D.Greg.Nyſſ. Guilelmus.* Nam Nyſſenus, & Guilelmus ad labores, & patientiam Virginis reſpicere putant, ita vt Beata Virgo inſipientium hominum obiectioni ſatisfaciens dicentium ei: Qui fieri poteſt, vt te filius diligat, cum multis te mœroribus premi, & aduerſitatibus agitari permiſerit toto vitæ tuæ decurſu? Ipſa reſpondet: Fateor, ſed in hoc ipſo amor eius eluxit; quia dictum eſt: *certamen forte dedit ei vt vinceret: nemo* enim *Sapien.10. 2.Tim.2.* *coronatur, niſi legitimè certauerit*. Sic ergo afflicta, ſic mœrens, *Nigra* ſum, ſed patiens & vincens *formoſa*. *Ruper.1.cap. Cantic.* Rupertus autem refert illa ad ſuſpicionem Ioſeph, de quo ait Matth. *Volebat occultè dimittere eam. Ergo* (inquit) *in oculis eius nigra erat, & eſt adhuc in oculis, ſiue in ſenſu illorum qui negant de Spiritu ſancto impregnatam. At illa dicere poterat, & veraciter dicit: Nigra ſum, id eſt, pregnans inuenta ſum, & ſecundum opinionem male videntium nigra; ſed formoſa, ideſt, ſalua virginitate à Spiritu ſancto impregnata, & ſecundum fidem rectè credentium caſta, & decora*. Verùm illud in hac expoſitione diſplicet, quod facit Beatiſſimum Ioſephum non ſatis ſecurum de integritate Virginis, à qua ſuſpicione cum grauiſſimis Doctoribus illum liberandum lib. 4. cenſuimus. Quare prædicta verba mihi videntur aptius exponi de Purificatione Virginis: cum enim, pauciſſimis exceptis, omnes iudicarent illam ex Ioſepho concepiſſe, dolores parturientis ſuſtinuiſſe, virginitatis decorem amiſiſſe, filium peccatorem peperiſſe, & omnes parturientis ſordes contraxiſſe, & ideo purificatione indigere: meritò inquit *nigra ſum*, ſcilicet iuxta falſam hanc veſtram exiſtimationem; ſed in veritate *formoſa*, quia Virgo integerrima ſemper manſi, & conceptu, & partu purior, & pulchrior euaſi. Et idcirco perſimilis dicor tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis. Exterius temporis iniurijs denigrata eram, intus vero multa pulchra continebam, vnde Diuinus ſpõſus, cui eximia Virginis pulchritudo patula erat, cõtinuò dixit, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te*. ideſt (vt Alanus *Alanus.* explicat) *tota pulchra, anima, & corpore, Amica mea, & macula non eſt in te, quia nullum credimus in Virgine ante, & poſt conceptum fuiſſe peccatum*. Vel (vt Rupertus *Rupertus.* exponit) *nunc quidem pulchra es, ſed nondum apparuit quod tota pulchra ſis, & quod macula non ſit in te, quod ſcilicet Virgo conceperis, & genueris, & virgineis vberibus: hoc prædicabitur gentibus* ad laudem, & gloriam illius, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia II.

Antiqua lex Purificationis explicatur, per quam, tanquam per figuram, & imaginem, ad ſpiritualem animæ purificationem inſtruimur, hancq. per Pœnitentiam fieri debere oſtendimus: cuius mirabiles effectus, vt Peccatorum animos ad eam capeſſendam prouocemus, multiplici eruditione proſequimur.

CELEBRIS viguit apud Hebræos, ac inuiolabilis obſeruantia cuſtodita lex illa Purificationis, qua dicebatur: *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pe-* *Leuit. 12.* *pererit maſculum, immunda erit, nec ingre-*

dietur

Google

dietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purgationis ſuæ. Dies autem iſti, quadraginta erant in partu maſculi; in partu verò feminæ octuaginta. Quod ſanè ad naturæ imitationem factum videtur, quia in maſculis circa quadrageſimum diem à conceptu corpus formatur, & anima illi infunditur. Embrio enim (vt loquuntur Phyloſophi) per quadraginta dies eſt in vtero in fœda materia, & abſque informatione animæ rationalis. Per ſex enim primos dies habet ſe inſtar materiæ lacteę: per ſequentes nouem, inſtar ſanguineæ: per duodecim immediatè ſuccedentes creſcit caro, & organa formantur, ac diſponuntur vſque ad quadrageſimum diem ad recipiendam animam rationis compotem. Et quamuis D. Ildephonſus exiſtimet fœtum in vtero matris ad perfectionē membrorum non perduci vſque ad quadrageſimum ſextum diem, quod videtur ſumpſiſſe ex Auguſtino, ob quam rationem dies purgationis aſſignat quadraginta ſex, quia licet Scriptura dicat *quadraginta*, conſueuit tamen numerum fractum complecti ſub numero perfecto. Ceterùm primum ex his duobus pugnat cum Ariſt. lib. 7. hiſtoriæ. c. 3. vbi apertè ait: *Mares formari circiter quadrageſimum diem.* Secundum verò, contrarios ſibi habet grauiſſimos Eccleſiæ Patres, præſertim Ambroſium, & Auguſtinum. Si verò pariebat feminam, duplicabantur dies purgationis, quia propter humorum copiam maiori egebat purgatione, Ariſtotele dicente lib. 7. de animalibus: *Si mas naſcitur, profluit ſanies diluta, & pallidiuſcula; ſi fœmina, cruenta*. Ipſe etiam Philoſophus eodem libro inquit: *Mares fœtus magna ex parte circa quadraginta dies dextro potius latere mouentur, feminæ ſiniſtro circiter nonageſimum*, & infra: *Funditur etiam fœtus hoc eodem tempore, cum ante caruncula informis conſtaret. Cum itaque fœtus in vtero formatur, femina tardius, quàm Mas perfectionem quarumcumque partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quàm mas protrahitur*.

D. Ildephonſ. ſer. 1. de Pur. D. Auguſ. lib. 82. q. cap. 56.

Ariſt. lib. 7. Hiſtor. cap 3. S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 8. Auguſ in q. in Leu. q. 40 Ariſt. lib. 7. de animalibus. Ariſt. vbi ſupra.

Ariſt. ubi ſup.

Illud hoc loco circa propoſitā legem ſilentio non præteribo: Quodnàm eſſet peccatum, à quo femina purgari præcipiebatur, & pro quo abſtergendo hoſtia offerri debebat? Quidam Rabini affirmant illud eſſe peccatum periurij, quia mulieres ſentientes partus dolores iurant ſe non amplius cum viris ſuis congreſſuras. Quæ ſententia digna eſt ſuis Authoribus, ex proprio Marte hæc, & ſimilia deliramenta excogitantibus. Alij dicunt à peccato in genere purgari, ſine quo nemo vitam agit, quia, vt inquit D. Iacobus: *In multis offendimus omnes*. ſed diſſona eſt hæc expoſitio; alioquin etiam vir, & quæcunque femina etiam non parturiens debuiſſet purificari. Alij putant peccatum hoc eſſe, quod frequenter committitur in actu matrimonij, cum non fit circumſtantijs omnibus, quibus fieri deberet. Sed nec hæc explicatio placet; nam etiamſi ſine peccato fieret vllo, adhuc femina purgari debebat, & hoſtiam offerre pro peccato, & quia etiam pro viro deberet offerri, qui ſpatu indebitis circūſtātijs illius actus poſſet deficere. Diuus autem Auguſtinus quæſt. 40. in Leuitic. dicit eſſe peccatum originale, quod per actum etiam nuptialem deriuatur ab Adam in prolem: ſed etiam hæc ſententia difficilis eſt: nam peccatum pueri originale iam in Circumciſione erat expiatum: peccatum autem matris iam ante erat oblatum. Pro vera ergo intelligentia ſupponendum eſt, non ſemel in ſacra Scriptura nomine *peccati* intelligi non peccatum ipſum, ſed pœnam illius, vt patet ex illo Threnorum 4. *Patres noſtri peccauerunt, & nos iniquitates eorum portauimus*, ideſt, *pœnas*. Quia ergo ſanguinis profluxus, quem parturiens patiebatur, quædam peccati pœna eſt, ab eo purgari, & pro illo hoſtiam offerri præcipiebatur. Vnde in Leuitic. cap. 15. leproſus ſanatus, & ſimiliter patiens fluxū ſeminis, iubetur offerre ſactificiū pro peccato, ideſt, pro lepra, & fluxu ſeminis, tanquam pro pœna peccati. Sic ergo in præſenti, idem eſt *pro peccato*, quod *pro immunditia*, ſiue fluxu ſanguinis, per quē ſpurcata prodit proles ex vtero materno, de quo latè in Paraphraſi Euangelij dicā.

Do. Hebr.

Iacob c. 3.

D. Aug. q. in Leuit. q. 40.

Threnor. 4.

Leuit. cap. 15.

IV. His ſic iam prælibatis, non poſſum non pro exordio præſentis orationis egregia verba inſignis illius Abbatis Guarrici ſermone. 4. de Purificatione mihi vſurpare: *Scriptura Redemptionis noſtræ narrans myſteria ſic refert, quæ pro nobis hiſtorialiter ſunt geſta, vt ſignificet, quæ moraliter à nobis ſunt gerenda. Cum enim hodie purificatio Beatæ Mariæ recenſetur, manifeſtè de no-*

Guarr. ſerm. 4. de Purific.

de noſtra ipſorũ purificatione admonemur. Quem verò tanti non moueat authoritas exempli? cum videamus ſcilicet, quia illa ſanctarum ſanctiſſima, quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit. O Mater immaculata, mater intacta, nonnè tuæ tibi conſcia es puritatis? quia ſcilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violauit, ſed ſacrauit. Quare ergo tanquam ſi muliebre aliquid in concipiendo, vel pariendo ſis paſſa ſic mundationis, quæ muliebri promiſſa eſt, infirmitatis quæris remedia? ſic, inquit, decet nos omnem implere iuſtitiã, vt quæ ſumma mater electa ſum iuſtitiæ, ſpeculum quoque ſim totius, & exemplar iuſtitiæ. Noui ego ſuperbiam filiorũ Heuæ, quæ promptior eſt ad excuſandum, quàm ad expurgandum commiſſa. Neceſſarium arbitror, vt vitijs originis antiquæ, ſtatim in initijs omnia nouæ generationis occurrãt exempla. Mater præuaricationis peccauit,

Geneſ. 3.

& excuſauit procaciter: mater Redemptionis non peccat, & ſatisfacit humiliter, vt filij hominum, qui de matre vetuſtatis traducunt neceſſitatem peccandi, de matre ſaltem nouitatis trahant humilitatem purgandi. O filij hominum, tempus purgationis aduenit, quando mater ſumma puritatis, de cuius purgatione dies feſtus eſt nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis, quo debeamus purgari. Equidem mulier decubans in puerperio, quæ immunda ſecundum legem iudicabatur, expreſſe adumbrat animam peccatricem, quæ conſentiens concepit peccatum, & opere perpetrans illud peperit, de quo infelici, & abortiuo conceptu, & partu Iacobus Apoſtolus dixit in ſua Canonica:

Iacob 1.

Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem. Vnde ſicut Mulier immunda iubetur purgari; ita & anima ſordida præcipitur ſpiritualiter purificari.

Iacob 4.

Emundate manus, purificate corda duplices animo Sanè *anima iuſti ſedes eſt Dei*, vt

Sap. 7.
1. Cor. 3.

ait Sapiens: *Templum eſt Dei*, vt ait D. Paulus, & idcirco vt illi inſideat, & ibi aſſiſtat, oportet prius à ſordibus purgari. Sordidari templa, vaſaq; templorum tribus maxime conſueuerunt, fumo, puluere, liquore: animus ijſdem inficitur, & contaminatur. Quid eſt puluis aliud, quàm cupiditas opum terrenarum? Quid fumus, niſi vana quædam auiditas, & ambitio honoris, ac dignitatũ? Quid liquor, quàm lutulenta carnis libido? Quinam alij præter iſtos malorum ſunt omnium fontes? ſi euacues, ſi ab illis te mundum exhibeas, bene mundus, plane es expiatus. Verùm quia parum prodeſt morborum cauſas tenere, niſi ſimul noris remedia, pharmacum nunc nobis, & mali medicina breuiter præſcribenda. Mali huius, ſiuè triplicis immunditiæ, triplex quoque piamen inuenio ad purgationem aptiſſimum. Sicut enim ventus puluerem abijcit, fumoſas, & liquidas maculas aqua detergit, aut ſi firmius inhæſere, abſumit flamma: ſic auaritiam diſpergens eleemoſyna fugat, ſuperbiam humilitas retundit, quæ ſimilis aquæ per ima dilabitur, impudicitiã amor Dei cõſumit, qui animas ignis inſtar accẽdit. Videtur id (neque eſt ſatis admirari) cæca gentilitas intellexiſſe, quia (vt tradit Mineus felix in Epitalamio Mercurij) *Mineus in Epitalam. Mer.* tribus præcipuè purgarionum generibus vtebantur, flammis ex Hetruſcorũ, aquis, ex Græcorum, venris ex Syriæ Pherecitæ diſciplina, & inſtitutione. Meminit trinæ huius purgationis Mantuanus Poëta, dum lib. 6. Aeneidos cecinit.

Aliæ panduntur inanes. *Virgil. lib. 6. Aeneid.*
Suſpenſæ ad ventos, alijs ſub gurgite vaſto
Infeſtum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Ad hæc egregiè quidem duo in Euangelio coniungunrur Purificatio, & oblatio Turturis. Nam ex natura huius volucris, & ex ritu, quo ſacrificari conſueuit, docemur, qua ratione animus noſter purificandus ſit. Tribus purificatio Chriſtiana perficitur in oppoſitionem aliorum trium, quibus Gentilica perficiebatur. Prima Ethnicorum purificatio, aqua inter omnium illius Regionis optima lectiſsima fiebat. Vt enim tradit Guillelmus Stucchius lib. *Guillelmus Stucchius.* de ſac. ſacrific. Aegyptij ſacerdotes non poterant aliter luſtrari, quàm aqua illa, ex qua bibebat volucris, *Ibis* nomine, quæ famoſa erat in ea Regione, eo quod nunquam bibebat ex aqua quoquo modo infecta. Alij à ſacerdotibus Aegyptijs non poterant ſe purificare aqua ſtagnata, ſed viua, & perenniter fluente; ad quod alluſit Aeneas, cum patri ſuo dixit, nolle ſe- *Virgilius* cum ferre Deos Pœnates, quia cum ſan-

guine

Digitized by Google

guine bellico inquinatus eſſet, oportebat ſe prius in flumine ablnere.

Tu Genitor cape ſacra manu, Patrioſq; Pœnates,
Me bello extento digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Secunda purificatio accenſis facibus fiebat, quibus Ethnici putabant Deam Cererem filiam ſuam Proſerpinam quæſiuiſſe, quando Pluto illam ſurripuit, vt tetigit Ouidius epiſtola ſecunda. Ouidius.

Tertia purificatio, ſulphure, & igne fiebat, vt Author eſt Homerus in Odyſſea. Vlyſſes enim, vt purificaret domum ſuam ab inquinamentis, quibus illam ſpurcauerant libidinoſi quidã propriæ ſuæ vxoris ſollicitatores, ſulphure & igne vſus eſt.

Homerus. *Porta ſulphur anus malorum medelã,*
Porta mihi ignem, vt fumicẽ domum.

Contrà has tres purificationes tres alias inuenit pietas Chriſtiana ſub turture egregia adumbratas. Turtur enim defuncto ſocio ſemper gemit, & lacrymatur iacturam, quam patitur ex defectu conſortij illius. Eccè primam purificationem gemitibus, & lacrymarum aqua ad abſtergendas maculas probatiſſima. Hoc genere luſtrationis vtebatur Dauid, cum dicebat: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſal. 50. Quando item Turtur ſacrificabatur, cibus, quem in ventriculo habebat, extrahebatur, & alijs volucribus, quaſi in eleemoſynam porrigebatur. Eccè ſecundum genus purificationis, quæ media eleemoſyna perficitur, dicẽte Eccleſiaſtico: *ignem ardentem extinguit aqua, eleemoſyna reſiſtit peccatis.* Eccleſ. hac luſtratione vſus fuit Ioab, nam (vt tradunt lyra, & Rabi Salomon) 3. Reg. 2. Ioab iuſſit ſe ſepeliri in domo, quam in deſerto ædificauerat, intra quam in protectionem pauperum Peregrinorum ſpeciale hoſpitium erexerat: animaduertens enim ſe multis peccatorum maculis inquinari, (occiderat enim Amaſſa per traditionem, contra præceptum Dauidis; dilectum filium eius Abſalon tribus lanceis transfixerat; Regijs præceptis non ſemel in obedientem, & infidelem ſe exhibuerat) ideò cupiens à ſuis ſordibus emundari, conſultò in pauperum hoſpitio, vbi miſericordia cum illis vſus fuerat, ſe præcepit ſepeliri, vt eleemoſynis illis diuina miſericordia eum emundare dignaretur. Tandem cũ Turtur in ſacrificium offerebatur, pennas eius in ignem mittebant, vt ſignificarent, nihil velocem peccatorũ curſum, qui in varia ſcelera prolabuntur, vehementius retardare, quàm æterni ignis aſſiduam meditationem. Huius purificationis neceſſitatem non ignorans Diuus Iacobus clamabat: *Emundate manus peccatores, purificate corda duplices animo.* Iacob 4. Quaſi diceret, ſicut aer vẽto, domus ſcopis, igne metalla, ferrum lima, tunicæ aqua, triticum ventilabro, deterſione ſpeculum purgari ſolent: ſic animus noſter purificari, & ſanctificari poteſt ab omni criminis labe, & ſorde per ventum Spiritus ſancti, ab Auſtro flantis, per ſcopam humilitatis, per ignem charitatis, per limam correptionis, per aquam tribulationis, per ventilabrum ſanctæ meditationis abigentis muſcas tentationum, & ſcrupulorum, per deterſionem contritionis, per quam anima noſtra vti ſpeculum perfectè Deum repræſentat, atq; ad eius renouatur imaginem, & ſimilitudinem.

Verũ inter omnia hæc purificationũ genera tanquã omnium optimũ Pœnitentię lauacrũ aſſumite, prout S. Bernardus vos monet dicens. S. Bern. ſerm. 6 in pu. ... *Quid eſt aũt, quod dicimus Beatã Mariam purificari? Quid verò, quod ipſum Ieſum dicimus circumcidi? Illa enimuerò tàm non indiguit purificatione, quàm neq; ille circumciſione: nobis ergo & hic circumciditur, & illa purificatur, præbentes exemplum pœnitentibus, vt à vitijs continentes primùm per ipſum cõtinentiã circũcidamur: deinde à cõmiſſis per pœnitẽtiam purificemur.* Pęnitẽtiæ iſtius egregiã quãdã imaginẽ Hiſtoria Reginæ Eſther ante oculos nobis proponit, dũ de illa ait. *Cũq; depoſuiſſet veſtes regias, fletibus & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs cinere, & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs, omnia loca, in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.* Eſth. 14. Vat. 208. Dauid hæc Reginę Eſther veſtigia planè mihi videtur in pœnitentia ſua ſequutus, quia prius inquit, *conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum.* Pſal. 29. Eccè luctum Eſther. Deinde ait: *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio.* Pſal. 108. Ecce Reginæ Eſther ieiunia. Ac tandem ſicut Regina

Eſther

Eſther in eiſdem locis, quibus lætata fuerat, mœrorem poſteà concepit, non ſecus Dauid locum ſtrati ſui, quo adulterium commiſerat, in oratorium cōuertit, copioſum lacrymarum imbrem præ nimio dolore in illo effundens. Vnde vbi noſtra Vulgata legit: *lacrymis meis ſtratū meum rigabo*. Diuus Hieronymus vertit ex Hebræo: *Natare faciam lectum præ abundantia lacrymarum*.

Pſalm. 6. D. Hieron. ſuper Pſal. 6.

Vt autem veſtrum omnium animos ad pœnitentiam amplectēdam alliciam, immò & accendam, in enarrandis varijs eius fructibus nonnihil liceat mihi immorari. Primus eſt, quod animam renouat iuxta illud Pauli: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ*. Permulta quidem in rebus naturalibus inuenio, quæ hanc ſpiritualem renouationem, quomodo fieri debeat, nos docent; ne ſit quæſo moleſtum ea audire. De Phœnice refert D. Ambroſius, congregatis quibuſdam lignis aromaticis inter illa emori, & ex humore eius vermem fieri, qui paulatim deinde in eandem Phœnicis figuram excreſcit, & ſic ſingulis quingentis annis renaſcitur, & renouatur. Aquilam etiam renouari, præter D. Baſilium id aſſerētem, ſacræ ſcripturæ teſtimonium probat: *Renouabitur, vt Aquilæ, iuuentus tua*: renouatur autem iuxta D. Hieronymi ſententiam, per mutationem pennarum, ad quod alludit illud Pſalmi 48. *Aſſument pennas, vt Aquilæ*. vel, vt vertunt ſept. *Pennas producent, vt Aquilæ*. vel iuxta mentem D. Auguſtini ſuper Pſalm. 102. fit eius renouatio in hunc modum, quod præ nimia vetuſtate roſtro eius adeo excreſcente, vt ad neceſſarium cibum ſumendum impedimento ei ſit, ipſa illud elidens ad petram, forti illo contactu, & colliſione illud confringit, & ad priſtinam iuuentutem redit. Accipitrem item per mutationem pennarum renouari Patres adnotant, præcipue D. Gregorius in ſuis Moralibus: Vertit enim ſe ad auſtralem plagā expādens alas, & calido vēto incaleſcens, pori eius aperiuntur, & ſic veteres pennæ facilius decidunt, & nouæ ſuccedunt. Colligo id ex verbis Iob: *Numquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum?* Ceruum etiam renouari author eſt D. Hieronymus ſuper Iſaiam: vt enim rerum naturalium Hiſtoriographi teſtantur, cum aduertit Serpentem in antrum ſuum introiiſſe, tremendis fremitibus eum foris egredi compellit, confeſtimq; ſuper ipſum aſcendēs, rabidis adeò morſibus illum impetit, vt præ nimio conatu, quē in eundē exhibet, nociuum ſudorem expellat, & ſic renouetur, & iuueneſcat. Similiter renouationem Colubrum ſubſtinere, præter Origenem id affirmantem, quotidiana experientia ſatis confirmat, cum videamus ex ingreſſu per anguſta petrarum foramina antiquam pellem exuere; quam vt facilius deponere poſſit, prius ſe in fonte abluit, vt aquæ humectatione facilior reddatur expoliatio. Qui igitur verè pœnitentiam de peccatis commiſſis agit, debet inſtar Phœnicis per profundam fœditatis illorum conſiderationem ſibi vileſcere, & humilis vermis fieri, vt ſic in priſtinam redeat elegantiam, & venuſtatem. Vel tanquam generoſa Aquila, angularem, ac ſolidiſſimam petram (Chriſtum Dominum intelligo, Paulo dicente: *Petra autem erat Chriſtus*) per orationem iterum, atq; iterum contingens, malæ conſuetudinis roſtrum, quæ ſpiritualem animæ cibum ſumere prohibebat, deponere. Vel debet, tanquam Accipiter ad Auſtralem auram ſolis iuſtitiæ reſpicere, vt radijs eius incaleſcens non corporis pori, ſed animi, intellectus ſcilicet, & voluntatis, ac per conſequēs, prauorum habituum, & affectionum pennæ decidant, & aliæ puræ, ac ſanctæ illis ſuccedant. Vel certè inſtar Cerui tot contritionis fremitus emittere, vt & antiquum ſerpentem foras abire compellāt, & prauo, ac nociuo peccati ſudore expulſo ſpiritualiter renouetur. Vel tandem debet tanquam Coluber per arcta illa tria Pœnitentiæ foramina, mentis dolorem, oris confeſſionem, & operis ſatisfactionem ingrediens, vetuſtam anteactæ peccaminoſæ vitæ pellem exuens, nouam conuerſationis, & diuinæ gratiæ ſtolam induere, iuxta illud Apoſtoli: *Exuentes veterem hominem, induite eum, qui ſecundum Deum creatus eſt*.

D. Paulus ad Epheſ. 4. *D. Ambr. lib. de fide reſurrect. c. 4.* *Baſil. in Pſal. 102.* *Pſalm. 102. D. Hieron.* *Pſal. 102. 70. Interpret.* *D. Aug. ſuper Pſal. 102.* *D. Greg. lib. 31. Moral. c. 6. et 15. et 32* *Iob. 39.* *D. Hieron. ſuper Iſai. c. 14. & 35.* *Orig. ſuper Ezech. hom. 14.* *1. Cor. 10.* *Coloſſ. 3.*

Secundus Pœnitentiæ effectus valde iucundus eſt, quòd diuinam iracundiam placat, ac ignem diuini furoris extinguit. Hic enim quantumuis ardeat, facile miteſcit, quia dum hæc mortalis durat aura, diuinæ iræ ſententia non eſt diffinitiua, ſed tanquam actus interloquutorius, &

ideò

ideò rectè poteſt appellari à Dei iuſtitia ad eius miſericordiam, nec appellatio repulſam patietur. Vt non obſcurè indicat
3. Reg. 21. hiſtoria illa Regis Achab, qui iniuſtè occiderat Naboth, adeò tunc iratus fuit Dominus; vt vocaret Eliam, & mitteret illum ad Regem, dicens: *Surge, & deſcende in occurſum Achab, & loqueris ad eum: hæc (dicit Dominus:) In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. Ecce ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* Ad ſedandam tamen hanc diuinam iracundiam Rex Achab pœnitentiæ
Ibidem. remedium aſſumpſit: *Cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitq. & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Cum primum tamen hæc pœnitentiæ indicia dedit, factus eſt ſermo Domini
Ibidem. ad Eliam Thesbiten, dicens: *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Ecce impletum,
D. August. quod D. Auguſtinus hoc perpendẽs dixit: *Nouit Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris mutare vitam.* Simile quidpiam legimus lib. 4. Regum de Rege Ezechia, qui poſtquam Iſaias, tanquam Dei nuncius, ei
4. Reg. 20. dixerat: *Morieris enim, & non viues:* ipſe vultũ conuertens ad parietem, (in quo, vt Hebræi dicunt, feneſtra erat, qua templum reſpiciebat) orationem effudit ad Deum, vt auerteret ab eo illud malum: &, vt ait
Ibidem. ſacer textus: *Antequam egrederetur Iſaias mediam partem Atrij, factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ Duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas; & ecce ſanaui te: die tertio aſcendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* quædam translatio habet: *Vidi lacrymam tuam, & ecce ſanaui te.* Iuxta quam obſeruatione dignum eſt, quod quamuis copioſiſſimè fleuerat, ſacro textu dicente:
Ibidem. *fleuit eiulatu magno:* vnius dumtaxat lacrymæ meminerit: *vidi lacrymam tuam:* vt inde conijcias peccatoris pœnitentiam ad diuinam iracundiam ſedandam mirabilem adeo virtutem habere, vt vero pœnitenti lacrymula vna id præſtare ſufficiat. Vnde fit, vt ſæpè peccator ad maiorem, & intenſiorem gratiam ex diuina liberalitate reſurgat, quàm antea habebat, iuxta illud Prophetæ Baruch: Baruch 4.
Sicut fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo: decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. Atque hinc vellem vos admonere fratres, vt quantũcunque enormiſſimis peccatis ſit animus implicatus, de diuina miſericordia minimè deſperetis. Nam etiamſi crudeliſſimis ſerpentibus, immanibusq. feris, ac ſpurciſſimis animantibus perſimiles ſitis, Chriſtus Dominus Saluator noſter cupit vos purificare ſanguine ſuo; vt eleganter D. Nazianzenus dixit: Nazianzen. orat. 6.
Neque enim purus Deus tanto in pretio quidquam habet, quàm puritatem, aut purgationem. Tanti autem illam fecit, vt ad expurgandas omnes criminum ſordes, ſuauiſſimum amoris igne incenſum balneum ex ſuo ſanguine præparauerit. Certè Ioannes inquit: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo:* Ecce apertè deſi- Apoc. 1.
gnat ignem diuini amoris, cum ait, *dilexit nos,* necnon & balneum ad purificationem potentiſſimum, cum ſubiungit: *& lauit nos in ſanguine ſuo.* Cuius quidem mirabilis potentia ſatis adamuſſim adumbrata fuit in linteo illo D. Petro oſtẽſo; vt enim narrat D. Lucas, *Vidit cælum apertum, &* Actor. 10.
deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum. Et vox iterum ſecundo ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Animalia, ac ſerpentes immundi, qui linteo continebantur, & immundos adumbrant homines, hos tamen ſerpentes, hos dracones, hos leones, tygrides has, ſanguis Chriſti purificat. Vnde vox illa: *Quod Deus purificauit, tu commune,* ideſt, *immundum, ne dixeris.* Deus, inquit, *purificauit,* nimirum ſanguinis balneo potentiſſimo, & ex ſerpentibus, feriſq, atque immundis animantibus in homines rationis participes, ac mundos commutauit. Potens lauacrum fuit Iordanis, cuius vndæ 4. Regum 5. Nahamani corpori inſi- 4. Reg. 5.
dentem lepram abluere potuerunt: multò potentius lauacrum eſt ſanguis Chriſti, cuius vna gutta omnium hominum leprã

animis ipſis inhærentem valet expurgare. Aliquid potentiæ habuit olim ſanguis victimarum ad purificandum: verùm carnē ille purgabat, nō conſcientiam, at Chriſti ſanguis ad conſcientiæ vſque ablutionem pertingit. Hinc illud Pauli ad Hebr. 9. [*Ad Hebr. 9.*] *Si ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtrã?* Potens lauacrum fuit antiquum diluuium, quod prima ætate vniuerſum terrarum orbem inundauit, verùm homines ſubſtulit, ſcelera non expiauit. Chriſti autem ſanguinis diluuium in omnes terras immiſſum, ſcelera non homines abſtulit: occidit peccata, hominibus vitam dedit. Conſolamini igitur, qui ſordidi eſtis, quia iam nunc in templo Ieroſolymitano patere incipit fons vitæ, de quo Zacharias prædixerat: [*Zach. 13.*] *Erit fons patens Domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Quod Malachias apertiſſimè etiam vaticinatus fuit. Nam poſtquam dixerat: [*Malach. 3.*] *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis*. Statim ſubiungit munus abluendi, & purificandi, ad quod veniebat: *Ipſe enim, quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum purgabit filios Leui.* Nemo ignorat duo hæc ignem, & herbam fullonum magnam vim ad purificandum habere, & vtrique ſe comparat Chriſtus Dominus. Certè ignis iuxta diuerſitatem materiæ, cui applicatur, vrit, calefacit, liquefacit, illuminat, corroborat, aut inflammat: Simili modo Saluator in hunc mundum primo adueniens, hominum frigida pectora calefecit, cordium duritiam liquefecit, peccatorum rubiginem excuſſit, infidelitatis cœcitate detentos illuminauit, originarij labe dedecoris, & ſeruitute Dæmonis oppreſſos liberauit, ac infirmos corroborauit, deſiderio languentes & accidiæ torpore, facibus amoris ſui inflammauit: idcircò dictus eſt *ignis*. Sed cur *herba fullonum*? An quod huic herbæ proprium ſit veſtes emaculare, ac ſimul dealbare? ſanè Chriſtus labes tollit animarum, & emaculatas albo marmore reddit candidiores. Nouerat, qui dicebat: [*Pſalm. 50.*] *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor*. Ecce prius illud: *lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*: en tibi poſterius aliud. Sed cur Malachias vtriuſque meminit? nonne alterum ſufficiebat? Certè id fecit, vt omni hominum generi promptam, atque paratam expurgationem in Chriſto ſignificaret. Sunt quidam molles, ac remiſſi animi, qui facilè cadunt, facilè reſurgunt, linteis ſqualidis, & ſordidis perſimiles, quæ facili negotio fullonis arte emundantur. Sunt alij duri, ceruicoſi, quibus peccati occaſionem difficilius, quàm Herculi Clauam eripias; magis ſimiles hi ſunt metallis æruginoſis, qui non lotoris, ſed conflatoris; non herbæ borith, ſed fuſorij fornacis indigi cenſendi ſunt. Verendum ſanè, ne quod per Prophetam Aggæum his ſceleratis hominibus proponitur ad remedium, in ruinam vertatur illorum. Puer enim, qui hodie præſentatur, *poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum*, vt refert D. Lucas: [*Luc. 2.*] *in ruinam* quidem ſordeſcentium in ſordibus peccatorum: *in reſurrectionem* vero eorum, qui, quas ſordes contraxerũt, eluere conantur in ſanguine Agni, *qui ſolus nos lauit à peccatis noſtris*, [*Apoc. 1.*] vt ait Ioannes in ſua Apocalypſi, *qui ſolus*, teſte Iob, [*Iob 14.*] *poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*. Qui ſolus peccata rubra vt coccinum, ſuprà niuem dealbat, vt more Iſaiæ loquar. [*Iſaia 1.*]

Tertius effectus pœnitentiæ eſt in hac vita quoad fieri poteſt beatificare, & in futura ab atrociſſimis Purgatorij pœnis eripere. Primum ſatis apertè teſtatur Dauid, dum ait: *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates*. [*Pſal. 31.*] Sicut enim Poëta Maro. tanquam rem magnam de Cæſare dixit:

Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet: [*Virgil.*]

Non ſecus pœnitentia quaſi diuiſum Imperium videtur habere cum Deo. Nam ſicut ille beatificat in patria, ita & pœnitentia in via: *Beati immaculati in via*. [*Pſal. 118.*] Illudq intereſt diſcrimen inter has beatitudines, quod illa cæleſtis eſt beatitudo poſſeſſa, hæc ſperata; illa incepta, hæc conſummata. Secundũ verò non obſcurè probat, quod duplex habet Deus Purgatorium, in vita hac vnum, poſt mortem alterum. Huius vitæ Purgatorium pœnitentia eſt, vt docet Chryſoſtomus: [*Chryſoſt. ho. 3 de pænit.*] *Lauabo*, dixit Dauid, *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. [*Pſalm. 6.*] *Si lacrymarum vbertatem* (ait Chryſoſtomus) *Dauid voluiſſet oſtendere, ſatis fuerat dixiſſe: lacrymis meis ſtratum*

meum rigabo. Quare ergo prævenit (lauabo?) vt oſtendat lauaterum, & Purgatorium peccati lacrymas eſſe. hæc ille. Alterius verò vitæ Purgatorium ignis eſt acerbiſſimus: ſatius ergo eſt in Purgatorio Pœnitentiæ per totam vitam habitare, quàm in Purgatorio ignis per annum commorari. Hinc magnus Pater Guarricus ſermone 4. de Purificatione, inquit:

Guarric. ſer. 4. de Purif.

Satius eſt, ò fratres, & ſuauius fonte purgari, quàm igne. Prorſus, qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari; ſi tamen purgari meruerint, quando ſcilicet iudex ipſe, quaſi ignis conflans ſedebit, conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Nunc Chriſtus aqua diluens, tunc ignis conſumens; modo fons patens in ablutionem peccatorum, & menſtruatæ, tunc flamma ſæuiens, & ignis vorans, vſque ad medullas animæ. De ardore ſiquidem irati, foris ille Purgatorius ignis exardeſcet in conſpectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Aſcendit, inquit, fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit. Inde cadent ſuper eos carbones pœnaliter Purgatorij, quibus modo non habentur carbones ſalubriter deſolatorij: qualem illum fuiſſe reor carbonem ſublatum de altari, qui Prophetæ labia purgauit. An verò & illi carbones huiuſmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur: Ecce dati ſunt tibi carbones, & ſedebis ſuper eos, hi erunt tibi in adiutorium: vobis relinquo ad iudicandum. Ibidem etiam miſeram ſortem eorum, qui purgari renuunt, in hæc verba deplorat: *Veh nobis, ſi dies implentur, & purgatio minimè impletur, & poſtea neceſſe ſit impleri, & illo nos igne purgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita poteſt excogitari. Sed quis ille tàm perfectus, tàm ſanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni? qui ſic ad purum omnem in ſe ſcoriam excoxerit peccati, vt gloriari poſſit caſtum ſe habere cor, vt dicere poſſit, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? pauci quidem ſunt electi, ſed inter illos paucos pauciſſimi ſunt, arbitror, ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dixit: De negligentia purgare cum paucis.* hactenus ille. Sed proh dolor, eo proceſſit inuerecundia, eo mentis elatio aſcendit, eo caliginoſa cæcitas peruenit, vt non paucos inuenias, qui affirment ſe immundos non eſſe, de quibus Salomon exclamat: *Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus.* Quibus conſonant alia eiuſdem Salomonis: *Eſt via mulieris adulteræ, comedit, & tergit os ſuum, & dicit, non ſum operata malum.* Perſimilia etiam obſeruo illa Ieremiæ: *Quo modo dicis, non ſum polluta? poſt Baalim non ambulaui?* Quaſi dicat, fruſtra tibi blandiris: noui te ego melius, quàm tu te ipſam, fallere me non potes; & vt ſcias me non latere, quæ tegere conaris, *vide vias tuas in conualle, ſcito quid feceris*; videbam cum faceres, & luce claritatis meæ penetrabam intimos animæ tuæ ſinus. Sed peius, ac deteſtabilius hoc, malum aliud per Rempublicam graſſatur. Vellem de hoc dicturo mihi Archiſtan licere imitari, quem cum ad turpe quippiam dicendum rei propoſitæ ſeries compelleret, nihil quidem protulit, ſed parieti, vt auditores legerent, inſcripſit. Quid agam? nec carbo, nec ad manus cartha eſt. quibus dicam verbis? certè non alijs, quàm Iſaiæ: *Peccatum ſuum, ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt:* hoc eſt, quemadmodum Sodomitæ inuerecundè, & cum omni libertate peccantes, nec pudorem vllum ſceleris habentes dixerunt ad Lot: *Educ viros foras, vt cognoſcamus eos:* ſic iſti publicè proclamantes prædicauerunt peccatum ſuũ. Deteriores ſanè iſti, quàm illi, quos nuper exſecrabar: nam illi negant culpam, iſti commemorant, & laudi ducunt, quod impijſſimum eſt in oculis Dei, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Malach. 3. — *Pſal. 49. 96. 139.* — *Prou. 30.* — *Ibidem.* — *Ierem. 2.* — *Iſaiæ. 3.*

Homilia III.

Referuntur, & expenduntur variæ cauſæ, ob quas Beata Virgo legi purificationis nòn obligata ſe libenter ſubiecerit: exordimur tamen à ſingulari eius obedientia, quam in hac purificatione mirifice præfulſiſſe oſtendimus, permultaq. de perfectione obedientiæ diſſerimus.

CVM Beatiſſima Virgo (vt homilia prima explicuimus) purificationis legi non eſſet aſtricta, vtpote quæ à viri cõtactu ſe ſemper abſtinuit, de Spiritu ſancto concepit, nullas parturientium ſordes contraxit, imò in ipſo conceptu & partu pura, & immaculata magis extitit, meritò ſancti Patres in exquirendis cauſis, quæ Beatam Virginem, ad ſubmittendum ſe huic purificationis legi impulerunt, diligentes ſe exhibuerunt. D.Ambroſius primam cauſam reddit, vt legis diuinæ obſeruantiſſimam ſe oſtenderet, & obedientiam nos doceret.

D. Ambr. de Purificatione.

Nec mirum, inquit, *Si Mater obſeruet legem, quam eius filius non venerat ſoluere ſed adimplere; ſciebat enim quo ordine conceperat, quo vſu pepererat, & quis eſſet quẽ genuerat; ſed legem communem obſeruans, expectauit purgationis diem.* Conſentit in idem venerabilis Beda: *Sicut dominus ac Saluator noſter, qui diuinitate legem dedit, apparens in homine fieri voluit ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus; ita etiam Beata ipſius Genitrix, quæ ſingulari priuilegio ſupra legem fuit, pro oſtendendo tamen humilitatis exemplo legalibus ſubdi non refugit inſtitutis.* Docuit autem nos Beata Virgo diuinæ legis humilem obedientiam non verbis, ſed factis; quod conſtat omnium eſſe optimum magiſterium, Seneca dicente: *Illum elige doctorem, quem magis admireris, cum videris, quàm cum audieris.* Hæc obedientiæ virtus magni momenti eſt apud Deum, & homines.

Beda Hom. de Purificatione B. Virginis.

Seneca de Epiſt. 55.

Vnde ſanctus Anaſtaſius Synaita ſolita illa ſui ingenij ſubtilitate quærit, quare cum adduxit Dominus Heuam ad Adam vt videret quid vocaret eam, tunc ille dixit: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Nam certè quando coſta illa Adæ, ex qua prodiuit Heua, inerat ei, tunc reuera erat os eius & caro eius; poſtquàm autem ab eo abſtracta fuit, iam non ſua, ſed Heuæ erat, quæ diſtincto corpore, diuerſa voluntate, & libero arbitrio vigebat. Reſpondit Sanctus hic Doctor, quod quia Heua venit, vt obedientiæ Adami ſubeſſet, & vt nomen ei imponeret, quod munus ſuperioris eſt, ipſe hoc obedientiæ genus tanti fecit, vt non minus illam recognoſceret tanquam propriam carnem, quàm cum ei inhærebat. Nec enim tunc mirum erat, vt os, & caro propria tunc ei obedirent. Manus enim & pes, dum corpori ſunt coniuncta, ad nutum obtemperant voluntatis, quæ non eſt alia in eis ab ea quæ in ipſo præcipiente illis: tamen quod os, & caro quæ iam erat extra Adamum, nutui illius ſe ſubderent, & voluntati eius obſecundarent, hoc, ſine dubio, mirabile erat, & tanti ab eo faciendum, vt diceret: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Hinc Diuus Auguſtinus ponderat verba illa Dauidis: *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.* Quid quæſo magni momenti allegabat Dauid, ad hoc vt illum ſaluum faceret, cum ait, *Tuus ſum ego*, cum re vera eſſe ſub dominio Dei cõmune ſit omnibus creaturis, ipſo dicente: *Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues; pulchritudo agri mecum eſt:* Ingenioſe reſpondet D. Auguſtinus, rem quidem magni momenti eſſe, vt Dei fateatur ſe eſſe qui ſemper vult eſſe ſuus; & qui ſemper appetit eſſe proprij iuris, velit eſſe alieni. Vnde D. Ambroſius pauciſſimos eſſe ait, qui poſſint dicere Deo: *Tuus ſum ego.* Auarus enim ſub dominio pecuniæ iacet; argentum, & aurum ei dominantur. Vnde ſacra Scriptura vocat auaros, *viros diuitiarum*, vt oſtendat illis ſe ſubieciſſe. Intemperati, & guloſi ventrem tanquam Deum colunt, vt ait Apoſtolus: *quorum Deus venter eſt.* Concubina-

D. Aug. ſuper Pſal. 118.

Pſal. 49.

D. Ambr. Pſ. 118.

Pſal. 75.

Philipp. 3.

cubinarius vnius feminæ voluntati ſe
Iſa. 3. ſubijcit, *Mulieres dominatæ ſunt ſuper il-*
los. Quid plura? vxor Lot eligens magis
ſui ipſius eſſe quàm Dei, contra diuinum
præceptum, ad incendium Ciuitatis fa-
Gen. 19. ciem conuertit, & in pœnam prauæ illius
conuerſionis, in ſalis ſtatuam conuerſam
legimus. In qua portentoſa Hiſtoria duo
præcipue obſeruanda reor, primũ eſt gra-
uitas illius culpæ, quæ prima facie leuis
videtur, cum fuerit inordinatus quidam
intuitus, ſed minimè leuis cenſenda eſt.
Nam in primis ſi profana monumenta
ſcrutemur (vt author eſt Virgilius) prohi-
bitum erat gentilibus, ne ad cineres reſi-
duos poſt oblatum purificationis oculos
conuerterent.
Eclog. 8. *Fer cineres Amarylli foras, riuoque*
fluenti
Transque caput iace; ne reſpexeris.
Atquì hunc ritum in eo arbitror fundari,
quod reſpicere iterum cineres illos, redo-
lebat quandam complacentiam, & itera-
m voluntatem priſtinis peccatis iterum
coinquinandi. Non diſſimiliter volens
Deus vxorem Lot purificare & liberare à
contagione illius ſpurciſſimæ Vrbis (hac
enim ratione præceperat ei ab illa egredi)
nec ad reſiduos illius incendij cineres
oculos conuertere, ipſa tamen contra di-
uinum præceptum illos conuertit, & ideo
continuo ſuæ inobedientiæ pœnam tulit.
Sed obſeruatione dignum eſt ſpeciale il-
lius pœnæ genus. Non enim conuerſa fuit
in ſtatuam lapidis, ſed ſalis, in hoc enim
non poteſt non latere myſterium aliquod.
Sambucus. Sambucus in ſuis emblẽmatibus ait, quod
cum Senatores cuiuſdam Reipublicæ, in
qua diuiſionum animi, & rixarum peſtis
graſſabatur, iuxta litus maris pertranſirẽt,
quendam offenderunt, qui varios riuos
aquæ marinæ ducebat in locum quendam
profundum, quem ipſe foderat, qui inter-
rogatus, quid illo ſuo labore intenderet?
Reſpondit, aquam illam ac reliquam quæ
in mari erat diuidere, vt hac ratione fa-
cile corrumperetur, & in ſalem vertere-
tur, experientia enim ipſa illum docue-
rat; quod aqua marina à reliqua aqua non
diuiſa, in ſalem nunquam conuertebatur.
Quo emblemate ſignificare voluit to-
tam illius Reipublicæ corruptelam, non
aliunde oriri, quàm ex animorum diuiſio-
nibus, & varijs contentionibus ciuium,
qui ſibimetipſis placentes, & ſuæ volun-
tatis inordinati amatores in nullo alijs
cedere volebant. Hoc ipſum ſanè videtur
contigiſſe vxori Lot; Eduxit Deus de So-
doma illam, & virum eius, & filios omnes
vnanimes in ipſius Dei obedientia; at
vxor Lot diuiſit ſe ab illis, & à Dei ſubie-
ctione ſe ſubtraxit volens reſpicere quod
alij exſecrabantur, & ideo tanquam aqua
marina ab alia diuiſa conuerſa fuit in ſa-
lem. Hos homines duræ ceruicis perſi-
miles eſſe Hyenæ arbitror, vt ait Iſaias,
iuxta tranſlationem Septuaginta: *Facta*
eſt hereditas mea quaſi ſpelunca hyenæ.
D. Chryſoſtomus loquens de illa, ait, *hanc* D. Chryſoſt.
dicitur habere naturam quod ſpinam vni- hom. 16. ſu-
cam habet, quæ flecti non poſſit. Denique per Marcũ. 2.
ſi vertere ſe voluerit, tota conuertitur,
nec enim poteſt ſe flectere, ſicut cætera
animalia. Eidem ſententiæ aſtipulantur
ſanctus Hieronymus, & Plinius. Huius D Hieron ſu-
conditionis ſunt inobedientium & con- per Iſa 65. &
tumacium animi, qui nec ſe flectere ad Ierem. 12.
prælatorum voluntatem, nec ſe flecti ab Plinius lib 8.
alijs ſinunt. Contra verò factitant veri cap. 13.
obedientes, de quibus loquens Ezechiel
ſub ſacris illis animalibus ait; quod *vbi*
erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur, & Ezech. 1.
nutui illos ducentis ita ſubditi erant, vt
nec virga, calcari, aut flagello opus eſſet,
ſed vna diuini Spiritus ſibilatio ſufficie-
bat, vt illuc progrederentur, quo ſpiri-
tus ea ducebat. Promptitudinis horum
animalium cauſam arbitror, quod ſingu-
la, quatuor facies habebant, quibus ad
quatuor Orbis partes reſpiciebant, Orien-
tem, Occidentem, Septentrionem, & Me-
ridiem: vnde non magis vnam plagam
quàm alteram, ſed omnes indiſcrimina-
tim cernebant; quia perfectam ſectantes
obedientiam indifferenter omnia mune-
ra obeundo, & per varias Orbis regiones
quibus Deo, & proximorum vtilitati in-
ſeruire poſſunt, abſque ſpeciali huius re-
gionis affectione peragrare non dubitant.
Ceterùm ad meram Virginis obedien-
tiam reuertens, vt eius excellentia clarius
nobis innoteſcat, operæpretium duxi va-
rios huius virtutis gradus, quorum ſancti
Patres meminere, in medium producere
& illuſtrare. Septem illi aſſignant, nimi-
rum, obedientiam ſpontaneam, ſimplicẽ,
hilarem, velocem, virilem, humilem, per-
ſeuerantem. De primo gradu ſpontaneæ

Psal. 53. obedientiæ loquitur Dauid Pſal. 53. *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine:* ad idque alludũt verba
2. Mach. 1. illa Machabæorum: *Det vobis Deus cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti;* cui enim animus volens deficit, licet rem præceptam faciat, non tàm obedit, quàm fingit ſe obedire. Secundum obedientiæ gradum aſcendit, qui cum ſimplicitate obtemperat, hoc eſt, non inquirens, cur, quare, quia: Idcirco Deus in Deuterono-
Deut. 3. mio dixit, *quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas*: Qui hoc modo obediunt, obſeruant illud
Sap. 1. Sapientis: *In ſimplicitate cordis quærite Dominum.* Hanc obedientiam ſimplicem, alij obedientiam cæcam vocitant; & meritò, quia ſicut cæcus non ſe ducit, ſed duci ſe ſinit, nec curioſe inquirit, cur magis hac via, quàm alia ad deſtinatum locum ducatur; ſic verus obediens in ſimplicitate cordis ambulans non diſquirit, nec explorat quæ ſibi præcipiuntur, ſed confidenter illa exſequitur, Salomone
Prouerb. 10. dicente: *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.* In hac ſimplicitate obedientiæ videtur defeciſſe Moyſes, cui Deo præcipiente proficiſci in Aegyptum, vt populum eius à Pharaonis ſeruitute educeret; ipſe renuens, mille replicas obiecit, vt ita loquar: quod ità valde Deo diſplicuit, vt
Exod. 3. facer textus dicat: *Iratus eſt Dominus cum Moyſe.* Ad hunc gradum obedientiæ attingendum, optimum præbuiſſe documen-
B. Ignatius de Loyola. tum mihi videtur Beatus Ieſuitarum Patriarcha in aurea illa Epiſtola quam patribus ſuis ſcripſit, dum ait, ſubijciendum eſſe animum obedientiæ, ad eum fere modum quo ſubijcimus illum fidei diuinæ. Egregia ſanè ſimilitudo, & omni acceptione digna: etenim ſicut fides Catholica nos docet pari adorationis latria colendam Chriſti imaginem, ſiue aurea, ſiue lignea ſit, quia adoratio non reſpicit materiam imaginis, ſed prototypum per illam repræſentatum; ita qui ſimplici obedientia paret, non obſeruat, ſiue prælatus aureus, vel ligneus, doctus vel indoctus, nobilis aut ignobilis, bonus aut diſcolus, ſed quicunque ille ſit, pari obedientia ei obſecundat. Deinde ſicut fides animum inclinat ad pari firmitate credendum tàm exigua myſteria, quàm magna ac profunda, nec enim minus creditur Tobiam habuiſſe canem quàm Deum eſſe trinum & vnum; cuius ratio eſt quia æquè vtrunque Deus reuelauit, & conſequenter propter eandem prorſus, & indiuiſibilem rationẽ vtrique aſſentimur; perſimili ratione qui ſimplici obedientia Prælati iuſſioni obtemperat, non minus exſequitur parua, quàm magna; non accuratius exercet munera honorifica, quàm deſpecta; quia in omnibus obedit ſub eadem ratione, quia Deus illa ſibi præcepit medio imperio Prælati vices eius gerentis. Ac tandem ſicut ad credendum diuina myſteria, opus eſt pia affectione voluntatis, vt vnanimiter docent Theologi cum D. Tho. 2. 2. ita D. Thom.
ad comparandum hunc obedientiæ gradum oportet valdè, vt volũtas curet piam habere affectionem tàm erga Prælatum, quàm ergà res ab illo præceptas. Tertius gradus eſt hilariter obedire, & (vt Paulus 2. Corint. 9.
dixit) *non ex triſtitia, aut ex neceſſitate*; id enim ſeruilem conditionem redolet: vnde idem Apoſtolus ſubdit, *hilarem enim datorem diligit Deus.* Quæ verba videtur ſumpſiſſe ex loco illo Eccleſiaſtici, *in omni dato hilarem fac vultum tuum.* Equidem Eccleſiaſt. 35.
ſicut cum rota currus ſtridet, ſignum eſt non ſatis vnctam eſſe; ita qui cum triſtitia, & murmure obedit, non obſcurum argumentum præbet ſpeciali Spiritus ſancti vnctione carere, qua perfecti obedientes inunguntur. vnde Eccleſiaſt. ibidem inquit, *præcordia fatui ſicut rota currus*, Eccleſiaſt. 1.
quaſi dicat, ſemper ſtridet, ſemper obmurmurat.

Quartum gradum obedientiæ, velox tenet obediens: ſicut enim, vt ait Dauid loquens de Deo: *Velociter currit ſermo* Pſal. 147.
eius; ita velocem ſibi vendicat ſui exſequutorem. de illo Salomon ait, *Vidiſti hominem velocem in opere ſuo, coram Regibus* Prouerb. 22
ſtabit. Talem quidem ſe exhibuit Dauid cum dicebat: *Viam mandatorum tuorum* Pſal. 118.
cucurri: & non contentus currere, alarum velocitatem deſiderabat: *Quis dabit* Pſalm. 54.
mihi pennas vt columbæ, & volabo? Tales ſe præbuere ſtrenui illi milites, qui audientes Dauidem dicentem: *Quis mihi daret* 2. Reg. 23.
aquam de ciſterna Bethlehem, continuo per media caſtra irrumpentes, nullo præcedente præcepto, ſed ſola Regis inſinuatione, breuiſſimo tempore deſideratam aquã eius ori obtulerunt. Tales etiam ſe exhibuere

buere Petrus, Andreas, Iacobus, & Ioannes, qui à Chriſto Domino ſemel vocati: *Matth. 4.* *Continuo relictis retibus ſequuti ſunt eum*. Talem etiam ſe præbere Zacchæum deſiderauit Chriſtus Dominus, cum ei dixit: *Lucæ 19.* *Zacchæe feſtinans deſcende*. Eam certè velocitatem verus obediens obſeruare debet, qualem Globus perfectè ſphæricus, qui poſitus ſuper perfectum planum, continuo abſque vlla interruptione mouetur: vel eam, qua generoſæ indolis Equus abſque calcari illum pungenti, ſola tenui virga minante velociſſimum peragit curſum; vel eam, quam humana membra ad nutum voluntaris exercenr: vel certe illam, qua inferiores orbes ad motum primi mobilis abſque vlla mora mouentur. In hac obedientiæ velocitate deficientes apertè ſatis mihi videntur redargui à Do- *Iſaie 28.* mino per Iſaiam: *Manda, remanda, expecta, reexſpecta: modicum ibi, modicum ibi*. Voces iſtæ voces ſunt tardi, & pigri obedientis, Deo valde inuiſæ.

Quintus gradus eſt, viriliter & fortiter obedire: quia cum virtus circa difficilia *Ariſtot. lib. 2. Ethic.* verſetur, vt dicit Ariſtoteles in ſuis Ethicis, eo certè excellentior erit obedientia, quo ceteris paribus difficilior fuerit res *Pſalm. 30.* præcepta. Idcircò Dauid dicebat, *viriliter agite, & confortetur cor veſtrum*. Aegyptij vt fortiter, & viriliter obedientem deſcriberent, canem gallicum depingebant leporem velociſſimo impetu inſequentem, qui tamen ſybilo aut voce domini illum vocantis audita, propriæ inclinationi vim inferens à venando lepore ſe abſtinebat. Non diſſimiliter perfectus obediēs, etiamſi quæ iubentur, pugnent cum propria eius inclinatione, ita vt voluntas renuat, appetitus recalcitret, membra etiam corporis ea exſequi perhorreſcant, illa nihilo ſecius vim propriæ naturæ inferens exſequutioni mandat. Huius generis obediētiæ mirabile exemplum nobis exhibuerūt *Ierem. 35.* Rechabitæ: nam cum Ieremias Propheta illos ad bibendum inuitaret, *bibite vinum*, illi reſponderunt. *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab Pater noſter præcepit nobis dicens, non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum. Et domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineam non plantabitis, nec habebitis*. Quis non videat difficultatem huius præcepti, per quod tot bonis priuari, & multa incommoda perpeti iubebantur, & nihilominus tamen viriliter obedientes omnia illa impleuerunt? Adeoq; hoc genus obedientiæ placuit Deo, vt nō ſolum in exemplo adducto Iſraëlitarum inobedientiam exprobraret: *præualuerunt* *Ibidem.* *ſermones Ionadab filij Rechab quos præcepit filijs ſuis, vt non biberent vinum, & nō biberunt vſque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris ſui: Ego autem loquutus ſum ad vos, & nō obediſtis mihi:* ſed ipſos multis beneficijs cumulauit, vt apertè indicant verba vltima eiuſdem capitis: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſ-* *Ierem. 35.* *rael: pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu eius multis diebus*. Atque hinc elicies quàm verum ſit illud antiquum prouerbium, cuius meminit Auctor Prouerbiorū Chiliad. 4. *Obedientia felicitatis eſt mater.* quod Dauid prædixerat Pſalmo primo, dum loquens de humiliter obedientibus legi diuinæ, inquit, *omnia quæcumque fa-* *Pſalm. 1.* *ciet, proſperabuntur*. Hos fortiter, & viriliter obedientes adamuſſim præfiguratos intueor libro primo Regum, vbi ſacra narrat Hiſtoria, quod licet vaccæ ſuſtinentes arcam graue pondus portarenr, ita vt præ dolore mugirent, recto tamen tramite gradiebātur, in obliquas vias minimè declinantes: ſic enim ait ſacer Textus: *Ibant* *1. Reg. 6.* *autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsāmes, & itinere vno gradiebantur, pergentes, & mugientes, & non declinabant nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram*. Sanctus Gregorius docet per vaccas iſtas, *D. Greg. Pa.* viros iuſtos, & obedientes denotari, qui *7. Moral.* diuinæ legis iugo colla ſubmittentes, difficultatis illius pondus humeris ſuis geſtant. Hi quamuis carnis rebellionem ac renitentiam præſentiant, & quantumcunque etiam paſſiones mugiant, & inordinati effectus fremant, ſemper tamen vlterius pergunr, non declinantes ad dexterā, nec ad ſiniſtram. Hi ſunt, de quibus Paulus dixit, quod *Spiritu Dei aguntur*. In- *Ad Rom. 8.* ſtar ſacrorum illorum Ezechielis animalium, de quibus ipſe ait, quod *ibāt in ſimi-* *Ezech. 1.* *litudinem fulguris coruſcantis*. Ibant autem hoc modo, difficultates omnes ſuperāres,

quia

quia *vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur*. Ita ſanè contigit Abrahamo: præcepit illi Deus, vt proficiſcatur in Chaldæam, deinde in Palæſtinam; poſtea iter arripiat in Aegyptum, continuo omnia illa exſequitur. Rurſus iubet Iſmaelē filium, & matrem eius, è domo ſua excludat: *eijce ancillam, & filium eius*; deinde imperat illi, vt Iſaac amantiſſimum filium ſibi in holocauſtum offerat, & confeſtim eadem nocte abijt in montem, vt in victimam illum Domino offerat. Ecce vbi impetus ſpiritus erat, illuc gradiebatur, & quò diuini præcepti impulſus illum ferebat, libenter ſe ferri ſinebat. Imò ſicut lapis recipiens impulſum à mouente, ſurſum illam impellente, licet alioquin id naturæ ſuæ grauitati conſentaneum non ſit, nihilominus tamen in quācumque partem mittitur, eò tendit: ita quicumque perfectus obediens, natura ipſa alioquin renitente, difficultatem rei præceptæ ſuperans, fortiter, & viriliter Prelati iuſſionibus paret, à cuius manu impetum recepit, vt tendat quò ipſe vult.

Gen. 21.

Sextus deinde gradus obedientiæ eſt humiliter, & ſubmiſsè obedire. Sicut enim ſuperbia reliqua opera quantumcumque bona maculat, ac defomat, ita obedientiam extenuat, & obſcurat, vnde Diuus Auguſtinus, vniuerſalem huius infeſtiſſimi monſtri ſtragem animaduertens dixit, *Superbia etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant*. Et quidem ſi rem attentè perpendamus, nihil præter formalem inobedientiam videtur magis quaſi è diametro cum obedientia pugnās, quàm ſuperbia, cum per illam, collum legis iugo ſuſcipiendo inclinetur, & demittatur; per hāc verò in ſublime eleuetur, & erigatur.

D. Aug. regula c. 5.

Vltimus gradus obedientiæ eſt perſeuerantet obedire, vt enim dixit Dominus, obedientiæ corona perſeuerantia eſt, id enim ſibi præſeferūt verba illa: *Qui perſeuerauerit vſq. in finem, hic ſaluus erit*. Hoc obedientiæ genus docuit nos ſupremus magiſter ex cathedra ligni, à qua pendebat obediens ibi vſque ad mortem, mortem autem crucis: vnde cum inuitatus fuiſſet à Iudæis, vt ab illa deſcenderet: *Si filius Dei eſt, deſcendat de Cruce*, minime annuit, ſed perſeuerauit in ea vſque dum ex diuino conſilio ab illo depoſitus fuit.

Matth. 10.

Matth. 27.

Nunc ergo iam expendamus quàm celeri curſu ſacra Virgo per hos omnes obedientiæ gradus conſcenderit. In primis ſpontanea, & nō coacta fuit eius obedientia, cum requiſita ab Angelo de conſenſu in Conceptione Chriſti in Virgineo eius thalamo: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, reſpondit. Simplicitate deinde non caruit, cum enim legiſſet verba illa Dauidis: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiſcet Rex decorem tuum*: Quaſi ſibi ſoli dicta putaret, continuò virginitatis votum emiſit, vt lib. 3. late oſtendemus, per quod oblita fuit populum ſuum, nullam curam habens de eius propagatione, quæ tunc temporis ardenter deſiderabatur: oblita eſt etiam domum patris ſui, in domum Domini triennis veniens, vbi vſque ad nubiles permanſit annos, nihili faciens, quod nullum domus ſuæ heredem relinqueret, in cuius figuram præceſſiſſe opinor Ruth pulcherrimam feminam quæ deſpexit populum ſuum, & domum patris ſui, & venit ad terram quam antea neſciebat. Vnde Booz dixit ei: *Reddat Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipies à Domino Deo Iſraël, ad quem veniſti, & ſub eius confugiſti alas*. Hilaritas deinde in Mariæ obedientia minime deſiderabatur, quę alta voce cecinit: *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Nec debita velocitate caruit, quæ poſt legationem Angelicam mature conſideratam ſumma promptitudine reſpondit, *Ecce Ancilla Domini*. Aduerbium enim illud demonſtratiuum *Ecce* huius promptitudinis & velocitatis manifeſtum argumentum fuit. Vnde cum edictum Imperatoris Cæſaris ſibi innotuit, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, quamuis alioquin grauida, iter confeſtim arripuit ad parēdum Regis iuſſioni; & cum à ſponſo Ioſeph repēte admonita oportere cumprimum in Aegyptū proficiſci, nihil prorſus moratur, ſed ſtatim ad iter ſe accinxit. Fortitudo inſuper obedientiam Virginis exornauit, cū Simeone illi dicente: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*: ex patris obedientia filium ſuum maturino ſacrificio in templo, veſpertino in monte Caluariæ immolandum virili adeò animo Domino obtulit, vt meritò de illa dicatur: *Manum ſuam miſit ad fortia*. Et quidem ſi de Abrahamo inquit D. Chryſoſtomus: *Non enim quoniam promptè paruit, exiſti-*

Lucæ 1.

Pſal. 44.

Ruth 2.

Lucæ 1.

Lucæ 1.

Lucæ 2.

Prouerb. 31.

Chryſoſt. hom. 25. ad Populum Antioch.

exiſtimare debemus ſine dolore talia ſuſtinuiſſe; licet enim millies iuſtus fuiſſet, ſicut & erat, erat tamen homo, & naturæ iura gerebat. Tanto certe maiori fortitudine obedientiam Beatæ Virginis in offerendo Vnigenito ſuo, quàm obedientiam Abrahami opus erat conſtabilitam eſſe, quantò intenſior pariter & tenerior erat illius amor erga Chriſtum amore Patriarchæ Abrahæ erga Iſaac. Et quidem ſi de eodem ſubdit ſanctus idē Chryſoſt. *Verumtamen horum nihil eum proſtrauit, ſed ſtabat tanquā generoſus nobilis athleta.* Ioannes etiam de Beata Virgine teſtatur: *Stabat iuxta Crucem Ieſu Maria Mater:* aliter ſtabat Abraham, ſtabat futuram filij mortem metuens, Maria præſentem, profuſis lacrymis intuens. Quis autem non videat maiori opus eſſe fortitudine ad malum præſens, quàm ad futurum ſuſtinendum? Rurſus nec Humilitas defuit Marianæ obedientiæ, quæ indiuidua comes erat omnium ſuorum operum: quomodo enim non humiliter obediret, quæ matris Dei dignitate à cælesti paranympho ſibi oblata humilem ſe nuncupauit ſeruam, vilem & abiectam, vt varijs argumentis lib. 5. illuſtrauimus. Denique Beata Virgo perſeuerantiæ diadema ſuæ impoſuit obedientiæ, cum ab inſtanti ſuæ Conceptionis vſque ad extremum vitæ halitum diuinæ voluntati ſemper paruit, vt ſacrum Concilium Tridentinum teſtatur; adeò vt neminem exactius illa ſacrificium animalis cum cauda (vt olim Deus ſibi immolandum præcipiebat) vnquā obtuliſſe, aut oblaturum fore merito mihi perſuaſerim. Ipſa igitur ſola fuit, quæ ad vnguem inter omnes puras creaturas impleuit illud Dauidis: *Tu mandaſti mandata tua custodiri nimis.* Originale Hebræum habet, *valde vehementer*, quæ ſatis oſtendunt particulam *nimis* nō vitium, ſed exactam obſeruationem ſignificare. Vnde D. Auguſtinus in cōmentario huius loci inquit: *Quid eſt, Tu præcepiſti mandata tua cuſtodiri nimis? Vtrum nimis præcepiſti, an nimis cuſtodiri? quodlibet horū intelligamus. Contra illam memorabilem nobilemq. ſententiam dictum videtur: Ne quid nimis. Si enim hoc verum eſt; vt ne quid nimis fiat: quomodo verum eſt, quod hic dicitur: tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis? verùm aliquando Latina lingua hoc verbo ſic vtitur, vt nimis pro eo, quod eſt valde, ſit poſitum in ſacris Litteris, & ponamus in ſermonibus noſtris.* Sed pro dolor; nos in obſeruantia diuinæ legis nihil curamus hoc *nimis* apponere: Tam enim parum liberales, tàm multum auaros nos exhibemus in implendis diuinis præceptis, vt dū illis paremus, aliquid illorum nobis furemur. Rem ſacram audimus, ſed reuerentiam debitam ſurripimus; preces fundimus, ſed attentionem indiuiduum eius comitē ſubtrahimus; eleemoſinam largimur, ſed popularem auram deſideramus; ad Cōfeſſionis ſacramentum accedimus, ſed propoſiti nunquam reincidendi firmitatem non habemus; iniurias inimicis remittimus, ſed ore tenus, cum ira & odium fixa in corde remanent. Heù quàm longe abſumus ab illa perfectione: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Ceterum in præſenti purificationis opere, in eo præcipue inſignis Mariæ obedientia præfulget, quod cum lege illa non teneretur, non minus perfectè eam impleuit, quàm ſi ad eam ſolam aſtringēdam impoſita fuiſſet. Cognouit Diuus Paulus, imò & exſequi ſolicitus fuit hoc ſupremū obedientiæ genus, cum facultate ſibi per legem conceſſa aliquid in concionibus eleemoſinæ cauſa ad proprium victum recipere, nihil tamen recepit, quia id Apoſtolico concionatore dignius, & glorioſius putauit, vt ipſe teſtatur, dicens: *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui Altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, vt ita fiant in me: Bonum eſt enim mihi magis mori quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Quod expendens D. Chryſoſtomus: *Non dixit*, inquit, *bonum eſt mihi magis mori, quàm vt legem meam quis ſoluat, ſed quàm, vt gloriam meam*

quis

Ioan. 19.

Concil. Trid. ſeſ. 6. can. 24.

Pſalm. 118.

D. Aug. ſuper Pſalm. 118.

1. Corint. 9.

Nihil pro concionibus eleemoſina cauſa recipere gloriā ſuam appellat Paulus, & D. Chryſoſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quis euacuet. Ne quis diceret quod non læto animo id faceret, idquè gloriam appellat: tantum abeſt, vt conqueratur, quoniam & gloriatur & mori vult potius quàm huiuſmodi gloriam amittere. Deinde adiungit Paulus non eſſe magnam gloriam ſeruare ipſum præceptum, ſed aliquid ſupra præceptum facere: *Si euangelizauero,* inquit, *non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: væ autem mihi eſt, ſi non euangelizauero. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium Chriſti?* Cum enim Paulo impoſitum eſſet præceptum concionandi, ait gloriam ſuam nō in eo poſitam eſſe, quod prædicaret, cum ad id præcepto teneretur; ſed in eo conſiſtere, quod ſine ſumptu, & ſtipendio prædicaret, id quod ipſi minime præceptum erat: *Quaſi dicat,* inquit Chryſoſtomus, *non eſt mihi gloria prædicare, quoniam id mihi præceptum eſt, ſed ſine ſumptu Euangelium ponere, quod eſt meæ voluntatis officium.* In hoc ergo ſupremo genere obedientiæ, in quo Paulus proficere ſatagebat, diſertiſſimam exhibuit ſe magiſtram Beata Virgo in die Purificationis, cum lege illa non aſtricta, legem adamuſſim impleuit; & id quod alię puerperæ ob vulgarem morem, vel ex timore legis in adeundo templo, in offerēdo munere, in redimendo filio, ac demum in obſeruando legalis obſeruationis ritu factitabant, ipſa quidem ſingulari obedientiæ amore incenſa ſibi faciendum putauit. Hanc Marianæ obedientiæ excellentiam reſpiciens ſponſus in ſuo Epitalamio dixit: *Collum tuum ſicut monilia.* Apte obedientiam appellat *collum*, cum hoc obedientia faciat ſubmittere ad portandum onus præcepti ſibi impoſitum: ſubdit, *ſicut monilia*: monile enim ornamentum pectoris eſt è collo appenſum, pendentem gemmam habens auro incluſam. verè enim obedientia Virginis è collo per ſubiectionem dependens pectus eius exornabat, Chriſtumq. gerebat (qui gemma eſt precioſiſſima) ex collo ad pectus pendentem. Notanter autem arbitror dixiſſe: *Collum tuum ſicut monilia,* & non, collum tuum ornatum eſt monilibus, vt ſignificaret certè tàm pulchrum eſſe eius collum, vt ipſamet monilia: atque adeò nullo externo ornatu ad pulchritudinem ſuam oſtentandam indigere, ſed ipſum per ſe ipſum inſtar omnium monilium omnem in ſe ornatum continere, quod maxime extulit Virginis obedientiam, quæ per ſe fuit pulcherrima, Deoq. gratiſſima. Totam hanc expoſitionem elicio ex doctrina Origenis homilia 2. in Cantica, vbi quamuis loquatur de Eccleſia, omnia tamen æquè benè quadrant in Virginem: Verba eius hæc ſunt: *Ceruix ergo tua ſpecioſa facta eſt ſicut redimicula: Redimicula enim ſunt connexiones monilium, quæ in ceruicibus ſedere ſolent, ex quibus deſcendit per omne collum reliquus ornatus. Ceruicē vero diximus ſubiectionem, & obedientiam, eo quod quaſi iugum Chriſti ſuſcipiat, & fidei eius obedientiam præbeat. Ornamentum ergo ceruicis eius, quæ eſt obedientia, Chriſtus eſt; ipſe enim prior factus eſt obediens vſque ad mortem: Ornamētum ergo & monile ceruicis ſponſæ obedientia Chriſti eſt.* hactenus Origenes. Verùm vt magis adhuc ſponſus obedientiam Virginis commendaret, Eburneæ turri eam comparat: *Collum tuum ſicut turris Eburnea.* Turrim vocat illam, propter inexpugnabilem eius fortitudinem ad vincendas difficultates, & expugnandos hoſtes, Diuinæ legis obſeruantiam impedientes. Vt enim dixit Salomon, *Vir obediens loquetur victorias,* victorias inquam non ſolum externorum hoſtium, ſed & ſui ipſius præcipue, Diuo Gregorio dicente lib. 34. moralium, *vir obediēs loquitur victorias, quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, noſmet ipſos in corde ſuperamus.* Atque huc facit quod de Throno Salomonis Beatam Virginem adumbrāte, quæ Regalis Thronus veri Salomonis Chriſti Domini extitit, lib. 3. Regum legimus, duodecim leones ex vtraque parte Thronum ipſum ambiebant. Quod non obſcure ſignificabat leoninam fortitudinem Beatæ Virginis, quæ inter ferociſſimos obedientiæ difficultatum leones incedens, omnes illos, vt diuinæ voluntati obſecūdaret, fortiter ſuperabat, & expugnabat. Comparat autem ſponſus obedientiam Virginis turri Eburneæ propter eximiam puritatē, & innocentiam, quam eius obedientia coniunctam habebat. Hanc enim, ſi perfecta eſt, comitari debet vitæ ſanctitas, & indemnitas, vt egregie delineatum fuiſſe putat D. Gregorius in eo quod amici, & cognati Iob ei ouem vnam & inaurem auream

Aliquid ſuper præceptum facere glorioſū.

Cant. 1.

Origenes hom. 2. in Cantica.

Cantic. 7.

Prouerb. 21.

D. Greg.

Lib. 3. Reg.

D. Greg. ſuper Iob 35. mor. c. 10.

Digitized by Google

auream vnã obtulerunt: Quia enim obedientia ex auditu eſt, recte per inaurem, quod aurium eſt ornamenrum, exprimitur. Igitur amici Iob obtulerunt ei ouem vnam, & inaurem vnam. *Quoniam innocuis mentibus ornamentum obedientiæ iungitur. Quare Iob nemo inaurem ſine oue, nemo ouem ſine inaure obtulit, quia Redemptori ſuo non obedit, qui innocens non eſt; & innocens eſſe non poteſt, qui obedire contemnit. Quia vero ipſa obedientia non ſeruili motu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt, idcirco inaurem obtulerunt, vt videlicet in ea quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes, quaſi aurum cætera metalla, tranſcendit.*

Ad extremum illud non parcam dicere ad Marianæ obedientiæ excellentiam magis detegendam, quod D. Ioannes propriæ obedientiæ memor, Beatæ vero Virginis quaſi immemor, latenter tamen & ſubobſcure illã mirificè cõmendauit. Cum enim Chriſtus Dominus Virginem in matrem Ioanni, & Ioannem in filium Virgini dediſſet, Euangeliſta ſolum dixit: *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam;* cur quæſo Ioannes ſe obediſſe narrat, & non Virginem? Cur non ait, ex illa hora accepit eum in ſuum, ſicut de ſe inquit, *ex illa hora accepit eam in ſuam?* Arbitror Ioannem diuinitus illuſtratum id feciſſe, vt ſignificaret perfectiſſimam eius obedientiam, ac ſummam Marianæ voluntatis cum diuina conformationem. Certe cum Ioannes in colligatione Chriſti cum reliquis diſcipulis aufugiſſet, cum dexteram Chriſti ambiſſet, diuinam voluntatem ſuæ conformari cupiens, cum demum vnus ex illis diſcipulis eſſet, quos aſcenſioni ſuæ proximus Dominus tanquam ſtultos, ac tardos ad credendum increparet, oportuit expreſsè dicere de ſe, Chriſti mandato ſtatim obediſſe: *ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam:* de Beata autẽ Virgine ſimilia verba proferre ſuperuacaneum putauit. Nã Chriſto ei præcipiente, vt reciperet ipſum Ioannem in filium, tanquam indubitatum ac certiſſimum reliquit, illam perfectiſſime eidem paruiſſe. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ioan. 19.

Homilia IV.

Proſequimur cauſas Purificationis Beatæ Virginis, oſtendentes ex affectu humilitatis, quæ in ea mirificè viguit, illius legi ſe ſubiecisse.

INTER eos, qui Humilitatis virtute mirificè claruerunt, ſacra eloquia connumerant: in veteri lege Abrahamum, & Dauidem; in lege vero noua Ioannem Baptiſtam, & Paulum. Abraham quidem licet alioquin tanta ſanctitate conſpicuus, vt de eo dixerit Spiritus ſanctus: *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi:* ita ſe demittebar in diuino conſpectu, vt diceret: *loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis, & cinis:* Dauid adeò ſe humiliauit, vt coram Arca luderet: *ludam, & vilior fiam, pluſquàm factus ſum.* Ioannes Baptiſta ita ſe demiſit, vt diceret: *Non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti:* & voci, quæ repente euaneſcit, qua nihil futilius, ſe comparauit dicens: *Ego vox clamantis in deſerto:* ac tandem Paulus, licet alioquin vas electionis vocatus à Deo, & in vinea Domini plus omnibus laboraſſet, nec non vſque ad tertium cælum raptus fuiſſet (vbi iuxta ſententiam D. Auguſtini, D. Thomæ, & grauiſſimorum Theologorum, vidit clatè diuinam eſſentiam) nihilominus tamen ita propria exiſtimatione ſibi vileſcebar, vt diceret, *minimus ſum omnium Apoſtolorum, & non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Verùm ſi omnium iſtorum humilitas cum Mariana humilitate conferatur longe hac inferiorem eſſe comperiemus. Etenim ſi Abraham dicebat: *loquar ad Dominum, cum ſim puluis, & cinis.* Ita ſane id erat iuxta diuinam ſententiam: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et minus quidem quàm puluis in conſpectu Dei erat, Iſaia dicente: *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo,* & ſi Da-

Eccleſiaſt. 44.
Geneſ. 18.
2. Reg. 6.
Ioan. 10.
Ioan. 10.
D. Thom. ex D. Aug. 1. p. q. 912.
1 Cor. 15.
Gen. 18.
Gen. 3.
Iſa. 40.

ſi Dauid dixit: *Ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum*. Affectum humilem laudo, tamen tunc non videtur vilior factus, quàm fuerat, cum ante Paſtor ouium fuiſſet, quem minime decebat ludere, &

Lucæ 3. ſaltare. Si item Ioannes Baptiſta indignum ſe putabat calceamenta Chriſti ſol-

Ioan. 1. uere; quid mirum cum & ſupremi Seraphini, vt vidit Iſaias, verecundentur in

Iſa. 6. conſpectu tantæ maieſtatis adeſſe? quod ſi ſe vocem nuncupauit, cognomen glorioſum aſſumpſit, cum vox Chriſti eſſet, Ipſum ęterni Patris cōceptum exprimens, & Dei præconis munere fungeretur: ac demum ſi Paulus minimum Apoſtolorū,

1. Cor. 15. & Apoſtoli nomine indignum ſe vendicabat, ſciebat quidem perſequutum fuiſſe Eccleſiam Dei, per quod ad Apoſtolatus culmen euehendum haud dignū ſe conſtituerat. Beata autem Virgo, licet alioquin in ſplendoribus ſanctorum concepta, pluſquàm Angelica puritate nitens orta, omnis tàm ſpiritualis, quàm corporalis maculæ expers, inuiolataquè mente, & corpore ſemper manens, ad celſiſſimæ Dei Matris dignitatem euecta, quo nihil excellentius, excepta vnione hypoſtatica cum diuina perſona dici poteſt; adeò ſe deſpicit, humiliat, ac demittit, vt Purificationis legi ſe ſubijciat, & velut inſtar reliquarum fœminarū per quadraginta dies ſe domi contineat, nec in templum ingrediatur, & facto ipſo ſe oſtēdat legali illa Purificatione indigere, ad abſtergendas ſordes quas ex viro concipientes contrahere ſolent. In quo ſane videtur mihi perfectiſſimum humilitatis gradum attigiſſe, licet enim quidam ſe humilient, ex varijs tamen circumſtantijs id ex humilitate proficiſci deprehenditur; cum verò quis ita ſe gerit, vt alij nullam opinionem de eius voluntaria abiectione concipiant, nec id quod facit, putent ex humilitate, & modeſtia procedere; tunc mirificè eius humilitas ſplendet. Quod duplex humilitatis genus D. Bernardus per-

D. Bernardus ſerm. 42. in Cantica. pendens ſapienter dixit: *Eſt humilitas, quam nobis veritas parit, &, eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione conſiſtit. Etenim tu ſi temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, ac ſine palpatione dÿndiees, non dubito quin humilieris; & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamuis nec dū fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum*, &c. *Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes: voluiſſes, proculdubio, quod in te eſt, eandem de te omnes tenerè ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis.* &c. *Vides igitur nō eſſe idipſum hominem de ſe ipſo non altū ſapere veritatis lumine redargutū, & humilibus ſponte conſentire munere charitatis adiutum*: id quod confirmat exemplo Chriſti, qui hoc humilitatis gradu ſemetipſum

humiliauit: etenim, vt dicitur ad Philip. 2. *Philip. 2.*

ſemetipſū exinaniuit, &c. *Ipſe ſe humiliauit*

non neceſſitate iudicÿ, ſed charitate noſtri; *Chriſtus humilis voluntate non iudicio.*

voluntate enim humilis fuit, & non iudicio, qui talem ſe obtulit, qualē eſſe neſciuit, magis autem placuit minimum reputari, qui

ſe ſummum non ignorabat. Denique ait: di- *Matth. 11. 29*

ſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Corde dixit cordis affectu, ideſt voluntate; Itaque neceſſitatem excluſit, qui voluntatem confeſſus eſt. Non enim quomodo ego, vel tu, inuenimus nos in veritate dignos dedecore, & contemptu, dignos omni extremitate, & inferioritate, dignos etiam ſupplicÿs, dignos plagis: non, inquam ita & ille: quæ tamen omnia expertus eſt, quia voluit tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate quam cordis ſuaſit affectio, non quam extorſit diſcuſſio veritatis. Verùm altiùs repetentes excellentiam Marianæ humilitatis, Humilis fuit mente, ore, & opere: humilis in cogitationibus, humilis in verbis, humilis in factis. Mente quidem adeò humilis, vt idē Bernardus, homilia prima ſuper *Miſ-*

ſus, non dubitarit dicere: *Et ſi placuit* *D. Bernard. hom. 1. ſuper miſſus.*

Beata Virgo ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. & rurſus ſic ſubiungit: *Si Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus ſanctus non requieuiſſet; ſi ſuper eam non requieuiſſet, nec impregnaſſet, quomodo enim de ipſo ſine ipſo cōciperet? patet itaque quia vt de Spiritu ſancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, reſpexit humilitati Ancillæ ſuæ Deus, potius quàm virginitati*. Humilem autem fuiſſe verbis, ſatis vtique indicant illa quibus legationi Angelicæ re-

ſpondit: *Ecce Ancilla Domini; fiat mihi ſe-* *Lucæ 1.*

cundum verbum tuum. Nulla ſane his humiliora verba proferre potuiſſet, cum in

domo

Digitized by Google

domo magni Principis inter omnes domeſticos, ſeruæ & mancipia abiectiſſima omnium cẽſeantur. Factis denique nemo inficiari poterit, profundæ humilitatis Beatàm Virginem perfectiſſimam Sectatricem extitiſſe. Nam præterquam cum in cænaculo eſſet pariter cum diſcipulis Chriſti, & alijs religioſis feminis ipſa nouiſſimum omnium locum elegit, & ideo in poſtremo loco voluit à Diuo Luca nominari, vt conſtat ex Actis Apoſtolorũ, vbi hęc verba legimus, *Et cũ introiſſent in cænaculum, aſcenderunt, vbi manebant Petrus, & Ioannes, Iacobus & Andreas: Philippus & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perſeuerãtes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu.* Ecce Beata Virgo poſtponi voluit ſe omnibus illis Chriſti diſcipulis, tàm viris quàm feminis, inter quas ſine dubio aderat Magdalena quæ fuerat in ciuitate peccatrix, vt recte adnotauit Guaricus lib. 1. de Sacro Regno Mariæ: præter hoc inquam, quis non miretur, quam in die purificationis Maria oſtentauit humilitatem, dum quæ Angelis purior erat, quaſi à ſordibus emundari indigeret, purificationis remedium, ad eas abſtergendas aſſumpſit? Huius certe humilitatis mentis, oris, & operis, quam Beata virgo toto vitæ ſuæ decurſu exercuit, præclaram figuram extitiſſe arbitror Reginæ Eſther humilitatem; nam ſicut illa ante pedes Regis Aſſueri procidens, vt illum in Regali ſolio exiſtentẽ ad ſe inclinari quaſi compelleret; ita Beatiſſima virgo in propria ſua exiſtimatione magis ac magis vileſcens, adeò ſe humiliauit, vt non velut Eſther Regem Aſſuerum, ſed Regem Angelorum, & Dominum inclinari & humiliari, & vſque ad tenebras vteri ſui demitti faceret. Deinde ſicut Eſther perſimilis fuit Lunæ, (vnde feſtum Eſther, quod à Iudæis ſolemni ritu colebatur, fas non erat celebrari niſi in die nouæ Lunæ) quia ſicut illa, cum plena eſt, decreſcere incipit, quod certum quoddam humilitatis Symbolum præſefert; non ſecus Eſther quanto amplius à Rege Aſſuero ſe amari, & exaltari experiebatur, tanto magis ipſa animum demittebat, & ad pedes eius ſe prouoluebat. Ad eundem proculdubio modum Beata virgo quanto ſe magis à Domino diligi, extolli, & Angelis omnibus præferri agnoſcebat, tanto accuratius ſe humilians, & inſtar plenæ Lunæ iuxta illud: *Aue gratia plena*, in propria exiſtimatione decreſcens, purificationis legi qua minime egebat, & cui obnoxia non erat, quia pro violatis dumtaxat feminis lata erat, ſe humiliter ſubiecit.

Act. 1. — *Guaricus lib. 1. De Sacr. Reg. Mariæ cap. 15.* — *Eſther vlt.* — *Eſther c. 9.* — *Luc. 1.*

Tamẽ vt hęc ad mores noſtros informandos cõuertamus, obſeruandũ cenſui quod, vt naturalium rerum Hiſtoriographi tradunt, & experientia etiam ipſa ſatis comprobat, pleraque viuentia, & animantia tempore decremẽti plenilunij decreſcunt; in arboribus quidem humor minuitur, pupillæ Simiarum minorantur; in fellibus potentia viſiua infirmatur; Conchilia marina vacua inueniuntur; ſolùm cæpa in decremento lunæ creſcit, & plenior fit. Et idcirco ſacerdotes Aegyptij illa vt deteſtabili cibo nunquam veſcebantur, hoc genere cultus illam venerantes, quam vt Deam colebant. Eò, proh dolor, ſuperbæ mentis noſtræ tumor proceſſit, & excreuit, vt mirabile hoc Marianę humilitatis exẽplũ quod in die purificationis Beata virgo nobis præbuit intuentes, non ſolum in noſtra exiſtimatione non minoremur, & in oculis noſtris decreſcamus; ſed velut agreſtis cepæ naturam, & conditionem induentes, quanto hæc pulchra luna Maria magis per humilitatem decreſcit, & ſe demittit, tanto amplius nos per ſuperbiam augemur, & in ſublime erigimur, volentes potius, ò miſeri, matrem antiquam Heuam imitari *quærendo excuſationes in peccatis*, quàm nos humiliantes, nouam Heuam, Mariam ſcilicet, æmulari, eiuſq; veſtigia ſequi. Heua quidem præuaricationis mater peccauit, & proteruè ſe excuſauit, Maria vero mater Redemptoris non peccauit, & quaſi immunda eſſet, purificationis legi obtemperauit; verùm illam excuſatio perdidit, & maledictioni ſubiecit, hanc autem humilitas beauit, & benedictam in mulieribus effecit. O deteſtandam humanæ mentis ſuperbiam! abijcimus iugum omnis poteſtatis: vnuſquiſque dicit, *non ſeruiam*. Quænam peto nunc humilis ſubordinatio in republica, in domibus priuatis, in ſcholis, in Monaſterijs & Eccleſiaſticis congregationibus? Sibi quiſque vult præeſſe, & ſibi parere; pueritia ferocit, iuuẽtus laſciuit & contumax

Pſal. 140. — *Hier. cap. 2.* — *Eccleſ.*

C ac

ac effrænata, intumeſcit ſic a parentibus
Iſai. 1. edocta: ac tandem ſicut ille alter Prophe-
ta dixit, *à planta pedis, vſque ad verticem*
capitis non eſt in eo ſanitas: ita ſanè ad
vos, ò ſuperbæ feminæ, ſermonem con-
uertens, nihil veſtrum intueor, quod hu-
militatem ſapiat, nihil quod elationem
potius, & ſuperbiam non redoleat. Si or-
natum capitis attendo, doctrinam Prin-
cipis Apoſtolorum contemnitis, dicentis:
Non ſit extrinſecus capillatura, aut cir-
1. Petri 3. *cundatio auri*: Si prophanum veſtimen-
torum cultũ aſpicio, Eccleſiaſticus vos in-
Eccleſiaſt. 11. crepat; *in veſtitu ne glorieris*. Si oculos ve-
ſtros obſeruo, Salomon egregie illos de-
ſcribit: *Generatio cuius excelſi ſunt oculi &*
Prouerb. 30. *palpebræ eius in alta ſubrectæ*: Si collum
erectum attendo, ecce de vobis prophe-
Iſaias. 3. tauit Iſaias: *Filiæ Sion ambulauerunt ex-*
tento collo: Si ſuperba verba auſculto,
conſilio Annæ matris Samuelis minimè
1. Reg. 2. acquieſcitis, dum dicebat: *Nolite multi-*
plicare loqui ſublimia gloriantes. Si tan-
dem ad pedum greſſus me conuerto,
Iſaias 3. Propheta his verbis eos depingit: *Filiæ*
Sion pedibus ſuis, compoſito gradu incede-
bant. Non ſic Beata Virgo: humilis in
Pſalm. 130. oculis: *Nec elati ſunt oculi mei*: humilis in
verbis: *Ecce ancilla Domini*: humilis in
auditu: *Audi filia, & vide, & inclina au-*
Pſalm. 44. *rem tuam*: humilis in greſſibus, viſitans
Luc. 1. Eliſabetham, vt ei inſeruiret: *Abijt in mon*
tana cum feſtinatione: humilis in veſtitu,
quæ omni ornatu ſemper caruit, imo non
alio vtebatur colore, quàm natiuo ipſius
lanæ, vt non ſemel legi. Ad hanc Mariæ
humilitatem ſponſus reſpiciens varijs
metaphoris illam ſignificauit, ex quibus
duplicem nunc apponam. Prima eſt à
Cant. 7. collo deſumpta: *Sicut Turris eburnea col-*
lum tuum. Collum humilitatem eius de-
ſignat, quia per illam veluti per collum
Rupertus lib. 6. in Cant. omnibus ſe ſubijcebat, vt Rupertus ſu-
per Cantica obſeruauit; Subiungitq; hu-
militatem Virginis fuiſſe eius arma,
eiuſque fortitudinem, & idcirco Turri
Eburneæ comparari, in ebore enim viget
maximè ſoliditas, & fortitudo, ad quod
comprobandum inquit, fortitudinẽ Moy-
ſis qua quaſi ligatum Deũ tenebat, cum
ei Dñs dixit: *dimitte me*, vt iraſcar nec nõ
Exod. 32. fortitudinem Iacob, qua contra Deũ præ-
ualuit, fuiſſe eximiam eorum humilita-
tem. Verba illius ſunt hæc: *Quæ forti-*
tudine luctabatur iſte vel ille? profectò
humilitate: nam de Moyſe dicitur, Si non
Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractio-
ne, id eſt, vt ipſe exponit, *in eximia mentis*
humilitate, per quam animus flectitur, &
quodammodo frangitur. de Iacob autem *Oſe. 12.*
cum dictum fuiſſet per Oſeam: *in fortitu-*
ne ſua directus eſt cum Angelo, & inualuit
ad Angelum: confeſtim fortitudinẽ eius ex-
primens, Propheta ſubiunxit, *fleuit & ro-*
gauit eum: *Igitur ò dilecta, collum tuum,*
quod eſt humilitas tua, Turris eſt Eburnea,
id eſt fortiſſima, atque pulcherrima. Vel di-
camus, ſponſum humilitatem Virginis
turri comparaſſe; tùm quia ſicut Turris
excelſior eſt reliquis domibus vrbis, ita
humilitas Virginis omnium Sanctorum
humilitatem longe tranſcendit: addit au-
tem *Eburnea*, quia ebur dens eſt Elephan-
tis valde formidabilis; nihil autem magis
perhorreſcunt Dæmones, quàm humili- *D. Antonius*
tatem, vt D. Antonius docuit, Athanaſio *apud S. Atha.*
id referente in eius vita: quòd ſi aliorum
ſanctorum; quanto magis Deiparæ Mariæ
humilitas tremere faciet ſuperbos Dæmo-
nes? Illud tamen difficultatem parit, quod
ſponſus humilitatem, quæ ad inferiora &
abiecta inclinat, ſublimi Turri eam com-
paret. Verùm hanc difficultatem facilè
quiſquam euacuabit, ſi attendat per hu-
militatem hominem exaltari, & per ſu-
perbiam deprimi, iuxta Chriſti Domini
ſententiam; *Qui ſe humiliat, exaltabitur;*
& qui ſe exaltat, humiliabitur. Vnde egre- *Vide ſup. lib. 4. hom. 15.*
gie Diuus Gregorius ſuper illa verba Iob.
5. *Qui ponit homines in ſublimi*, inquit:
humiles ponuntur, quia cum ſe ex humili-
tate ſubſternunt, altæ mentis iudicio cuncta
temporalia tranſcendunt; & cum ſe indi-
gnos in omnibus æſtimant, rectæ cogita-
tionis examine huius mundi gloriam tran-
ſcendentes calcant. Secunda Metaphora
eſt illa Canticorum ſeptimo: *Quàm*
pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis fi- *Cant. 7.*
lia principis. Scio Guilielmum nobilem
authorem in commentario huius loci in
hunc modum, illum interpretari: *Vocat* *Guillel. c. 7.*
enim in primis filiam principis, illius vtiq;
de quo Iſaias: Princeps, inquit, ea quæ di-
gna ſunt Principe cogitabit; quæ autem di-
gniora ſunt Principe, quàm.

Parcere ſubiectis & debellare ſuper-
bos:

In-

Inſinuat igitur Apoſtolus Iacobus principem ea quæ digna ſunt Principis cogitantem (cogitationes ſcilicet pacis ſuper ſubiectos, & afflictionis ſuper ſuperbos) Deus inquit, ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam. Huius itaque Principis, qui &
Dan. 7. verſ. 14. *princeps principum in Daniele appellatur, filia eſt ipſa quæ genuit Principem; eadem filia per gratiam adoptionis, & mater per*
Ier. 31. v. 22. *veritatem carnis. Planè a Domino nouum factum eſt ſuper terram: filia circundedit (hoc eſt in vtero clauſit) patrem ſuum: Is igitur qui eius & Pater eſt ſecundum ſpiritum; & filius ſecundum carnem: O filia, inquit, principis, quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis: non ſimpliciter pulchri, ſed cum admiratione; quàm pulchri! quo excellens, & ſingularis greſſuum eius pulchritudo ſignatur. Multæ enim ſunt filiæ principis per gratiam adoptionis, & omnes pulchræ gradiuntur: omnium ſunt pulchri greſſus in calceamentis. Verùm illa eſt excellenter filia principis, quæ eſt etiam mater principis. Neque enim in tantam adoptionis gratiam creſcere potuiſſet, niſi authorem gratiæ genuiſſet. De ſua carne dedit principi ſubſtantiam carnis, & ab eo accepit viciſſim prærogatiuam gratiæ amplioris: idcircò non dicitur ſimpliciter pulchri greſſus eius, vt ceterarum filiarum principis; ſed quàm pulchri, hoc eſt, quàm puri, & mundi affectus eius. Non enim pernicitate pedum, ſed puritate affectuum ibat de virtute in virtutem, viſura Deum Deorum in Sion. Erat autem in eundo calceata, ſanctorum antiquorum exemplis informata. Quid enim ſunt præcedentium exempla patrum, niſi quædam tanquam ex pellibus mortuorum animalium ſpiritualia calceamenta. Denique præclara illa filia principis pia veneratione ſimul, & æmulatione amplectebatur innocentiam Abel, obedientiam Abrahæ, manſuetudinem Moyſis, humilitatem Dauid, patientiam Iob, continentiam Danielis. His ergo & huiuſmodi patrum exemplis decentiſſime calceata, in attritis animi greſſibus ibat de virtute in virtutem, & in æmulando virtutes patrum, ipſos etiam Patres quorum ſe æmulatricem eſſe gaudebat, præcipua puritate affectuum, & prærogatiua actionum tranſcendebat.* Hactenus ille. Hanc tamen interpretationẽ licet egregiam nunc omittens, vtpote noſtro inſtituto non inſeruientem, arbitror cum alijs Interpretibus, per calceamenta ſponſum, Virginis humilitatem deſignaſſe, cuius eſt, ad pedes aliorũ ſemper procumbere, infimumque locum appetere: quod quia valde difficile eſt, vt non obſcure indicauit D. Petrus; nam vbi noſtra Vulgata legit: 1. Petr. 5.
omnes inuicem humilitatem inſinuate: Græcus interpres tranſtulit: *humilitatem innodate*, ſeu *alligate*: quibus aperte oſtendit adeo difficile eſſe humilitatem conſeruare, vt niſi magna vigilantia retineatur, & quaſi arctiſſimis nodis vinciatur, facile elabatur. Sponſus ergo quaſi admirans quàm tenaciter Beata Virgo humilitatem retinuerit, in ea verba prorupit, *quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis*. Et quidem ſicut ex calceamentis facile dignoſci poteſt, an quis per lutum inceſſerit, vel non; nam cum quis per lutum incedit, calceamenta eius luto neceſſe eſt inquinari: quia ergo inter omnes puras creaturas ſuperbiæ luto, nec alterius cuiuſpiam peccati macula fuit Beata Virgo inquinata, ideo quaſi admirans ſponſus inquit: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*. Vt tamen hanc Virginis humilitatem comẽdabiliorem redderet quæ tùm in viſitatione ad Eliſabetham, tùm in purificatione valde enituit, addidit conſulto verba illa, *filia Principis*, quia quanto quis nobilior, illuſtrior, ſapiẽtior, & alijs animi ornamentis inſignior, tanto magis eius humilitas difficilior, & admirabilior eſſe perhibetur. Quare ſenſus eſt: pulchri ſanè ſunt, ò Maria, greſſus tui, tàm in viſitatione, quàm in purificatione, calceamentaque tua id ſatis indicant, quæ ingenuitatem ac nobilitatem tuam prædicant. Vt enim
Philoſtratus refert, moris fuit apud antiquos in calceamentis, nobilitatis inſignia Philoſt.
portare ex ebore confecta: Et Seneca de Seneca de Tiberio.
Tiberio Imperatore affirmat, auro & margaritis ornatos Calceos ſolitum fuiſſe Caſſiodorus. Homerus.
geſtare: & Caſſiodorus refert, quod labente Republica, Patritij ſericis calceis vtebantur. Imò Homerus Deam Maijam Mercurij genitricem a calceamenti ineſtimabili pretio commendat. Idque ſatis apertè confirmant verba Iſaiæ dicentis:
In die illa auferet Dominus ornamentum Iſai. 3.
calceamentorum, & Lunulas: quaſi diceret

cetet, deſtruet Dominus in ſuperbis feminis ebutneas Lunas, quas in argumentum nobilitatis ſuæ in calceamentis portant. Cum igitur Beatiſſima Virgo ſumma, tàm corporis, quàm mentis nobilitate eſſet non ſolum conſpicua, ſed clariſſima, in eo valde eius humilitas ſplenduit, quod nec ad Beatam Eliſabetham viſitandam accedete, nec ei inſeruire recuſaret, nec ad purificationis remedium pro puerperij ſordibus ſumendum, in Templum venite quæ puriſſima erat dedignatetur. Merito ergò ſponſus hos mirabiles Mariæ greſſus aſpiciens dixit: *quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, ô filia Principis:* vel vt legunt Theodoretus, & multi Patres, *filia Nadab:* vel vt vertunt Hieronymus, Ambroſius, & Caſſiodotus: *filia Aminadab:* quæ duo (vt tradit Arias Montanus in ſuo apparatu) ſignificant idem quod *ſpontaneus:* Quo etiam ſignificatur humilitatem Virginis non fuiſſe coactam, ſed ſpontaneam; quod præſertim in purificatione oſtendit, cum nulla illius præcepti obligatione eam cogente illius legi ſe lætiſſimè ſubiaceret.

Theodoret. & aly ſuper c. 7 Cant. Hieron. lib. 1. D. Amb libro de obitu Valent. & lib. de inſt Virg. cap. 14. Caſiodor. 7. in Cantic. Arias mont. in apparat.

Ad extremum vt ad Virginis humilitatem ſectandam animi veſtri alliciantur, egregia quædam quæ nos docuit Magnus Cancellarius Patiſienſis, huius virtutis præconia non puto ingratum vobis fore hic apponere: Vocat in primis humilitatem principem, & Reginam propter præcellens eius dominium: *quantum igitur,* inquit, *eſt humilitatis dominium habere omnia ſub pedibus per generoſum conteptii, iuxta illud Deut.* 11. *omnis locus quem calcaueris pes veſter, veſter erit: quid maius? & quam latum imperium nihil aliud à Deo magni pendere, nullique alteri rei ſubijci?* Adnotat deinde imperio humilitatis tanquam ptincipi ac Reginæ, quæcumque humili accidunt, inſeruire; aduerſa quidem ad exercitium & tutelam, proſpera vero ad modeſtiam ſobtiamq; conſolationem: verba eius accipe: *Dicam amplius, militant pro ea ſui hoſtes fortiſſimi: Nam ex peccatis redditur cautior, firmior, ac potentior. Imò vide miraculum, ipſa ex morte propria reuiuiſcit ſæpius, fortiorque reſurgit. Nam quis neget magnam eſſe humilitatis recuperandæ rationem, humilitatem perdidiſti? Quin etiam oritur ex ſuo contrario, quod eſt ſuperbia, non minori miraculo, quam ſi frigiditatem calor gignat; humilitatis quippe non parua eſt occaſio, animam contra Deum ſuum creatorem, & redemptorem ſuperbijſſe.* Deinde ibidem tradit, humilitatem ſimilem eſſe ſpeculo concauo, in cuius centro vniuntur omnes radij diuinarum illuſtrationum, quia humili copioſiſſime cæleſtia chariſmata communicantur. Ob quam cauſam, inquit ille, meritò humilem appellari poſſe Abyſſum ſorbentem omnia viuentium aquarum fluenta: imò & vacuum quoddam ſpirituale immenſæ capacitatis, quod nulli honores, nullæ dignitates, nullæ opes implete illud ſufficiunt, ſed Deus ſolus, ſummum, & infinitum bonum.

Ioan. Gerſ. 2. ſermo. in cena Domini conſider 1.

Deut. 11.

Aemulamini ergo fratres, Mariæ humilitatem; de qua Diuus Bernardus aurea illa verba dixit: *Quæ eſt hæc Virgo, tàm venerabilis, vt ſalutetur ab Angelo? tàm humilis, vt deſponſata ſit fabro? pulchra permixtio Virginitatis, & humilitatis. Audis Virginem, audis humilem; ſi non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis; illa conſulitur, iſta præcipitur. Ad illam inuitaris ad iſtam cogeris. De illa dicitur: qui poteſt capere capiat: De iſta dicitur: Niſi quis efficiatur ſicut paruulus iſte, non intrabit in Regnum cælorum: illa ergo remuneratur, iſta exigitur à Chriſto.* Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Bernar. ſermone ſuper Miſſus.

Homi-

Homilia V.

Proſequimur Marianæ purificationis cauſas, nouas alias adducentes, ob quas immaculata Virgo nullius mundationis indiga, legi illius ſe ſubiecerit; eā tamen cauſam copioſius illuſtramus, quæ ſcandali vitandi curam tangit.

PRAETER omnes cauſas ſuprà commemoratas nonnul'æ aliæ occurrunt obſeruatione non indignæ. Prima, vt humillima Maria ſingularitatem, quæ ſpecies quædam ſuperbiæ eſt, omninò fugeret. Singularitas enim, tinea eſt & ærugo virtutum; imò, vt ait Dauid, immanis bellua animā deuaſtans: *ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Vnde licet Origenes narret (Pomerio id referente) Zachariam Pontificem conſtituiſſe Beatam Virginem, cum venit in templum purificationis gratia, inter Virgines, & non inter nuptas; crediderim tamen cum Doctiſſimo Caniſio lib.4.cap. 11. Virginem vt omnem illam vitaret ſingularitatem, contubernium vulgarium puerperarum, licet alioquin immundæ, & abiectæ eſſent, minime refugiſſe; ſed vna cum illis acceſſiſſe, munuſculum ſuum obtuliſſe, nihil a ſe alienum putantem, quod ad legis ritum implendum, ad cultum Dei præſtandum, & ad Eccleſiæ miniſterium honorandum, aliqua ſaltem ex parte pertineret. Secunda cauſa fuit, vt nouis ſecreti ſigillis magis ac magis obſignaretur myſterium incarnationis, & ſic Diabolum prorſus lateret, & illum deluderet: cum enim videret Beatam Virginem purificari, exiſtimabat violatam eſſe, nullam prorſus curam habens explorandi eius virginitatem. Hanc rationem adducit Caſſianus in ſuo ſtellario: *Decebat* (inquit) *vt ad purificationis legem accederet propter confuſionem Diaboli, pro eo quod ſic Chriſti diuinitas, & Beatæ Mariæ Virginitas celabatur Diabolo, ne humana redemptio impediretur ab ipſo.* Tertia cauſa, quia ad templum accedentem purificationis gratia, opus erat varias exercere virtutes, quas exercendi occaſionem cum nanciſci facile potuiſſet, noluit vlla ratione præterire, quæ nihil antiquius, & charius habebat, quàm ſanctis operibus vacare. Quàm autem fuerit multiplex hoc virtutum exercitium, Sanctus Thomas commemorat in ſermone de purificatione Mariæ, dum ait: *In iſto Euangelio poſſunt notari ſex virtutes in Beata Virgine: Humilitas in purificatione, cum non indigeret. Secundo, Amor puritatis in ſuperabundanti purgatione, & iſta duo ibi (Dies purgationis.) Tertio, reuerentia ad filium in portatione, ibi (tulerunt.) Quarto, deuotio in locorum viſitatione, ibi (in Ieruſalem.) Quinto, gratiarum actio in filij oblatione, ibi (vt ſiſterent eum Domino) quia tibi Domine quem dediſti offerimus. Sexto, paupertas in oblatione, ibi (duos turtures) quæ erat oblatio pauperum.*

Pſ.79.
Pomerium li de purificat.
Caniſius li 4. cap. 11.
Caſs. libro 3. ſtellar. parte 1. art.
S. Thom. ſerm. de purificatio. Mariæ.

Quarta cauſa fuit, quia Beata Virgo àgnouit diuinam voluntatem eſſe, vt hominibus palàm fieret ipſam Dei matrem eſſe, & vt dignitas hæc tantæ maternitatis inciperet iā euulgari. Meminit huius cauſæ Nicolaus Caſſianus lib.3. de purificatione, dum ait, *Hodie ipſam matrem fore in templo, ſanctis collætantibus, publicari voluit. O quantum gaudere poterat cum ſe matrem Dei agnoſcebat, quia Ambroſius dixit: hoc ſolum de Sancta Maria Virgine prædicare, quod Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici vel cogitari poteſt.* Hæc ille. De hoc eius gaudio Auguſtinus in ſermone, *Adeſt nobis:* dicit ſic: *Maria exultat, & matrem ſe læta miratur, & de Spiritu Sancto concepiſſe gaudet: & quia genuit eum exultatione, non cuiuſlibet meriti hominem, ſed totius mundi ſaluatorem.*

Nicolaus Caſſianus in Pomerio vbi ſup.
D. Amb.
D. Auguſt. in ſermone.

Quinta: Voluit Deipara purificationis legem amplecti, vt quoad fieri poſſet, dilectiſſimo filio ſuo ſe conformem exhiberet, eiuſque exemplum imitaretur, qui octauo die circumciſionis legi minime obnoxius, eius gladium ſubire non recuſauit. Vnde Diuus Bernardus ſermone de purificatione dixit: O Beata Virgo Ma-

D. Bernard.

C 3 ria,

ria, verè tu non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione: Sed numquid filio tuo opus erat circumciſione? eſto tamen inter mulieres tanquam vna earum, nam & filius tuus ſic extitit in medio puerorum.

Sextam cauſam Purificationis Beatæ Virginis putauerim fuiſſe, ne ſcandalum aliquod præberet, ſi Purificationis legem palàm obſeruare negligeret. Cauſam hanc, quia præcipuam arbitror, quæ Deiparam mouit, vt legi illi ſe ſubijceret, & quia ſcandali vitandi doctrina valde vtilis, ac perneceſſaria eſt, placet nobis hoc loco latius de illa diſſerere. Quod vt rectius præſtemus, præponenda ſunt ante

D.Thom. 2. 2. quæſt. 45. ar. 1.

omnia, verba Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 45. art. 1. vbi ait, *quod Græcè ſcandalum dicitur, nos offenſionem vel ruinam, & impactionem pedis poſſumus dicere: contingit enim, quod aliquando aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens diſponitur ad ruinam, & talis obex dicitur ſcandalum; & ſimiliter in proceſſu viæ ſpiritalis contingit aliquem diſponi ad ruinam ſpiritualem per dictum vel factũ alterius, in quantum ſcilicet aliquis ſua admonitione, inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum; & hoc proprie dicitur ſcandalum: nihil autem ſecundum propriam rationem diſponit ad ſpiritualem ruinam, niſi ſecundum quod habet aliquem defectum rectitudinis; quia id quod eſt perfectè rectum, magis munit hominem contra caſum, quàm ad ruinam inducat; & ideo conuenienter dicitur, quod dictum, vel factum, minus rectum præbens occaſionem ruinæ, ſit ſcandalum.* Hactenus D. Thom. Chriſtus Dominus, quam graue ſcandala pariant detrimentum probe agnoſcens, vt nos illa vitare ſuaderet, non dubitauit dicere;

Matth. 5.

Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum; & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & proijce abs te. Videtur ſane, quod ſi hic manus, & oculus propriè ſumantur, crudelis, & impia ſit aſſertio, cum nemini liceat violentas manus ſibi inferens propria membra truncare. quare vt locum hunc explicarent ſancti Patres, in varias abierunt ſententias.

D. Chriſoſt. homil. 17.

Diuus Chryſoſtomus homil. 17. ait, *per oculum dexterum, & manum dexteram, ſignificari mulierem amicam, quia paulò ante dixerat, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, &c.*

Author. imperf. hom. 12.

Auctor imperfecti Homil. 12. per oculum dexterum, mentem, per ſiniſtrum, corporis ſenſum; per manum dexteram, voluntatem; per ſiniſtram, carnis appetitum interpretatur. Vult ergo refrænandas eſſe tàm ſuperiores, quàm inferiores animæ virtutes.

D. Aug. lib. 1. De Ser. Chriſti. D Hilarius. D. Anaſtaſ. D. Athanaſ. Cyrillus. Saluianus. D. Theophil. Pacianus.

D. Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Chriſti, per oculum dexterum intelligit amicum, per manum dexteram, coadiutorem & neceſſarium miniſtrum. Diuus Hilarius can. 4. Anaſtaſius quæſt. 73. Athanaſius quęſt. 70. Cyrillus lib. 12. in Ioann. c. 28. Saluianus lib. 3. de prouidentia, Theophilactus in c. 5. Matthęi, Pacianus ep. 3. aduerſus Nouatianos, tàm per oculum, quàm per manum dexteram eos omnes intelligunt, qui arctiſſima cognationis, aut familiaritatis coniunctione ſint nobis deuinctiſſimi, quos debemus, dũ nos à Deo alienant, longe abijcere, iuxta illud Deut. 13.

Deut. 13.

Si tibi voluerit perſuadere frater tuus &c.

Maldonatus.

Maldonatus egregiam aliam viam ingreſſus inquit, elegantem eſſe hanc metaphoram ad exaggerandum neceſſitatem vitandi ſcãdalum, ſumptam a Chyrurgorum arte, qui cum per vnum membrum putridum, totum periclitatur corpus, illud continuo ab eo abſcidunt, vt iſtud conſeruent: Sic certè etiam quæcunque chariſſima longe nobis propulſanda ſunt, ne nobis, vel alijs, ſpiritualis ruinæ occaſionem præbeant. quia tamen manus & oculi præcipuè ſolent inſeruire his qui carnis concupiſcentia animum paſcere gaudent, ideo ab his membris exemplo allato monet membra omnia continere, omneſq; occaſiones quibus ad prauè agẽdum nos commouemur, vel alios commouemus, maximo etiam cum dolore, & proprio temporali detrimento reſerare. Nec abſurda, ſed ſapientiſſima ſententia eſt, qui non vult, vt manus nobis ipſis amputemus, aut oculos eruamus, ſed quod, vt in exaggerationibus fieri ſolet exceptio, *ſi fieri poſſet, aut liceret*, vt illud ad Galatas 4.

Galat. 4.

Teſtimonium enim perhibeo vobis, quoniam ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Magnitudinem peccati illorum, qui ſcandalum alijs præbent, exaggerat D. Paulus 1. ad Corint. 8.

1. Cor. 8.

cum enim quidam ab idolatris carnes emerent, quia viliori pretio ſibi vendebantur, licet alioquin per ſe licita erat emptio eſcarum ab idolatris, quia

tamen

tamen tunc multis erat ſcandali cauſa, exiſtimantibus illos participes fieri ſacrificiorum,& rituum quibus vtebantur Idolorum cultores, ideo acriter illos increpat his grauiſſimis verbis: *Si quis viderit eum, qui habet ſcientiam,in idolo*, idest, templo idolorum, *recumbentem, nonne conſcientia eius cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt: Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis*. in quem
D.Chryſoſt. locum Diuus Chryſoſtomus primum obſeruat verba illa, *propter quẽ Chriſtus mortuus eſt*, quia videlicet qui ſcandalũ præbet,deſtruit quantũ eſt ex ſe opus Chriſti, qđ ipſe ſua paſſione perfecit.Deinde obſeruat verbũ illud *percutientes*, non dixit *ſcandalizantes*, ſed *percutientes:* etenim omni plaga grauius eſt ſcandalum,cum ſæpenumero mortem afferat, vnde ipſe Paulus 1. Cor.9. poſtquàm multis probauit deberi ab auditoribus concionatori victum, ſubiunxit ſe iuri illi voluiſſe cedere dicens:
1.Cor.9. *Sed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Non dixit euerſionem*, inquit Chryſoſt. *ſed offendiculum:* neque ſimpliciter, ſed aliquod offendiculum;& in eodem capite concludit Paulus apoſtolica illa verba dicens: *quapropter ſi ſcandalizat fratrem meum, nõ manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcan-*
2 Mach.6. *dalizem*. Simili zelo ante D. Paulum Eleazarus, cum rogaretur carnem porcinam manducare contra diuinam legem, vel ſaltem ſimulare ſe manducare illam, ne alioquin interficeretur, conſtantiſſime ille, ne ſimili facto ſcandalum præberet his qui putarent illum diuinam legẽ fuiſſe tranſgreſſum,& ad Idola diuertiſſe,renuit id facere dicens: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere, vt multi adoleſcentium arbitrãtes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem,& propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur*. Sed & multis retrò annis ſedulam curam geſſit vitandi ſcandali Booz, nam cum honorabilis illa vidua Ruth fatigata ex itinere,quadam nocte, iuxta aream illius, vbi frumentum triturabat remanſiſſet,ipſe monuit illam, vt ſummo mane recederet,ne quidquam ſcandali oriretur: Vnde ſacer textus inquit: *Surrexit itaque ante quàm homines ſe cognoſcerent mutuo: & dixit Booz: caue ne dicat, quod huc veneris.* Ruth.3.
D. etiam Ioannes Apoſtolus hoc peccati genus tangens in ſua Apocaly.dixit: *Habeo aduerſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſrael edere,& fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum:* Ecce reprehenditur hoc loco Pergami Epiſcopus propter Nicolaitas, quod ſcandalum alijs facerent, docentes licitam eſſe libidinem; quam ob cauſam Balaamo comparantur, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſrael. Nonnè videtur quantum malum ſit ſcandalum,cum Epiſcopus Pergami ex eo, ſolum reprehendatur, quod ſcandalum dantes Nicolaitas ferret. Apocalyp.

Equidem Dominus Deus noſter adeò oportere iudicauit, omne ſcandalum & ruinæ occaſionem de medio tollere,vt ipſe ante Verbi diuini incarnationẽ, & poſt illam, egregia huius exempla, vt id nos doceret, exhibuerit. Etenim Pſal.118.vbi Pſ.118.
Dauid ait, *ſpreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis, quia iniuſta cogitatio eorum:* Aquila tranſtulit: *offendicula quædam, & moleſtos lapides, & ſpinas ac tribulos de via tua, quam illi negligebant, abiecisti,ne ambulantibus per eam ſeruis tuis offenſioni, & impedimento eſſent*. Deinde quis ignorat Dominum ſpecialem curam habuiſſe occultandi corpus Moyſis, vt vitaret ſcandalum Hebræorum, qui ſi agnoſcerent locum vbi iacebat corpus Moyſis, diuinos honores ei impendiſſent? nam qui rebus inanimatis illos dederunt,multò magis eos dediſſent Moyſi qui tot mirabilia inter ipſos patrauerat; maxime cum ad Idololatriam valde proni eſſent. Epiſ.Iude 9.
Deinde cum à Chriſto Domino exigeretur tributum, conuertens ſe ad Petrum interrogauit illum: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum,vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis?* & ille reſpondit, *ab alienis*, Dixit illi Ieſus: *ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me, & te.* Matth.17.
Meminit ad hoc propoſitum huius loci D. Gre-

Digitized by Google

D.Greg. D. Gregorius Homil. 7. in Ezechielem, dum ait: *Aliquando cauendum eſt ſcandalum proximorum, aliquando negligendum: cauit Dominus quando iuſſit ſolui didrachma, ne ſcandalum petentibus eſſet: cum autem dicit: Sinite, cæci ſunt, & duces cæcorum, ſcandalum neglexit. Igitur vitare debemus, cum ſine peccato poſſumus; ſed ſi de veritate naſcitur, vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm quod veritas relinquatur, & ideo animalia plena ſunt oculis, vt omnia cautè circumſpiciant.*

Porrò vt perniciosiſſimum hoc ſcandali peccatum, per quod ad ſpiritualem ruinam proximis via paratur, magis deteſtemur, ſeueritatem diuinæ vltionis, quam Deus illud plectere ſolet, operæpretium erit ante oculos proponere, vt ſaltem timore pœnæ ab hoc genere peccati longe arceamur. In primis in Leuitico legimus hanc fuiſſe pœnam ſacerdotis ſcandalum *Leuit. 4.* dantis: *ſi ſacerdos peccauerit delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino: poneſque manum ſuper caput eius, & immolabit eum Domino:* Super quæ verba *Nicolaus de Lyra.* Nicolaus de Lyra ait, *poneſque manum ſuper vitulum, ad reſignandu iuri quod habebat in vitulo, & ad oſtendendum, quod ſicut vitulus erat occidendus pro peccato ſuo, ita ipſe offerens eſſet morte dignus pro tranſgreſſione præcepti Domini, niſi accepta eſſet eius oblatio ex miſericordia Dei.* *Ierem. 2.* Hùc etiam faciunt verba illa Ieremiæ: *Viſitabo ſanguinem Iezrabel ſuper domum Iehu,* quæ ea propter ſunt difficilia, quia nullus profectò ſanguis fuerat tunc *Ruffinus.* iniuſte effuſus. Ruffinus ea intelligit de homicidio ſpirituali per ſcandalum: *Vindicari,* ait *ſanguinem Iezrabel, ideſt Achab interfecti in Iezrabel, quoniam poſteri Iehu in eadem ſcelera inciderunt quæ patrata fuerant ab Achab, & à poſteris Ieroboam, qui peccare fecit Iſrael, & ſimiliter idola coluerunt.* Facit ad illud Ieremiæ 2. *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentium:* exponit D. Hieronymus, *quos idolis immolaſti,* ſiue *quorum animas perdidiſti ſacrificiorum ſimilitudine.* Eſt etiam ad idem egregius locus *Sophon. 2.* apud Prophetam Sophoniam, cap. 2. *Azotum in meridiem eijcient:* Azotum Hebraicè, *Aſdod* vanitatem ſignificat, ſiue ignem generationis, aut dilecti, & in ea homines intelliguntur qui verbis, aut factis improbis alios lædunt, & perdunt, ideſt, ſcandalo illis ſunt; hi enim merito ignis generationis dicuntur, quia hominibus, quos exemplo ſuo malo nocent, bona quæ in illis ſunt, inſtar ignis conſumunt: & quia iſti ſæpe, quos amant, grauiter lædunt, rectè etiā dicuntur *ignis dilecti.* Horum igitur erit manifeſta damnatio, quia quando ſancti plenam recipient beatitudinis claritatem, in tenebras ignominioſiſſimas proijciētur omnibus videntibus & gaudentibus, & ideo ait, *Azotum in meridiem eijcient.* Demum Numerorū decimoquarto legimus, Deum *Num. 14.* miſera morte puniuiſſe exploratores illos qui terræ promiſſionis detrahentes, in ſcandalum fuerunt Iſraelitis, & 4. Regum *4. Reg 9.* nemo ignorat Iezabelem, & Achab acriter punitos eo, quòd ſcandalizauerunt & turbauerunt Iſraël: Quàm acerbis etiam ſupplicijs affecerit Deus Ieroboam filium Naboth, & Regem Iſraelis eo quod erexerit vitulos aureos, & peccare fecerit populum, ſacra lib. 3. Regum Hiſt. palam *Lib. 3. reg. 12.* tradit. Quid de Dauid dicā, in quem poſtquàm adulterium ei Deus pepercerat, grauiter animaduertit propter hoc genus peccati, vt Nathan Propheta his verbis ei dixit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris: verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur, & reuerſus eſt Nathan in domum ſuam. Percuſſit quoque Domi-* *2. Reg. 12.* *nus paruulum quem pepererat vxor Vriæ:* Legite rurſus in idem argumentum, quod lib. Numerorum cap. 31. habetur; *Nonnè* *Num. 3.* *iſtæ ſunt quæ deceperūt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phegor, vnde & percuſſus eſt populus? Ergo cunctos interficite, quidquid eſt generis maſculini, etiam in paruulis.* Quid plura? Ezechielem conſulite in hunc modum loquētem: *Quicumque ſcandalum iniquitatis ſuæ ſta-* *Ezech. 14.* *tuerit contra faciem ſuam, ponam faciem meam ſuper hominem illum in exemplum, & in prouerbium, & diſperdam illum de medio populi mei.* Ad extremum ſatis notā omnibus arbitror pœnam à Chriſto Domino præſcriptam ſcandalizanti: *qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in* *Matth. 18.*

me cre-

me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris: in quæ verba præclara multa quæ dixere Patres, hic adſcribere non grauabor. Origenes Hom. 5. in Matth.

Math. 18. ſic illa exponit. *Expedit ei quaſi vtile ad medelam peccati, vt ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris, ſic enim reddens dignā vindictā in mari, vbi & Draco habetur quē formauit Deus ad illudendū ei, & ſic quod expedit paſſus, qui punitus eſt, poſtea erit extra dolores, qui ſunt in profundo maris, quos pertulit tractus ab aſinaria mola. Sunt autem & molarum differentiæ, vt ſint quædam earum (vt ſic appellem) humanæ, aliæ autem aſinariæ: humana quidem eſt illa, de qua ſcriptum eſt; Duæ erunt molentes ad vnam molam, vna aſſumetur, & altera relinquetur. Aſinaria autem quæ imponitur ſcandalizanti vnum de puſillis in Chriſtum credentibus, vt demergatur in profundum maris. Aſinaria autem mola non irrationabiliter dici poteſt corpus grauiſſimum molæ, onus, quod ſemper deorſum trahit; quod ſuſcipiet in reſurrectione vnuſquiſque peccator, vt demergatur in abyſſum, quæ dicitur profundum maris.*

S. Hilarius in eundem locū. Sanctus Hilarius Epiſcopus Pictauienſis; *Expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria & demergatur in profundum maris: tot tantæque res non otioſe comparatæ ſunt: & mola, & aſinaria, & cum ea in mari mergendus, & hoc ei expediens. Communi omnium ſenſu, quod expedit, vtile eſt; quid ergo vtilitatis eſt mola aſinaria collo ſuſpenſa demergi? Mors enim tam grauis proficiet ad pœnam, & neſcio, quomodo erit vtile id expetere, quod vltimum ſit malorum. Quid ergo ſentire oporteat, quærendum eſt. Molæ opus labor eſt cæcitatis: nam clauſis iumentorum oculis, aguntur in gyrum: & ſub aſini quidem nomine frequenter gentes cognominatas reperimus; igitur gentes quod agunt, neſciunt, & in vitæ ſuæ opere detentæ cæci laboris ignorantia continentur. Iudæis autem ſcientiæ iter in lege præſtatum eſt; Qui ſi Chriſti Apoſtolos ſcandalizauerunt, rectius illigata collo mola aſinaria demerſi in mari fuiſſent, id eſt, gentium labore depreſſi, in ignorantia ſæculi demorarentur, quia illis tolerabilius fuerit neſciſſe Chriſtum, quam Prophetarum non recepiſſe*, S. Auguſt.

S. Auguſt. Sermo 1. in feſto dedicationis ſancti Michaelis Archang. *Audiſtis fratres euangelicam lectionem, aduerſus eos qui puſillos ſcandalizant, ſatis terribiliter intonantem. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum ſeducit, apertè denuncians, quoniam væ homini illi per quem ſcandalum venit: Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Natus ſanè denuo, natus ad vitam, natus de ſpiritu, & nimirum carne poſtmodum conſumatur. Expedit ei ſi quis eſt qui ſcandala ſuſcitat in hac domo, in hac ſancta Deo placita, & Angelis eius, admodum grata ac familiari congregatione, vt ſuſpendatur in collo eius mola aſinaria; & pro ſuaui iugo, & leui onere Saluatoris, graui mole terrenæ cupiditatis humeris eius impoſita demergatur in profundum maris huius magni, & ſpacioſi, quod eſt ſine dubio ſæculum nequam: minus enim damnabile erat ei in ſæculo magis perire, quàm in monaſterio: perire ſi quidem neceſſe eſt hominem qui charitatem non habet, etiam ſi tradiderit corpus ſuum ita vt ardeat.*

Sanctus Ambroſius in feſto dedicationis ſancti Michaëlis Archangeli, ait; *Quod autem hic ſcribit Euangelica lectio: qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris: puſillos hic, non ætate pueros, ſed malitia paruulos dicit, ſicut Apoſtolus ait: malitia paruuli eſtote: vt ſenſibus perfecti ſitis. Qui ſunt iſti, niſi clerici idonei, & Monachi religioſi, vel Laici? quiſquis igitur his irreuerens, aut contumelioſus extiterit, hac velut pœna plectetur: Vt infirmi ſaxo religato illi ad collum præcipitetur in mare. Sed videamus cur ſcandalizantibus Chriſtianis iſta pœna data ſit, aut quid ſibi velit ipſa ſententia, puto enim illam aliquod myſterium continere: quaſi vero non ſufficeret in mare homini demergendo, ſaxum qualecumque non magnum, aut enorme, ſed molæ aſinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat res vſui neceſſaria? Sed puto hoc eſſe magis, quod in ſcripturis aſini figura populus gentilium nuncupatur: qui clauſis oculis circa ignorantiam, mola erroris ſui gyro pertrahitur, & in illa curſus directione veſtigijs ſæpe redeuntibus inuitus vſui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam aſinariam voluere gentilis populus,* S. Ambroſ.

quàm

quàmdiu imperitiæ ſua labore verſatur? Naturæ quidem vinculis alligatus vt verbum Dei molat, Deum cæli quærat: Sed opertæ mentis cæcitate ſuffuſus, vt vultus animi erigere ad Deum, cordis oculos leuare non poſſit ad cælum. Sed quoniam mola aſinaria ſaxum eſſe conſtat, videamus & ſi paganorum talis eſt mola, talis plane eſt. Saxi enim mola eſt, paganorum Iupiter, Herculesq; lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt: cæcos inquam dixerim eorum oculos; qui putant ſe videre, quod non vident: Aſpicientes enim ſaxum Deum ſe videre confingunt: Attamen qui molam voluit, conſumandi aliquem finem operis habet: exeundi ſpe gerit laboris: Cui vero mola aſinaria ad collum ſuſpenditur, portat lapidem, qui portare iugum Domini recuſauit. Aſinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad ſaxum, qui adorat eum, quē non vidit, nec agnoſcit: Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo, aut ſaxo agnoſcitur. Hic ergo gentilis populus cum perſecutionem Chriſtiano intulerit, hac pœna plectetur, vt cum ſua ſacrilega mola iudicandi ſæculi fluctibus demergatur. Euſebius Emiſſenus, in feſto dedic. S. Michaelis Archangeli: ait. *Melius eſt enim occidi, quàm occidere: qui enim occiditur, non ideo beatitudine priuatur. legimus enim quoſdam ſanctorum martyrum lapidibus collo ligatis in profundum maris fuiſſe demerſos; non ideo tamen eos credimus eſſe beatitudine priuatos, qua priuantur illi, qui aliquem ſcandalizant. Melius eſt igitur homini, vt in corpore occidatur, quàm vt in fide aliquem ſcādalizet.* Diuus Bonauentura in expoſitione Euang. ſup: cap. 17. Lucæ: *Vtilius eſt illi* (inquit) *ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, ſecundum ritum Prouinciarum loquitur, vbi erat iſta pœna criminum, vt ligato ſaxo in profundum demergeretur. Hoc inquam dicit vtilius, quàm vt vnum ſcandalizent de puſillis iſtis; quia longe minor eſt iſta, quàm illa, quam ſcandalizando proximum merentur.* Vnde Beda: *Vere vtilius innoxium grauiſſima pœna vitam finire, quàm lædēdo fratrem, mortem mereri perpetuam:* & iterum: *Vtilius eſt enim pro culpa breuem recipere pœnam, quàm æternum cruciatibus reſeruari. ratio autem quare tanta pœna debeatur ſcandalizanti, eſt, quia aufert Chriſto illud quod amat maxime, ſcilicet animam, ſecundum illud: Tua ſunt Domine omnia qui amas animas. Vnde & Apoſtolus: peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Et ſequitur: Sic autem peccantes in fratres, & percutiens conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Alia ratio eſt, quia ſicut operibus ædificationis magna debetur corona, ita de ædificantibus magna debetur pœna: quæ pacis ſunt, ſectemur; & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Tertia ratio eſt, quia ſicut magna crudelitas eſt affligere ægrotantes, ſic magna peruerſitas eſt ſeducere ſimplices: propter quod dicitur: Nec coram cæco pones offendiculum: & ideo ſignanter dixit; Vnū de puſillis iſtis. Quarta ratio: quis ſcandalizans obligatur non ſolum ad reddendam animam ſuam, verum etiam animam ſcādalizatam. Si quis aperuerit ciſternam, & non operuerit eam, cecideritquè bos, aut aſinus in eam, reddet Dominus ciſternæ pretium iumentorum. Eſt autem hoc peccatum graue in omnibus, ſed maxime in his quorum vita trahitur in exemplum, ſicut ſunt prælati, ſicut magni Clerici, ſicut etiam viri religioſi & famoſi: Vnde dicitur: labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: Sequitur: vos autem receſſiſtis de vita & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Leui*. Hactenus D. Bonauentura.

Euſeb. Emiſſ. ibidem. — *D. Bonau.* — *Beda in gloſa huius loci.* — *Sap. 11.* — *1. Cor. 8.* — *Rom. 14.*

Illud tamen perſuaſum ſibi habere velim Prælatos, & Principes, quæ huc vſque diximus de cura vitandi ſcandali, & de pœna diuinitus infligenda ponentibus illud, præcipuè ad illos ſpectare, nam vt recte dixit Iuuenalis. *Iuuenal.*

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat, habet.

Cuius rei egregiam dedit rationem Claudianus. *Claudianus.*

Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Sed melius illis Propheta Iſaias: Nam vbi *Iſai 1.*

vbi noſtra Vulgata legit: *principes tui infideles*; alia translatio habet; *principes tui putridi*: Sicut enim putrido capite piſcis, continuo totum eius corpus putreſcit & fœtere incipit; ita putrido capite reipublicæ, membra etiam illius vt in plurimum putredinem illam contrahunt: Vnde ſicut exemplari apud Typographos vitiato, omnes deinde libri qui per illud excuduntur, vitiati prodeunt; ita cum principis exemplum ſubditi facile ſequãtur, vnius certe principis vitium totius fit populi offendiculum & grauis iactura. Non ſemel ego dixi quod plebeius homo peccans velut cadauer eſt, quod ſtatim ſepulturæ mandatur, & à nemine obſeruatur, nec videtur: Prælatus autem vel princeps peccans perſimilis eſt cadaueri inſepulto, & ex patibulo pendenti, quod aëra inficit, & quandoq; peſtem generat. Hinc eſt quod Plato non admittebat Homeri libros, propterea quod tales Deos ac Deas fingebat, quales nemo probus, filios aut filias ſuas eſſe vellet: agnoſcebat quidem nihil nocentius prauis exemplis Principum, quia præſtãtia dignitatis ſuæ, res fœdas atque indignas quodammodo nobilitant, ac decorant. Ad hoc reſpiciens D. Auguſt. dixit: *Omnes, qui in conſpectu eorũ quibus præpoſitus eſt, male viuit, quantum in ipſo eſt, omnes occidit, & fortè qui imitatur, moritur, qui non imitatur, viuit; tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit*. Similia ſunt his quæ Diuus Gregorius his verbis dixit: *Tantis mortibus prælatus dignus eſt, quantis ſubditis ſcandalum præbuit ſuo malo exemplo*.

Plato lib. de republica.

D. Auguſt. de Paſt.

D. Gregor. in cura paſt. 23. c. 5.

Illud demum in hoc genere argumenti dicere non parcam, quod quando contingit Sacerdotem, Monachum, Prælatum aut pium aliquem virum ſacris confeſſionibus, & communionibus aſſuetum in graui aliquo delicto deprehendi, permulti, adeo præcipites feruntur, vt eandem opinionem de alijs probis hominibus cõcipiant: quod quàm ſit temerarium, vel hoc vno argumento colligi poteſt, ſi fœmina aliqua bonæ famæ in adulterij crimine deprehenſa ſit, num omnes alias ſimili crimine maculatas iudicare licebit? quis niſi fatuus aut ſceleſtiſſimus tantum nefas effutire audebit? Refert Ludouicus Granatenſis in ſua ſylua, quod tempore D. Auguſt. Monachus quidam Monaſterij eius in crimine quodam publice deprehenſus eſt: D. autem Auguſt. contra ſcandalum populi ita perorauit: *Dicite mihi, num domus mea melior, quàm Arca Noe, in qua ex tribus eius filijs, vnus nequam deprehenſus eſt? Num melior, quã domus Iacob, in qua ex duodecim fratribus ſolus Ioſeph innocens fuit? Num melior quàm domus Iſaac, in qua ex duobus fratribus, alter eligitur à domino, alter reprobatur? Num melior quàm domus Chriſti, in qua ex duodecim electis Apoſtolis vnus proditor effectus eſt? num melior, quàm ſeptem diaconorum ab Apoſtolis electorum collegio, quorum Nicolaus hæreſiarcha extitit? Num melior, quàm ipſum cælum, ex quo tot Angeli ceciderunt? Et quàm Paradiſus, à quo duo generis humani parentes, in gratia conditi, ab eodem loco propter peccatum eiecti ſunt?* Hactenus D. Auguſt.

Ludouic. Granatenſis.

Ceterùm ad Beatiſſimam Virginem cuius occaſione doctrinam hanc de vitando ſcandalo tradidimus, redeuntes, aptè ſatis mihi videtur ſponſus illam comparaſſe turri, ex qua mille ſcuta pendebant ad eius defenſionem: *Sicut turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea*. Diuus Gregorius Niſſ. ſerm. 7. ſup. hæc verba docet hic ſermonem eſſe de turri illa quam expulſo Iebuſæo Ieroſolimis ad hoſtium aduentum præuidendum pro defenſione oppidi Rex Dauid opibus, & ſcientia rei militaris pollens in monte Sion extruxerat: Clypeis autem turrim illam eſſe refertam ſatis vtrique notum eſt ad irruentium impetum propulſandum ordinari. Comparatur ergo Beata Virgo turri illi Dauidicæ, quia ſicut illam pater eius Dauid ædificauit ad hoſtium aduentum præuidendum, ita B. Virgo præuidens futuros maledicentium incurſus, in illam irruentes, varijs Clypeis ſe præmuniuit. Si peperiſſet non nupta, male apud omnes audiſſet, & ideo antequã concipiat, nubit, ne autem putaretur ab his qui diuinum myſterium agnoſcebant, propter dignitatem matris Dei quoquomodo apud ſe ipſam exaltatam fuiſſe, continuo poſt conceptũ Chriſtum ad montana feſtinat, vt Eliſabethã viſitet, & illi inſeruiat. Rurſus vt eorum compeſceret audaciam, qui dicturi erant in morte filij ſui quaſi exanimem, & ſemimor-

Cant. 4.

D. Greg. Niſ.

mimortuam muliebri imbecillitate præ dolore humi cecidiſſe; ideo conſultò non iacens, ſed ſtans, crucis patibulo aſſuit, vt teſtatur D. Ioannes: *ſtabat iuxta Crucem Maria mater Ieſu*. Simili modo ſciens Beata Virgo, quod ſi purificationis legem implere contempſiſſet, omnes illi, qui incarnationis myſterium in vtero eius celebratum ignorabant, grauiter ſcandalizarentur, eandemq; legis diuinæ violatricem iudicarent, idcirco voluit alioquin non obnoxia, purificationis legi ſe ſubijcere. Meritò igitur Diuinus ſponſus turri varijs Clypeis circumdatæ eam comparauit: ſingulæ enim actiones à nobis nuper enarratæ Clypei ei fuerunt, quibus ab hoſtium offenſione ſe præmuniuit, vt iure optimo poſſet dicere illud Dauidis: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos.* Super quæ verba Incognitus ait fieri in illis alluſionem ad militum ſcuta, quæ in ſignum victoriæ, cum ex bello illi reuertebantur, ſuper capita ſua inſtar coronæ geſtabant; tantique faciebant Ethnici huiuſmodi ſcuta, vt ſi quis militum ſcutum perderet, graui pœna plecteretur, alioquin minime plectendus, etiam ſi enſem amiſiſſet; cuius eam reddebant cauſam quia ſcutum ſpeciali ratione totam vitam conſeruat & protegit. Cum igitur Beata Virgo tot ſcutis aduerſus tàm diabolicos, quàm humanos incurſus vallata eſſet, potiori titulo quàm Dauid intonare poſſet: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuę coronaſti nos*. Cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Incognitus in Pſal. 5.

Homilia VI.

Adducimus varias figuras præſentationem Chriſti in templo & oblationem eius à Matre adumbrantes; pariterq; oſtendimus per illam Chriſtum, & Mariam reconciliationem generis humani cum Deo intendiſſe.

MAGNUS Pater Ambroſius tantam præſentis ſolemnitatis celſitudinem eſſe cenſuit, vt etiam Natiuitati non imparem iudicaret: *Si ſubtiliter*, inquit, *à fidelibus, quę ſit huius diei feſtiuitas, perpendatur, eo deuotionis affectu hanc celebrandam ſuſcipient, quo Dominicæ Natiuitatis*, Circum*ciſionis, atq; Apparitionis ſolemnia ſunt proſequuti. Illius eſt iſta ſolemnitas, cuius & illa; ſed nec minor iſta, quàm illa*. Hæc ill*e*. vnde ſicut ad diem Natiuitatis Domini pertinuit illa gratiarum actio, & vox laudis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & ad diem Apparitionis illud quod ſequitur: *Deus Dominus, & illuxit nobis*; ſic etiam, quod ſubſequitur: *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis*: ſeu vt alij vertunt, *in confrequentationibus, vſq; ad cornu altaris*. non abſurdè, vt arbitror, pertinere dicemus ad diem ſolemni frequentia nobis celebrem, quando à Matre ſolemniter ad altare præſentatus eſt Patri. Nam & in eo quod adiungitur: *Deus meus es tu, & confitebor tibi; Deus meus es tu, & exaltabo te. Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem:* quid tàm conuenienter accipiemus, quàm fidem, & confeſſionem Simeonis, & Annæ, *quæ & ipſa hora ſuperueniēs confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui exſpectabant redemptionem Iſrael:* bene ergo Cytharedus noſter monebat lætari Ieruſalem, & conuentum facere in die tàm ſolemni: *Conſtituite*

D. Ambroſ. ſerm. de Purificat. apud Homiliarium Alloqui vni.

Pſalm. 117.

Lucæ 2.

diem

Digitized by Google

diem ſolemnem in frequentationibus vſq; ad cornu altaris. Ego quidem non paucas in ſacris eloquijs reperio huius præſentationis Chriſti Domini, & oblationis eius in templo imagines, & figuras, tantū myſteriū adūbrantes,à quibus proinde (vt rem altius repetamus) exordiendum duximus. In primis ergo lib. 2. Paralipomen. ſacra narrat Scriptura, magna ſolemnitate celebratam fuiſſe olim præſentationem Arcæ in templum. *Cumque veniſſent cuncti ſeniorum Iſraël, portauerunt Leuitæ arcam, & intulerunt eam.* Non ſecus hodierna die Maria,& Ioſeph & qui illos comitabantur, intulerunt in templum Domini miſticam illam, atque incorruptibilem arcam humanitatem Chriſti Domini. Sicut autem ad ſolemnitatem illam congregati ſunt Eccleſiaſtici, & Sæculares: ita & ad iſtam conuenerunt. Affuerunt enim Simeon Eccleſiaſticus,& Anna ſæcularis cum alijs permultis,quibus ipſa Anna, vt tradit Sacer Euangeliſta,annunciabat Chriſti magnalia. Et quemadmodum tunc arca in Templum inducta, poſita fuit ſubter alas Cherubim, ſimiliter ſacra illa arca humanitatis Chriſti Domini in templum adducta, poſita fuit inter brachia illius ſapientiſſimi Cherubim, ac diſſertiſſimi legis Doctoris Simeonis, *& ipſe accepit eum in vlnas ſuas.* Deinde ſicut in ſolemnitate illa auditi ſunt ſuauiſſimi muſicorum concentus dicentium, vt ait ſacer textus: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius*: ita & nunc in Chriſti Præſentatione diuinas laudes intonarunt Simeon, & Anna. Ille cecinit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*: hæc verò,vt S.Lucas teſtatur, *ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino,& loquebatur de illo omnibus,qui exſpectabant redemptionem Iſrael.* Ac tandem ſicut ſacer textus ait,ingrediente arca in templum, impletum fuiſſe illud gloria Domini: *Compleuerat enim gloria Domini domum Dei*: ita Chriſto Domino in tēplo preſentato cōtinuò illud mirabili eius maieſtate ſummopere fuit illuſtratū, & exornatum, quod præuidens Propheta Aggeus dixit.*Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, magna erit enim gloria domus iſtius nouiſſimæ plùs,quàm primæ.*

2.Paral. 6. 5. — Luca 2. — 2.Paralip. 5. — Luca 2. — 2.Paral.5. — Agg.2.

Equidem maior hęc gloria non poterat conſiſtere in diuitijs, nec in corporea templi maieſtate, non in ceremonijs, aut Sacerdotum ſanctitate, non denique in diuinorum vatum oraculis. Nam omnia hæc multò illuſtriora fuerunt in primo Templo, vnde cum hoc ſecundum inſtauraretur, ſenes qui aderāt & viderant primum templum Salomonis, recordati amplitudinis,& præſtantiæ primi,videntes paupertatem ſecundi, lamētabātur,& non poterant lacrymas continere:ſic enim ait ſacer textus apud Eſdrā: *Seniores,qui viderant templum prius,quam fundatum eſſet, & hoc templum in oculis eorum,flebant voce magna*: quæ eſt igitur maior gloria huius ſecundi templi? certè nulla alia,quàm quod Chriſtus Dominus cum mortalis in noſtræ carnis ſubſtātia in templo præſentatur. Præſentia enim eius, & diuina maieſtas in corpuſculo illo latēs ſumma gloria, & honore templum illud illuſtrauit. *Non enim Deus noſter ſicut Dÿ gentium:* hos enim magnifica delubra Dorico,aut Corinthyco,vel Moſayco artificio affabre facta glorioſiores reddebant. Noſter autem Deus præſentia ſua glorioſum reddit templum, quod ingreditur,nō ipſe ab eo gloriam,& maieſtatem mutuat. Deinde id certè, quod magis locupletabat templum Salomonis, Arca erat teſtamenti,virgam Aaronicam,vrnam Mannæ & tabulas legis continens, in cuius vertice erat propitiatorium.Omnia hęc excellentiori modo reperiuntur in hoc ſecundo templo, cum in eo introducatur miſtica arca Beatæ Virginis portans ſecum filium ſuum, diuinum propitiatorium, qui ob magnitudinem potentiæ, virga Aaronica, ob ſapientiam legiſlator, & tabularum conditor, ob mirificam tandem ſuauitatem cæleſte Manna erat. Deinde in hoc etiam excedit gloria huius ſecundi templi; ſplendorem & magnificentiam primi, quod ex antiquiſſimis Hebreis refert Nicolaus de Lyra, ꝙ quando Salomon magna ciuium comitante caterua acceſſit ad templum illud primum, poſt quàm iam extructum erat, vt in eo arcam collocaret, continuò fores, nemine illas mouente, ita clauſæ fuerunt, vt nullus aſtantium intuitus percipere poſſet qua ingrediendum eſſet. Hoc prodigio tunc omnes ſtupefacti cęperunt pre-

Eſdra. — Nicol.de Lyr. ſuper 3. Reg. c.8.

D ces

ces fundere ad Deum, vt fores aperire
Pſal. 131. vellet, verba illa repetentes: *Memen-
to Domine Dauid, & omnis manſuetu-
dinis eius: &c. ſi dedero ſomnum oculis
meis, & palpebris meis dormitationem,
donec inueniam locum Domino, taberna-
culum Deo Iacob*. Quaſi dicerent: Adim-
ple quæſo Domine deſiderium illud ar-
dens, quo flagrauit Dauid, vt ſacram
hanc arcam in debito loco religiosè col-
locaret. Factum eſt autem cum primum
Dauid nominarunt, cui facta erat repro-
miſſio aduentus Chriſti Domini ex Vir-
gine naſcituri, vt fores Templi aperiren-
tur, & cunctis aditus pateſceret. Si er-
go propter ſolam repræſentationem Chri-
ſti Domini venturi, tantum honoris Deus
illi templo contulit, certè dum hoc ſe-
Aggæi 2. cundum templum, non vmbram, ſed ve-
ritatem ipſam, non figuram, ſed figura-
tum ipſum ſuſcepit, manifeſtiſſimè appa-
ret veraciſſimè dixiſſe Prophetam Ag-
gæũ. *Magna erit gloria iſtius domus nouiſ-
ſimæ, pluſquam primæ*. Vnde in illo tem-
plo ad introductionem Arcæ fores clau-
ſæ fuerunt; ad ingreſſum verò huius non
oportuit dicere: *Attollite portas princi-
pes veſtras, & introibit Rex gloriæ*, quia
nullo renuente apertæ fuerunt, & Simeon
& Anna ex ſummo mane in templo il-
lum expectabant, vt honorificentiùs re-
ciperetur. Hinc licet, obiter colligere,
quod cum illud templum iàm funditùs
fuerit euerſum, apertiſſimè oſtenditur iam
veniſſe Meſſiam, qui iuxta Aggæi oracu-
lum, erat ad templum illud venturus:
Nam ſi Deus pollicitus fuerat per hunc
Prophetam aduentum Meſſiæ ad illud
templum, & illius iàm non extat lapis
ſuper lapidem, nonnè inſania magna He-
bræorum eſt expectare Meſſiam? Vel di-
cant mihi, ad quod templum venturus
eſt, vt impleatur Aggæi vaticinium? ſi
ad illud, nequit fieri, cum iam ſit ſolo
æquatum; Si ad aliud de nouo extruen-
dum, mendacem faciunt Prophetam
Aggæum, qui apertiſſimis verbis dixit
Meſſiam venturum in illud templum,
quod tunc Ieroſolymis conſtruebatur.
Vnde & adiecit: *magna erit gloria domus
iſtius nouiſſimæ*: non autem eſſet no-
uiſſima, ſi domus alia fuerat poſteà ædi-
ficanda.

Extat inſuper in ſacris litteris ſingula-
ris Hiſtoria, quæ mirabile hoc Præſen-
tationis Chriſti in templo myſterium non
obſcurè delineat, licet pauci præſenti in-
ſtituto illam aptent. Lib. 1. Regum legi- 1. Reg. 21.
mus: *Venit Dauid ad Achis Regem Geth.
dixeruntque ſerui Achis ad eum, cum vi-
diſſent Dauid. Nunquid non iſte eſt Da-
uid Rex terræ? nonne huic cantabant per
choros dicentes: Percuſſit Saul mille, &
Dauid decem millia? Poſuit autem Dauid
ſermones iſtos in corde ſuo, & immutauit
os ſuum coram Achis, & collabebatur in-
ter manus eorum, & impingebat in oſtia
portæ, defluebantque ſaliua eius in barbam.
Et ait Achis ad ſeruos ſuos: Vidiſtis ho-
minem inſanum? quare adduxiſtis eum* D. Thom.
ad me? Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 3.
art. 1. ad ſecundum fatetur hanc com-
mutationem faciei, ſiue vultus Dauid co-
ram Achis fuiſſe figuratiuam myſterij:
hoc autem myſterium licet aptè intelligi
poſſit quando indutus veſte alba illuſus
fuit ab Herode: mihi tamen videtur con-
grua ſatis figura, atque vmbra eorum,
quæ Chriſtus geſſit in hac die delatus
in templum, & patri ſuo præſentatus.
Quis enim eſt iſte Dauid pulcher aſpe-
ctu, & fortis manibus, niſi cæleſtis hic
puer, qui ſecundum diuinitatem eſt ima-
go pulcherrima Patris æterni, & fortitu- Hebr. 1.
do eius maxima? Quemadmodum Pau-
lus ad Hebr. vtrumque dixit: *Figura
ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo
virtutis ſuæ*: natus autem in Mundo ſe-
cundum carnem, ſtatim agnoſci à quibuſ-
dam cæpit, quod eſſet Rex cæli, & terræ,
quem adorauerunt Paſtores, & Magi, de
quo Angeli canebant in choro dicentes: Lucæ 2.
*Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax
hominibus bonæ voluntatis*. Sed ne ma-
nifeſtius agnoſceretur noſter filius Da-
uid, cæpit commutare vultum ſuum co-
ram Populo Iudæorum, formam, & ſimili-
tudinem accipiens paruuli indigentis be-
neficio Circumciſionis, & ſubiecti legi-
bus, & ceremonijs illius populi, ſicut &
alij paruuli, qui in peccato naſcebantur.
Propterea circumciſus eſt octaua die: &
propterea etiam hac die delatus eſt in
tẽplũ à B. Virgine, & S. Ioſepho. Hoc ergo
eſt quod dicitur de Dauide: *Et collabe-
batur inter manus ſeruorum Achis*. Sicut
enim alia littera habet. *Et ferebatur in
manibus*; ita ipſe commutauit vultum
ma-

magnitudinis ſuæ, vt ſe oſtenderet paruulum tàm imbecillem, vt neceſſe fuiſ-
Lucæ 2. ſet eum portari brachijs Mariæ, & Ioſeph, & in manibus Simeonis, ſicut Euangelium dicit: *Accepit eum Simeon in vlnas ſuas*. Magna profectò eſt commutatio iſta Domini Ieſu, quod fortis manus, quæ ſuſtentat cælum, & terram, opus habeat ſuſtentari manibus debilibus Simeonis; & quod ille fortis auxiliator, requirat adiutorium hominum & collaberetur inter manus ſeruorum ſuorum. Poſſemus certè verbis Iob interrogare iuſtum Simeonem, & ſenem, qui puerum Ieſum brachijs portabat:
Iob. 26. *Cuius adiutor es? numquid imbecillis? aut ſuſtentas brachium eius, qui non eſt fortis?* Sed non dubito, quin ſtatim reſponderet Sanctus ſenex, & diceret: Sat ſcio non eſſe imbecillem hunc puerum, ſed potius eſſe ipſam Dei fortitudinem, & brachium Domini, quod nobis reuelatum eſt, ſed modò commutat vultum ſuum coram populo, fingit ſe debilem, exhibet ſe quaſi ſtultum, aut inſanum in oculis inimicorum, vt abſcondat eis vultum gloriæ diuinitatis ſuæ. Propterea *impingebat ad Oſtia portæ Dauid*; quia noſter Ieſus deferendus erat ad oſtia portæ templi alienis brachijs delatus, infirmum ſe oſtendens, & diſſimulans ma-
1. Reg. 21. gnum robur fortitudinis ſuæ. *Defluebantque ſaliua eius in barbam*, ait ſacer textus.
D. Aug. Diuus Auguſtinus ſuper Pſal. 33. concione ſecunda, dicit, ſaliuam ſignificare ſtultitiam, & infirmitatem humanæ carnis; barbam verò deſignare virtutem: ad hoc ergo elegit filius Dei infirma Mundi, atque ea aſſumpſit, vt tegeret, atque occultaret virtutem ſuam corpore infirmitatis ſuæ. Nam, quod exterius infirmabatur, tanquàm in ſaliua apparebat: intus autem diuina virtus tanquam barba tegebatur. Quid plura? Rex Achis tanquàm inſanum deſpicit, ac proijcit Dauid: & noſtrum Ieſum Rex Herodes, vt
Lucæ 23. ſanctus Lucas refert, tanquam ſtultum, &
Marci 23. inſanum, *Spreuit, & illuſit indutum veſte alba.* Alij verò, vt Marcus refert, *etiam ſui dicebant: Quoniam in furorem ver-*
Ioan. 10. *ſus eſt.* Alij autem, vt S. Ioannes dicit, *ex Iudæis multi dicebant: Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?* Sed hanc ſtultitiæ, & inſaniæ ſimilitudinem, ſicut & infirmitatis, voluntariè Chriſtus elegit, & aſſumpſit ob ſummam ſapientiam ſuam, vt & ſaluos nos faceret, & ſingulare exemplum humilitatis relinqueret nobis imitandum.

Demum præſentis myſterij præclaram imaginem illud adumbrantem purauerim eſſe id, quod Iacob contigit, vt ſacra Geneſeos narrat Hiſtoria. Eſau frater Geneſ. 32.
eius propter benedictionem, quam à patre ſuo Iacob ſibi ſurripuerat, ingenti odio illum proſequebatur adeò, vt clàm mortem eius machinaretur. Huius rei non ignarus Iacob, vt tantum fugeret malum, decreuit in Meſopotamiam Syriæ ſe conferre, vbi diutiſſimè habitauit, deſiderio tamen ad propriam patriam redeundi, tandem vnà cum vniuerſa ſua familia, & gregibus in eam reuerſus eſt. Factus tamen certior in itinere fratrem ſuum Eſau magna ſtipatum caterua aduerſus eum venire, timuit, & idcircò fecit, vt ordinatim procederet eius familia; & vniuerſa quæ habebat. Præmiſit igitur pecora, deinceps ſequebantur eius ſerui, & filij, tùm Lia lippis oculis cum ſuis liberis. Tandemque veniebat formoſa Rachel cum filio ſuo Ioſeph. Ibi etiam ſimul aderat Iacob. Acceſſit itaq; Eſau, & neglexit pecora præcedentia, neque in ipſis contemplandis commoratus eſt, non curauit etiam ſeruos vel ſeruas, neque Liam ipſam; cum tamen acceſſit ad formoſam Rachel cum filio Ioſepho, & fratre ſuo Iacob, ſtatim fratrem ſuum complexus eſt, atque eum alloquitur dicens: Ceſſent iam, frater mi, quæ inter nos ſunt diſſenſiones, & inimicitiæ, pacem mutuò ineamus, & in huius rei ſignum munera à te accipere volo. Figurat igitur Eſau, qui erat frater maior, Patrem cæleſtem, & æternum, Iacob verò ipſum hominem. Erant autem diſſenſiones inter ipſum hominem & Deum adeò, vt Deus indignaretur, propreteà quod homo voluerit ſibi benedictionem præripere, volens eſſe ſicut Deus. Exulabat Geneſ. 3.
igitur homo à Dei præſentia, ſed tandem vult ad ipſum reuerti, & conuerti, quem vt poſſit perfectè omnino placare, proceſſionē quandam ordinat. Primum quidem præcedunt pecora, quibus Deo ſacrificet;

verùm hæc non fuerũt ſufficientia ad eius iram placandam. Neque etiam ſerui, & ſeruæ fuerunt ſufficientes ad id præſtandum. Inſufficiens enim fuit ad id lex naturæ cum ſuis Patriarchis, inſufficiens Lia lippis oculis cum filijs ſuis, hoc eſt, lex ſcripta, & Synagoga cum ſuis Prophetis. At verò poſtquam acceſſit formoſiſſima Rachel cum filio ſuo Ioſeph, placatus eſt ipſe Eſau, hoc eſt, poſtquam oblatus eſt Chriſtus à Matre ſua Deo Patri in ipſo templo hodierna die, viſo tali ſacrificio, & oblatione, omnis ſtatim ceſſauit ira, & indignatio, complexuſque eſt Deus ipſum hominem, & cum eo pacem iniuit.

Quid plura? Sanè cum in templum video Chriſtum Dominum, & Beatam Virginem ingredi, videor mihi videre ſecundum Adamum, & ſecundam Heuam reſpondere venientes pro primo Adamo, & pro prima Heua; ipſi enim ob præuaricationem diuinæ legis timuerunt in conſpectu Dei illos vocantis apparere, & ideo abſconderunt ſe à facie Domini. Nunc ergo ſecundus Adamus, & ſecunda Heua, humili ſua obedientia inobedientiam primorum Parẽtum compenſant, & vt Deus humano generi reconcilietur, enixè deprecantur. Obtulit ſe Chriſtus hodierna die æterno Patri, vt nos in filios adoptiuos ſuſcipiat, vt enim dixit Diuus Paulus ad Galatas. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*. Quia tamen propter oblationem filij Dei naturalis in cruce, perficienda erat adoptio filiorum Eccleſiæ & fratrum Chriſti, idcircò ardentiſſimæ charitatis illius exceſſus, ac plures habendi fratres ab infantia ſitientiſſimum deſiderium, illum impulit, vt Patri nunc ſeſe offerret, dum accederet hora, qua grandior in cruce mactaretur, vt ſic per ipſius oblationem antiqua lex, ab Auctore ſuo opere ipſo approbaretur & impleretur, figuraque veritati coniũcta veritate ipſa confirmaretur; noſtraque reconciliatio, & adoptio in filios Dei ſacro & feliciſſimo exordio inchoaretur. Quod certum adeò, & indubitatum futuræ ſuæ oblationis in cruce argumentum, & pignus fuit, vt Iſaias loquutus de prima, ſilere ſecundam non potuerit, ſed vtramque in vnum copulauerit dicens: *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt aſpectus ei, neque decor*. Ecce in prioribus verbis meminit primæ huius oblationis, in qua Ieſus infans ſingulari pulchritudine decoratus, inſtar pulchri virgulti, Deo Patri ſiſtitur in templo; in vltimis verò, ſecundæ oblationis in cruce mentionem facit, dum abſque pulchritudine, & decore; *non erat aſpectus ei, neque decor*, offerendum illum vaticinatur. Aduertere tamen oportet, quod ad illam reconciliationem faciendam Beata Virgo morem illum obſeruans, quo tunc matutinum, ac veſpertinum ſacrificium offerebatur, nunc matutino infantię Chriſti tempore, illum in templo offert ad diuinam pacandam iram, oblatura poſteà veſpertino tempore eumdem in ara crucis immolandum. Sed bone Deus quàm diſpar illa oblatio matutina ab hac veſpertina; illa in infantia, hæc in fine vitæ; illa cum alacritate, hæc cum ſummo mœrore; illa facta in vlnis Simeonis, hæc in brachijs crucis; in illa ſonat canticum laudis: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*: In iſta clamor opprobrij: *Vah, qui deſtruis templum Dei*: Illa fuit in honorifico loco templi, hæc in abiectiſſimo Caluariæ, vbi facinoroſi plecti conſueuerant; illa fit Chriſto exiſtente inter Mariam, & Ioſephum, iſta cum medius eſt inter duos latrones; in illa emitur à Matre, in iſta venditur à Diſcipulo; in illa quinque Siclis redimitur, in iſta quinque cruentis plagis ipſe nos redimit; in iſta manſit viua, & ſuperſtes victima, in illa mactatur, occiditur, horrendamque ſubit mortem; in illa denique accenduntur luminaria, in iſta Sol, & Luna cæleſtia luminaria obtenebrantur.

Ad extremum ſicut olim cap. 8. Gen. legimus, quòd poſtquàm ceſſauit diluuium, aperuit Noë arcam, & emiſit per arcæ feneſtram columbam, quæ veſpere reuerſa eſt cũ ramo Oliuę, quę ſymbolũ eſt pacis, ex quo ſanctus Noë agnouit iã Dei indignationem ceſſaſſe: ita etiam veſpere ipſius Mundi, hoc eſt, in ſexta & nouiſſima ætate Beata Virgo ſimpliciſſima, ac fæcun-

D. Paulus ad Galat. 4.

Iſaia 53.

Luca 2. Marci 15.

fæcundiſſima columba, omni peccati fel-
le carens, viridem ramum Oliuæ, hoc eſt,
infantem Ieſum filium ſuum vnigenitum
ad templi arcam adducit in argumentum
initæ per illum pacis cùm Deo. Cui ſit
honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.
Amen.

Homilia VII.

Oblationem, quam Beata Virgo fecit in templo, offerens æterno Patri filium ſuum vnigenitum, multiplici tàm ſacra, quàm humana eruditione omnium fuiſſe excellentiſſimam commonſtramus.

SI excellentiam præſentis feſtiuitatis attentius cõtemplemur, permulta quidem celeberrimam eſſe ſuadent. Hodie enim, qui eſt ante ſæcula in ſinu Patris, offertur Deo in gremio Matris. Hodiè antiquiſſimus dierum ſub forma infantis recens nati apparet in templo. Hodie in brachijs portatur, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ. Hodie ſacrificatur in terris, qui religioſa mortalium ſacrificia ſuſcipit in cælis. Hodie Legiſlator, quam ipſe tulit legem ad vnguem ſeruat. Hodie Redemptor omnium redimitur, & qui pretio inæſtimabilis eſt, quinq; ſiclorum valore emitur. Hodie verus Iacob improbi Eſaũ veſtibus, & pellibus, hoc eſt, humanæ carnis amictu indutus, in conſpectu æterni Patris ſiſtitur, vt ſibi, & poſteris ſuis futuris Eccleſiæ Romanæ alumnis, benedictionem nanciſcatur. Hodiè ille, cuius immenſitatem contemplans Salomon dixit. 3. Regum. 8. 3. Reg. 8. *Ergo ne putandum eſt, quod verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quãto magis domus hæc quam ædificaui?* hodie, inquã, ille immenſæ maieſtatis Deus non ſolum templi ambitu, ſed brachijs Matris ſuæ clauditur, & comprehenditur. Hodie petra illa fundamentalis, de qua D. Paulus dixit: *Petra autem erat Chriſtus*: poſtquàm 1. Cor. 8. circumciſionis ferro fuerat ſecta, & elaborata, primitus iacitur ad extruendum ſumptuoſum hoc Eccleſiæ catholicæ Templum. Hodie Chriſtus Dominus ab vtroque mortalium ſexu, duorum vatum, Simeonis ſcilicet, & Annæ multis laudibus cumulatur; adueniens enim in carne Dei filius non tantùm ab Angelis, & Prophetis, ſed etiam à ſenioribus, & iuſtis teſtimonium laudis accipit. Decebat namq; vt quia omnis ætas, omnis ſexus, omnis conditio per Chriſtum erat redimenda, omnes etiam illi deuoto famularentur obſequio. Hodie impletur Abraham deſiderium optantis, vt ſacrificium quod Deo obtulerat, promiſſo ſibi premio, Deus ipſe remuneraret. Sicut enim ipſe filium ſuum vnigenitum Deo obtulit: ita & Deus quaſi recompenſans hoc munus filium ſuum primogenitum in publicam ſui, & totius ſuæ ſobolis vtilitatem in templo offerri voluit. Hodie abſterguntur lacrymæ Dauidis clamantis: *Fuerunt* Pſalm. 41. *mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Adeſt enim in tẽplo, Malachia prę dicẽte. Malach. 3. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis.* Hodie miſtica illa ſitis eiuſdem Dauidis deſiderantis potum aquæ de Ciſterna Bethlehẽ penitus extinguitur, ac ſedatur, exhibita iam cæleſti illa pluuia, de qua dictũ eſt; *nubes pluant iuſtum.* Hodie Daniel 2. Reg. 28. Propheta, qui olim lamentari ſolebat: *Nõ* Daniel. 3. *eſt in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, neq; holocauſtum, neq; ſacrificiũ, neq; incenſum, neq; locus primitiarũ coram te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam:* hodie inquam à lacrymis ſe temperare poteſt, dum Eccleſiam catholicam concinentem audit illud Dauidis: *Suſcepimus* Pſal. 47. *Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Miſericordiam certè præcellentem adeò, vt victima ipſa in templo oblata pariter ſit ſacerdos, & ſacrificium, hoſtia, & incenſum. Vnde meritò dicere poſſimus: *Omnia bona venerunt nobis pa-* Sap. 7. *riter cum illo.* Hodie Eccleſiæ catholicæ

Cant. 8. impletum video votum verbis illis expreſſum: *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ*: hoc eſt, vt ſub infantilis carnis ſubſtantia ex vberibus Matris inſtar aliorum infantium te pendentem conſpiciam, & lac doctrinæ
Interpr. Chal. ſup. c. 8. Cant. tuæ ſugere poſſim. Ita enim exponit Interpres Chaldæus dicens: *Illo autem tempore apparebit Rex Meſſias in Synagoga Iſrael, & dicent ei filij Iſrael: adeſt dum eſt nobiſcum pro fratre, & aſcendemus Ieruſalem, & ſugemus tecum ſententias legis, quemadmodum ſugit infans vbera matris ſuæ*. Hodie vt ad Beatiſſimam Virginem ſermonem meum conuertam, velut altera Anna, Mater Prophetæ Samuelis primogenitum ſuum in domo Domini Deo obtulit coram Heli ſummo omnium ſacerdote: ita Deipara Maria filium ſuum, omnium Prophetarum ſummum, coram ſancto ſacerdote Simeone, Domino in tem-
Dan. c. 9. plo offert, qui cùm alioquin *ſit ſanctus ſanctorum*, vt ait Daniel cap. 9. ipſi ſoli conuenit proprijſſimè ſuper omnem primogenitum maſculinum ſanctum Deo vocati. Et ſicut olim prudentiſſima illa Abigail Dauidem contra Nabal Carmelum virum ſuum Ira percitum ſedauit, ne conceptam de illo vindictam ſumeret; id quod ipſa non aliter fecit, quàm per ob-
1. Reg. 25. lationem munerum, quæ illi obtulit: *Suſcipe*, inquit, *benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, & da pueris, qui ſequuntur te Dominum meum*: qua oblatione facta Dauid dixit: *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea. alioquin viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit me ne malum facerem tibi, niſi citò veniſſes in occurſum mihi, non manſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem*. Ita ſciens Beata Virgo concitatum diuinum furorem contra genus humanum, meritò per Nabal præſignatum, qui interpretatur *ſtultus*, vt
1. Reg. 2. & ipſa Abigail dixit Dauidi: *Quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo*: vt diuinam iram ipſa mitigaret, obtulit in templo, non vt illa *ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas vuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum*; ſed creatorem omnium iſtorum, per quem facta ſunt omnia & in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & qui cum ſit *fons patens in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*: vt Zach. 13.
dixit Zacharias, omnium poterit abluere maculas, ac ſordida corda purificare. Verùm, vt hunc Zachariæ locum illuſtremus, meminiſſe oportebit ex Herodoto lib. 13. Herodotus.
quod cum Darius deuicit Hircanos Parthos, Saracenos, impediuit ne exuberantes aquæ, quæ ex copioſiſſimo quodam fonte varijs montibus circumdato effluebant, in Prouincias illas deriuarentur, quod eo animo feciſſe dicit Herodotus, vt multis ei muneribus oblatis cultores illarum Regionum priſtinam illam aquarum copiam qua fruebantur, ab eo emerent: nec ſua illũ feſellit opinio, nam aquę penuria adeo habitatores illarum Regionum premebat, vt coacti fuerint Regem adire & varia donorum ſupellectili ei oblata deſideratam aquam ab eo obtinere, quibus ipſe tunc libens annuit. Non diſſimili modo, Deus olim contra peccatores excandeſcens abſcondit fontem miſericordię ſuæ diuinę, *in cælo miſericordia tua*; & Pſalm. 34.
vt peccatores illa frui non poſſent, montibus iuſtitiæ illam circumdedit: *Veritas* Ibidem.
tua vſque ad nubes: Iuſtitia tua ſicut montes Dei. homines autẽ penuria aquę huius fontis mirum in modum oppreſſi, vehementiſſime ſitiebant clariſſimam eius aquam bibere: quia tamen vt dixit Poeta: *Munera, crede mihi, placant homineſq; Deoſq;* hodie Beatiſſima Virgo humano Ouid.
generi compatiens in Regiam aulam tẽpli veniens tanti valoris munus Deo Patri obtulit, ſe & filium ſuũ illi conſecrans, vt oblatione huius excellentiſſimi doni diuinæ miſericordiæ fontem hominibus aperire obtineret, prout Zacharias præuidit, vt ſuprà dicebam: *Erit fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*. Quid plura? certè Salomon Zach. 13.
dixit: *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximã*. Prouerb. 21.
Nullum ſanè magis abſconditum munus excogitari poteſt, quàm Chriſtus Dominus, Iſaia dicente: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator*. Spiritus ſancti enim miro artificio factum eſt, vt ſol diuinitatis ſub obſcura humanitatis nube deliteſceret, & ſub paruulo infante Dei immenſitas lateret, ſub infirmitate fortitudo, ſub lacrymis riſus, ſub indigentia beatitudo Iſai. 45

titudo

titudo, quæ eſt omnium bonorum aggregatio.

Magni faciebat Antiquitas, vt Author eſt Plato in Sympoſ. amoris, Syleni, qui ſub figura horrida pulchrã intus imaginem continebant. Sed cum hoc diuino Syleno nõ veniunt vllatenùs cõparãda etenim illud ad viuum depingens Diuus Paulus, ad Romanos 8. ait. *Veniſſe in ſimilitudinem carnis peccati.* Ecce turpem, ac deformem, quam hic miſticus Silenus exterius protendit figuram. Verùm de illo eodem ait, quod eſt *Splendor Patris; & figura ſubſtantiæ eius:* Ecce pulchram, ac perbellem huius diuini Syleni imaginem intus latentem. Vidi ego non ſemel tàm in Hiſpania, quàm in Italia tali Perſpectiuæ ſcientiæ artificio elaboratas imagines, vt ſi à dextris illas conſpiceres, ditiſſimum Creſum, ſi verò à ſiniſtris, pauperem Lyberidẽ; hinc Eraclitum, illinc Democritum, vnum ridentem, & alium flentem; hinc pulcherrimam Lucretiam, illinc teterrimum ſerpentem videres. Hoc ipſum ſupernaturali, ac ſupremo artificio factum intueor in Chriſto Domino, Dauide in eius perſona dicente. Pſal. 70. *Tanquam prodigium*, vel vt vertit Cardinalis Caietanus, *tãquam miraculum factus ſum multis.* Si enim ex vna parte illum intuearis, diuitijs affluere non dubitabis: *Gloria, & diuitiæ in domo eius:* ex altera verò tanta inuenies paupertate premi, vt diceret: *Vulpes foueas habent, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Ex vna parte apparebit tibi mæſtus. *Triſtis eſt anima mea.* Ex alia verò lætus: *Circundediſti me lætitia.* Ac tandem hodierna die oculis intuentium ſe obijcit tãquam puer paruulus: *Cùm inducerent puerum Ieſum Parentes eius.* Et tamẽ aliundè tantæ magnitudinis Gigas eſt, vt terram tangens, ſimul contingat & cælum, vt dixit Salomon: *Durus debellator in mediam exterminij terram proſiliuit, & vſque ad cælum attingebat ſtans in terra.* Ad quod reſpiciens Diuus Bernardus dixit ſermone 28. in Cantica: *Senſus nigrum renuntiat, fides candidũ, & formoſum probat; manus Eſau, & vox Iacob.*

Plat. in Sympoſ. amoris. — *Rom. 8.* — *Pſalm 70.* — *Caiet.* — *Math. 18.* — *Luc. 2.* — *Sapient. 18.* — *D. Bernard. ſermo. 28. in Cantic.*

Ceterũ vt Marianæ oblationis in Templo factæ miram ſuper omnia oblata munera excellentiam clarè agnoſcamus, verba illa Diui Bernardi expendamus ſermone 2. de purificatione dicentis: *Hodie ſiſtitur Creatori terræ, fructus terræ ſublimis: hodie placabilis, & Deo placens hoſtia Virginis manibus offertur in templo.* Quibus verbis præcipua capita mihi videtur aſſignaſſe, ex quibus venari debemus excellentiam huius oblationis, hæc enim deprehenditur ex præſtantia rei oblatę, & ex bonitate offerẽtis, quæ duo mirificè complexus eſt Sanctus Bernardus in præcitatis verbis. Si enim noſſe cupimus excellentiam offerentis, ecce vocat Beatam Virginem terram ſublimem, *hodie ſiſtitur Creatori terræ, fructus terræ ſublimis.* non contentus eſt vocare illam terram, ſicut Dauid: *Veritas de terra orta eſt*; ideſt Chriſtus, qui veritas eſt, iuxta illud: *Ego ſum via, veritas, & vita*, ortum habuit à Mariana terra adeò humili, vt cum mox Dei mater futura eſſet, ancillam ſe vocauit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Non, inquam, fuit contentus nuncupare illam terram, ſed terram ſublimem, vt ſublimitatem eius ſignificaret per Montem Sinai nõ obſcurè adumbratam. Nam de illo Ioſephus lib. 2. de antiquitate dixit; *Sinai Mons eſt excelſus, & ad paſcua egregius, optimas herbas ferens, eratque opinio ibi habitare Deum, & ideò primitus ibi nemo paſcebat oues, quia paſtores illuc minimè ambulare præſumebant. Huic Monti appropinquans Moyſes, prodigium vidit, ſcilicet ignem rubum non comburentem, & eius viriditatem, & florem nullatenus depaſcentem, & eius ramos fructiferos nullo incendio deuaſtantem, quamuis flamma velox, & vehemens nimis eſſet. Vnde de illo igne Dominus ad Moyſem locutus eſt.* Idem quoque Ioſephus 3. lib. ait: *Aſcendit Moyſes in Sinai, qui mons eſt excellẽtiſſimus in illis Regionibus; & quia ſermo erat Deum circa eum habitare, & erat terribilis, ideò circa radices huius montis Hebræi ſua tabernacula locauerunt, & ibi Deum videre in igne, & in nube, & ipſum perſonaliter loquentem audire meruerunt. Dicitur itaque mons Sinai, mons diuinæ habitationis, angelicæ frequentationis, mons luminis, & inflammationis, mons pluuiæ & roris, mons paſcuæ, & refectionis, mons ſapientiæ, & eruditionis, quia de illo monte Dominus Moyſem, & populum inſtruebat, & ei legem conferebat. Mons miſericordiæ, &*

D. Bern. ſerm. 2. de purif. — *Pſalm. 84.* — *Ioann. 14.* — *Luc. 1.* — *Ioſeph. lib. 2. de antiquit.* — *Ioſeph. lib. 3.*

pro-

promiſſionis, quia inde bona inaudita populo promittebat. Mons iuſtitiæ, & comminationis, quia timorem inſpicientibus inferebat. Mons amicitiæ, & confœderationis, quia mediante lege populum ibidem ſibi ſempiterno fœdere Deus vniebat. Mons munditiæ, & puritatis. Mons lætitiæ, & iucunditatis, quia nulli ad montem accedere poterant, niſi qui mente, & corpore mundi erant. Ibi etiam illi, qui mundi erant, Domino cum lætitia comedebant, & bibebant: Dicitur etiam Mons clementiæ, & pietatis, ſiue propitiationis, & mons ſacrificij, & orationis; nam ibi Domino immolabant, ac precibus Moyſi, & ſupplicationibus Deum ſibi placatum, & propitium audiebant. Hæc ibi. Ex quibus omnibus illa ſolùm Virgini aptabo, quæ huic argumento conſentanea fuerint. In primis ſi mons ille eſt excelſus, nullus mons illa excelſior eſſe perhibetur, Magno Gregorio Papa dicente: *Mons quidem fuit Beatiſſima Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electione ſuæ dignitatis tranſcendit.* Mons quippe fuit in vertice montium, quia altitudo Mariæ ſuper omnes ſanctos refulſit. Quod ſi de Monte Sinai, ait Ioſephus, *erat opinio ibi habitare Deum*; in Maria certè non eſt opinio, ſed fides catholica per nouem menſes corporaliter habitaſſe, ſpiritualiter verò per plenitudinem gratiæ ab vtero Matris in æternum, & vltrà habitaturus. Quod ſi Ioſephus ait in monte Sinai eſſe rubum, quem vidit Moyſes ardere, & non comburi, hoc quidem prodigium altius in Maria patratum ſancta confitetur Eccleſia, dum canit: *Rubus ardens incombuſtus, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem.* Quod ſi tandem de illo monte ait: *Mons miſericordiæ, & promiſſionis, mons amicitiæ, & confœderationis*: hoc idem non deſideratur in Virgine, cum hodierna die tanquam *miſericordiæ Mater* filium ſuum vnigenitum pro reconciliandis peccatoribus in ſacrificium Deo Patri offerat. Et ſi de monte Sinai inquit, *Mons munditiæ, & puritatis.* Certè Bernardus ad eximiam Mariæ puritatem filium offerentis commendandam dixit: *Virgineis manibus offertur in Templo.* Et quidem ſi, vt Author eſt Marcus Varro, id referente Valeriano, ſolitum erat Romæ, vt ſacerdos non niſi alba veſte indutus ſacrificium offerret, quod forſitan mutuarunt à Magis Perſis dicentibus, Deum non delectari niſi in albis veſtibus. Quibus perſimilia ſunt verba Eccleſiaſtici: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*: à quo ritu non longè aberant Veſtales Virgines; de quibus idem Valerianus præcitato loco refert, quod ad ſacrificandum accedentes albo velamine caput operiebant, quod quia vſque ad barbam appropinquabat, & ſubter illā extremitates eius fibula cooperiebantur, ſuffibulum nuncupabatur.

Magnus Gregor. PP. — *Eccleſia in officio B. Virginis.* — *Marc. Varr. apud Valer. lib 40. cap. de indumentis.* — *Eccleſ. c. 9.* — *Valerian. vbi ſup.*

Quantò quæſo maiore animi candore, & corporis puritate credenda eſt ſumma illa ſacerdotiſſa Maria ſacrificium filij ſui Deo obtuliſſe; ex quo non poterat eius oblatio gratiſſima Deo non eſſe, Diuo Gregorio dicente, *omne quod datur, ex dantis animo æſtimatur.* Hac enim ratione Deus Deuteronomij 23. pecuniam, vel quippiam aliud datum pro ſcorto nolebat ſibi offerri à meretrice: *Non offeres mercedē proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud eſt, quod voueris.* Vbi obiter obſerua, eodē pōdere menſurare Deum meretricem, & Canem, quia inhoneſta femina peior eſt rabido Cane, immò & crudeliſſimo Leone. Vnde, vt refert Pauſanias, in ſepulchro cuiuſdam famoſę Meretricis nomine Lais, Corinthij Helenam depinxerunt arietem in fruſta concidentem, cuius meminit Alciatus in carmina iſta.

D. Greg. 22. Moral. c. 12. — *Deutero. 23.* — *Pauſan. 2. Corinth.* — *Alciat. Emblem. 74.*

> *Quid ſculptus ſibi vult Aries? quem parte Helena*
> *Vnguibus apprenſum poſteriore tenet?*

Non enim ſecùs, ac immanes iſtæ Belluæ, laſciuæ feminæ adoleſcentum animos lacerant, trucidant, immò & abſumunt. Atque ad hanc munditiam, quam Deus requirit in offerentibus ei munera ſignificandam, etiam in Leuitico præcepit oblationes infermentatas ſibi offerri: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento ſit*: hoc eſt, vt exponit Diuus Bonauentura, abſque fermento, ſcilicet *vſuræ, rapinæ, immunditiæ, furti, vel cuiuſcumque acquiſitionis iniuſtæ.* Nam ſicut teſte Apoſtolo, *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*: ita vnicum ſolū peccatū mortale oblationem quantumcumque ingentis quantitatis auri reddit mēſtruatā, & impurā, ac nullius corā Deo meriti. Cùm igitur

Leuitic. 2. — *D. Bonauen. Diet. ſalu tit. 2. cap 7* — *1. Corinth. 5.*

Beata

Beata Virgo ſuper omnem puram creaturam, tàm celeſtem, quàm terreſtrem puritate mentis, & corporis enituerit, non potuit non ex parte offerentis oblatio eius omnium eſſe excellentiſſima. Quod ſi magnitudinem rei oblatæ perpendamus, inde certè manifeſtius præſtantiam Marianæ oblationis deprehendemus, id enim, quod obtulit, fuit, vt ait Diuus Bernardus, *placabilis, & Deo placens hoſtia*. Quibus verbis non obſcurè ſignificauit munus, quod Beata Virgo obtulit, non eſſe purum hominem, ſed verum Deum ſimul. Nam quatenus homo, erat hoſtia placens propter eximiam eius participatam ſanctitatem: quatenus verò Deus placabilis erat ab eodem Chriſto, vt homo, in quo hæc hoſtia omnes, tàm veteres, quàm nouas ſummo interuallo ſuperat. Illæ enim fuerunt hoſtiæ, quæ placarunt, ſed non, quæ placabantur; in hac vero, quia in ea ſimul adeſt in vnitate perſonæ Deus & homo, placat, & placatur. Secundum humanitatem eſt *placans*: ſecundum diuinitatem *placabilis*. Atque hinc arbitror conſultò D. Lucam huius oblationis in Templo hiſtoriam narrantem dixiſſe Parentes Chriſti tuliſſe illum in Templum, *vt ſiſterent eum Domino*: non dixit, vt conſecrarent
Exod.13. illum Deo, ſicut de alijs filijs Exodi lex præcipiebat: *Quicquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino*. Sanè, ni fallor, ea propter dixiſſe arbitror, *vt ſiſterent eum Domino*, vt hoc loquendi genere ſignificaret adeò excellentem, ac Deo gratam eſſe illam quam Virgo offerebat hoſtiam, vt non aliud opus eſſet ad placandum Deo quàm illam ſiſtere, ſeu conſtituere in oculis eius. Vnde videor mihi audire Beatam Virginem in oblatione huius ſupremi muneris æterno Patri dicentem. Gratiſſimam omnium tibi offero hoſtiam. Nam ſi pro reconciliatione Agnum poſtulabas, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: Si bouem, ecce, qui portabit iugum, & aratrum crucis: ſi columbam ſimplicem ſine felle peccati, *ecce, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*: Si Vaccam Rufam deſiderabas, ecce humanitatem Chriſti, circumciſionis ſanguine iam rubricatam; Si tandem munus aliquod pretioſum, pulcherrimum, rarum, ac ditiſſimum, ecce offero filium meum, qui cum non rapinam arbitratus ſit tibi eſſe æqualem, neceſſe eſt munus ſit pretio inæſtimabile; & cum ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, nec non *ſpecioſus præ filijs hominum*, opus eſt pul- Pſalm. 44.
cherrimum eſſe; & cum pariter ſit Deus, & homo, quo nihil mirabilius excogitari poteſt, nemo inficiabitur munus eſſe rarum, immò & phœnice rarius. Ac demum *cum Deus ſit in Chriſto*, vt ait Paulus, *Mundum reconcilians ſibi*, &, vt ipſe affirmat, Ad Epheſ.2.
Deus ſit diues in miſericordia, non poteſt munus hoc à me tibi oblatum ditiſſimum, ac locupletiſſimum non eſſe. Cedant ergo huic tanto muneri cuncta quantumuis magni valoris munera, tàm Creatori, quã creaturis oblata, quorum tàm ſacra, quàm prophana meminit Antiquitas. Cedat illud Vitelli Romanum Imperium moderantis, qui vnico conuiuio, vt author eſt Alex. ab Alex. lectiſſimorum piſcium fercula duo millia, & auium ſeptem millia Alexan. ab Alex. de Vitellio.
præter placentam ſexcentorum ſextertiorum, & vt explicat Plinius, quinque millium aureorum conuiuis obtulit. Cedat Pli. li. 10. c. 5.
munus Cleopatræ, quæ, vt refert Plinius, ex duobus vnionibus valoris ducentorum quinquaginta millium aureorum, (vt ſcribit Budeus) vnum in pulueres redactum bibendum dedit Marco Antonio. Budeus.
Cedat munus alterius margaritæ, quã eadem Cleopatra Aegypti Regina Deæ Veneri obtulit, tanti quidem præcij, vt tradit Macrobius, vt quantũ integrum regnũ ęſti maretur. Cedat munus Antiochi, de quo Macrobius de Cleopatra.
Genebrardus commemorat, obtuliſſe in Templo pulcherrimum Taurum, cuius cornu cuſpides ſolido auro circumdabantur, Genebrard. lib. 2. Cosmograph.
collum penè innumeris magni pretij monilibus ornatum, corpus verò totum regali purpura contectum erat. Cedat munus, quod Græci propter partam quandam victoriam Templo Dianæ Epheſinæ dederunt. Cedat munus, quod Camillo, hoſte ſuo profligato Matronę Romanæ Apollini in Aſiam miſerunt, quod non potuit non eſſe magni valoris, cùm torques, inaures, anulos, & reliqua omnia pretioſa monilia ei offerrent. Cedat munus, quod Sylla, propter reportatam de Rege Mythridate palmam Deo Marti præſtitit, pretioſum vas proprio ſuo ſanguine plenum, quem gladius ſibi feriens extraxerat ad eum mittens. Cedat munus aromatum, quod Regina Saba Salomoni donauit pretioſum

adeò,

3. Reg. 11. adeò, vt ſacer textus dicat: *Ingreſſa Ieruſalem multo comitatu, & diuitijs, Camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas venit ad Regem Salomonem.* Cedat munus omnium diuitiarum, quod Salomon ipſe Deo obtulit ad ædificationem Templi, in qua tot fecit expenſas, vt niſi ſacra Scriptura illas referret, incredibiles putarentur. Cedat munus omnium victimarum, quo tàm lex naturæ, quàm ſcripta religioſo ritu 3 Reg. 6. et 7. Deum coluit. Cedat munus Regis Herodis, quod pollicitus fuit ſaltatrici filiæ ſuæ dicens: *Quicquid petieris, dabo tibi,* Marci. 6. *licet dimidium Regni mei.* Cedat randem munus, quod Princeps tenebrarum oſtendens Chriſto omnia Regna Mundi, & gloriam eorum ei obtulit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Hæc enim om- Matt. 4. nia vana, futilia, & nullius momenti muneta eſſe nemo prudens non iudicabit, ſi cum inæſtimabili munere, quod Beata Virgo hodierna die in Templo ęterno Patri obtulit comparentur. Maximè quod Iſ. 40. Iſaia dicente; *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei*: certè in conſpectu tanti muneris reliqua omnia munera veraciter dicere poſſunt illud Dauidis: *Et* Pſal. 38. *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Atque hinc eſt, quod Chriſtus Dominus videns omnium munerum, & victimarum oblationem, quæ toto tempore legis naturæ, & ſcriptę facta fuit, inſufficientē eſſe ad ſedandam diuinam irã, dixit: *Sacrificiũ, & oblationem noluiſti; corpus autē aptaſti mihi: Holocauſtum & pro peccato nõ poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio,* ſcilicet in Templum Pſal. 36. à dilectiſſima mea Matre oblatus, poſtea in cruce à crudeli Hebræorum Nouerca offerendus. Hoc tantum beneficium propheticis oculis præuidens Dauid cecinit Pſalmo 70. quod & hodierna die canit Pſalm. 47. Eccleſia catholica, vt ſupra dicebam: *Suſcepimus, Deus miſericordiam tuam in medio templi tui*; quo loco Diuus Bernardus D. Bernard. ſermone de Purificatione, docet nomine ſermo. de Purif. *miſericordiæ* Deum carne indutum intelligi, quia Verbi diuini incarnatio fuit ſupremum Dei miſericordiæ opus ad ſubleuandam miſeriam humanam. Et ideò per antonomaſiam nomen miſericordiæ meretur. Hanc igitur miſericordiam ait Dauid nos hodie recepiſſe. Sed nunquid Dauid, non recepimus hanc miſericordiam in medio vteri Virginis Mariæ, cùm in eo *Verbum caro factum eſt?* Nunquid Ioan. 1. non recepimus miſericordiam in Bethlehemitica porticu, cum in ea Deipara peperit filium ſuum vnigenitum, & pannis eum inuoluit? Nunquid non recepimus eandem miſericordiam, cùm in die Circuncifionis ſanguinem pro nobis effundere cœpit? Nunquid non recepimus miſericordiam, cum in gremio Matris velut in Regali throno tribus Regibus Magis ſe oſtendit? Cur ergo magis Dauid ait recepiſſe nos miſericordiam in Templo, quàm in prædictis omnibus locis? Sane Prophetam conſultò id dixiſſe putauerim, quia Verbi diuini incarnatio, inter alia multa, duo nobis magni momenti bona peperit. Primum eſt honor, per exaltationem naturæ humanæ, quo altius honorari, & exaltari nequibat, quã ad vnionem hypoſtaticam in vnitate perſonæ diuinæ: vnde gloriari poteſt dicens cum Diuo Paulo: Ad Hebr. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Secundum eſt vtilitas, & commodum ex eo, quod Chriſtus Dominus ſe offerat Patri ad reconciliandum ſibi genus humanum: quia autē hæc oblatio, quæ ab inſtanti Cõceptionis Chriſti fieri cœpit, & in cruce complementum ſuſceptura erat, hodierna die in templo fuit manifeſtata, ac diuulgata, ideò ſcite Dauid dixit: *Suſcepimus, Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui.* Pſalm. 47. Sed adhuc Dauidem quiſpiã interrogabit. Quare cum Deus ſit, qui munus hoc ſibi oblatum ſuſcipit, non dicit Deũ, ſed nos ſuſcipere illud? Certè Deus ſuſcipiens Chriſtũ, qui nomine miſericordiæ hic ſignificatur, ipſam miſericordiam ſuſceperat; cur ergo non dicit, *ſuſcepit*, ſed *ſuſcepimus*? Reſpondeo, quod quia ſingularis hæc miſericordia qua filius Dei in carne humana pro nobis ſatisfaceret, depēdebat ex eo, quod Parer ſuſciperet hanc eius oblationem; vnde ipſum ſuſcipere Dei fuit nobis dare, & miſericordiam impertiri, idcircò non dixit *ſuſcepit*; ſed *ſuſcepimus miſericordiam tuam in medio Templi tui.* Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homi-

Homilia VIII.

Recenſemus varias cauſas, propter quas Chriſtus Dominus voluerit à Matre ſua in Templo præſentari, alioquin Præſentationis legi non obligatus. Proſequimur tamen duas: Nimirum, vt legibus etiam ſuis Principes parere: Parentes verò bonæ filiorum inſtitutioni conſulere ab eo edocerentur.

NON defuere grauiſſimi Patres, qui in eam abirent ſententiam, vt putarent Chriſtũ Dominũ in præcepto Præſentationis in Templo de quo Exodi 13. *Sanctifica mihi omne, quod aperit vuluam de filijs Iſrael*, fuiſſe verè comprehenſum. Cui ſententiæ adeò firmiter adhærenr, vt propter ipſum ſolum aſſerant inſtitutum eſſe generale præceptum, primogenitos in templo ſiſtendi. Ita docuere Diuus Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Gregorius Niſſenus, Iſidorus, Diuus Damaſcenus, Theophylactus, Eurhymius, ſequuti antiquiſſimum Origenem: qui omnes ea mouẽtur ratione, quia lex dicebat: Omne primogenitum aperiens vuluam, deberi Deo offerri. Nemo autem aperit vuluam Matris, niſi ſolus Chriſtus, Nam cæteri Primogeniti apertam inueniunt ex præcedenti congreſſu cum viro. Vnde Chriſtus cum abſque viri opera fuerit conceptus, clauſam inuenit, quãdo natus eſt. Et ideò ipſe ſolus eſt primogenirus vuluã matris aperiens; Non quidem, quia eius integritatem quoque modo violarit (longe enim id abeſt à mente horum Patrũ) ſed hoc tantum *aperire* vocarunt, quod eſt præuium eſſe, nec impedimentum tranſeunti Chriſto facere abſque vlla prorſus apertura. In quo ſenſu non ſemel verbum *aperire* accepit ſacra Scriptura: Marci enim cap. primo dicirur: *Vidit cælos apertos:* Non quod in cælis apertura ſit facta, ſed quod de cælis vox ſit audita. Et Actorum 7. legimus: *ecce video cælos apertos*. nimirum, quia Chriſtum in Cælo exiſtẽtem ſine impedimento videbat. Ad eundem ergo modum hi Patres dicunt, vuluam Virginis apertam à Chriſto, quia ſine impedimento tranſiuit per eam, non tamen, quod ré ipſa aperta fuerit. In quo ſenſu intelligendum venit illud Iſaiæ: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Patrum teſtimonia hanc intelligentiam aſtruentium breuitatis cauſa ſilentio præteriens, vnicum ſolum antiquiſſimi Amphilochij Iconij Epiſcopi recitabo, vbi, quo pacto illorum doctrina ſir intelligenda, egregiè his verbis declarat: *Quod Scriptura dicit: Omne Maſculinum aperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur, ad ſolum Dominum Ieſum refertur, non ad alium quempiam, licet communiter dictum ſit. Talis enim eſt vniuſcuiuſque Virginis natura, vt primùm viri congreſſu aperiatur vulua ipſa, deinde pariat. Sed in Saluatoris noſtri ortu non ita factum eſt. Nam nulla præeunte viri cognitione in Virgine Matre, ipſe ſine virginitatis illius corruptione ortus eſt. Itaque dictum illud: Omne maſculinum aperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur, verè, ac propriè ad Dominum referebatur. Numquid Cain ſanctus fuit, quoniam omnium primus ex materno vtero editus eſt? nunquid ſanctus vocabitur, qui nefariam vitam terminauit? Nam Eſau vir bellicoſus, & gladij heres, ſanctus dicetur, quia prior natus eſt, quàm Iacob? An Ruben ſanctus, quia primus ex vtero matris editus, quippe qui patris cubile commaculauit? Nemo iſtorum ſanctus fuit, omnes rei extiterunt. Ex bis igitur manifeſtum eſt Scripturæ dictum illud: Omne maſculinum aperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur, propriè, ac verè ad ſolum Dominum Ieſum ſpectaſſe. Idque confirmatur illo Gabrielis ad Virginem teſtimonio: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Sunt autem, qui noſtris dictis aduerſantes hæc nobis obijciunt. Si ſcripturæ locus ille: Omne maſculinum aperiens vuluam, ſanctum Domino*

Exodi 13.

D. Amb. ſuper cap. 2. Luc. D. Hie. lib. 2. cõt. Iou. Chry. hom de occurſu Chriſti apud Surium S. Greg. Niſſ. hom de occurſu Chriſti, vt habetur in Homi. S. Iſid. Peluſiot. & li. 1. Epiſt. c. 23. S. Theophyl. & Euthym. in c. 2. Lucæ. Orig. hom. 14. in Luc. D. Damaſ. de Puriſ. B. Virg.

Marci 1.

Actor. 7.

Iſaia 45.

Amphilochi⁹ hom. de Puriſ.

mino

mino vocabitur, ad Ieſum ſolum refertur: non igitur virgo ipſa remanſit virgo, cum ſcriptura dicat: omne maſculinum aperiens vuluam. Animaduerte, & prudenter intellige, quicumque de virginea illa natura verba facis, quod ſcilicet nullo modo virginalis illa porta patefacta ſit eius prouidentia, & voluntate, qui antea in ipſa conceptus eſt. Hoc enim futurum prædixit Spiritus ſanctus, cum per Prophetam dixit: Hæc porta clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingredietur, & egredietur per eam, & porta ipſa erit clauſa. Quantum igitur pertinet ad virgineam naturam, Virginis clauſtra nullo modo aperta ſunt: quod verò pertinet ad potentiam geniti Domini, nihil clauſum, omnia aperta, nihil quod impedimentum afferre potuerit; cum omnia ipſi Domino ſint reſerata. Quamobrem & ſuperiores potentiæ clamantes dicebant: Tollite portas Principes veſtras, & introibit Rex gloriæ. Hæc Amphilochius.

D. Cyril. Hieroſ. hom. de occurſ. Chriſti. D. Amb. ſer. de Purif. tom. 6. in principio Aymon in c. 2. Luc. Card. Tol d. ibid. annotat. 36. Ezechiel. 44.

Cæterùm grauiſſimis alijs Patribus conſentiens Cyrillo Ieroſolymitano, Diuo Ambroſio, nec non Aymoni, & Cardinali Toleto, omnino dicẽdum arbitror Chriſtum Dominum comprehenſum non fuiſſe in lege præſentationis filiorum in Templo. Tùm quia in primis ipſe propriè non aperuit vuluam, Ezechiele dicente: *Porta hæc clauſa erit Principi:* eſt autem de fide ſemper extitiſſe clauſam, cũ Chriſtus Matris integritatem nulla ratione violauerit, ſed magis illuſtrauerit. Tùm quia acceptio illa aperiendi metaphorica eſt, & non propria huius vocabuli ſignificatio: lex autem illa generalis erat pro omnibus primogenitis, qui propriè, & vere vuluam aperiunt, hoc eſt, qui more conſueto, & ordinario naſcuntur, viam natiuitatis ſuæ perfectè aperiendo. Vnde verbum illud *aperire*, non poteſt eſſe commune illis, & Chriſto Domino, niſi æquiuocè. In præceptis autem diuinis nemo eſt, qui non videat nullam eſſe æquiuocationem. Tertio quia verbo *aperiendi*, Hæretici contra virginitatem Deiparæ oblatrantes frequenter ab vtuntur: igitur rationi conſentaneũ eſt Catholicos ab hac loquendi phraſi ſe omninò abſtinere. Quartò quia Chriſtus Dominus etiam eſt excluſus ab illa lege per illa verba, *Sanctum Domino vocabitur*. Non enim ipſe *ſanctus Domino*, ſed *ſanctus ſanctorum* Dominus nuncupatur; ad eum certè modum, quo Ioannes dicitur futurus *magnus coram Domino*, Chriſtus autem dictus eſt *magnus* ſimpliciter ab Angelo: *Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur*. Vnde eleganter Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus homilia de occurſu Domini dixit: *Samuel quidem, & Iſaac, & ſimul etiam Iacob, & Ioſeph, & alij multi, qui præter ſpem nati ſunt ex ſterilibus, & aperuerunt inſertiles vuluas matrum, ſancti Domino vocati ſunt; Chriſtus autem ſolus ex toto vnigenitus, cum virginales portas non aperuiſſet, non eſt ſanctus Domino, ſed ſanctus ſanctorum, & Dominus Dominorum, & Deus Deorum, & primogenitus primogenitorum, & Rex Reguantium, & vocabitur, & credetur, & nunc in templo à Simeone prædicabitur.*

D. Cyrill. Hieroſolim. de occurſ. Dom.

Tandem id ipſum confirmo ex præclaris illis verbis Diui Patr. Ambroſij in cõcione quadam de Purificatione, vbi ait: *Cunctis fidelibus liquet, nunquam Redemptoris matrem ex eius natiuitate maculam contraxiſſe, quæ illorum dierum ſpatio à ſacris ædibus abſtinens purgaretur, quæ ſine humana concupiſcentia, ſine humano concubitu virgo concepit, ſine aliqua corporis corruptione virgo peperit, & ſine fine virgo permanſit, ac per hoc nec maſculus ex ea natus vuluam eius aperuit. Sed hoc iuxta legis narrationem Euangeliſta contexens, claudit impijs ſacramentum diuinæ incarnationis, Matremque legem obſeruantem introducit. Nec mirum ſi Mater obſeruat legem, quam eius filius non venerat ſoluere, ſed adimplere. Sciebat, quo ordine conceperat, quo vſu pepererat, quis eſſet quem genuerat, ſed legem communem obſeruans celauit filij maieſtatem:* Hæc Ambroſius.

D. Amb. Cõc. de Purif.

Poteſt etiam aliter dici, quod Patres illi dum affirmant Chriſtum aperuiſſe vuluam matris; nihil aliud volunt quàm quod Chriſtus ortu ſuo Virginis fœcunditatem manifeſtauerit; nam ſi ſteriles licet alioquin cognitæ, dicentur in ſacra ſcriptura clauſæ: etiam quæ ſunt, fecundæ dicuntur conuenienter apertæ.

Cum igitur Chriſtus Dominus ex vna parte ex verbis, & tenore legis Moſaicæ non comprehẽderetur in lege illa præſentationis in Templo, & aliunde ipſe, tanquam principalis legiſlator, & ex ſpiritu

ſancto

ſancto conceptus, immo & filius Dei naturalis, omninò exēptus eſſet ab omni obligatione Moſaicæ legis, reliquum eſt, inueſtigemus cauſas, quæ ad eius obſeruationē illum impulerint. Prima ſit, vt adimplerentur quæ antiqui vates de hoc aduentu in Templum prædixerunt. David Pſalm. 11. *Dominus in Templo ſancto ſuo veniet.* Malachias c. 3. *Statim veniet ad Templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamēti, quem vos vultis.* Aggæus c. 2. *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquam primæ.* Secunda, vt fidelē ſe oſtenderet amico ſuo Simeoni in eo, quod ei pollicitus fuerat, *Non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.* Venit ergo in Templū, vt promiſſum impleret. Tertia, quia hac ratione Moſaicam hanc primogenitorum legem adimplens ſicut ceteri hominū, oſtendebat mortali carne, & non (vt Manichæi exiſtimarunt) ficta, & phantaſtica eſſe indutum, cum profiteretur ſe conceptum, & natum ex Muliere. Quarta, ne Iudæi excuſationem, & anſam ſumerent non recipiendi illum tanquam verum Meſſiam, cum ex ſacris ſcripturis cognouiſſent Meſſiam venturum, non vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret, verboque, & exemplo eius obſeruantiam doceret. Quinta, vt nos ſuaderet cultum, & venerationem Templi, & cum Deo cōuerſari. Sexta, vt manifeſtum nobis fidelibus humilitatis exemplū præberet, cum neque veſtigium aliquod habens peccati, aut immunditiæ, minime recuſauerit in Templo præſentari, & ſacrificium pro ſe offerri, quod ad hæc expianda lex Moyſis præfixerat. Septima, quia cum nollet tunc myſterium Incarnationis, & miraculum conceptionis ſuæ omnibus manifeſtari, voluit omne offendiculum, & ſcandali occaſionē, quę propter eius ignorantiam ſuboriri poterat, penitus auferre. Octaua, quia voluit Matris ſuæ honori con ſulcre, quæ ſi non præſentaret ipſum in Templo, tanquam diuinæ legis violatrix malè apud omnes audiret. Nona, vt nos omnes, præcipuè tamen viros Illuſtres, & Principes, tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſticos edoceret, non ſolum diuinis, & humanis legibus, immo & eiſdem quas ipſi tulerunt, ſubiectos & obtemperantes eſſe oportere. Equidem Chriſtus Dominus, licet alioquin eſſet ſupremus legiſlator, qui Moyſi in Monte Sinai eam legem dictauerat, atque adeò liber eſſet à vi coerciua legis tāquam illius Author, vt habetur in lege Princeps. ff. de legibus, ei tamen ſe ſubijcere non refugit. Quod miratus S. Iob in illa verba prorupit c. 36. *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legiſlatoribus.* Diſſimilitudo in eo proculdubio conſiſtit, quod alij imponunt ſubditis onera grauia, ipſi autem nolūt ea digito mouere: Chriſtus tamen Dominus onus legis non recuſat ſuprà ſe ſuſcipere, vt ſapienter dixit Iſaias: *Cuius principatus ſuper humerum eius,* quod perinde fuit, ac ſi dixiſſet, vt Paraphraſtes Chaldæus interpretatur: *Suſcepit legem ſupra ſe, vt ſeruaret eam.* Eaque obſeruantia à morte æterna nos præſeruauit, ſicut ob defectum eius primus parens in reatum mortis æternæ nos incurrere fecit, Apoſtolo dicente ad Roman. 3. *Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi.* Equidem boni Principis eſt eas leges cuſtodire, quas cuſtodiendas Populo imponit, & imperium ſuum, hoc eſt quod alijs faciendum imperat, ſuper humerum ſuum ferre. Vnde Decretalis Capite Cum omnes, extrà de Conſtitutionibus inquit. *Pro quo, quis iure vtitur in alterum, ipſe eodem debet vti, cum ſapientis dicat authoritas: Patere legem, quam tu ipſe tuleris.* Hinc Elianus lib. 13. Var. His refert Zaleuchū alioquin Paganum, cum ſtatuiſſet legem, vt adulterium committentis oculi eruerentur, deprehenſum proprium filium huius legis trāſgreſſorem, cum vniuerſus Populus pro eo obnixè deprecaretur Regem, ne ſtatutam pœnam Princeps puniretur, volens ex vna parte populum exaudire, & ei complacere, & aliunde legem inuiolatam ſeruare, vnum oculum ſibi eruit, & alterum filio. Hoc eodem zelo legis Rex Saul motus filium ſuum Ionatan eo, quod contra ſtatutam legem de fauo mellis guſtaſſet, morti ad iudicauit: *Morte morieris Ionatan.* Et niſi Populus in brachio forti de manibus patris illum eripuiſſet, ſententia mortis executioni fuiſſet demandata: *Dixitque Populus ad Saul. Ergo ne Ionatas morietur? Liberauit ergo populus Ionatan, ne moreretur.*

Pſalm. 11. *Malach. c. 3.* *Aggæus c. 2.* *L. princeps. ff. de legibus.* *Iob. c. 36.* *Iſaia 9.* *Paraphraſtes Chaldæus in c. 9. Iſaiæ* *D. Paul. ad Rom. 3.* *Decretal. ext. de Conſtit.* *1. Reg. 14.*

Lactan. lib. 2. cap. 14.

Hanc Principum obſeruantiam etiam earum legum quas ipſi ſtatuerunt, apprimè neceſſariam eſſe, vt ſubditi eas colant, & obſeruent, his verbis ſapienter docuit magnus pater Sanctus Iſidorus lib. 3. ſententiarum.

S. Iſidor. li. 2. ſent. cap. 52.

Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet. Ibidem etiam hāc præclaram ſententiam ſcripſit. *Non conuenit Principes in ſe fruſtrare iura, quæ in ſubiectis conſtituunt; iuſta eſt enim vocis eorum authoritas, ſi quod Populis prohibent, ſibi licere non patiantur.* Sed pro dolor! Principes huius tempeſtatis haud paucos videbis non ſolum ſuarum, ſed & diuinarum legū non clandeſtinos, ſed publicos transgreſſores. Quibus accidere mihi videor videre, quod Gallo, qui propter coronam quam habet, ſymbolum eſt Regis; tradunt Naturales, Gallum innatam inimiciriam contra Baſiliſcum habere adcò, vt qui Africam petunt, vbi magna reperitur Baſiliſcorum copia, vt ſecurius iter ſuum peragant, plures gallos ſecum portent, quos ſingulari induſtria prædocent, vt frequenter cantantibus, Baſiliſci illos audientes aufugiant. Gallus nihilominus, qui tanto odio Baſiliſcos proſequitur, gignere, & parere ſolet Baſiliſcum, omnibus alijs illius Regionis deteriotem. Quemadmodum ergo Gallus Baſiliſcum perſequitur, & nihilo minus eundē intra viſcera, tanquā proprium fætum fouet, & nutrit, ac in lucem edit: ita legiſlatores, & Principes non pauci illa, quæ in alijs horrēda perſequuntur peccata, & ſeueriſſimis ſupplicijs plectunt, eadem ipſi amant, fouent, & amplectuntur, vt contigit Sauli Regi, qui legem tulerat, ſeu gloriabatur, quæ ſub ſpecie...

2. Eſdr. 3.

tur Deus per Eſdram dicens: *Optimates autem eorum non poſuerunt colla ſua in opere Domini Dei ſui*. Quod propterea recenſet quia cum ędificabatur templum Dei, vnuſquiſque pro modulo ſuo ædificationi inſeruiebat: Soli vero Principes dedignabantur ſeruili illi operi vacare, quia ſicut in prauis operibus ſunt frequentiores, ita & in abſtinendo ſe à bonis ſunt omnibus ſegniores.

Quid plura? Certè huius ſæculi legiſlatores legibus vtuntur tāquam aranearum telis, quibus muſcæ, hoc eſt, impotentes & vulgares facilè coërcētur, potentiores vero eius ſtamina nullo negotio perrūpunt. Eleganter Lactantius: *Quicumque*, ait, *dat præcepta hominibus, ad vitam moreſq; fingit aliorum: ſi quidem bona ſunt quæ præcipit, at ipſi eodem modo viuendum eſt, quo decet eſſe viuendū; ne ſi aliter ille vixerit, præceptis ſuis fidem detrahat, leuioremq; doctrinam ſuā faciat, ſi re ipſa reſoluat, quod verbis nititur, obſtringere: Cum igitur ipſe non faciat quæ præcepit, quæ inſolentia eſt, vt homini libero imponere velit leges, quibus ipſe non pareat?* Hęc ille. Tempore Neronis lex erat contra nocturna latrocinia, & diſcurſiones per Vrbē: at cū ille iā tranſgrederetur, illicò ſceleratorū licentia laxata eſt, vt

Iuuen. ſat. 10.

Nocte iter ingreſſus gladium contumque timeret,
Et motæ ad lunam trepidaret arundinis vmbram.

Mali Doctores qui ſe à legibus eximunt, qui cū Caligula cenſent, omnia ipſis, & in omnes licere; ſiue cū Saluſtiano Memmio, impunè quodlibet facere Regū eſſe; immo qui præeſt iuſtitiæ, eam præeat, & exemplo commendet. Imitetur Theodoſium, de quo Panegyriſtes: *Idem es qui fuiſti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges anteà licebat*.

Iuſt. Lipſ. in exemp polit lib. 2. c. 9.

Democratus Lacedæmoniorū Rex Spartana ciuitate à ſuis proſcriptus, quod legum proſcripta trāſgreſſus fuiſſet: cū rogaretur, cur Sparta exularet? reſpondit; *Quoniam leges in ea potentiores*: quo dicto laudabat ſuæ gētis inſtituta, per quæ compellebatur exulare: nec iniquo animo ferebat exilium, legum auctoritate interdictum. Pauſanias Piſtonactis filius perconctanti cur eadem in vrbe Spartana nefas eſſet vllā priſcarum legum innouare? *Quoniam* (dicebat) *legibus conuenit auctoritas in homines, non ab hominibus in leges*. Hinc etiam S. Auguſtinus: In iſtis temporalibus legibus quamquam de his homines iudicent, cum eas inſtituunt; tamen cum fuerint inſtitutæ & firmatæ, non licebit Iudici de his iudicare, ſed ſecundum ipſas. Apud Auſonium legimus; *Pareto legi*

Diſt. 4. cap. in iſtis.

legi quiſque legem ſanxerit. Paruit certè Antigonus Macedonum Rex; cui cùm blandius quidam ſuggereret, *omnia regibus dumtaxat: at nobis ea, quæ honeſta ſunt, & iuſta, quæ iuſta:* Retudit adulatorem, & docuit, *Regem iuſtitiæ legumque miniſtrum eſſe, non regulam.* Quin & ciuitatibus ſcripſit, vt ſi quid forte iuberet, quod aduerſaretur legibus, ne admitterent. E Chriſtianis qui hic ſua laude etiam non priuantur, Carolus Magnus vnus eſt. Hic capulo cui inſignia Imperij inſculpta erant, edicta à ſe emanata ſignabat, adijciens frequenter; *eiuſdem eſt confirmare, cuius eſt defendere leges.* Occurrit quod de Ageſilao Principe memorat Plutarchus: Hic cum maximam Aſiæ partem armis ſubegiſſet, in animum induxit ipſum regem Perſarum bello laceſſere, quod Græcorum duces pecunijs ſeduceret, & reuocatus domum paruit: dicens, *Bonum Imperatorem legum imperatis parere oportere.* Cuius animi inter Chriſtianos Principes fuit Alphonſus Aragonum Rex, cui frequens in ore: *Inepte agunt Principes qui alijs honeſtè beatèque viuendi leges proponunt, ipſi verò nihilo meliores, temperatioreſque ſe præbent:* Octauianum Auguſtũ ita pænitebat, quòd adoleſcentem qui filiam ſuam Iuliam con ſtuprauerat, contra ſuæ legis ſanctiones manibus verberaſſet, vt eo die cœnam ſumere negligeret. Quis Princeps in tali crimine ſibi temperaſſet? ſed tantus Imperator adeò ſibi diſplicuit, vt à ſe ipſo pænas ſumeret, quod legi, quam alijs prodiderat, non per omnia paruiſſet. Diſcant igitur legiſlatores conditarum à ſe legum obſeruantiam cùm illorum, tùm maximè Chriſti Domini exemplo permoti, qui eam legem, è cuius obſeruatione meritò eximere potuiſſet, ſponte tamen adimpleuit, vt ceteros legum conditores ad earundem obſeruantiam prouocaret. Parum eſt enim leges præſcribere, & promulgare, niſi earum conditores vitę innocentia, quam alijs proponit, præeant. Sic enim Solõ bene reſpondiſſe iudicatur apud Valer. Max. Interroganti namque *qualiter optimè Ciuitas gubernaretur?* dicebat: *ſi Principes & maiores ſecundum leges vixerint.* Illorum verum bonũ exemplator velut primũ mobile reliquos cęlos ſubditos rapit.

Carolutus in dis memo. 3.

In lac. Apophteg.

In Apophteg. Beyerlanc.

Plut. in Apophteg.

Decima cauſa ſit, quam etſi poſtremo loco appono, vltimum tamen minimè tenere arbitror. Nimirum, vt à Parentibus Chriſtus dominus præſentatus, Parentes doceret, quantò citiùs poſſint, debere filios ſuos ab huius ſæculi vberibus auellere, & Deo illos ſacrate. Sunt enim multi Parentum nomine indigniſſimi, qui velut antiqui Idolorũ Cultores filios ſuos Idolo Moloch ſumma impietate offerrũt, illud diuinũ violantes præceptũ: *De ſemine tuo nõ dabis vt conſeretur Idolo Moloch.* Pro cuius loci explicatione obſeruãdũ eſt, Idolũ Moloch ſub figura Tauri depingi, & efformari ab Antiquis: præcipiens ergò parentibus, ne Moloch filios ſuos offerrent, perinde fuit, ac ſi diceret: Nolite ita crudeles eſſe, vt chariſſimos filios Tauri cornibus in fruſta diſcerpendos tradere velitis. Vnde Eliphaz, falsò putans Iobum puniri à Deo propter malam filiorum educationem, dixit ei: *Scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, & viſitans ſpeciem tuam non peccabis. Scies quoque quoniam multiplex erit ſemẽ tuum:* Iob 5.
Quaſi diceret, curam habens domus tuæ, viſita illam. Species enim, familiam ipſam ſignificat, quia vxor cordata, filij obedientes, ſerui bene morigerati, ſunt ſpecies, decor, & pulchritudo domus. Explora igitur ſemel & iterum, quomodo ſe gerant vxor, filij, & ſerui. De Talo finxerunt Poetæ, fuiſſe cuſtodem quendam Inſulæ Cretenſis, qui obnoxius erat ter in die illam viſitare, & ſcrutari. Videns autem Vulcanus difficile admodum eſſe, vt per ſe ipſum toties totam luſtraret, & percurreret inſulam, loco cuiuſdam venæ, quæ à ceruice vſque ad talum pedis protenditur, virgam ferream ſubſtituit, vt ſic nec crura flecterentur, nec laxarentur. Quia tamen ipſe miſerè deceptus à Phytoniſſa, Circes nomine, permiſit virgam illa ferrea expoliari, ac propterea deinceps non poſſet totam illam Inſulam toties perambulare, & frequentet viſitare, vniuerſarum diuitiarum iacturam Creta paſſa eſt, & ipſe condignas ſuæ imprudentiæ, & praui regiminis pœnas luit. Hoc igitur eſt, quod Eliphaz Iobum monebat: *viſita ſpeciem tuam,* explora familiã tuam, alioquin tu, & illa, iacturam patiemini. E contra verò ſi debitam curam in hac viſitatione adhibueris, *multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua, quaſi herba terræ.*

Lactantius eam fuiſſe cauſam, ob quam primo, qui Deum ignorarunt, fuiſſe filios Châ, inquit: *Quoniam Princeps eius, & conditor, cultum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo.* Itaq; quia Châm maledictus à patre Noe, doctrinamq́ue eius contemnens filios ſuos, tanquam ignarus non inſtruxit, idcirco paulatim ignorantia legis diuinæ ſerpit per omnes eius deſcendẽtes. Ecce quantum nocumentum inferat praua filiorum, & præcipuè cum teneri ſunt, educatio. Hoc non obſcurè ſignificauit Deus, cum Abrahæ manifeſtauit horrendũ illud ſupplicium, quo Sodomam, & Ghomorram punire decreuerat; cum enim dixiſſet:
Gen. 18. *Num celare potero Abraham quod geſturus ſum?* Reddit rationem quare non poſſet celare: *Scio enim quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam*. quaſi diceret: Cùm Abraham agnoſcat inuerecundam Sodomæ libidinem, & licentioſam viuendi rationem ex praua filiorum educatione (quia ab exſecrando illo peccandi genere non ſolum filios non arcebant, ſed exẽplo ſuo ad illud prouocabant, & quod valdè Deus execrabatur, de peccato illo gloriabantur: *Et peccatum ſuum,*
Iſai. 3. *ſicut Sodoma, prædicauerunt*) hinc Abraham ediſcet de educatione filiorum ſuorum ſolicitam curam gerere. Equidem Salomon probè agnoſcens quãti interſit bo-
Prob. 29. na filiorum educatio, dixit: *Virga, atque correptio tribuit ſapientiam; puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrẽ ſuã*, & ibidẽ. *Erudi filiũ tuũ, & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.* Quaſi diceret; O Parentes, ſi filiorum veſtrorum commodis, vel incommodis non attenditis, ſaltem vobis ipſis conſulite. Nam ſi bonæ illorum educationis curam ſolicitam non contemnitis, adhuc in præſenti vita præmio veſtro fruemini: *Refrigerabit, & dabit delitias animæ tuæ*. Si autem filios erudire, ac bonis moribus informare neglexeritis, aderit præ foribus ſuppli-
Ibidem. cium, Spiritu ſancto dicente: *Puer, qui dimittitur, voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.* Atque hinc eſt Philoſophum quen-
Lycoſtenes lib. de Præceptoribus malis. dam, (vt Author eſt Lycoſtenes libro de Præceptoribus malis) cum vidiſſet quendam puerum rem turpem in conſpectu ſui Præceptoris feciſſe, contra Præceptorem, & non contra diſcipulum iracundè dixiſſe: *Cur ſic inſtituis?* Ecce refundebat in Magiſtrum propter prauam eius inſtitutionem totam diſcipuli culpam. Vt in hãc ergo, ò parentes, ne incurratis, propoſito vobis Spiritu ſancti documento obſecundare ſatagite, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia IX.

Euangelij quod Eccleſia Romana canit in die Purificationis Beatæ Virginis, ſingula verba erudita paraphraſi explicamus, inchoantes ab illis: Poſt- *Lucæ 2.*
quàm impleti ſunt dies purgationis eius; *quorum variæ miſticæ expoſitiones apponuntur.*

POST QVAM *impleti ſunt dies purgationis eius*. Ante omnia oportet ex profeſſo exponamus, an purgatio hæc ſit referenda ſolùm ad Matrem, vel tantum ad filium, vel certè ad vtrumque, vel vt alijs placet, ad ſolos parentes, his enim quatuor modis poſſunt explicari propoſita verba: *Poſtquam impleti sũt dies purgationis eius.* Licet enim noſtra Vulgata, & nonnulla etiam Græca exemplaria, habeant particulam illã *eius*, in quibuſdam tamen illorum eſt maſculini generis, in alijs feminini; vnde in illis refertur purgatio ad Chriſtũ, in his ad Virginem. alia verò habent *eorum*, vt referatur ad Matrem, & filium, vel vt alij volunt, ad ipſos parẽtes, ſeu ad eoſdem ſimul cũ filio, ita vt omnes ſubierint purgationem. Hinc multiplex opinionum varietas pullulauit. Quidam enim dicunt hanc legẽ purificationis minime pertinuiſſe ad Chriſtum, ſed ad matrẽ, ita Lyranus Leuitici 12. quẽ ſe- *Lyranus ibi. Leuitic. 12.*
quuntur Abulẽſis q. 23. & 30. Caiet. Tolet. *Abulenſis q. 23 & 30.*
& multi alij: confirmatq; hanc eſſe ample- *Caietanus hic*
ctendam ſententiam, quia ſubiungitur, *Toletus hic.*
& tradet Sacerdoti qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea: quæ verba ſatis aperte

Google

aperte indicare videntur, feminam eſſe pro qua ſacerdos offerebat hoc ſacrificiũ, atque ipſam eſſe quę purgabatur, ſicut pro ea orabar, vt mundaretur. Facit etiam ratio à Caietano adducta, & ab ipſo textu deſumpta; nam ibi dicitur *offeret pro peccato feminæ, orabitque pro ea Sacerdos*, quæ verba intelligenda ſunt de matre. Regulare enim eſt in ſacris Biblijs, vr offerēs pro peccato intelligatur offerre pro peccato ſuo. Accedit, quòd tempore præſentationis nullus filius habebar peccatũ, pro quo offerretur: otiginale enim iam ſupponebatur per circumciſionem deletum, vel in feminis per aliud remedium illis accommodatum. Ac tandem quia ſenſus Eccleſiæ in eam ſententiam inclinar, nã in Miſſalibus Romanis poſitum eſt, *cum impleti eſſent dies purgationis Mariæ*: videturq́; ſatis id textui conſentaneum, dum ait, *ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ*.

Miſſale Romanum in feſto purificationis.

Si autē quæras à citatis Aurhoribus, quod ſit hoc feminæ peccatum pro quo ſacrificium offerebatur? Reſpondent Abulenſis & Caietanus, nullum eſſe in particulari, ſed in communi pro peccatis, à quibus nemo eſt immundus; quod quidem duriuſculum eſt: nam hæc peculiaria ſacrificia ſemper ad peculiarem maculam delēdam erant inſtituta. Lyranus aliquod peculiare peccatũ pro quo offerebatur ſacrificiũ, aſſignat, nempè pro peccato veruali libidinis, quod in coitu, quanrumuis liciro, frequenter admiſcetur, ſaltem ſecundum aliquam venialem inotdinationem. Sed neque hoc videtur veritari conſentaneũ, tùm quia hoc peccatum non neceſſario, neque ſemper committitur, ſacrificium autem neceſſarium erat, & ſemper offerebatur; tùm etiam quia eadē ratione inſtituendum eſſet ſacrificiũ pro ſimili peccaro viri, ſi quidem eodem irretitur libidinis peccato; Tùm denique quia ſi quod eſt huiuſmodi peccatum, non in partu, ſed in congreſſu committitur. Ptius ergo hoc expiãdum eſſer, neque oportuiſſer partum expectare. Burgenſis, quem ſequuntur aliqui recentiores, reſpondet, hoc non eſſe peccatum aliquod, quod ſit vera culpa, ſed eſſe legalem immunditiam, vel irregularitatem ex ſordibus puerperij, & fluxu ſanguinis contractam. Sed licet hæc expoſitio probabilis ſit, interrogare ab his Auctoribus licet, cur non poſſit ſimiliter explicari de peccato filij, id eſt, pro immunditia legali, & irregularitate contracta ex immunda natiuirate? Proprer has rationes adductas, Alij multò ſecus opinantur, dicentes, verbum illud *pro peccato*, eſſe ad prolem referendum, ita vt illud ſacrificium eſſer propter aliquod peccatum prolis expiandum. Ita docuit Auguſtinus lib. Quæſtionum in Leuiticum quæſt. 40. quem ſequuntur multi Patres, Vgo Cardinalis Leuirici 20. Rupertus libro 2. in Leuiticum cap. 16. Beda, & Futhymius in hoc loco. Sanctus Eligius homil. de putificatione, & Diuus Thomas, Gloſa ordinaria Leuirici 12. & Caietanus 3. p. q. 37. arr. 3. Viderur autem Diuus Auguſtinus fundamentum ſumere ad hanc aſſerendam ſentenriam ex verbo illo Leuitici, *Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum*: quia tamen ipſe nō ignorauit poſſe facile reſponderi, verbum illud *pro filio, ſiue pro filia*, non eſſe conſtruendũ cum ſequenti verbo, *deferet agnum*, ſed cum antecedenti ſcilicet, *cum expleti fuerint dies purificationis*: ita vt ſenſus ſit, *cum impleti fuerint dies purgationis, deſignati pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum in holocauſtum*. Cum inquam hanc expoſitionem, quæ planè literalis eſt, Auguſt. videret, adiũxit verba huius capitis Lucę: *Cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*; quibus indicatur pro filio oblatum fuiſſe ſactificium, non pro matre. Sed etiam hæc verba citata à Diuo Auguſtino per ſe ſumpta, non admodum cogunt, quia referri poſſunt non ad hanc legem, ſed ad alteram ſupra expoſitam, *Induxerunt eum in templum, vt pro eo facerent ſecundum conſuetudinem legis*; id eſt, vt illum præſentarent, & offerrent Deo. Obſtat tamen huic expoſitioni Eccleſia in officio purificationis, Reſponſorio ſecundo & tertio primi nocturni dicens, *obtulerunt pro eo par turturum*, vbi vides Eccleſiam referre ad prolem, non autem ad matrem. Video hoc verbum, *pro eo*, torqueri quidem poſſe, vt dicatur oblatum ſacrificium *pro eo*, id eſt, proptet ortum eius, ſeu occaſione illius; ſed is ſenſus improprius videtur: vnde vt

Abulenſis. Caietanus.

Lyranus.

Burgenſ. in hunc locum.

D. Auguſt. Vgo Cardin. Rupertus. Beda. Euthymius. S. Eligius. S. Thomas. Gloſ. ordinar. Caietanus.

D. Auguſt. in Lucam.

debitus honor deferatur tot Sãctis Patribuse, eorum ſententia piè exponenda eſt. Non enim ſancti hi Patres, tàm apertè dixerunt hoc ſacrificium pro peccato originali prolis fuiſſe oblatum: nam licet Aug. dicat hic indicari vitiatam originem ex Adamo, & prolē in iniquitatibus eſſe conceptam;

D. Tho. 3. p. q. 37. art. 3.

propter quod D. Thomas 3. p. q. 37. art. 3. ait, hoc ſacrificium fuiſſe ad expiationem peccati, in quo proles erat concepta; nihilominus non eſt exiſtimandum, loquntos fuiſſe de peccato originali quo ad culpam eius, quam vbiq; docent auferri in circumciſione; Sed loquuntur de immunditia contracta ex vi conceptionis impuræ ac libidinoſæ, & natiuitatis ſordidæ, atque, vt ita dicam, ſanguine cõſpurcatæ, qua proles ſordidata egreditur de vulua matris; Et quia huiuſcemodi corruptio & ſanguinis immũditia ex infectione peccati originalis orta eſt, ideò ſacrificium illud dicitur eſſe pro peccato. Atq; id ita docet

D. Chryſoſt. hom. de occurſu Domini.

D. Chryſ. hom. de occurſu Domini, vbi explicans verba illa, *ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*, ait: *Vbi corporeæ expiationis mentio habetur, ibi legi Moſaycæ tribuitur.* Cæterùm ſi cuncta rectè conſpiciantur, quæ

Leuit. 12.

dicuntur Leuitici 12. de purificatione parientis, & de prole, vna cũ his quæ hic dicuntur de eadem purificatione, ſatis probabiliter, imò (vt plerique cenſent) multo verius, & probabilius eſſe illud verbũ *pro peccato*, neque ad ſolam matrem, neque ad ſolnm filium, ſed ad vtrumq; eſſe referendum. quod ſanè videtur D. Anguſt. indi-

D. Auguſt. in commentario huius loci.

caſſe his verbis; *Cur ergo non illud quod natum eſt, purgari dicit ſcriptura per hoc ſacrificium, ſed ipſam quæ peperit? an ad ipſam quidem, vnde illa origo trahebatur, relata purgatio eſt propter ſanguinis fontem? non poterat tamen ſine ipſius fætus purgatione, qui ex ipſo ſanguine exortus eſt*: ecce apertè vtriuſque purgationem matris, & filij complexus eſt Auguſtinus. Eandē ſententiam videntur ſequi multi ſancti Patres legentes in numero multitudinis: *Cum impleti eſſent dies purgationis eorum*, vt Ori-

Origenes. Theoph. Euthim. Guerricus.

genes, Theophilactus, Euthymius, Guerricus Abbas, qui ait, *De illa ſpirituali purificatione quam Maria offerēs pro ſe, & pro filio proſequamur.* Haymon etiam inquit: *Poſtquã impleti ſunt dies purgationis eius. Alij dicunt purificationis Domini. Alij purificationis Mariæ: ſed vtrumque poſſumus intelligere.* Et S. Idelphõſus Archiepi-

S. Idelfonſus

ſcopus Toletanus, ad eundem modum de vtroque intelligit, ſermone primo de purificatione dicens: *Poſtquam autem impleti ſunt dies purgationis eius, vel Domini ſcilicet, vel matris illius; vno enim eodemque ordine mater cum filio expiari iubebatur.*

D. Chryſoſt.

Ioannes tamē Chryſoſt. quamuis legit in numero multitudinis: *Impleti ſunt dies purificationis eorum*, non refert ad prolē, ſed ad parentes: ait quippe in hunc modum: *Impleti ſunt dies purificationis eorũ: cuius quæſo purificationis. Ioſeph haud dubie, & Mariæ.* Conſentit cum illo Euthymius. Vt

Euthym. in cap. 2. Lucæ.

autē exactius intelligas referri poſſe *ſacrificium pro peccato*, non ad remiſſionē alicuius culpæ, aduerte eam vocem ibi eſſe impoſitam ad ſignificandum quoddã genus ſacrificij inſtituti ad quamcunque expiationem, vt videre eſt in ſimili in multis locis Sacræ ſcripturæ Leuit. c. 14. & 15. &

Leuit. 14. & 15.

alibi ſæpè: in hac ergo lege purificationis præcipiebatur feminę, vt tã pro ſe, quã pro filio offerret holocauſtũ in gratiarũ actionē, & ſacrificiũ pro peccato, ad ſuam purgationem, & ſanctificationem filij, qui ſpeciali modo tunc Deo dicabatur. Nam licet per circumciſionem, maſculi ſanctificarētur, tamen neq; illa ceremonia fuerat peculiariter in lege Moyſis inſtituta, ſed multò antiquior, nempè ex tēpore Abrahæ; neque erat generalis omni proli, ſiquidem feminæ non circumcidebãtur, & habuit aliam propriã, & ſpecialem rationem inſtitutionis: & ideò cõueniens fuit vt per ſpeciale legis ſacrificiũ ſtatim filij ſanctificarētur legali ſanctificatione, ac Deo cõſecrarētur, vel certè vt magis ac magis mũdarentur, ac liberarentur a reliquijs origi-

Hugo Cardi. ibidem.

nalis peccati, vt Hugo Cardinalis adnotauit, & indicauit Euthymius, expēdēs quare iuſſerit lex, vt daretur par turturum in ſacrificio. Ceterùm iã varia Arcana quæ in propoſitis verbis, *& poſtquã impleti ſunt dies purgationis*, ad informandos mores multum conferentia reſerare incipiamus. Vt tamen nullũ etiã minimũ iota nos prætereat, non fruſtra arbitror Euangeliſtam appoſuiſſe illam copulatiuam, *et*, dum ait: *& poſtquam impleti ſunt*. Vt enim in commentario huius loci ſcitè obſer-

D. Cyrillus.

uauit Diuus Cyrillus, poſt circumciſionem rurſus expectauit Chriſtus Dominus tempus purgationis, & præſentationis ſuæ

nis ſuæ

nis ſuæ in templo, non enim quaſi defatigatus ex acerbæ Circumciſionis legis obſeruantia, renuit legem aliam, vt ſiſteretur in templo, ad vnguem obſeruare; Quo docemur vno impleto præcepto, alterius obſeruantiam non eſſe contemnendam, ſed poſt impletum vnum mandatum mox ad aliud implendum accingi debere. ad quod ſignificandum ſponſus dixit ſpōſæ: *Murenulas aureas faciemus tibi*: Has enim quidam Interpretes dicunt eſſe varios anulos inter ſe connexos, qui propterea diuina præcepta egregie adumbrant, in quibus obſeruantiæ connexio inſtar anulorum ex quibus murenulæ aureæ cōficiuntur, maxime elucere debet. Obſeruandum tamen eſt, quod vbi Vulgata noſtra in eodem loco legit, *vermiculatas argento*, alij vertunt, *cum clauis argenteis*; quo non obſcure indicatur, iuſtorum animos diuinis præceptis velut clauis transfigi debere, vt eius obſeruantiæ tenaciſſime adhæreant. Beda in commentario huius loci aliud arcanum in copulatiua illa, *et*, Circumciſionem cum ingreſſu in templum coniungente adinuenit dicens: *Miſtice deſignat neminem niſi circunciſum vitijs, dominicis dignum eſſe conſpectibus, neminem niſi mortalitatis nexibus abſolutum ſupernæ ciuitatis gaudia perfectè poſſe guſtare, quia non habitabit* (inquit) *iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos*.

Cant. 1.

Beda ſup. c. 2. Luca.

Ad hæc: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius*: Ecce Beata Virgo licet alioquin legi purificationis non obnoxia; vt potè quæ non ex viri complexu, & vt lex dicebat, *ſuſcepto ſemine*, ſed Spiritus ſancti fœcundata virtute conceperat, legem nihilominus purificationis ad vnguem obſeruat: quo apertiſſime illorum ſegnitiem, ac deſidiam reprehendit, qui tepide ac defectuoſe, imo adeò auare Deo inſeruiunt, vt niſi quod faciendum illis proponitur, ſub peccati mortalis pœna illos obliget, id exequutioni mandare omnino renuant; idquè tam ſolicite factitant, quàm ſi ex huiuſmodi auaritia qua erga Deum vtuntur, minus illi dantes quàm oporteret, æterna eorum ſalus dependeret. Hi ſunt qui cum diuina præcepta implent quo ad ſubſtantiā, vt Theologi loquuntur, in modo tamen deficiunt, debitasq; apponere circumſtantias negligunt: Audiunt quidem diebus feſtis diuinum ſacrum, ſed inter ſe in Eccleſia confabulantes: orant in templo, ſed cum mentis in varia negocia vagatione; Eleemoſynam largiuntur, & illatam iniuriam inimico parcunt, ſed antiquam beneficentiam qua illum antea proſequebantur, negant, quomodo olim pepercit Dauid Abſaloni offenſam, quam ſibi intulerat, ſubiungens tamen, *Cæterum non videat faciem meam*, licet alioquin tanquā pater iuſte illo ſupplicio illum potuiſſet mulctare. Perfecta igitur obſeruantia præceptorum poſtulat, vt non ſolum illa impleamus quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, & circumſtantias, etiamſi defectus illarum quandoque non ſit culpa mortalis. Idque nos monuiſſe ſpiritum ſanctum exiſtimo in illis verbis, *Iuſtus in mandatis eius volet nimis*. Nam omiſſa explicatione eorum qui aſſeruerunt, eo loco volatum per contemplationem viro iuſto moneri, ita vt per verbum illud, *volet*, ſ[illegible]deatur volare, iuxta illud Dauidis, *Quis dabit mihi pennas, vt columbæ, & volabo?* Cui expoſitioni nos non repugnamus, quia fundamentum habet in originali Hebræo, vbi eadem vox ſignificat *velle*, & *volare*, vt illius Idiomatis periti adnotarunt. Omiſſa inquam hac expoſitione, ſenſus eſt, illud eſſe viri iuſti ingenium, vt illud quod in obſeruātia mandatorum Dei nimium videtur, ipſe velit id opere ipſo complere, & neque iota, aut vnum apicem diuinæ legis præterire.

2. Reg. 14.

Pſal. 3.

Pſal. 54.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius: Bene inquit, *impleti ſunt dies*. Nam dies felices aduentus Chriſti in mundum præuidens Regius vates, dies plenos illos vocauit, *dies pleni inuenientur in eis*. Iob quidem mentis aciem conuertens ad dies qui Chriſti aduentum præceſſerunt, vacuos gemens illos vocabat: *Sicut Mercenarius præſtolatur finem operis ſui, & ego habui menſes vacuos*. Vacuos quidem intelligit felicitate quā ſecum tulit Chriſti aduentus; vel certe plenitudine illa, de qua Diuus Paulus, *quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege*. Tempus dierum noſtrorum in hunc modum Ariſt. ſic diffinit, *Tempus eſt numerus, & menſura motus ſecundum prius, & poſterius*: ante aduen-

Pſalm. 72.

Iob. 7.

Ad Gal. 4.

Ariſt.

aduentum Chriſti nullam rem tempus menſurauit, quin perfectionem & nobiliorem menſurare potuiſſet; adueniente tamen Chriſto Domino, facultas menſurandi quam tempus habebat, plene completa fuit, cum rem excellentiorem quàm vitam & operationes Chriſti nequeat vllo modo menſurare. In eo tamen hanc facultatem temporis vacuam, ac defectuoſam fateri neceſſe eſt, quod tempus non ſolum menſurat actiones humanas, ſed & ſuppoſitas perſonas ipſas, cum capaces ſint prætetiti, preſentis, & futuri; perſonam autem Chriſti Domini propter increatam & immenſurabilem eius æternitatem, nulla ratione eã menſurare valuit.

Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius. Obſerua quæſo, voluiſſe Deũ non aperire ianuam ad ingreſſum Templi ante finitos dies purgationis; vt hinc intelligas aditum non patere ad ingreſſum Regni cæleſtis, niſi prius compleãtur dies ſpiritualis purificationis tuæ. Fateor per legitimam confeſſionem, purgationem fieri peccatorum, reſtant tamen purgandi habitus vitiorum, & praui quidam affectus, necnon & reatus pœnæ. Certè Lazarus, Chriſto illi imperante, *Lazare, veni foras*, ad vitam reuocatus fuit, prodijt tamen ex tumulo *ligatus pedes, & manus inſtitis*: facili negotio potuiſſet Chriſtus Dominus vincula, quibus ligatus erat, ſoluiſſe: nam qui vincula mortis rupit, vincula funium certum eſt rumpere potuiſſe. Conſultò tamen id non præſtitit, vt intelligamus non eo ipſo quod quis peccata confeſſus, & ad vocem miniſtri Dei de morte peccati ad vitam gratiæ tranſlatus eſt, continuò omnibus vinculis manere abſolutum, & ab omnibus malis purgatum: licet enim tunc lethalium peccatorum maculæ abſtergantur quoad culpã, ſæpe tamen non quoad totam pœnam, neque quoad prauos affectus, quos ad peccata venialia frequenter remanere in anima certum eſt; Vnde vt ad cæleſtem patriam aditus pateat, oportet prius impleri dies purgationis, maxime Apoſtolo Ioanne dicente, *Non introibit in eam aliquid immundum, aut coinquinatum*: Si ergo purgatio hæc neceſſe eſt introitum Regni cæleſtis præcedat, & hæc neceſſario faciẽda ſit per pœnitentiam aut per ignem, nonne inſania eſt, pœnitentiam pro igne, remedium ſuaue pro acerbo, meritoriam actionem pro paſſione abſque meritò cõmutare? Eccleſiaſticus dixit: *eſt qui mala redimat modico pretio*. Benè *modico*, quia vt dixit Diuus Chryſoſtomus; *Rogum peccatorum exſtinguimus, non iam multis aquis, ſed paruis cum lacrymis*. Conſultius igitur erit aqua mundari, quàm igne, vt ſapienter his verbis dixit magnus ille Abbas Guericus: *Satius eſt o Patres, & ſuauius fonte purgari, quã igne; prorſus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, ſi tamen purgari meruerint, quando ſcilicet iudex ipſe quaſi ignis conflans ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios leui. Nunc Chriſtus aqua diluens, tunc ignis conſumens; modo fons patens in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ, tunc flamma ſæuiens, & ignis vorans vſque ad medullas animæ. De ardore ſiquidem irati, foris ille purgatorius ignis exardeſcet in conſpectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Aſcendit, inquit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit. Inde cadent ſuper eos carbones ſalubriter deſolatorij, qualem illum fuiſſe reor carbonem ſublatum de Altari, qui Prophetæ labia purgauit. An verè illi carbones huiuſmodi queant intelligi, de quibus quidam dicit: Ecce dati ſunt tibi carbones, & ſedebis ſuper eos, hi erunt tibi in adiutorium. Vobis relinquo dijudicandum*. Ibidem etiam miſeram ſortem eorum qui hic purgari renuunt, in hæc verba deplorat: *Væ nobis ſi dies impleti, & iam purgatio minime impletur, vt poſtea neceſſe ſit impleri, & illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius aut vehementius in hac vita poteſt excogitari. Sed quis ille tàm perfectus, tàm ſanctus, qui cum hinc exierit, nihil illi debeat igni; qui ſic ad purum omnem in ſe ſcoriam excoxerit peccati, vt gloriari poſſit caſtum ſe habere cor; vt dicere poſſit, mundũ eſt cor meum, purus ſum à peccato? Pauci quidem ſunt electi, ſed inter illos paucos, pauciſſimi ſunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua ſapiens dicit: De negligentia purga te cum paucis*. Hactenus ille.

Quod ſi quiſpiam inquirat, qua ratione hãc purgationem facere debeat, D. Thomas ſermone de purificatione, verſans propoſita verba: *Poſtquam impleti ſunt dies purgationis*, octo purgationis modos

pau-

Ioannes 11.
Apocal. 21.
Eccl. 30.
D. Chryſoſt. hom. 5. de pænitentia.
Gueric. Abb. ſerm. 4. de purific.
Malach. 3.
Pſal. 49. 96. & 139.
Eccleſ. 7.
D. Thom. ſer. de purific.

paucis his verbis perſtrinxit: *Debemus autem purgari octo modis, ſicut poteſt colligi ex textu. Primo à peccati coinquinatione, quomodo Chriſtus nos purgauit a peccato, ad Hebræos 1. Purgationem peccatorum faciens. Secundo, in cognitione, quoad intellectum. 1. Thimot. 1. ex corde puro, ideſt intellectu, ſine errore, dicit Gloſa Iac. 4. purificate corda duplices animo. Tertio, in affectu, quoad dilectionem 1. Thim. 5. qui inuocant Deum de conſcientia pura. Quarto, in mente, per rectam intentionem. 1. Cor. 5. Expurgate vetus fermentum, ideſt hypocriſim, iuxta illud Lucæ 12. Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* (Luca 12.) *Quinto, in ore, quoad locutionem, Prouerbiorum 5. ſermo purus &c. Sexto, in manibus, quoad operationem 2. Thim. 2. Leuãtes puras manus. Septimo, in toto corpore, quoad conuerſationem, Iſaiæ 1. Excoquam ad purum ſcoriam tuam, ideſt, conuerſationem. Octauo, in rebus, quoad ſuperfluorum reſecationem, Ioan. 15. omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit eum.* (Prouerb. 5. — Iſai 1. — Ioann. 15.) hactenus Diuus Thomas. (D.Thomas.) Quibus liceat mihi alium purgationis modum adnectere, in ritu antiquæ purgationis in Leuitico adumbratum: (Leuit. 1.) Primo habes, oblatæ volucris caput ad collum retorquebatur, vt nos purgationis noſtræ tempore minime erecta ceruice elati, ſed ſuperbiæ vertice demiſſo humiles incedamus. Deinde rupto vulneris loco ſanguis ſuper altaris crepedinem effundebatur; vt nos non more Iudaico, veſtimenta rumpentes, ſed Chriſtiano ritu corda noſtra contritionis vngue ſcindentes, & per os in confeſſione peccata aperientes, quaſi per vulneris hiatum putridum ſcelerum ſanguinem in ſacerdotis aures effundamus. Plumæ rurſus prope altare ad Orientalem plagam proijciebantur in loco, vbi cineres ſolebant reponi, vt nos, morum leuitatem ac mundi vanitatem longe abijcere, & quaſi poſt tergum proijcere diſcamus: cum enim ad vitæ exitum properemus, ad occaſum tendimus, & quia vitæ dies optimos tranſegimus, Orietalis certè plaga poſt tergum eſt nobis, ideo nos vana ludicra, inania cuncta decet quaſi præterita & quaſi nobis mortua obliuiſci, & nos quaſi illis mortui in cinerarium ea abijcere, imo penitus dico ſepelire, frequenti mortis noſtræ meditatione. Denique aſcellæ auis confringebantur, & lignis, igne ſuppoſito ſuper altare adolebantur, quibus monemur prauos animi habitus abrumpere, noxias cogitationes coërcere. His quidem purgatus animus, vltrò templi cæleſtis fores ſibi aperiri experietur.

Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis. Conſulto voluit Deus purificationis ritum cum ingreſſu in templum coniungere, vt nobis curandum ſignificaret, non polluta, ſed pura mente Dei templum eſſe frequentandum: hac enim ratione in typo & figura iuſſit olim ipſe iuxta ingreſſum templi concham aqua plenam apponi, vbi corporis maculę prius ablueerentur, & ad id ſignificandum præcepit; nec leproſum nec feminam menſtruum ſanguinis fluxum patientem templum ſuum ingredi. Illud etiam quod de Rebecca narrat ſacra ſcriptura ex camelo ſuo deſcendiſſe, & humiliter ſe inclinaſſe ad ſuſcipiendum ſponſum ſuum; necnon illud quod Moyſi contigit, qui cum vellet appropinquare loco ſancto, in quo Rubus ardens comburebatur, audiuit vocem Dei dicentis. *Solue calceamentum de pedibus tuis*: (Exod. 3.) Satis vtique adumbrabant, quãta reuerentia & animi puritate Rex cæleſtis & templum eius ſit viſitandum. Huius documenti adeò ſe obſeruantem exhibuit Diuus Hieronymus vt lib. contra Vigilantium diceret: (D.Hieron. contra Vigilant. tom. 2. c. 4.) *Si aliquid mali cogitauero, & me nocturnum Phantaſma deluſerit, Baſilicas martyrum intrare nõ audeo, ita totus corpore & animo pertimeſco.* Idẽque S.Hieronymus ſuper Iſaiam ait, (D.Hieron. ſuper Iſaiam c. 38.) *Salomon idcirco Deum inter cetera offendiſſe dicitur, quoniam ſublime ædificauerat Mello, vnde atrium templi deambulans, in turre palatij reſpicere ſolitus eſt.* Ecce quanta reuerentia Dominus vult templum ſuum coli, cum ex eo ſolùm offenderetur, quod Salomon ex ſublimi loco templum Dei tanquam inferius aliquid palatio ſuo reſpiceret. Si ergo ſolùm intuitus ille Salomonis diſplicuit Deo, quid non diſplicebit laſciuus intuitus in templo ſancto? quid non confabulationes & vaniloquia in eo non exſecrabitur? quid, venerea opera non abominabitur? maxime quod ſi ſolum manducare, & bibere in templo Dei damnauit Diuus Paulus, (D.Pau.1.Cor. 11.) *Nunquid non habetis domos ad manducandum, & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis*

Digitized by Google

tis? Proculdubio ſi turpia, quæ in ſacris ædibus patrantur, videret, multò magis excandeſceret, acriuſque vos increparet. Si tamen clare vultis agnoſcere quales eſſe debeatis ad ingrediendum in ſacram Dei domum, audite Dominũ ad Ioannem dicentem: *Surge, metire templum Dei, & Altare, & adoratores in eo*; quod perinde ſunt, ac ſi diceret, accipe menſuram, ſeu regulam qua menſures templum Dei, & altare, necnon adoratores ad illud veniẽtes; explora in eis, an coaptentur & commenſurentur tanti loci ſanctitati: metire auream menſam, incorruptibilem arcam, miraculoſam virgam, vas cæleſti manna plenum, Seraphinos amoris igne ardentes & obſerua, an adoratores in Templum venientes his perſimiles, an vero ab eis degeneres ſint. Eò quidem irreuerentia ſacris ædibus proceſſit, vt nonnulli ad eas dormitum ſe conferant; Alij ſuper altaria incumbant, de quo Dominus per Iſaiam conqueritur, & vindictam ſumpturũ ſe minatur, per Amos Prophetam; *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum: pro eo quod vendiderit pro argento iuſtum*, &c. & *ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne Altare*. Alij prophano faſtu & amictu incedentes exceſſiua quadam pompa Dei templum viſitant, in quos Deus acriter inuehens inquit: *Væ vobis, qui opulenti eſtis in Sion, ingredientes pompatice domus Iſrael* Hi ſibi putent dictum illud Apoſtoli. *Si quis violauerit templum Domini Dei, perdet illum Dominus*. In cuius ſupplicij figuram quarto Regum legimus, quod in Samaria aduenientes multi Idolorum cultores, qui eodem prorſus modo ibidem victimas Idolis ſacrificabant, ac in propria patria vnde profecti fuerant, id adeò diſplicuit Domino, vt in vindictam tanti ſceleris immaniſſimos Leones in eos mitteret, qui in fruſta illos facile trucidarũt, *immiſit in eos Dominus Leones, & ecce interficiunt eos*: Nonne vides quomodo Deo alioquin Idolatras illos in propria eorum patria nullo ſupplicio multante, cum tamen in Samaria, vbi Deus adorandus erat, adorationis tributum Idolis pendebant, acriter in eos vſque ad interitum animaduertit? tanto quidem zelo concitatur Deus noſter aduerſus templa eius prophanantes, Cui ſit honor, &c.

Apoc. 11. — *Amos 2.* — *1. Cor. 3.* — *4. Regum 7.* — *4. Reg. 7.*

Homilia X.

Proſequimur hodierni Euangelij paraphraſim, verba illa explicantes: Tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur: Pro quorum expoſitione variæ rationes inſtitutionis huius legis tam miſticæ, quàm literales ad informandos mores varia eruditione illuſtratæ traduntur.

CVM audio, *Tulerunt illum in Ieruſalem*, vrbanitas qua Beata Virgo dilectiſſimum ſuum ſponſum Ioſeph proſequabatur, apertiſſime mihi detegitur. Nam cum ipſa brachijs ſuis portaret filiũ ſuum, vt tradunt Ireneus, & Athanaſius, ſufficienter dixiſſet Euangeliſta, *Tulit filium ſuum*: at non dixit, niſi, *tulerunt*, vt iſtius mirabilis oblationis participem illum feciſſe Beatam Virginem vniuerſo orbi palam faceret, ac Mariam tanquam veram eius vxorem omnia ſua bona communia cum illo habere voluiſſe commonſtraret. Sed et mihi cum Diuo Bernardo putare licet Chriſtum Dominum in hoc itinere partim portatum à Maria, partim à Ioſepho; *portatur*, inquit, *à parentibus, & à ſenibus expectatur*. Nihil enim boni credenda eſt Beata Vitgo vnquam habuiſſe, cuius virum ſuum Ioſephum participẽ non faceret. Quod adeò verum eſt, vt cum matris honorifico nomine ipſa gauderet, glorioſo pattis Chriſti nomine Ioſephum cohoneſtare non dubitatit, dicens:

S. Ireneus lib. 3. lib. 8. S. Athan. lib. de communi eſſent. Pat. & Fil. & Spir. — *D. Bern. ſer. de Purificat.*

Digitized by Google

Luca 2.

cens, *Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te*. Melius quidem Maria, quàm Paulus dicere potuiſſet illud Actorum vi-

Actor. 26.

geſimo ſexto: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno te fieri talem, qualis & ego ſum*. Hinc diſcant vxores viros ſuos honorare, & quicquid bonum familiæ regimen parit, non ſibi ſolis arrogare, ſed viris etiam ſuis illud deferre. Egreditur igitur Beata Virgo Ioſepho ſponſo ſuo aſſociata ex Bethlehemitico oppido, & tanquam par coniugum caſtiſſimum mutuo amore ſe redamantes, Ieroſolymam properant. Læta tunc calcabatur tellus, ridebat cælum, aſpirabant dulces auræ, cuncta vernabant, Creatoris ſui baiulæ omnes Creaturæ applaudebant. Bone Deus? quanto verius, & aptius Claudianus nunc ceciniſſet:

Claud. lib. 2. de raptu, & lib. de nuptijs Parad. & coledina.

Qua properat, veris ſequitur color, omnis in herbas
Turget humus, medioque patent conuexa ſereno:
Sanguineo ſplēdore roſas, vaccinia nigro
Imbuit, & dulci violas ferrugine pingit,
Proſequitur volucer late comitatus euntem.

Itaque ſacri iſti coniuges Maria & Ioſeph magna Angelorum caterua ſtipati, vt parentes Dei decebat, cæleſte pignus deferebant, vt in templum illud inferrent ac præſentarent. Sed quid quæſo, opus erat filium præſentare Patri, qui à Patre

Hymn. Eccl. Romana.

nunquam recedit, *nec Patris linquens dexteram, ad opus ſuum exiens, venit ad vitæ veſperam*. Vnde ipſe ait, *Ego in Patre, & Pater in me eſt, & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum*?

Ioan. 10.

Nec ſatisfacit difficultati, ſi quis dicat præſentari Chriſtum in quantum hominem; prædicta autem teſtimonia loqui de illo in quantum Deus; quia reuera etiam quatenus homo præſentiſſimus erat Deo, cum ſubſtantialis & hypoſtaticæ vnionis vinculo verbo Dei eſſet vnitus. Quare exiſtimauerim id manifeſtè cōuincere, quod ſicut Chriſtus non ob propriam neceſſitatem Circuncifioni ſe ſubiecit, ſed vt obſeruantiæ legis, & ſpiritualis circumciſionis nobis præberet exemplum; ita modo ſe patri præſentauit, non quia huiuſmodi præſentatione indigeret, ſed vt nos Deo præſentandi, & offerendi exemplum, & documentum daret. Didici hanc doctrinam à Diuo Athanaſio, qui verſans propoſita verba, *vt ſiſterent eum Domino*, dixit: *Quando a paternis aſpectibus abſuit Dominus? aut quis locus excipitur ab eius imperio? vt ibi exiſtendo, ſemotus à patre ſit, niſi afferatur Ieroſolymam, & introducatur in Templum? Sed forte cauſa noſtri hæc ſcripta ſunt: ſicut enim non gratia ſui homo factus eſt, circumciſus in carne, ſed vt nos per gratiam faceret Deos, & vt ſpiritualiter circuncidamur, ſic propter nos ſiſtitur Domino, vt diſcamus Deo præſentare nosmetipſos.* hactenus Diuus Athanaſius.

D. Athan. in eundem locū Lucæ 2.

Cuius doctrinam ſequutus Diuus Thomas 3. parte quæſt. 37. poſtquam propoſuerat ſecundum argumentum in hæc verba: *Illud quod eſt ſemper præſens alicui, non poteſt ei præſentari: ſed Chriſti humanitas ſemper fuit Deo maxime præſens, vt pote ſemper ei coniuncta in vnitate perſonæ: Ergo non oportuit, quod coram Domino ſiſteretur*. In hunc modum Angelicus Doctor reſpondet: *Dicendum, quod ſicut filius Dei non propter ſeipſum factus eſt homo, & circumciſus in carne, ſed vt nos per gratiam faceret Deos, & ſpiritualiter circumcidamur, ſic propter nos ſiſtitur Domino, vt diſcamus Deo præſentare noſmetipſos: & hoc poſt circumciſionem eius factum eſt, vt oſtendat neminem niſi circumciſum vitijs dignum eſſe diuinis conſpectibus*.

D. Thom. 3. p. q. 37. art. 3. arg. 2. & reſp. ad 2.

Porrò ſequentia verba quæ longiorem expoſtulant ſermonem, exponere properemus: *Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur*. Tangit hic ſacer Textus præceptum illud, quod clariùs Numerorum 3. his verbis proponitur, *Meum eſt omne primogenitum: ex quo percuſſi primogenitos in terra Aegypti: ſanctifica mihi quidquid primū naſcitur in Iſrael ab homine vſque ad pecus*. Quatuor præcipue huius legis rationes aſſignari poſſunt. Prima quam tangit ipſe ſacer textus; Cum enim filij Iſraël ſub Pharaonis iugo degerent, iratus Dominus quod non permitteret illum liberè abire, percuſſit omnia eorum primogenita & de Aegyptiaca captiuitate in brachio potenti populum ſuum eduxit cum omnibus eius animantibus, & in recognitionem, & gratiarū actionem huius beneficij præcepit Deus primogenita ſibi offerri & conſecrari. Antiqui non ignorantes quāti momenti ſit gratiarum actio, multa de

Luca 2. Num. 3. Pharao. Exo. 12.

illa

Digitized by Google

illa nobis docuere: Græci enim, vt author eſt Pauſanias, dixerunt tres eſſe Gratias, cui conſentiens Alciatus cecinit. *Alciatus Emblematicus.*

Tres charites adſunt Veneri, dominumq; ſequuntur.

Lacedæmonij, eodem referente Pauſania, duas tantum apponebant: quatuor tamen aſſignat communior ſententia, vt docet Verderius lib. de imaginibus; prima floribus coronabatur; ſecunda, ſpicis frumenti, Tertia, vuarum botris, & alijs arborum fructibus; Quarta, oliuis: quo ſignificare voluerunt quod ſicut quando viget anni vbertas, floribus Maij correſpondent copioſæ Auguſti fruges, cui etiã Autũnus multis fructibus cumulatiſſime ſuccedit, ac tandem hybernum tempus oliuarum locupletiſſimum ſubſequitur; ita ille, qui in Maio florido pueritiæ debitas gratias pro beneficijs ſibi collatis Deo refert, Auguſtum iuuentutis ſuæ felicem ſibi futurum meritò expectare poterit: quòd ſi eo tempore quo ignis concupiſcentiæ vehementius ardere ſolet, beneficiorum Dei memoriam aſſumit, meritò ſibi polliceri poterit, Autumnum ſenectutis valde fructiferum, ac perfectam iudicij in rebus ferendis maturitatem: quod ſi tunc præ ſenectute viribus deficientibus, gratiarum actioni vacare non deſinit, hybernum tempus futurę ſuæ mortis, charitatis oleum ei non deficiet, quo eius lampade accenſa eum prudentibus virginibus diuino ſponſo confidenter occurrere poſſit. Dicebant deinde Antiqui, prædictas Gratias eſſe ipſas diei horas; quo non obſcure docebant, gratiarum actionem continuam ſicut horas diei eſſe debere, quarum vna abſque interpolatione ſuccedit alteri. Hoc ad vnguem obſeruabat Dauid, cum dicebat: *benedicam Dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*. Aſſerebant deinde ijdem antiqui, vt refert Verderius, Mercurium Deum ſapientiæ, ducem fuiſſe illarum Gratiarum, qui, quo abire deberent, oſtendebat; quo non aliud denotabant quàm hominem gratum, ſapientia præditum eſſe oportere, vt ſciat cui & quomodo referri debeat gratiarum actio. Inſipientes enim ſe laudantibus gratias referunt, ſapientes verò, cum laudantur, ad Deum gratiarum actionem conuertunt, à quo omne bonum ſuum proficiſci, ac ſe receпiſſe fatentur. Sicut Beatæ Virgini contigit, quæ ab Eliſabeth mirifice laudata, *benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & beata quæ credidiſti:* continuo ipſa diuinas laudes cecinit, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo:* docebat ſanè illam diuinus Mercurius, increata ſcilicet ſapientia Patris, quæ in ventre eius deliteſcebat, & ideo nouit cui gratias referre deberet.

Verderius lib. de imaginib. — *Pſal. 33.* — *Verderius vbi ſup.* — *Luca 1.* — *Luca 1.*

In hac gratiarum actione duos inſignes viros Abraham, & Ioſue ſingulariter excelluiſſe in ſacris litteris animaduerti. Geneſis enim cap. 12. refert Moyſes, quod Abraham, in quocunq; loco figebat tabernaculum ſuum, ibidem etiam figebat Altare Domino: vnde D. Chryſoſtomus hoc ipſum obſeruans in commentario illius loci, inquit: *Gratum ſe exhibuiſſe in ſingulis locis, vbi tabernaculum fecit, innuens hoc præ omnibus ei fuiſſe curæ, vt ſtructo altari preces offerret*. De Ioſue etiã ſacer textus narrat, quod quando præcepit ei Deus, vt de medio Iordanis per quem Sacerdotes ſicco pede tranſierant, Deo impetũ aquarum compeſcente, duodecim duriſſimos lapides extraheret, quos in memoriam tanti beneficij in loco caſtrorum collocaret, vbi tentoria figeret: ipſe quidem his duodecim lapidibus non contentus, alios duodecim erexit, *Alios quoq; duodecim lapides poſuit in medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt Sacerdotes, qui portabant arcam fœderis: & ſunt ibi vſq; in præſentem diẽ:* Vnde Nicolaus de Lyra in commentario huius loci ait, quod quãdo Ioannes Baptiſta in eodem fluminis Iordanis loco baptizãs dixit; *potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, reſpexit, & ſignauit prædictos duodecim lapides, quos in ſignũ & pignus maioris gratitudinis in medio Iordane conſtituerat Ioſue.

D. Chryſoſt. hom. 24. — *Ioſue 4.* — *Nicolaus de Lyra ſuper Ioſue 4.*

Hinc velim vos doceri, tanto frequentiores in gratiarum actione vos eſſe debere, quãto præ antiquis illis Patribus ſublimiora atq; excellentiora recepiſtis beneficia, præſertim Incarnationis Verbi diuini, & Euchariſtiæ cum reliquis Sacramentis, necnon Euangelicæ doctrinæ, & aliorum chariſmatum tàm communium, quàm ſingularium, quæ perlongum eſſet receſere. Id etiam cuperem vobis ſuaderi, ingratitudinẽ grauiter à Deo puniri, origінem-

ginemq; ac perennẽ omniũ malorũ fontẽ. Et vt ab hoc vltimo exordiar, conteſtantur id S.Auguſtinus, & Bernard. Ille enim de ingratitudine loquens ait: *Propter illã, mala mortua oriũtur, & viua iã opera moriuntur, & vltra non adipiſcuntur:* hic verò non longe ab Auguſtino recedens inquit: *Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorũ, virtutũ diſperſio, beneficiorũ perditio*. Sermone autẽ ſecundo de ſeptẽ miſericordijs D. Bernardus hęc valdè obſeruanda ſcripſit: *dico ego vobis, quoniam pro meo ſapere, nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filijs gratiæ hominibus conuerſis, quẽadmodum ingratitudo*. Atq; hinc eſt, quod per Prophetã Sophoniã Deus in hęc verba ingratis minatur, *Væ Ciuitas prouocatrix & redempta*. S. Hieron. in Cõment. huius loci ait, ſermonẽ eſſe ad literã contra ingratitudinẽ vrbis Ieruſalẽ, quę cũ alioquin non ſemel à Deo, ex grauiſſimis periculis fuiſſet erepta, aduerſus Deũ ingratitudinis vitio laborabat. In ſenſu vero miſtico, omni animæ ingratæ præfata verba dicũtur: in quibus animaduerſione dignũ eſt, quod, vt adnotauit idẽ S.P. Hieronymus, Interpres Gręcus vertit, *vę Ciuitas redẽpta Deum amarũ faciens:* quaſi diceret, vt verbis Hieronymi vtar, *væ Ciuitas dulcẽ Dñm atq; Clementẽ vertens in amaritudinẽ, vt ſi miſereri vult, punire cogatur*. Hinc ponderare oportet, vt propria ingratitudo clarius vobiſipſis innoteſcar, ꝙ ſi ſolã ingratitudinem illius vrbis, quæ tunc nõ aliter dicebatur redẽpta, niſi quia tẽpore Sẽnacherib ſanguine pluſquam centũ mille hominũ, & tẽpore Pharaonis, occiſione magnæ Aegyptiorum multitudinis fuerat ab inimicis liberata, adeo Deus deteſtabatur; multò magis veſtrã ingratitudinẽ exſecrabitur, qui proprio ſanguine filij Dei grauiſſimis tormẽtis effuſo, fuiſtis redẽpti, D. Petro Apoſtolo dicẽte, *ſcientes quod nõ corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati*. De vobis quidẽ tanquã ingratis iuxta ſentẽtiã D. Ambroſij cõqueritur Deus per Iſaiã dicens: *Canes muti non valentes latrare*. Canis, inquit D. Ambroſius, ſymbolũ eſt gratitudinis, quia ſi panẽ domini comedit, latratibus ſuis domũ eiuſdẽ cuſtodit; ſi tamen manducaſſet, & non latraſſet, cõtinuò odio haberetur: ad hoc ergo Deus

D. Aug. de ingratitud.ne.

D. Bern. ſer. 41 in Cant. ſerm. 2. de ſeptem miſericordijs.

Sophoniã 3.

D. Hier. ſup. c. 3. Sophon.

Hieron. tom. 8. ſuper c. 3. Sophonia Græca verſio.

1. Petr. 1.

Ambroſ. ſup. hunc locum. Iſai 56.

alludens ingratos homines qui ad referẽdas debitas ſibi gratias pro beneficijs acceptis obmuteſcunt, Canes mutos nõ valentes latrare illos vocitat. Sed non contentus Dñs varijs minis in ingratos homines inuehi, acriter eoſdẽ plectit, vt non obſcure indicat parabola illa vineæ, quam D. Matth. cõmemorat. locauerat illã Dñs agricolis, abſtulitq; eã ab eis, non quidẽ ex defectu debitæ culturæ, nõ quia ſepem ei⁹ dirupiſsẽt, nõ q̃a torcular deſtruxiſsẽt aut quoq; alio modo vineã fuiſſent deuaſtati; ſed propter ingentẽ illã ingratitudinem, occidendo propriũ filium, quem Dominus vineæ ad viſitandum illos miſerat.

Tandẽ illud dicere non parcam in hoc genere argumenti, quod D. Chryſoſt. interrogat, cur Deus hominẽ creaſſet extra paradiſum, poſtea in paradiſum eũ conſtituit, vbi amenitate & pulchritudine illius loci frui poterat? & ſapienter reſpondet in hæc verba, *Vt ex aſpectu & conuerſatione multam perciperes voluptatem, prouocareturq; ad gratitudinẽ, intelligens quantis ſit affectus beneficijs, cũ nullũ adhuc boni ſpecimen præbuiſſet* Quia tamen primus parẽs tot beneficijs cumulatus non ſolũ par pari non retulit, ſed ingratus ſummo largitori debitũ obedientię tributũ pẽdere reſpuit, exul factus eſt à paradiſo, & cæleſtibus originariæ iuſtitię chariſmatibus expoliatus, adeo vt in eo videatur impletũ illud Threnor. 2. *Tetendit arcũ ſuũ quaſi inimicus, firmauit dexterã ſuam quaſi hoſtis: & occidit omne quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quaſi ignem indignationem ſuam*.

Secũda ratio, propter quã voluit Deus olim ſibi offerri primogenita, fuit vt veluti in typo & figura nos doceremur primogenita noſtra D.O.M. deuouere, & conſecrare. Tria primogenita in nobis reperio, quę diuina Maieſtas omnino offerri ſibi vendicat. Primũ eſt, cor: *filij prębe mihi cor tuũ* Cor enim, vt Philoſophi docent, omnium membrorũ primogenitũ eſt, quia primum inter omnia vitã recipit. Equidem cũ B. Virgo in vtilitatem noſtram primogenitũ ſuũ Deo offerat, nõ eſt cur nos reſpuamus primogenitum noſtrũ in Dei honorẽ ipſi conſecrare. Parum quidem eſt omnia noſtra illi offerre, niſi cor etiam ei offeramus. Nam quemadmodum licet Deus omnia bona, quæ extra ipſum ſunt tàm terreſtria, quàm cæleſtia nobis largiatur,

Matth. 21.

D. Chryſoſt. homil. 13. in Gen. 11.

Thren. 2.

Prouer. 23.

niſi ſeipſum donauerit, minimè nos ſatiaret; eadem ratione nec nos quæcunq; illi porrigamus, ſi cor noſtrum ei non obtulerimus, minime illum placabimus, nec ei faciemus ſatis. Vnde ſicut ipſe ita dilexit nos, vt primogenitum ſuũ nobis daret: ita nos quoq; taliter eum diligere debemus, vt primogenitum, hoc eſt, cor noſtrum, liberaliter ei offeramus. Refert Seneca (quod huic argumento mirifice facit) quod cum Socrati multi præclara multa pro ſuis quiſque facultatibus munera offerrẽt, Aeſchynes pauper auditor: *nihil* (inquit) *dignum te quod dare tibi poſſim inuenio; & hoc modo pauperẽ me eſſe ſentio. Itaq; dono tibi quod vnum habeo, meipſum: hoc munus rogo qualecumque eſt, boni conſulas; cogitesq; alios cũ multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe.* Cui Socrates: *Quid ni tu* (reſpõdit) *magnũ munus dederis? ſi forte parui te æſtimas: habeo itaq; curæ, vt te meliorem tibi reddã quàm accepi.* Hactenus Seneca. Tu vero Aeſchynem imitare; non Socrati, ſed Deo totum dona teipſum; quod ſi donaueris, multo ille te meliorẽ tibi ipſi reddet. Aliud primogenitum noſtrum eſt principium vſus liberi arbitrij, quando tempus adultę ętatis in nobis incipit, quod maxime deſiderat Deus ſibi offerri. Sed pro dolor! mira eſt peruerſitas illorum qui primordia vitę ac florem iuuentutis ſuæ Veneri, fæces verò ſenectutis ſuæ Deo offerunt, ſed ideo in Inferno feces calicis iræ Dei bibent, iuxta illud Dauidis: *Veruntamen fæx eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Etenim qui tempore adoleſcentiæ prauis aſſueſit moribus, tempore ſenectutis eiſdẽ frequenter inquinabitur, vt per Salomonem Spiritus ſanctus dixit; *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Vnde Ieremias vt ſignificaret difficultatem, prauam, & antiquam cõſuetudinem in bonam commutandi, quia cõſuetudo eſt altera natura, vt docuit Ariſt. lib. de memoria, dixit: *Sicut Aethyops non poteſt mutare pellẽ ſuã, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cũ didiceritis malũ:* Sicut enim quãdo nauis peruenir ad ripã, non extenduntur vela, ſed tunc anchoram iacit Nauclerus: non ſecus quando ad vltimã ætatis tuæ merã perueneris, fruſtra tibi blandiris quod tunc vela penitentiæ tendes. Id enim incertiſſimũ eſt; facile namq; continget, vt præ grauitate infirmitatis mẽs, & ratio tibi deficiat; deficiente autẽ vſu rationis nequit liberũ arbitriũ in Deũ conuerti, & ex conſequẽti in æternũ dãnaberis. Aduerte quæſo, o miſer, quã ingenti æternæ ſalutis tuæ periculo te exponas. Primogenitũ ergo iuuentutis tuæ Deo offerre ſatage, & fructus huius oblationis in ſenectute tua cũ magno animi tui gaudio colliges. Aliud tandem primogenitũ omnino Deo offerendũ eſt, intentio ſcilicet noſtrorũ operũ, quæ meritò primogenitũ nuncupatur, cõmuni Axiomate Philoſophorũ dicente: *quod eſt vltimũ in exequutione, eſt primũ in intentione:* adeo opus eſt, intentionem Deo offerri, vt bonitate eius deficiente, prauũ neceſſe ſit opus in cõſpectu Dei prodire. Vnde D. Bernard. ſuper Cant. dixit, *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verba ex corde penſantur.* Illi quidẽ qui bona opera externa cũ praua tñ intentione exercent, perſimiles mihi videntur arundinibus, quæ extrinſecus pulchræ, intrinſecus verò vento plenæ ſunt. Perſimiles etiã tormẽtis bellicis abſq; puluere, & igne, quæ extrinſecus horrorẽ ingerunt, intus verò vacua, & infirma ſunt, quia ignito puluere carẽt. Sed melius Chriſtus Dñs illos viti infructiferæ frondibus plenæ aſſimilauit: *vitis frõdoſa Iſrael.* Eoſdẽ etiã fico comparauit abſque ficis, quam quia vidit Dominus fructu carentẽ & folijs onuſtam, maledixit & continuo aruit. Tandẽ adeò Deus opera quãtũcumq; ex obiecto bona, recta tamen intentione deſtituta exſecratur, vt Ieremias dicat Thren. 2. *Repulit Dñs altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ.* Offer igitur Deo primogenitum intentionis tuæ, alioquin opera tua diuinæ maledictionis vltionem abſque dubio ſuſtinebunt.

Tertiã rationẽ iam ſubijcio. Iuſſit Deus primogenita ſibi offerri, vt Zelotypicũ ſuũ amorẽ oſtentaret, quo vult non aliud quã ipſum à nobis amari. Nouit Moyſes hoc Dei ingeniũ, cum dixit: *Zelotes eſt nomen eius.* zelus quidẽ impatiẽs quidã amor eſt, qui competitorẽ amantẽ non admittit, cũ autem iuxta ſententiã D. Auguſt. lib. 13. Confeſſionũ, amor ſit quædam in rẽ amatã propẽſio, & põdus rapiẽs in illã tanquã in centrum cũ quo vniri appetit, hinc eſt quod quanto amor ardentior eſt, tanto vehementius impellit amantẽ in rẽ amatã, & conſequenter tanto magis curat impedimenta propulſare, quæ vnionem illam prohibere poſſunt. Hæc igitur amoris

Margin notes: *Seneca lib. 1. de beneficijs.* — *Pſal 74.* — *Prou. 22.* — *Ariſtotel. lib. de memoria.* — *Axioma philoſoph.* — *D. Bern. ſup. Cant.* — *Oſee 10.* — *Matth. 21.* — *Thren. 2.* — *Exod. 34.* — *D. Aug.*

ris impatiĕtia eſt ipſe zelus, quem Cicero 4. Tuſculan. vocauit *morbum ortum ex eo quod amans vidit amatũ.* Sed melius Salo mon Prouerbiorum 6. dixit Zelum quoddam furoris genus; *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redem ptione dona plurima.* Vnde ipſe Cantic. 8. Hoc ipſum explicans, ſingulari metaphora inquit, *dura ſicut infernus æmulatio*: quia ſicut in inferno nec preces, nec dona quidquam iuuant, vt Deus parcat, ſic zelus nemini parcit Pauſanius de Polizona refert, quod zelotypiæ furore correpta cum videret quod Phipolemus vir eius Græcam Elenam adamaret, nõ dubitauit illum interficere, vnde factum eſt vt quẽ hoſtes in bello vincere non poterant, zelus vnius feminę vſq; ad interitum ſuperaret. Lacodicea etiam vxor Antiochi Regis Syriæ hac eadem Zelotypici amoris ira petcita, curauit, & obtinuit, vt pulchram feminam nomine Beranice, ſimul cum filio quem ex ea Rex genuerat, miſera mor te interirent. Ac tandẽ Doriæ, vxor Lyci Thebarum Regis propter leuem quãdam ſuſpicionem ad collum Tauri alligari fecit, quem ſubiectus ignis tanto impetu abire fecit, vt confeſtim corpus eius in fru ſta diſcerperet. Cum ergo Dei perfectiſſimus ſit amor, neceſſe eſt perfectiſſimam etiam habeat Zelotypiã; & inde eſt quod ſolicitam curam gerit, ne alij debitum ſibi noſtri cordis amorem vlla ratione vſurpent. Hac enim ratione, vt primo Regũ legimus, idolũ Dagonis iuxta arcam Teſtamenti à Philiſthæis collocatum longe à ſe expulit, & caput, & pedes præcidit. Ezechias etiam iuſſit ſerpentem æneum in minutiſſimas partes conteri, quia iam cæperant Iſraëlitæ tanquam Deum illum colere: deinde vero cum primùm infanrulus Herodis tyrannidem fugiens Aegyptũ ingrederetur, idola omnia concidit & cõ-
Iſaias 19. minuit, vt prædixerat Iſaias; *Ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius.* Deinde idem zelus compulit eundem grandiorem factum, vt nihil authoritatis ſuæ derogari arbitraretur, ſi accepto flagello templi prophanatores longe ab eo expelleret, implens illud
Pſal. 68. Dauidis: *Zelus domus tuæ comedit me.* Vnde ſicut comedens conuertit in ſe cibum, ita zelus comedit Chriſtum, & in ſe illum conuertit, vt iam non ſolum zelotes, ſed zelus ipſe eſſet. Atq; huc facit quod narrat D. Auguſtinus lib. de conſenſu Euan- *D. Aug. lib. 1.*
geliſtarum, quod tametſi Romani libera- *1 cap. 12. de*
les, ac munificos ſe exhibuerint in exſtruẽ- *conſenſu Euã*
dis, ac ſacrandis templis quibuſcunq; Dijs *geliſtarum.*
ad eorum notitiam venirent, Deo tamen Iſrael, licet alioquin Iſraelitas imperio ſuo ſubiugarant, nullum templum ſacrarunt; ſcientes adeo zelotem eſſe, vt nullum alium Deum ſecum adorari pateretur, atque adeo ſi aliquod in eius honorem tẽplum erigendum eſſet, neceſſarium foret omnia alijs dijs dicata phana ſolo æquari ac penitus euerti. Hic igitur zelotypicus Amor, qui in diuino corde mirifice ardet, illum compulit ad legem condendam de primogenitis ſibi offerendis, ac in templo ſacrandis: quia ſemper filij primogeniti ardentius à parentibus amantur, & quantum amoris eis impeditur, tantundẽ Deo aufertur. Amabat Heli filios ſuos pluſquã oporteret, diligebat inordinate Dauid Abſalonem, necnon primogenitum quem ex Berſabe genuerat, & ideo Deus zelotypico amore concitatus, illos de medio ſubſtulit. Ac tandem (vt id obiter dicam) crediderim frequenter Deum multis temporalibus bonis homines priuare, vt vxore, filijs, fratribus, amicis, pecunia, & alijs ſimilibus, quia exceſſiuo amore in illa feruntur, quem zelotypicus Dei amor ſecũ nulla ratione admittit: imo quod mirabilius eſt, zelotypiam habens humanitatis Chriſti, cui eius diſcipuli vehementer adhærebant, de medio eam abſtulit in die Aſcenſionis, vt puriorem ac defæcatiorẽ eorum amorem redderet, dũ in Deitatis dilectione ardentius, quàm in humanitatis amore ſe exercerent, prout reuera per aduentum Spiritus ſancti factitarunt.

Quarta ratio ſit, ea propter voluiſſe Deum, vt ex omnibus filijs ſolum primogeniti ſibi in templo ſacrarentur, quia hi ſolent deteriores euadere, & prauis moribus ex nimia parentum licentia frequentius imbui. Teſtis huius veritatis eſt Cain primogenitus Adami, qui innocentem fra trem ſuum Abel immaniter accidit. Teſtis *Gen. 4.*
Iſmahel Abrahami primogenitus, qui fratrem ſuum Iſaac Idola colere docebat: hic *Gen. 21.*
enim erat ludus quocum illo iocabatur, vt Interpretes communiter adnotant. Teſtis eſt Eſau primogenitus patris ſui, quẽ tamen conſtat propter eius ſcelera reprobatum eſſe, & ab vtroq; Regno exclu- *Ad Rom. 9.* *Gen. 49.*

Reg. 15.

ſum à Deo; *Eſau odio habui*: Teſtis Ruben primogenitus Iacob, ſceleſtus adeo & diſcolus, vt Pater eius maledictionem ei inferre cogeretur. Teſtis Abſalon, filius maior Dauidis, qui patri inobediens ac rebellis machinatus eſt Regnum ei eripere, & ex quercu tandem pendens, tribus lanceis confoſſus interijt. Videns igitur Deus filios maiores, vt in plurimum fieri nequiores, idcirco vt meliores redderentur, voluit diuina eius lege id præcipiĕte, in templo ſibi ſacrari, ac diuinis obſequijs mancipari. Vltimam rationem adnecto

Voluit Deus in lege veteri primogenitos ſibi offerri, vt in lege gratiæ fideles diſcerent, decimas & primitias ſibi conſecrare ad Miniſtros diuini cultus alendos. Iſtarum oblatio rationi adeò conſona eſt, vt apud Ethnicos ſolo lumine rationis illuſtratos decimas Deo ſoluendi mos viguerit. Narrant enim Plinius, & Solinus, quod collecto cinnamomo Sacerdos cum haſta ad hoc conſecrata ſarmenta diuidebat, ita vt partem ſibi, & partem Domino dimitteret. De thure etiam idem Plinius cõmemorat, quòd poſt quàm erat collectũ in Ciuitate Sabotan, non licebat illud vĕdere, donec Sacerdos partem ſuã habuiſſet. De Melchiſedech rurſus legis naturæ ſacerdote Gen. 14. legimus quod Abrahã dedit ſibi decimas de omnibus quę babebat, vnde Apoſtolus dixit, *Intuemini autĕ quantus fuerit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abrahã Patriarcha.* In lege tandem ſcripta diuina lex decimas dari imperauit. In Leuitico enim dicitur: *Omnes decimæ terræ Domini ſunt*: & in Exod. *Decimas & primitias non tardabis Deo offerre.* & lib. Num. *filijs Leui dedit omnes decimas* imo offerendas monuit bilari vultu, quia hilarem datorem diligit Deus. & Salomõ expreſsè nos monet: *in omni dato tuo bilarem fac vultũ tuum, & ſanctifica in exultatione decimas tuas.* Demum D. Auguſt. in ſermone de decimis, ad idem ſingularĕ rationem tradit ad ſuadendam decimarum ſolutionem, *Attende* (inquit) *quod decima inter intellectuales creaturas eſt homo, quia Angeli in nouem ordinibus conſiſtunt, decimus vero ordo eſt hominũ: & ideo eſt hominis decimam ſoluere, vt ruinam Angelorum valeat ſupplere, & decimũ ordinem adimplere.* Ibidem etiam minatur pænam debitã decimas non ſoluentibus, diuinitus infligendam: *Hæc eſt*, ait, *Domini iuſtiſſima conſuetudo, vt ſi tu illi decimam non dederis, & tu ad decimam reuoceris.* Hoc eſt, vt exponit ibi Gloſa, *ad dæmones qui ſunt Angelorum pars decima, aſſocieris.*

Plin. lib. 12. c. 20. Solinus c. de Ethyopia. — Plin. lib. 12. cap. 15. — Ad Heb. 7. — Leuit. 27. — Exod. 22. — Num. 18. — Eccleſiaſt. 35. — D. Aug. ſerm. de decimis. — D. Aug. vbi ſupr. & habet. 16 q. 1 c. decimæ.

Vt tamen in hoc genere argumĕti paucis multa perſtringam præclara atq; erudita verba eiuſdem D. Auguſt. in lib. 50. Homiliarum apponã, vbi ait: *Maiores noſtri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & celeriter cenſum reddebant. Modo autem quia diſceſſit deuotio Dei, acceſſit indictio fiſci: noluſmus partiri cũ Deo decimas, modo autĕ totũ tollitur: hoc tollit fiſcus, quod non accepit Chriſtus.* Atq; hinc eſt, quod ſacrũ Cõc. Trid. ſeſſ. 25. præcepit excõmunicandos, non ſoluentes decimas, nec abſoluendos ante reſtitutionĕ.

D. Auguſt. lib. 50. hom. 48. tom. 10. — Conc. Triden. ſeſſion: 25. c. 12.

Porrò prędictis omnibus rationibus Coronidem apponens, arbitror ea propter Deum legem de primogenitis ſibi offerĕdis condidiſſe, vt nos profiteremur eſſe primam & ſupremam cauſam, & principium omnium operum, iuxta illud Iſaiæ: *Omnia opera noſtra operatus es Dominus nobis*: & quod ſicut eſt principium à quo oĩa bona proficiſcũtur, ita debet eſſe finis, in quem proinde omnia noſtra referãtur.

Iſaia 26.

Ad extremum, vt ad Chriſti Domini præſentationem, ſermonem conuertam, in ea ſane per plures virtutes effulgent, ac permulta etiam vitia ad noſtram inſtitutionem apertè damnãtur. Fides aſtruitur, dum ſub infantili corpore immenſa Dei Maieſtas deliteſcere, firmiter à multis ibi aſtantibus creditur. Spes noſtra erigitur, dũ per illum in cælis præſentari ſperamus, qui ſe in terris pro nobis pręſentari voluit. Charitas accĕditur, dum præ nimio amore nos redimendi, ſeipſum nunc in prętium pro nobis offert in templo, offerendum poſtea cruento ſacrificio in Cruce. Humilitas in eo maxime elucet, cum vĕdi ſe permittit à Sacerdote Hebræo quinq; Siclis, vendendus poſteà à Iuda triginta argenteis. Obedientia enitet in cuſtodia, & obſeruantia diuinę legis, à qua alioquin erat exemptus. Religio & cultus diuinus in oblatione primogeniti, & auium, quę lege præſcribebantur, necnon in Templi frequentatione mirificè ſplendet: abſtinentia in ieiunijs Annę commendatur, virginitas in Chriſto & Maria ſe oſtentat matrimonium ſanctum in Ioſeph repræſentatur, viduitas inculpabilis in Anna docetur, immaculatum Sacerdotium, & Prophetiæ

do-

donum in Simeone venerari monemur. Hic rurſus ſuperbia & arrogantia confundirur, quando parentes pùritatis fonres purificandi adueniunt. Libido compeſcitur in ſacris his coniugibus, cui illi nunquam vacarunr & ad non vacādū ſpeciali ſe obſtrinxerant voto. Ira retunditur in Chriſto agno vendito & tacitumo; Impatiētia exploditur in Maria patienter ferente, quod à Simeone audiuit, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Cui ſit honor, &c.

Homilia XI.

Proſequimur eandem Paraphraſim, verba illa varijs animi conceptionibus, nec non vberrima priſcorum Patrum doctrina illuſtrantes: Vt daret hoſtiam ſecundum, quod dictū eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum.

Luc. 2. CONSVLTO arbitror ſacru Euangeliſtā paucis verbis ter inculcaſſe, *ſecundū legem Dñi*: Primò dixit: *ſecundùlegē Moyſis*. Secūdo, *ſicut ſcriptum eſt in lege Domini*. Et tertio, *ſecundum, quod dictum eſt in lege*. Id ſanè fecit ad monendum nos, vt quemadmodum Chriſtus Dominus, & Maria quęcūq. operabantur, erant iuxta legem Domini, ita & nos eorum veſtigia ſequētes, omnia noſtra opera diuinæ legi conformemus. & quia, vt Auguſtinus docuit, *omne peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*, ideò notanter tribus vicibus dixit, *ſecundum legem Dñi*, cui in tribus conformari debemus, in cogitationibus, in verbis, & in operibus. Sed quo modo quæſo præcipimur omnes legi conformari, ſi Paulus dicit: *Iuſto non eſt lex poſita ſed iniuſtis*: ille autem cui non eſt impoſita lex, non tenetur ei conformari, & conſequenter ſi conformari deſinat, non erit tranſgreſſor legis, quia *vbi non eſt lex, nec prævaricatio*, vt dixit Apoſtolus. Sanè cum Paulus ait, iuſto non eſſe legem poſitam, non negat ei eſſe impoſitam, quantū ad vim directiuam, ſed quantum ad vim coactiuam, quia vt rectè in commenrario huius loci exponit Lyranus, *Iuſtus, id eſt, vir perfectus, non cohibetur timore pænæ à malis, ſed virtutis amore, & ſic eius voluntas eſt legi conſona, propter quod per legem non cogitur, quia coactio violentiam importat. Sed ſic lex poſita eſt hominibus malis; propter quod ſubditur; ſed iniuſtis*. Vnde D. Chryſoſtomus acutè ſaris dixit, eundem locum elucidans: *Lex malis ſuppliciorum denunciatrix eſt. Ceterum ei, qui coronis digna per geſſerit, ad quid erit vtilis lex? Ad nihil profectò: quemadmodum & Medicus confecto vulneribus, non ſana, nec bona valetudine prædito vtilis eſt*. Confirmat hanc expoſitionem egregius alius eiuſdem Pauli locus, dum ad Galatas ſcribens vocat legem Dei *pædagogum*. Illud enim intereſt inter puerum, & ſeipſum iam factum virū, quod in puerili ætate timore flagelli inſtitutionem pædagogi, & eius lectionem capit; vir tamen factus, ſtudio litterarum, & virtutis amore allectus, Pædagogi doctrinam ſuſcipit. Sic iuſtus virtutis, & Dei amore incenſus diu inæ eius legi obſecundat; Diſcolus verò inſtar pueri indiget frę no legis coërceri, quo tamen ille nō eget: & hoc eſt, poſitam eſſe huic legem, & illi non. Et hinc eſt, quod iuſtus cum legem impler, non putat ſe in duram ſeruitutem redigi, ſed potius ad regnandum vocari, cum ſeruire Deo regnare ſit. Quod eleganter explicuit Targum ſeu Verſio Chaldæa: nam vbi noſtra Vulgata legit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate*, in hæc ſingularia verba vertit illa: *Stabit liber legis in latere dextera tua, & exarabitur in exemplari ſplendor tuus*. Ecce quam vocat Dauid Reginam à dextris Dei aſſidentem, eandem Chaldæus vocat legem Dei à dextera eius poſitam, vt ſignificaret diuinam legem obſeruantes, Principes eſſe & Reges, à dextriſq; eius eſſe conſtituendos, iuxta illud Chriſti Domini: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnū*.

Verùm antequàm legem de offerendis turturibus, aut columbis explicē, non poſſum ſilentio præterire legem aliam, quam etſi Euangeliſta prætermiſit, certum eſt à Beatiſſima Virgine diuinę legis obſeruantiſſima cuſtoditam fuiſſe. Hanc tradidit Moyſes lib. Num. c. 4. *De primogenitis filiorum Iſrael accipies quinq; ſiclos per ſingula capita ad menſuram Sāctuarij*. Et infra c. 18. *Cuius redemptio erit poſt vnum menſem ſiclis argenti quinq; pondere Sanctuarij*. In cuius loci Commenrario Nicolaus de Lyra ait: *Intelligitur de Primogenitis aliarum tribuum à Tribu Leui, cuius primogeniti erant Deo oblati ad miniſterij*

D. Aug. lib. 22. contra Fauſt. c. 27.

1. ad Tim. 18.

Lyr. ſup. 1. ad Timoth. c. 1.

D. Chryſoſt. Timoth. 1.

Galat. 3.

Targ. Chald. ſuper Pſ. 44.

Matth. 25.

Num. 4.

Nicol. de Lyr. ſuper cap. 30. Exod.

Tabernaculi. Siclus autẽ (vt idẽ adnotat) quo ſacerdotes vtebãtur in tẽplo, habebat quatuor drachmas ſecundum Ioſephum: (*Ambroſ. Calep. verbo drachma, idẽ verbo ſcrupulus.*) drachma verò conſtat ex quinque obolis, vel vt Ambroſius explicat, ex tribus ſcrupulis: ſcrupulus deinde ex duobus obolis coaleſcit, vt idem Ambroſius tradit: ſacra autem Scriptura præcitatis locis Exodi, & Numerorum expreſsè inquit, ſiclum viginti obolos habere. Obolus deniq; vt idem ait, genus ponderis eſt, conficiens ſextam partem drachmæ Atticæ, hoc eſt, æreolam ſex, ſingula autem æreola ſeptem continẽt minutias. Fuit prætereà obolus, minimum numiſma apud Athenienſes, quod ſepties ſumptum explebat drachmam Atticam. Ad Gallicæ autem monetæ æſtimationem redactum valet denariolos Turonẽſes ſeptem. Ego verò addo, quod facta computatione quinque Siclorum æquiualeãt ferè duodecim argenteis ſimplicibus, qui Italicè *Paulos*, vel *Iulios*, Hiſpanicè verò, vel Gallicè, *Reales* nũcupantur. Quidquid autem ſit de quantitate huius pretij, illud mirabile eſt, quod Conditor, & Redemptor generis humani voluerit quinq; ſiclis emi, & redimi. Huius autem emptionis, Scriptura valdè authentica, varijſque circunſtantijs conſtabilita hodie in Templo diuulgatur. Scriba, ſeu tabellio illius Simeon fuit peritiſſimus ſcribarum, qui proximus iam morti, & quaſi manu vna calamum, altera lucernam tenens teſtimonium omni exceptione maius perhibuit, aderat tunc in Templo, proprio loco veritatis confirmandæ. Superni teſtes Seraphini Sanctuarij extitere, qui ab vmbra huius myſterij, & figuræ oculos auertentes, in rem ipſam adumbratam, & præfiguratam, Chriſtum ſcilicet Dominum æterno Patri præſentatum illos conuertebant. Terreſtres verò, qui aderant, feminæ, & viri ſanctitate cõſpicui, teſtes fuere eiuſdem Scripturæ, cuius celebrationis annus idem fuit, qui Natiuitatis Chriſti, qui meritò annus veritatis nuncupari meretur, cum in eo veritas de terra orta ſit. Sanè, hæc emptio, & venditio è diametro mihi oppoſita videtur venditioni Iudæ, cum illa fuerit valida, hæc inualida, quia venditor fur erat, & latro, dum alienum vendebat, & ſui iuris non erat. Emptor etiam iniuſtus & ſacrilegus; iniuſtus quidem, quia emptor malæ fidei, & quia multo minori pretio incomparabiliter emit, quàm res valebat. Sacrilegus etiam, quia rem ſacerrimam, Chriſtum ſcilicet Deum, & hominem pecunia commutauit. Interuentor deinde illius venditionis, qui ab Hiſpanis *Corredor* nuncupatur, antiquus ſerpẽs fuit, (*Ioan. 13.*) Ioanne dicente: *Cum Diabolus miſiſſet in cor eius*. E contra certè in venditione hac per quinque ſiclos accidit, quia venditor eſt Pater æternus, qui non vendidit rem alienam, ſed adeò ſuam, vt ſit ei conſubſtantialis, & idem prorſus ſecundum diuinitatem, (*Ioan. 10.*) iuxta illud Chriſti Domini: *Ego, & Pater vnum ſumus*. Beatam autem Virginem emptricem fuiſſe bonæ fidei nemo inficiabitur, qui attenderit illam tanquam procuratricem generis humani quinque ſiclis ipſum legaliter redemiſſe, vt quinq; cruentis vulneribus eundem poſteà nos redempturum, nobis ipſis traderet. Scriba autem, quem elegit, ad celebrandum hunc mirabilem contractum, & ad firmandam eius ſcripturam, non vulgaris fuit, ſed talis quidem (quod commune eſt omnibus Euangeliſtis) vt nihil prorſus ſcriberet, niſi quod Spiritus ſanctus ei afflabat: Ne autem ſigillum, quod Scripturæ magnam authoritatem præbet, hic deſideraretur, Simeon ſcriba illud appoſuit, dum (*Luca 2.*) dixit: *Poſitus eſt in ſignum, & contradictionem, cui contradicetur.* Hoc quid quæſo aliud fuit, quàm regio Crucis ſigillo illam conſignare, in qua poſteà nos redempturus erat, (*Ad Colos. 14.*) delens quod aduerſus nos *erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis?* Hac igitur ſolemni ſcriptura, & contractu emptionis tot teſtimonijs conſtabilito, verus Iſaac à Patris gladio liber euadit, (*Geneſ. 22. Leuit. 14. Eiuſdem. 16. Geneſ. 41.*) Paſſer ſolitus in ſacrificio leproſi offerri euolat, Hircus Emiſſarius per deſertũ libertate donatus abire permittitur, ac tãdẽ vinctus Ioſeph liber è carcere egreditur. O mirabilem ſcripturam! ò ſalutarem contractum, ò fructiferam & inauditam emptionem! Magna certè illa emptio, quam (*1. Corinth. 6.*) proclamat Apoſtolus: *Empti enim eſtis pretio magno:* ſed audeo dicere, iſta quodammodo maior eſt, quia non mundus, ſed Dominus, & Creator Mundi, non magno, ſed exiguo pretio comparatur. O bone Ieſu, iam noſter es duplici iure: te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit. Noſter es, quia datus; noſter es, quia emptus; (*Pſalm. 118.*) duplici re iure poſſidemus. Cum iudicaturus Orbem adueneris, memento quia nobis emptus es; iuſtus es Domine, redde

vni-

vnicuique quod ſuum eſt; redde te ipſum nobis, quia duplici (vt dixi) titulo noſter es. Quod ſi tu noſter es, omnia quoque tua noſtra ſunt; cuius enim eſt perſona, eiuſdem & bona omnia illius ſunt: noſtra igitur ſunt merita tua, noſtra vulnera tua, noſtri vagitus infantis, noſtri labores docentis, noſtri dolores morientis. O me diuitem,& felicem tantis meritis. Exaggera nunc crimina, aggraua peccata, repete ad integrum debita, maiora ſunt merita mea, maior eſt ſatisfactio mea,maiora ſunt obſequia mea: Mea,inquam, non mea, quæ ego feci, ſed mea quæ à te facta ſuſcepi.

O magnum, & mirabile ſacramentum! ò mirum ſapientiæ Dei conſilium! lex pro omnibus primogenitis fertur, ſed in vno ſolo intentio legis impletur. Statutum erat inuiolabili decreto, vt omnis primogenitus venderetur, vt cùm ille Virginis primogenitus naſceretur, ipſe quoque à matre emeretur, non ſibi ſoli,ſed Mundo, & per hãc eius emptionem in omnia illius opera Mundus actionem ſortiretur. Sed vt hoc iure gaudeamus, oportet, vt vnuſquiſque noſtrum Primogenitum Virginis emat. Nec enim quiſpiam,quantumcumque pauper, excuſari fas eſt ab hac emptione: nam licet res emenda ſit Theſaurus infiniti valoris, non iam quinque ſiclis, ſed vnico ſuſpirio, vnica pœnitentiæ lacrymula,vnico cordis gemitu illũ emere poteris, quia, vt rectè dixit Diuus Auguſtinus de verbis Domini: *Tantum valet, quantum habes: ſi multum habes, multum valet; ſi parum,hoc da, & poſſidebis illum,* *D. Aug. ſermo. de verb. Domini.* non enim ingenium Dei eſt inſtar Mercatorum huius ſæculi,à quibus ſi pauper velit emere,tantum oportet tribuat,quãtum Diues, ſed liberalem erga omnes ſe exhibens, ſicut diuitis pretium magnum ſuſcipit,ita pauperis exiguum non reſpuit. Petrus,& Paulus,Laurentius,& Vincentius, & reliqui inclyti martyres ſanguinis pretium obtulerũt, Vetula autem Templi non niſi duo vilia minuta. Publicanus, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Latro, *Memento mei Domine?* & ante illos Dauid, *Tibi ſoli peccaui*. *Marci. 12. Luc. 18. Luc. 23. Pſal. 50.* Ecce quàm diſcrepantia pretia iſti obtulerunt. Illi ſanguinem, hi lacrymas effuderunt, & tamen Primogenitum Virginis obtinuerunt. Extat huius rei egregia apud Exodum figura adamuſſim id adumbrans. *Exodi 25.* Nam dum fabricaretur Templum, ne quiſpiam ſe excuſare poſſet à munere aliquo ad eius erectionem offerendo,omnes voluit non amplius donare, quàm iuxta vniuſcuiuſque facultatem. Vnde poſtquam pro diuitibus nominauerat *aurum,argentum,æs,hyacinthũ, purpuram, Coccum bis tinctum, & byſſum:* continuò ſubiecit alia viliſſima, vt, *pilos Caprarum, pelles Arietũ rubricatas, & ligna ſetim, & oleum ad luminaria concinnanda*. Ecce quomodo in figura docuit Dominus, tàm diuitem, quàm pauperem, hoc eſt,tàm incipiẽtem,quàm proficientem, aut perfectum virum poſſe hunc Theſaurum emere. Vnde qui non poteſt ei offerre virginitatis pretium, quia iacturam eius fecit, offerat caſtitatem; qui cælibatum non habet offerre, offerat Matrimonij Torum immaculatum; Et qui non tanta viget manſuetudine, vt vna maxilla eius percuſſa, confeſtim aliam percutiendam præbeat, iniuriam ſaltem ſibi illatam condonet; Et qui tandem non poteſt aurum, argentum, & purpuram, tàm inanimato,quàm animato Dei Templo offerre, offerat pilos Caprarum,offerat aſſem, aut calicem aquæ frigidæ,hoc enim pretio, & ſi quod eſt vilius,Deus à paupere emitur. At Beatiſſima Virgo tanquam bonis ſpiritualibus, ac diuinis Chariſmatibus locupletiſſima, nõ ita exiguo pretio emit ſicut nos, ſed magno,& cariori; nam cum Sanctus Simeon in memoriam ei reuocauit Chriſti Domini mortem: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam &c.* & *tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* omnia paſſionis Chriſti inſtrumenta acerbè illius cor excruciare cæperunt, funes comprehenſionis illam conſtrinxerunt, flagella exulcerarunt, ſpinæ transfixerunt, claui perforarunt, fel & acetum amaricarunt, ac tandem quinque cruenta Chriſti vulnera totidem in corde eius infixerunt, vt iam Beata Virgo non tantum quinque ſiclis, ſed quinque acerbiſſimis plagis, alijſque grauiſſimis doloribus filium ſuum nobis emiſſe meritò cenſenda ſit.

Porrò iam ad Turtures, & Columbas, quorum meminit ſacer Euangeliſta, orationem conuertens,duo antequàm ad Allegoricum ſenſum accedam, priùs examinare cenſui.

Primum eſt,an Turtures, vel Columbæ oblatæ à B. Virgine, habuerint veram naturam

turam Columbarum, vel Turturum, an ſpeciem, & apparentiam tantum? Hoc enim ſecundum perſuaſit ſibi Origenes homilia 14. in Lucam dicens: *Nouum quid forſitan videar inferre, ſed pro maieſtate rei parum dignum: ſicut noua fuit generatio Saluatoris, non ex viro, & muliere, ſed ex ſola tantum Virgine: ſic & par Turturum, & duo Columbarum, non fuerunt tales, quales oculis carnis aſpicimus, ſed quales Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ deſcendit, & venit ſuper Saluatorem, quando in Iordane fuit baptizatus; tale fuit & par Turturum. Non erant volucres iſtæ, vt illæ, quæ per aerem volitant, ſed diuinum quiddam, & humana contemplatione auguſtius, quod ſub ſpecie Columbæ, & Turturis apparebat, vt non talibus victimis, qualibus omnes homines, ille, qui pro toto mundo naſcebatur, & pati debebat, coram Domino mundaretur. Sed vt diſpenſatio eius noua omnia; ita etiam nouas haberet hoſtias ſecundum voluntatem omnipotentis Dei.* Hactenus Origenes, qui putat, quod quemadmodum Sacra Scriptura ſimpliciter, & abſolutè ait tres viros apparuiſſe Abrahæ, & ſuper Chriſtum in Iordane deſcendiſſe Columbam, & in die Pẽtecoſtes ignem ſediſſe ſuper capita Apoſtolorũ, & tamen iſta omnia re ipſa non erant ſecundum naturam ſuam talia, qualia apparebant, vt de viris in apparitione Abrahæ, & de igne in die Pentecoſtes vnanimis eſt omnium Interpretum ſententia. De Columba verò tota ferè Patrum antiquitas docet non habuiſſe veram Columbæ naturam, ſed ſpeciem tantùm. Ita docuere Diuus Auguſtinus, D. Ambroſius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Chryſoſtomus, D. Thomas, Optatus Mileuitanus, Theophilactus, Eutymius, Lyranus, Gloſa ordinaria, Abulenſis, Caietanus, Ianſenius, & Procopius. Vnde Franciſcus Suarez horum Patrum ſententiæ adhærens inquit: *Omnes aliæ apparitiones, quæ miniſterio Angelorum in corporibus aſſumptæ factæ ſunt, ita explicantur, vt res non ſint veræ, quæ apparent, niſi fortaſsè quando res apparentes ſimt ita ſimplices, ſeu imperfectæ, vt non poſſint facilius repræſentari, quàm fieri, vt nubes, & aliæ res huiuſmodi; non verò res aliæ perfectæ, ac viuentes.* Ita putat Origenes, Turtures, aut Columbas, quas Virgo obtulit, non veras, ſed apparentes fuiſſe: maximè quia cum Virgo exempta eſſet ab ea lege, eamque impleret ad vitandum ſcandalum in neſcientibus myſterium, certè impletioni legis ob hunc finem ſufficienter ſatisfaciebat offerendo Turtures, & Columbas apparentes. Ceterum Cardinalis Toletus Origenis ſententiam labefactans ait, *Volucres non eſſe communes, quales pro alijs offerri conſueuerant, videtur figmentum nulla authoritate, aut ratione fundatũ. Qui enim legem impleri voluit, ea quæ ſecundum legem erant, offerri decreuit.* Cùm ergo Beata Virgo offerret hoſtiam Turturum, aut Columbarum, prout præſcribebatur in lege, vt expreſſis verbis tradit D. Lucas, *vt darent hoſtiam ſecundum, quod dictum eſt in lege Domini, par Turturum, aut duos pullos Columbarum:* per legem autem euidens ſit iuberi offerri veros Turtures, & veras columbas, & non phãtaſticas: conſequens eſt illas, & non has obtuliſſe Beatam Virginem. Vndè Idem Franciſcus Suarez præcitato loco dixit: *De fide certum eſt, aues illas fuiſſe veras, quales ab alijs offerri ſolebant.* Nec eſt eadem ratio de his volucribus, & de exemplis ſupra relatis in fauorem Origenis, quia in illis per ſolam apparentiam ſaluatur veritas textus; ſecus autem in præſenti facto, vbi non poteſt verificari Beatam Virginem impleuiſſe legem de offerendis veris Turturibus, & colũbis. Illud deinde, quod ibidem ait Origenes, Beatam Virginem hoſtiam obtuliſſe in Turturibus, & pullis columbarum ſimul, quod & docuit Ricardus, nec non D. Ambroſius relatus à Gloſa ordinaria ſuper cap. 2. Lucæ, mihi planè videtur pugnare cũ verbis Diui Lucæ, qui non copulatiuè, ſed disiunctiuè ait obtuliſſe *par Turturum, aut duos pullos columbarum*: Vnde cuius generis ex his duobus fuerint volucres, quas Virgo obtulit, incertum omnino nobis reliquit. Veroſimile tamen eſt, vt aſſerũt Pomerium, & Maldonatus, obtuliſſe pullos columbarũ, tùm quia vſitatum magis erat columbas offerre in Templo, qui enim ex illo eiecti fuerunt a Chriſto Domino, non fuerunt reprehẽſi, quia Turtures, ſed quia columbas vendebãt, vt ait Matth. cap. 21. tùm quia faciliori pretio à pauperibus columbę emi poterant; Virgo autem ob eximiam etiam paupertatem non obtulit Agnum, vt Leuitici lege præſcribebatur: *Deferet Agnum anni-*

Orig. hom. 14. in Lucam.

D. Aug. epiſt. 102. & lib 3. de mirac. Script. c. 5. & li. 2. de Trinit. c 5. D. Amb. lib. 1. de ſacr. c 5. S. Grego. Naz. orat. 39. Chryſ. ſuper c. 3. Matth. D. Thom in 1. diſt. 16. a. 3. q. vnica. Mileuitanus lib 4. cont. Parmenianum. Theoph. ſup. c. 3. Matth. Eutymius ibidē. Lyran ſupra c. 3. Mar. Gloſa ord. Matth. 3. Abulen q. 48. & 84. in c. 3.

Matth. Caiet. ibidem. Ianſen. ibidē. Procop. ſup. Geneſ. 18. Franc. Suar. 3 par. q. 36. art. 4. Cardinalis Toletus.

Lucæ 2.

Franc. Suarez vbi ſup.

Pomer. li. 3. de Beat. Virg. p. 1 a. 2. Maldo. in c. 2. Lucæ. Matth. 25.

anniculum in holocauſtum. Vndè ſcitè Cardinalis Toletus ſuper cap. 2. Lucæ ait: *Notãda eſt magna, & vera paupertas Chriſti, & parentum, quæ tanta erat, vt Agnum Deo ipſi offerre non potuerint, & verba legis in eis ſint verificata, nempè: Si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnũ, ſumet duos turtures, aut duos pullos columbarum.* Idipſum dixerat prius Aymon homilia 2. de Purificatione in hęc verba: *Tantæ paupertatis fuerunt parentes Domini, id eſt, Beatus Ioſeph, & Beata Maria, vt in oblationem Domini non habuiſſent Agnum, quem offerrent, ſed ſicut ſcriptum eſt, obtulerunt pro eo Domino par Turturum, aut duos pullos columbarum.* Illud autem, quod quibuſdam difficultatem ingerit, qua ratione cum paucis ante diebus Beata Virgo ſuſcepiſſet munera auri, Thuris, & myrrhæ à tribus Regibus Chriſto oblata, non obtulit Agnum? ex multiplici capite facilè euaneſcit: Tùm quod cum munera illa diuinitus fuiſſent ad miſticam ſignificationem ordinata, non oportuit fuiſſe in magna quantitate, vt vulgus putat. Nec obſtat, quod ſacer Euangeliſta dicat, *Apertis Theſauris obtulerunt ei munera aurum, thus, & Myrrhã.* Quia aliud eſt dicere, apertis theſauris, & aliud donatis; ex Theſauris enim apertis potuerunt extrahere exiguam ſingulorum munerum quantitatẽ ad ſignificandum Chriſtum Dominũ Deum, & hominem, & Regem eſſe. Tùm etiam quia licet illa fuiſſent magni momenti munera, iam Beata Virgo alioquin liberaliſſima, & magnificentiſſima in pauperum, & egenorum vſus illa conuerterat, vt docet D. Bonauentura libro de vita Chriſti cap. 9. Vel certè ad ſingularem eius prudentiam referri poteſt, quod in viaticum pro profectione in Aegyptum, quod ipſa præcognouerat, illa ſeruauit. Vel certè ad ſummam eius modeſtiam pertinebat non offerre Agnum: nec enim decebat, vt mulier, quæ pauper erat, diuitum repentè in Templum oblationem inferret, & proinde paupertatis ſtatum quem amabat, mutaret. Verùm enim vero licet pauperrima eſſet Virgo, bonis tamen cæleſtibus ditiſſima, agnũ immaculatum, cuius ſanguine redempti ſumus, & de quo fas erat illi dicere: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, æterno Patri obtulit, Agnum, inquam, non anniculum, immo nec bimeſtrem, ſed quadraginta dies habẽtem à temporali ortu ſuo, ſimul tamen antiquum adeò, vt egreſſus eius à Patre à diebus æternitatis computetur.

Leuitici 12. *Aymon.* *D. Bonau.* *Ioan. 1.*

Quare autem, cùm ſacer Euangeliſta Lucas, qui à Beata Virgine facilè diſcere potuerat, an Turtures, aut Columbas obtuliſſet, incertos de hoc nos voluit relinquere, ſub diſiunctione dicens, quod alterum iſtorum obtulit? difficile eſt rationem litteralem inuenire. Solum reperio Venerabilem Bedam miſticam hanc aſſignantem: *Columba, quæ aggregale animal eſt, Turtur verò ſolitarium, vitam communitatis, & ſolitudinis, ſeu ſolitariam denotant, & quia vtraque Conditori accepta eſt hoſtia, conſulto Lucas vtrum Turtures, aut pulli columbarum pro Domino ſint oblati, non dixit, ne vnum alteri viuendi ordinem præferret, ſed vtrumque ſequẽdum, vtrumque diuinis cultibus doceret offerendum.* Cur denique, vt ſacer textus dicit, B. Virgo obtulerit duos pullos columbarum, & non Columbas, aut pullos Turturum, & non Turtures? Diuus Bernardus ſermone 59. in Cantica, hanc putat fuiſſe cauſam, quod cum per Columbam, Spiritus Sanctus deſignari ſoleat, quia tamen libidinoſa eſt auis, non decuerit, niſi ea ætate, qua libidinem neſcit, offerri pro Domino; Turtures autem, non pullos Turturum obtuliſſe, quod Turtur caſta quacumque ætate ſit.

Beda lib. 1. in Lucam.

His igitur iam prælibatis quæ litterali ſenſui inſeruiunt, ad miſticum nos conuertamus. In quo genere argumenti locupletando diligentes adeò reperio ſe exhibuiſſe antiquos Eccleſiæ Patres, vt ſi eorum teſtimonia in medium produxerim, vtpotè ſpiritu, & doctrina vberrima, pauca deindè ex nobis ſuperſint effundenda. In primis antiquiſſimus Origenes, aliorum Patrum Magiſter, homilia 14. in Lucam dixit: *Turturum par, & duos pullos columbarum pro Saluatore videmus oblatos. Ego, & aues iſtas beatas puto, quæ pro ortu Domini oblatæ ſunt. Et quomodo Aſinam Balaam miror, & felicitate accumulo, quia digna fuerit non ſolum videre Angelum Dei, ſed etiam ore reſerato in humanum ſermonem erumpere: ſic multo amplius has volucres prædico, eaſque ſubſtollo, quod pro Domino noſtro, & Saluatore oblatæ ſunt, vt offerrent pro eo par Turturum, aut duos pullos columbarum.* Hactenus ille. Diuus autem

Orig. hom. 14 in Lucam.

tem

D. Greg ſuper c. 1. Ezechiel hom. 7. Leuiti. 1. & 5.

tem Gregorius explicans ſacrificium turturis quod lib. Leuitici legitur hanc egregiam illius explicationem in hæc verba adhibet: *Nos enim ipſi in omnipotentis Dei ſacrificium eſſe turtur debemus, ita vt caput noſtrum retorqueatur ad pennulas, ideſt, animus ad virtutes. Non enim immeritò per caput, mentem intelligimus, quia ſicut caput corpus, ita mens actiones regit, ſed caput ad pennulas retorqueri præcipitur, vt ea, quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas: Nec ita caput abſcindendum eſt, vt à corpore diuidatur, ſed ex parte deciſum corpori ſuo iubetur inhærere; quia videlicet mens noſtra à carnali delectatione incidenda eſt, ſed à carnis cura neceſſaria incidenda non eſt; hinc enim ſcriptum eſt: Carnis curam ne feceritis in deſiderijs: quæ ergo in deſiderijs fieri prohibetur, proculdubio in neceſſitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abſciſſum eſt, & ex parte inhæret, vt ſicut dictum eſt, & à voluptate carnis mens noſtra inciſa ſit, & tamen à neceſſitate non ſit abſciſſa.*

Rom. 13.

Aliam etiam eiuſdem explicationem adducit idem Sanctus Gregorius ſuper quintum caput Iob, acutam ſatis, & ingenioſam: *Per legem,* inquit, *turturi, vel columbæ (in figura noſtri ſacrificij) ſecari guttur præcipitur, & non penitus abſcindi, vt & poſt mortem corpori caput inhæreat, quia videlicet Mediator Dei, & hominum, ideſt, caput omnium noſtrum, & vera mundationis hoſtia eſt. Vnde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæſit: poſt fractionem ergo caput turturis ſuo corpori inhæret, quia Chriſtum ab Eccleſia nec mors interueniens diuidit. Perſecutores igitur peregerunt hoc, quod pernicioſè moliti ſunt; intulerunt mortem, vt ab eo abſcinderent fidelium deuotionem, ſed inde fides creuit, vnde hanc ſe extinguere infidelium crudelitas credidit. Cumque ſe æſtimant eius miracula perſequēdo abſcindere, hæc nimirum compulſi ſunt neſciendo dilatare. Comprehendit ergo Dominus ſapientes in aſtutia eorum; quando & hoc ad pietatis ſuæ obſequium redigit, quod contra illum humana crudelitas exarſit.* Hactenus Diuus Gregorius. Euſebius verò modum oblationis illius exponens hæc ſcribit. *Iubetur ſacerdos, qui ea offert, turturis, & columbæ caput, & collum retorquere. Debet autem veſiculam gutturis & plumas ad orientalem plagam proijcere. Debet propterea earum aſcellas confringere, & non penitus ſecare, nec ferro eas diuidere debet: tunc enim ſacerdos turturis, & columbæ caput ad collum torquet, quando illum, qui per has aues ſignificatur, docet, & admonet, vt iam non erecta ceruice, ſed humiliato capite incedere diſcat. Sicut enim in erecta ceruice ſuperbia, ita & in capite inclinato humilitas manifeſtatur. Sed quid per veſſiculam gutturis, vbi aues reponunt, vnde viuūt, niſi ventris ingluuies deſignatur? quid verò per plumas, niſi leuitas morum, & mentis elatio ſignificatur? Hæc autem homini proijcere, & à ſe repellere bonum eſt. Sed vbi proijcere, niſi ad orientalem plagam? ſemper enim ab ortu ad occaſum tendimus, ſemper oriētem fugimus, & ad occaſum propinquamus. Eſt enim occaſus finis vitæ quæcumque igitur ad occaſum nobiſcum non ducimus, ea iam à nobis proijcientes poſt dorſum relinquimus. Quibus denique ieiunium, & abſtinentiam indicimus, eis proculdubio gutturis veſiculam tollimus; quibus verò omnem vagandi licentiam interdicimus, eis vtique aſcellas frangimus, vt & nobiſcum maneāt, & ad inutilia volare deſiſtant.* Hæc ille.

Euſebius. vel quicumq; alius Author eſt hom. de purificat. vt refert in Patrū Bibliotheca.

Sed iam accipe egregiam aliam D. Ambroſij miſticam turturis, & columbæ expoſitionem, dum ait: *Non ſine cauſa ſacrificium, quod pro Domino miſticè oblatum perhibetur, ex turturibus, & columbis fuiſſe narrat. In turture enim caſtitas inuenitur, & in columba charitas commendatur. Turtur namque intemeratam ſeruat vni viro fidem, columba verò aliarum cohabitātium non deſerit vnitatem. Catholicus igitur Chriſtianus tūc vere ſpiritualis turtur efficitur, ſi veram Trinitatis fidem firma credulitate conſeruet, & hæreticæ prauitatis ſenſum tanquam fornicationis inquinamonta repudiet. Tunc verò erit columba, ſi longanimiter vſque ad finem in catholica ſocietate permaneat, & contra tentationem ſcandala immobili firmitate perſiſtat, vt nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei caſtitatem, nec amara diſſenſio Eccleſiaſticæ charitatis diſperdat vnitatem.* Hæc D. Ambroſius. Aliam tamen viam ingreſſus venerabilis Beda in hunc modum de columba, & turture philoſophatur lib. 2. in Lucam, vbi ait: *Columbam pro peccato offert, qui laborat in gemitu ſuo; lauat per ſingulas noctes lectum ſuum, hoc eſt, per ſingulas*

D. Amb. ſerm. de purificat.

Beda lib. 2. in Lucam.

gulas pulſantis culpæ tenebras opera ſua bona, in quibus requieſcere debeat, lacrymis abluere non ceſſat. Columbarum pullos in holocauſtum offerũt, qui Patriæ cæleſtis abſentiam deflentes, aiunt: Super flumina Babylonis illic ſedimus, dum recordaremur tui Sion. Sicut enim columbæ ſuper fluenta reſidere delectantur, vt accipitris aduentum ex vmbra ſuper aquas cognitum præuidere ſimul, & euadere queant: ſic profectò animæ pauperum ſpiritu fluctus ſæculi mente tranſcendentes, quò plura in hac Babylone, qua ſuis gemitibus paſcuntur, maligni hoſtis exempla conſpiciunt, eò crebriores ad æternas ſui deſiderij pœnas ſuſtollunt. Hoc ſanè inter turturis, & columbæ ſignificantiam diſtat, quod columba, quæ gregatim conuerſari, volare, gemere conſueuit, actiuæ vitæ frequentiam demonſtrat, de qua dicitur: Multitudinis autem credentium erat cor, & anima vna; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Turtur verò, qui ſingularitate gaudet adeò, vt ſi cõiugem caſu perdiderit, ſolus exinde permaneat, ſpeculatiuæ vitæ culmina denunciat, quia & paucorum eſt iſta virtus, & his ſigillatim attributa. Solus Iſaias Dominum exercituum videt, laudes Seraphim contemplatur, & quia male tacuerat, quaſi turtur ſingularis ingemit. Moyſes, paſcente procul Populo, ſolus aſcendit ad Dominum, & ne idem populus feriatur, lacrymoſis precibus impetrat. Solus fugientibus ſocijs Daniel inter Angelos remanet. Solus Ezechiel quadrigas Cherubim, & ſupernæ ciuitatis celſa ædificia miratur. Solus Paulus ad delicias Paradiſi, & videnda cæli tertij ſecreta raptatur. Item cum intraus cubiculum clauſo oſtio oro Patrẽ in abſcondito, turturem offerro. At cum eiuſdem operis compares quæro, canendo cum Propheta, Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, columbas ad altare deporto; & quia vtraque conditori accepta eſt æquè hoſtia, conſultò Lucas vtrum turtures, an pulli columbarum pro Domino ſint oblati, non dixit, ne vnum alteri viuendi ordinẽ præferret, ſed vtrumque ſequendum, vtrumque diuinis cultibus doceret offerendum.

D. Bonau ſuper c. 2. Lucæ.

Sed videamus ſi placet, quid noſter Sãctus Bonauentura in commentario huius loci dicat. *Quantum ad ſignificationem, ait, oblationis, nota, quod oblatio indeterminate intelligitur de turture, & columba, vtraque enim auis gemitum habet pro cantu, ſed gemitus turturis competit contemplatiuis, & hic gemiuatur, vnde dicitur, par turturum; primus eſt amoris: Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri. Secundus eſt deuotionis, nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus &c. vox turturis audita eſt in terra noſtra. Gemitus autem columbæ competit actiuis, & hic etiam eſt duplex. Vnus pro peccatis proprijs: Afflictus, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei; Iſaias: Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus. Secundus gemitus eſt pro peccatis alienis; Omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gementes, Virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine. Nahum. Miles captiuus adductus eſt, & ancillæ eius minabantur gementes, vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis.* Hactenus Diuus Bonauentura.

Turturis gemitus. R. m. 8.
Ibidem. Cant. 2. 6.
Iſai. c. 59.
Thr. 1. 6.
Nahum. 2.

D. Chryſ tom. 5 hom. de virt.

Audiamus nunc D.Chryſoſt ſic de turture loquentem mox audituri de columba differentem ipſum Tomo 5. *Turtur amatrix eremi, quãdo iu deſertis degit locis, delectabilibus blandimentis arcerſit compa rem vocis ſuæ conuallia penetrans, & ſuum maſculum in amana, & nemoroſa paſcentem conuocat. Et hinc auolare prouocans hortatur aſcenſionem ſui celerem facere. Vnanimi autem mente ad inculta, & prærupta rupiũ cubile fundantes, exinde ſuos ſine timore volare prouocant pullos. Aſſeuerant quidam, turturem caſtam, & amatricem comparis eſſe, ita, vt ſi quando cuenerit, eius maſculum ab aquila, ſiue aucupe capi, non ſe commiſcere alteri, ſed ipſum cupere, & ipſius præſtolari aduentum, & in amore eius expectatione pendere. Idcircò audite mulieres, quæ caſtitas in volucribus reperiatur. Quotcumque igitur figuram turturis in veſtra mente portatis, huius ſobrie imitamini caſtitatem: talis etenim eſt omnis caſta Eccleſia, viro quippe eius crucifixo, & in cælis ad dexteram Patris ſedente, alteri viro non commiſcetur, ſed ipſum deſiderat, ipſum expectat, & deſiderio eius commori cupit.* De columba autem idem S. Chryſoſtomus explicans verba illa: *Eſtote pru-*

Digitized by Google

dentes ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ: dixit: Nolo vos eſſe ſemper quaſi columbas, ne propter ſimplicitatem nimiam per ſeductionem laqueum incurratis. Nolo vos eſſe ſemper ſicut ſerpentes, ue ex corde contra aliquem venena fundatis, ſed ſecundum tempus, & perſonas mutetis & mores. Eſtote ſerpentes ne comprehēdamini; ſi enim comprehenſi fueritis, eſtote columbæ vt ne mordeatis. Quando enim homo gentilis eſt, ſerpens in illo eſt, quoniam indignatio illius ſecundum ſimilitudinem eſt illius ſerpentis, qui in Paradiſo hominem à Deo ſeparauit. Cum verò conuertitur ad fidem, recedente ſerpente ingreditur in illum ſpiritus, qui in ſpecie columbæ deſcendit de cælo, & fit columba: ergo contra infideles eſtote ſerpentes, quia ſerpens ſerpenti non nocet: cum fidelibus autem eſtote columbæ, vt quaſi columba columbis charitatis oſcula porrigatis. Et breuiter dicam: eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, vt malum intelligatis, & caueatis; & eſtote ſimplices ſicut columbæ, vt non faciatis vllum malum, quia intelligere malum, laudabile eſt; facere autem, vituperabile. Idem etiam Sanctus Chryſoſtomus cum aduerteret columbam ſingulari amore proſequi ſuam conſortem (vnde & Poëtæ columbam tamquam amoris ſymbolum Veneri dicarunt, vt Author eſt Apolonius lib. 3. Argonautico.) Hyeroglyphicum charitatis in illa facit, dum ait. Ideo Spiritus ſanctus ſpeciem columbæ ſuſcepit, quoniã præ omnibus animalibus hæc cultrix eſt charitatis. Omnes enim ſpecies iuſtitiæ, quas habent ſerui Dei in veritate, poſſunt habere & ſerui Diaboli in ſimulatione. Habet enim Diabolus & manſuetos, & humiles, habet caſtos & eleemoſynarios, & ieiunos, & omnem ſpeciem boni, quam creauit Deus ad ſalutem hominum, ipſam ſpeciem et Diabolus introduxit ad ſeductionem, vt inter bonum verum, & bonum ſimulatum confuſio fiat: vt ſimplices homines, qui boni veri, & boni ſimulati differentiam intelligere cautè non poſſunt, dum quærunt bonos Dei viros, incurrant in ſeductores Diaboli &c. ſolã autẽ charitatem S. ſpiritus imitari non poſſunt. Omnis ergo ſpecies iuſtitiæ in impoſtoribus inuenitur, ſola autem gratia veræ charitatis non inuenitur niſi in ſolis ſeruis Dei. Ideò ergo hanc priuatam ſpeciem charitatis ſibi ſoli ſeruauit Spiritus ſanctus, quemadmodum per gratiam charitatis. Hæc Chryſoſtomus.

D. Chryſ. ſuper cap. 3. Matth. hom. 4.

Cuius doctrinæ verba Diui Auguſtini adnectam ſermone ſecundo ſuper Dominicam Trinitatis, Rogo, (inquit) vos, fratres chariſſimi, vt ſecundum conſuetudinem fidelium cum ſilentio, & quiete ea, quæ vobis prædicantur, accipiatis. Animus enim noſter, quando donante Deo aliquid potuerit de lectione ſanctarum ſcripturarum concipere, ſpiritalem nidum in cordibus veſtris deſiderat inuenire. Et ideo velut caſtiſſimi turtures diuina verba Sancti ſpiritus feruore in nidum cordis veſtri fouere contendite, ne permittatis, vt in vobis ſemen verbi Dei peccatorum frigore congeleſcat, propter illud, quod ſcriptum eſt: Abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas. Eſtote magis, ſicut dicit Apoſtolus, ſpiritu ferventes. Quomodo enim columbæ, vel turtures, poſtquam genuerint oua, ſi illa permiſerint refrigerari, perdent fructum illorum: ita & vos ſi conceptum verbum Dei per obliuionem refrigerari permiſeritis, deſiderabilem fructum habere non poteſtis. Præſtate in vobis nidum ſermonibus ſanctis ſecundum quod ſcriptum eſt; Turtur inuenit ſibi nidum, vbi reponat pullos ſuos.

D. Aug. ſuper Dominicam Trinitatis.

Pſalm. 83.

Ricardus autem de differentia ſacrificij Abrahæ à ſacrificio Beatę Virginis, ſingulare aliud detegit arcanũ in duobus pullis columbarum. Audiuimus, inquit, de magno Patriarcha Abraham, quod obtulerit in ſacrificium Domini turturem, & columbam: Beatæ verò Virginis Mariæ ſacrificium fuit par turturum, & duo pulli columbarum. Multum omnino videtur differre ſacrificium Patriarchæ Abrahæ à ſacrificio Beatæ Virginis Mariæ. Quia horum maius? quid horum melius? ſed quis audeat aliquem Sanctorũ, niſi ſolum ſanctum ſanctorum Beatæ Virgini Mariæ anteferre, vel æquiparare? Indubitanter itaque quod optimum eſt, tantæ Dominæ attribuimus. Sed iterum valde durum, vt perfectioni tanti Patriarchæ aliquid detrahamus. Omnino tamen non videtur eſſe ſine cauſa talis, vel tanta hoſtiarum differentia. Sed ſi iuuat iſta plenius intelligere, opus eſt altiori conſideratione. Videtur autem ad turturis volatum, & cantum pertinere in æternorum malorum conſideratione, gemitum & planctum effundere; in æternorum verò bonorum contemplatione gemere, & ſuſpirare, hoc eſt, columbinum canorem habere.

Ricard. de differentia ſacrif. Abrah. à ſacrif. B. Virg.

Digitized by Google

bere. Recolat itaque homo quid boni peccando amiſerit, vel quid mali eodem modo incurrerit, vt melius, pleniusſque intelligat ad quem ſtatum laborando, gemendo, ſuſpirando anhelare oporteat. Geminam namque captiuitatem peccando incurrit, & geminam dignitatem amiſit. Sponte ſiquidem ſubditus culpæ, inuitus quidem addictus eſt pœnæ, & de cætero perdidit ſtabilitatem gratiæ, & perpetuitatem gloriæ. Tali itaque gratia, & gloria nudatus homo volens nolens ſubſeruit peccato, & ſubijcitur flagello, & breui viuens tempore repletur multis miſerijs; qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et paucis quibuſdam interiectis ſubiungit. *Audenter dico quod nec ipſe Abraham geminam illam libertatem, quæ eſt à culpa, & pœna, in corporis depoſitione accepit. Nam illam, quæ eſt à captiuitate longinquæ peregrinationis, nec petere, ſed nec ſperare præſumpſit: meritò ergo non turtures, ſed turturem obtulit, & pro hac parte hoſtiam ſuam duplicare non debuit. Quod dico de obtentu geminæ libertatis, idem dico de obtentu geminæ dignitatis. Stabilitatem namque prioris gratiæ, quam ſperauit, & quæſiuit, in morte accepit; ſed ante Saluatoris aduentum ad æternitatis gloriam tranſire non potuit: meritò ergo eius oblatio in eiuſmodi auium genere non niſi vna columba fuit. Beata verò Virgo Maria quoniam de vtraque, tàm libertate, quàm dignitate in carnis depoſitione obtinenda ſecuta fuit, rectè hoſtiam ſuam ex vtraque parte duplicare potuit. Iam, credo, tenetis quàm meritò debuit eiuſmodi differentia intereſſe inter ſacrificium Abrahæ, & ſacrificiũ Beatæ Virginis Mariæ.* Hæc Ricardus.

Cypri. lib. de Unit. Ecc. c. 6.

Sed & Diuus Cyprianus egregia hæc ſcripſit de columba dicens. *Columba ſimplex animal eſt, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum, hoſpitia humana diligere, vnius domus conſortium noſſe ſolita, cum generant ſimul filios ædere, cum commeant volatibus inuicem cohærere, communi conuerſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Quid ergo facit in peccatore Chriſtiano luporũ feritas, canum rabies, venenum ſerpentum, ſæuitia beſtiarum?* Accedit ad hæc nobilis Author Aymon, qui ſermone ſecundo de purificatione ait. *In turture præfigurabatur Domini caſtitas, quia ex Virgine natus eſt, virgo in æuum permanſit. In columba deſignatur eius ſimplicitas, de qua alibi dicit. Diſcite a me, quia mitis ſum, et humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iſtæ aues pro cantu gemitus habent, & ideò per iſtas aues nõ incongrue deſignãtur corda hominum, quibus dicitur. Eſtote prudentes ſicut ſerpẽtes, & ſimplices ſicut columbæ; & bene duæ offerebantur, quia duo ſunt genera compunctionum. Primò namque anima, ideſt, homo ſitiens Deum, incipit deflere peccata ſua; timens propterea ire in infernum: dum ergo affligitur, & torquetur in ſe pro peccatis ſuis, timens pro eis damnari in inferno cum Diabolo, & Angelis eius, quaſi turturem, vel columbam Deo offert pro peccato. Cum autem dignam pœnitentiam peregerit, & ſpem veniæ de peccatis ſuis adepta fuerit, ipſa anima, ideſt, ipſe homo incipit amariſſime flere, quia differtur à Regno, ideſt a patria cæleſti: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.*

Aymon homi. 2. de pu. ſica. Math. 11.

Marc. 10.

Berchorius in ſuo Reductorio morali piè ſatis quædam de turture in hunc modum exponit. *Turtur in Hyeme deplumis efficitur, & tunc in antris, & cauernis abſconditur. In nouo verò tempore de cauernis exit, plumas reſumit, & ad pulliſicandum congrua loca petit, & in ramis duris, & nodoſis nidum conſtruit, & facit: ſic vere, chariſſimi, anima in Hyeme, ideſt, in tempore peccati, deplumatur à plumis, ſcilicet virtutis, & in cauernis, ideſt in negotijs Mundi, & terrenis occupationibus habitat, & moratur. Sed adueniente nouo tempore, ideſt, quando per gratiam, & pœnitentiam innouatur, tunc exit de iſtis cauernis, & plumas virtutum reſumit, & ad pulliſicandum, ideſt, ad bona opera faciendum congrua loca petit. Vnde tunc inter denſos ramos, ideſt, inter ligna Crucis per eius frequentem memoriam, de lignis r[illegible]ſis, & duris, ideſt, de operibus aſperis, & duris pœnitentiæ debet conſtruere nidum ſuum; & ſic in nido talis diſciplinæ debet pulliſicare per bona opera, & ibi iugiter commorari.* Deinde paulò inferius. *Turtur eſt auis nul-*

Berchorius. lib. 7. Reductorij moral. cap. 70.

Idem.

lum lædens, ſed patienter erga omnes ſe habens, in locis tutis, & delectabilibus habitans; & ſicut dicitur in libro de natura rerum, hæc auis ſola de nocte pullos ſuos paſcit & hæc auis ſola teſte Phyſologo, in æſtate pingueſcit, cum generaliter omnes aliæ aues in æſtate macreſcant. Talis eſt vir bonus, vel vir perfectus, quia nullum debet lædere, ſed in aliorum læſionibus patientiam habere, loca verò tuta Religionis, & loca amæna æternæ habitationis debet per contemplationem & deſiderium frequentare, & talis in nocte aduerſitatis pullos ſuos debet per doctrinam paſcere, ipſoſque in nocte, & turbulentia paupertatis debet per eleemoſynam enutrire, quia ſcilicet plus indigent ſubditi per doctrinam nutriri ſpiritualiter, quando eſt nox tribulationis, ne fortè cadant in barathrum deſperationis. Vndè Matth. 13. dicitur, quia media nocte Gallus cãtauit, & in Pſal. tota nocte in illuminatione ignis, & iſti etiam in æſtate pingueſcunt: quia ſcilicet viri iuſti in æſtate proſperitatis proficiunt, & per temperantiam ibidem virtutibus pingueſcunt. Et ſic iſti, vbi omnes alij generaliter conſueuerunt deficere, conualeſcunt.

Ad extremum huic Sãctorum Patrum, ac aliorum Doctorum catenæ, aureum anulum apponat Diuus Bernardus libro de modo bene viuendi, dicens: *Columba ſæpè ſuper riuulos aquarum ſedet, vt viſo accipitre veniẽte ſe in vndas immergat, & euadat. In tritico meliora grana eligit, ſæpè alienos pullos nutrit, roſtro non percutit, non habet fel, nidum facit in feneſtris murorum, gemitum habet pro cantu. Deprecare ergo Deum honeſta Virgo cum ſummo ſtudio, vt det tibi has virtutes columbæ, ſcilicet, vt ſuper riuulos ſanctarum ſcripturarum ſedeas, & admonitione earũ incurſum Diaboli euadas. In Sacra ſcriptura meliores elige ſententias, ex quibus te reficias. Nutri alienos pullos, ideſt, homines prius à Deo alienos tuis verbis atque exemplis ad Deum conuerte. Roſtro non percutias, ideſt, proximo tuo malum nõ facias, nec malum dicas. Non habeas fel, ideſt, non habeas in te iracundiam. In feneſtris petrarum fac nidum tuum, ideſt, ſpem tuam. Gemitum habe pro cantu, videlicet, vt ſicut homines ſæculares gaudent cantilenis ſæculi; ita tu gaudeas in gemitu, & triſtitia ſpirituali. Igitur ſoror venerabilis, ſicut ſuperius dixi tibi, oportet te pariter intelligere, & cauere inſidias inimici cum omni ſolicitudine, ſic te oportet per innocentiam vitæ eſſe ſimplicem, vt tamen cum ſimplicitate vitæ oporteat eſſe prudentem. Ille, qui non miſcet prudentiam ſimplicitati, ſecundum quod ait Propheta, columba eſt ſeducta, non habens cor, ſed ideò eſt columba, quia ſimplex; ideò autem non habet cor, quia non habet prudentiam.*

D. Bernar lib. de modo benè viuendi. ſerm. 56.

Ceterùm vt ad Chriſtum Dominum, & ad Beatam Virginem hæc de turture, & columba conuertamus, conuenientet ſatis arbitror per has volucres illos deſignari. Tùm quia cum Chriſtus Dominus ex caſto coniugio, & immaculato toro ortus fuerit, neceſſe fuit in Matre eius, ſimul fuiſſe columbæ fecunditatem, & turturis caſtitatem. Vnde cum columba ſit ſymbolum illius, turtur verò huius, & hæc duo in ea adeò viguerint, vt manens Virgo Chriſtũ Deum, & hominem pepererit, manifeſtum eſt illam etiã pariter eſſe columbam, & turturem. Vnde Guilielmus ſuper caput 2. Canticorum verſans verba illa *Vox turturis audita eſt*, inquit: *Turtur auis vniuira, viduitatis caſta typus eſt. Olim lex maledictum pronunciarat, qui non faceret ſemen in Iſrael: ſic vox turturis in Iſrael non erat audita, ſed vox columbæ tantum prolificationi deditæ, donec turtur noſtra Maria verè vidua, quia vnum tantum nouit coniugium, ſed vidua incorrupta; vidua, ſed alma; nupta, ſed nulli cognita, niſi à Spiritu ſancto, prima ſuſtulit ſignum cælibatus, & caſtitatis; audita eſt vox, quando cecinit, quoniam virum non cognoſco.*

Guilielm ſup. c. 2. Cant.

Poteſt etiam hæc vox turturis referri ad Chriſtum Dominum iuxta ſententiam Diui Cyrilli, Alcuini, Angelomi, & Diui Bernardi, qui ſermone 59. ſuper Cantica ait: *Tunc voci illi tempus fuiſſe tunc dicas, cum maledicto omnis ſubiacebat ſterilis in Iſrael. cum Patriarchæ ipſi plures ſimul haberent vxores, cum frater fratris abſque liberis defuncti ſemen ſuſcitare ex lege compellebatur. At vbi inſonuit ex ore cæleſtis turturis commendatio illa ſpadonũ, qui ſe caſtrauerunt propter Regnum Dei; & item alterius cuiuſdam caſtiſſimæ turturis cõſilium de Virginibus vbique inualuit, tunc primũ dici veraciter potuit, quia vox tur-*

D. Cyril. libro 15. de adora. in ſpiritu, & veritate. Alcuinus ſup. cap. 2. Canticorum. Angelomus ibidem. D. Bernardus ſerm. 59. ſuper Cantica.

turturis audita eſt in terra noſtra: ergo ſi in terra noſtra & flores apparuerunt, & vox turturis audita eſt, profectò & viſu veritas comperta eſt, & auditu. Verùm & Rupertus nõ paucas columbæ proprietates Virgini accommodat. *Eſt enim,* inquit, *ſine ſele, nihil viuum comedit, pullos alienos nutrit, candidiora grana legit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet, libenter iuxta fluenta reſidet, vt venientem accipitrem ex vmbra præcognitum perniciter effugiat. Sic Beatam Virginem docet nihil vnquam habuiſſe inuidiæ, nihil odij, longe ſemper ab ijs abfuiſſe, de quibus dictum eſt, quod deuorant plebem, ſicut eſcam panis. Nos, qui ſecundum carnem alieni eramus à ſanguine Iſrael, meritis eius viuimus. Illa creditum ſibi ſecretum Dei, & teſtimonia ſcripturarum conferens in corde ſuo conſeruauit; illa in ſolitudine fidei permanens, ſerpentis antiqui venena euaſit, præ cunctis mortalibus amore Dei vulnerata gemere non ceſſauit, illius pectori omne fluentum ſcripturarum planè contiguum fuit; nec vnquam aduentus ſpiritalis accipitris eam præoccupauit, aut ei potuit appropinquare.*

Rupertus lib. 3. in Cantica.

Tandem, vt ad informãdos mores nonnihil de turture, & columba dicam, vnanimis eſt Ariſtotelis, Plinij, & reliquorum de rebus naturalibus agentium ſententia, turturem poſt amiſſum ſuum conſortem ſemper gemere, & conſolationem, quam reliquæ volucres capiunt in viridibus arboribus ſiſtentes, omnino reſpuere. Vnde Diuus Bernardus ait: *Videas vbique ſingularem, gementem vbique audias, nec vnquam in viridi ramo reſidentem proſpicies.* Non ſecus anima, quæ per lethale peccatum ſponſum amiſit, hoc eſt, Deum ipſum cuius ipſa facta fuerat conſors, vt loquitur Diuus Petrus, perpetuis gemitibus illum diligenter quærere, & ab omni humano ſolatio, donec illum inueniat, ſe abſtinere debet. Vnde Diuus Gregorius exponens verba illa: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis,* dixit: *Turtur poſtquam parem ſuum perdiderit ſemel, nunquam alteri ſe iungit, ſed ſemper ſolitarie habitans in gemitu perſeuerat, quia quem diligebat, non inueniens quærit. Sic ſancta quoque anima dum ab ſponſo ſuo abjens eſt, ab eius amore non recedit, ſed in eius deſiderium ſemper anhelat, & gemit, & dum illum, quem valde diligit non inuenit, quia ab omni alieno amore retrahit, quaſi in genarum verecundia caſtitatem cordis ipſo habitu, & actu exteriori oſtendit.* Earundem proprietatum memor Aymon de purificatione agens dixit: *Egregium pœnitentibus exemplum præbeas; amiſiſti non coniugem, ſed ſummum bonum Deum, ſigna ſummi mœroris exhibe, impiorum hominum, qui te in peccatum reuocare poſſunt, conſortia deſere, ſolus peccata amaro corde volue, voluptates fuge, frondentibus inanis lætitiæ ramis ne inſide. Nec gemere aërea ceſſabit turtur ab Vlmo* (dixit Poeta,) *nec gemere ex animo ceſſet peccator amaro.* Hinc Ambroſius ad Lapſam. cap. 8. ſcribens ait: *In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi eſt, & quaſi mortuam te exiſtimans, ſicut es, quomodo poſſis reuiuiſcere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda eſt veſtis, & mens, ac membra ſingula digna caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt, defluant oculis lacrymæ, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt; palleſcat facies, quæ quondam viruit impudice. Denique totum corpus iniurijs, & ieiunijs maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat, quia male ſibi de pulchritudine placuit, à Deo illi parcatur. Grandi plaga alta, & prolixa opus eſt medicina; grande ſcelus, grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.*

Ariſt. & Plinius de natur. — D. Bern. ſerm. 59. in Cant. — 2. Petri. 1. — D. Greg. in c. 1. Cant. — Aymon. de purificat. — D. Ambroſ.

Verùm, qui ad Deum ex toto corde conuertitur, non ſolum turturis, ſed columbæ naturam induere debet; cuius tanta eſt fœcunditas, vt per totum annum ſingulis menſibus oua producat, foueat, ſuper illa incumbat, pullos in lucem edat, diligenterque enutriat. Hac fecunditate vigebat D. Paulus cum dicebat: *Gratia Dei in me vacua non fuit,* ideſt, nunquam fuit otioſa, ſed ſemper operibus vacabat. Videtur Diuus Paulus gratiam conſideraſſe inſtar ſigilli. Nam ſicut ſigillum, dum non imprimitur molli hoſtiæ, vel ceræ, vt in illis ſuam imaginem exprimat, otioſum manet, & vacuum, quia dum ſigilli munere non vtitur, eius concauitates

1. Corint. 15.

Digitized by Google

non implentur; ita dũ diuina gratia bona opera nõ ſigillat, ab exercitio bonorũ operum ceſſans, vacua manet & otioſa. Vnde ſicut natura vacuũ in rebus naturalibus; ita & Chriſtus ſpirituale vacuum maximè abhorret. Et ideo Apoſtolus nos illud di-
2.Corinth.6. ligenter vitare monens ait: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Ille certè in vacuum gratiam Dei non recipit, qui diuinæ gratiæ auxilijs ita benè vtitur, vt à procreandis bonorum operum fœtibus inſtat fecundæ columbæ nũquam ceſſet. Hinc intelligetis cauſam, ob quam,
Matth.21. vt refert Diuus Matthæus, Chriſtus Dominus maledixit ficui nõ ferenti fructum, cum tamen non videretur ob id tunc maledicenda, quia vt aduertit ſacer Euan-
Marci 1. geliſta, *Non erat tempus ficorum*; id enim iuxta cõputum, quod ex Euangeliſtis colligitur, die vndecima Martij contigit: illo autem tempore ficus non ſolum fructum, ſed nec folia producit.

Diuus Hieronymus in Commẽtario illius loci conſultò id feciſſe Dominum ait, vt ſignificaret, illud debere intereſſe diſcrimen inter humanam plantam, & reliquas, quæ in hortis conſitæ ſunt, quod licet iſtæ æſtatis temporibus fructus ferant; illa tamen hyberni temporis neſcia in omni tempore bonorum operum fructus parere debet, cum diuina irrigatio, & cæleſtis auxilij influentia ei non deficiat. Sicut autem columbæ fecunditas in eo valde elucet, vt non vnum, ſed binos fœtus ſemper producat: ita in Eccleſia ſua vult Deus adeſſe viros adeò fecundos, vt non ſolum ſibi, ſed & alijs vtiles ſe exhibeant, vt ſub egregia metaphora diuinus ſponſus expli-
Cant.4. cauit, dum catholicam Eccleſiam dilectam eius ſponſam alloquens dixit: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcendunt de lauacro; omnes gemellis fœtibus*; ſacri verbi præcones, & Catholicæ doctrinæ vocat *dentes*, quia ſicut munus iſtorum eſt cibum corporalem contetere ad refectionem corporis naturalis; ita illorum munus eſt, ſpiritualem Euangelicæ doctrinæ cibum ad nutriendum miſticum Chriſti corpus maſticare, & præparare.

Hos ergo vult Deus non eſſe ſteriles, ſed fecundos ita, vt gemellos pariant fœtus, hoc eſt, vt attendentes ſibi, & doctrinæ, vt idem Apoſtolus dixit, non ſolum in ſe ipſis Chriſtum concipiant, ſed eundem in auditorum cordibus pariant, & vt alter Iacob ad fratrem ſuum maiotem, hoc eſt, ad Chriſtum cum magno incremento gregis ſibi commiſſi feliciter reuertantur. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XII.

De feſto quod vocant Luminarium, ſeu candelarum, ex profeſſo ſermone inſtituimus, tria hæc peragentes: Primum, hæreticorum petulantiam aduerſus luminarium vſum garrientium retundimus: Secundum, antiquitatem huius celebritatis aperimus: Tertium varias, tam litterales, quam miſticas, inſtitutionis illius cauſas multiplici ſanctorum Patrum doctrina illuſtratas tradimus.

IMPVDENTISSIMI, quos pudet nominare, hæretici Nouatores, qui ſe germanos Lutheri filios, Vvicleſ diſcipulos, Vvaldenſiumque fratres gloriantur, nec non etiam infeſtiſſimi Eccleſiæ hoſtes, Arſatius Schorfer, Bullingerus, & Nicolaus Sebrecerus, Brentius & Spangenberglus, quorum animas inferni ignis depaſcit, ſtupendam Papiſtarũ cœcitatem appellant, ſacrum luminarium & candelarum ritum quo frequenter, & præcipuè hodierna die ſancta mater Eccleſia vtitur. vnde Arſatius dixit; *valde inepti ſunt, qui Cereis, nimirum caducis rebus præter verbum Dei excogitatis confidunt, quaſi*

bis

Digitized by Google

Arſatus in Poſtil. ſupr. euang. purif. Nic laus Selneccerus ibidē. Brentius hom. 2 in Lucam. Spāgenbergius in poſt. euang. de purificat.

bis ſathanas fugetur. Nicolaus etiam Selneccerus in hunc modum ſacrilego auſu loquutus eſt: *de ſuperſtitioſis conſecrationibus candelarum, & ceræ nihil ne ſomniauit quidem eccleſia, & blaſphemia eius adiurationeque adhibetur.* ac tandem maledicus Brentius hæc effutire non erubuit: *habent quidem Lumina verbum Domini, quod ſint bonæ creaturæ, & in vſum noſtrum ciuilem ſanctificatæ: ſed non habent verbum Dei quod expellant ſathanam; immo potius ſic de ipſis ſentiendum eſt quod abutentes eis impia ſuperſtitione aduocent magis quàm expellant ſathanam.* Verùm hanc iſtorum hæreticorum impiam aſſertionem infringere haud difficile erit: nam in primis Cereorum, & luminarium religioſa conſuetudo authorem habet ipſum Deum, vt ſapiēter obſeruauit Diuus Hieronymus contra Vigilantiū: nā c. vigeſimo quinto Exodi inter alia quæ Deus præcipiebat Iſraëlitis ſibi offerri in templo, vnū erat oleum ad luminaria concinnanda, & cap. 27. filijs Iſrael, vt afferrent oleum, vt arderet lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonij, & 1. Machabæorum facer textus narrat Iudam Machabæum ſolenni facularum pompa, & lucernarum verus, quod antea erat templum ab Anrhioco Idolis dicatum, vero Deo conſecraſſe; vnde ortum habuit vt celebritas illa, inſtar præſentis, feſtum luminarium nuncuparetur. Deinde inueteratus Eccleſiæ mos, quæ Acholytos, ſeu Ceroferarios adhibet ad ſacra peragēda, ſpecialiſq; ordo eſt ad id inſtitutus, apertè id exſecrantes damnat.

D. Hieronym. contr. Vigilāt. Exod. 25. 1. Mach. 4. Exod. 27. Ecb. 1. Mach.

Item S. Patres apertiſſime illis refragantur: nam D. Cyryllus Ieroſolymit. hoc ipſo die purificationis habuit ad populum orationem, in qua inter alia hæc dixit: *Læti hodie lampades ornemus tanquam filij lucis, cereos veræ lucis Chriſto offeramus, quoniam lumen in reuelationem gentium mundo apparuit.* Prudentius etiam vetus ac celebris Poëta, carmen integrum, & in Eccleſia catholica receptum de paſchalis cerei benedictione conſcripſit, cui Synodus Toletana 4. cap. 8. pleniſſime ſuffragatur: & vt vno verbo multa complectar, Sanctorum patrum antiquitas præclara nobis ſcripta reliquit, quibus ſacrum hunc diem luminarium multis encomijs condecorauit. Hi ſunt Diuus Ioannes Damaſcenus, Timothæus presbiter Ieroſolymitanus, Amphilochius, Chryſoſtomus, Gregorius Niſſenus, Euſebius Ceſarienſis, Cyprianus, Paulinus, Gregorius, Hieronymus, Nazianzenus, necnō Methodius martyr, qui ſub Valeriano, & Decio ſuum pro Chriſti fide ſanguinem fudit, iſti omnes Patres vnanimi ſententia cōteſtantur, Candelarum, & aliorum luminarium morem minime ſuperſtitioſum, ſed pium, vtilem & ſalutarem eſſe: alioquin inanis & irrita eſſet Eccleſiæ præcatio qua poſtulat, vt ipſæ creaturæ ſacris myſterijs ſeruiant, diuinæque gratiæ, & ad ſalutares credentium vſus ſumāt effectum; vtque ſalubritas per inuocarionem ſancti & diuini nominis expetita ab omnibus impugnationibus ſit defenſa per Chriſtum Dominum noſtrū.

D. Cirylliu Ieroſolimitanus orat. in die purificationis. Prudentius. Synodus Toletana. D. Ioā. Damaſcenus, Timotheus. Amphilochius, Chryſo ſtomus. Euſeb. Cyprian. Hieronymus Nazianzen. Gregorius.

Ratio deinde non parū efficax iſtorū impietatem luculēter reprobat: nā in templū allatas candelas, Deū præcari, vt ad corporum, & animarum ſanitatem pro ſua pietate benedicere & ſanctificare dignetur, nihil aliud eſt quàm Pauli doctrinæ obſecundare dicentis: *creaturam per verbum & orationem ſanctificari.* Super quem locum Chryſoſtomus: *per verbum,* ſignum crucis interpretatur, quod cum precatione coniunctum ralem habet ſanctificandi vim ſeu benedicēdi, vt quod ſanctificatur, virtutem accipiat ad nos protegendos. Addo, quod ſi re ipſa compertum eſt ſæpè diabolicis artibus, & magicis incātationibus effici, vt creaturæ quædam inficiantur in magnum mortalium detrimentum, cur in Eccleſia Dei negabimus poteſtatem eſſe diuinitus collatā ad certas crearuras benedicendas, videlicet aquam, ſalem, & ſimilia, vt nos à diabolicis incurſibus defendant? Vnde Clemens Romanus libro Conſtitutio. Apoſtolicarum adducit nonnulla quæ ritum hunc commendant; & vetuſtus Eccleſiæ Pontifex Eutychianus, necnō & Baſylius Magnus, huiuſmodi benedictiones ad traditionem Apoſtolicam referunt. Ad extremum: inrer alia complura portenta quibus Deus Optimus Maximus oſtendere dignatus eſt cereorū, & Luminarium vſum in hac Deiparę Mariæ feſtiuitate ſibi eſſe gratiſſimū, in Victorienſi Vrbe Hiſpaniæ in Alabæ Prouincia apud inſigne Cœnobium beatiſſimi Patris Dominici ſeruātur viginti duo cerei maximis miraculis in augmento ponderis, & numeri à Domino mirabiliter decorati

D. Chryſoſt. ſuper primam Timoth. 4. Lib. Conſtitu. Eutychianus. D. Baſilius de Spiritu Sācto cap. 27.

Digitized by Google

anno milleſimo quinquageſimo decimo; adſuntque intra cor deauratum, ipſique Sacello appoſitum, ſubſcripta Carmina iſta.

Epitaphium.

Omnibus, vt ſæclis laudetur mira poteſtas
Laudenturque roſæ Virginis eximiæ,
Incluſi hoc clamant elingui voce ſacello
Cerui, & eximium teſtificantur opus,
Extincti lucem ſpargunt per ſæcla futura
Creſcentis, ſubito ponderis & numeri.

His quis non videat hæreticorum petulantiam diuinitus retundi, & ſacrorum Cereorum, & luminarium ritum Eccleſiæ Catholicæ mirifice aſtrui?

Hoc igitur Catholico præiacto fundamento, ad antiquitatem huius Feſti, ac varias illius inſtitutionis cauſas noſtra dirigatur oratio. Equidem quoad eius attinet primordia, non eſt vna omnium ſententia: Quidam hiſtoriographi affirmant feſtiuitatem hanc cæpiſſe celebrari tempore Vigilij primi anno Domini quingenteſimo octauo. Nicephorus autem tradit quod Iuſtinianus Imperator hoc feſtum inſtituit, ſicut & Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis. Alij quod Conſtantinus: alij verò non à Conſtantino Imperatore, ſed ad inſtantiam illius à Sergio Pontifice inſtitutum fuiſſe hoc feſtum autumant circa annum Domini ſexcenteſimum octuageſimum. Alij antiquius eſſe putant exiſtimantes Gelaſium Papam, qui per triginta annos Imperatorem Iuſtinianum præceſſit, hoc feſtum inſtituiſſe. Alij primum eius inſtitutorem putant Diuum Gregorium, quantum ad Candelarum ritum. Ego autem vetuſtiorem multo eſſe opinor hãc feſtiuitatem, quia cum certum eius primordium nullum reperiatur, prudenter iudico, iuxta Theologorum ſententiam, ab Apoſtolorum inſtitutione ortum habuiſſe, vel a proximo illis tempore. De hoc luminarium feſto Diuus Cyryllus Ieroſolymitanus abhinc mille, & ducentis annis ſcripſit, necnon alij vetuſtiſſimi Patres, quos ſupra retuli. In eo autem quod ad cauſas inſtitutionis huius feſti ſpectat, etiam eſt inter Authores controuerſia: nos literales primum, deinde miſticas apponemus. Albertus de Padua ſermone de purificatione aſſerit, quod cum apud

Illeſcas de purificat. B. Virginis. Nicephorus li. 7 cap. 28.

Michael pedes ferm. de purificatione.

D. Ciryl. Ieroſ.

Albert de Padua ſermo. de purificatione.

Conſtantinopolim infeſtiſſima graſſaretur peſtis, ob hanc cauſam fuiſſe ex diuina reuelatione inſtitutum. Communior tamen ſententia vnanimi Doctorum cõſenſu conſtabilita tradit, cauſam huius feſti fuiſſe, quod olim Romani tria luminarium feſta celebrabant: primum in honorem Proſerpinæ, cuius amore Pluto, Infernorum Deus, vehementer captus, rapuit ipſam in ſponſam & Deam fecit; vnde mulieres Romanæ tota nocte eam cum luminaribus quærentes reſponſum acceperunt, quod Pluto eam rapuerat, & in ſponſam acceperat. Singulis igitur annis mulieres Romanæ Kalendis Februarij luminaria deferebant in memoriam Proſerpinæ raptæ, & in deam tranſlatæ. Secundum, in honorem fecerunt Februæ: nam ipſa fuit mater Martis, vnde & menſem iſtum ſuo nomine vocauerunt, & de luſtro in luſtrũ, ideſt, de quinquennio in quinquennium totam Vrbem cum luminaribus ob ſui honorem luſtrare conſueuerunt. Macrobius ab Auguſtino laudatus, rẽ his explicat verbis: *Secundum menſem Numa Februo patri Ditis Deo dicauit, qui luſtrationum potens creditur; luſtrari autem eo menſe ciuitatem neceſſe erat, quo ſtatuit vt iuſta Dijs Manibus ſoluerentur.* Plinius autem habet in hunc modum: *Vulgata priſcis temporibus opinio obtinuit februa eſſe omnia, quibus malefactorum conſcientiæ purgarentur peccata, aut manes defunctorum placidi redderentur:* neque obſcure Ouidius idipſum innuit.

Macrob. libro Saturnaliorũ, cap. 13.

Februa Romani dixere piamina patris
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.

Ouid. lib. 2. faſtorum.

Notauit & Auguſt. ſicut Ianuarium a Iano; ſic Februarium a februi ſacris Lupercorum appellari. Hinc notum eſt eruditis, februare, pro purgare iam olim antiquos accepiſſe, quemadmodum Varro etiam indicauit. Romæ igitur hoc menſe ſuas luſtrationes habebant, totamque Vrbem ſingulis annis prophanis ritibus ſolenni mora purgabant.

Aug. lib. 15. contra faſtum Manich. c. 5.

Varro de' vita pop. Rom.

Illuſtrat etiam non parum Guaricus Abbas hæc omnia, dum ſermone de purificatione Virginis ait: *Agitur ergo iſta feſtiuitas incipiente menſe Februario, qui a Februo, id eſt Plutone, qui luſtrationum, id eſt purgationum pater a Gẽtilibus credebatur,*

Guaric° Abb. ſerm. de purificatione.

ita

ita vocatum eſt; cum enim Romani tripartitũ orbe in ſub tributo redegiſſent, ita vnaquaque ex ipſis tribus mũdi partibus Africa videlicet, Aſia & Europa per quinque annos ſoluerent aurum, rurſus per alios quinque annos argentum, itemque per aliud quinquennium æs; quinto demum peracto anno, ac cenſu ſoluto vniuerſa ciuitas menſe Februario ab vniuerſo populo luſtrabatur, vt ſacrificia Dijs infernalibus ſoluerentur, quorum præſidio nationes orbis ſubiugaſſe ſe putabant. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutauit Chriſtiana religio cum hac ipſa die feſtiuitatis Beatę Mariæ, plebs, clerusque & ſacerdotes cum cereis & hymnis eccleſiarum loca circumeant, non vtique ob recordationem paganæ ſuperſtitionis, aut imperij terreſtris, ſed in perennem regni cæleſtis memoriam, quando iuxta euãgelicam parabolam, omnes electi cum lampadibus ſponſo & ſponſa ſunt occurſuri, atque thalamum ſupernæ claritatis intraturi. Hactenus ille.

Tertium feſtum luminarium, quod Romani celebrabant, erat in honorem omnium deorum infernalium, vt ipſos placarent, ad miſericordiam commouerent, & animas defunctorum ſuorum mitius punirent. Quia vero difficile eſt aſſueta relinquere, nonnulli Romani etiam poſtquã fidem Chriſti ſuſceperant, feſta iſta luminarium adhuc in Februario celebrabãt: & ideo ad illa abolenda ſancte, & religioſe ſacri Pontifices, vt teſtatur Innocentius Tertius, feſtum iſtud, in feſtum & cultum matris luminis tranſtulerunt, vt in eius honorem deferamus lumina, quæ nobis genuit verum lumen; & iam non fiat ad honorem Proſerpinæ ſponſæ Dei infernalis; ſed ad honorem ſponſæ Dei cæleſtis; neq; iã celebretur ad honorem Februę matris Dei belli, ſed ad honorem matris Dei pacis; iam non fiat ad honorem cutiæ dæmonum, ſed ad honorem reginæ angelorum, meritoque iſta translatio ſic facta eſt, adorabant enim Romani Proſerpinam, vt ſic a ſuo ſponſo acquirerent gratiam: adorabant Februam, vt ſic a filio ſuo impetrarent victoriam; adorabant dæmones animas punientes, vt eas inclinarent ad miſericordiam. Iſta autem tria à matre Dei recipimus, ſcilicet gratiam, miſericordiã, & victoriam: & ideo cantat Eccleſia, *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ*; ipſa

Innoc. 3. ſerm. de purificat.

enim deprecatiuè dat viuis gratiam, & in bellis victoriam, & defunctis miſericordiam. Atque hæc de literalibus cauſis. Ex quibus aperte conſtat merito Eccleſiã Catholicam hoc feſtum menſe Februario nobis propoſuiſſe: hic menſis; non a belli quodam duce, vt Græculi nonnulli nugantur, ſed vel a februi Lupercorum ſacris, vel à Februo Ditis patre, comẽtitio luſtrationum Deo nuncupabatur: vel vtramque potius ab cauſam, quod eo menſe ciuitas luſtraretur, & manibus iuſta perſoluerentur, & cuiusvis generis februa (ſic piamina vocabant) tunc in vſu aquæ viuæ aſperſionis far toſtum, ſulphura, laurei ramuſculi, pineę virgæ deſectæ, bouum adhibebantur lora, & aliæ huius generis quiſquiliæ.

Porro iã ad miſticas cauſas ſermonem conuertamus illud Dionyſij Cartuſienſis præclarum elogium præmittentes, qui ſermone de purificatione dixit: *Conſuetudo eccleſiæ multas ex rebus geſtis retinet ſimilitudines, quibus & rerum geſtarum repræſentat veritatem, & ſimplicium corda excitat ad pietatem; vt per ea quæ foris repræſentantur, ad internorum amorem rapiãtur.* Prima ergo cauſa tenet ſe ex parte Virginis: altera ex parte Chriſti: ideo namque candelas deferimus, vt profiteamur, quod Deipara purificatione non indigebat, quæ tota inſtar fulgentiſſimæ facis rutilabat. Significantur enim per candelam quatuor proprietates, & prærogatiuę Virginis Mariæ quæ in ipſa mirificè fulſerunt: Virginitas in carne, quæ per ceram ſignatur apũ induſtria factam, quia ſicut nullo inter ſe miſcentur congreſſu, nullo libidinis ſenſu capiuntur, ſed omni prorſus dolore ſolutæ filiorũ examen emittunt: ita candidis hiſce cereis & luminibus aperte declaratur ex Maria Virgine Saluatorem noſtrum, vteri integritate conſtantiſſime ſeruata, ſine vllo dolore genitũ eſſe. Deinde quemadmodum præclariſſima ac valde nitentia illa lumina, quæ eo die in ſolemni pompa à nobis geſtantur, è pulchris & varijs floribus quos terra effudit, decerpta ac delibata, fructus ſunt apis virginis animãtis; ita Chriſti caro è carne virtutum omnium ſuauiſſimo odore referta proceſſit, & matris puritatem dum ingreſſus, aut egreſſus eſt, ſaluam & integram conſeruauit. Signatur etiam puritas in mente quæ intelligitur per lychnum iuxta illud Pſalmi:

Dioniſius Cartuſian.

omnis

Pſal. 44. *omnis gloria eius filię regis ab intus.* Sanctificatio in vtroq; quę intelligitur per benedictionem candelæ, Pſal. dicente: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus:* Verbi incarnati diuinitas in ventre latens, quæ ſignificatur per lumen quo illam indutam vidit Ioannes; *Mulier amicta ſole.* (Pſal. 45. Apoc. 12.)

Secunda ratio ex parte Chriſti in eo fundatur, quod ipſe per candelã adamuſſim figuratur ratione ſuæ compoſitionis: Componitur enim hæc ex cera, lychno, & lumine; non ſecus Chriſtus conſtat ex carne ſine ſemine generata, & ex anima candore innocentiæ adornata, & luce diuinitatis carni vnita; vnde ſponſa. (Cant. 5.) *Dilectus meus candidus, & rubicundus: Candidus* propter diuinitatem, ratione cuius dictus eſt *Candor lucis æternæ: rubicũdus* propter humanitatem: (Sap. 7.) *electus ex millibus,* propter omnis peccati carentiam. Eſt & alia ſimilitudo non parua inter Chriſtum, & lucernam, quod ſicut hæc lucens ſemetipſam conſumit in noſtram vtilitatem; ſic & Chriſtus in noſtrum obſequium, poſtquam carnem aſſumpſit, varijs cruciatibus oppreſſus interijt: (Iſa. 53.) *Afflictus eſt propter ſcelera noſtra,* vt dixit Iſaias: & Dauid: *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt,* ſicut enim in cremio nihil remanet pinguedinis, ita in anima Chriſti nihil ſenſibilis conſolationis remanſit, iuxta illud: (Matth. 26.) *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Tertia ratio miſtica fit, vt moneremur ad ſanctitatem vitæ tria hæc adhibenda eſſe, fidem veram, intentionem ſinceram, operationem bonam quæ omnia cera deſignat: quia ſicut cera rore cæleſti gignitur, ſic bona noſtra a Deo pręcipuè procedunt, dicente Iſaia 26 (Iſai. 26.) *Omnia opera noſtra operatus es nobis.* Fides intelligitur per lumen, quia ſicut cera ſine lumine non lucet, ſic & noſtra operatio ſine fide Deo non placet, (Ad Heb. 11.) Hebræorum 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Intentio deſignatur per lychnum, qui occultus, candidus & baiulus luminis eſt, quia intentio noſtra debet eſſe occulta laudi humanæ, & candida & pura, ſolum Deum reſpiciens, necnon operum noſtrorum coram Deo baiula, vt illa remuneret, iuxta illud Matth. 6. (Matth. 6.) *Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Significatur etiam qualis debet eſſe homo in fama: candela enim lucet accenſa, occulta non lucet, fœtet extincta; ſic ſancti viri lucent alijs per exemplum Matth. 6. (Matth. 6.) *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Si vero pigreſcant, ac per torporem ſe occultent in otio, ſecundum illud Matth. 6. *neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio,* tunc lucere deſinunt; ſi vero publice & cum ſcandalo prolabantur, tũc fœtere incipiunt non minus quàm corpora illa, de quibus Iſaias dicit: (Iſai. 34.) *de cadaueribus eorum aſcendit fætor.*

Tria præterea ſunt, quæ ab extinctione præcauent candelam: primum abſcondi à vento; ſecundum alijs candelis aſſociari; tertium ſufficiens pabulum ei miniſtrari. Qui ergo non vult extingui, abſcondat ſe à vento laudis humanæ; ſocietati ſanctorum ſe iungat, & continuo pabulo diuinæ laudis ſe nutriat & lucerna eius nũquã extinguetur. Tria etiam ſunt, quæ impediũt, ne iam extincta lucerna iterũ accendatur, remotio, humectatio, & craſſi corporis interpoſitio. Multi diuinitus non accenduntur, quia ad diuini verbi ignem non accedunt: (Deut. 33.) *qui appropinquant pedibus eius, accipiunt de doctrina illius:* ecce remotio. Alij, quia dulcibus aquis delitiarum humectantur, iuxta illud Pauli: *homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus,* ideo non accenduntur: ecce humectatio. Alij terrenorum bonorũ interpoſitione præpediuntur accendi, vt enim dixit Chriſtus Dominus: (Matth. 13.) *ſolicitudo ſæculi huius, & fallacia diuitiarum ſuffocant verbum.*

Quarta ratio miſtica fit, quam Rupertus aſſignat, (Rupertus lib. 3. de diu. off. c. vlt.) vt nos ipſos & fide, & gaudio ſpiritus Simeoni iuſto in complectendo Emmanuele conformemus: ſic enim ille loquitur: *In purificatione ſancta Mariæ ideo candelas portamus, vt felici gaudio iuſti Simeonis aliquatenus participemus; qui Chriſtum infantem geſtans in vlnis agnouit, & confeſſus eſt paratum ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium: hoc enim ſigno communiti exterius ipſum verum lumen quod illuminat omnem venientem in hunc mundum, in mente noſtre fidei vlnis arctius attingimus, & abſentiam eius corporalem ſurſum tendentibus deſiderijs gementes quærimus, quærentes gemimus;*

Quintam rationem miſticam adducit Summus Pontifex Innocentius Tertius, quam partim ſupra tetigimus. In ſermo-

ne

ne enim de Purificatione hanc quæſtionem proponit. *Quid eſt in hoc feſto cereos portamus accenſos?* reſpondet autem duplicem huius inſtituti rationem eſſe. *Primam quidem, vt mos Ethnicus cum chriſtiano ritu commutetur, & quod ab ſtultis Idolorum cultoribus ad honorem Cereris, ac Proſerpinæ agebatur, id prudenter à pijs ad honorem laudemq; Mariæ Virginis conuertatur. Deinde, vt qui per Chriſti gratiam ſunt purificati, hac ceremonia moneãtur prudentes illas virgines imitari, quæ, vt Euangelica docet parabola, non ſine lampadibus accenſis ad Chriſti ſponſi nuptias ingrediuntur.* hæc ille. Quibus addo, quod & huius exemplum nobis exhibuerunt Ioſeph, Simeon, & Anna, qui luminaria fidei, & charitatis deferebant ex Chriſti igne accenſa. non ex alieno, hoc eſt, nõ ex ardenti mundi concupiſcentia, quo igne filij Aaron thurificantes penitus perierunt; tùm præcipue Deipara Maria, quę tanquam virgo prudens lampadem accẽſam geſtabat, ſcilicet Chriſtum Dominũ, *lumen ad reuelationem gentium.* Vnde recte D. Epiphanius illam candelabro comparauit dicens; *Sancta Virgo, & Mater Dei, quæ ſplendidam lucernam relucentem in cælo, & in terra Chriſtum geſtauit, ad quam Propheta Zacharias: ecce candelabrum aureum & facula ſuper ipſum: Quin etiam Dauid Canticum hoc ſuauiſſimum inclamat: lucerna pedibus meis verbũ tuũ, & lumen ſemitis meis. O candelabrum virgineum, quod illuſtrauit tenebris inuolutos! o candelabrum virgineum, repellens tenebras! O lucem ſplendentem, & candelabrum virgineum, quod ignem, & oleum inſeparabile ad illuminandum intulit! ò candelabrum virgineum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem vnum inextinguibilẽ, conſubſtantialem & ad illuſtrandam terram reſplenduit! o candelabrũ virgineum, de quo per Prophetam Deus inquit: Illuc producam cornu Dauid; paraui lucernam Chriſto meo. Corona regia præcioſiſſimum habens lapidem, & gemmis ſimilem, Chriſtum purpura regia, quæ cæli, & terræ regem induit vniuerſalem!*

D. Epiphan. ſer. de Laud. Virginis.

Sextam rationem innuit D. Hieronymus contra Vigilantium, in hæc verba: *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Vnde vt Virgines illæ Euangelicæ ſemper habent accenſas lãpades ſuas. Ad Apoſtolos autẽ dicitur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et de Ioanne Baptiſta: ille erat lucerna ardens & lucens: & ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus: lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis.*

D. Hieron. contra Vigilantium.

Septimam rationẽ miſticam lego apud Dionyſium Carthuſ. in hunc modum loquentem. *Nouit fraternitas veſtra, quod ſecundum Euãgelicam hiſtoriam Dominus Ieſus quadrageſimo die Natiuitatis ſuæ, hoc eſt, hodie à parentibus in templum eſt delatus, & ibi à ſancto Simeone ſuſceptus, & benedictus, in templo eſt præſentatus. hoc ſancta repræſentat Eccleſia. Sicut enim ſanctus Simeon in manibus excepit infirmitatem, ſed intus agnouit maieſtatem, infirmitatis noſtræ tenebras interiores illuſtrantem; ſic quiſque fidelis hoc Sacramentum repræſentans ceram in manibus portat quaſi carnem fragilem, ſed ſuperferri videt lucem, exteriores huius aeris tenebras illuminantem. Sicut enim caro Chriſti de mundiſſimo & bono odore virtutum referta carne proceſſit, & neq; in concipiendo, neque egrediendo matris integritatem violauit; ſic cera quæ hoc die geſtatur fidelium manibus, de mundis & odoriferis floribus collecta fructus eſt apis virginis videlicet animantis, cuius, ſicut legitur, ſexum neq; maſculi violant, nec fætus quaſſant. Cum ergo iam ſub hac ſignificatione portamus Chriſtum, portemus in ore, Chriſtum portemus in corde, Chriſtum portemus in manibus, vt dimiſſi in pace cum Simeone ſancto ſalutare Dei videre mereamur. Vultis ſcire quomodo Chriſtum portetis in ore? ipſe de ſe dicit: Ego ſum veritas: ſit ergo in ore veſtro veritas, abſit falſitas, abſint vaniloquia, & & turpiloquia, & erit in ore iuſti Chriſtus. Sic enim dicit in epiſtola ſua Ioannes: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: ſit in operibus veſtris innocentia, vt nemini quidquam ſuum auferatis, ſit iuſtitia vt cuiq; quod ſuũ eſt tribuatis, & habebitis in manibus Chriſtum: ipſe enim nobis factus eſt a Deo & iuſtificatio & iuſtitia. Hunc ergo vobiſcum ad Eccleſiam aſportate, hunc vobiſcum*

Dioniſ. Char. ſerm de Pur. Purificato.

re-

Digitized by Google

reportate: & habebitis Chriſtum vobiſcum.
ſic enim monet ſanctus Apoſtolus Paulus:
1. Corinth. 6. *Empti eſtis precio magno; glorificate, &*
portate Deum in corpore veſtro. Quid eſt
Deum portare? imaginem Dei repræſenta-
re, Chriſtum imitari: hanc imaginem portat
innocentia, portat iuſtitia, hanc portat veri-
tas, hanc portat caſtitas, hanc portat ſobrie-
tas, & omnis honeſtas: ſicut enim portaui-
1. Cor. 15. *mus imaginem terreni; portemus & ima-*
ginem cæleſtis. Deponentes ergo veteris
Rom. 13. *hominis lutulenta negotia, abijciamus*
opera tenebrarum, & exerceamus nos
Matth. 5. *in operibus lucis; vt videntes opera noſtra*
bona, glorificent Patrem noſtrum qui in-
cælis eſt. His virtutum ornamentis ex-
ornemus domum cordis noſtri, vt Deum-
inhabitatorem habere poſſimus; ſic enim hoc
die ſub typo ſponſæ ſancta monet Eccleſia,
dũ ait: Adorna thalamum tuum Sion, & ſu
ſcipe regem tuum Chriſtum. Admonitio iſta
ornamenta deſiderat morum, non palliata-
veſtimenta morum, vt in ſanctis moribus
caſtæ mentis amator requieſcat Dominus,
ſicut in ornato thalamo delectabiliter re-
quieſcit ſponſus: vnde etiam in Euangelio
iubemur lumbos præcingere, id eſt, carnis
fluxa frænare, & lucernam in manibus te-
nere, id eſt, proximis lucis exempla mon-
ſtrare: vt parati inueniamur conuiuio cæ-
leſtis ſponſi intereſſe, & cum eo ſine fine-
gaudere.

Ad extremum vltimam iam rationem
appono. Arbitror quidem Eccleſiam-
Catholicam conſulto hoc luminarium fe-
ſtum inſtituiſſe, vt nos moneret Eccleſia-
ſticas ceremonias venerandas eſſe, omni-
noque explodendam Hæreticorum im-
pietatem, qui perfida audacia, ac perfri-
cata fronte in illas impudẽtiſſime debac-
chantur, cum alioquin Chriſtus Dominus
verbis, & factis illas colere nos apertiſſimè
docuerit: nam Ioannis cap. 9. habetur: *li-*
Ioan. 9. *niuit lutum ſuper oculos eius*, & dixit:
Ioan. 20. *Vade, & laua in Natatoria Siloe*, & c. 20.
Mar. 7. *hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis:*
Accipite Spiritum ſanctum, & Marc. 7. *ad-*
ducunt ei ſurdum, & mutum, & depreca-
bantur eum, vt imponat illi manum, & ap-
prehendens eum de turba ſeorſum, miſit di-
gitos ſuos in auriculas eius, & expuens teti-
git linguam eius, & ſuſpiciens in cælũ inge-
muit. & cap. 8. ſimile quippiam fecit ad
ſanandum cæcum expuens in oculos eius.

In implendis etiam veteris legis non ſo-
lum moralibus, & iudicialibus, ſed & ce-
remonialibus præceptis obſeruantiſſimus
fuit. Obſeruatio ergo ceremoniarum-
longe a ſuperſtitione abeſt. Et quidem-
ceremoniæ, quibus Eccleſia Chriſti veſti-
gia ſequens vtitur, conuenienter inſtitu-
tas eſſe ex eo ſatis clarè conſtat, tum vt
ſint externa ſigna, & ſenſibilia teſtimo-
nia cultus interioris, quem præcipuè Deus
requirit à nobis. Tum vt viua extent, &
viſibilia religionis incitamenta, quibus
fragilitas humana his adminiculis ma-
gis fulciatur, & ad ſacra myſteria, & ca-
peſſenda, & retinenda veluti manu duca-
tur. Tum quia licet in his ceremonijs
ſita non ſit perfectio Chriſtiana: tamen ſi-
cut ſepes hortum circumdãs fructus eius
cuſtodit, ita ſacræ ceremoniæ animæ de-
uotionem, & cuſtodiunt & fouent. Vnde
egregie D. Hieronymus aduerſus Vigi- D. Hier. adu. vigilantium.
lantium contra ſacras ceremonias inſul-
tantem, dixit: *Cauſabantur quondam &*
Apoſtoli, quod periret vnguentum, ſed Do-
mini voce correpti ſunt: neque enim Chri-
ſtus indigebat vnguento, nec Martyres lu-
mine cereorum, & tamen illa mulier in ho-
norẽ Chriſti hoc fecit, deuotioq; mentis eius
recipitur; & quicunq; accendunt cereos
ſecundum fidem, ſuam habent
mercedem, quam colenti-
bus illum Dominus
promiſit. Cui
ſit ho-
nor
& gloria in ſæcula
ſæculorum.
Amen.

Homi-

Homilia XIII.

Aggredimur præludia ad expoſitionem Cantici, quod Simeon cecinit in præſentatione Chriſti Domini. Exordimur autem à dignitate ſui Authoris, multa de illo encomia proferentes, tàm ex vetuſtis Authoribus, quàm ex ſacris eloquijs in illa verba: Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.

CVM nobilitas, & excellẽtia Authoris non parum opus eius commendet, non erit abs re, ſi antequàm in ſequẽtibus Homilijs Simeonis canticũ exponere aggrediar, præclara multa, quæ Authorem ſuum celeberrimum reddiderunt, prius commemorem. Et quidem in primis, vt ab eius genere exordiar, Petrus Galatinus lib. 1. c. 2. de Arcanis, Hillelis filium fuiſſe ſcribit ex libro Pirche Auot, ideſt, Commentarijs Patrum: de quo Hillele inſignia permulta tradit Ioſephus lib. antiquitatum; floruit autem Hillel, vt in libro Sabbath initio dicitur (eodem Galatino id ibidem referente) anno ante Templi ſecundi euerſionem centeſimo, & vt *in Bauà bathrà* legitur, octoginta habuit diſcipulos, omnes excellenti ingenio ac doctrina præditos, qui omnes ratione diſciplinæ filij eius ſunt nuncupati, adeoque præſtantes fuerunt, quod ſicuti ibidẽ legitur, [eorum triginta quidem, vt diuinitas ſuper eos deſcenderet, digni erant, quẽadmodum Moyſes ipſe fuerat; triginta verò vt pro eis ſol immobilis ſtaret, vti Iehoſuas fuit; Ceteri autem viginti, mediocres ſunt appellati, quorum maximus quidem Ionathas Vzielis filius extitit; minimus verò omnium Ioannes Zachæi filius, quem Iudæi Raban Ben Zacchai vocant: qui tamen (vt priſci Talmudiſtæ dixerunt) neque ſcripturam, neque Talmud, neque cetera omnia vſq; ad vulpiũ exempla, ac dæmonum narrationes ſcire prætermiſit. Si igitur iſte, qui omnium diſcipulorum Hillelis minimus fuiſſe memoratur, tàm magnus euaſit ſapiens, quid de ceteris cenſendum eſt? Hillel autem, & Sameus legis expoſitionem eidem Ioãni Zachæi filio, & Simeoni Iuſto, ipſius Hillelis filio tradiderunt. Ordo iſte hactenus deductus ex patrum capitulis, Pirche Auot nuncupatis, elicitus eſt: vbi poſtremus omnium Simeon Iuſtus, qui Chriſtum ſuſcepit in vlnis, ponitur] Deinde venerabilem ſenem fuiſſe vnanimi conſenſu tradunt omnes Hiſtoriographi. D. Auguſt. Nicephor. Card. Tolet. Vnde de veneranda eius canitie, ac immaculata ſenectute, hoc tanto viro digna, ſcribit magnus Abbas Guaricus diſcipulus chariſſimus D Bernardi. *Longitudine dierum adimpleuerat Deus ſenem iuſtum, vt oſtenderet ei ſalutare ſuum in vultu ſuo; plenus ergo dierum temporalium portabat antiquũ dierum antiquorum, atque ſpei æternæ pignus fideliſſimum tenebat in ſinu repoſitũ, quod videlicet dies ſuos ſuper dies ſenis adijceret puerilles, iuuentutemq. eius renouaret vt Aquilæ. Quamquam ſenem quoq; iuſtum ſic, vt Abraham, cum dicit (dierum) libentius accipiam, plenum virtutum quam temporum, cum tempora ſtatum nullum habeant, ſuoque acceſſu decedentia hominem potius exhauriant quàm impleant. Sed neque magnum eſt, imo magis malum, multis vixiſſe diebus, ſi nõ ſenueris virtutibus, cum puer centum annorum moriturus ſit, & peccator centum annorum maledicẽdus, ideo ſi annis multis vixerit homo, vt ait Salomon, & in omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum. Ceterum è contrario ſenectus venerabilis eſt; non diuturna neq; numero annorum computata: Cani ſunt enim ſen-*

ſus

Galatinus.

Ioſeph hebr.

D. Auguſt. Nicephor. Card. Tolet.

ſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Si hac vtraq; ſenectute Simeon non conſenuiſſet, nũquam coronam, ſenſum, ſapientiam Dei Chriſtum portare meruiſſet Sic namq; ſcriptum eſt: Corona dignitatis ſenectus: quæ in vijs iuſtitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, niſi ſapientia Dei Chriſtus? ipſe namq; merito iuſtorum operum tribuit, canos ſenſus ſapientiæ, quam poſt modum formabit iuſtis in corona gloriæ. Sanctus itaque Simeon, vt ſanctus ſeneſceret, adhuc ſenectutem ſapientium, ſi ſapientiam ſenum factam puerum in vijs iuſtitiæ, cum ſcilicet in ſpiritu venit in Templum, reperit, & comperit in veritate: quia ſenectus, quam bene vobis pariter conuenit, in huius pueri ſenſibus, & moribus, quo vtique nihil innocentius, ſed nihil ſapientius: nihil iucundius, ſed nihil maturius: nihil mitius, ſed nihil iuſtius. hactenus ille.

Euthym. Theoph. Idiſem loc.

An autem Simeon fuerit Sacerdos legis ſcriptæ, Euthymius, Theophylactus & quidam Neoterici, illorum Aſſeclæ, omninò negant, ea ducti ratione, quod cum D. Lucas tot titulis eum exornauerit, non videbatur honorificum ſacerdotis titulũ prætermiſſurus, ſi illi congrueret. quod autem ait Lucas Simeonem Mariæ, & Ioſepho benedixiſſe: id non fuit tanquam Sacerdos, ſed vt venerabilis ſenex, proſpera annuncians; quo benedictionis genere Iacob Regi Pharaoni benedixit, vt Gen. 47. legimus. In contrarium tamen eſt magna antiquorum Patrum copia. Nã præter D. Auguſt. ſerm. de Natiu. Domini Simeonẽ appellantẽ ſenẽ, probatum, & coronatum, quo ſignificauit eius ſacerdotiũ: nam, vt Card. Toletus ait nihil aliud erat eſſe coronatum, quã ſacerdotis mitra inſigniri: Idipſum expreſſe docuerunt vetuſtiores alij Patres: nam Cirыllus Ieroſolym. dixit; *Audi Iſrael, audite omnes gentes: quem ego Sacerdos veſter Simeõ vlnis geſto, magnaq; voce & prædico, & teſtimonio meo palam commendo, hic Deus, & Dñs eſt.* Athanaſ. etiam ad idem ſic loquitur: *Simeoni certe, & Sacerdoti, & ſeni oraculum redditũ eſt à ſpiritu, nequaquã morieris quin prius videris Chriſtum:* Suffragatur D. Epiphan. in hæc verba: *Simeon ſacerdos, e Tribu Aaron emicuit: hic quippe eſt qui oraculum accepit à Spiritu ſancto, neutiquam viſurum eſſe mortem, quo vſq; Chriſtum Dominum incarnatum videret.*

D. Auguſt.

Card. Tolet. in ca. 2. Lucæ.

D. Cyr. Ieroſ. hom. de occurſu domini.

D. Athanaſ. lib. de comm. Patris, filii, & Spir. eſſen.

D. Epiphan.

Triplex tandem ratio id ipſum probat; tum quia Simeon ſuſcepit Chriſtũ, cũ parentes eius illum inducerent in templum: vt autem adnotauit D. Athanaſ. præcitato loco, nulla rationabilis cauſa excogitari poteſt, cur ille ſuſciperet, niſi quia Sacerdos erat, qui ex officio oblatum puerum nomine Dñi acceptabat, nec parentibus redebat, donec redimeretur. Tum quia ſacer Euangeliſta ibidem teſtatur, Simeonẽ parentibus benedixiſſe: *& benedixit illis Simeon:* vt autẽ conſtat Num. 6. ſacerdotibus mandatum erat in lege benedicere populo. Tũ quia antiquiſſimus mos in Eccleſ. Cathol. inoleuit, vt inter ſacras imagines præſentationis Chriſti myſteriũ exprimentes, ſacerdotalibus veſtimentis indutus depingatur. Nec quidquã refert, quod ſacer Euang. Sacerdotem illũ non nuncupauerit; nam vt D. Hier. tradit ex cõmuni Patrum Græcorum ſententia, Iob fuit Sacerdos, & tamen eius ſacerdotio prætermiſſo ſolum dicitur de illo: *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus, & timens Deum.* Addo deinde, ſatis explanaſſe Euangeliſtã Simeonẽ Sacerdotẽ fuiſſe, dum illũ refert ſuſcepiſſe infantulũ oblatum in manus ſuas, vt ſupra dixi, quod ad ſacerdotẽ pertinebat.

D. Athan. vbi ſup.

Luc. c. 2.

Num. 6.

D. Hieron.

Iob. 1.

Non ſolum autem nobilem, necnon ſenem, & Sacerdotem, ſed & virum doctrina conſpicuum fuiſſe, multi affirmarũt. Nam vt refert Card. Tolet. nonnulli in ea fuerunt ſententia, vt putarent illum fuiſſe magiſtrum Gamalielis, legis doctoris celeberrimi, ad cuius pedes Paulus fuit eruditus, & vnum ex authoribus magnæ Cõgregationis, qui in Talmudicis libris, *Simeon Iuſtus* nominatur. Sed & Egeſippus, & Nicephorus hæc valde ſingularia de illo ſcripſere: *Erat,* inquiunt *Simeon inſignis quidam Rabbi, & magiſter inter Iudæos; legebatq; ſacram ſcripturam in Sinagogis Ieruſalem. Acceſſit autem aliquando ad interpretationem illius loci Iſaiæ: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Viſum autem ſibi fuit, quod ſcrupulum quendam, & dubitationem generaret in auditorũ ſuorum animis, quod virgo eſſet conceptura, & paritura: Vnde in ſuis ſcripturis quæ in publicum erant euulgandæ, loco illius vocabuli, Virgo, poſuit dictionem quandam Hebræã mutata vna tantum litera, quæ ſonabat, Iu-*

Toletus in c. 2. Lucæ.

uen-

uenculam, hoc eſt, puellam quandam ſiue eſſet, ſiue nō eſſet Virgo. Per tres autem vices mutauit nomen, & per totidē vices inuenit illud deletū, & poſitū quod ipſe delere volebat. Poſitus autē in admiratione tantæ rei, ſupplex à Dño poſtulauit, vt ſibi tantū myſteriū reuelare dignaretur: atq; ita in reuelatione, ipſe primo reprehēſus fuit propter id quod fecerat, ſed quia intentio eius bona eſſe videbatur, non fuit punitus. Dixit ergo ei Deus, quod ipſe antequàm moreretur, videret prophetiam illā impletam, & proprijs oculis videret Virginē illā, de qua hic prædicabatur, & videret etiā filium eius Redemptorem mundi, atque hanc ſpem Simeon cōſeruauit donec Chriſtum vidit. Magiſter tamen Hiſtoriarū affirmat id de mutatione litteræ contigiſſe, quando Ptolemeus Philadelphus Rex Aegypti congregauit ſeptuaginta duos Interpretes, vt ſacrā Scripturam in Græcum ſermonē transferrent, inter quos alter fuit Simeon iſte, cui contigit liber Iſaiæ interpretandus: & cum veniſſet ad illum locum: *Ecce Virgo concepiet, & pariet filium:* Timēs ne Ptolemæus diceret in diuina Scriptura aliquod reperiri mendacium, quia impoſſibile videbatur quod virgo manens virgo pareret, abraſit verbū illud *Virgo*, & loco illius, ſubſtituit *ngalma* quod ſine aſpiratione ſcriptum, etiam non virgini competit, vt dixit apud Virgilium Dido.

Magiſt. Hiſt.

Virgil. lib. 1. Aeneid.

Tu ne ille Aeneas quē Dardanio Anchiſæ.
Alma Venus Phrygij genuit Simoëntis ad vndam?

Sed & illud valde ſingulare hic referre non prætereibo, quod relatū inuenio in præfatione quadā Celſi ad Virg. in altercatione Iaſonis & Papiſci, q̄ ponitur inter opera Cypriani, vbi Simeon cæcus ante fuiſſe dicitur, & tunc viſum recepiſſe, quādo Chriſtum in vlnis recepit. Verba eius ſunt hæc. *Simeon quoq; Iuſtus, qui in cæcitate cōſtitutus diuino monitu audierat ſe non ante moriturum, quā videret Chriſtū, cum in templo omni populo præſente infantem ſecum inferret Mater, & in ſpiritu natum eſſe Chriſtū ſenſiſſet, acceptum in manibus puerū vidit, & benedicens Deū in conſpectu, & auditu omnium dixit. Nunc dimittis ſeruū tuum Dñe: ſecundum verbū tuū in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuū. Simeon quod cæcus audierat, euidenti veritate perfectum & veritatē quam accepto lumine viderat benedicendo, palam Deum Populo prædicabat. Ad hoc enim viderat, vt referret, & reuelatione ſua, quod Chriſtus natus fuiſſet, oſtenderet: & perfidi populi initia prima incredulitatis inſtrueret.* Hæc ibi.

Celſus in præfatione ad Virg. inter op. D. Cypr.

Quamdiu verò poſt hæc ſuperſtes fuerit Simeon, incertum eſt. Niceph. lib. 1. c. 12. protinus obijſſe refert, *Cum Chriſtum,* inquit, *conſpexiſſet Simeon, carnis mole protinus ſolutus eſt.* Quàm autem magna ſanctitate emicuerit, quantiſq; meritis coruſcauerit ſanctus Simeon, disertè ſatis Euāgelica eloquia conteſtantur, Luca dicente: *Ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomē Simeō, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationē Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Verba iſta, huius venerabilis ſenis plena ſunt Encomijs, nulla ratione ſilentio prætermittendis. Et quidem in primis Card. Toletus in Commentario huius loci, ſcitè obſeruauit, quod particula (*ecce*) non ſolum rem ipſam præſentem indicat, ſed etiam hominis excellentiam, & myſterij magni cōſcium. Deinde quod *homo* appellatus fuerit ab Euangeliſta, myſterio non vacat, ſi illud Diogenis Philoſophi, quod in ore omnium verſatur, in memoriam reuocemus, qui in meridie facie accenſa Athenarum plateam magna populi caterua plenam percurrens, interrogatus quid quæreret? reſpondit inter millia hominum, *hominem vnum quæro;* hoc eſt, hominem qui non more belluarum inſtar illarum, ventri inſeruiat, carnis oblectamentis vacet, honoribus & dignitatibus inhiet, diuitiarum cupiditate flagret, ſed quæro hominem, qui ratione duce ſingula operetur, qui fugaces mundi honores vltrò ſpernat, qui diuitias vt ſtercora arbitretur, qui carnis petulantiam & effrænes eius impetus coërceat: qui enim ita ſe gerit, meritò homo, ceteri nō homines ſed bruta animantia nuncupari merentur. Ad id ergo ſignificandum Euangeliſta dixit de Simeone: *Ecce homo:* homo quidem, ſed non ille, de quo Spiritus ſanctus dixit: *homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Homo quidem, ſed non ille, de quo Apoſtolus: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei:* Homo, ſed non ille, de quo Eccleſiaſt. *dominatur homo homini in malū;* Homo, ſed non ille de quo Dauid: *homo pacis meæ in quo ſperaui magnificauit ſuper me ſupplantatione?* Homo, ſed non ille de quo

Niceph.

Tolet. in c. 2. Luc.

1. Cor. 2.

Eccl. 8.

Pſal. 40. Dauid*: homo vanitati ſimilis factus eſt;*
Homo,ſed non ille de quo legimus:*Neſcit*
homo,vtrum amore, vel odio dignus ſit, cũ
ex diuina reuelatione agnouerit ſe mori-
Eccl. 9. turum in pace. *Nunc dimittis ſeruum tuũ*
*in pace.*Homo,ſed non ille de quo in Pſal.
Pſal 51. *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem,*
Luca 2. *nec ſperauit in Deo ſalutari ſuo*, eum ſacer
Euang. de eo dicat, quod erat *expectans*
redemptionem Iſrael: Homo,ſed non tam-
dem ille, de quo Chriſtus Dominus dixit
Matth.13. in parabola de Zizania:*Inimicus homo hoc*
*fecit.*Quis ergo homo fuit S.Simeon?arbi-
Eccl. 27. tror quod ille de quo Eccleſiaſt: *homo sã-*
ctus in ſapientiâ manet,ſicut ſol. Arbitror
quod ille de quo idem ait,*homo ſapiens in*
omnibus metuit. Arbitror quod ille, de
Matth.12. quo ipſemet inquit:*bonus homo de Theſau-*
*ro ſuo profert bona.*Arbitror quod ille,de
Eccl. 12. quo dictum eſt:*Ibit homo in domum æter-*
nitatis ſuæ, & benedictione cæleſtis gloriæ
perfruetur. Arbitror tandem,fuiſſe homi-
Pſal. 127. nem illum de quo Dauid; *Ecce ſic benedi-*
cetur homo,qui timet Dominum, cum be-
nedictionem omnium gentium proprijs
vlnis ſuſceperit,*& accepit eũ in vlnas ſuas.*

Vocat deinde Lucas Simeonẽ hominẽ,
vt diſcernat illũ ab eis, qui more bellua-
rum viuentes, illo nomine indigni ſunt,
qui enim mordaces dentes ad lædendam
proximi famam exacuit,canis,non homo
appellari debet:qui rapaci manu proximi
bona ſurripit,leo potius nuncupatur: qui
calcem impingit proximo ſuo,hoc eſt,eius
perſonam ſpernit, equus nominatur, aut
iumentum refractarium:qui voracitati, &
ingluuiei deditus eſt,lupi nomen meretur;
qui laſciuia, & luxuria totus diffluit, is
apri nomine dignus eſt: qui verba petulã-
tia ac virulenta effundit,draco appelletur
ſerpens & baſilicus.Sanctus verò Simeon,
quia ab his omnibus ferinis moribus lõge
alienus erat,conſultò ab Euang. *homo* vo-
catur,hoc eſt,qui ratione ducitur,& ab his
quæ illa præſcribit, non deuiat. Sed cur
quæſo ab Euang. bis Simeon vocatus eſt
Luca 2. homo,cum re vera ſat fuiſſet dicere,*homo*
erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon,& ad
veritatem Hiſtoriæ enarrandam nihil de-
fuiſſet?facile crediderim aliquod in hoc la
tere myſterium:mihi illud detegitur,viro
fideli ſatis nõ eſſe ſemel fuiſſe hominẽ,ſed
oportet,vt bis ſit homo, prius per naturã,
deinde per gratiã. Hanc neceſſitatẽ ſatis
Ioann. 3. explicuit Chriſtus Dñs,cum dixit;*niſi quis*
renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,
non poteſt intrare in regnũ Dei,Sane omne
quod renaſcitur,iam præſupponitur ſemel
natũ: per illam ergo natiuitatem naſcitur
homo ſecundũ naturam;per ſecundã verò
quã Chriſtus Dominus vocat renaſcentiã,
naſcitur ſecundũ gratiã: vt denotaret er-
go Euang. hanc geminã hominis rationẽ
in Simeone inueniri,idcirco bis ab eo vo-
catus fuit *homo.*Verùm vt id expreſſius ſi-
gnificaret,vocauit illum *Iuſtum:& Homo* Luca 2.
*ille erat iuſtus.*quo vno verbo tot Simeo-
nis encomia complexus eſt, vt ſi omnia
mihi proſequenda eſſent,oporteret totum
hoc opus in his enarrandis verſari. Duo,
vel tria attingam,vt ad reliqua exponen-
da properem. Et quidem in primis,
cum Eccleſ. dixiſſet:*non eſt ſpecioſa laus in*
ore peccatoris, hinc eſt quod cum Simeon
in Cãtico illo,*Nunc dimittis*,diuinas lau-
des intonaturus eſſet, vt illas Deo acce-
ptas futuras præmonſtraret: prius eius sã-
ctitatem cõmendat,iuſtũ illũ prædicẽs;iu-
ſtum,inquã,ea iuſtitia,quæ diuinæ naturæ
conſortẽ hominem reddit ac filiũ Dei ado
ptiuũ conſtituit:quo præter Dei filiationẽ
naturalem,quæ ſolo Chriſto Dño compe-
tit,nihil ſublimius,aut excellentius exco-
gitari poteſt.Taliter autem Simeon filius
Dei fuit vt à patris ſui nobilitate minime
degeneraret,quod ſanè potiſſimum eſt,in
quo præcipuã ſuã curã vir iuſtus impẽdere
debet.Vnde D.Amb. in ſuo Exam. expo- D. Ambr. in exam. Gen. 1.
nens verba illa Gen. *Germinet terra herbã*
virentẽ,& facientem fructum iuxta genus
ſuum,inquit: *Et tu homo iuxta genus tuum*
viue,non adulteres genus tuũ.Vis illud noſ-
ſe?attende Apoſt. dicentem:Genus cũ ſimus
*Dei.*Si igitur propter naturalem affinitatẽ
quam per rationem,& liberum arbitrium
cũ Deo habemus,propter quod Paulus di
xit, nos eſſe ex genere Dei, debemus ſe-
dulam diligẽtiã adhibere, ne turpitudine
peccati hãc generis noſtri nobilitatẽ,ma-
culemus: quantò magis cũ iuſtus propter
affinitatẽ per gratiã coniũctior ſit illi cu-
rare debet à dignitate filij Dei nõ dege-
nerare? Deinde hoc ipſo quod Euang. Si-
meonẽ vocat iuſtũ, cæleſtibus Chariſma-
tibus cumulatiſſimũ cõmẽdat:iuſtus enim
Dauid Deo dicebat,*dediſti lætitiã in corde* Pſal. 4.
meo,a fructu frumenti,vini, & olei multi-
plicati ſunt:ecce quomodo diſtribuit Deus
bona ſua inter iuſtos, & peccatores;iuſto
quidẽ cordialẽ alacritatẽ ei impertitur:*de-*
diſti

Digitized by Google

diſti lętitiã in corde meo; peccatori autẽ bona quædã temporalia donat; *Gen. 27.* ***panem, vinũ, & oleum***, quibus mũdi diuites frequenter abundãt. In cuius vmbra & figura legimus apud Gen. quod Iſaac benedicens filios ſuos, Iacob prædeſtinato cęleſtium donorum ei impertiuit benedictionem: ***de rore cæli, det tibi Deus, de pinguedine terræ***: *Gen. 27.* primo loco ſuperna bona ***de rore cæli***, tanquã potiora & principaliora; deinde ſecundo loco, vt acceſſoria ei deprecatus eſt temporalia, ***De pinguedine terræ***: quaſi audiuiſſet illud Chriſti Domini: *Matth. 6.* ***Primum quærite regnum Dei, & omnia hæc adijcientur vobis***. E contra verò, cum benedixit Eſau reprobo, prius benedictione rerum temporalium, quàm cæleſtium benedixit dicens: *Gen. 27.* ***in pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua***. Ecce tanquã principalius non in ſe, ſed in æſtimatione ipſius Eſau, præpoſuit pinguedinẽ terræ rori cæleſti, Prophetico Spiritu vaticinans, impiũ Eſau bona cæleſtia præpoſiturũ fore terrenis: his enim peccatores ſe impleri *Pſal. 16.* ſatagunt. Vnde Dauid dixit: ***de abſconditis tuis ad impletus eſt venter eorũ***. Quid quæſo habet Deus abſconditũ in terra, aurũ certè, argentũ & pretioſa alia mineralia, quæ propterea arbitror Deũ, inſtar pijſſimæ matris gladium paruulo abſcondẽtis, quo ſe ferire poſſit, inter viſcera terræ ab eorũ oculis ea ſubduxiſſe. Multis quidem diuitię, & rerũ temporaliũ affluentia velut acutus gladius fuiſſe perhibetur, quo eorũ animæ transfixæ in æternũ peribũt, quæ propterea Deus multis peccatoribus impertiuit, vt propter cõmiſſa peccata debitas luant pænas. O quàm iucundior, & felicior eorũ ſors, qui in præſenti vita non temporalibus, ſed ſpiritualibus affluũt diuitijs; Tẽporalia enim velut ſpinæ pungunt, ſpiritualia verò inſtar liliorum delectant, vt expertus eſt Paulus, cũ dicebat: ***Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio***: à quo ſi quæras quod genus gaudijs hoc eſt, quo iuſtorũ corda exhilareſcunt? reſpondet: ***gloria noſtra teſtimoniũ conſcientiæ noſtrę***: quæ verba per illa explicari poſſe autumo, quæ ſapienter dixit *Senec. Epiſt.* Seneca: ***Gaudium virtutis velut fons in domo propria naſcens***: rectè quidem; nam ex puritate conſcientiæ pullulat ſpes firmiſſima fruendi Deo in æternũ, quia vt Chri- *Ioan. 4.* ſtus Dñs dixit: Gratia, ***fons eſt ſalientis in vitã æternã***: hoc autem gaudiũ ita tenaciter iuſtorum cordibus ineſt, vt Chriſtus Dominus dixerit, ***Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis***. Atque hunc exiſtimo eſſe germanũ ſenſum verborum illorum Prophetæ Habachuc, ***ficus non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum; ego autẽ in domino gaudebo***: *Habacuch 3.* Quaſi dicat, deficere quidẽ poteſt ficus ex inclementia aliqua cæli, vt bene etiam culta ac cælitus irrigata ficos non producat: deficere poteſt vinea in ferendis vuarum botris, quantũuis cultoris induſtria non deſideretur in ea; poteſt mentiri oliua, nõ reddẽte virore eius quos promiſerat fructus; poſſunt tandem arua, in referendo frumentũ, & oleũ auara eſſe: cor autem iuſti diuina gratia fecundatum non poteſt non parere gaudium, imo & ſępe parit tripudiũ, quia hic eſt fructus indefectibilis bonæ conſcientiæ: ***Ego autem in Domino gaudebo***. Teſtis huius veritatis eſt S. Simeon, qui tanto gaudio perfuſus erat, vt magnitudinẽ eius intra ſe non capiens deſideraret extra ſe per mortẽ exire: ***Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuũ in pace*** Id quod ſequentia verba eiuſdem Prophetæ Habacuch ſatis indicant: ***& ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentẽ***. Vbi notandũ eſt quod in Hebræo habetur *Habacuch. 3.* ***deducet me victori***, quo etiam modo tranſtulit Pagnin. Vnde S. Remig. & Altiſiodor. verterunt in hunc modũ, ***deducent me canentem***, quaſi diceret: gaudium iuſti nõ ſiſtet hic, quia iuſtitia & ſanctitas eius perducet illũ ad gaudiũ cęleſte, & reſtituet eũ Chriſto Domino ſalutari ſuo. Perſimilia ſunt his verbis illa alia Dauidica: *Pſal. 19.* ***Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur***. S. Theod. vertit ex Hebręo, *Theodor. ſup. Pſal. 19.* ***in nomine Dei noſtri ducemus choros***, ideſt Pſallemus ſicut & chori Angelici, vna voce dicẽtes ***Sanctus, Sanctus, Sãctus*** *Iſai 6.* Felix legit, ***in nomine Dei noſtri erigemus vexillũ***; in quo mihi videtur alluſiſſe, ad militũ morẽ, quia ſicut illi vexillũ ſuum in ſublime erigunt in ſignũ cõmunis lætitiæ pro parta victoria; ſic iuſti vexillum crucis exaltant, Chriſti trophæa, necnon & ſua propria, ingenti alacritate concinentes.

Ad hæc poſtquã ſacer Euang. Simeonẽ vocauit ***iuſtum***, continuo appellat eundẽ timoratũ, ***& homo iſte iuſtus, & timoratus***, *Luca 2.* hoc eſt, religioſus & pius timore filiali, vt *Card. Tolet. in c. 2. Luca.* explicat Cardinalis Toletus, & vt ipſe

H 2 rectè

Digitized by Google

rectè obſeruauit, contrarius erat hic Simeon illi Iudici, cuius meminit Diuus Lucas, qui nec Deum timebat nec hominem reuerebatur; ſimilis autem Iob, de quo legimus, *erat ſimplex, & rectus, & timens Deum*. Rectè copulauit S. Lucas duo illa honorifica Epitheta, iuſtum, & timoratũ, quia proprium eſt iuſti, & ſancti viri nunquam ſecurum eſſe de propria iuſtitia, vt eleganter ibi proſequitur D. Gregor. ſed ſemper eius iacturam metuere. Odorauit hoc Xenophanes Philoſophus, qui cum (id referente Plutarcho) ad taxillis ludendum ab Hermonio inuitaretur, & ille recuſaſſet ludere, cæpit hic puſillanimem, & timidum eum vocare: cui ipſe prudenter reſpondens dixit: *fateor non ſolum meticuloſum, verum etiam vehemẽter meticuloſum, ſed aduerſus in honeſta*. Certè eſſe timidũ ad mala patranda genus quoddam fortitudinis eſt, quo peccatum vincitur, & expugnatur. Vnde Cleantes, vt author eſt Laërtius lib. 7. cum amicus eius quod timoris morbo laboraret, illum impropetaret, protinus reſpondit, *ideo minimum pecco*, quaſi diceret, metus hic in laudem potius meam, quàm in vituperiũ cedit, cum me à peccati turpitudine longe auertat. Adeò certè iuſtitia & timor filialis inter ſe connexa ſunt, vt S. Thomas 2.2.q.19. dicat: *Timor filialis neceſſe eſt quod creſcat creſcente charitate, ſicut effectus creſcit creſcente cauſa. Quanto enim aliquis magis diligit aliquem, tantò magis timet eum offendere, & ab eo ſeparari*. Vnde videtur mihi, quod iuſtus & timoratus imitatur prudentem mercatorem, qui merces ſuas per mare in remotiſſimum Regnum transferendas aſſecurat, & non aliter eas mittit, quàm ſub fideiuſſione alterius, qui ſub aliquo taxato pretio ad quamcumq; illarum mercium iacturam reſarciendam publico inſtrumẽto ſe obligat; id quod non alia ratione mercator præſtat, niſi vt periculum præcaueat, cui, vt experienria conſtat, Naues expoſitæ ſunt, quæ tempeſtate irruente mercibus onuſtæ frequenter ſubmerguntur & pereunt. Sic ergo homo iuſtus cum experimento comperiat, pene innumeras animas inſtar nauium, tempeſtuoſum huius ſæculi mare ſulcantes, frequenter perire, & in profundum Barathri detrudi, ipſe cautior factus, exiguo quidem timoris pretio adhibito virtutum merces in cæleſte Regnum transferendas aſſecurat quoad fieri poteſt. Eccleſiaſticus iuſtum hortatur, vt timorem Domini cuſtodiat, ne aliquando totum ædificium eius ſpirituale funditus corruat; *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubuertetur domus tua*: quaſi dicat: Scito nullum in te bonum ſecure permanſurum, niſi timoris præſidio illud munieris; inſtar nauis, in cuius inferiori parte ſaburra, hoc eſt, ingens aliquod pondus à Nautis apponi cõſueuit, vt illius grauitate renitente, Nauis non poſſit facilè hac, & illac à fluctibus aut ventis circumferri.

Luca 18.
Iob. 1.
D. Greg. ſup. c. 1. Iob.
Plutarch. de vitioſa verecundia.
Cleantes. Laer. lib. 7.
Eccl. 27.

Atq; hinc eſt, quod ſacer Euangeliſta vt ſignificaret ſanctum Simeonem non vulgariter, nec vtcumque iuſtum eſſe, qui facile à iuſtitia cadit, ſed iuſtum eſſe, numquàm à iuſtitia caſurum, idcircò pariter illum nuncupat. *Iuſtum, & timoratum*, imo, & per hoc vltimum *timorati* cognomen arbitror voluiſſe illum virum famoſum prædicare, quia nihil magis, quàm timor Dei famoſum reddit hominem, iuxta illud Iudith: *Erat hæc in omnibus famoſiſſima quia timebat Dominum*. Ecce timor Dei, famam & æterni nominis ſplendorem largitur. Denique id proprium eſt iuſtorum, qui cum non ignorent portare theſaurum in vaſis fictilibus, certe quanto ardentius Deum diligunt, tantò magis timent ab eo ſeparari, & minus ſecuros ſe arbitrantur cùm diuinis fauoribus affluunt, quàm cum flagellis ab eo cæduntur: vt in perſona Dei, Iob his verbis edixit, *Si quando ridebam ad eos, non ridebant*: tunc dicitur Deus cum ſanctis ſuis ridere, quando varijs beneficijs eos cumulat, ſed tunc illi non rident; ſed magis formidant, minuſq; ſecuros ſe iudicant, varijſq; modis ſe affligunt, & macerant cum D. Paulo, qui licet nullius grauis peccati conſcius ſibi eſſet, dicebat; *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*.

Iudith. 8.
Iob. 29.
1. Corin.

Addit deinde ſacer Euang. ſingulare aliud Simeonis encomiũ, quod *erat expectans conſolationẽ Iſrael*. Non vacat myſterio, quod non dixerit, ſperans, ſed *expectãs*: voluit enim antiquis patribus in hoc illum anteponere, quod illi diuinis pollicitationibus nitentes ſperabant quidem Chriſtũ venturũ, non autẽ illum expectabant, quia reuelatũ eis erat poſt plurimos vitæ illorũ annos aduentũ eius futurum; Simeon vero non ſolũ ſperabat, ſed expe-

ctabat etiã proprijs oculis eũ videre, quia iam præ foribus aſtare diuinitus præno-uerat. Dicit autem quod erat *expectans conſolationem Iſrael*: quia ex Prophetia Iſaiæ didicerat Chriſtũ ſuo aduentu nos cõſolaturum,

Iſaia 51. *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius*: & alibi inquit. *Ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarẽ captiuis indulgentiã, & clauſis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, & conſolarer omnes indulgentes*:

Euth. ſup. c. 6. Quamuis autem Euthymius conſolationem hanc à Simeone expectatam interpretetur reuocationem ab erroris ſeruitute: & Titus etiam Borſtrenſis intelligat, liberationem populi à Romanorũ dominio, & Herodis alienigenę tyrannide:

Boſtrenſ. ibid. ego quidem non aliam iudico Simeonem expectaſſe conſolationẽ, quàm à Chriſto Domino præſtandam, à peccatorum ſeruitute nos liberando, & cum Deo patre reconciliando. Erat ergò Simeon expectans, ſed non vt vos fugaces mundi honores, fallaces diuitias, caduca lucra, ac terrenas conſolationes, ſed expectabat Chriſtum Dominum cum Dauide dicens:

Pſal. 38. *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus*? Sed ad quid expectas Dominum vt conſoletur, tibi ne ſoli? ne quaquam, ſed vt conſoletur Iſrael;

Luca 2. *& expectans conſolationẽ Iſrael*: proptereà enim dixit D. Ambroſius de illo:

D. Ambr. lib. 2. in Lucam. *Bene iuſtus, qui non ſuam ſolum, ſed populi gratiam requirebat, cupiens ipſe vinculis corporeę fragilitatis exſolui, ſed expectãs videre promiſſũ*. In hoc certe valde ſplendet ardens Simeonis charitas, qui non tàm commodum ſuum, quàm Dei gloriam & publicam animarum vtilitatem quæritabat: vt enim dixit Apoſtolus;

1. Corint. 3. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*: vnde eleganter D. Ambroſius dixit:

D. Amb. lib. 1. offic. c. 25. *Charitas communia pro ſuis habet, ſua verò pro communibus*: quæ ſententia conſona ſatis eſt cum alia D. Aug.

D. Aug. epiſt. 109. *Charitas cõmunia proprijs, non propria cõmunibus antepoſuit*. Sed audiamus D. Paulum, qui ardentiſſime amoris flammis exæſtuans dicebat

2. Cor. 12. *Ego autem libentiſſime impendam, & ipſe ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris*: & alibi

1. Cor. 15. *quotidie morior pro veſtra gloria fratres*: & in alio tandem loco *non quærens quod mihi vtile eſt, ſed multis*:

1. Cor. 10. hanc excellentiſſimam Pauli charitatẽ, qua ſacrificium Deo fieri pro ſalute hominum auidiſſime cupiebat, his verbis commendat D. Chryſoſt.

D. Chryſ. ho. 1. de Laudib. Pauli. *Non vna tantum vice, ſi quidem ſemetipſum per dies ſingulos immolabat; Nam & ad pericula iugiter parabatur, conſummans voluntatem martyrij, & naturam in ſe mortificando carnis, nihil minus quàm immolatæ hoſtiæ Deo munus implebat; & quia ſemetipſum conſeruauerat Deo, etiam orbem vniuerſum ſtuduit offerre, qui omnem prorſus, quæ ſub cælo eſt, regionem quaſi volitans circuiuit, vt ex hominibus Angelos faceret, qui propterea lætiſſimo animo dicebat, ſcribens ad Philippenſes.*

Ad Phyl. 2. *Sed & ſi immolar ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis*: hactenus D. Chryſoſt. Quid plura? Et *Spiritus ſanctus* (ait ſacer Euangeliſta) *erat in eo*. Experientia conſtat quod quanto quis plures diuitias cõparauit, tantò plus illas perdere timet; quia ergo Simeon multis ſpiritualibus opibus affluebat, timebat eos perdere, Euangeliſta dicẽte, vt ſupra vidimus, quod erat *timoratus*. hic ergo timor fecit illum Templum Spiritus ſancti inhabitantis in eo, nam vt Philoſophi docent, timor ad intima cordis ſpiritum regredi compellit. Scio Euthymium, Ianſenium, nec non Card. Tolet. exponere hęc verba, vt intelligatur Spiritus ſanctus eſſe in eo per donum prophetiæ, quia reuelationem de Chriſto acceperat à Spiritu ſancto; in quo D. Petrus, ait,

2. Pet 1. *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*: tamen D. Bonauentura, & multi Neoterici, illa explicant de exiſtentia Spiritus ſancti per gratiam, & charitatem,

D. Bon. in c. 2. Luca. Et in hoc ſenſu videtur hæc verba rationem reddere, quare omnia mundi oblectamenta Simeon floccipendens, ſolum Chriſtum deſideraret, & expectaret, quia ſcilicet *Spiritus ſanctus erat in eo*. Eſt enim non leue argumẽtum inhabitationis Spiritus ſancti in anima, omnibus terrenis deſpectis ſolo Dei amore affici & accendi. D. Paulus dixit, *vbi eſt Spiritus Domini, ibi libertas*: quæ verba elucidans Origenes inquit:

Origen. hom. 13. in Exod. *Quid vocas libertatem? non ſeruire ſæculo, non ſeruire pecuniæ, non ſeruire deſiderijs carnis? Ego interim dico, quod donec alicui horum deſeruio, non ſum conſequutus vllam libertatem Spiritus ſancti; ſi laudis ſum cupidus & gloriam ſector humanam, ſi de hominum*

vultibus,& ſermonibus pendeo, quid de me ille ſentiat, quomodo ille me habeat, ne illi diſpliceam,ſi illi placeam? donec requiro iſta ſeruus horum ſum, non habens libertatem Spiritus. Recte ait, non habens libertatē, quia libertas ſpiritus ab omnibus quę mūdi ſunt,expedita eſt,vt ſoli Deo inſeruiat, ei ſoli attendat,ei ſoli placeat. Vnde rectè

D.Chry.ſer. 19 in Matth. Chryſoſ.dixit. *Nihil eſt quod ſic tollat animæ libertatem,quemadmodū rerum ſęcularium cupiditas; non enim ſibi viuunt,ſed*

D.Ambr ſup. Pſal. 118. *alteri, & mille dominis premuntur*. Nemo igitur inficiari poterit veram libertatem eſſe ab omni terrena cupiditate alienum vni ſolo Domino famulari, cui ſeruire regnare eſt.

Tandem ſubdit ſacer Euangeliſta, *non viſurum ſe mortem, niſi prius videret*

Eccl. Cathol. in Letanijs. *Chriſtum Domini*. Illud diſcrimen adnotauit Diuus Ambroſius ſuper Pſalm. 118.ſerm.10. quod ſi quis prius videt Baſiliſcum,quàm videatur ab illo, continuò Baſiliſcus moritur; è contrà vero, ſi hic prius videat hominem, confeſtim homo interit: non diſſimiliter, illud eſt diſcrimen inter iuſtum, & peccatorem, quod hunc prius videt mortis Baſiliſcus, quàm videatur ab illo, & ab eo ſæpè repente inuaditur, ad quod cauendum Eccleſia Catholica precatur: *A ſubitanea, & improuiſa morte, libera nos Domine*. Iuſtus autem per continuā mortis meditationem,prius videt mortis Baſiliſcum, & ſic eius damna præcauens, ab eius veneno non inficitur,ſed in pace in idipſum dormit, & requieſcit. Cui ſit honor,& gloria in ſęcula ſæculorum, Amen.

Homilia XIV.

Proſequimur eadem præludia multis animi conceptionibus, ac varijs Patrum doctrinis illa exponentes verba: [Reſponſum acceperat a Spiritu ſancto,non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini: & venit in ſpiritu in Templum, & cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in vlnas ſuas.]

SANCTISSIMVS Simeon cum non ſolùm vitæ integritate, ſed doctrinæ ſinceritate cōſpicuus eſſet,& in ſacra pagina apptimè verſatus, ex diuinis eloquijs prænoſcebat iam iam aduentum Chriſti Domini aſtare; videbat enim regale ſceptrum ablatum, & Iacobi vaticinium adimpletum: *Non auferetur* Gen. 49.
ſceptrum de Iuda, & Dux de fæmore eius, donec veniat,qui mittendus eſt. Herodes namq; alienigena Idumæus ſua tempeſtate regnabat in Iſrael. In Daniele item legerat ſeptuaginta annorum hebdomadas, hoc eſt. 490. annos à ſecundo anno Darij Artaxerxis Longimani vſq; ad aduentum Chriſti fore; vnde conijciebat iā Meſſiæ tempus præ foribus eſſe, & quo propiùs adeſſe putabat tempus Meſſiæ, eò ardentiùs cupiebat illum videre. Verū non ſolùm hanc certitudinem, ſed ſingularem aliam aduentus Chriſti Domini habuit: nam quamuis Card. Tolet. in comm. huius loci doceat, ex vi illorum verborū, quibus Euangeliſta ait, Simeonem *reſpō-* Luca 2.
ſum accepiſſe ab Spiritu ſancto non viſurū ſe mortem, antequam videret Chriſtum Dominum, nō poſſe colligi, quod id priùs ipſe poſtulaſſet à Deo. Quia etiam

de

de Magis non poſtulantibus dictum eſt: *Reſponſo accepto, ne redirent ad Herodem*. tamen D. Auguſtinus de verbis Apoſtoli, cui conſentio affirmat prius reuera, Simeonem multis precibus à Deo petijſſe videre verbum diuinum incarnatum, illudque dixiſſe Dauidicum: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis*. Et ſermone 2. de tempore inquit; *Multum ſenex ille fuit ad audiendum ſerus, ſed ad videndum maturus. Non expectauit, vt Chriſtum audiret loquentem, quoniam agnouit infantem, & hoc illi conſtans erat tam decrepito quaſi deſideranti, & ſuſpiranti, & dicenti quotidie in orationibus ſuis, quando veniet? quando naſcetur? quando videbo? Putas durabo? putas hic me inueniet? putas, iſti oculi videbunt, per quem cordis oculi reuelabuntur? Dicebat iſta in orationibus ſuis, & pro deſiderio ſuo accepit reſponſum non guſtare mortem, niſi prius vidiſſet Chriſtum Dominum*. Itaque factus tanquam alter Daniel vir deſideriorum, clamabat cum Dauid: *Vſque in ſenectam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuũ generationi omni, quæ ventura eſt*. Huic ergò petitioni arbitror datum fuiſſe à Deo iuxta mentem Diui Auguſtini diuinum reſponſum ipſo implente, quod prædixerat Dauid: *Super ſalutare tuum exultabit vehementer, deſideriũ cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum*.

Matth. 2. D. Aug ſerm. 3. de verb. Apoſt. Pſalm. 84. D. Aug ſerm. 2. Daniel. 10. Pſalm. 20.

Ad recipiendum ergo Simeon hoc tantum bonum diuinitus ſibi promiſſum, ad viſitandum Dei Templum ſe contulit: *Et venit in ſpiritu in Templum*. Hoc Templum in Monte Moria erat conſtitutum, in quo voluit Abraham immolare Iſaac filium ſuum. Iacob dormiens intuitus eſt ſcalam erectam vſque ad cælum, & Dauid, cum vidit Angelum ſtantem, & cędentem populum, in terram corruit, grauiterque ſe affligens à Deo veniam meruit. In hoc monte erat area Iebuſæi, quam Dauid ad conſtituendam ibi domum Domini idcircò emerat, quia miſericordiam in illo loco conſequutus fuerat. In hoc ruſus ſancto Templo cum Salomõ ædificare illud perfeciſſet, & ſacrificia Domino offerret, nebula illud impleuit deſcẽdit & *apparuit gloria Domini, & ignis deſcendens de cælo deuorauit holocauſta*. Cùm etiã ibi flexis genibus, & manibus ad cælum expanſis, Salomon Dominum oraſſet, vt quicumque beneficia petiturus ingrederetur, preces eius à Domino reciperẽtur, apparuit ei Dominus dicens; *Exaudiui orationem tuã, & deprecationem tuam: elegi enim, & ſanctificaui mihi locum iſtum*. In hoc Templo Heliodorus à Rege Antiocho miſſus, vulneratus eſt. In hoc Templo Beata Virgo cum alijs virginibus miniſtra Templi cortinas, & veſtimenta ſacerdotalia præparabat, litteras ſacras addiſcebat, ieiunijs, vigilijs, orationibus, & diuinarũ lectionum ſtudijs vacabat. In hoc Templo Dominus noſter Ieſus Chriſtus à Parẽtibus eſt oblatus, à Simeone ſuſceptus, à Sancta Anna Vidua omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael, annunciatus. In hoc Templo Ieſus cum iam duodecim eſſet annorum, inuentus eſt ad diſputationem ſedẽs in medio Doctorum. Supra pinnaculum huius Templi Ieſum Diabolus ſtatuit, & vt ſe deorſum mitteret, tentando ſuggeſſit. Ab hoc Templo vendentes, & emẽtes eiecit, ac menſas nummulariorum, & Cathedras columbas vendẽtium euertit. In hoc Templo publicè docebat. In hoc liberauit adulteram ab accuſantibus eam. Imminente etiã eius paſſione tota die erat in templo hoc publicè docens. Huius templi velum in morte eius ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, vt pateret introitus ad Sancta Sanctorum. Ab huius templi pinnaculo verſus Meridiem Beatus Iacobus Apoſtolus primus Ieroſolymorum Epiſcopus prædicans præcipitatus, pertica fullonis percuſſus, martyrio eſt coronatus. In huius Templi, & altari, quod eſt ante templum foris in atrio ad Meridiem Zacharias filius Barachiæ martyr occubuit. Ipſum verò templum rotũdum conſtat ex octo parietibus, concluſum exterius per circuitũ; interius verò ingentibus colũnis marmoreis per triuium. In medio quoque in ipſa altitudine in modum fornacis eſt obductum. Eſt autem intrinſecus ſcriptum in ſupremo ordine: *Audi Domine hymnum & orationem, quam ſeruus tuus orat coram te hodie, vt ſint oculi tui aperti, & aures tuæ intentæ ſuper domum iſtam die, ac nocte*. In vnoquoque verò pariete extrinſecus ſcripti ſunt ſinguli iſtorum verſuum in circuitu ita, vt facile legi poſſint contra Ciuitatẽ: Pax æterna ab æterno Patre ſit huic domui. Contra Templum militum: *Bene*

Luca 2. 3. Reg. 9. 3. Reg. 8.

Bene fundata eſt domus Domini ſupra firmam petram. Contra Bethaniam: *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli*.

Gen...

Contra Montem Olíueti: *Beati, qui habitant in domo tua Domine*. Contra vallem Ioſaphath: *Benedicta gloria Domini de loco ſancto eius*. Contra Clauſtrum templi: *In domo Domini omnes dicent gloriã*. Contra Montem Sion: *Templum Domini ſanctũ eſt, Dei ſtructura eſt, Dei ædificatio eſt*.

Pſal...

Contra Ciuitatem: *In domum Domini lætantes ibimus*. Hoc templum in inferiori parte vrbis eſt in vicinia muri ad Orientẽ, nec longe à muro ad Meridiem ſitum. Templum autem Domini vocatur, quia in eo ſacrificia Domino offerebantur: modoque conſecratum eſt in honorem Saluatoris Mundi, & Genitricis eius Mariæ. Quod licet primo à Babylonijs, & poſteà à Romanis fuerit deſtructum, à fidelibus tamen & religioſis viris opere rotundo in eodẽ loco, magnifice, & miro artificio eſt iterum reparatum: Hoc ergo celeberrimum templum eſt, de quo Euangeliſta ait, quod Simeon *venit in ſpiritu in Templum*. Quorum verborum ſenſus non eſt

Orig. hom. 15. Theophilat. & Euthym. ſup. cap. 2. Lucæ.

(vt arbitrantur Origenes, Theophilactus, & Euthymius) impulſu Spiritus ſancti veniſſe in Templum ipſo ignorãte Chriſtum Dominum ibidem venturum; ſed germanum illorum ſenſum eſſe reor, Spiritus ſancti admonitione certũ veniſſe Simeonem viſurum Chriſtum Dominum ſibi promiſſum. Sicut enim de Chriſto dicitur;

Luc. 4.

Agebatur in ſpiritu in deſerto: hoc eſt, per ſpiritum, cognoſcens, quod ibat ad reportandam victoriam de Diabolo in deſerto illum tentaturos, ita Sanctus Simeon venit in ſpiritu in templum, hoc eſt, per ſpiritum agnoſcens tunc iam adeſſe tempus, vt facta ſibi promiſſio videndi Chriſtum impleretur. Hanc expoſitionem docuere me grauiſſimi Patres.

S. Cipryan. lib. de mortalita. Iuuencus de Simeon.

Nã præter Cyprianum lib. de mortalitate, & Iuuencum illam docẽtes, diſertis verbis eã tradit Timotheus Presbyter Ieroſolymitanus, dum in homilia de Propheta Simeone inquit: *Cum Simeon meditabundus domi ſederet, Deumque apud ſe rogaret, vt, quod acceperat oraculum, exitum aliquando ſortiretur. Ioſephuſque, & Maria ſoli in ea eſſent, vt puerum Ieſum iam ad templum deferrent, & per legis conſuetudinem ſacrificium pro eo offerrent, Spiritus ſanctus reſponſum exhibiturus præſto fuit. Simeonemque eiuſmodi oratione excitauit: Surge, ſenex, quid dormis? tempus eſt, quo oraculum expleri debet. Matura cito: præſtò eſt enim, qui te abſoluat. Præpara ſepulchrum, diſpone domui tuæ, adeſt qui te in ipſum faciet; venit Emmanuel: Celeriter ad templum tranſcurre, in templo autẽ meo conſtitutus ſacra de ſacro vaticinare. Simeon itaque quaſi ætate innouatus, animoq; deſiderio perinde ac alijs quibuſdam vehementer concitatus, & à ſpiritu ſancto impulſus, & ſubleuatus celerrime cucurrit, Ioſephumque, & Mariam, qui rectà ad templum contendebant, anteuertit, Templumque ante illos ingreſſus iuxta ædis ſacra adita conſtitit, ſpiritus ſancti reuelationẽ ibidem expectaturus*. Hæc ille.

Ex quibus non poſſum non anſam ſumere, vt deteſtabilem illorũ morem acriter increpem, qui corrupta intentione, & non in Spiritu, ſacra Dei Tẽpla ingrediuntur, quidam enim accedunt in ſpiritu vanitatis, vt primos accubitus occupent, & ornatiſſimis ſtratis pompaticè inſideant. Alij in ſpiritu libidinis, vt feminas conſpiciant, & ab eis conſpiciantur. Alij in ſpiritu hypocriſis, vt ſanctiores hominibus appareant. Alij in ſpiritu accidiæ, ſero ad diuina officia venientes, & poſtea in templo dormitãtes. Alij in ſpiritu inanis glorię, vt pretioſis veſtibus exornati, magnaque comitantium caterua ſtipati omnium oculos in ſe trahant. Alij in ſpiritu garrulitatis, in quo frequenter peccant feminæ, quæ perſimiles Ranis in paludibus ſemper in Eccleſia garriunt. Alij, vt Eccleſiaſtici, veniunt in ſpiritu auaritiæ, vt Eccleſiæ redditus obtineant, non vt diuinas laudes canant. Alij in ſpiritu Simonis Magi, ſimoniace eccleſiaſtica beneficia obtinentes. Non ſic Sanctus Simeon, ſed *in ſpiritu venit in templum*, hoc eſt, ex affectu pietatis, & Religionis, vt Chriſtũ Dominum amplexans illum adoraret, & reuereretur. Accidit autem diuino cõſilio ſic illud diſponente, vt Beatiſſima Virgo, tunc etiam veniret in templum portans in brachijs dilectum filium ſuum Chriſtum Dominũ, vt tradunt Sanctus Athanaſius, & Sanctus Irenæus: etenim ipſe, vt profiteretur ſe verum filium Virginis eſſe, & hac filiatione maximum ſibi cõciliaret honorem, voluit manibus matris ſuæ in templum deferri.

S. Atha. lib. 1. de commun. eſſent. Patr. fil. & Spiritus Sancti. D. Irenæus. li. 3. cap. 18.

Et

Et quidem ſi ſacer infans excellentiori, ac nobiliori aliquo vehiculo portari voluiſſet, quàm virgineis Deiparæ manibus; minimè inter omnes puras creaturas illud reperire potuiſſet. Celebris olim fuit Bacchi currus, quẽ Tigres; inſignis Phætontis, quẽ equi; Neptuni, quẽ Piſces; Turni, quem ſerpentes; Oceani, quẽ ingentes Balenę; Tetydis, quẽ Delphini; Dianæ, quem Cerui; Veneris, quẽ Cycni; Iunonis, Pauones ducebãt vt Poetarũ fabuloſa cõmenta recenſent. Celebris etiam fuit apud Antiquos Iulij Cæſaris currus, quem quatuor Elephantes; Aureliani, quem Cerui quatuor; Marci Antonij, quem totidem ferociſſimi Leones trahebant. At omnium curruum præſtantia, ſicum Mariani currus excellentia, in quo Chriſtus Dominus ad templum Dei fuit delatus, conferatur, tam longè illa inferior iudicabitur, quantum Deiparæ Mariæ ſublimitas inanimes illos currus, & animantia illos ducentia ſuperat. Quod ſi noſſe deſideras, vnde Marianus iſte currus tantam ſibi gloriam, & ſplendorem cõciliauit? ſcito à Chriſto Domino, quem geſtabat è collo ſuo pendentem, illum mutuaſſe. Vnde ſponſus ei dixit: *Collum tuum, ſicut monilia*, vel ut habet textus hebræus: *Collum tuum in monilibus*. Cant. 1. Satis omnibus cõpertum eſſe reor, inter mulierum ornamenta quãtumuis pretioſa, propriam liberorum prolem ex matris collo pendentem omnibus gemmis, & margaritis auro contexris longè præferendam eſſe, vt egregie ſignificauit inclyta illa Græcorũ mater Cornelia Romana. Cui cum à clariſſima quadam Matrona nonnulla oſtenderenrur ornamenta, mirum in modum pretioſa, quibus ſe exornare ſolebat. Ipſa è contra velut pretioſiſſima pignora, & inæſtimabiles margaritas filios proprios ei exhibuit dicens: *Et hæc ornamenta mea ſunt*. Ac ſi diceret: Iſtæ ſunt gemmæ, iſtæ margaritæ, iſta pretioſiſſima mea monilia, quibus exornor, & pulcherrima reddor. Quod quidem adeo verum eſt; vt æternus Pater Chriſto Domino oſtendẽs filios, quos genuerat, dixerit: *Viuo ego, quia omnibus ijs, velut ornamẽto veſtieris, & circũdabis tibi eos, quaſi ſponſa*. Iſai. 49. Quod ſi naturales filij, qui ex ſanguinibus & corruptione ſeminis orti ſunt, pretioſiſſima dicuntur Matrum ornamenta: multo ſanè rationabilius aſſeremus diuinam illam prolem, quæ ſine Matris corruptione de Spiritu ſancto concepta fuit, integra eius virginitate manente, pretioſiſſimum monile fuiſſe, quo mirum in modum Beata Virgo exornata inſtar pulcherrimi currus Salomonis infantem Chriſtum gerẽtis in publicum prodijt ad præſentationis ritum in Templo colendum: rectè ergo ait ſpõſa videns Chriſtum ex collo Matris pendentem, & brachijs eius aſſidentem: *Collum tuum, ſicut monilia*, vel *in monilibus*. Virgo igitur Chriſtum Dominum baiulans, & ad Simeonem accedens, pandit aureum ſinum, ſydereas manus aperit, Agnum Dei collo, & vberibus pendentem oſtentat, infiniti valoris theſaurum abſconditum in lucem profert. Tradit Virgo, quem virgo filium peperit, cuius pater feminã neſcit, mater virum ignorat; tradit Patrem ſuum, quem ipſa genuit, tradit denique longæuum dierum, nondum bimeſtrem. Mundo quidem Pater æternus illum donarat, nunc Mater Simeoni eum donat, & in Simeone omnibus nobis. Simeon omnium noſtrum nomine donationem acceptat. Cælorum cernit hereditatem, nam dono Chriſtum accepit, & cum Chriſto donorum omnium poſſeſſionem, vt iam Dei filij nominemur, & ſimus, *quod ſi filij, & heredes*, vt dixit Diuus Paulus, Rom. 8. Quomodo enim, vt inquit idem Apoſtolus; *Qui filium donauit, non omnia nobis cum ipſo donauit?*

Hanc oblationem à Beata Virgine factam, & manibus Simeonis ſuſceptam vaticinatus mihi videtur Daniel dum dixit: Daniel. 7. *Ecce cum nubibus cæli, quaſi filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum, & omnes Populi Tribus, & linguæ ipſi ſeruient*. Per nubes aptè ſatis intelligo Beatam Virginem, & Ioſephũ denotari. Nam ſicut mediante nube Sol, in quem propter eximium eius fulgorem imbecillis oculorum acies intendere non poteſt, taliter fit viſibilis, vt in eum facilè oculos conijcere valeat; ſic Sol qui lucem habitabat inacceſſibilem, vt ait Apoſtolus, nube carnis, quam Maria ei cõtulit, & Ioſeph nutriuit, Timoth 6. & fouit, factus eſt nobis viſibilis, Baruch Baruch 3. dicente: *In terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*. In his ergo nubibus veniens Chriſtus Dominus peruenit

ad

ad Simeonem ſenem, per antiquum dierum egregie ſignificatum. Qui, vt ait ſacer Euangeliſta, *accepit eum in vlnas ſuas*. *Luca 2.* Dum autem omnibus aſtantibus manifeſtauit eſſe verum Meſſiam, ſatis vtique verificatur, quod *dedit*, hoc eſt, attribuit *ei poteſtatem, honorem, & Regnum*. Quia tamen multi noſſe deſiderant, qua ratione Sanctus Simeon cumprimum Virgo intrauit in templum, agnouit eam eſſe Matrem Chriſti, manibusque ſuis portare eum, qui tribus digitis appendit molem terræ, placet hic apponere verba antiquiſſimi Timothei Presbiteri: *Thimotheus. Serm. de Prophet. Simeone.* *Cum Simeon eſſet in Templo, vidit quidem multas matres cum ſuis filijs in Templum ingredientes, ad peragēdum ſacrificium præſentationis, in quarum medio erat, quæ portabat venerandum fœtum, & nullis ſordibus contaminatum. Iuſtus autem Simeon huc, & illuc oculos circumferens, poſtquam vidit multas matres in priuato habitu, ſolam autem Virginem infinito, & diuino lumine circundatā, ſeparauit reliquas matres clamans, & dicens coram omnibus: Date mihi locum, vt teneam eum, qui deſideratur; vidi eum, qui me præuidit, vnde & meus germinauit Spiritus. Cur quæ eſtis ancillæ, cum libera & Domina concertatis? Cur infantes veſtros aræ offertis? huic conuertimini, & eos offerte huic puero, qui eſt antiquior Abraham*, &c.

Illud magna obſeruatione hoc loco dignum arbitror, quod præſciens Dominus multos ſibi futuros Catholicæ veritatis aduerſarios, nonnullos adhibuit ſuæ incarnationis teſtes: maior enim adhibetur fides duobus affirmantibus (vt annotarunt Innocentius in cap. quid perſonale de verb. ſignificat. & Gloſa in l. diem. §. ſi plures. ff. de arbitris.) quàm multis negantibus: *Innoc. in cap. quid perſonale de verbo. ſignif.* voluit tamen eos teſtes eſſe omni exceptione maiores, & digniores; quia horum teſtimonium firmius, & validius eſt etiam quando tot ſunt ab vna parte, quot ab alia, vt docet Gloſa in authentica de teſtibus. §. ſcimus collatione 7. & habetur in l. 3. in principio. ff. de teſtibus. *Gloſ. in l. diē. §. ſi plures. ff. de arbit. Gloſ. in auth. de teſtib. §. ſcimus. col. 7. l. 3. ff. de teſtibus.* Vnde primi teſtes fuerunt Prophetæ, & Patriarchæ, qui eius aduentum multis retrò annis prædixerunt. Deinde ipſo concepto, & nondum nato, teſtis extitit magnus Ioannes Baptiſta vterino matris ſuæ ergaſtulo incluſus, *vt audita eſt vox ſalutationis tuæ*, *Luca 1.*

exultauit infans in vtero meo. Teſtis Eliſabeth. Dominū ſuum illū vocans: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Teſtis Zacharias, qui cum mutus eſſet, ad loquelam reſtitutus cecinit: *Luc. 1.* *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*. *Luc. 1.* Teſtis illo iam nato in Bethlehemitica porticu multitudo Angelorum diuinas laudes canētium: *Gloria in excelſis Deo*, Teſtis Paſtorum copia, qui ſupremum omnium paſtorum Paſtorem recognouerunt dicentes: *Videamus hoc verbum quod factum eſt*. Teſtis trium Regum Magorum aduentus, qui in genua procumbentes, depoſitiſque regijs coronis illum, tanquam verum Deum, & hominem adorarunt. *Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*. *Matth. 2.* Teſtis Simeon, & Anna eius maieſtatem, & excellentiam cunctis aſtantibus diuulgantes: *Lumen ad reuelationem gētium & gloriam plebis tuæ Iſrael*. *Luca 2.* Teſtis applauſus, quo legis Doctores cum duodecim eſſet annorum, in templo illum ſuſceperunt, ac diuina arcana referantem audierunt: *Stupebāt omnes qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius*. Teſtis laus infantium, & puerorum: *Oſanna filio Dauid; Benedictus, qui venit in nomine Domini*. *Luca 2.* Teſtis multitudo prodigiorum, quæ in morte eius natura mirante acciderunt. Teſtes tandem poſt eius mortem Apoſtoli, & reliqui martyres, qui pro catholica veritate Verbi incarnati ſanguinem profuderunt, quibus per Iſaiam dixit: *Verè vos omnes teſtes mei eſtis*. *Iſai. 44.*

Atque hinc eſt, quod ſi rem altius contemplemur, inueniemus ſolicitam curam habuiſſe Deum, vt quoties Chriſtus Dominus, quaſi vnus ex nobis peccator in conſpectu hominum videri poterat, continuo adeſſent teſtimonia, quæ eum ab omni labe peccati immunem atteſtarentur, immo & ipſius peccati hoſtem acerrimū demonſtrarent. Nam in primis naſcitur in Bethlehem, & quia vt ait D. Leo: *Nemo mundus à ſorde, nec infans vnius Diei*: *D. Leo ſer. 6. de nat.* Angelicus concentus ei præbet mūditiæ teſtimoniū, Dei & hominū recōciliationē faciēdā aduenire afirmans: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: *Luca 2.* Deinde cum Circumciſionis vulnus ſuſtinuit, quę ad expiādum peccatū fuerat inſtituta, cælitus fuit ei impoſitū glorioſum nomen IESV, quod cum Sal-

uator

uator interpretetur, a circuncisionis iniuria plenè illum vindicauit. In baptiſmo deinde Iordanis,quem recipientes peccatores eſſe confitebantur, & interioris ablutionis indigos, cæleſte teſtimonium continuò affuit ad ſanctitatem eius tuendam, vox ſcilicet Patris de cælo dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: necnon Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ capiti eius inſidens; & quia Patris,& Spiritus ſancti aderat atteſtatio, ne filij deſideratetur teſtimonium, ipſe quidem dum Ioanne dicente: *Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me?* reſpondit: *Sine modo; ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam*: ſatis vtique profitetur ſe debitorē omnis iuſtitiæ, ac proinde etiam noſtræ, ſoluens in corpore ſuo debita noſtra.Tunc autem impleuit omnem iuſtitiā, cum non ſibi tātum iuſtus fuit, ſed & alijs pro quibus legem impleuit, ac debita ſoluit.Tempore rurſus paſſionis, quo tāquam ſceleratiſſimus iudicatus eſt, ingens affuit teſtimoniorum congeries,eius ſanctitatem conteſtans. Nam Pilatus dixit: *Ego nullam inuenio in eo cauſam*, & vxor eiuſdem Pilati monuit eum,vt ab eo plectendo ſe abſtineret,quia iuſtus erat: *Nihil tibi, & iuſto illi*. Latro ex patibulo pendens innocentiam eius clamauit: *Nos quidem digna factis recipimus,hic autem nihil mali fecit*. Centurio alta voce dixit: *Verè filius Dei erat iſte*. Immo & ipſa Mundi Machina, tàm cæleſtis,quàm elementaris, opere ipſo confeſſa eſt illum eſſe creatorem ſuum, cum eo iam mortuo Sol oſcuraretur, Petræ quaſi dolentes ſcinderentur,ſepulchra aperirentur,ac Templi velum diuideretur. Ad eundem igitur modum nunc in die Præſentationis,in quo Primogeniti ex cōcubitu maris,& feminæ in Templo præſentabantur, cum ille a parentibus ſiſtitur Domino,adſunt Propheta Simeon,& Propheriſſa Anna verum Meſſiam illum annunciantes,atque adeo ex Virgine conceptum,& natum,& conſequenter legi Purificationis non obnoxium,cum matris vuluam non apetuiſſet, ſed clauſam reliquiſſet.Atque hinc eſt,quod Beda dixit.*Nato in carne Domino non ſolum Angeli de Cælis, ſed & omnis ætas mortalium, vterque ſexus teſtimonium reddidit. Decebat enim omnium ſaluatorem, ſicut venturum in carne omnium,toto ſæculi tempore, fidelium facto, vel dicto præſagiri: ita etiam veritatem communi omnium laude prædicari impleta prophetia,quæ dicit: Iuuenes, & Virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini.*

Matth.17.

Matth.3.

Io.18.

Matth.27.

Luc.23.

Matth.27.

Beda lib.1.in Lucam.

Pſal.149.

Quæ autem fuerint Magnalia, quibus Simeon, & Anna teſtimonium perhibuerunt de Chriſto, partim ſacer Euangeliſta commemorat,partim ſacri Doctores contemplantur. De Anna Lucas ait: *Ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino,& loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.* Simeon autem dixit: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Sanctus autem Cyrillus oratione de Purificatione hæc præclara Chriſti præconia Simeonem prædicaſſe his verbis tradit. *Ecce Simeon vlnis complectitur Deum, & Dominū meum in templo,cunctiſq; gentibus nouum, & admirabile illud diuinæ diſpenſationis ſacramentum effatur; Iudeis autem non ſine tripudio,& exultatione, liquida, claraque voce inter cetera hac de eo intonat. Hic eſt,qui eſt,& erat,quique a Patre nunquam abeſt, vtpotè eiuſdem cum eo ſubſtantiæ,eiuſdem maieſtatis,eiuſdem gloriæ,eiuſdem virtutis, pariſque cum ipſo eodem potentiæ exiſtens. Eſt enim omnipotens, principij expers,increatus, immutabilis,incircumſcriptus, inſpectabilis,ineffabilis, incomprehenſus; denique talis,qui neq; manibus contrectari, neque mente concipi, nec vlla coniectura comprehendi poteſt. Hic eſt paternæ gloriæ ſplendor, hic eſt rerum omnium natura conſtantium caracter, & idea. Hic eſt lumen luminum,è paterno ſinu exortum,Hic eſt Deus,qui ex Deo,& apud Deum eſſe dignoſcitur. Hic eſt fons vitæ, & vita è Patre,velut è fonte procedens. Hic eſt fluuius Dei,qui ex diuina abyſſo ita dimanat, vt nunquam tamen ab ea recedat. Hic paternæ bonitatis, æternæque beatitudinis theſaurus eſt. Hic eſt aqua viua,qua Mundo dat vitam. Hic eſt radius increatus,qui ex patre luminum veluti è ſole progignitur,nec vllo tamen tempore ab eo diuellitur. Hic eſt eius verbum, qui omnia ſolo verbo,cum antea non eſſent, ex nihilo produxit. Hic eſt lucifer,qui ante conditum luciferum incorporeas cæleſtium orbium, & exercituum virtutes formauit, & exornauit. Hic eſt,qui cælum inſtar pellis ſolus extendit,perindeque ſuper mare, ac ſuper ſolidum pauimentum veſtigia figit. Hic eſt,*

Luc.2.

D.Cyril.orat. de purif.

Iob.9. & 38.

Pſalm.131.

qui

qui caligine, veluti faſcia abyſſum inuoluit. Hic eſt, qui terram ſuper aquas fundauit. Hic eſt, qui mare arena, veluti muro circũuallauit. Hic eſt, qui lucem à tenebris ſegregauit, qui Aſtrorum orbes concinnauit, Gen. 1. & in ordinem redegit. Hic eſt, qui vniuerſum aſpectabilem hunc Mundum in ſapientia conſtituit. Hic, qui increatis manibus hominem ex luto effinxit, & efformauit. Hic eſt, qui cum ſecundum Dei imaginem olim nos condidiſſet, nunc ſecundum noſtram imaginem, & ſimilitudinem homo fieri voluit, id interim, quod mens de illo concipit, perfectus Deus eſt, ex Patre perfecto eſſentiam abſolute perfectam ſortitus. Qui aute in Dei forma, & Dominus erat, nunc mea ſeruili forma ſeſe conueſtiuit. At nullam ea re diuinæ naturæ dignitati obſcuritatẽ, aut detrimentum attulit, ſed meæ tantum naturæ maſſam ſanctificauit. Totus enim perfectus eſt ſuperne, totus perfectus infernè. Idem dignoſcitur ſuperne natus abſque tempore, & inferne ſine ſemine. Ad ſuperna quod attinet, opifex eſt, ad inferna verò quod ſpectat, Dei opus eſt. Audi Iſrael. Audite omnes gentes, quem ego ſacerdos veſter Simeon vlnis geſto, magnaque voce in hoc templo prædico, & teſtimonio meo palam commendo, hic Deus, & Dominus eſt. Quamobrem Popule mi, attende ad orationem meam, inclina aurem tuam in verba oris mei. Iſaia. 9. Hic puer eſt ille, de quo Iſaias multo ante prædixerat: Puer, inquit, natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Princeps pacis, pater futuri ſæculi. Si igitur puer hic Deus fortis, & præpotens eſt, omni ſtudio illum excipite. Pſalm. 83. Baruch. 3. Exodi 14. Huc etiam ſpectat illud Dauidis, Deus Deorum videbitur in Sion. Et illud itẽ Ieremiæ, Deus in terris viſus eſt, & inter homines conuerſatus eſt. Hic puer populo Iſraelitico mare quondam diſſecuit, & Pharaonem ſubmerſit, & Iſraelitis legem dedit, Num. 10. Exodi. 3. & manna pluit, & Hebræorum genus ignis columna per deſertum deduxit, & petram dirupit; & rubum roſcida flamma cinctum incombuſtum conſeruauit. Hic per Moyſen quadraginta annos ouium paſtorem conſtituit, & eundem rurſum quadraginta annos populo Iſraelitico Ducem præfecit, & quadraginta dies ieiunãdo corroborauit. Quemadmodum etiam ipſe puer baptiſmo iam initiatus, quadraginta dierũ ieiunium exantlauit, et poſt quadraginta dies à reſurrectione ſua ex mortuis in ſupernam Ieruſalem aſcendit, & poſt quadraginta tandem dies ab ortu eius ex matre Virgine in terreſtrem Ieruſalem ingreſſus eſt. De hoc puero dudum ante Propheta Habacuch prænũciarat Habac. 3. dicens: Deus ex Theman, hoc eſt, ex Auſtro veniet, Nam Bethlem, ex qua Ieſus in Sion egreſſus eſt, ad Auſtralem Ieroſolymarum partem poſita eſt. De quo puero Moyſes his verbis nobis conteſtatus eſt: Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus ex fratribus Deut. 18. veſtris. Quicunque Prophetam hunc non audierit, exterminabitur ex terra viuentiũ. Hunc puerum ardentibus votis videre exoptabat Propheta Dauid, Qui (ait) ſedes ſuper Cherubim, appare; Pſal. 97. excita potentiam tuam ad ſoluendum nos, & alio loco: Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ. Pſal. 79. Rurſus: Inclina Domine cælos, & deſcende. Pſal. 58. Et alibi: Tu Domine Deus virtutum attende, vt viſites omnes gentes. Ea propter beneficium agnoſcite gentes, manumque date. Videte Iudæi, & credite; hunc enim puerum decantant, ſummoque laudum præconio extollunt Angeli, adorant Archangeli, hunc tremunt Poteſtates, hũc gloria efferunt Virtutes, huic ſeruiunt Cherubim, hunc Deum prædicant Seraphim, et huic obſequiũ præſtat Sol, huic cultum, & miniſterium defert luna, huic parent Elementa, huic ſubduntur fontes, hunc puerum inferorum portæ conſpicatæ diſfractæ diſſiluerunt, huius pueri conſpectu cælorum aditus patefacti ſunt, hic puer mortem eneruauit, Diabolum debellauit, maledictionem ſoluit, triſtitiæ fructus ſedauit, ſerpentem contriuit infeſtum peccatorum Chyrographum diſrupit, peccatum calcauit, errorem diſſipauit, prolapſam creaturam inſtaurauit. Hæc Sanctus Cyrillus.

Audiamus nunc magnum Patrẽ Guerricum, Sancti Bernardi diſcipulum, qui in Guerr. de Puri. ſerm. 2. perſona Simeonis in hunc modum loquitur: Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me quotidie cum lacrymis dicentem: quando conſolaberis me? Exaudiſti me, & nunc demum Simeonem, ideſt, exauditum feciſti me, quia factus eſt mihi in ſalutem, Ieſus mihi factus ex ſemine Dauid ſecũdum carnẽ, qui Dauid, & omnia feciſti ſecũdum deitatem; omnibus quidem generaliter factus es in Saluatorem, ſed mihi ſpecialiter factus es in ſalutem, pectus morbidum perungẽs, vitalemque reſuſcitans calorem, animam refocillãs,

& ocu-

Pſalm.118. & oculos illuminās: defecit enim anima mea in ſalutare tuum, ô Domine Pater Domini mei Ieſu Chriſti, defecerant oculi mei in eloquium tuum dicentes, Quando conſolaberis me? factus erā, ſicut vter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, ſpiritu marcidus, & totus deſiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promiſſionis ſuperſperaui; non viſurum ſcilicet me mortem, niſi viderem Chriſtum tuum, quod ſperaui, iā video, quod deſideraui teneo, quod concupiui complector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea, &
Pſal.102. salua facta eſt anima mea. Viderunt oculi mei ſalutare Dei, & illuminati interiores oculi mei, qui languebant præ inopia, omnino ad tactum huius pueri, noui renouata eſt, vt Aquilæ, iuuentus mea.

Cęterū vt hanc Simeonis ſuſceptionē, qua Chriſtū Dominū vlnis ſuis geſtauit ad noſtram doctrinam, & inſtructionē conuertamus, non eſt obſeruatione indignum, à quatuor perſonis in ſacro Lucæ Euangelio inſinuari Chriſtū Dominū fuiſſe portatum à Maria, à Ioſeph, ab Anna, & à Simeone. Miſticè enim à totidem portatur Chriſtus Dominus, primò portatur à Maria, quod mare amarū ſignificat, hoc eſt, ab illis, qui amaritudine pænitentiæ peccata ſua de-
Gal.6. flent. Quomodo D. Paulus Chriſtū Dominum portaſſe fatetur: *Ego enim ſtigmata Domini mei Ieſu in corpore meo porto.* Et 1.
1.Cor.15. ad Corinth. *Sicut portauimus imaginē terreni*, ideſt, culpam, *ſic portemus imaginem cæleſtis*, ideſt afflictionem, & dolorem. Secundo portatur à Ioſeph, qui augmentum interpretatur, hoc eſt, ab his qui in virtute
Pſ.83. continuò proficiunt: *Ibunt de virtute in virtutem*, agnoſcentes, quod in via diuini famulatus nō progredi, retrogredi eſt. Tertio portatur ab Anna, quæ nitor gratiæ, ſeu mundities interpretatur, hoc eſt, ab his qui mentis, & corporis puritatem ſemper cu-
Corinth.6. ſtodire fatagunt, de quibus Paulus: *Glorificate, & portate Deū in corpore veſtro.* Quarto portatur à Simeone, hoc eſt ab his, qui illum æmulantes in longanimitate, & perſeuerantia, ſicut ille, eum expectāt. Iſtorum certè expectatio nō fruſtratur, vt expertus
Pſalm. eſt Dauid: *Expectans expectaui Dominū, & intendit mihi.* Expertus etiam fuit Sanctus hic ſenex, cui expectanti impletū fuit
Pſal.90. Luca 2. illud: *Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Ipſe enim hodierna die dixit: *Viderunt oculi mei ſalutare tuū.* Super quæ, verba hæc præclara antiquiſſimus Origenes ſcripſit hom. 2. de Purificatione B. Virginis: *Quid ei profuit, vt videret Chriſtum? vtrū hoc tantum in promiſſione habuit, vt videret illum, nihilq; ex viſu eius conſequeretur vtilitatis? an latet aliquod donum dignum Deo, quod B. Simeon & meruit, & accepit? Fimbriam veſtimēti Ieſu Mulier tetigit, & ſanata eſt: ſi illa ad extremam partem veſtimenti tantum emolumēti habuit, quid putandum eſt de Simeone? qui in ſuas vlnas accepit infantem, & brachijs tenens lætabatur, atq; gaudebat videns paruulum à ſe geſtari, qui ad vinctos venerat reſoluendos, ſeq; ipſum nodis corporis liberandum, ſciens neminem poſſe de clauſtro corporis quempiam emittere cum ſpe futuræ vitæ, niſi eum, quem in brachijs continebat. Vnde ad eum loquitur: Nunc dimittis, Domine, ſeruum tuum in pace.* Hactenus Origenes. Cui non poſſum non adiungere egregia verba eximij Doctoris Petri Bleſenſis ſermone 1. in Purificatione Virginis, vbi hac meditatione ſuam ad Simeonem dirigit Apoſtrophen: *O ſenex fidelis, cuius laus in Euangelio, cuius ſenectus in miſericordia verbi, cum vnicum portes, qui portat omnia verbo virtutis, aperi nobis, quā ſuauiter inſinuabat ſe viſceribus tuis, quàm delectabiliter infundebat ſe animæ tuæ, ſuumque ſpiritum pectori tuo influebat, ille, quem tu geſtabas in vlnis. Nonne poterat Simeon reſpondere, & dicere? acceperam reſponſum à Spiritu ſancto, non viſurum mortem donec viderem Chriſtum Dominum. Diu expectauerā, iam defecerant oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando conſolaberis me? factus eram, ſicut vter in pruina frigidus, aridus, marcidus, & deſpectus; ſed tandem memor fuiſti Domine verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Iam in carne mea video Dominum Saluatorem meum, nec ſolum video, ſed teneo, & amplector.* Hæc Bleſenſis. Sed (vt aſſolet) inſignis Pater Guarricus ſerm. 1. de Purificatione; Vbi præpoſitis illis verbis: *Deus noſter ignis conſumens eſt*, hæc eruditè ſcripſit: *Huius ignis vim Simeon non ignorabat, qui in ſinu ſuo eū portare gaudebat, pectuſq; ſenile fœtu illius calefaciebat, quàm ſalubrius, & ſuauius ignis iſte ſemen noſtrum calefecit, quàm Regem Dauid Abiſag ſunamitis? hic ignis idē fuit, ſapientia ſcilicet, cuius amplexu non ſolū recaleſcunt frigidi, ſed etiam reuiuiſcunt mortui.*

Origē. hom. 2. de purifica. B. Virg.
Petr. Bleſſen. 1. de purif.
Deut 9.
Guar. ſerm. 1. de purif.

tui. Amplectere igitur, ò ſenex Beate, ſapientiam Dei, & recaleſcant, atque recaneſcant quaſi de nouo ſenſus tui. Aſtringe vberibus tuis miſericordiam Dei, & erit ſenectus tua in miſericordia vberi; inter vbera, inquit, mea commorabitur etiam, cum reddã illum matri ſuæ, manebit apud me, & cũ inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit miſericordia vberi, & ſi non quantum vbera Matris. Exiſtimo autẽ eo præcipuè nomine B. Simeonem, magnum gaudium percepiſſe cum Chriſtum Dominũ vidit, quod non ignorabat omnes alios ab illo inſufficientes fuiſſe ad placandam diuinam iram, vt humano generi reconciliaretur. Ad id enim ſignificandum Dauid dixit: *Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redẽptionis animæ ſuæ.* Adueniente verò Chriſto Domino ex diuinis oraculis agnoſcebat infiniti valoris ſacrificium oblatum fore æterno Patri: Matutinũ quidem in Templo; veſpertinũ verò in monte Caluario. Tunc ergo ingenti gaudio perfuſus, fortaſſe ſimilia verba promebat, quę dixit Ambroſ. ſuper eundem locum: *Quæ maior hoſtia? quod præſtantius ſacrificium? qui melior aduocatus? quàm qui pro peccatis omniũ factus eſt deprecatio, & animam ſuam dedit pro nobis in redemptionem?*

Pſalm. 48.

D. Amb. ſuper Pſal. 48.

Ad extremum, aliud ſalutare valdè documentum ex ſuſceptione Chriſti in vlnis Simeonis decerpere poſſumus. Nimirum, quod ſicut ille non ſolum Chriſtum Dominum oculis ſuis vidit, ſed manibus ſuis ſuſcepit; ita nos oportet hæc duo cõiungere, vt Ieſum videamus per fidem, iuxta illud Diui Pauli: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*; ſanctiſq; pariter operibus illum amplexemur, & teneamus. Nemo quidem veſtum ignorat D. Iacobum dixiſſe: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ſic fides ſine operibus mortua eſt.* Vnde cum duplex ſit fides, viua ſcilicet, & mortua, diſcernitur quidem vna ab altera per motum, & energiã operandi. Omne enim, quod viuit, motum aliquem habet, quo caret, quod mortuum eſt. Hinc ad imitationem viuentium aquæ viuæ appellantur, quæ & mouentur, & mouent: mortuæ verò, immotæ iacent, quales paluſtres, & lacunares ſunt. Ad hũc ergo modum viuacitate ſua exſtimulat, quam Apoſtolus per charitatẽ operari ait. Hoc ergo indicio cõijcere poteris qualem fidem habeas. Sicut enim vita animalis, ita fidei vita ex motu, & operatione cognoſcitur. Deindè pulchritudò, & veluti armonia vitæ Chriſtianæ in eo ſita eſt, vt mores, & vita cum fide conſentiãt; è cõtra vero magna deformitas ac diſſonantia, quando opera non cõſonant fidei; hoc eſt, quando vox eſt Iacob, manus autem ſunt Eſau. Huius deformitatis imaginẽ legati illi Dauidis exhibuerunt, quos Rex filiorũ Amon media barba raſa, veſtibuſq; ad nates vſq; abſciſſis turpiter deformatos à ſe dimiſit. veſtis enim nuptialis, quæ piorum ornamentum eſt, ex fide ſimul, & operibus cõtexitur. At cum fides adeſt, & opera deſunt, quaſi media tantum veſtis tegendæ animæ noſtræ relinquitur, altera parte nudata. Narrat ſacra Scriptura, quod ſeruus Abrahæ ſuſpendit inaures ad ornandum Rebeccæ ſponſæ Domini ſui faciem, & armillas poſuit in manibus eius, in aures ad fidẽ, quæ ex auditu eſt, armillæ verò, quæ manus ornant, ad opera referuntur, vt intelligamus animæ ornatũ, & pulchritudinem nõ fide ſola, ſed fide, & operibus contineri. Quod illos præcipuè dãnat, qui ſibi de ſola fide ſine operum atteſtatione blandiuntur: fidei ergo opera iungenda ſunt, vt nobis ſalutem afferat. In cuius rei Typum Pharao eſurientem, & clamantem Populum ad Ioſeph remiſit, quem rei frumentariæ præpoſuerat, & Saluatorẽ Mundi appellauerat. Remittit autem his verbis. *Ite ad Ioſeph, & quidquid dixerit vobis facite.* Non ergo ſatis eſt ad verum Ioſeph Chriſtũ per fidem ire, niſi quod is pręceperit, effeceris. Is enim factus eſt omnibus non ſolum credentibus, ſed etiam obedientibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.

1. Cor. 13.

Iacob. 2.

Ad Galat. 5.

2. Reg. 10.

Geneſ. 24.

Vnde illud ſanè inquiſitione dignum eſt in hoc genere argumenti, quomodo Chriſtiani catholicę fidei veritatibus aſſentientes, tanquam Pagani viuant.

Arbitror quidem illud in cauſa eſſe, quod in hac re id contigit, quod in Conſilijs ſæpè fieri videmus, vt maior pars tamerſi vincat meliorem. Multorũ enim ſtultorum ſuffragia ſæpè vnius rectiſſimo conſilio anteferunt: fides quidẽ rectiſſime conſulit, quæ ad ſuperna, & ſpiritualia nos vocat, vocat tamen non voluntatem impellendo, ſed ſolũ vera bona ei indicãdo. At cõtra fidei dictamen tota carnis militia acriter pugnat, quę cũ omnibus affectibus, &

ſen-

Digitized by Google

ſenſibus ad corporalia, & terrena animum impellit; oculi enim appetunt pulchra, nares odorifera, guſtus ſuauia, tactus mollia; quid verò appetitus ipſe? quid affectus omnes? quid amor ſui, niſi terrena, & voluntaria concupiſcant? Itaque maior pars vincit meliorem. Ideo cõqueritur Propheta. *Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo tota die,* videlicet, exterior; ac deinde quem vnum dixerat, multos appellat: *Quoniam multi*, inquit, *bellantes aduerſum me*; vnus enim hic exterior homo multos habet ſatellites, qui agmine facto, ſpiritum impugnãt, & multitudine, non ratione armati mentem ab honeſto deducunt. Oportet igitur ad hoc malum propulſandum ſolicitam curam adhibere, ne torpeſcat fides, ſed bonis operibus foueatur. Nam ſicut equus ſi diu torpeat in ſtabulo, ipſa deambulandi, vel currendi deſuetudine (ad quod natus eſt) frequenter redditur inutilis, & mancus, ſic fides, quæ ad bene operandum data eſt, ſi otioſa diu maneat, frequenter interire ſolet, dum facile homo prauis moribus aſſuetus in hæreſim labitur per quam fides amittitur. Hinc Dominus, *qui habet, dabitur ei, & abundabit; ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur abeo*: id certe fit, dum homo, otioſam detinens fidẽ, iuſto Dei iudicio in hæreſim labi permittitur. Vnde D.Paul. 1. ad Timotheum dixit. *Poſſide fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*. Itaque bona conſcientia fidei cuſtos eſt, mala verò pernitiem fidei molitur. Propter hoc ergo Dæmon ad peccata ſemper inſtigat, vt fidem tandem ſi potuerit, euertat. Eius enim illa vox eſt. *Exinanite, exinanite vſque ad fundamentũ in ea.* Fides enim totius Chriſtianæ vitæ fundamentum eſt.

Pſalm.55.

Matth.13.

Ad Tim.1.

Pſalm.136

Hæc vero ruina, quæ maxima, eſt his verbis ab Iſaia deſcribitur. *Et cõminuetur ſicut cõteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Hanc ruinam ſuſtinuit impius Luther, abſtulit caſtitatem, ieiunium, orationem, ſacramentorũ vſum, ſequutus eſt ſuperbiam, ambitionem, & libidinem, ac penè innumeris ſceleribus inquinatus, tandẽ fidem a ſe longe repellens impius hæreticus, immo & toti Eccleſię infeſtiſſim⁹ Hæreſiarca prodijt: *Circa fidem naufragauerunt.* Vtitur Paulus in his verbis metaphora nauigantiũ, qui quando, vt oportet, rationem gubernaculi habent, & nauis clauus ſanus eſt, remedium eis ſupereſt graui vrgente tempeſtate, ſi ancoras in mare mittans, & nauim exonerent, tamen perdito, & amiſſo gubernaculo, nulla vel exigua ſalutis ſpes manet. Ita, qui multiplici virtutũ ſupellectili ſunt exornati, quamuis alioquin nunc in tẽperantia, in caſtitate, in patientia deficiant, & grauiter offendant, adhuc ad ſalutem recuperandã facilis patet aditus, tamen amiſſa fide, noua vitiorũ tempeſtas exoritur, quæ nauigantes in profundo maris ſubmergit. Perſimiles mihi vidẽtur hi Mercatoribus, nã ſicut iſti licet hoc, vel illo anno nihil lucri recipiant, tamen dum non amittunt fidem, hoc eſt *el credito*, erga eos, cũ quibus negotiantur, ſpem habent præteritam iacturam reſarciendi; ſi tamen illam contingit amittere, omnino corruunt, quia merces, & pecuniæ deficiunt, quibus negotiandum ſibi erat: Ita ſimiliter qui in multa peccata prolabũtur, integram conſeruantes fidem, facilius diuinam gratiam recuperant. At ſi fides in eis corruat, quæ ſpiritualis ædificij fundamentum eſſe noſcitur, nihil prorſus illis reſtat, quo ad ſupernaturalia bona lucranda illuminentur, & moueantur. Vndę difficillima reddirur eorum ſalus.

Iſai.30.

Verùm quamuis ſpiritualis animi iactura, quandoque eò perueniat, vt fides amittatur, Tamen cum Apoſtolus dicat: Quod licet haberet tantam fidem, vt montes ex vna parte ad aliam transferret, nihil eſt, conſequens ſit abſque charitate, & operibus fidem nihil eſſę, hoc eſt, nullius prorſus momenti per ſe ſolam ad promerẽdam vitam æternam. Vnde in illis in quibus fides eſt quaſi obliterata, & nitore, atque ſplendore charitatis carens, perſimilis mihi videtur quibuſdã imaginibus, quę vetuſtate, & fumo ita obſcuratæ, & inueteratæ ſunt, vt vix dignoſci poſſint, cuiuſnam Diuorum imaginem referant. Qui igitur talem fidem habent, ita ferè credunt, vt quamuis alioquin vere credant, non tàm credere, quàm ſomniare videãtur. In quos merito illud Iobianum quadrat: *perditio, & mors dixerunt, auribus noſtris audiuimus famam eius.* Ita enim quæ fides docet Iob.28.

Digitized by Google

de ſeueritate diuini iudicij, ac de æternitate pænæ, audiunt, ac ſi nuntia forent de terra longinqua quæ ad eorum ſalutẽ minimè ſpectarent. Licet enim inditum ſit à natura humanæ menti lumen, quo bona à malis diſcernuntur, prauitate tamen vitæ ita plerumque obſcuratur, vt in quibuſdam penè extinctum eſſe appareat. Atque ita nihil certè mirum ſi fidei ſupernaturalis lumen, quod totam naturæ facultatem tranſcendit, diurna peccandi conſuetudine ita obnubiletur, vt exiguo infidelitatis vento ſufflante prorſus corruat. Quid plura? Profectò ignea illa columna multis fulgoribus coruſcans licet filios Iſrael educeret ex Aegypto, & per deſertũ eos comitaretur, tamen in terram promiſſionis eoſdem non introduxit, ſed oportuit, vt filij Iſraël contra gentes, quæ illam poſſidebant, armis pugnarent; ita fides catholica inſtar ipſius igneæ columnæ ex infidelitate Aegypti, ac denſiſſimis ignorantiæ tenebris te eduxit, & per deſertum huius mundi multo ſplendore prælucens, tanquam fulgentiſſima fax illuminans anteit; illa tamen ſola non eſt ſufficiens in ſupernam promiſſæ fælicitatis Patriam te introducere: vnde ad id opus eſt contra ſpirituales hoſtes ingreſſum illius præpedientes acriter dimicare; *quia Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud,* vt cum illo conregnent, qui cum Patre, & ſpiritu viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 7.

Homilia XV.

Integrum Canticum Simeonis, Nunc dimittis ſeruum tuum, interpretamur, multiplici ſanctorum Patrum eruditione, varijſq; animi conceptionibus illud locupletantes.

TOT referta myſterijs, ac tàm abſcõditis ſacramentis grauida huius Cantici verba repetio, vt paucis ab eorum expoſitione minime me expedire valeam. Antequam tamen ad miſtica eius arcana reſeranda accedã, litteralẽ eorum ſenſum apponam, præmittam tamen ad id egregia verba Euſebij dicentis: *O. currit ſenex, brachia extendit, & parentibus, ait; Mihi eum date, mihi debetur, mei officij eſt. ad hoc miſſus ſum, huic obſequio reſeruatus ſum. Deinde latus & exultans, accepit eum in vlnas ſuas: mox ſenectus fugit, & iuuenilis vigor affuit, & fortitudo. Qui prius ſe ipſum ferre vix poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat. Eleganter igitur dictum eſt: ſenex puerum portabat: puer autem ſenem gerebat, quem virgo peperit, & poſt partum Virgo permanſit; ipſum quem genuit adorauit.* Accepto igitur infante in vlnis, id quod ſibi diuinitus promiſſum fuerat, alta mente perpendens, Deum benedixit, & poſt benedictionem, in ea verba prorupit, *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*; licet enim quidam Interpretes exiſtiment, non aliter benedixiſſe, quàm proferendo verba huius cantici, falluntur tamen: Tum quia licet id veriſſimile eſſet, ſi Euangeliſta dixiſſet; *benedixit dicens, Nunc dimittis* &c. tamen cum aſſeruerit benedixiſſe, & dixiſſe, diuerſa ſine dubio per hæc voluit ſignificare. Tùm quia in rigore, Theologice loquendo, illud intereſt diſcrimen inter *gratias agere, & benedicere*, quod tunc dicimur gratias agere, cum in beneficij accepti recognitionem verba aliqua pronunciamus, vel

Euſeb. emiſſ. hom. in die purific.

dona

dona aliqua offerimus; tunc autem benedicimus Deũ, quando bona ei precamur; non quidem ad intrinſecã eius perfectionem conferentia; ſed ad extrinſecum eius honorem ſpectantia, vt cum deſideramus ab omnibus cognoſci, diligi, exaltari, & laudari. Prius ergo hoc modo Simeon benedixit Deum, quia humanam carnem induerat, vt adnotarunt Irenæus, & Euthymius, deinde poſt benedictionem ſubiunxit canticum: *Nunc dimittis*, pro ſingulari beneficio ſibi conceſſo, vt videret Chriſtum Domini, & manibus ſuis illum contrectaret. Fuit etenim apud antiquos Patres in more poſitum, vt cum magna aliqua beneficia acciperent, continuo in gratiarum actionem varia cantica modularentur: Sic Moſes & Aaron quando profecti fuerunt ab Aegypto, & Aegyptios mortuos, & in mari rubro ſuffocatos atq; ſubmerſos viderunt, Pſalmum protulerunt dicentes: *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt*, &c. Sic etiã cecinit Debora propheteſſa poſt acceptã victoriam contra Siſaram Principem exercitus regis Iabin dicens: *Qui ſponte obtuliſtis animas veſtras*. Sic Anna mater Samuelis: *Exultauit cor meum in Domino:* Sic Ezechias Rex Iſrael propter acceptum beneficium de vitæ longitudine: & Tobias propter donum de adepto viſu oculorum: *Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſæcula*. Sic etiam Iudith truncato Holofernis capite, & parta victoria, & pueri in fornace Babylonis. Denique vt concludam, cum Moſes vidiſſet terram promiſſionis, & cognouiſſet ſe cito moriturum, exultans in ſpiritu dixit: *Audite cæli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei*. Non diſſimiliter ſanctus hic ſenex, velut alter Moyſes, videns non quidem terram promiſſionis, ſed promiſſæ ſupernæ patriæ largitorem, Verbum ſcilicet diuinum, humana carne indutum, ex diuinaque reuelatione præſcius confeſtim moriturum, in gratiarum actionem canticum illud intonuit; *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace*. Sicut enim Cycnus adeo dulcis concentus cupidus eſt, vt concinentibus citharædis, eius pulli ad illos euolent, & vnà cum illis ſuauiter modulentur, vt auctor eſt D. Iſidorus lib. Etymologiarum, quanto tamen morti vicinior, tanto dulciorem ac ſuauiorem eructat cantum, vt tradunt Socrates apud Platonem, id referente Pierio lib. 23. & Bercorius in Reductorio morali, verbo Cycnus, vnde Martialis cecinit,

> *Dulcia defecta modulatur carmina lingua*
> *Cantator Cycnus funeris ipſe ſui.*

Nec non etiam Ouidius, dum ait,

> *Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in vndis*
> *Ad vada Mænandri concinit albus olor.*

Cui accedit quod Pierius Valerianus tradit, Aegyptios conſueuiſſe, cum Muſicum ſenem ſepeliebant, effigiem Cycni ſepulchro eius ſuperponere; ita nunc Sanctus Simeon, morti iam iam proximus, velut alter Cycnus venerabilis caniciei candore albus, ſuauius quàm nunquam, in dulcem illam melodiam prorupit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace:* Vnde merito ſibi vſurpare poſſet illud cuiuſdã curioſi Emblematis: *Deficiens magis Muſa fui*. Id proprium eſt homini Iuſto, vt cum deficit, hoc eſt, cum ex hac vita diſcedit, ſuauius inſtar Cycni cantet; ſicut è contra, propriũ eſt iniuſti & peccatoris, vt proximus morti lugubrem, & inſuauem cantum inſtar Syrenæ emittat. Eam autem Philoſophi naturales huius diuerſitatis rationem exhibent, quod cum imminente mortis timor vigeat, ſanguis ad cor fouendum præſto accurrit; & cum Cycni ſanguis ſit bonus & generoſus, ita dilatat & exhilarat eius cor, vt dulcem illum concentum emittat: ſanguis vero Syrenæ cum corruptus ſit, & venenoſis ſpiritibus infectus, ad præcordia accedens, magis illum contriſtat, ita vt prę nimio dolore inſuauem, immo & horribilem cantum exprimat.

Quo non obſcure monemur, illud verſari diſcrimen inter iuſtos & peccatores, quòd illis, naturalis mortis timore perterritis, cum ſanus ac generoſus ſanguis bonorum operum ad fouendum eorũ cor accedit, tanta lætitia perfruuntur, vt inſtar Cycni dulciſſimos diuinæ laudis cantus modulentur; è contra vero peccatores, morti proximi, eius pauore tremefacti, infecto ac corrupto ſcelerum ſanguine ad cor accedente, præ anguſtia, & mærore inſtar Syrenæ, Lugubres cãtus ac inutiles gemitus inſtar Saulis effundunt. Vnde vbi

D. Irenæus li. 3. c. 18.
Euthym. in c. 2. Luca.
Iudic. 5.
1. Reg. 2.
4. Reg. 20.
Tob 13.
Iud. 16.
Dan. 13.
Deut. 3.
Deut. 32.
Luc. 2.
D. Iſidor. lib. Ethymo.
Pierius libro 23. & Bercorius in Reductorio morali.
Martialis li. 13.
Pierius Valerian. lib. 23. §. de Cycno.
Luca 2.

noſtra Vulgata Pſal. 43. legit, *humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis*: S. Ambroſius huic argumento accommodatius vertit; *quoniam humiliaſti nos in loco Syrenum*: harum. n. propriũ eſt, in vita dulciter cantare, in morte verò amare plangere, ac miſerè interire. Quod idem perditis hominibus frequenter côntingit; nam morte appropinquante ad cor libidinoſi hominis ſanguis accedit putridus laſciuorum operum; ad cor fraudulenti mercatoris ſanguis pauperis, quem ſuxit; ad cor iniqui iudicis ſanguis iniuſtæ ſententiæ quam odio, vel amore protulit; qui compellit eos debitas ſoluere pænas. Cum enim illi omnes voluptatibus dediti dulciter inſtar Sirenum cecinerint; conſequens eſt vt inſtar earundem miſerè intereant, Dauide dicente Pſalm. 139. *Virum iniuſtum mala capient in interitu*. Cũ igitur Sanctus Simeon iuſtus eſſet, vt ait Euangeliſta, *& homo iſte erat iuſtus, & timoratus*, hinc eſt quod inſtar Cycni, generoſo ſanguine pleni, dulciter in coronide vitæ cecinerit dicens, *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*. Scio alios diuerſas alias rationes exhibere, ob quas Cycnus morti vicinus dulcius moduletur: nã Pierius ex quorundam ſententia, eam reddit, quòd ſenio confectus, argutioribus ob gutturis exilitatem organis affectus vocaliorem ac ſuauiorem emittat vocem. Sed & id etiam ſatis Simeoni conſentaneum eſt, qui vitæ ſanctitate inueteratus, & extenuata per illius auſteritatẽ carne, arctãq; viuendi viã ingreſſus, dulcius diuinæ laudis modulos concinebat, dicens, *nunc dimittis ſeruum tuum Domine*. D. verò Iſidorus illam affert rationem, quod quia Cycnus habet collum longum & reflexũ, & caput altum & eleuatum, idcirco modulum ſuauem reddit. Sed & id ſatis vtique conuenit Simeoni, qui corde & intentione in Deum eleuata ac animi longanimitate præditus, & in ſe reflectens, vidẽs iam poſſidere, quod ardenter antea deſiderauerat, in diuinæ laudis & gratiarum actionis canticum prorupit, *Cantabo Domino in vita mea, pſallam Deo meo, quàmdiu fuero*.

D. Ambro.

Luc. 2.
Pier. lib. 23.

D. Iſidorus de Cycno.

Quod ſi deinde Lucretius Poëta peruulgaram tangit opinionem aſſerentium Cycnum imminentis mortis dolore oppreſſum ac vehementer cruciatum lugubrem vocem attollere: id etiam aperte in Simeonem quadrat, dum lacrymandam Chriſti mortem in memoriam reuocans, lugubrem illam vocem emiſit: *ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Ad hæc Marcus Tullius in Tuſculanis quæſtionibus Cycnos tradit nõ ſine cauſa Apollini dicatos eſſe, quòd ab eo diuinationem habere videantur, qui quaſi præuidentes quid boni in morte ſit, cum cantu & voluptate moriantur; id etiam in Simeone non deſideratur, qui probè agnoſcens bonũ pacis in morte latẽs, prophetice cecinit ſuaui voce, *Nunc dimittis ſeruũ tuũ Domine, ſecundum verbum tuũ in pace*. Mihi ſanè videtur Sanctus Simeon in hoc facto inſtar ſummi ſacerdotis Chriſtum infantulum tanquam Rationale pectori ſuo admouere: ſicut enim, teſte D. Athanaſio Synaita, illud erat pretioſiſſimus Adamas, quem ſacerdos ſummus iuxta pectus pendentem portabat, in quo ſacerdos permulta vaticinari ſolebat; ſic Sanctus Simeon habens ex collo ſuo pendentem, & pectori ſuo admotum Ieſum, diuinum adamantem, qui proprio ſuo ſanguine elaborandus erat, mortem eius tanquam verus vates prædixit; *Poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum*. Tandem quemadmodum, vt Petrus Bercorius ex Ambroſio & alijs refert, quando nautæ maris fluctibus oppreſſi Cycnos ſibi appropinquantes vident, mirum in modum conſolantur diutius non opprimendos cõfidentes: non diſſimiliter ſancti illi Patres, qui Lymbi ergaſtulo erant detenti, Saluatoris aduentus conſcij facti à Simeone, ex hac vita poſt viſum Chriſtum Dominum ad eos migrante, magnam ſuſcepere conſolationem.

Luca 2.

Luca 2.

Bercorius verbo Cycnus.

Sed profundius adhuc verba quę Simeõ locutus eſt, contemplemur: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*. Mirabile quidem eſt, quòd cum Sanctus ſenex potius deſiderare deberet ſuperſtitem eſſe, & diutius viuere, vt Chriſti præſentia frueretur, tunc ardentius obire cupiat. Certe ſponſæ longè alia erant deſideria, cum dicebat; *Oſculetur me oſculo oris ſui*: non ignara quidẽ, quod reſpiratio viuifica oris illius velut olim in Adam, vitam eſſet ei infuſura, vt ait Moyſes: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. Legimus etiam Eliſæum coaptaſſe, & commenſuraſſe corpus ſuum corpori pueri mortui, vt ad vitam eundem reuocaret:

uocaret: at nunc è contra accidit, cum Simeon viſo infantulo Ieſu, nondũ bimeſtri poſtulat vt vitam ei auferat. 3.Reg.1. De Dauid ſacra narrat Hiſtoria, quòd cum præ ſenectute frigeſceret, & algeret, quæſiuit ſibi Sunamytem virginem, & Iuuẽculam, vt eius incaleſceret calore: at Simeon præ nimia ſenectute algens & frigens velut nix, cum alioquin Chriſti calore qui ignis erat, & ignem in terram mittere veniebat, facilè incaleſcere poſſet, à Chriſto vitam exoptãs, diſcedere enixe flagitat, id certè non ſolum admirationem, ſed & ſtuporem parit. Accedit quod Ezechias imminente morte, vitæ productionem ſeu prolongationem poſtulauit, Sanctus autem hic Simeon breuitatem eius expoſcit. Propter hæc canticum hoc Simeonis rarum adeò, ac nouũ eſſe iudico, vt non immeritò poſ-
Pſ.39. ſit ille Dauidica verba ſibi vſurpare: *Immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro*. Tamen ſi rem altius perpendamus, prudenter admodum Simeonem ſe geſſiſſe facile detegemus; vt enim ait
Eccleſ.2. Eccleſiaſticus: *Oculi ſapientis in capite eius, oculi ſtulti in pedibus eius*: ſi quis in vertice capitis oculos haberet, ſemper cælum reſpiceret; ſi autem in pedibus, verſus terram intueri oporteret. Stulti quidem, quia oculos habent in pedibus, terram proſpiciunt, terrenis afficiuntur; Simeon tanquam prudens, & ſapiens ſenex, cum oculos haberet in vertice capitis, hoc eſt, in ſuperiori portione animæ, cælũ proſpiciebat, quod cum antea clauſum & obſeratum eſſet, & iam ad Chriſti aduentum aperiendũ, & reſerandũ eſſe prænoſceret, præ nimio gaudio dixit, quaſi qui in manibus clauem habebat (Chriſtus namque *clauis Dauid* appellatur) Non tædet me mori, cum ingreſſus in cæleſtem patriam non diu iam differendus ſit, idque
Luca 2. ſignificant illa verba; *Nunc dimittis ſeruũ tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*. Verùm oportet vt latius explicemus, quid ſibi velit Simeon, cum poſtulat *in pace dimitti*. Certè pax, epilogus quidam eſt omnium bonorum, ac origo totius felicitatis, & proſperitatis; vnde vbi noſtra Vulgata legit illa interrogatoria Dauidis verba, *quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo adminiſtraretur bellum?* Originale hebræum habet: *Roga-*
2.Reg.11. *uit de pace Ioab, de pace populi, & de pace belli*. Mirabile certè eſt, quod pugnante Ioab duce exercitus, ac militib' eius acriter dimicantibus, necnon cruento bello ingruente, Dauid interroget de pace illius: Nunquid in feruore belli pax eſſe ſolet? Equidem cum Dauid diuino ſpiritu afflatus idem prorſus iudicaret eſſe pacem, & proſperitatem ſeu felicitatem, perinde putauit eſſe percontari de pace Ioab, ac de proſperitate qua res bellica ſibi contin-
geret. Atque hinc eſt, quod quando Rex Geneſ.41.
Pharao ſomnium habuit, cuius expoſitionem noſſe deſiderabat, Ioſeph vt illud interpretaretur, ab eo rogatus hoc reſpõſum dedit, iuxta noſtram Vulgatam. *Abſque me reſpondebit Deus proſpera Pharaoni*: Hebræum autem Originale legit; *Abſque me reſpondebit pacem*: ecce in Dei vocabulario idem pollet *pax* quod *proſperitas*. Vnde cum Chriſtus Dominus dicebat di-
ſcipulis ſuis, *Pax vobis*, perinde erat, ac ſi Luc.24.
dixiſſet, cuncta vobis in vtilitatem animæ proſperè contingant. Hinc etiam eſt illud
Ieremiæ: *Expectauimus pacem, & non erat* Ier.8.
bonum: non dixit quidem expectaſſe pacem, & non veniſſe illam, licet alioquin alia bona multa veniſſent, quia re vera deficiente pace nullum bonum ſubſiſtere poſſe iudicabat. Poſtulans igitur Sãctus Simeõ in pace dimitti, poſtulabat quidem proſpera omnia in fine vitæ ſibi contingere, quia pax omnia bona, omnem proſperitatem & felicitatem ſecum affert. Et ſicut è contra, bellum ſentina eſt omnia mala ſcaturiens, vt non obſcurè indicat illud quod contigit Dauidi, quem cũ Deus ple-
ctere voluiſſet, propterea quod populi Iſ- 2.Reg.24.
raelis fortiores milites numeraſſet, Propheta ex parte Dei illi dixit: *Trium tibi datur optio: elige vnũ quod volueris ex his, vt faciam tibi. Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur; aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua*: Ipſe quidem maluit graſſantem peſtem, quàm hoſtile bellum admittere, iudicans quidem tanquam ſtrenuiſſimus miles ac in re militari apprimè verſatus, bellum tantorum malorum fontem, & originẽ eſſe, vt in comparatione infeſtiſſimæ peſtis, hæc nociua minus quàm illud ſibi videretur.

Ceterùm vt propoſita verba magis adhuc enucleemus, inquirere oportet quod-

nam

Digitized by Google

nam bellum erat illud, quod ſanctum hunc ſenem ita vexabat, vt a deſiderata pace perfruenda illum præpediret? Arbitror bellum hoc fuiſſe pugnam, quam orationibus ſuis ac ſuſpirijs tanquam luciďiſſimis armis cum Deo gerebat, ad hoc vt ardentiſſimum eius deſiderium expleret: etenim contentio cum Deo, paci & quieti obſtat, Iob dicente: *Nunquid qui contendit cum Deo, tàm facile conquieſcet?* De huius pugnæ genere erat illud Moyſis, cum dicebat: *Obſecro Domine; mitte quem miſſurus es.* Simile erat Tobiæ, *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* hoc eſt, Chriſtum, *lumen ad reuelationem gentium* à Simeone vocatũ? Iſaias etiam in eadem pugna verſabatur, quando aiebat, *propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius.* Dauid etiam non diſſimiliter cũ Deo pugnabat dicens: *Si dedero ſomnũ oculis meis, &c. & requiem temporibus meis donec inueniam locum Domino.* Hanc tantorum Patrum luctam vſque ad ſanctum ſenem Simeonem egregiè adumbrauit pugna illa Iacob, cum Angelo ei dicente: *Dimitte me; iam enim aſcendit aurora. Et reſpondit, Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. Et dixit Iacob; Vidi dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ipſe vero claudicabat pede:* Iacob qui per totam noctem cũ Angelo pugnauit, Simeonem præſignat, poſtremum ſanctorum veteris legis, quæ tota fuit nox & vmbra: hic cum filio Dei orationibus, & ſuſpirijs luctabatur, vt faciẽ eius videret: Angelus qui cum Iacob luctabatur, Chriſtum Dominum repræſentat; ſic enim vocauit illum Malach. *Veniet ad Templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis.* Durauit hæc lucta, donec appropinquauit aurora, hoc eſt, quouſque venit Beatiſſima Virgo inſtar auroræ ſolem iuſtitiæ deferentis, tunc autem hic Iacob vidit Dominum facie ad faciem, cum dixit, *Viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Quis verò in dubium vertat noſtrum Iacobum, ſanctum ſcilicet Simeonem Chriſto noui teſtamenti Angelo dixiſſe; *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi?* vnde ſicut ſacer textus ait, *& benedixit ei in eodem loco;* ſic ſanctus hic Simeon cæleſtium chariſmatum benedictione a Chriſto Domino fuit benedictus, iuxta illud: *Timenti dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.* Ac tandem, ſicut Iacob accepta Angeli benedictione claudicabat pede, ſic miſticus hic Iacob ſuſcepta Chriſti benedictione, terreni amoris pede magis claudicare cępit, ac mundi caduca bona inſtantius reſpuere, & ideo quaſi alter Paulus diſſolui cupiens, & eſſe cum Chriſto dicebat, *Nũc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Meritò certè in pace dimitti poſtulat, qui hactenus per importunas preces bellum cum Deo gerens vixerat. Merito in pace dimitti rogat, qui, vt ait Ambroſius, *non tàm voluntate quàm neceſſitate in hac vita tenebatur;* merito denique dimitti deſiderat, qui corporis vinculis ligatus erat: in Græco enim idem eſt *dimitti*, quod *abſolui*, vnde Timotheus in perſona Simeonis ait, *Nunc abſoluar, ne hic retinear:* & D. Ambroſ. id ipſum explicans ait: *Dimitti poſcit quaſi a vinculis quibuſdam ad libertatem feſtinaret: ſunt enim velut vincula quædam huius corporis, & quod eſt grauius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis aſtringunt quadam lege peccati.* Narrat Tertullianus, moris fuiſſe antiquitus apud Romanos, vt cum eorum Imperatores coronabantur, publicum carcerem ingrederentur quadam toga, vel veſte Talari induti, a Græcis vocata *pelagos*, quam quotquot vincti erant, illam tangentes liberi fiebant. Certè præſens hæc caduca ac mortalis vita noſtra nihil aliud eſt, quàm moleſtum ergaſtulum ac faſtidioſus carcer, à quo propterea erui poſtulabat Dauid; nam vbi noſtra Vulgata legit: *Educ de cuſtodia animam meam,* alia habet Verſio: *educ de carcere.* dum igitur ſummus Imperator Chriſtus Dominus, humanæ carnis toga indutus, huius ſæculi carcerem ingrederetur, confeſtim Simeon qui per multos annos in eo fuerat detentus, ad illum accurrens, & manibus ſuis veſtem eius contingens, *accepit eum in vlnas ſuas,* quaſi iure ſibi debitam libertatem ab eo poſtulat, *Nunc dimittis,* vel vt legit D. Ambroſius, *Nunc dimitte ſeruum tuum in pace.* Vel dicamus aliter: *Nunc dimittis ſeruum tuum,* quaſi dicat, quis mortem timeat, vitæ fontem habens? quis mortis tenebras horreat, lumen ad reuelationem gen-

Marginal notes: Iob 39. — Exodi 4. — Tob. 5. — Luca 2. — Iſaia 62. — Pſal. 131. — Geneſ. 32. — Malach. 3. — Luca 2. — Eccleſiaſt. 1. — Luca 2. — Ambr. l. 2. de bono mortis. — Timoth. orat. de occurſu Domini. — D. Ambr. l. 2. de bono mort. cap. 2. — Tertull. — Pſal. 141. — Luca 2. — D. Ambroſ.

Digitized by Google

gentium portans? quis mortis noctem formidet, lucernam mundi manibus proferens? ille mortem timeat, qui mortem, id eſt peccatum mortale, in animo habet; ille mortis horreat tenebras, qui craſſiſſima flagitiorum caligine eſt oppreſſus; ille mortis noctẽ formidet, qui in nocte ſcelerum vixit; *Eius eſt mortem timere*, ait Cyprianus in lib. de mortalitate, *qui ad Chriſtum nolit ire; eius eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto regnaturum.* Vel aliter; *Nunc dimittis*, id eſt, ſecurum reddis, cum iam promiſſiones complemento perfruar, ad quod tantis votis contendebam. Quantis quæſo, putas, infeſtis cogitationibus fidem eius concuſſam fuiſſe, cum videret inteſtinis ſeditionibus, externis etiam bellis totam Iſraelis Rempublicam labefactatam, pietatem etiam ferè omnẽ, & religionis cultum peſſundatum, ſe iam capulo inſtantem, & ſibi ſolum ſupereſſe ſepulchrũ? At hæc eſt cõditio promiſſionũ Dei, vt non impleantur, niſi prius fides eius, cui factæ ſunt, exerceatur. Ita probata eſt fides Abrahæ cum mandatum accepit de ſacrificando filio, & ſtaret interim illa promiſſio de multiplicãdo in Iſaac ſemine. Ita probata eſt fides Iacob, cum ei quamuis peregrino, & à domo paterna exuli promitteret ſemen. Proinde in credendis promiſſionibus Dei id longe à nobis abſit, vt propter aduerſa, à fide vel ſpe deficiamus, immo propterea tanto magis in fide fortiores efficiamur. Non diffidit Simeon, quãtumuis ſenex, quin oculis ſuis Chriſtum videre putarit, priuſquã moreretur: non illum fregit propria corporis infirmitas, aut communis Reipublic. miſeria. Cum primum autem Sanctus ſenex votorum compotem ſe videt, ex iſta corporis mole, velut è carcere in libertatem euolare contendit.

Nam quid longa dies nobis, niſi longa dolorum
Colluuies? longi patientia carceris ætas?

Vt ſcribit Mantuanus in prima Parthenice D. Mariæ.

Significauit inſuper Simeon per illa verba, quod poſtquam vidit Chriſtum, faſtidio ei erant omnia terrena: vnde *guſtato enim ſpiritu, deſipit omnis caro.* Ideo continuo tibi placent terrena, quia cæleſtia nunquam guſtaſti, & niſi illa guſtare cœperis, nũquam temporalia tibi inſipida erunt. Paulus cum tertium cælum vidiſſet, iam volebat eſſe ſolutus corpore, 1. Corinth. 12. Dauid quoque Pſalm. 119. aiebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*: id autem protulit poſt quam dixerat: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Apoſt. etiam cum dixit ad Phil. 1. *cupio diſſolui*, continuo ſubiũxit *& eſſe cum Chriſto*, aliàs non cuperet diſſolui. Homicida autem eligit potius in carcere manere, quàm ſolui, & exire, & ita ſi audit reſerati oſtium carceris ſui, vehemẽter cruciatur; quia reliquum eſt vt ſuſpendatur. Sic impius nondum laborat febri, vel capitis dolore, quando vitã cum morte commutaturum ſe opinatur; vnde ſicut homicidam pænitet, quod ſibi ſoluantur catenæ, quia exiſtimat indicium eſſe venturi ſupplicij; ita ſceleratum pænitet propter corporis huius ſolutionem, quando oppreſſus infirmitate exiſtimat adeſſe mortẽ, & velut homicida ait; O meæ dulces catenæ! O iucunda vincula! ò lætus carcer! quis mihi det hic eſſe, nec vos vnquã dimittere? ſic quoque Improbus ait; ò meæ dulciſſimæ deliciæ! ò ſuauiſſima vita! ò dilectum & mihi charũ corpus, quanta moleſtia afficiar, vbi te reliquero?

Sed quænam quæſo eſt cauſa, quare vir bonus morte delectatur, Impius vero triſtatur? eam Salomon ponit in Prouerbijs dicens: *In malitia ſua expelletur impius, Iuſtus autem ſperat in morte ſua:* Vide D. Auguſt. tract. 9. in epiſt. Ioan. 1. illud exponens; *In hoc eſt perfecta charitas in nobis, vt fiduciam habeamus in die iudicij:* Tria hominum genera conſtituit: Vnum eorum, qui diem iudicij non credunt, ideo nec in eo quidem fiduciam habent; Alterum eorum, qui diem iudicij credere incipiunt, & quia credere incipiunt, incipiunt etiam timere, ſed quia timent, nondũ habent plenã fiduciã in die iudicij: Tertium deniq; eorũ, qui mortificatis mẽbris ſuis, *quæ ſunt ſuper terrã* (vt ipſe ait) *ſurgẽtibuſque cæleſtibus mẽbris, hoc eſt, virtutibus, iã incipiunt deſiderare quod timebant. Timebant enim ne veniret Chriſtus, & inueniret impios quos damnaret: deſiderant iam, vt veniat quia inuenturus eſt, quos coronet.* & paulo poſt. *Sunt*, inquit, *homines, qui cum patientia moriuntur, & ſunt quidam perfecti, qui cum patientia viuunt. Quid dixit,* qui

D. Cyprianus. 1. Cor. 12. Pſ. 119. Pſ. 83. Ad Philip. 1 Prouerb. 14. D. Auguſt.

qui adhuc deſiderat iſtam vitam, Quando venerit dies mortis? Patienter tolerat mortem: luctatur aduerſum ſe, vt ſequatur voluntatem Dei, & hoc agit animo, quod elegit Deus *potius, quàm quod eligit voluntas humana. Ex deſiderio vitæ præſentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam & fortitudinem, vt æquo animo moriatur. Iſte patienter moritur. Qui autem diſſolui deſiderat, & eſſe cum Chriſto, non patienter moritur, ſed patienter viuit, & delectabiliter viuit.* Ita Simeonem patienter carnis iſtius onus tuliſſe, & delectabiliter mortem appetijſſe, vbi Chriſto perfrui potuit, colligimus, quaſi id cum Paulo dicat, *mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Sic enim & Baſilius, cum ei Modeſtus præſes minas intentaret, quàm pauci vitam præſentem faceret, ſuis verbis oſtendit, dicens, vt ſcribit magnus pater Diuus Gregorius Nazianzenus in præclara illa oratione in eundem Baſilium. *Mors porrò beneficij mihi loco erit: citius enim me ad* Deum *tranſmittet, cui viuo, & munere meo fungor.*

B. Greg. Naz.

Ad extremum multiplicem expoſitionem quam Sancti Patres adhibent ad explicandam hanc quam Simeon poſtulabat pacem, oportet hic apponamus. Antiquiſſimus Origenes homilia 15. intelligit pacem cum Deo, in qua Iuſtus moritur. Euthym. Trifariam illam exponit, primo de pace cogitationum, antequàm enim impletum eſſet oraculũ, variæ cogitationes Simeonis mentem agitabant: eo autem impleto, tranquillitate animi frui cæpit. Secundo de pace intrepiditatis, timebat enim mori propter longinquã ſenectutem, at viſo iam Chriſto ſecurus erat non moriturum, abſque eo quod vidiſſet illum facie ad faciem. Tertiò de pace gaudij, quaſi diceret: deinceps non contriſtabor propter libertatem Iſraelis, quia vidi iam liberatorem. Sanctus autem Cyprianus lib. de mortalitate, pacem interpretatur ſecuritatem, quæ eſt à mundi huius periculis; non enim eſt iuſto ſecuritas, dum in hoc verſatur ſeculo: Verba ipſius ſunt: *Probans atque conteſtans tunc eſſe ſeruis* Dei *pacem, tunc liberam, tunc tranquillã quietem, quando de iſtis turbinibus mundi extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus; quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus; illa eſt enim noſtra pax, illa ſtabilis, & firma, & perpetua ſecuritas. Ceterùm quid aliud in mundo, quàm pugna aduerſus* Diabolum *quotidie geritur? quàm aduerſus iacula eius, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur?* Hæc S. Cyprianus. Ac tandem Cardinalis Toletus docet legirimam interpretationem eſſe, vt pax ſit deſiderij complementum, ita vt quando homo moritur, nihil habeat propter quod hoc in ſæculo deſideret permanere: prius quàm autem Simeon vidiſſet Chriſtum, viuere deſiderabat, & inter mortem, & deſiderium pugna erat: at viſo eo propter quem vitæ erat deſiderium; nec habens iam quod eum detineret, dicit ſe in pace dimitti. Cui perſimile eſt illud quod Iacob dixit, viſo Ioſeph: *Lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo:* nec non illud Tobiæ, *& nunc Domine ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum.*

Origenis.
Euth. hic.
S. Cypr. lib. de mortalitate.
Tolet. ſuper c. 2. Ioan. annot. 47.
Geneſ. 46.
Tob. 3.

Addo etiam Simeonẽ nomine *pacis* altius myſterium inſinuaſſe, nẽpe, Chriſtum pacem Dei cum hominibus efficere veniſſe; *ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum*; ad quod etiam inſinuandum angelorum vox in Chriſti natali audita fuit, *& in terra pax hominibus.* In pace ergo ſe dimitti profitetur Simeõ, vt etiam adnotauit Irenæus, quia in pacificatoris, & pacis ipſius aduentu recedebat: vnde eleganter, ac pie Guaricus Abbas dixit: *Iam hoc ſolum reliquũ eſt deſiderij ſerui tui vt in pace in idipſum dormiam, & requieſcam; & pax* Dei *quæ exſuperat omnem ſenſum, me totum in illius ſummæ, & ſimplicis vnitatis abſorbeat conſeſſum. Venit pax quam ſuſtinuit, requieſcat in pace, qui pacem quæſiuit, & quæ pacis ſunt, ſectari ſemper ſtuduit; ſic quippe Iſaias ait: Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua. In pace vtique Simeon ſtatuerat cubile ſuum, qui omnibus alijs curis exploſis, ſolum Ieſum in corde meditabatur.*

2. Epheſ.
Luca 2.
Iren. l. 3. c. 8.
Guaricus Abbas ſerm. 3. de purif.
Iſai. 57.
Pan. ibi.

Vt tamen iam ad ſequentia verba, *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, calamum admoueam; oportet prius iterum difficultatem illã inculcare: Quid eſt, quod cum Simcon ardenter deſideraret Chriſtum Dominum videre, impleto iam deſiderio, quod vitam prolongare ſolet propter eximiam letitiam, & alacritatem quã ſecum affert, ipſe nihilominus vitæ finem exoptet?

Luca 12.

ptet?

Plutarchus in Alex.

ptet? Videtur mihi huic difficultati fieri poſſe ſatis per illud, quod refert Plutarchus in vita Alexādri; ait enim Armonacargem Philoſophum Gymnoſophiſtam, poſtquā vehementiſſime concupierat Octauianum Auguſtum videre, at illo viſo in ignis rogum ſe conijciens dixit: *Oculi qui tantum maieſtatis lumē viderunt, non oportet amplius quidquam videant:* Ad hunc ergo modum cum Simeō iam vidiſſet, non Octauianum Auguſtum, ſed Regem cælorum, & Dominū vitæ, non aliam rationem complementi ſui deſiderij aſſignauit, niſi *quia viderunt oculi mei ſalutare tuū*: quaſi diceret: felices oculi Aegyptiorum, qui viderunt Ioſephum, quem Saluatorem vocabant, & Interpretē ſomniorum; felices oculi Hebræorum, qui viderunt Moyſem ducem populi Dei ex Tyranni Pharaonis ſeruitute eos educentem: felices oculi viatorum illorum, qui viderunt Ioſuè Imperio ſuo ſolis curſum retardantem, vt inimicos eorum proſterneret: felices Iſraelitæ videntes Gedeonem, qui ſine armorum ſtrepitu vrnis, & lucernis hoſtes ſuos acerrime expugnauit: felices qui viderūt fortiſſimum Samſonem portas Gazæ ſecum portantem, ac Philiſthæos, & eorum vincas demolientem. Sed fœliciores multò oculi mei, *quia viderunt oculi mei ſalutare tuū*. Rectè melius, quàm Moyſes à Pharaonis poteſtate populum eripiens, à moleſtiſſima dæmonum tyrannide nos liberauit, qui ventis & maris fluctibus imperabit, & ad eius imperium dicetur: *ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum*: qui melius quàm Gedeon fragili ſuę carnis vrna tribus clauis, & cuſpide lāceę perforata, increati luminis virtute in ea latentis copioſiſſima peccatorum noſtrorum agmina, quę velut infeſtiſſimi hoſtes nos perſequuntur, profligabit; qui melius quàm inuictiſſimus Samſon ingentium illorum Philiſthæorum, hoc eſt, dæmonem, mortis, & inferni glorioſam victoriam reportabit. Cum ergo hunc viderim, ait Simeon, *Nunc dimitte ſeruū tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace*. Vbi obiter aduerto quoſdam Interpretes verbum hoc *Domine* ad Patrem æternum referre; Euthymius autem, & Theophilactus ad Chriſtum referunt, quaſi Simeon cum infantulo ipſo loqueretur: melius tamen Sanctus Athanaſius ad Spiritum ſanctum refert, a quo in ipſum afflante oraculum acceperat; id quod indicat illud quod ſequitur, *ſecundum verbum tuum*. Vnde ex hoc loco probat Athanaſius Spiritus ſancti diuinitatem in hæc verba: *Cum induceretur puerulus in templum, & geſtaret eum in vlnis, reſponſum eſt ab illo, nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace: Igitur Spiritus, Dominus, & berus eſt*. Poteſt etiā dici ad Deum ipſum in tribus perſonis communem orationem dirigi, Spiritus ſancti tamen perſonam exprimit, quia eius reuelationem exceperat, non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini; Ad rem tamen noſtram reuertentes, à qua nonnihil digreſſi ſumus, Timotheus præſbiter in oratione Simeonis, egregiam quandam rationem adhibet, ob quam S. Simeon viſo Chriſto mortem deſiderabat; ait enim, quod cum ipſe prophetaſſet dolorem Virginis ob acerbam Chriſti mortem dicens, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, petiuit vt alter Elias animæ ſuæ, vt moreretur, ne tantam conſpiceret gentis ſuæ in Chriſtum inhumanitatem, imitatus in hoc inſignem illum Iudam Machabæum, qui exhortans milites ſuos ad viriliter pugnandum aduerſus hoſtes dixit: *Melius eſt nos mori in beao, quàm videre mala gentis noſtræ*. Sancto Simeoni ſatius ſibi videbatur mori, quā patranda in morte Chriſti ſcelera intueri.

Matt. 24. — *Luca 2.* — *Euthy. Luca 2. Theophilact. ibidem.* — *D. Athanaſ. lib. de commun. patris & filij, & Spiritus ſancti eſſentia.* — *Luca 2.* — *Machab.*

Denique aliam eius rei rationem ex verbis Euangeliſtæ colligere poſſumus, dum ait, quod Simeon *erat iuſtus & timoratus*: cum ergo timeret, ne in peccatum aliquod deinceps prolaberetur, anxie deſiderabat huiuſcemodi periculum vitare, & ideo ex hac vita emigrare deſiderans ait: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace*: Vnde ſicut Sponſa poſtquàm lauerat pedes ſuos, timebat ne in terram deturparentur: *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ita Sanctus Simeon inſtar Aquilæ ſe renouantis, in vlnis accipiens Chriſtum fuit innouatus, *renouabitur vt Aquilæ iuuētus tua*: quem ad modum enim Aquila roſtro contingens petram renouatur, ita Simeon contingens Chriſtum petram angularem, *Petra autem erat Chriſtus*, inſtar Aquilæ renouatus eſt: ne ergo iterùm prauis affectibus inueteraſceret, tanquam vir timoratus

Luca 2. — *Luca 2.* — *Cant. 5.* — *Pſ. 102.* — *1. Cor. 10.*

Digitized by Google

tus qui diuinam maieſtatem offendere pertimeſcit, poſtulat viſo Chriſto cõtinuò dimitti,& ab huius ſæculi laqueis penitus liberari.

Sed iam quid ſibi velit verbum illud, *ſalutare tuum* explanemus iuxta Patrum intelligentiã. Pro quo ſuppono, frequentem fuiſſe apud antiquos Patriarchas modum hunc loquendi, nam Geneſ.49. dicitur *Salutare tuum expectabo Domine*, & Pſalm.84.*Salutare tuum da nobis*, & Pſal. 118. *Defecit in ſalutare tuum anima mea*; Euthymius *ſalutare* interpretatur Verbi diuini incarnationem,quæ in ſalutem hominum facta eſt iuxta illud, *qui propter nos homines,& propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis*, Sanctus autem Athanaſius, & Baſylius per *ſalutare* intelligunt Chriſtum,qui ab effectu ſalutis hominum, cuius ipſe futurus erat cauſa & origo, dicitur *ſalutare*. Vnde Dauid quandoque vocat illum *ſalutare meum*, aliquando *ſalutare tuum*. Vocat tuum loquens cum Deo,quia Dei Patris filius eſt, & nihil magis habet ſuum Pater,quã filium ſibi conſubſtantialem.Vocat etiam, *tuum* quia quatenus homo, Spiritus ſancti opera, & virtute cõceptus erat: *ſalutare* verò *meum* appellat, quia ſalutem hominum operatus eſt, cuius ſe participem futurum ſperabat. Vel dicamus aliter,vocaſſe Simeonem Dominum *ſalutare tuum*, non quia ipſe ſalus eſſet Patris, ſed quia adeo magnam agnouit eſſe æterni Patris erga nos miſericordiam, vt noſtram ſalutem propriam reputet, & propterea ſuam illam appellet; ad quod alludens Dauid dixit, *ſaluauit ſibi dextera eius,& brachium ſanctum eius*, vel vt Genebrardus vertit ex Hebræo.*ſaluauit ſe dextera eius*:quis quæſo non miretur audiens Deum dicentem ſaluaſſe ſe ?nũquid imminebat ei aliquod periculum à quo eripi indigeret? captiuus ne erat,aut infirmus vt ſalus ei opus eſſet? minime gentium, cum ſpiritus ſit immortalis, ſumme beatus,de quo ipſe Dauid, *non accedet ad te malum*; Reſpondet ergo D. Theodoretus in commentario huius Pſalmi: *Immenſa benignitate vtens ſuum quæſtum hominum vitam ducit, propterea non dixit,ſaluauit ipſi dextera eius,ſed ſaluauit ipſe ſibi*. Perſimile eſt illud D.Baſilij dicentis, *mortalium vitam ſuum ducit eſſe emolumentum,propterea non dixit,ſaluauit eos*; ſi igitur tanta noſcitur Dei eſſe benignitas, vt noſtram ſalutem tanquam propriã ipſe reputet,parpari ei nos rependere debemus, diuinum honorẽ, & gloriã plus quàm propriam defendentes; ſic enim & ab ipſo mirum in modum honorabimur, ſicut & honoratus fuit Azarias, de quo dixit: *Ipſe eſt qui ſacerdotio functus eſt*: licet enim hæc verba nullam ſpecialem laudem preſeferre videantur, cum & alij permulti ſacerdotis munere functi fuiſſẽt, vt Aaron & filij & nepotes eius, & plerique alij qui ab his originẽ duxerunt, magnum tamen illius encomium fuit, quod inter tot ſacerdotes, de illo ſolo dicatur, *ipſe eſt qui functus eſt ſacerdotio*: id enim dixit Deus,quia vt lib.2. Paralip.legimus cum Rex Ozias ſuperbè tentauit incẽſum adolere in Tẽplo, ipſe cum periculo etiam propriæ vitæ ei reſtitit in faciẽ, quia illud munus non pertinebat ad ſæculares, ſed ad ſacerdotes. Zelus iſte diuini honoris adeò placuit Deo, vt hic ſolus videretur ſibi eſſe eius ſacerdos,& ideo dixit,*ipſe eſt, qui ſacerdotio functus eſt*.

Quare (vt obiter id dicam) duo erga Principes & Magnates apprimè obſeruanda ſunt: primum, vt quantumcunque diſcolis, debitus eis deferatur honor, & reuerentia propter eorum dignitatem; Secundum, vitia eorum reprehendenda eſſe, vt ſatis id nos docet Hiſtoria illa libri 1. Regum,*Cum autem vidiſſet mulier Samuelem, exclamauit voce magna & dixit ad Saul: quare impoſuiſti mihi? tu enim es Saul*, quomodo quæſo,cum vidit Samuelem, continuò agnouit Saulem? maximè quod cum nõ agnouiſſet illum in propria perſona, quã ratione potuit illum agnoſcere in aliena? ſanè id collegit ex honore, quem Samuel detulit regi Saul, reuerentiam illi tanquam regi exhibens. licet autem Samuel debitum ei honorẽ impendit,acriter tamen eundem increpauit, ac tremendam ſententiam contra eum diuinitus latam ei promulgauit. Ecce illa duo obſeruauit Samuel, Saulem tanquam regem honorauit, vt peccantem vero zelo Dei ductus grauiter obiurgauit,cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Margin notes: Geneſ.49. Pſal.84. Pſalm.118. S.Euthy.in c. 1. Luca. Symb. Nicen. S.Athanaſius lib.de com.eſſentia Patris & filij S.S. D.Baſil.hom. Pſal.61. Pſal.9. Genebrardus ſuper pſ.9. Pſal.90. D.Theod. ſuper pſal 9. D.Baſ.in pſ.9 2.Paralyp.6. 1.Reg.28.

Homi-

Homilia XVI.

De ſtatu Viduitatis multa encomia recenſentur, & quæ inſigniores Viduæ fuere, tàm ex ſacris, quàm humanis literis commemorantur: ac permulta Viduis documenta traduntur, in illa verba Lucæ: Et erat Anna Prophetiſſa filia Phanuel de Tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor.

QVAMQVAM mihi de S. Viduitate loqui fatagenti vſurpare non liceat illud Ouidij *Ouidius.*

Salue Virginei flos intemerate pudoris,

Tamen haud malè aptati poſſe arbitror,

Cōtinuos annos a funere cōiugis vxor
Suſtinet, in vidua triſtia ſigna domo,

Virgilius. Hūc ſtatum vitæ Dido Aeneidos quarto ſibi cōmēdatiſſimum habet, dū ſic effatur;

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras
Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam;
Ante pudor quàm te violem, aut tua iura reſoluam.
Ille meos primus qui me ſibi iunxit amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſeruetque ſepulchro.

Sed aliunde maiora encomia viduitatis nobis petenda ſunt. In primis licet viduæ Sanctæ, mundo Viduæ videantur, viduæ tamen re vera nō ſunt, vtpotè quæ Deum ipſum ſponſum habeant eas protegentem ac defendentem: vnde lib. Exodi ipſe ait: *Exodi 22.* *Viduæ & pupillo non nocebitis, ſi læſeritis eos, vociferabūtur ad me, & ego exaudiam clamorem eorū, & indignabitur furor meus, & percutiam vos gladio: & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.* Rurſus in Deute. *Non peruertes iudicium aduenæ, et pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ veſtimentum.* *Deuter. 24.* Iob inter bona ſua opera illud recenſet: *Cor viduæ conſolatus ſum.* *Iob. 29.* In Pſalmis Dauid concinit: *Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus:* *Pſal. 131.* & alibi: *Dominus cuſtodit aduenas: pupillum & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet.* *Pſal. 145.* Iſaias: *ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam,* *Iſa. c. 1.* & Ierem. *Viduam nolite contriſtare.* *Ierem. c. 22.* Rurſus Prouerb. 15. *Domum ſuperborum demolietur, & firmos faciet terminos viduæ.* *Prou. 15.* Eccleſiaſt. 35. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentes eas? A maxilla enim aſcendunt in cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* *Eccleſ. 35.* Zachar. clamat: *Viduam & pupillum nolite calumniari,* *Zachar. 7.* Ezechiel Ieroſolymitanos increpat, *quia pupillum & viduam contriſtauerunt apud te.* *Ezech. 22.* Chriſtus Dominus Phariſæis, & Scribis male imprecatur dicens: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, Hypocritæ, qui domos viduarum comeditis.* *Matth. 23.* Diuus Iacob clamat, veram eſſe religionem cuſtodire ſe ab hoc ſæculo immaculatum, viſitare viduas & pupillos in tribulationibus. *Iacob. 1.* Hinc ſacra Concilia non pauca, nec non ſacrorum Canonum ſanctiones multæ, viduarū protectionem & monent, & præcipiunt, Concilium enim Ratiſconenſe 11. canone 20. *Conc. Ratiſc.* ait: *Quid ſcriptura diuina de viduis, & pupillis præcipiat nobis, clam non eſt, ideoque quoniam prouiſioni noſtræ Deo authore, cauſæ principaliter viduarum, & pupillorum ſunt commiſſæ, peruenit ad nos quod à iudicibus crudelius pro leuiſſimis cauſis, veluti defenſoribus carentes, irremediabiliter affligantur. Ob hanc cauſam decernimus, vt iudices non prius viduas, & pupillos conueniant, niſi Epiſcopo nunciarint, cuius ſub velamine degunt. Quod ſi Epiſcopus præſens non fuerit, Archidiacono, vel presbytero mādamus, vt pariter ſedentes communi deliberatione cauſis eorum terminos figant, ita iuſtè ac rectè, vt deinceps de talibus, ante dictæ perſonæ non conquaſſentur. Quod ſi is,*

qui Iudex eſt, aut impetitor eis, aut iniuriā aliquam ingeſſerit, aut definitionem tanti Concilij tranſgreſſus fuerit, a communione ſuſpendatur. Quibus igitur magnarum rerum cauſæ commiſſæ ſunt, nec minimarum dignum eſt cauſas paruipendere perſonarum. Solent enim & minima paulatim deſpecta in malum magnum trahere. Hactenus Concil. Ratiſconenſe. Audiamus nūc

Conc. Cartha.

Concil. Carthaginenſe quartum canone 101. in hunc modum loquens: *Viduæ adoleſcentes, quæ corpore debiles ſunt, ſumptu Eccleſiæ, cuius viduæ ſunt, ſuſtententur*, & canone 103. *Viduæ, quæ ſtipendio Eccleſiæ ſuſtentantur, tàm aſſiduæ in Dei opere eſſe debent, vt & meritis, & orationibus ſuis Eccleſiam adiuuent.* & canone 102. *Ad reatum Epiſcopi pertinet, vel presbyteri, qui parochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis cauſa adoleſcentiores viduæ, vel ſanctimoniales clericorum familiaritatibus ſubij-*

Gloſ. ſuper ep. ad Timoth.

ciantur. Gloſa etiam ſuper illa verba Pauli ad Timoth. *Viduas honora*, ſubiungit, *ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentādo, & ſolatijs fo-*

Diſt. 87. c. 1.

uendo: Accedit quod diſt. 87 cap. 1. dicitur ex Gelaſio Papa, *Viduis autem, & orphanis Eccleſiæ præſidiū implorantibus Epiſcopi debent adeſſe, & contra improborum violentias protectionis patrocinium eis ne-*

Cauſa 23.

gare non aeberet. & Cauſa 23. q. 5. cap. regiam, Regibus imponitur onus defenſionis viduarum, in hæc verba; *Regum officium eſt proprium, facere iudicium atque iuſtitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos, & peregrinis, pupilliſque, & viduis quod facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.* Ac tandem poſſe viduā trahere laicum ad iudiciū Eccleſia-

Panorm.

ſticum iuxta antiquū morē docet Panor. in cap. ſignificantibus, de officio delegati; & in cap. licet ex ſuſcepto, de foro competenti. Poſſe etiam in fauorem ſuum ſequi domiciliū mariti pręmortui, tradit idem

Idem Panor.

Panormita. in cap. ex parte de foro competenti.

Ceterum iam quæ ſacra eloquia commemorant, necnon & profana monumenta conteſtātur de præclaris viduarum geſtis, in mediū producamus. Ioab vſus opera viduę Thecuitis perfecit, vt Dauid rex

2. Reg. 14.

filium ſuum Abſalonem in gratiam reci-

Daniel. 13.

peret. Suſanna, cum diſcrimine vitæ & honoris, contra laſciuos ſenes caſtitatis victoriā reportauit, & cunctis feminis viuum pudicitiæ exemplar extitit. De Iudith ſacræ litteræ hæc teferunt: *Et erat Iudith in*

Iudith. 8.

domo ſua vidua annis tribus, & menſibus ſex: & in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ. Ac ne quis illam ſanctam viduam neceſſitate potius paupertatis, quàm deuotione cordis exiſtimet ieiunaſſe, audiat quid de ea in ſubſequentibus ſacer textus dicat: *Et erat (Iudith) eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam ac poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas.* Ecce vidua præclara natalibus, & multis facultatibus diues, ætate iuuenis, ſpecie mirabilis, diuitias contempſit, delicias reſpuit, carnis incentiua calcauit, & induta virtute ex alto, non quæſiuit ſecundo famulari connubio. Denique cum Holofernes innumero Bethuliam obſediſſet exercitu, vt omnis Iſraëlitarum virtus perturbata langueſceret, egreditur caſtitas oppugnatura laſciuiam, & ad interitum ſuperbiæ humilitas ſancta procedit. Ille pugnabat armis, iſta ieiunijs. Ille ebrietate, iſta orationę. Igitur quod omnis Iſraelitarum populus facere non potuit, ſancta vidua caſtitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem, & inſperatam Dei populo reddidit libertatem. Ad hæc, quàm inculpabilis Sanctæ Annæ conuerſatio fuerit, ſatis notū eſt, cū demōſtremus. De ea S. Lucas ſic loquatur

S. Luc.

Et erat Anna prophetiſſa filia Phanuel, de tribu Aſſer, & hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cū viro ſuo annis ſeptē à virginitate ſua: & hæc vidua vſque ad annos octuaginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte & die. Hanc ſacram viduam Cyril-

Cyril. Ieroſol. Catheс. 10.

lus Ieroſol. monialem vocat his verbis: *& Anna prophetiſſa cōtinens, & religioſiſſima monialis teſtatur de ipſo.*

Amphiloch.

Amphilochius verò Epiſcopus Iconij de occurſu domini, & Dei genitrice, his verbis laudat Annam: *Corona viduarum mulierum Anna, ſexu mulier, ordine prophetiſſa: verſans in regno, corpore laxa ac remiſſa, animo firma ac neruoſa, facie rugoſa, explicata autem prudentia, ſenio incuruata, recta incedens cognitione, multitudine annorum inueterata, iuueniliter verò*

exul-

Digitized by Google

exultans diuina ſcientia: ieiunans & non ſe explens ad ſatietatem: orans, & *non vacillans, & domos alienas non obiens; pſallẽs, non nugans; prophetans, & non dicens fabulas: diuina meditans, at quæ ſunt turpia non addiſcens*. Iſtæ autem duæ inſignes viduæ Iudith & Anna, licet tempore fuerint diuerſo, vnius tamen fidei ſeruierunt ambæ myſterio: quia Chriſtum quem Anna cognouit in carne natum, ipſum Iudith nouerat naſciturum. Quàm verò multum Deus in vtraque vidua continentiam ſibi placitam demonſtrauit? Nam Iudith ſpiritalibus armis accincta, caput laſciui prędonis abſcidit: Anna verò ipſum caput Eccleſiæ, Spiritu ſancto repleta cognouit: datus eſt Iudith Holofernis interitus, Annæ reuelatus eſt Saluatoris aduentus: Illi Deus dedit à populo repellere peſtilentiã, huic tribuit humani generis agnoſcere medicinam; & quia ſanctimoniam virginalem vidualis continentia gradu inferiore ſubſequitur, idcirco poſtquàm de Virgine natus eſt filius Dei, vidualis linguæ dignatus eſt officio prædicari. Quid plura? dicam quod D. Ambroſ. lib. de viduis, *quia prolixum eſt complecti omnes, cognoſcite aliquas, & præcipuè Debooram, cuius nobis prodidit Scriptura virtutem. Hæc enim docuit non ſolum viri auxilio viduas non egere, verùm etiam viris poſſe eſſe ſubſidio: quæ nec ſexus infirmitate reuocata, munia virorum obeunda ſuſcepit, & ſuſcepta cumulauit. Denique cum Iudæi Iudicum regerentur arbitrio, quod viri illi non poterant, vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Deboorã ſibi cuius regerentur iudicio, coaptarunt. Itaque multa millia virorum vna vidua, & in pace rexit, & ab hoſte defendit.* & paucis interpoſitis ſubdit: *In mulieris manu ſummam fuiſſe victoriæ docet Barach filius dicens: Niſi tu veneris mecum, non ibo, quia non noui diem, in qua dirigit Dominus angelum ſuum mecum. Quanta ergò femina iſtius virtus, cui dux dicit exercitus: Niſi tu veneris, non ibo? Quanta (inquã) viduæ fortitudo, quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu, immo ad victoriã, filium ſtudio matris hortatur dicens, quod in manu mulieris ſit ſumma victoriæ.* Ac tandem recẽſet magnanimem Iahelem quæ fortiſſimum Siſaram clauo eius tempora transfigens interfecit. Silentio prætereo inſignem illam Machabæorum matrem, necnon Symphoroſam, & alias ſimiles quæ proprios filios ad martyrij palmam obtinendam perſuaſerũt.

D. Ambroſ.

Varios tamen honores viduis delatos (ſi placet) commemoremus. Elias inter innumeras feminas ad Sarephtanam viduã diuertere diuinitus iuſſus eſt. Nohemi vidua Sancta cum vtraque nuru ſua ſummam à Deo benedictionem cõſequuta eſt, vt habetur lib. Ruth. Mulieris viduæ filium vnicum mortuum reſuſcitauit Eliſæus, & miraculum etiam magnum patrauit de multiplicando oleo, vt illa debita ſolueret. Dominus etiam viduæ filium ad vitam reuocauit, & miſertus illius conſolatus eſt eam, monuitque ne fleret. Iterùm iudicem iniquitatis vocat, qui viduam iudicio non defendit. Denique viduarum precibus commotus D. Petrus Dorcadem defunctam virtute Chriſti Domini reſuſcitat, & viduis reddit eam viuam.

Ruth.

Luca 7.

Ethnicis deinde viduas in maximo honore fuiſſe multis argumentis euinci poteſt. Alcyone nanque, defuncti viri funus ſemper plorans vixit. Vnde Poëtæ fingũt, Iunonem quoque pietate tali commoram fuiſſe, vt Irim nunciam mitteret ad aulam Somni, vt Morphea ad Alcyonem mãdet, quæ ipſam edoceat rem geſtam, cauſamq́; funeris mariti, & conſoletur. Ouidius Metamorph. 11. latiſſimè hanc fabulam proſequitur.

Ouidius.

Omnibus illa quidem ſuperis pia thura ferebat:
Ante tamen cunctos Iunonis templa colebat.
Proque viro qui nullus erat, veniebat ad aras.
Vt què foret ſoſpes, coniux ſuus vtque rediret
Optabat, nullamque ſibi præferret & illi:
Hoc de tot votis poterat contingere ſolum.

Vnde impetrat, vt mutata ipſa in pulcherrimam auem, mariti naufragi corpus inquireret, repertumq́ue roſtri duri nequaquam oſculis fatigaret;

Sed tandem ſuperis miſerantibus ambo
Aliter mutantur fatis obnoxij iiſdem,
Tunc quoque manſit amor, nec coniugiale ſolutum eſt

Fœdus, in alitibus coëunt, fiuntque parentes
Perque dies placidos, hyberno tempore ſeptem
Incubat Alcione pendentibus æquore nidis:
Tu via, tu maris ventos cuſtodit & arcet
Aeolus egreſſu præſtatque nepotibus æquor:

Ex quibus facile colligitur quantum veteres viduali caſtitati tribuerint. Sed & vxor Pici regis Latinorum, defuncto marito, in perpetua viduitate manſit: atque lugens ad mariti funus quem ardenter amabat contabuiſſe a Poëtis fingitur, & pietatis nomine, ad æternam memoriam, à Dijs mutata in locum mari proximum. Ouidius hanc quoque rem inuolutam fabulis narrat Metamor. 14. dicens. *Ouidius.*

Illic cum lacrymis ipſos modulata dolores
Verba ſono tenui mærens fundebat, vt olim,
Carmina iam moriens canit exequialia Cygnus *Cygnus.*
Luctibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit, inque leues paulatim tabuit auras.
Fama tamen ſignat, loco eſt, quem iſte canentem
Nomine de Nymphe veteres dixere coloni.

Nec omittam tertium exemplum, vt tres crateres libando, ſatis faciamus. Quod vt recentius, ita pulchrius. Herſilia fuit Romuli coniux; ea diu maritum luxit, viduaque ſemper manſit, de qua ſic Ouidius Metamorph. 14. eam laudans canit. *Ouidius.*

O è de latio, ò de gente Sabina,
Præcipuum Matrona decus, digniſſima tanti
Ante fuiſſe viri coniux, nunc eſſe Quirini.
Iſte tuos fletus, & ſi tibi cura videndi,
Coniugis eſt, dure Melucum pete, colle Quirino
Qui viret, & templum Romani Regis obumbrat.

Apud Romanos etiam antiquus mos fuit, vt tempore nuptiarum nulla femina quæ bis nupta fuiſſet, permitteretur, quoquomodo nouam ſponſam rangere, ſed tanquam impura ab eo tactu arcebatur.

His omnibus appono digniorem aliam viduitatis laudem, quod virginitati valde affinis, multumque illi perſimilis, immo & quod excellentius eſt, ipſius virginitatis documentum eſſe perhibetur, vt eleganter docuit Diuus Ambroſius in hæc verba: *Nec enim inhonoras viduas debuimus præterire, & à virginibus præconio ſeparare: quas Apoſtolica ſententia cum virginibus copulauit, iuxta quod ſcriptum eſt: Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu: quoddammodo enim magiſterium virginitatis, viduarum valeſcit exemplis, quæ cum viro caſtum cubile cuſtodiuit documento virginibus ſunt, integritatem Deo eſſe ſeruandam: & propemodum non inferioris virtutis eſt, eo abſtinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta reſpuere.* Quod ſi naturali ratione rem hanc metiri licet, quamuis ſæpè in virginibus concupiſcentiam augeat, & deſiderium accendat experiendi cõgreſſum viri, falſa exiſtimatio maioris delectationis, quàm re vera ſit, nihilominus tamen regulariter maiorem ſuſtinent difficultatem ſe continendi Viduæ quàm virgines, vt non obſcure colligitur tũ ex Ariſtotele lib. de Animalibus, dum ait, *quod iuuenculæ corruptæ magis appetunt maritalem amplexum propter rememorationem delectationis:* tùm ex D. Hieronymo de commendatione viduarum, vbi inquit: *Quanto maior eſt difficultas feminis delectationes carnis quondam expertis à voluptatibus abſtinere, tanto maior eſt merces earum:* Conſonat his quod Beatus Ioannes Climacus (id referente D. Bernardino, ſerm. de tribus ſtatibus viduitaris) dicebat, *quod inexpertæ libidinis vitia non tàm acriter tentantur à ſpiritu luxuriæ, ſicut quæ experta ſunt.* Ac tandem Androtius lib. de ſtatu viduali, ait, *quod licet viduæ propter primas nuptias, quibus matrimonium conſumarũt, paratam virginibus aureolam amiſerint, pudicitiæ tamen ſplendida corona decorantur.*

D. Amb. tom. 4 li. de viduis in principio. *1. Cor. 7.* *Ariſtot.* *D. Hieron.* *B. Ioa. Clim.* *D. Bernardi.* *Androtius.*

Cum igitur tot ſint viduitatis encomia, tot prærogatiuæ, tot denique tàm diuina, quàm humana priuilegia, quid quæſo dubitas (ò Vidua) in ſancta viduitate permanere?

nere? vt quid animum tuum ſecundæ nuptiæ ſolicitant? libertate donauit te Dominus,& tu miſera in ſeruitutem vnius hominis redigi contendis? O minus ſapiens cogitatio! Vxor Loth,quia retro reſpexit, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Caue vidua, ne retro reſpiciens, in ſtatuam opprobrij conuertaris. Refert enim Fuluius Androtius de ſtatu viduali, filiam magni Philoſophi Catonis,cum audiret pudicitiam cuiuſdam feminæ bis nuptæ commendari, hanc protuliſſe ſententiam: *felix ac pudica femina non bis nubet*. Quid? quod & plantæ, & animalia viduitatem exemplo ſuo colere monent: vt enim auctor eſt Bercorius verbo *vidua*, Palma fæmella præciſa palma maſcula ſibi cohærente intra triduum ſterileſcit. Turtur etiam (vt idem teſtatur) amiſſo primo conſorte ſecundum non quæritat.

Gen.19. Fulu. Andro. Bercorius verbo vidua in Reductorio verbo imitur.

Verùm in hoc genere argumenti malo viduas, Sanctos Patres auſcultare, quàm me. Diuus Ambroſius libro de viduis hāc egregiam doctrinam in hæc verba nobis reliquit: *Nec aliud reprehenditur,vt aliquid prædicetur: ſed omnia prædicantur,vt quæ meliora ſunt, præferantur. Honorabile itaque coniugium, ſed honorabilior integritas: nam & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit. Quod igitur bonum, non vitandum eſt: & quod eſt melius, eligendum eſt. Itaque non imponitur, ſed præponitur, & ideo benè Apoſtolus dixit; De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do; etenim præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis datur: vbi præceptum eſt, ibi lex eſt: vbi conſilium, ibi gratia eſt*. Et paulò inferius hæc ſubiungit: *Non ergo copula nuptialis quaſi copula vitanda, ſed quaſi neceſſitatis ſarcina declinanda. Lex enim aſtrinxit vxorem, vt in laboribus, & in triſtitia filios generet, & conuerſio eius ad virum ſit, quòd ei ipſe dominetur. Ergo laboribus, & doloribus in generatione filiorum addicitur nupta, non vidua: & dominatui viri ſola ſubditur copulata*. Diuus Auguſtinus libro de bono viduitatis ad Iulianam viduam, hæc magna obſeruatione digna, & huic argumento valdè conſentanea his verbis ſcripſit: *Sancta Ruth, cùm ſemen, quale illo tempore neceſſarium fuit in Iſrael, non haberet; mortuo viro, quæſiuit alterum, de quo haberet. Hæc itaque bis coniugata; ideò Anna vno viro viduata beatior fuit, quia & propbetiſſa Chriſti eſſe meruit. Quam credendum eſt etiam, ſi filios nullos habuit, quod quidem ſcriptura reticendo reliquit incertum, eo ſpiritu præuidiſſe Chriſtum ex Virgine proximè eſſe venturum, quo potuit agnoſcere & paruulum. Vnde meritò etiam ſine filijs, ſi tamen eos non habuit, ſecundas nuptias recuſauit: quia nouerat iam tempus eſſe, quo Chriſto non officio pariendi, ſed ſtudio continendi: nec coniugalibus fœtandis viſceribus, ſed caſtificandis vidualibus moribus, melius ſeruiretur*.

D.Ambroſ. D.Amb.ibid. D.Aug.to.4.

Nonnullis autem interpoſitis hæc ſubiungit: *Inueniſti tamen mater, & filia, cui contemptis nuptijs illa omnibus, tu ſecundis pulchritudine caſtitatis, ſimul placere debeatis. Certè ſi mariti eſſent, quibus placendum eſſet, iam te fortaſſè cum filia puderet ornari. Nunc non pudeat agere quibus ſimul ornemini, quia non eſt criminoſum, ſed potius glorioſum, vt ab illo vno ſimul amemini. Simulatum autem candorem ac ruborem, & pigmentis illitum non adhiberetis, etiam ſi viros haberetis; non putantes dignos, quos falleretis, nec vos quæ fallere deberetis. Nec ergo illi regi, qui vnicæ ſponſæ, cuius membra eſtis, ſpecie concupiuit veraciter ſimul placere. Inhærete illa integritate virginali, tu continentia viduali, ambæ pulchritudine ſpiritali. In qua pulchritudine etiam ſocrus tua, quæ iam ceræm ſenuit, eſt pulchra vobiſcum: vigorem quippe huius pulchritudinis, dum extendit in anteriora charitas, rugam in ea non facit annoſitas*. Denique noſter Sanctus Bernardinus, tom. quarto, ſermone tertio, vt ſuadeat viduas melius eſſe ad ſecundas nuptias non tranſire, hoc genere argumenti vtitur. Vel ſecundus maritus futurus eſt bonus, vel malus; ſi bonus, ſicut primus, ſemper vexabit timor mortis illius; ſi verò malus ſicut primus, neceſſe eſt duplicari dolorem. & infra addit hæc verba: *Si habes filios, vel filias ex primo, vel tuus ſecundus maritus habet filios, vel filias ex prima eius vxore, & tunc tu nunquam habebis pacem, quia ſi tractas filios tuos melius, quàm ſuos, tu eris inimica tui mariti, & filiorum ſuorum; ſi melius tractas ſuos quàm tuos, tu efficieris inimica tuorum propriorum filiorum; & è contra, & ſic tu nunquam*

D.Aug.ibid. S.Bernard. D.Bernard. vbi ſup.

quam habebis pacem. Sed ſublimiori ſtylo Diuus Hieronymus epiſtol. ad Furiam, eandem doctrinam in hunc modum ſuadet: *Si habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis ſterilitatem, & rem incertam certò præfers pudori? ſcribuntur tibi nunc ſponſales tabulæ, vt poſt paululum teſtamentum facere compellaris; ſimulabitur mariti infirmitas, & quod te morituram facere volet, ipſe victurus faciet: aut ſi euenerit, vt ex ſecundo marito habeas filios, domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium. Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aſpicere oculis, quos genuiſti. Clam porriges cibos, inuidebit mortuo, & niſi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quòd ſi de priore vxore ſobolem habens domum te introduxerit, etiam ſi clementiſſima fueris, omnes comædi, & mimographi, & communes rhetorum loci in nouercam ſæuiſſimam declamabunt. ſi priuignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis vt malefica; ſi non dederis cibos, crudelis; ſi dederis, venefica diceris. Oro te, quid habent tantum boni ſecundæ nuptiæ, vt hæc mala valeant compenſare?*

D. Hieron.

Accedunt ad hæc, quæ ſapienter Diuus Fulgentius epiſtol. ſecunda ad Galbam de ſtatu viduarum in hunc modum diſſeruit: *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, vt vnaquæque ſuum virum habeat. De vidua vero dicitur: Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit. Beata ergo quæ illicitum concubitum, turpitudinis horrore non appetit, ſed beatior quæ licitum maiore puritatis amore contemnit. Beata quæ alligata viro ſic viuit, vt ſoli viro carnis ſuæ debitum reddat: Sed beatior quæ ſoluta, ſic permanet innupta, ne debeat. Proinde in eo quod ex coniugata facta es vidua, donum Dei auctum tibi magis exiſtima, non ablatum. Neque enim te deſeruit, qui tibi ſequendam viam vitæ melioris oſtendit. Gradibus te voluit Dominus ad meliora conſcendere, vt primitus coniugata cum vno viro fideliter viueres, quod poſtmodum, ſine difficultate abſque viro vidua permaneres. Ad hoc igitur animum tuum diuina gratia coniugali caſtitate nutriuit, vt quæ didiceras illo vno viuente alterum non quærere, diſceres ab omni viro vidua contineri.*

D. Fulgent.

Ceterùm quia efficaciora ſunt exempla quàm verba, inſignes feminas, quæ viduitatem mirificè coluerunt, in medium producam. Diuus Hieronymus epiſtola ad Furiam ait, Paulæ illuſtri matronæ Romanæ eam laudem meritò tribuendam eſſe; vt defuncto marito ſpretis omnibus carnis illecebris, ac ſæculi huius oblectamentis, nullius rei ſolicitiorem curam adhibuerit, quàm perpetuo ſeruandæ caſtitatis: cuius exemplum ſecuta pulchra eius filia Bleſilla, idem prorſus præſtitit immarura viduitate præuenta. Nec minori laude dignam exiſtimandam cenſeo Melaniam, quæ cùm primum vir eius vitam exhalauit, ante quàm corpus ſepulturæ mandaretur, continuo, & abſque vlla mora viduitatem ſuam Domino conſecrauit. Huic inferiorem non arbitror, Eufraſiam, Romanam etiam feminam, quæ mortuo marito, licet alioquin ætate florida, facie venuſta, nobilitate clara, diuitijs affluens, & ab Imperatore rogata ad ſecundas venire nuptias, id conſtantiſſimè recuſauit, & in Thebaidam ſe contulit, vbi perpetuam coluit viduitatem. Eius perſimile feciſſe legimus Eliſabetham Regis Vngariæ natam quæ viro orbata, regalibus delitijs contemptis, in curandis pauperibus infirmis tota incubuit, nullũ præter diuinũ admittens ſponſum, quem in ſingulis illis egenis contemplabatur. Sed clarior adhuc ac mirabilior extitiſſe perhibetur Conſtantia Conſtantini Imperatoris filia, quæ à viro ſuo Helicano, exercitus Romani ſupremo Duce, precibus ſuis obtinuit, vt baptiſmatis fonte ablutus perpetuam caſtitatem voueret, vt hac ratione ipſa, & vxorata, & virgo maneret. Accedit quod Cornelia Africani filia, & vxor Tiberij Gracchi, quæ defuncto ſuo conſorte regis Ptolemei nuptias ſpreuit. Sed nec ſilentio præteribo Gallam, Simmachi conſulis filiam, clariſſimam feminam, quæ cum vidua facta moleſta quodam lepræ genere laborare inciperet, & à Medicis frequenter moneretur ſecundas nuptias celebrare, alioquin nuſquam ab ea infirmitate liberandam; illa quidẽ bono genio, & ſpiritu afflata, vidualem continentiam tanti fecit, vt propriæ ſaluti & vitæ illam præferens, maluerit ſanitate & vita, quàm caſtitate viduali priuari. His adnecto Romanam

D. Hieron.

manam aliam nobilem Matronam, nomine Annam, ſingularem pudicitiæ adamatricem, quæ importunis precibus à conſanguineis ſuis obſecrata, vt iteratò matrimonium contraheret, ipſa renuit, hanc proferens ſententiam: *Aut futurus mihi maritus bonus, vel malus euadet; ſi bonus, in continuo timore illum amittendi ſemper verſabor; ſi verò malus, expedit magis mihi malum hoc non experiri.*

Huic prudenti ſententiæ non diſſimilis fuit illa alia Olimpiæ, Sancti Ioannis Chryſoſtomi fideliſſimæ diſcipulæ, Conſtantinopolitanæ viduæ: quæ cum per annum & dimidium dumtaxat vir eius poſt initum matrimonium ſuperuixiſſet, & ab Imperatore Theodoſio virum alium accipere moneretur, ſapienter reſpondit; *ſi Dominus voluiſſet me viro nuptam eſſe, non tàm cito illo me orbaſſet: quia ergo agnouit, non amplius expedire mihi coniugium, coniugem abſtulit, quomodo nunc credam expedire, vt viro nouo coniungar?*

D.Hier. His adnecto quæ Diuus Hieronymus epiſtol. ad Ageruchiam in hunc modum ſcripſit: *Legimus in veteri teſtamento ſemel maritatas filias ſacerdotum, ſi viduæ fuerint, veſci debere de ſacerdotalibus cibis, mortuiſque ſic à patre exhibendum inferiarum officium; ſin autem alios viros acceperint, alienas eas & à patre & à ſacrificijs fieri, & inter externas debere deputari. Quod quidem obſeruat, & gentilitas in condemnationem noſtri; ſic? hoc non exhibeat veritas Chriſto, quod tribuit mendacium Diabolo, qui & caſtitatem reperit perditricem? Hierophanta apud Athenas euiratur, & æterna debilitate fit caſtus. Flamen vnius vxoris ad ſacerdotium admittitur. Flaminica quoque vnius mariti eligitur vxor. Ad tauri Aegyptij ſacra ſemel maritus aſſumitur. Vt omittam virgines Veſtæ, & Apollinis, Iunoniſque Achiuæ, & Dianæ ac Mineruæ, quæ perpetua ſacerdotij virginitate marceſcunt. Stringam breuiter Reginam Carthaginis, quæ magis ardere voluit, quàm Hiarbæ regi nubere; & Haſdrubalis vxorē, quæ apprehenſis vtraque manu liberis, in ſubiectum ſe præcipitauit incendium, ne pudicitiæ damna ſentiret; & Lucretiam quæ amiſſa gloria caſtitatis, noluit pollutæ conſcientiæ ſuperuiuere.*

Quod ſi quiſpiam conanti mihi viduitatem ſectandam perſuadere, obijciat illud Diui Pauli 1. ad Timoth. 5. *Volo viduas iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe*, ſciat ibi loqui Apoſtolum de viduis vagis, ac petulantibus de quibus ipſe prædixerat, *cum luxuriatæ fuerint, nubere volunt*: Talibus vtique expedit nubere, quoniam matrimonium non ſolum eſt in officium naturæ, ſed in remedium concupiſcentiæ; vnde & Apoſtolus dixit prima Corinthiorum ſecundo; *Melius eſt nubere, quàm vri.* in quæ verba D. Ambroſ. libro de viduis inquit; *vtique pro remedio nuptias ſuaſit, vt peritura ſanetur, non pro electione præſcripſit caſta & continens quid ſequatur; aliud eſt enim ſubuenire labenti, aliud ſuadere virtuti.* Prædictam autem Paulini loci expoſitionem legitimam eſſe D.Auguſt. teſtatur his verbis: *Cur hoc dixerit, pandit Apoſtolus, cum adiungit, & dicit, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia; iam enim quædam conuerſæ ſunt retro poſt Satanã: vt his verbis eius intelligamus, eas quas nubere voluit, melius poſſe continere, quàm nubere: ſed melius nubere, quàm retro poſt Satanam ire, ideſt, ab illo excellenti virginalis, vel vidualis caſtitatis propoſito in poſteriora reſpiciendo cadere & interire. Proinde quæ ſe non continent, nubant, antequàm continentiam profiteantur, & ante quàm Deo voueant; quod niſi reddant, iure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit; Cum enim in delitijs egerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: ideſt, voluntatē ad nuptias, à propoſito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, quam prius vouerāt, quod perſeuerantia implere noluerunt.*

1. ad Timot. 5

Ad Timot. ibidem.

1. Corinth. 2.

D. Amb.

D.Auguſt.

Per hæc tamen nō nos dānare intendimus viduas, ad ſecundas nuptias tranſeuntes; non tranſeuntes tamen magis prædicandas aſſerimus iuxta D.Pauli, & Auguſtini doctrinam, qui lib. de bono viduitatis ad Iulianam ait: *De tertijs & de quartis, & de vltra pluribus nuptijs ſolent homines mouere quæſtionē. Vnū breuiter reſpondeam: nec vllas nuptias audeo dannare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre. Sed ne cuiquam breuitas huius reſponſionis meæ fortè diſpliceat, vberius diſputantem reprehenſorem meum audire paratus ſum. Fortaſſis enim affert aliquam rationem, quare ſecundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur: nam & ego ſicut in exordio ſermonis*

D. Aug tom. 4. ad Iulianā.

Digitized by Google

nis huius admonui, non audeo plus ſapere, quàm oportet ſapere. Quis enim ſum, qui putem definiendum, quod nec Apoſtolum video definiſſe? Ait enim, mulier alligata eſt legi quādiu vir eius viuit: Non dixit, primus, aut ſecundus, aut tertius, aut quartus: ſed mulier, inquit, alligata eſt, quādiu vir eius viuit; ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt; cui vult, nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, ſi ſic permanſerit. quid huic ſententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi, vel detrahi poſſit ignoro. Ecce non damnatur quæ ad ſecundas nuptias tranſit, feliciorem tamen ac beatiorem quæ ab hoc tranſitu ſe abſtinet, Apoſtolicum eloquium perſpicuè conteſtatur.

Quia tamen in promptu eſt multarum viduarum reſponſio, aſſerentium, defunctis viris multis periculis expoſitas manere, & ſubſidijs quæ ab eis ſubminiſtrabantur penitus priuatas; & ideo vt eam iacturam reſarciant, opus ſibi eſſe ſecundas nuptias quærere: occurrit ſapienter huic vanæ excuſationi D. Ambroſ. in hæc verba: *Cum in omni terra eſſet fames maxima, Viduæ tamen Deo cura non defuit; ad alēdam eam Propheta directus eſt:* & quibuſdam alijs interpoſitis ſubiūgit: *Non enim duobus deſtituta filijs & marito, quæ fructus fæcunditatis amiſerat, pietatis emolumenta perdidit. Nam & ſolatium mæroris, & ſubſidium paupertatis inuenit. Videtis igitur ſanctæ feminæ, quàm fecunda ſit vidua prole virtutum, meritorumque ſuorum ſobole, quæ perire non poſſit. Bona igitur vidua egere non nouit: & ſi feſſæ fuerit ætatis, & ſupremæ paupertatis, eruditionis tamen ſuæ ſolet habere mercedem: & ſi proximi defuerint, inuenit tamen extraneos, qui matrem colant, reuereantur, paruiſque alimentorum ſumptibus mercedem cupiant ſuæ commendationis acquirere. Plus enim viduæ rependunt merita, quàm cibus quærit, ſumptus impendit. Sed triſtes videtur ducere dies, & lacrymis tempus exigere. Hoc beatior, quòd perpetua ſibi gaudia exiguis fletibus emit, paruiſque momentis tempora acquirit æterna.* Hactenus Diuus Ambroſius.

D. Ambr. de viduis. 3. Regum 17.

D. Amb.

Poſtquàm tamen multis conati ſumus hucuſque viduitatem perſuadere, operæpretium iam erit, quibus præcipuè virtutibus eius cultrices præfulgere debeant, breuiter oſtendere. In primis oportet eas caſtitatem amplecti, & ab omni viri ſuſpecto conſortio ſe abſtinere, vt & nomen ipſum viduæ præ ſe fert. *Vidua* enim à multis dicitur *ſine dualitate*, ſicut Vecors, idem eſt quod *ſine corde*, & Væſanus, *ſine mentis ſanitate*, vt habetur in lege malum S. vuluam. ff. de verborum ſignificatione; vel vt alijs placet, *Vidua*, dicitur quaſi *Idua*, hoc eſt, à viro diuiſa. Iduare enim Ethruſca lingua *diuidere* eſt. Viduæ igitur nomenclaturā diuiſionem, ac ſeparationem à viro apertè ſatis indicat. Ad te ergo, ò vidua, dicitur: *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*, Vnde cum iam primum illud tempus acceperis, ne contemnas, oportet accipere ſecundum: in primo illo tempore adhæſiſti homini, in hoc ſecundo felicius adhære Deo, & cane læta cum propheta, *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam*; ſic enim Apoſtoli documentum obſeruabis dicentis, *quæ autem vere vidua eſt, & deſolata, ſperet in domino, & inſtet in obſecrationibus, & orationibus nocte & die*; alioquin libidini vacans audies Diuum Auguſtinum libro de bono viduitatis dicētem: *Quando pro delitijs nuptiarum, quas in carne virorum habent, aliarum carnalium delitiarum, tanquam in ſolatio vſus aſſumitur, quæ ego dicam quæ ſequantur mala, cū breuiter Apoſtolus dixerit, viuentem mortuam eſſe viduam quæ in delitijs viuit.* Vt autem idem magnus Doctor Sanctus Auguſtinus ad caſtitatem ſectandam viduas commoneret, hac ratiocinatione vtitur, ibidem: *Nonnullæ feminæ, nuptias cogitantes, & ardenter optantes, dum ſpernuntur, aut differuntur, repente ſenuerunt, vt eas nubere iam puderet amplius, quàm liberet. Multæ autem nuptæ recentiſſima ſua coniunctione, in longinquum profectis viris ſuis, reditum eorum expectando, grandeuæ factæ, & tan quam cito viduatæ aliquando nec remeantes, ſaltem ſenes ſuos anus ſuſcipere meruerunt. Si ergo vel ſpernentibus, vel tardantibus ſponſis, vel peregrinantibus maritis, carnalis concupiſcentia potuit contineri, ne ſtuprum, aut adulterium committeretur, cur contineri non poteſt, ne ſacrilegium committatur? ſi repreſſa eſt, cum ferueret dilata, cur non opprimitur cum friguerit amputata? Plus enim ardenter ferunt*

Eccleſ. 3.

Pſal. 72.

1. Timo. 5.

D. Auguſt.

D. Aug. 44.

D. Aug. ibid.

D. Aug. ibid.

runt libidinem, quæ non deſperant eiuſdem voluptatem. Quæ autem innuptarum caſtitatem Deo vouent, ipſam ſpem ſubtrahunt quæ fomes amoris eſt. Vnde facilius concupiſcentia refrænatur, quæ nulla expectatione ſuccenditur, contra quam tamen niſi oretur, vt ſuperetur, ipſa illicita exoptatur ardentius.

Iſaias cap 4. — Iſaias Propheta c.4. vt ſignificaret caſtitatem, viduitatis indiuiduam comitem eſſe debere, dixit, *Venerunt tibi hæc duo ſimiliter, ſterilitas & viduitas*. Sed proh dolor! Sunt non paucæ dicentes quod

Iſaias ibid. — propheta ibidem ait: *non ſedebo vidua, & ſterilitatem ignorabo*, immo quod turpius eſt, non deſunt quæ dicere non verentur

Apoc.18. — illud Apocal. 18. *Sedeo vt regina, & vidua non ſum*. Equidem ſi Spiritus ſanctus dixit: *Muſica in luctu importuna narratio*, cum lugubri viduæ ſtatu voluptatis & libidinis Tympanum admiſceri, non ſolum importuna, ſed valde execranda abominatio cenſeti debet. Perpendat ergo vidua

D.Hier.epiſ.9. — laſciuiens, quæ Diuus Hieronymus epiſt. ad Saluinam ſcripſit: *Tu verò quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, quæſitam purpuriſſo, & ceruſſa faciem ſuper feretrum eius, lacrymis diluiſti, quæ pullam, tunicam, nigroſque calceolos candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione ſumpſiſti, nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeuerare in ieiunio. Pallor, & ſordes gemmæ tuæ ſint: plumarum mollitıes iuuenilia membra non foueat; balnearum calor nouum adoleſcentulæ ſanguinem non incendat.*

Vt tamen vidua religioſum viduitatis ſtatum perſeuerantet conſeruet, oportet in primis ab omni ornandi, & comendi ſe cura longè alienam eſſe; etenim de habi-

D.Fulgent. — tu earum loquens D. Fulgentius epiſt. ſecunda ad Gallam de ſtatu viduarum ait: *Si ſanctæ mulieres, etiam coniugatæ, nō ſunt monilibus comendæ ſed moribus, & eo magis humilitate debent ornari, quàm veſte. qualis debet eſſe viduæ habitus & inceſſus, quæ non homini viro cupit placere, ſed Chriſto? quæ neceſſitate corporalis abſoluta connubij, ſpiritualia tantum debet ornamenta ſectari? Habitus ergo talis ſit, qui non ad laſciuiam excitet, ſed ad continentiam prouocet: qui non alliciat ad libidınem, ſed comprimat ad timorem; qui non accendat carnis concupiſcentiam, ſed extinguat.* His adiungit quædam alia caſtitatis adminicula, viduis valdè curanda, Dioniſius Ri-

Dioniſ. Richel. — chel tractatu de laudabili vita viduarum, articulo quinto, dum ait: *Cum iuxta doctrinam Apoſtoli, vidua quæ in delicijs viuit, mortua eſt, ad viduas ſpectat mundanas conſolationes contemnere, ſenſuales delectationes abijcere, cachinnationes, loquacitates, diſſolutiones vitare, in cibis, & potibus, neceſſitatem naturæ, non voluptatem guſtus optare; in veſtibus quoque, lectiſternijs, ac ſomno, non molliciem carnis, aut ſuperfluam repauſationem, ſed ſolam decentiam, indigentiamque naturæ exquirere.*

Vt autem viduæ ad hæc exequutioni man-

D.Antoninus — danda magis excitentur, Diuus Antoninus 3. par. ſummæ Theologicæ tit.2. cap. 3. de ſtatu viduarum, hæc ſcripſit: *Lucas narrat quod Chriſtus reſpiciens vidit immittentes dona in gazophylacium plurimos; Vidit autem quandam & viduam pauperculam inijcientem duo æra, & dixit: omnes enim hi ex abundanti contulerunt dona Dei, illa verò ex defectu ſuo per totam vitam, quod habebat, dedit. Patet hic, quod duo æra dat vidua, quæ etiã ſi minima ſint, & quibus minora nemo intulerat: tamen omnia alia bona parua habentur, vel ſi placet, partem ſimplici obtinuerunt ad duplum. Caſtitas itaque matrimonialis non niſi vnum æs infert; & tribuit Deo, tametſi filios gignat plurimos, & plurima dare videatur. Atqui caſtitas viduális, ex animo ſancto, quæ habet dat, & duo dat æra: nam virginitatem, quæ omnia ſuperat, & tria offert æra, vt perfecta in trino illa offerre non poterat. Vt igitur viduæ inferant duo æra Templo, per totam vitam caſtè degant, deficientemque ſibi virginitatem appetant.*

Oportet deinde, vt ſancti Patres obſeruarunt, viduas auaritiæ non inſeruire, ſed

D.Auguſt. — in pauperes liberales exiſtere. Vnde D. Auguſtinus lib. de bono viduitatis tradit ſe experimento comperiſſe, quanto nonnullas viduas carnis voluptates cōtempſiſſe, tanto in pecuniarum amore exarſiſſe. Verba eius tanto Doctore digna hæc ſunt: *Abſit autem à vobis, vt diuitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, & in cordibus veſtris nummus pro viri amore ſuccedat: Intuentes enim hominum conuerſationem, ſæpe experti ſumus, in quibuſdam laſciuia compreſſa, creuiſſe auaritiam. Nam ſicut in ipſis ſenſibus corporis*

acu-

acutius audiunt qui non vident, & tangen-
do multa diſcernunt, nec tanta viuacitate
tangunt qui oculis vtuntur; vbi intelligitur
ex vno aditu, id eſt, luminum repreſſa in-
tentione, ſentiendi vim in alios ſenſus prom-
ptiorem dignoſcendi acumine exerere, tan-
quam ex altero conetur implere quod nega-
tur in altero. Ita etiam ſæpè carnalis cu-
piditas à concubendi voluptate cohibita
maioribus viribus in pecuniæ ſe porrigit ap-
petitum, & illinc auerſa, huc ſe impetu ar-
dentiore conuertit. In vobis autem amor
diuitiarum ſimul frigeſcat cum amore nu-
ptiarum, & pius vſus rerum, quas poſſide-
tis, ad ſpirituales delitias conferatur; vt li-
beralitas veſtra magis ferueat adiuuandis
egenis quàm ditandis auaris. Longe igi-
tur vidua omnem auaritiam à ſe repel-
lens, expeditiorem ſe reddet ad ſubue-
niendum pauperibus de facultatibus ſuis.
D. Amb. Vnde D. Ambroſ. in lib. de viduis in prin-
cipio dixit: *Salubre eſt inſuper, præceptum*
quoque hoſpitalitatis aduertere, vt hoſpi-
tibus deſeramus, quia nos quoque ſumus ho-
ſpites mundi. Quàm vero ſancta vidua,
quæ cum fame vrgeretur extrema, venera-
tionem Deo debitam reſeruabat: nec ſoli ſi-
bi vſurpabat alimenta, ſed cum filio diui-
debat, nè caro pignori ſuperuiueret, magnum
pietatis officiũ, ſed religionis vberius. Nam
ſicut neminem filio oportuit anteferri, ita
propheta Dei & filio præferri debuit & ſa-
luti. Cui non exiguum victum, ſed vitæ
ſuæ omne ſubſidium exiſtimanda eſt detuliſ-
ſe, quæ nihil reliquit ſibi: tàm hoſpitalis, vt
totum daret; tàm fidelis, vt cito crederet.
D. Ambr. vbi ſup. Luca 21. Et inferius eodem lib. ſubdit: *Docuit ſcri-*
ptura, quàm miſericordem in pauperes, &
liberalem eſſe conueniat, nec paupertatis de-
bere contemplationem reuocari: quia libe-
ralitas non cumulo patrimonij, ſed largita-
tis definitur affectu. Denique *Dominica,*
voce illa vidua omnibus antefertur, de qua
dictum eſt: Vidua hæc plus omnibus miſit.
In qua moraliter Dominus inſtituit vni-
uerſos, nè quis à collatione miniſterij pau-
pertatis pudore reuocetur; nec ſibi diuites
blandiantur, quod plus videantur conferre,
quàm pauperes. Vberior eſt enim nummus
à paruo, quàm theſaurus à maximo: quia
non quantum detur, ſed quantum reſideat,
expenditur. Nemo plus tribuit, quàm qui
nihil ſibi relinquit. Quid tu diues egeni com
paratione te iactas? & cum tota onereris
pretioſam per humum trahens veſtem, quaſi
inferior tuis, & parua diuitijs honorari de-
ſideras, quia inopem collatione viciſti? Et
flumina ſuperfluunt, cum redundant, gra-
tior tamen hauſtus è riuulo eſt. Spumant &
muſta dum feruent, nec damnum putat a-
gricola quod defluxerit. Gomentibus areis
dum ceditur meſſis, frumenta defolliunt, ſed
deficientibus meſſibus, non defuit hydria de
farina, & plena olei teſta deſudat. Exi-
naniuit tamen dolia diuitum ſiccitas, cum
viduæ pauxillulum olearium redundaret:
Demum Diuus Paulus prima ad Timoth. 1. Timoth. 5.
5. inter alia quæ viduis documenta tra-
dit, illud aſſignat, vt ſi filios habent, bo-
næ illorum educationis ſolicitam curam
gerant: Vnde Diuus Antoninus 3. parte D. Antonin.
ſummæ Theologicæ tit. 2. capitulo tertio,
de ſtatu viduarum ait, *Talis verò vidua*
debet filios educare, ſi habet, diligenter in
timore Domini, vt illa venerabilis quæ ha-
buit ſeptem filios, & eos hortabatur ad mar
tyrium potius, quàm relinquerent legem
Dei, vt habetur ſecundo Machabæorum 2. Mach. 7.
cap. 7. Et Regina Blancha quæ frequenter
admonebat filium Ludouicum Regem Fran
ciæ, nè vnquam alicui peccato mortali con-
ſentiret: Conſonant his quæ D. Bernardi- D. Bernard.
nus tom. 4. ſerm. 3. viduas admonebat di-
cens: *Et tu vidua ſis ſolicita in faciendo fi-*
lios tuos confiteri & capere corpus Chriſti,
cum ſunt intra dies diſcretionis, videlicet, ſi
eſſet femina in duodecimo anno, ſi maſculus
in quarto decimo anno, & non cures facere
tuis filijs veſtes fiambellatas, & ſi habes
filiam, tu vidua, nunquam dimittas ipſam
ſine te: & ſi vadis ad Miſſam, vel ad præ-
dicationes, ſemper ipſam ducas tecum, quia
ſi dimittas ipſam domi, tu finaliter reperies
ipſam prægnantem.

Nè tamen in enarrandis ornamentis,
quibus Viduæ interius & exterius perpo-
litas eſſe oportet, prolixiorem quàm par
eſt ſermonem faciam, ea quæ breui ora-
tione complexus eſt D. Clem. Papa lib. 3. Clem. Papa.
Conſtitutionum Apoſtolicarum capitulo
3. hic recitabo. Alludens enim ad verba il
la D. Pauli primę ad Timoth. 5. *Viduas ho-* 1. Timoth. 5.
nora quæ vere viduæ ſunt, ait: *Vere ſunt*
viduæ, quæ vni nuptæ fuerunt, plurimorum
teſtimonio probatæ, bonis operibus intentæ,
Viduæ re vera temperatæ, caſtæ, fideles, piæ,
quæ benè liberos educauerunt, & laudabili-
ter hoſpites receperunt, quibus opem ferre
oportet

Ibidem. *oportet tanquam Deo dicatis*. Et ſubdit capite 5. *Sit omnis vidua mitis, placida, proba, malitiæ expers, non iracunda, non loquax, non vociferatrix, non procax, non maledica, non verborum anceps, non bilinguis, non curioſa; ſed qui vidit, vel audiuit, quod fuerit minus tecum, perinde ſit, ac ſi id non viderit, vel audiuerit; Neque vlla alia res viduæ ſit curæ, quàm orare pro his qui ſubſidia miniſtrant, & pro vniuerſa Eccleſia*. Quæcunque igitur vidua agnoſcere deſideras, an vera, vel falſa vidua ſis, in horum ſanctorum Patrum doctrinam tanquam in lucidiſſimo ſpeculo, teipſam intuere; facile enim inde tuæ viduitatis veritatem, aut falſitatem venari poteris. quòd ſi maculas conſpexeris, abſterge; ſi decorem & pulchritudinem, gratias age Chriſto Domino, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE

DE FVGA CHRISTI DOMINI, MARIAE, ET IOSEPHI

IN AEGYPTVM, AC DE SACRIS ARCANIS IN EA LATENTIBVS.

LIBER NONVS.

Homilia Prima.

IESV, MARIÆ, ET IOSEPHI IN ÆGYPTVM fugientium, Prophetarum vaticinia, prædictiones, & figuræ apponuntur.

DE fuga Chriſti Domini, ac Beatiſſimæ Virginis, nec nō chariſſimi eius ſponſi Ioſephi in Aegyptiacam plagam lōgum ſermonem habituro placet, ne debiti ordinis metas tranſilire videar, a vaticinijs, & figuris fugam hanc prædicentibus, & adumbrantibus exordiri. Eucherius nobilis auctor, Hom. de Innocentibus, inter alia multa quibus Moyſem typum Chriſti Domini geſſiſſe docet, ſpecialiter commemorat, quod ſicut in Aegypto multi infantes propter Moyſem in aquis fluminis iuſſu Pharaonis interierunt, ita & infantes propter Chriſtum in Iudæa ſæuitiam Herodiani gladij ſuſtinuerunt. Narrat deinde ex Ioſepho, quod quidam ſacerdos Aegyptiorum vaticinatus fuerat, ante ortum Moyſis infantem quendam naſciturum, per quem Aegyptus deuaſtāda erat; vnde illud conſilium ei dedit, vt interficeret omnes Hebræorū infantes, vt ſic vnus ille inter eos occideretur: poſtea verò natus fuit Moyſes, pulcherrimus infans, qui ne cum reliquis infantibus periret, à parentibus fuit occultatus: & tandem non ſolū in infantia de capite Pharaonis quaſi ludens regium diadema auferens in terra proiecit, ſed & ipſum & exercitum eius in mari rubro grandior effectus demerſit. Nō diſſimiliter impius Herodes Pharaonicæ immanitatis verus ęmulator Chriſtum infantem perſequutus eſt, & vt illum vnum interficeret, plurimos Hebręorū infantulos gladio confodit: verùm à parentibus Maria, ſcilicet & Ioſepho occultatus, è manibus eius velut Moyſes è manibus Pharaonis, liber euaſit, & a Regni Imperio infelici morte eūdem Herodē infans deturbauit.

Eucherius. Ioſephus.

Diuus Auguſtinus illa Exodi elucidans verba *Non coques hædum in lacte: matris ſuæ*: præſentis myſterij vaticinium continere arbitratur, dum ait: *Intellectum de Chriſto approbo, quod hac prophetia prædictus eſt non occidendus a Iudeis Infans, quando Herodes quærens eum vt occideret, non inuenit*. hanc expoſitionem ſequitur Angelicus Doctor. 1.2. q. 102. ar. 6. ad 4. & multi etiam alij ex iſtorū Patrum ſentētia tradūt, ꝙ licet in ſenſu litterali præceptum illud non coquendi hędum in lacte matris ſuæ

D. Aug. q. 90. ſuper Exodū. Exodi 23. Matth. cap. 2. D. Thomas.

ſuæ impoſitum eſſet Iſraelitis, eò quod crudelitatem redoleret, lac quod hædi eſt alimentum, eidem vertere in tormentum; vel certè (vt alijs placet) quia huiuſmodi coctione ſolebant Idolorum cultores ſimulacra ſua venerari, ideo ab illa ſe abſtinere Iudæis præcipiebatur: in ſenſu tamen miſtico ſatis appoſitè de Chriſto intelligitur in infantili ac lactea ætate minime morituro, vt prædicti Patres adnotarunt.

In libro primo Regum aliam etiam huius myſterij ſingularem imaginem inuenio, dum capitulo vigeſimo Sacer textus commemorat, veniſſe Regem Dauid in Ciuitatem Naioth, vt liberaret eam, & continuò coactum fuiſſe fugam arripere, ne in Saulis manus infeſtiſſimi ſui hoſtis traderetur: non diſſimiliter venit Rex gloriæ Chriſtus liberare Iſraelem, & confeſtim qui refugium eſt noſtrum, à facie Herodis fugit, & in remotiſſimam Aegypti regionem ſe abſcondit. 1. Reg. 20.

Itaq; tūc Herodes perſuaſus fuerat, adueniſſe tempus inſtaurandæ vniuerſitatis, quę à Chriſto creata, recreari expectabat; iam hebdomades Danielis impletas, iam ſceptra Iacobæa ad proſelytos tranſlata; iam & peccatum ipſum ad menſuram vſque patrum completum, ab ipſius Rabbinis, vel nolētibus fieri, confitentibus tamē intelligebat, proinde in ianuis eſſe promiſſum Meſſiam; qui de monte ſine manibus exciſus, nouum Imperium, excelſum ſuper omnes montes eleuatum conderet, atque eleuaret: metuebat deinde ſuis ſceptris, quæ præcario vſurpabat, ne quis Hebræorum gentilis è manibus eriperet, & genti iam Romanis adſtrictę reſtitueret. Stimulos addebant nuper viſa lumina in media nocte, auditæ voces Angelorum in ſublimi canentium, viſi Paſtores, Pontifices, Prophetæ, Reges ab ignoto orbe, qui iam iam natum accurſu, voce, linguarum fauentia muneribus inſuper, quæ nec Magno Alexandro ſemper ad manum, quendam puppum in ſtabulo Bethlehemico, inter belluas ſordidas repoſitum attollebāt: Acriores tamen illi erant ignes à Sanhedrino Concilio, à quo edicta quaſi oracula diuina ſuſcipiebantur, quorum Doctores circumſtantias à vatibus expreſſas, rebus quæ tunc vulgabantur, ſcilicet tempus tempori, ſigna ſignis, locum loco componentes, vel inuiti pronunciabant à Bethlehem ſtabulo naſciturum Aſſertorē libertatis; & quaſi prædorans hunc ipſum eſſe quem diariæ notæ, iā vulgatæ apertè prodebāt, acriter infantē Ieſum perſequitur. Quemadmodū autem Ionathas, qui Dauidem ardenti amore proſequebatur, à morte quam Saul ei machinabatur, ſingulari cura, ingēti q; vitæ ſuæ periculo liberauit; ita ſanctiſſimus Ioſeph verū Dauidē, Chriſtum Ieſum ardenter amans, à nece quam impius Herodes ei inferre moliebatur, diligenter eripuit: meliusq; & confidentius quàm Ionathas dicere potuiſſet infanti, quod ille ad Dauidē: *Abſit, non morieris*. 1. Reg. 20.

Verùm & aliam expreſſiorem figuram myſterium hoc adumbrantem refert Propheta Iſaias cap. 16. dicens: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Et erit ſicut auis fugiens, & pulli de nido euolantes*: verba hæc multis ſacramentis plena oportet ex profeſſo explicemus. Et quidem in primis Rabbi Ioſeph, quem ſequitur Hugo Cardinalis, putat quòd vt habetur libro quarto Regum, Rex Moab pendebat Regi Iſraeli mille agnorum tributum, qui ex quadam Vrbe, nomine *Petra deſerti*, conducebantur. Vnde iuxta hanc intelligentiam, quod petit Propheta, eſt, vt mittentes agnos, ſoluant debitum tributum. Subſcribunt huic expoſitioni Pagninus, & Briſcianus, & eiuſdem ſcholiaſtes. Sed non video certè quomodo cum hac intelligentia cohæreant ſequentia verba: *& erit ſicut auis fugiens, & pulli de nido euolantes*: immò nec qua ratione eandem ſuſtinere poſſint priora verba: nam ſi agni mittendi in tributum, erant centum millia, minime poſtulaſſet Propheta, vt mitteret agnum vnum. Vnde ſanctus Hieronymus, & alij non pauci, qui illum ſequuntur, interpretantes illa verba de Chriſto, per *petram deſerti*, intelligunt feminam illam Ruth, quæ defuncto marito manſit velut petra deſerti, hoc eſt ab omni conſortio, & humano ſolatio deſerta. Alij vero intelligunt Ciuitatem, in qua nata fuit Ruth, quæ, vt ipſi putant, & ſupra dicebam nuncupatur, *Petra deſerti*: & quia capite immediatè præcedenti Propheta Iſaias vaticinatus fuerat euerſionem Moab, precatur modò Deum, vt non penitus il-

Iſaias 16. Rabbi Ioſephi Vgo Card. Rabbi Ioſeph c. 17. Iſaia. 4 Reg. 3. Iſai. 16.

lam euertat, ſed vt minimum incolumem
ſeruet terram illam, quæ ad ipſum ex o-
rigine matris pertinere debebat. Sed
quia cum hac etiam interpretatione
nulla ratione conueniunt ſubſequentia
verba illius vaticinij; ideo alij aliam
viam ingrediuntur, intelligenres per *de-
ſertum* ipſum Cælum, habetq; fundamen-
tum in eo quod Chriſtus Dominus cum
dixit ſe reliquiſſe in deſerto nonaginta
nouem oues, & vnam ſolam errantem
veniſſe quærere, quæ ab eo fugerat, cer-
Matth. 18. te per *deſertum* (vt omnes Interpretes v-
nanimiter dicunt) intellexit Cælum
Empyreum, vbi Angeli habirabant: per *pe-
tram* autem intelligunt perſonam Patris;
Pſal. 27. ſic enim appellauit illum Dauid Pſalm.
27. nam vbi Vulgata noſtra vertit *Deus
meus*: Originale Hebræum legit, *petra
mea*: de qua etiam idem Dauid dixit:
Pſal. 103. *petra refugium herinaceis*. hæc igitur petra
inſtar petræ aquilinæ genuit intra viſcera
ſua petram aliam, hoc eſt, filium, iuxta mē-
1. Corint. 10. tem D. Pauli dicentis: *Petra autem erat
Chriſtus*, & hanc poſtulat Propheta ſibi
mitti. Quod ſi quiſpiam obijciat, quomo-
do ergo non petit vt mittat petram de pe-
tra, ſed agnum de petra; maximè cum in-
auditum ſit petram agnū parere? Arbitror
quidem, conſultò vocaſſe illum agnum nō
petram, vt ſignificaret per beneficium in-
carnationis Verbi diuini id præſtandū fo-
re, vt qui antea precibus Prophetarum, la-
crymis Patriarcharum, gemiribus Regum,
& ſuſpirijs ſanctorum hominum velut pe-
tra induruerat, & quaſi inexorabilis exti-
Luca 1. terat, iam auditis Mariç verbis: *Ecce ancil-
la Domini*, adeò molleſceret & exorabilē
ſe redderet, vt infanrilem ac tenerrimam
carnem indueret, quæ nulli reſiſtere nouit
imo, & inſtar manſueti Agni percuti ſe
ſineret, vſq; ad ſanguinis effuſionem. Itaq;
quia qui antea lapide adamantino durior
fuerar, cera ſuauior, & butyro ipſo mollior
futurus erat; idcirco non petram de perra,
ſed agnum de petra illum nūcupauit. Ad-
iungens autem Propheta, *dominatorem ter
ræ*, ſatis vriq; ſignificauir in Chriſto Do-
mino cum ſumma eius manſuetudine cō-
iungendam fore inuincibilem porentiā, &
ſupremū dominiū, quod propriū eſt boni
principis, vt docuit inſignis ille Chilon,
Laer. de Chilon lib. 1. c. 4. quē refert Laertius dixiſſe, in rege poten-
tiæ adiungendam manſuetudinem, vt à
ſuis princeps non tàm metum extorqueat,
quàm impetret reuerentiam. Subdit dein-
de Prophera, vt mittat agnum hunc domi-
narorem ad *montem filiæ Sion*, hoc eſt, ad
B. Virginem, quæ celſitudine meritorum
ſuorum mons eſt in vertice montium; cum
non ſolum ſublimitate dignitatis mater-
næ, ſed & cæleſtium chariſmatum excel-
lentia ſanctos omnes longè tranſcendat:
ac tandem concludit quod noſtro argu-
menro mirum in modum inſeruit: *& erit
ſicut auis fugiens, & pulli de nido auolātes*:
quaſi dicat: nondum tener paſſerculus
hoc eſt, Chriſtus infans à materno vtero
prodierat, & ecce impium ac crudelem
aucupem Herodem intra mortis laqueum Iſai. 16.
illum irretire ſatagentem, adeò vt mater-
næ domunculæ nido deſerto in longinquā
Aegypti regionem exul cum matre auo-
lare quaſi compellarur. Olim in Deutero- Deut. 22.
nomio (id iubente Domino) ſi quis nidū
auis inueniſſet, & matrem pullis incuban-
tem, pullos quidem capere poterar, ſed
matrem abire ſinebat & auolare: at hunc
ſacratiſſimum columbæ immaculatæ ni-
dum noluit Deus, vt inueniret crudelis
Herodes, qui tàm curioſè illum ac ſollici-
te quærebat, ſed opportuno tempore ad-
monita ab Angelo, fugit columba cum
pullo, euolat mater cum filio, & de nidulo
egreſſa fugit in Aegyptum. O felix Aegy-
pte, *habitabunt apud te profugi mei, eſto la-* Iſai. 16.
tibulum à facie vaſtatoris. Bene profugos
ſuos vocat Propheta Ieſum, Mariam, &
Ioſeph dilectiſſimos eius parentes cum
pullo nido relicto auolantes, & fugienres,
& petit ab Aegypto vt ſit eorum laribulū
à facie Herodis vaſtatoris: *Abſconde fu-* Iſai. 16.
gientes & vagos ne prodas; fugientes, &
vagi erant puer Ieſus, & parentes eius
fugientes ab ira Tyranni, & vagi per vias
Aegypti quærentes locum vbi ſe abſcon-
derenr ab ira furoris eius qui ſanguinem
agni immaculari ſitiebat, & pullum co-
lumbæ immaculatæ capere, perdere, &
occidere nitebatur: propterea fugiebanr,
ideo vagi eranr, egentes, anguſtiati, af-
flicti, quibus dignus non erat mundus,
quærenres quis illos egentes, & vagos in-
duceret in domum ſuam, abſconderet, ac
nō proderet crudeli Tyranno. Clamabat
etiam in ſpiritu idem Propheta: *Occuren-
tes ſitienti ferte aquam, qui habitatis ter-* Iſaiæ c. 21.
rā Auſtri: cum panibus occurrite fugienti:

A fa-

Iſai 21. *A facie enim gladiorum fugerunt*: vbi. Septuaginta legunt: *occurrite fugientibus propter multitudinem occiſorum*. Nulli dubium eſſe poteſt, quin labore itineris Beata Virgo, & Ioſeph eſurirent, ac laſſi eſſent, nec non & diuinus infans iam ex tunc fatigatus ab itinere etiam eſuriret atque ſitiret. Meritò ergo clamat ſanctus Propheta ad viros qui illis in locis morabantur, vt occurrerent egenis, vagiſq; ac fugientibus, afferentes eis panes ad comedendum & aquas ad bibendum, vt vel modicum refocillati ac recreati celerius in Aegyptum ſe reciperent; à facie enim gladiorum Herodis fugiebant, & a multitudine Innocentium paruulorum, qui propter Chriſtum trucidabantur.

Ad hæc præſenti argumento mihi aptè quadrare videntur verba illa Sponſæ: Cant. 2. *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum*: licet enim Caſſiodorus, Philo, Carpathius, Iuſtinus, Alanus, & alij quàmplures verba hæc interpretentur de fuga in cælum in die Aſcenſionis; & licet Theodoretus, Honorius, Anonimus, Aponius, & Epiſcopus Chriſtopolitanus, nec non plerique alij eadem exponant de reditu Chriſti Domini, quando vniuerſalis iudicij ſententia lata iuſtos in cælum ſecum aſſumet: non deſunt tamen, qui illa intelligant de fuga illius in Aegyptum; præuidens enim in Spiritu ſponſa Herodianam perſecutionem Chriſto infanti imminere, monet illum vt nulla interpoſita mora fugiat: *fuge dilecte mi*: per illud autem quod addit: Cant. 2. *aſſimilare capreæ hinnuloq; ceruorum*; duo non obſcure indicat Chriſto fugienti ſatis conſentanea: Primum vt ſumma velocitate ac velociſſime fugiat; capra enim & binnulus ſingulari celeritate ac velocitate pollent, vt experientia ipſa ſatis comprobat. Alterum eſt quod cum cornu capreæ cōbuſti fumus & odor ſerpentes fugere compellat, vt adnotauit Bercor. in ſuo reductorio morali lib. 10. Bercorius in ſuo morali reductorio, cui perſimile eſt, eodem id atteſtante, ex Diuo Iſidoro libro decimo, quòd ſanguis D. Iſid. lib. 10. hinnuli potentiſſimum antidotum eſt aduerſus veneficos ſerpentum morſus, non obſcure indicauit ſponſa, futurum eſſe, vt Chriſtus Dominus inſtar capreæ, & hinnuli, Aegyptum ingrediens, Idolorum ſerpentes contereret & ſolo ſuæ diuinitatis odore in terram proſterneret, iuxta vaticinium Iſaiæ: *Commouebuntur ſimulacbra Aegypti à facie eius*: Iſaiæ 19. Quod ſi his adiungas, hoc eſſe ingenium matris hinnuli, vt illum abſcondat, ne à venatoribus capiatur; quàm aptè id in Beatam Virginem conueniat, quæ infantulum ſuum diligenter abſcondit intra deſerta Aegypti, ne ab infeſtiſſimo venatore Herode caperetur, haud difficile erit iudicare. Quid plura? ſingularis typus huius myſterij fuit viſio illa Diui Ioannis in ſua Apoc. 12. Apocalypſi. Commemorat ibi oſtenſam ſibi fuiſſe mulierem prægnantem, quæ cruciabatur præ magnitudine deſiderij, vt pareret; peperit filium maſculum, & fugit cum eo, & draco miſit poſt illum fluuium magnum ab ore eius, vt ſuffocaret eum. Hæc mulier Beatam Virginem refert, cuius Virgineus partus a cunctis gentibus præſtolabatur: at poſt partum ob metum draconis, nempe Herodis, fugit cum puero ſuo in Aegyptum, & poſt illum miſit crudelis draco Herodes fluuium ſanguinis Innocentum quem fudit, vt in illo ſuffocaret, & interimeret Ieſum. Profectò cùm locus aliquis peſte infectus eſt, optimum remedium fuga eſſe perhibetur: quare cum puerorum peſtis Herodis crudelitate futura eſſet, iubet Deus Ioſepho pueri cuſtodi vt fugiat: *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum*, continuoque mater ait dilecto filio: *fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum*. Fecit tunc B. Virgo, quod periti agricultores: prudens enim & expertus hortulanus cum plantis, quæ iuxta grandiores arbores ſitæ ſunt, earum vmbram nocere animaduertit, aliò transſponere ſolet, ita Beata Virgo, ne tyrannidis, & crudelitatis Herodis vmbra teneræ illi plantæ vnigeniti filij ſui, qui recens homo factus & natus erat, nocere aliqua ratione poſſet, ideo hodierna die, eam in Aegyptum transponi diligenter curat. Ad extremum conſonant his omnibus egregia verba Diui Chryſologi homilia 151. in hunc modum D. Chryſol. loquentis. *Ioſabeth filiã Regis furatam eſſe infantulum regium Scriptura prodit, ne ab Athalia impia femina ſemen omne regium extingueretur*. *Clàm ergo nutriendum curauit*

Digitized by Google

rauit ad regni Iſraelitici ſpem; Maria vero mundi totius ſalutem in uno paruulo poſitam cernens ad ſpem regni cæleſtis ipſum æternitatis hæredem fuga nobis, & latebris conſeruauit. Qui cum patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia II.

Varia ſomniorum genera aſsignantur; & ſuperſtitioſa abijcienda docetur; rationeſque traduntur, ob quas Angelus non in vigilia, ſed in ſomnis fugam in Ægyptum ſancto Ioſepho reuelauit.

Fulgoſ. lib. 1. FVLGOSIVS ſomniorum varia conſtituit genera, Primum appellat ſomnium, ſecundum viſionem, tertium oraculum, quartum inſomnium, quintum appatitionem, quam Græci Phantaſma vocitant. Somnium, inquit, dicitur, cum ſub aliqua figura tecta apparet veritas, vt illud fuit quod de vaccis, ſpiciſque Ioſeph Pharaoni Aegyptiorum Regi interpretatus eſt; necnon illud, quod de Polycarpo Ioannis Euangeliſtæ diſcipulo ſcriptum eſt, cui dormienti puluinum comburi, martyrij futuri igne præſagium viſum eſt, quod ipſe propter hoc certum prædixit. Neque huic diſsimile, quod Cæſaris matri contigit, quæ inteſtina ſua per aërem ferri ſomniauit. Viſio eſt, cum id propriè contingit, quod per ſomnium eſt viſum, vt Veſpaſiano de Neronis dente euenit. Oraculum eſt, cum à diuina perſona, ſiue etiam patre, aut Sacerdote, aliquid in ſomnis nunciatur, ſicuti Magis, cum moniti ſunt, ne ad Herodem redirent, & Ioſeph viro Mariæ, vt cum puero, & matre in Aegyptum fugeret. Hæc tria non ſemel aliquid veritatis habent, ea tamen prorſus carent duæ quę reliquæ ſunt ſpecies, videlicet inſomnium, & apparitio: nam cibus, craſſiq; vapores, aut mentis agitatio, ac labor, eorum cauſam præbere videntur. Hęc ex Fulgoſio. Alij hæc ſomnia in tres partiuntur tantum ſpecies, naturalem, animalem, & cæleſtem: Naturalem vocant eam, per quam Phyſici de humoribus indicant: nam ſomniantibus aquam Phlegmaticos humores dicunt deſignari; per rubentem colorem ſanguineum, & per igneum coleram; terris autem humoribus melancholiam, velut eam de qua Arnaldus Philoſophus in ſomnijs ſcriptum reliquit: Nam cum ſomniaſſet à nigricante cato pedem ſibi morderi, in ea pedis parte poſtera die cācer innatus eſt. Animalia dicuntur ſomnia, quæ ab animi paſsionibus, quę interdiu contingunt, proficiſcuntur; ſicut ex feruente zelo Apoſtolo Paulo euenit in Macedoniam proficiſcenti, cui (Deo ſpecialiter etiam reuelāte) viſus eſt ſibi cum dormiret, à Macedone quodam rogari, vt hominum eius regionis miſereretur. Cæleſtia autem tantum illa dicuntur ſomnia, quæ rerum diuinarum monita eſſe cenſentur, ſicut de ſtatua quam Babylonis Rex in ſomnijs habuit, quam Propheta Daniel interpretatus eſt, & penè innumera alia quibus plena ſunt ſacra eloquia.

Breuiori tamen diuiſione vtens, vt Concionatorio muneri inſeruiam, quædam ſomnia ſunt naturalia; alia ſupernaturalia, & diuina; inter naturalia quędam ſunt vana, & futilia, & ſæpè pernicioſa. Vana ſunt, quæ ex ſola affectione, & diſpoſitione corporis oriuntur. Solēt enim famelici ciborū formas, & ſitibundi frigidos fontes ac ſuauia pocula phantaſia ſua inuoluere Iſaia dicente: *Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit.* Iſaia c. 29. Melanchonici etiam, quę terrorem incutiunt; ſanguinei, quę hylaritatem ſecum afferunt, ſomniare conſueuere. Experientia enim compertum eſt, laſciua ſomnia ex inhoneſtis aſpectibus nō ſemel, ex turpi fabulatione quādoque; ex nimia ciborum ingluuie ſæpè cauſari. De hoc genere ſomniorum, & aliorum ſimi-

miſſum, quæ ex amore, vel odio, & alijs huiuſmodi paſſionibus proficiſcuntur, nulla prorſus habenda ratio eſt; nam vt Salomon dixit: *Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* & alibi legimus. *Non inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia:* Virgilius quoque fidei lumine deſtitutus, & ſolo naturali illuſtratus cecinit.

Eccl. 34.
Deut. 18.

Cæperunt ſomnia plures'.
Sed falſa è cælo mittunt inſomnia manes.

Cic. de Diuin. *Plinius.* Cicero ſimiliter, alioquin gentilis, lib. de Diuinatione, multis rationibus ſomniorum vanitatem improbat; & Plinius Iunior ſolatur Suetonium, qui per inſomnium vidit certa die caſurum, ſuadens illi nihil ſibi timendum.

Fulgoſius. Valerius. Cicero. Alia ſunt ſomnia naturalia, quorum meminerunt Fulgoſius, Valerius maximus, & Cicero, quorum ad exemplificandum nonnulla hic apponere memorabiliora non pigebit. Fulgoſius lib. 1. refert quod L. Syllæ in ſomnijs oſtenſa fuit victoria aduerſus C. Marij filium: verba eius ſunt hæc: *Per quietem viſus ſibi eſt Marium patrem videre iam mortuum, qui filium monebat, ne poſtera die prælium committeret, quoniam ea ſibi dies infauſta foret.* Dormiens in Aſia Lucullus vidit dormienti ſibi dictum: *Vade Luculle, Autolicus enim venit vt ſecum ſis.* Experrectus ſomno cum rem diligenter inueſtigaret, intellexit à nauibus Cilicum, quas Romanæ inſectatæ erant, maris in littore relictam marmoream ſtatuam, quę poſtea Autolici fuiſſe cognita eſt, qui olim in Ponto vrbem Sinopem muro cinxerat. Silentio etiam prætereūdum non eſt poetæ Sophoclis ſomnium, qui ſępius per quietem conſpecto Hercule, furem eum nominatim accuſante, qui ex fano ſuo aureum vas furto ſurripuerat. Vt rem Ephoris detexit, comprehenſus, quem Hercules accuſabat, verum eſſe furtum confeſſus eſt; quamobrem ab eo tempore templum illud Iudicis Herculis nominatum eſt. Cum item in Capitolium Cicero Iulium Cæſarem proſequeretur, eiq; narraret nocte proxima à ſe viſum Iouem, qui catena aurea puerulum mira indole è cælo ad Capitolium demiſerat, cui poſtea flagrum in manu dederat; perſpecto tunc Octauio, quem Cæſar voti ſoluendi gratia in Capitolium duxerat, cognouit eum eſſe quē in ſomnis viderat, triumviratusq; eius vere flagrum inſolentis nimium Romanæ nobilitatis, certum Ciceronis ſomnium fuit.

Marc. Tull. Val. Max. Marcus Tullius lib. 2. de Natura Deorum, & Valerius Maximus lib. 2. de ſomnis referunt, quod duo familiares ſocij, & amici Archades in Græciam ſimul iter facientes ad quamdam Ciuitatem peruenerunt, quorum vnus ad domum ſui amici perrexit, alter verò ad hoſpitium diuertit. Is, qui in domo amici ſui erat, vidit in ſomnis ſuum ſocium orantem, vt ſibi ſubueniret, eo quod niſi iuuaret ipſum, eſſet ab hoſpite iugulandus: ille verò hoc viſo excitatus, tanquam vanum ſomnium illud paruipendens, ad lectum rediens obdormiuit: tunc eius ſocius ſecundò per ſomnium apparuit, & inſtantius quàm prius rogare videbatur vt ei auxiliaretur: ſed iſte neque de ſomno tunc curans, iterùm obdormiuit: cui tertio in ſomnio ſocius cum magna querela apparuit, ſe affirmans iam iugulatum eſſe quoniā vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, obſecrabat autē, vt ſaltem vltionē non negaret, dicens corpus ſuum trucidatum, ferri extra portam ſupra currum coopertum ſtercore ſepeliendum, vt occidentis ſcelus occultaretur. Tunc conſtantibus precibus familiaris amicus compulſus, protinus cum Iudice ad illam portam ſummo manè concurrit, & currum, quem in quiete viderat, ei demonſtrauit: ille comprehendit hoſpitem, & ad capitale ſupplicium perduxit.

Quint. Curt. In additionibus deinde ad Curtium legimus, quod ſomniauit Alexander Magnus, Summum Sacerdotem Pontificalibus indumentis circumamictum contra ſe vehementer indignari, & grauiter minari, ſi Ieroſolymitanum templum attingerè auderet: vnde ſequenti die à longè illum videns Alexander, reuerentiæ cauſa ab equo deſcendens eum adorauit, & eidem quidquid placitum fuit poſtulare, ſingulari magnificentia imperriuit. Anibal quoque, vt narrat Fulgoſius, ſomniauit quod ſi quoddam templum demoliretur, oculorum vnum amiſſurus eſſet: & licet illud eſſet profanum templum, for- *Fulgoſius.*

ſan Deus præuidens illud poſtmodum in ſanctum fore commutandum, illud ſomnium immiſit. Narrat præterea Suetonius hæc,quæ ſequuntur de Nerone: *Tenebatur Nero euidentibus portentis ſomniorum,& auſpiciorum,tum veteribus,tum nouis, nunquam antea ſomniare ſolitus; occiſa demum matre vidit per quietem nauem ſibi regenti extortum gubernaculum, trahique ſe ab Octauia vxore in arctiſſimas tenebras.* Suetonius

Ceterùm quamuis euentus ipſe vera eſſe aliqua ſomnia comprobare ſoleat, ante tamen euentum ipſum non debemus temerè iudicium ferre, quia ſæpè in illis diabolica verſutia ſe intermiſcet & in varias ſuperſtitiones prolabi impellit, quibus multi antiquitus fuerunt decepti, explorare volentes quæcumque ſomniabãt. Vnde olim apud Gentiles quædam fuere deſtinata loca,in quibus pernoctare inuoluti victimarum pellibus conſueuerant Ethnici, vbi reſponſa de quæſitis rebus ſomnij ſpecie diabolus, non voce reddebat. Sic Lacedæmonij in fano Paſitheæ ſomniandi cauſa excubabant;& Aeſculapium vera indere ſomnia creditum fuit, ideo eius tęmplum frequens Gręcia adijt & honorauit.

Marc. Hiſt. Ad hæc de Venere Gazea hæc ſcribit Marcus Hiſtoricus, teſtis oculatus in vita ſancti Porphyrij Epiſcopi menſe Februarij, in loco Tetramphodos, hoc eſt quadriuij, ſtabat ſtatua marmorea,& dicebãt eam eſſe Veneris, erat autem ſupra aram marmoream:ſtatuæ vero effigies erat nudæ mulieris,quę palam ſe oſtendebat;ſtatuam autem in honore habebant omnes ciues,maximè verò mulieres lucernas accendentes, & thure ſuffientes; dicebant enim eam in ſomnis reſpondere ijs, quæ volebant inire matrimonium. Decipiebant autem ſe inuicem mentientes, ſæpè verò iuſſi à dæmone contrahere matrimonium;tantum obfuit, vt ſæpè inter eos fierent diuortia, aut malè cohabitarent. His, & ſimilibus ſomniorum ſuperſtitionibus dæmon gentem illam illudebat.

Alia verò ſomnia bona,& honeſta ſunt & diuinitus immiſſa,quæ diuina eloquia, & ſancti Patres, tanquam reuelationes commemorant: vt cum Rex Abimelech ſomniauit Deum cõtra ſe iratum eo,quod Abrahæ vxorem regia auctoritate ad ſe Gen. 20. adduci imperaſſet. Simile eſt cum Laban ſomniauit acriter Deum ſibi minari, ſi Iacob iniurioſo aliquo verbo exacerbaret,obuiam ſibi in monte futurum. Simile cum ſomniauit Ioſeph manipulos ſuos à manipulis fratrum ſuorum adorari; ſolemq; & Lunam eum reuereri. Simile cum ſomniarunt duo illi Pharaonis famuli,alter reſtituendum fore in priſtinum gradum, alter ſuſpendio mulctandum. Somniauit etiam ipſe Pharao totius Aegypti infeſtiſſimam famem imminentem in ſeptem vaccis extenuatis, & futuram poſtmodum ſaturitatem in totidem pinguibus. Quidam alter ſomniauit hordeaceum panem,qui Madianirarum tentoria exturbauit; euenit autem vt Gedeon audacius in illos irrueret. Somniauit Nabucdonoſor ingentem illam ex varijs metallis conflatam ſtatuam citò corruẽdam, vt animus eius non amplius ſuperbiret,& intumeſceret. Somniauit Iudas Machabæus Oniam ſacerdotem pro populo orãtem ſibi enſem porrigentem, quia iam tẽpus inſtabat ad irruendum acerrimè in hoſtes. Iacob ſomniauit ſcalam cælum cacumine ſuo tangentem, & Angelos per illam deſcendentes, & aſcendentes, in qua varia arcana ſibi fuerunt patefacta. In ſomnis etiam Salomonem eximiam illam ſapientiam accepiſſe, nemo eſt qui ignoret. Diuus Matthæus ſomno admonitos ait Magos ne redirent ad Herodem, ſed per aliam viam in regionem ſuam regrederentur. Vxor Pilati varijs viſionibus perterrita in ſomnis,ſcripſit ad illum *Nihil tibi, & iuſto illi*. Ioannes ſupra pectus Chriſti dormiens beatiſſimæ Triadis ſacratiſſima arcana didicit. De matre etiam illius magni Patriarchæ ſanctiſſimi Dominici, omnes vitæ illius Hiſtoriographi referunt, quod cum prægnans eſſet, in ſomnis vidit ſe continere in vtero ſuo canem, ore ſuo ardentem faculam ferentem,quod manifeſtum præſagium fuit illum futurum Catholicæ Eccleſiæ inſignem Prædicatorem, ac fulgentiſſimum lumen:ac tandem, vt ait ſacer Euangeliſta, Ioſepho in ſomnis apparuit Angelus cælitus ei demiſſus, vt moneret eum cum matre,& prole in Aegyptum proficiſci.

Gen. 31 · Gen. 37. · Gen. 40. · Iudith. 7. · Dan. 2. · Mach. 3. · Gen. 28. · Matth. 2. · Matth. 27. · Matth. 2.

Ex hac igitur tanta ſomniorum varietate duo ſpiritualia documenta cuperem vobis deducere; Primum eſt talia ſolita

eſſe

Eccl 34. eſſe ſomnia, qualia in vigilia ſunt cogitata,& operata: vnde Salomon dixit: *multas curas ſequuntur ſomnia:* ſi curæ fuerint ſanctę,ſancta illa ſequentur ſomnia,ſi prauæ,praua illi euenient, vt expertus eſt D. Auguſt. dum de ſomniorum ludibrijs lib. x. Confeſſionum hæc tradidit; *Adhuc viuunt in memoria mea talium rerum imagines,quas ſibi conſuetudo mea fixit, & occurſant mihi vigilanti carentes viribus, in ſomnis autem non ſolum vſque ad conſenſionem, factumq; ſimilium, & tantum valet imaginis illuſio in anima mea,vt dormienti falſa vera peruideantur, quæ vigilanti vera non noſcuntur.* hactenus ille. Nos experientia comperimus, quod ludo deditus de ludo ſomniat; libidini addictus, de libidine; honoris auidus de honore; pecuniæ cupidus de pecunia; vſurarius de exceſſiuo ſomniat lucro. E contra verò iuſti, & ſancti,cum in vigilia quæ recta ſunt mente euoluant, & honeſta agant, recta & honeſta in ſomnis eis occurrunt: quia ſomnus eſt velut Echo vigiliæ reſpondēs, & ideo vt plurimum qualis vigilia, talis ſomnus. Vnde manifeſtum eſt pluris æſtimanda ſomnia iuſtorum,quàm vigilias peccatorum, Felix certè iuſtus, cuius cum dormit,cuſtos eſt Dominus, & cuius ſomnus & ſomnium grata ſunt illi; *dicite iuſto,quoniam bene:* bene illi vigilanti,bene illi dormienti;bene illi laboranti, & bene ſomno,& otio vacanti. Atq; hinc eſt quod cū iuſtorū ſomnia ei placeant, frequenter in ſomnis illis apparet, & eos alloquitur iuxta illud Iob.cap. 10. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando ſopor irruit ſuper homines, & dormiunt in lectulo ſuo; tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtituit diſciplina:* vnde D. Thomas 1. Cor. 14. ait propheticam reuelationem proprie fieri in ſomnis, ſecundum illud Numerorum 12. *ſi fuerit Propheta Domini inter vos,per ſomnium loquar ad illum.*

D. Aug.

Iſai. 3.

Iob. 10.

D. Thom.

Num. 12.

Alterum documentū non aliunde mutuabo, quàm à doctrina Angelici Doctoris, qui poſtquam hoc argumentum propoſuerat: *Illud quod communiter homines experiuntur, irrationabile eſt negare; ſed omnes experiuntur ſomnia habere aliquam ſignificationem futurorum;ergo vanum eſt negare ſomnia habere vim diuinationis:* ibidemque etiam adduxerat, quomodo Ioſeph interpretatus fuit ſomnium pincernæ Pharaonis, & Magiſtri piſtorum, nec non & ſomnium Pharaonis,& Daniel ſomnium Regis Babylonis: poſtquam, in quam,hæc propoſuerat, hanc egregiam doctrinam ad omnem ſuperſtitionem in materia ſomniorum vitandam in hæc verba tradit: *Conſiderare oportet, quid ſit verum circa præcognitionem futurorum de ſomnis. Sunt autem ſomnia futurorum euentuum quandoque quidem cauſa, puta cum mens alicuius ſolicita ex his, quæ videt in ſomnis, inducitur ad aliquid faciendum,vel vitandum: quandoq; verò ſomnia ſunt ſigna futurorū euentuū,inquantum reducuntur ad aliquam cauſam communem ſomnis, & futuris euentibus, & ſecundum hoc plurimum præcognitiones futurorum in ſomnis fiunt. Eſt ergo conſiderandum quæ ſit cauſa ſomniorum, & an poſſit eſſe cauſa futurorum euentuum, vel ea poſſit agnoſcere. Sciendum eſt ergo, quod ſomniorum quidem quandoque eſt cauſa interius,quandoq; exterius; interior autem ſomniorum cauſa eſt duplex, vna quidem animalis, in quantum ſcilicet ea occurrunt homini phantaſiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando, & talis cauſa ſomniorum non eſt cauſa futurorū euentuum, vnde eiuſmodi ſomnia per accidens ſe habent ad futuros euentus;etſi quandoque ſimul occurrant,erit caſuale. Quandoque verò cauſa intrinſeca ſomniorum eſt corporalis; nam ex interiori diſpoſitione corporis formatur aliquis mot⁹ in phātaſia conueniens tali diſpoſitioni;ſicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt in ſomnis quod ſit vel in aqua, vel niue: & propter hæc Medici dicunt eſſe intendendum ſomnis ad cognoſcendum interiores diſpoſitiones. Cauſa autem ſomniorum exterior ſimiliter eſt duplex, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis: Corporalis quidem,in quantum imaginatio dormientis immutatur,vel ab aëre continenti, vel ex impreſſione cæleſtis corporis,vt ſi dormienti aliquæ phantaſiæ appareant conformes cæleſtium diſpoſitionum. Spiritualis autem cauſa eſt quandoq; quidem à Deo, qui miniſterio Angelorum aliqua hominibus reuelat in ſomnis, ſecundum illud Numerorum 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei,vel per ſomnium loquar ad illum. Quandoque verò operatione dæmonum aliqua phantaſia dormientibus* Num. 12.

appa-

apparent, ex quibus quandoq; aliqua futura reuelant his qui cum eis habent pacta illicita. Sic ergo dicendum, quod ſi quis vtatur ſomnis ad præcognoſcenda futura, ſecundum quod ſomnia procedunt ex reuelatione diuina, vel ex cauſa naturali intrinſeca, ſiue extrinſeca (quantum poteſt ſe virtus talis extendere) non erit illicita diuinatio ; ſi autem huiuſmodi diuinatio cauſetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expreſſa, quia ad hoc inuocantur, vel tacita, quia huiuſmodi diuinatio extenditur ad quod ſe non poteſt extendere, erit diuinatio illicita, & ſuperſtitioſa. Hactenus D. Thom.

Ad extremum duo, quæ ex Euangelica lectione emergunt, dubia non poſſum hoc loco non ſoluere: Primum eſt, quare Deus in ſomnis toties arcana ſua panderit? huius in promptu adeſt reſponſio, quia diuina reuelatio mentis tranquillitatem, & cordis quietem ſibi vendicat ; ſicut enim in aqua non turbata ſed quieta, intuentis vultus imago tanquam in ſpeculo effulget, ita in anima tranquilla diuini vultus imago tanquam in cryſtallino ſpeculo ſplendet. Itaque cum ſomnus ſit quædam quies virium animalium, tunc anima dormiens, eſt in ſtatu aptiori ad reuelationes ſuſcipiendas ; & cum diuina reuelatio ſit quædam interna locutio, ſeu admonitio, valde conuenienter fit tempore, quo anima non eſt alijs rebus intenta, quia vt dixit Sapiẽs; *Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem.* Quod ſi te volente aliquem alloqui in cauſa magni momenti, oportunum tempus quæris, cum alijs occupationibus non vacat, facillimè inde colliges Dominum ſapienter ſanctis ſuis arcana multa in ſomnis reuelare, cum ab omni diſtractione magis alieni ſunt. Atq; hinc eſt (vt ad mores me conuertam) quod quemadmodum cum corpus ſomno capitur, quia tunc ceſſant exteriorum ſenſuũ operationes, quietũ magis eſſe experimur, ita cum contingit animam orationis ſopore capi, tunc magis quieta cenſetur, quia à vanis huius ſęculi curis longè alienior eſt. Et quemadmodum illi, qui ſomnũ non capiunt, colore pallido, viribus infirmis, & membris omnibus fracti eſſe ſolẽt, ita etiam homines hoc contemplationis ſomno deſtituti, vt in plurimum perfecti viri colore, & viribus carent, quia vnus ex præcipuis fontibus, ex quibus Chriſtianorum diſſolutio morum deprauatio, & in vincẽdis tentationibus infirmitas emanat, ſomni huius eſt ſpiritualis defectus.

Alterum dubium, eſt quarè cum Deipara ſanctior eſſet Ioſeph, voluit Dominus Angelicam hanc reuelationem in ſomnis fieri Ioſepho, & non ei; maximè quod cauſa illa magis ad eam ſpectare videbatur, quæ mater erat Chriſti, quàm ad Ioſeph à quo minime ille genitus fuerat? Reſpondeo, quod quia Ioſeph tanquam vir, & verus maritus ſacratiſſimæ Virginis caput illius erat, Apoſtolo dicente: *Vir caput eſt mulieris*, immò caput erat totius illius ſacræ familiæ inſtar Prælatus, ſubditos ſibi habens Chriſtum & Mariam, hinc eſt quod angelica reuelatio fit illi, nõ eius vxori. Quo non obſcurè docemur documentum magni momẽti, omnibus indiſcriminatim omnino obſeruandum, nimirùm tam negotia, quàm munera nõ immediatè ad fęminas, ſed ad earũ viros deferenda eſſe; vndè Moyſes Barceſas ait, ipſum etiam Deum non immediatè promulgaſſe legem de non edendo fructum ligni vetiti Heuæ, ſed Adamo, *Heua* inquit, *didicit ab Adamo præceptum de non edendo cibum* ; quod & confirmat hic Auctor teſtimonio S. Ephrẽ Syri volentis vxorem adeò viro ſuo ſubditam eſſe debere, vt & legem Dei de ore eius accipiat. Certe ſi cum Heua ſuaſa fuit a ſerpente comedere de ligno vetito, id prius communicaſſet cũ viro ſuo, forſitan neuter illorũ diuinum transgreſſus fuiſſet præceptum. Hanc doctrinam videtur mihi adamuſſim obſeruaſſe Rex Abimelech, cum ſolo lumine rationis illuſtratus dixit Saræ: *Ecce dedi fratri tuo* (hoc eſt Abrahæ, viro tuo, dixerat enim illa ſororem illius eſſe) *mille argenteos: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt.* Ecce rex nõ porrexit munus ipſi Saræ, licet alioquin illud ad eam pertineret, in cuius gratiam dabatur, ſed Abrahæ illius marito, vt qui probè agnoſceret nullum munus vxori alienæ conferendum eſſe, quod per manus viri eius non tranſiret. Hoc & rationi conſonum, & Deo gratum eſt. Cui ſit honor, & gloria in ſęcula ſæculorum. Amen.

Corint. 14.

Moyſes. Barceſ. in lib. Gen.

Gen. 20.

Ho-

Homilia III.

Fugæ Chriſti Domini, & Matris eius, variæ circumſtantiæ diſſeruntur tàm ex parte loci, & tēporis factæ reuelationis, quàm ex parte Angeli reuelantis; nec non ex parte Ioſephi diuinæ iuſſioni promptiſſimè obtemperantis.

CIrcumſtantias præſentis myſterij proſequēs, qualitatem Angeli qui in ſomnis apparuit Ioſepho, fugam in Aegyptū illum monentis, minimè ſilentio præterire licet. Origenes homilia 3. in diuerſos, Angelum illum Gabrielem fuiſſe ſcribit, cui totum incarnati Verbi negotium diuinitus fuerat commiſſum. Verba eius ſunt hæc: *Qualis Angelus ille annunciare venit, qui ad Zachariam in templo locutus eſt, ipſe & nunc per ſomnium oſtendit ſe Ioſeph, ſanctus Angelus Gabriel appellatus, quod interpretatur fortitudo Dei. Illius namque incarnationis Sacramentum commendatum habebat, qui veniebat ad debellandas poteſtates aëreas. Iſte etiam Angelus ad eos bene vigilantes paſtores venit, & Domini generationem ijſdem annunciauit.* De modo autem, quo Angelus in ſomnis apparuit Ioſepho, & cum eo locutus fuerit, multi cum Barradio exiſtimant non apparuiſſe in perſona propria aëreo corpore indutum, nec voce quæ auditu corporis percipi poſſet cum Ioſepho locutum, hæc enim apparitio vigilantium eſt; viſus ergo eſt, & locutus Angelus cum Ioſepho dormiente per ſpecies phantaſiæ impreſſas, quæ Angelum, & præſentem, & loquentem repræſentabant: huiuſmodi autem viſio dormientium eſt, & dormienti Ioſepho conueniebat. Certiſſimè vero cognouit tùm Dei illam eſſe reuelationē, tùm quid ſignificaret: etenim cum Deus vt alicuius rei cognitionem tribuat, ſomnium immittit, id ita agit, vt in certiſſimam homo reuelationis, reiq; cognitionem adducatur. Sed iam de loco, in quo Angelus Ioſepho apparuit diſſeramus. Certè cum hæc Angeli apparitio a B. Matthæo poſt diſceſſum Magorum ſtatim facta narretur, dubitatur, an contigerit in Bethlehem, vnde Magi diſceſſerant, & B. Virgo cum infante remanſerat; an vero in Nazareth, poſt obſeruata omnia quæ legis erant præcepta circa puerperam & infantem, vt inſinuare videtur B. Lucas? Dicendum eſt probabilem non videri mihi ſententiam eorum qui aſſerunt ſtatim regreſſis Magis in regionem ſuam, factam fuiſſe Angeli viſionem hanc: tùm quia Chriſtus præſentatus eſt quadrageſimo die in templo, & perfectis legis obſeruantijs reuerſus dicitur in Nazareth, vt habetur Luc. 2. nō ergo obediſſet Ioſeph Angelo ſollicitanti, dicentiq; *Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum*: tū quia alioquin nō eſſet opus, vt ſurgeret ipſe Ioſeph: tū quia per illos viginti ſeptē dies fuiſſent Ioſeph & Maria in magno timore & afflictione; tùm denique quoniam Herodes qui cum Magis non venerat, nec ex ſuis quēquam miſerat, illis non fidebat, nec erat tàm facilis cauſa iracundiæ, vel putandi ſe illuſum. Cum ergo deberent infantem ducere ad templum, fruſtrà vexarentur antea. Deinde non apparet omnino rationi conſonum illud Abulenſis, Chriſtum cum parentibus in Nazareth manſiſſe biennio paulò ante, vel poſt Herodis edictum de occidendis pueris a bimatu, & infra: Tùm quia nō videretur eſſe verum quod dicitur: *Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit*: vbi indicatur paulò poſt diſceſſum fuiſſe factam apparitionem: tùm quia non fuiſſet tàm repentina opus fuga, qualis inſinuatur cū dicitur, quod *ſurrexit nocte, & accepit puerū*. Dixi notanter, *non omninò verum*, quia ſuam etiam probabilitatem habet, quod duo anni mediauerint inter Natiuitatem Chriſti, & fugam in Aegyptum: nam Herodes non occidit pueros innocentes, niſi *à bimatu, & infra ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis*, vt ait Euangeliſta: hoc eſt, quot anni elapſi fuerant ab apparitione ſtellæ facta

Ma-

Origenes.

Barrad. in Comment. huius loci.

Lucæ 2.

Abulenſ. ſuper Matth. c. 2.

Matth. 2.

Matth. 2.

Magis, & propter hoc occidit pueros à bimatu & infra, vt ſic inter illos Chriſtus interficeretur. Minus etiam placet ſententia Epiphanij, qui contra Alogianos ſcribens ait, Per biennium in domicilio Bethlehemitico Mariam Virginem extitiſſe cum puero, & trigeſimo tertio Herodis regni anno natum Ieſum, trigeſimo quinto adueniſſe ad eum Magos, & poſt illorum diſceſſum fugiſſe Chriſtum in Aegyptum; trigeſimo ſeptimo anno regni ſui Herodem fuiſſe extinctum. Multa ſiquidem ex iſtis dubia valde, & minus recepta ſunt: Ergo dicendum eſt, apparitionem hanc factam fuiſſe in Nazareth poſt peracta munera legis; vel in Ieruſalē, tunc enim prope completum Magorum receſſum erat; nec cauſa deerat Herodem mouens, nempe promulgatio Simeonis, & confeſſio Annæ, quæ ad aures eius peruenire facile potuerunt: Hinc enim ardentius moliri potuit Chriſti perditionem, licet ob lites à filijs Ariſtobulo & Alexandro intentatas, propter quas Romā Herodes, vt ſe purgaret redire eſt coactus, impedita ac retardata fuit. Noluit enim accuſationis cauſas nouo ſcelere facere grauiores, ſed poſt pacatum Cæſarem, elapſo biennio reuerſus eſt, & in regno ſuo confirmatus à Cæſare Auguſto. Neque probatur ex illis verbis: *Qui cum receſſiſſent, Ecce Angelus Domini apparuit.* ſtatim vno aut altero die à diſceſſu Magorum proxime eſſe factam apparitionem: ſiquidem hic eſt familiaris mos ſacris litteris, vt quę nō ſunt ſimul continuata atq; connexa, quaſi continuata eſſent, enarrentur. Quemadmodum enim dicimus, mulier *concepit, & peperit*; nec tamen putandum eſt ſimul concepiſſe illam & ſimul peperiſſe, ſed partum poſt conceptum menſibus nouem expletis; ſic etiam dictum Euangelico eloquio habemus, quòd quando Ioſeph venit de Aegypto cum puero & matre eius, habitauit in Nazareth, & poſteà ſequitur, quòd in diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, & tamen inter Aduentum Chriſti ex Aegypto & prædicationē Ioannis, anni pluſquam viginti interceſſerunt. Itaque nihil mirum, ſi hic dicitur: *Qui cum receſſiſſent, ecce apparuit Angelus*, cum hæc poſt menſem circiter facta ſit apparitio.

Epiphan.

Matth. 2.

Sed iam Patrum ſententias circa propoſitam difficultatem apponamus. D. Anſelmus & Euthymius, D. Chryſoſtomus, & Theophilactus ad caput ſecundū Matthæi volunt ſenſum verborum illorum: *qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph:* hunc eſſe, nimirum quod cum Magi diſceſſiſſent, non protinus, ſed multis poſt diebus, *Ecce Angelus Domini apparuit Ioſeph*; præcipiens illi vt Aegyptum peteret. Poſt purificationem autem ipſum & Virginem in Nazareth reuerſos fuiſſe, omnes præcitati patres atteſtantur. D. Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 5. aliam viam ingreſſus arbitratur, poſt Purificationem Angelum Ioſephum de fuga admonuiſſe, antequam Nazaretham rediret; admonitum verò Ioſephum protinus infantem in Aegyptum tranſtuliſſe; ex Aegypto verò in Galilæam, & Nazaretham reuerſum eſſe: Vnumquenque verò Euangeliſtam (ait) narrationem ſuam ſic contexere, vt tanquam nihil prætermittentis ſeries digeſta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, ſic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adiungit, vt ipſa continuò ſequi videantur. Lucas igitur ex ſententia ſanctiſſimi Patris tacita fuga in Aegyptū, de qua Matth. egit, illa quæ dicere voluit, id eſt reditum in patriam, ijs quæ dicebat, id eſt purificationi, adiunxit, vt reditus in patriā continuò purificationē ſequi videatur, cū tamen longè poſtea euenerit. Verba itaq; Euang. ſic ſunt interpretanda iuxta hanc opinionem: Poſtquam perfecerunt omnia ſecundum legem, & poſtquam in Aegyptum confugerunt, de qua fuga Matthæus ſcripſit, *reuerſi ſunt in Galilæā in ciuitatem ſuam Nazareth*; reuerſi (inquam) ſunt, non continuò ex Iuda, aut ex Bethlehem, ſiue Ieruſalem, ſed multo poſt ex Aegypto, quò aufugerant: hic enim reditus idem eſt cum illo cuius Matthæus meminit in fine capitis 2. his verbis, *veniens* videlicet Ioſeph, *ex Aegypto habitauit in ciuitate Nazareth.* D. Bonauentura in lib. de vita Chriſti cap. 12. affirmat Deiparam poſt purificationem Eliſabetham inuiſiſſe, & infantem Ioannem; cumque Nazaretham iter faceret, antequàm in Vrbem perueniret, Angelo monente fugam in Aegyptum ſuſcepiſſe. In qua ſententia videtur fuiſſe Ammonius Alexandrinus,

Matth. 2.

D. Aug. lib. 2. de conſ. Euā. cap. 5.

Matth. 2.

D. Bonauent.

Ammon. Alexandrinus. drinus, ſi rectè ab Interprete latinitate donatus eſt: ſic enim ſcribit in Armonia Euangelica: *Ioſeph rediens Nazareth, oraculo admonitus eſt, vt fuga in Aegyptum infantis vitæ conſulat*: Neque vero diſſentit a verbis Lucæ hæc ſententia: ſic enim exponi poſſunt, *vt perfecerunt omnia ſecundum legẽ Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth*: reuerſi quidem ſunt, ſed ab ipſo itinere ad fugam reuocati.

Locus autẽ vnde Ioſeph diſceſſit cum matre & prole eius, non fuit Bethlehem, nec Ieruſalem, ſed Nazareth quæ eſt in Galilæa, vt perſpicuum eſt apud Lucam cap. 2. dum ait: *Lucæ. 2.* *Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuam Nazareth*. Sed fateor illud in hac hiſtoria difficile videri: quomodo cum Herodes iam Magorum nuntio nouum Regem acclamante, turbatus ac perterritus eſſet, quomodo (inquam) potuerit Ioſeph completis diebus purgationis B. Virginis tutò cum illa, & infante aſcendere in templum ad ritum præſentationis primogenitorum ſeruandum? hanc difficultatem in terminis propoſuit D. Auguſtinus libro 2. de conſenſu *D. Auguſt.* Euangeliſtarum, cap. 11. & in hæc verba illam ſoluit: *Quis enim non videat etiam illum vnum diem regem multis occupatum latere potuiſſe. Si autem illud veriſimile non videtur, quòd Herodes qui valde ſolicitus expectabat, quid ſibi Magi de puero renuntiarent, poſt tam multos dies ſe ſenſit illuſum, vt tranſacto tempore purgationis matris eius, & peracta circa infantem ſolemnitate primogenitorum in templo Ieruſalem, poſt etiam profectionem eorum in Aegyptum, in mentem illi venerit quærere animam pueri, & necare tot paruulos. Si hoc ergo mouet, omitto dicere quot, & quantis occupationibus regia cura diſtendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione, vel auerti omninò, vel impediri; neq; enim enumerari poſſunt cauſæ quibus hoc potuerit accidere, quas tamen multas, & magnas eſſe potuiſſe nemo ita rerum humanarum inexpertus eſt, vt aut neget, aut dubitet.* *Eucherius. Euſebius.* Hactenus Auguſtinus. Non longe ab hac reſponſione diſcedit alia Eucherij, & Euſebij homilia de Innocentibus, dum aiũt: *Adhuc omnia quieta erant, adhuc Herodes Magos expectans nondum ſui cordis malitiam reuelabat, vnde & ſecure vadunt in Ieruſalem, vt legis mandata perficiant.*

Ceterùm antequã ad alia quæ mihi cõmemoranda ſunt, gradũ faciam, non poſſum non mirari pariter, & commendare perfectiſſimam ſponſi Virginis obedientiã, qui cùm primum agnouit angelicum oraculum de fuga in Aegyptum arripienda, continuò ait D. Matthæus: *Conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Aegyptum*: *D. Matth. 2.* ſuper quæ verba D. Chryſoſtomus ait: *D Chry. hom. 8. in Matth.* *in re obſcura, & perplexa nihil locutus eſt, nihil interrogauit, ſed ad nutum obediuit, tentationes omnes cum gaudio ſuſtinens: ecce prõptam Ioſephi obedientiam, nulla interpoſita mora, antequam dies illuceſcat, ipſa etiam nocte, ne quiſpiam fugam obſeruaret, viam aggreditur*, Ecce cæcam, quam Sancti Patres vocitant obedientiã: non ſciſcitatur, quomodo ſi Deus eſt, fugit ab hoſte; quomodo ſi alios è faucibus Diaboli eripere venit, potentiæ Herodis non reſiſtit; non obmurmurat, nec conqueritur de difficultate itineris, de importuno noctis tempore, de inopinato & improuiſo profectu, de inopia ad expenſas neceſſario faciendas, maxime in regione barbara, & inculta: his omnibus difficultatibus, & alijs quas longum eſſet recenſere, viriliter ſuperatis, in omnibus parendũ eſſe Deo conſtanter elegit: inſtar Abrahæ, *Geneſ. 18.* qui diuino præcepto obaudiens de mactando filio ſuo, à quo multam poſteritatem ſe habiturum ei pollicitus fuerat Deus, manè cõſurgens ad iter ſe accinxit; necnon inſtar Moyſis, cui cum multa dura, ac difficilia Dominus imperaſſet, nimirum vt ſuperbiſſimum Pharaonem tanquam poteſtatem habens alloqueretur, vt potenter ei reſiſteret, acriter ei minaretur, multiſque plagis nuntiaret opprimẽdum, niſi diuinæ iuſſioni obtemperaret, nihil ea moleſte tulit, nec amara illa, aut acerba iudicauit, vt ait Dauid, *& non exacerbauit omnes ſermones ſuos*: *Pſalm. 104.* etenim ſicut mollis cæra quocumque manus illam dilatauerit, aut extenderit, eo ſequitur, abſque omni prorſus reluctatione: ſic ſanctus Ioſeph quocumq; manus Domini illum ducebat, eò confeſtim pergebat. Huius velocitatis in obediendo eam cauſam arbitror, quod cum fuga illa eſſet ad præcauendã Chriſti necem, quam Herodiana ſæuitia moliebatur, & ipſe ardentiſſime Chriſtum Dominum

minũ amaret, inde fuit vt facile, ac promptè, tàm arduam, ac difficilem itineris in Aegyptum prouinciam ſuſciperet. Vnde videntur mihi obedientia, & amor in Ioſepho inſtar alarum duarum; nam ſicut iſtæ, volucres volare faciunt, ita obedientia, & in infantem ſingularis beneuolẽtia, & amor ad diuinum mandatum ſine mora exſequendum illum impulerunt: & ſicut etiam nauis expanſis velis, ſi proſpero flatu feratur per pelagus, impediri minime poteſt quin celeriter currat, & quodãmodo volet; ſic Ioſeph virtutibus illis velut quibuſdam velis Spiritus ſancti vento commotis, fieri nõ potuit quin curreret, & volaret ad perficiendum diuinum mãdatum. Sanè Sanctiſſimus Ioſeph exactè adeò, diuinæ iuſſioni in omnibus ſemper obſecundauit, vt nemo melius quàm ille adimpleuiſſe mihi videatur illud Deutero. 6. *Erunt verba hæc in corde tuo, vt mediteris in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens*; cum re vera non ſolum vigilans diuinum pręceptũ exſecutioni mãdauerit, ſed & dormiens exſequendum acceptauerit, Euangeliſta dicente, quòd Angelus Domini in ſomnis apparuit ei, & quòd continuò ipſe ſurgens eadẽ nocte pergere cæpit. In quo egregium nobis obedientiæ documentum exhibuit; non enim eſt ſubditorum, cauſas indagare iuſſionis maiorum, ſed ſimpliciter obedire. Epichëija quippè quæ interpretatrix legum eſt, in principe tantum debet eſſe, ſecundum Philoſophi doctrinam, non in ſubdito, niſi in caſibus, quæ maxima ſecum afferunt pericula, de quibus ſuperior adiri non poteſt. Quare ſubditi ſimpliciter obedire tenentur abſque alicuius cauſæ inquiſitione, dũmodo man datum non præ ſe ferat manifeſtam iniquitatem. Quod & in lege veteri adumbratum fuiſſe lego; pręceptum quippe erat vt ſacerdotes maiores vaſa Tabernaculi certis velaminibus cooperta, & inuoluta imponerent humeris minorum, qui non auderent ea ex illis coopertorijs educere; ſed id eſſet munus maiorum, vt hinc intelligat inferior ſe non habere poteſtatem diſcooperiendi cauſas, & rationes, quibus moti ſuperiores talia ſuper eorum humeros onera imponanr, ſed quod ſimpliciter obedire; nec euoluere debent cauſas, ſed cum ſilentio, & humilitate ſubijcere humeros ad obedientiæ onera portanda. Vnde B. Benedictus in ſua regula docet, quod etiamſi impoſſibile aliquando præciperet Prælatus, ſaltim tentandum eſt facere, ne videarur impoſſibili repugnare, quo vſque eius impoſſibilitas appareat. Duobus præcipuè medijs iuuari ſolet verus obediens, vt quamuis alioquin difficilia, & appetitui valde diſſentanea ei præcipianrur, illa nihiloſecius exſecutioni mander. Primum eſt quod prudenter ſibi perſuadeat, etiam ſe ignorante, nec percalente, immo nec ſubodorante rationem rei ſibi præceptæ, omnino ei ſibi parẽdum fore; ſicut enim princeps non ſemper reuelat cõſilia cordis ſui illis, quibus ea exſequendi curam committit, vt Rex Hiſpaniæ literas clauſas, ac ſigillo ſignatas Generali Duci exercitus præbet, iubẽs ei minime eas aperire, quouſque in talem, vel talem locum deueniat; nec enim conſilia Principum omnibus, & vbique nuda, & aperta eſſe oportet, vt non obſcure indicarunt veteres illi Romani in vexillis ſuis geſtantes Minotauri imaginẽ expreſſam: hoc enim ſymbolo prænotabant, conſilia bellica, inſtar Minotauri in labyrinto Cretenſi latentis, abdita eſſe debere. Atque hinc eſt quòd Iſraëlitæ Deo occulta ſibi conſilia non reuelanre recalcitrauerunt, Dauide dicente: *& non ſuſtinuerunt conſilium eius, & tentauerunt eum in inaquoſo*; poſt enim prodigia ab eis clare viſa, & in gratiam eorum patrata, minime iudicare debuiſſent velle Deum ſiti eos tabeſieri, ſed potius ſitim illã occulro Dei conſilio permiſſam propter maius aliquod bonum ſibi ignotũ. Sanctus ergo Ioſeph tanquam verus obediens, non diſquirens curioſe rationes rei præceptæ, quia nouit conſilia regũ, & maximè ſupremi omniũ, occulta eſſe oportere, continuo abſque vlla mora iter arripuit.

Secundum quod verum obedientem vehementer impellit ad obtemperandum etiam in rebus difficillimis, illud eſt quod ſinit ſe a Domino regi, & ſpiritu eius agi, atque ideò facile ſibi perſuaſum habet quamcunq; murationem etiamſi in peius ſibi videatur abire, profuturam ſibi fore: ad quod ſignificandum congruè ſatis Regius Vates ad pſalmum illum, *Dominus regit me*, hunc appoſuit titulum, *pro his qui commutabuntur*: quaſi diceret, Scopus eſt huius

Deuter. 6. | D. Bened. in ſua Regula. | Pſal. 105. | Pſal. 22.

huius pſalmi eos cõſolari qui importunam & ingratam mutationem ex vno loco ad alium paſſi fuerint. hi namque perpendere debent mutationem hanc perſimilẽ eſſe illi, quã præſtat bonus ac prudẽs paſtor, qui cum gregem in faſtigio montis alacriter paſcentem videt, obſeruans tamẽ herbam illam eſſe nociuam, iactu fundæ, & baculi compellit gregem ad vallem deſcendere, ac dulce ſibi pabulum deſerere: hac cogitatione munitus Sanctus Ioſeph continuò diuino præcepto obtemperauit, ac difficilem illam in Aegyptum mutationem eadem nocte ſuſtinere cæpit, Euangeliſta dicente: *qui conſurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Aegyptum.* (D. Matthæi. cap. 2.) Quæ verba licet adeo clara, & perſpicua ſint, quidam tamen Doctores ſecuti Epiſcopum Abulenſem in cap. 2. Matthęi, exiſtimant quod Ioſeph nõ diſceſſit in Aegyptum illa eadem nocte, in quã ei Angelus apparuit, idque nonnullis rationibus nituntur comprobare: (Toſtatus Epiſcopus Abul. Matthæi. 2.) quarum prima eſt, quia Ioſeph (ſicut ille inquit) indigebat aliquibus, quæ prius erant præparanda pro matre & puero, maxime cum via eſſet longiſſima & laborioſiſſima, propter quæ Ioſeph non poterat ſubito eadem nocte ſe præparare & ſecedere. Secũda ratio eſt, qa Ioſeph diſcedebat in Aegyptum, vt ibi maneret per longum tempus, cum Angelus ei dixiſſet: *fuge in Aegyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi.* Vnde oportebat, quod diſponeret aliqua de neceſſarijs quæ afferre ſecũ potuiſſet in vitæ ſuæ ſolatium & auxilium pro illo tempore.

Tertia ratio: quia licet Ioſeph & Virgo eſſent pauperes, aliquid tamen habebant, vnde cum recederent de terra & patria ſua, neſcientes quando iterum redituri eſſent, opus erat quod aliquantulum diſponerẽt de rebus ſuis eo modo quo poſſent, vt ſaltem non omninò perirent.

Quarta, quia oportebat famæ conſulere, nec inſalutatis vicinis & cognatis fugam capere; dixit enim Apoſtolus: (Ad Rom. 12.) *Oportet prouidere bona non ſolum coram Deo; ſed coram hominibus.* Verum oppoſitam ſententiam quam ſequitur Card. Caietanus, (Card. Caieta. ſuper Matth.) non modo probabiliorem putamus, ſed etiam Angeli dictis magis multò conſentaneam, nimirum quod eadem nocte cum euigilauit a ſomno Ioſeph, exſequutus eſt quod monuit Angelus. Ita etiam docet Titelmanus, necnon & Cornelius Ianſenius, (Titelman. Cornel. Ianſe.) qui in hunc modum loquitur: *Neque paruit tantum Angelico oraculo, ſed & nocte omnibus relictis fugit, cum fugere ſimpliciter iuſſus fuiſſet, hac in re diligentiam parendi oraculo præ ſe ferens, ſuoque exemplo nos docẽs, cum de voluntate Domini conſtat, omnem rationis induſtriam ac vires omnes intendendas eſſe, vt quod probari Domino cognouerimus, commodiſſime perficiamus.* Et quidem non parum infirmat Abulenſis, & aliorum ſentẽtiam illa eadem quam ipſi verbis Euangeliſtæ adhibent expoſitionem, vt ſignificent, non quidem quòd Ioſeph eadem ipſa nocte receſſerit, ſed quod poſtquam nonnullas moras ſuſtinuerit, aliqua alia nocte paucis interiectis ꝓfectus fuerit: quia præterquàm hæc Toſtati expoſitio literæ minus congruit, non eſt ſane credendum de Ioſeph, qui vir erat ſanctiſſimus & prudentiſſimus, velle fugam differre cum maniſeſto periculo immaculati agni, quem cruentus lupus auidiſſime quærebat: cum enim ex verbis Simeonis & Annę, iam rumor de illo inciperet dilatari; certè ſi Ioſeph in rerum domeſticarũ diſpoſitione tunc occuparetur, multo magis rumor excreſceret; cum diſpoſitio illa omnino clanculũ fieri non poſſet. Veroſimilius ergo eſt omnium bonorum ſuorum iacturam voluiſſe potius ſuſtinere, quàm cũ periculo infantis fugam differre. Vnde ſapienter idẽ Cornel. Ianſenius in ſua concordia dixit: (Cornel Ianſe. in ſua concordia cap. 11.) *Hic tã & paupertas parentum Chriſti ſatis notari poteſt. Nã ante fugam ſarcinæ diu colligendæ erãt, aut debitores adeundi, aut facultates diſponendæ, ſed omnibus ſi quæ erant poſt habitis; id vnum agebant, vt diuino obedirent mandato.* Nec propterea fama eius & vxoris iacturam aliquam ſuſtinuit; quia cum omnem mali ſuſpicionẽ ſanctiſſimæ Deiparæ & Ioſephi vita, immaculata ſingularíſque Dei prouidentia repelleret, facile vicini exiſtimare poſſent ad aliquod negotium neceſſariũ, quod dilationẽ non patiebatur diſceſſiſſe. Dicamus ergo, quod ſicut olim Abraham audito diuino præcepto nocte conſurgens ſecum tulit puerum Iſaac, (Geneſ. 22.) ira ſanctus Ioſeph cùmprimum agnouit diuinum mandatum de fuga in Aegyptum, protinus eadem nocte abſque vlla mora perrexit in Aegyptum adducens ſecum matrem & puerum Ieſum, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Homilia IV.

Tres præcipuæ Rationes dubitandi proponuntur, ob quas videbatur non decuiſſe Chriſtum Dominum fugam arripere à facie Herodis: Totidem tamen adducuntur, quibus fugam hanc rationi valde conſentaneam fuiſſe comprobatur.

NON pauca reperio, quæ diligentes Inueſtigatores fieri non ſolum monent, ſed & cogunt earum cauſarum, quæ Chriſtum Dominum impulerũt à facie Herodis fugere, inter quas, illa à me hic apponenda præcipua capita eſſe reor.

Primum eſt, quia ſexcentis modis, facili negotio poterat Chriſtus Dominus abſque fuga eius manus effugere: poterat enim, quod grandiore ætate præſtitit, incolumis per medias hoſtium turmas pertranſire; cum enim voluerunt inimici eius ex monte illum præcipitare, Sanctus Lucas ait: *Ipſe autem tranſiens, per medium illorum ibat.* (*Luc. 4.*)

Poterat etiam ſe inuiſibilem lictoribus Herodis reddere prout fecit, cum illum lapidare tentarunt, vt tradit Diuus Auguſtinus verſans illa verba: *Ieſus autem abſcondit ſe:* non enim putat per fugam ſe abſcondiſſe, ſed inuiſibilem ſe reddendo. (*D. Aug. tract. 45. in Ioan. Ioan. c. 7.*) Poterat item tanquam abſolutus Dominus generalem concurſum ſuum ſuſpendere, vt manus comprehenſorum illi admoueri non poſſent, ſicut olim fecit in fornace Babylonis cum flamma voracis ignis, tres pueros non tetigit, nec eis aliquod nocumẽtũ intulit. (*Daniel 3.*) Poterat deinde Herodianam crudelitatem lenire, vt ſicut ante Incarnationem tumentes maris vndas compeſcuerat, vt Populus Iſrael incolumis pertranſiret; (*Exod. 14.*) ita iracundiæ fluctus Herodis animum quatientes reprimeret. Et quidem cum olim ſeptem ferociſſimos Leones, ne in Danielem irruerent, ſolo nutu potentiſſimè prohibuit, (*Daniel 14.*) facile leoninam vnius Herodis rabiem potuiſſet cohibere. Quod ſi rurſus non blanditijs, aut lenibus remedijs vti voluiſſet, quid quæſo ſibi facilius, quàm varijs ſupplicijs eius petulantiam infringere, ipſum, & eius Carnifices animam Infantis quærentes, cœcitate, aut alio graui morbo mulctare? ſicut olim mulctauit quærentes iuuenes ad abutendum illis: *Percuſſerunt cæcitate à minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent.* (*Geneſ. 19.*)

Poterat ſimiliter facere, vt ſicut tertio Regum legimus, Roboam manus contra ſeruum Dei extenta continuò contabuit: *exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad ſe;* (*3. Reg. 13.*) ita manus ſatellitum, quæ aduerſus Chriſtum Dominum extenderentur, protinus areſcerent; vel certè, quemadmodum ad petitionem Heliæ, ignis de cœlo deſcendens, tentantes illum comprehendere combuſſit, (*4. Reg. 1.*) ita flamma cælitus miſſa perſecutores ſuos deuoraret. Numquid non ei facile erat, necem inferre homini ſcelerato, & improbo, qui Angeli gladio tot millia Babylonici exercitus vna nocte interfecit? (*1. Reg. 24.*) aut qui vnius feminæ manu impij Holofernis caput truncauit, non poterat potentiſſimo ſuo brachio Herodis caput amputare? (*Iudith. 13.*) maximè, cum nefarios homines punire non minorem gloriam, quàm probos remunerare conciliet. Vnde Leuitici decimo, cum ignis combuſſiſſet filium Aaronis, Dominus dixit: *In conſpectu omnis Populi glorificabor.* (*Leuit. 10.*) Ecce punitionem malorum, vocat gloriam ſuam: & in Deuteronomio quarto, ſpolia hoſtium, quæ poſt victoriam Deus comburi præcipiebat, *anathema* appellantur in ſacris eloquijs, id eſt, ſeparata, & dicata cultui diuino: (*Deuter. 4.*) quibus non obſcurè innuitur, malorum punitionem Deo eſſe inſtar ſpoliorum quæ de hoſtibus capiuntur, gratam & glorioſam.

Secun-

Secundum, quod vehementer animum pulſat ad quærendũ diligenter cauſas, ob quas Chriſtus Dominus fugam arripere voluit à facie perſecutoris, illud ſanè eſt, quòd paruulos Innocentes euidenti vitæ diſcrimini expoſitos relinquit, quod alienum certè videtur à generoſi animo Ducis. Iſaias enim in perſona Dei ait: *ecce*
Iſai.55. *teſtem Populi dedi eum Ducem, & præceptorem gentium*. Puſillanimis autem ac meticuloſi Ducis manifeſtum inditium eſt militibus eius acriter cũ hoſtibus contendentibus fugam arripere, ac vitæ diſcrimina ipſo ſaluo, & incolumi manente, alijs ſuſtinenda relinquere. Deinde ipſe iam
Ioan.c.10. grandior factus dixit: *Ego ſum bonus Paſtor: bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis: mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, videt lupum venientem, & fugit, quia mercenarius eſt*. Igitur, cum ad bonum paſtorem pertineat mortis pericula ſubire, vt ouium vitam illæſam conſeruet, debuiſſet ſanè Chriſtus Dominus lupinæ Herodis ſæuitiæ ſe tradere, ne tot millia Infantium perirẽt; alioquin mercenarium eum iudicabit, qui illum inſtar mercenarij fugientem viderit. Rurſus ipſe gallinæ ſe comparauit ſingularẽ pullorum curam
Matth.23. habenti: *Quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas*: nulla autem vnquã viſa eſt gallina, quæ conſpiciens miluũ pullos ſuos inuadere, continuò fugiat, nullamq; prorſus de eorum vita conſeruanda aut morte vitanda curam gerat; ſi ergo Chriſti ſollicitudo, & amor erga infantulos Innocentes erat inſtar ſolicitudinis, & amoris, quẽ gallina filijs ſuis exhibet, debebat quidẽ ſacros illos pullos protegere, & ab Herodis rapaciſſimis vnguibus eos eripere.

Tertium, quod eaſdẽ cauſas haud oſcitanter quærere cogit, illud certè eſt, quòd ſuperuacaneum omninò videtur ad vitandam necem, quã Chriſto infanti Herodes inferre moliebatur, fugere in terram adeò longinquam, cùm intra Galilæam manens Nazareth, ſecurus potuiſſet ibi latitare, & abſq; aliquo timore, nã certè Herodes ſo-
Matthæi c.2. lum *occidit infantes, qui erant in Bethlehem & finibus eius*, vt facer Euangeliſta Matthæus conteſtatur: nullus autem illorum, qui erãt in Galilæa, fuit occiſus, immo nec Herodes ſuſpicatus eſt aliquid contra Galilæos infantes, alioquin occidiſſet aliquos eorum, ſicut propter ſimilem ſuſpicionem occidit Bethlehemiticos. Nec ſatisfacit illorum reſponſio, qui perperam contendũt, quòd cum Ioſeph monitus fuit ab Angelo fugere in Aegyptum, tunc erat in Bethlehem, & ideò oportuit illum ab eo loco diſcedere, cuius infantes occidẽdi erant: hoc ſanè minimè cum Euangelica hiſtoria cohęrere poteſt, quia fuga illa fuit poſt puriſficationem Virginis in Templo, qua peracta non redijt in Bethlehem, ſed in Nazareth, vt teſtatur D. Lucas dicens: *Vt perfecerunt omnia ſecundũ legem Domini, reuerſi* *Lucæ 2.*
ſunt in Galilæam, in Ciuitatem ſuam Nazareth: manens igitur in Nazareth, ſecurus erat, atque adeò ſuperuacanea redditur eius fuga ad conſeruandam vitam. Accedit, quòd Deus, à quo reuelatio illa fugiendi in Aegyptum, ortum habuit, euidentiſſime præcognouerat locum, in quo infantes occidendi eſſent, & præſcierat nullos occidendos in Nazareth: fruſtrà ergo fugit a Nazareth.

Hucuſque tres dubitandi rationes propoſui, ob quas videbatur, nõ decuiſſe Chriſtum fugere: nunc totidem cauſas, & rationes apponam ex antiquorum Patrum theſauris depromptas, quibus non obſcurè conſtabit, Chriſti Domini fugam a facie Herodis rationi valdè conſentaneam fuiſſe.

Primam cauſam fugiendi Chriſtũ Dominum tradit D. Athanaſ. dum ait: *decuiſ-* *D. Athanaſ.*
ſe Chriſtum, vt ſicut eſuriendo, ſitiendo, patiendo, ita quoque ipſa ratione fugiendi, oſtenderet ſe carnem geſtare, & hominem factum eſſe. Sed latius Diuus Chryſoſtomus hanc *D. Chryſ. ſuper cap. 2. Matth.*
rationem proſequitur in hæc verba. *Dignum eſſe hoc loco iudico trepidationem quandam mentis fateri, & quaſi metuere pro Magis pariter ac puero: etſi enim illi turbati non ſunt, ſed fideliter omnia ſuſceperunt, nos tamen ſcrutari dignum eſt, cur non & Magi præſentes ſaluentur, & puer, ſed illi quidem per fidem reuertantur, hic autem cum Matre in Aegyptum transfugiat, eùm multò potius fuiſſe videatur in manus eum Herodis incidere; nec tamen, cùm incidiſſet, latere, ſed claro prorſus diuinitatis auxilio vindicari. Verum hoc modo rebus impletis, creditum non fuiſſet, verè illum ſuſcepiſſe carnem, tantique hodie myſterij ſacramenta nutarent: Si enim etiam cum iſta facta ſint,*

M 2 *& plu-*

Digitized by Google

& plurima iuxta humanæ naturæ diſpenſata rationem, aliqui tamen auſi ſunt ſuſpicari, quoniam fabula quædam fuerit carnis aſſumptio, in qua non illi impietatis prærupta recidiſſent, ſi omnia, iuxta quod dignum eſt, propriæ virtutis potentia egiſſet? Magos verò celeriter emittit, ſimul & Perſarum regioni mittens magiſtros, & inefficacem reddens furorem tyranni, vt diſcat ſe impoſſibilia moliri, & conceptam extinguat inuidiam, ſeque ab ſtudio vani laboris abducat. Eſt autem Diuinitatis virtute dignum, non modo conterere inimicos, verum etiam cum omni illos facilitate decipere: ſic enim & Aegyptios Populi ſui vtilitate ſeduxit, cumque palam in Iudæorum manus, illorum poſſet transferre diuitias; occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit, quod certe illum apud inimicos non minus reddidit, quàm alia ſigna, terribilem. Denique Aſcalonitæ, omneſque per circuitum alienigenæ, quando arcam Dei ceperunt, percuſſique plaga ſuaſerunt ciuibus ſuis, ne aduerſus Dei repugnarent manum: cum cæteris mirabilibus, hoc quoque in medium protulerunt,
1. Reg. 6. *dicentes: Quare grauatis corda veſtra, ſicut grauauit Aegyptus, & Pharao cor ſuũ? Nonne poſtquam illuſit eis, dimiſerunt populum ſuum, & abijt? Hæc verò dicebant, cum ad documentum virtutis Dei, ſignis manifeſtius factis, nequaquam iſtud eſſe inferius iudicarent. Id igitur etiam in præſenti cauſa factum eſt, quod certè facilè poſſet Tyranno incutere terrorem.* hactenus Diuus Chryſoſtomus, quibus primæ rationi dubitandi egregiè ſatisfit, eamque præ-
S. Brigitta li. 5. interrog. 12. claram eſſe confirmat Reuelatio facta Sanctæ Brigittæ, cui Chriſtus Dominus dixit. *Quòd autem fugi in Aegyptum, in hoc infirmitas humanitatis meæ oſtenſa eſt.*

Secundam cauſam, quare Chriſtus fugit, nè ab impio Herode occidererur, aſſi-
Diuus Petrus Chryſologus. gnauit D. Petrus Chryſologus homil. 151. noſtram vtilitatem fuiſſe. Verba eius ſunt hæc. *Hucuſque fugæ Chriſti querimonias exaggeraſſe ſufficiat. Fratres, quod fugit Chriſtus, fuit myſterij, non timoris; fuit liberatio, non periculum Creatoris; diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter authoris mortem, ſed fugit propter ſæculi vitam: nam, qui mori venerat, quare fugeret mortem? Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe paruulum permiſiſſet occidi: Chriſtus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipſe faceret, quæ facienda mandauerat, & viſu probaret poſſibilia, quæ impoſſibilia videbantur auditu. Venerat vt mundo notitiam ſuæ deitatis infunderet, & humani generis ignorantiam auferret. Venerat, vt pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret; venerat Diabolum publico ſuperare conflictu, vt ab omnibus, & diuino vinceretur iuſſu, & humano proſterneretur exemplo. Venerat præſentiæ ſuæ promiſſa perſoluere, vt quibus ſcire ſe dederat, concederet ſe videre. Venerat, vt veniret Iudæus de contemptu legis: venerat introducere ad fidem gentes. Venerat eligere Apoſtolos Doctores orbis, eoſque cæleſtibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare ſignis, vt ſignis edomarent feros, ſanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent: & ad ſummum venerat, mortem perdere moriendo; penetrando inferna diſſoluere; reſurgendo ſepulchra reſerare; aſcendendo ad Cælos, cæleſtibus donare terrenos. Omnia hæc vtique perijſſent nobis, ſi Chriſtus cùm eſſet in cunabulis, non fugiſſet.* Conſonant his compendioſa verba Diui Fulgentij ſer- D. Fulg. ſerm. de Epiphan.
mone de Epiphania, dum ait: *Dignatus eſt in Aegyptum fugere, vt poſteà crucem dignaretur aſcendere: fecit enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena, cum enim prædefinitum fuiſſet à Deo, vt in adulta ætate moreretur, quia id nobis magis expediebat; fugit ad vitandam humano modo, non potentia virtutis, mortem in infantia ſibi imminentem, vnde manifeſtum eſt, amore noſtri, non Herodis timore, quem ſolo nutu cohibere potuiſſet, fugam arripuiſſe, ſed potius inſtar ſtrenui Ducis ſingulari ſtratagemate, inimicum fugiendo, deluſiſſe.* Vnde eleganter Diuus Petrus D. Pet. Chryſol ſer. 180.
Chryſologus dixit: *Bellicoſus, quòd in bello fugit, virtutis eſt, non timoris. Deus, quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non pauoris: potens, quando ſe ſubducit infirmo, inſequentem non pauet, ſed foris producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam; occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſæculis vult triumphum: ſecreta victoria, virtuſque latens exemplum poſteris non relinquunt: hinc eſt, quod Chriſtus fugit, vt cedat tempori, non Herodi. Neque enim mortem fugit, qui venerat de hoſte reportare victoriam, neque humanas inſidias*

expa-

Digitized by Google

expaueſcit, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire verſutias; nec tunc timuit, quando infans,& ſecundum hominem timere neſciuit, & ſecundum Deum potuit non timere. Quòdq; ſi expreſſius agnoſcere cupis,quàm vtile nobis fuerit,ne Chriſtus in infantia,ſed grandior effectus moreretur, memento quæſo,nomen *Agni* ei in baptiſmo impoſitum, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*: agninam autem carnem nemo ignorat,aptiorem eſſe cibum, & conuenientiorem ſaluti, cum creuerit, quàm dum lacte ad vbera matris nutritur: & quamuis mors huius Agni ſatis tũc nobis eſſet in propitiationem,tamẽ ſi infans occubuiſſet, totus orbis diuina eius doctrina, & exemplo caruiſſet: quis enim Mundo cæleſtia enunciaret,ſi vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ea non enarraſſet? *Qui enim de terra eſt, de terra loquitur;qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt*. Quis etiam exemplo doceret nos viam in Cœlum,*vt ſtultus non erret per eam,* niſi Chriſti exempla coram oculis haberemus? & ſi adhuc ita imperfecti ſumus, cũ tot Chriſti exempla imitatione digna ante oculos habuerimus,quales (obſecro) nos futuros fore putandum eſt, ſi illis caruiſſemus? Solet Mathematicus diſputans e cathedra,de figuris docere diſcipulos, & figuras quodam digito per aërem deſignare, atque huc,illucque ſe vertens,ait: hic eſt circulus,hic triangulus; ſed hæc in aëre ſignãs, cum perfectas figuras, & permanentes efformare non poſſit, continuò illæ euaneſcun.; vt verò perfecte eas efficiat,& oculis diſcipulorum illas ſubijciat, è cathedra deſcendens, papyrum,aut tabulam ſumit, ibique illas perfectè circinno ſignat. Non ſecus, Deus olim homines, virtutum figuras è Cœlo,eaſque in viris ſanctis effingebat,quos,vt exemplaria Mundo proponebat. Vnde de Tobia dicitur: *Hanc autem tentationem permiſit Deus euenire illi, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius*. Ecce in Tobia depinxit patientiæ imaginem. Cum Suſanna etiam a laſciuis ſenibus tentata, glorioſiſſimè illos deuicit; ſanè in ea Deus poſteris omnibus ſingularis caſtimoniæ exemplar viuum ad imirandum propoſuit. Verùm harum virtutum effigies in aërea materia cælabantur Iobo dicente: *Ventus eſt vita mea*, ideò non erant omnibus numeris abſolutæ,ſed multis imperfectionibus admixtæ: vt ergo filius æterni Patris mortalium oculis perfectiſſima proponeret virtutum exemplaria,deſcendit de Cœlis,& in aſſumpta humanitate,circinno ea adamuſſim efformauit,vt verè eius æmulatores efficiamur,iuxta illud Petri: *Nobis relinquens exemplum,vt ſequamur veſtigia eius*. Hac ergo ratione modò ſe morti ſubtrahit, non eam recuſans, ſed in tempus commodius differens, vt prius omnem nos edoceat virtutem tàm verbo, quàm exemplo. Non igitur timor, ſed ardẽs potius erga nos amor ad differendam mortem in ætate iam prouecta Chriſtum impulit. Et quidem ſi adhuc iam vir factus, quia tempus mortis eius nondum appropinquarat, dixit: *nondum venit hora mea*; quanto potiori iure in infantili exiſtens ætate idipſum dicere potuiſſet? Quãuis igitur totis viribus Herodes Chriſtum perſequatur, vori ſui compos minimè euadet; horam eius mutare, mortem accelerare, interitum maturare nequibit; habet enim ille ſicut vitæ, ita & mortis clauẽ,Herodianiq; furoris habenas manu geſtat: quare huius lupina ſæuitia ardentior eſſe non poterit, quàm mitis hic agnus permiſerit; idcircò,cum ipſe decreuerit infantem non mori, nec dum tener eſt,matris vbera ſugentem occidi; quia ardentiſſimo eius amori erga genus humanum,tàm parum ſanguinis effundẽdo,non plenè ſatisfeciſſe ſibi videbatur: Ideò in vanum laborat Herodes, quærẽs in infantia animam eius. creſcet ætas, roborabitur corpus,augeſcet ſanguis,& tunc hoſtes non fugiet, ſed quæret, qui terris irrigandis, ſanguinis aperiant ex virili corpore fluuios.

Ioan. 1.

Ioan. c. 3.

Iſai. cap. 35.

Tob. cap. 2.

Iob. cap. 7.

1. Pet. 2.

Ioan. c. 2.

Quod ſi adhùc rem altius cõſideremus, facilè nobis innoteſcet, maius Chriſtum Dominum ſui amoris pignus nobis præbuiſſe differendo mortem vſque ad iuuentutem ſuam,quàm ſi in infantia, aut ſenectute moreretur. Sãctus ille Rex Ezechias, quando mortis ſuæ ſentẽtia fuit ſibi nunciata illud ſuper omnia vehementer illum cruciabat, quod in iuuentute ſua interire cogeretur. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi:* magis enim, ceteris paribus, contriſtat animum mors iuuenis, quã ſenis,aut infantis, quia inter omnes ętates iuuentus precioſior eſſe cenſetur. Vt ergo Chriſtus maioris amo- Iſai. 38.

ris ſui ſigna nobis exhiberet, precioſiore ſuæ ætatis tempore pro nobis vitam profundere voluit, & ideò nec in infantia, nec in ſenectute moriendum ſibi elegit. Atque per hoc ſufficienter reſponſum me dediſſe arbitror ſecundæ rationi dubitandi.

Ex quo vobis, ò ſenes, ætate & in peccatis inueterati, non exigua erubeſcentiæ, & confuſionis materia proponitur, cum Chriſto precioſius ſuæ ætatis tempus, immo & totum ſuæ vitæ curriculum in veſtram vtilitatem expendente, vos nec deteriores vitæ veſtræ dies in feliciora tempora, & momenta in obſequium eius expendatis. Ita ne ætatis veſtræ candidiorem & ſelectiorem farinam veſtris voluptatibus, & delitijs abſumentes, nec viles ſaltem illius furfures Deo præſtare vultis? Audite queſo, vt erubeſcatis, gentilem hominem Senecam in hunc modum ſenibus loquentem: *Non te pudet, reliquias vitæ tibi ſeruare, & ideo ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? quàm ſerum eſt, tunc incipere, cum deſinendum eſt? quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio, in quinquageſimum, & ſexageſimum annum differre ſana conſilia?* Hactenus Seneca. ſed compendioſius Salomon: *Ne des annos tuos crudeli*: quaſi dicat, nè concedas proſperos tuos annos crudeli hoſti appetitus tui ſenſitiui, ſed præbe illos manſuetiſſimo infanti, Chriſto Domino, qui pro diebus æternitatis facile eos tibi commutabit. quòd ſi hoc præſtare renuis, caue ne impleatur in te illud Eccleſiaſtici intempeſtiuam mortis tibi minantis horam: *ne impiè agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Scio nonnullos non indocte hunc locum explicare, vt duplex poſſit intelligi homo habere tempus; vnum, ſuum, quandiu cœleſti auxilio ſuffultus diuinis obſecundat iuſſionibus; aliud non ſuum, quando in peccatis conterens, tempus illud Dæmoni ſacrificat, tunc enim crudelis hic Tyrannus, ſicut facit ſeruum ſuum ipſum peccatorem, ita tempus eius perperam conſumptum quodammodo reddit ſuum: cum ergo monet Eccleſiaſticus peccatorem, ne moriatur in tempore non ſuo, perinde eſt, ac ſi diceret: Caue, ne moriaris in tempore, quod immolaſti Diabolo, talis enim mors ad mortem æternam te ducet. Ceterùm D. Hieronymus, Paraphraſtes Chaldæus, & Albinus aliam viam ingredientes, arbitrantur, tunc hominem cenſeri mori in tempore non ſuo, quãdo propter frequentia ſcelera, ac enormia peccata, ita diuinam iracundiam contra ſe prouocauit, vt ante tempus illud ad quod, ſi ita non peccaſſet, perueniſſet, vitã ei eripiat, adeò, vt ſi aliàs victurus fuiſſet ſexaginta annis, triginta tantùm ſit ſuperſtes, prout cuidam adoleſcenti accidiſſe commemorat Sanctus Bernardinus affirmãs, quod ipſo viuente, cum quidam iuuenis decem & octo annorum, parentibus inobediens, varijs latrocinijs aſſuetus ad ſuſpendium duceretur, patibulo proximus paulatim caneſcere cœpit, ſenili barba mentum eius circundari, & vultum eius rugis repleri in ſimilitudinẽ decrepiti nonagenarij. Cuius ſtupendi effectus occultam cauſam ex diuina reuelatione illius vrbis Epiſcopus agnoſcens, aſſeruit diuinitus ſibi innotuiſſe, quod ſi adoleſcens ille non addidiſſet tot peccata peccatis, nonagenarius moriturus foret; in pœnam tamen eorum diuino iudicio factum eſſe, vt reliqui omnes anni à decimo octauo, quo mortuus fuit, vſque ad nonageſimum ei auferrentur.

Senec. libro de breuitate vitæ cap. 5.

Prou. cap. 5.

Eccleſ. 7.

D. Hieron. Paraph. Chaldaus Albin.

S. Bern. tom. 2. in quad. dom. 2. ſerm. 17.

Cauete ergo, ne peccata peccatis adijcientes, hanc Dei vindictam experiamini, vel certè eam, quam expertus eſt ille, qui inopinatè, & repentè vocem ſibi dicentem audiuit, *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te*. Attendite Dei minas; animam eius repetendam fore, ãit tempore nocturno, non diurno, quia cum tunc diuites ſoleant multis famulis, & amicis ſtipari, forſan quiſpiam erga illos pietate motus confeſſarium vocaret, & ad contritionem animum infirmantis excitaret, ſeuero tamen Dei iudicio fiet, in peccatorum ſupplicium, vt importuno noctis tempore pereat, quo nemo ſpirituale aliquod ſacramentorum ſubſidium ei pręſtare poſſit. Deinde addit: *repetent animã tuam*; Equidem non videbatur dicendum: *repetent*: ſed *repetet*: quia cum ſolus Deus illam dederit, ad illum ſolum ſpectat eam repetere: ſed conſulto ait: *repetent*: ad ſignificandum, quod ſicut olim peccatum Cain fratris ſanguinem effundentis vindictam aduerſus eum poſtulabat; *ſanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, ita ſcelera omnia in curriculo vitæ patrata animam miſeri peccatoris repetẽt, e corpore illam extra-

Luca cap. 12.

Luc. vbi ſup.

Geneſ. c. 4.

extrahendo, cum in ſupplicium eorum vitę illius, iuſto Dei iudicio, dies minuātur: Nec dicit: *petent*, ſed *repetent*: quia multò anteà diuinam vltionem petierant, & in extremo vitæ illam inſtantius repetunt.

Tertiam cauſam iam appono, cur Chriſtus Dominus fugerit, per quam tertiæ rationi dubitandi faciam ſatis: licet enim prima facie videatur, ſecurum potuiſſe manere in Nazareth Galilææ, cum ſolum Bethlehemitici infantes occidendi eſſent ab Herode, & conſequenter ſuperuacaneam fuiſſe illam fugam, aliter tamen ſe res habet, quia ſi Ioſeph manſiſſet in Nazareth, manifeſtum periculū imminebat, quod cum Herodes à Magis edoctus didiciſſet tempus, quo Chriſtus natus fuerat facile potuiſſet quærere, quot, & qui nam nati fuiſſent illo tēpore in Bethlehē, & per diligētem inquiſitionem inuenire potuiſſet quendam puerum Galilæum natum fuiſſe eo tempore, venientibus illac parētibus ad profitendum. Poſſet etiam non difficulter certior fieri, quomodo ille eſſet de Nazareth, quia per libros profeſſionis Bethlehem facili negocio poterat ſibi cōſtare, quot, & qui viri, & feminæ, tàm de Bethlehem, quàm alienigenæ fuiſſent illo tempore in Bethlehē, & ex hoc inquirere quænam feminæ ibi tunc pepererant, atq; adeò potuiſſet inuenire Mariam de Nazareth, ibi tūc peperiſſe puerum Ieſum, & diligentem curam adhibere ad illam inueniendam: hac enim ratione ſine dubio arbitror Angelum dixiſſe Ioſepho in Nazareth commorante, vt fugerent, quia futurum erat, *vt Herodes quæreret puerum ad perdendum eum*, vt teſtatur D. Matth. agens de fuga Chriſti, Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Matth. 2.

Homilia V.

Proſequimur cauſas fugæ Chriſti Domini à facie Herodis, alias plures ſcitu digniſſimas ex ſanctorum Patrum doctrina recenſentes, ac de bono, & vtilitate exilij permulta tradentes.

CVM perfidus ille Hæreſiarcha Neſtorius cōtra Maxentium dialogo primo petulanter, & inuerecunde aduerſus Chriſti Domini fugam oblatrans, hęc verba effutierit: *Quid poteſt eſſe iniquius, quàm vt credatur Deus propter hominem fugiſſe in Aegyptum?* Neſt. aduer. Maxentium. compellor certè nouas alias in medium producere cauſas, tùm in confuſionem huius hæretici, tùm in confirmationem Catholicæ veritatis, Chriſti Domini fugam atteſtantis. Ne autem difficultatem fugere videar, potius illam cum Diuo Chryſologo vrgebo, in hunc modum loquente; *Perſequente homine, Deus fugit, ſæuiente terra, Cœlum trepidat, & volitante puluere, pauore turbantur Angeli, & pauor Patris, filio fugiente, monſtratur: Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum. David perſequente Saul, ad Iudæam confugit, recepit vicinia; domus vnius viduæ Eliæ ſufficit ad latebras. Chriſto fugiente, locus deeſt, Prouincia deficit, non ſubuenit Patria, dum migrat; non vicinæ gentes, non finitimæ ſufficiunt Regiones; ſed Aegypti triſtem locum, extorrem habitu, lingua, moribus barbarum procurant exilium: Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum. Si reorum refugium fugit, auxilium lateſcit omnium; ſi formidat fortitudo cunctorum, ſi vniuerſorum defenſio non defendit, quare humana notatur fuga, arguitur trepidatio, fortitudo culpatur? quare vocatur in crimen Petrus, qui negat; Ioannes qui expaueſcit,* D. Chryſ. de fuga Chriſti ſer. 150. Matth. 2.

Digitized by Google

ſcit, & fugit? Diſcipuli omnes, quia deſerunt per pauorem: Et iſta fratres, eſto facta ſint, quare litteris maudantur? quare referuntur in libris? quare recitantur ſæculis? quare quotidianis lectionibus innoteſcunt? quare omnes panduntur in gentes? numquid vt diuinum timorem lingua, locus, ætas, tempus, vniuerſa cognoſcant? ſicut enim, cum virtutes leguntur, animos erigunt ad profectum, ita deponunt animos, cum recitantur infirma. Quid ſibi vult ergo Euangeliſta, quod hęc ſcribit ad memoriam ſempiternam deuoti? militis eſt, Regis ſui tacere fugam, referre conſtantiam, virtutes loqui, timores ſilere, aperire fortia, infirma reticere, aduerſa dolere, prædicare victorias, quo & hoſtium frangere auſus poſſit, & ſociorum excitare virtutem. Euangeliſta igitur referendo talia, videtur excitare Hæreticorum latratus, & defenſionem fidelibus ſubſtuliſſe. Hæc ille.

Sed re altius conſiderata, certè in fuga Chriſti Domini potentia, ſapientia, ac bonitas Dei infinita glorioſiſſimè ſe oſtentaſſe mihi videntur. Potentia enituit, dum infans faſcijs inuolutus, potentiſſimum Regem, Herodem ſuperauit; Sapientia, dũ eundem miro artificio deluſit, vt his verbis eleganter proſequitur Origenes: *Sentiens Herodes, quod deluſus eſſet à Magis, iratus factus eſt nimis, vt pote, quem Author omnium ſcelerum diabolus poſſidebat, inerat illi furor ſerpentinus, horribiliſque Draeonum, & ſpirituum immundorum inſania, idcireò, vt dictum eſt, iratus eſt nimis, multa in furore ſuo eogitans, diuerſaq; conſiderans, intra ſeipſum dicebat: En ego qui domui Prouincias, occupaui Vrbes, inuitos mihi ſubieci Populos, alia, voluntaria neceſſitate ad meum conuertens obſequium, qui terrui hoſtes, deuici aduerſas gentes, in quibuſcumq; volui, meis impietatibus ſatiſfeci, furoriq; meo obſecundaui, nec quidquã mihi contra quod volui, reſtitutum putaui: ecce, nunc meipſum video circumuentum, deluſus ſum à Magis, & ab Alienigenis velut nullus irrideor. Decidi à potẽtia mea, à miſeris hominibus illudendus deueni. Hæc dicens, impalluit, furioſusq; tremor per totam eius concurrit mentem, frendebat dentibus, nubilo tenebricabatur aſpectu, igneus oculis eius ſeſe turbo inſuderat, ſuiſq; gemitibus intra ſemetipſum impius torquebatur: nec immeritò dicit Scriptura, quia ira Regis, vt rugitus Leonis; ergo iratus factus eſt nimis: quo neſando furore excæcatus animus eius, Deum contemuit, Iuſtitiam abigit, miſericordiam ſpernit, pietatem reliquit; vni tantùm (vt dixi) furori ſeſe totum dedit.* Hæc Origenes.

Orig. ſup. cap. 2. Matth.

Deinde bonitas diuina, quæ in Chriſto Domino ſub carnis velamine latebat, in fuga hac mirificè ſplenduit, dum volens innocens puer Ieſus laborum ſuorum pueros illos ſocios, ac participes habere, latã viam eis aperuit, vt martyrij palmam reportarent: Vt enim acutè dixit D. Petrus Chryſologus: *Si non fugiſſet Ieſus, haberet eos ſynagoga filios, non eos haberet Eccleſia martyres. Certè Chriſtus Dominus, vt nullum tempus eſſet abſque miraculo*, vt notauit S. Leo Papa; *quaſi iam diceret: Sinitè paruulos venire ad me, noua gloria coronauit infantes, & de initijs ſuis paruulorum primordia conſecrauit.* Vnde rectè D. Auguſtinus ſermone 3. de Innocẽtibus dixit: *Ecce prophanus hoſtis nunquam beatis paruulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio; nam ſicut ſacratiſſimum præſentis diei feſtum manifeſtat, quantum contra beatos paruulos iniquitas abundauit, tantum in eis gratia benedictionis refudit.* Hinc rectè D. Greg. Nazianzenus dicebat; hanc ſanctorum Innocentium necem deteſtandam ſiue deplorandam eſſe, & ſimul venerandam. *Si enim* (ait) *ad Herodis, & carnificum eius crudelitatem attendamus, qui paruulos Innocentes ſine vlla cauſa morti tradebant, & inter ipſa brachia, & vbera matrum trucidabant, deteſtanda ſine dubio eſt, & deploranda, quemadmodum Ieremias in ſpiritu lamentabatur*, inquiens: *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea, cum deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi: cum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Quis enim poſſet lacrymas continere, cuius viſcera non non commouerentur, cum videret paruulos, & lactentes in medio platearum trucidari, & ad vbera matrum portatos, in ipſis earum ſinibus, ac brachijs animas exhalare? *quos enutriui* (ait) *& educaui, inimicus meus conſumpſit eos* hoſtis enim & inimicus Chriſti, & Eccleſiæ Herodes impius illos paruulos occidendo conſumpſit, & ſicut de Rege Manaſſe dicitur: *Sanguinẽ innoxium fudit Manaſſes multũ*: ſic

D. Pet. Chryſ. ſer. 153.

S. Leo Papa ſer. 2. de Epi.

D. Greg. Nazianz. de Innoc. nec.

Thren. 2.

Thren. 2.

4. Reg. 21.

ille

ille effudit ſanguinem ſanctorum Innocētum in Bethlehem, & in omnibus finibus eius;motus ferina rabie in Chriſtum, quē capere volebat ille fur,mactare, & perdere, ſed non potuit quidquam contrà Dei conſilium moliri. Si verò ad Sanctorum paruulorum feliciſſimas mortes attendamus,omni honore,& ſumma veneratione digniſſimas iudicabimus, per quas antè cœperunt cæleſtem, æternamq; vitam poſſidere, quàm vſum præſentis habere potuiſſent.

Chryſ. ſerm. 152.

Felices illi, ait Chyſologus ſerm. 152. *quibus dedit triumphare, ante quàm viuere, ante cœlum poſſidere, quàm terram: felices, qui antè cæperunt ſanguinem fundere, quàm lac perpotare ex vberibus; fœlices quorum crimen, ſuit propria innocentia, & Chriſti gloria. Et vide optimè hæc duo ſignificauit nobis ſanctum Euangelium,quando dicit: Rachel plorans filios ſuos,& noluit conſolari,quia non ſunt.*

Matth. 2.

Chryſ.hom.3.

Chriſoſtomus hom. 3. de varijs in Matth. docet, *Rachelem,Eccleſiam Dei repræſentare:ſed duo diuerſa* (inquit) *in ea conſpicio quod flet, & quod conſolari contemnit; ſi enim fleuit, cur conſolari contempſit? aut ſi noluit conſolari, cur fleuit?* & reſpondet ipſe: *Conditio à Matre defletur,ſed ſpe gloriæ conſolatio humana contemnitur; pietatis affectus in fletibus declaratur, ſed occiſorum gloria, repudium conſolationis inducit. Plangit affectus,ſed fides exultat; defiet humanitas,ſed deuotio conſolatur: noluit conſolari,quia non ſunt, quia iam in labore hominum,& vitæ huius calamitatibus non ſunt,ſed cum Chriſto regnant in æterna vita,& requie. Conſolatio autem*, ait Hylarius cano 1.in Matthæum, *rei amiſſæ erat præſtanda, non auctæ.*

D.Hylar.cano 1.in Mat.

Aliam prӕterea cauſam fugæ Chriſti aſſignant alij grauiſſimi Eccleſiæ Patres, vt exemplo ſuo nos doceret,expedire non ſemel Chriſti fidelibus, fugam arripere à facie tyranni,nam præter D.Auguſtinum, & Tertullianum id adnotantes, D. Cyprianus libro de lapſis,dixit: *Quiſquis in Chriſto manens interim cedit, non fidem denegat, ſed tempus expectat.* Et Aymon: *Conſidera* (inquit) *obſecro, quomodo ad exemplum noſtrum incipiat iam in tenera ætate pati perſecutiones Chriſtus Dominus exemplo etiam ſuo nos docet id, quod dixit Matth.cap.10. Si vos perſecuti fuerint in vna Ciuitate,fugite in aliam.* Et Euſebius

D.Aug.tract. 15.in Ioan & Epiſt. 180. Tertull.lib.de fug.in perſ. D.Cypr.lib.de lapſis.

Euſeb.emiſſ.

Emiſſenus homil. de fuga Chriſti, inquit: *Arcta eſt via,quæ ducit ad vitam,verumtamen nec ſemper eſt fugiendum, nec ſemper eſt reſiſtendum, ſed pro temporis, & negocij qualitate,& hoc, & illud fieri oportet.* Sed ante illos omnes antiquiſſimus Origenes hanc eandem cauſam tradens, in hunc modum Chriſtum alloquitur: *Si pietatis* (inquit) *eſſe diximus, quod natus eſt Chriſtus, quod fugiſſe legimus, quid dicemus? forte,ſi natum diximus,vt repararet naturam, dicamus, vt fugaces reuocaret,aufugiſſe,ſicut & Adam,& Heuā à facie eius fugientes reuocauit: (fuge in Aegyptum: Iam vide, quæ miſeria Chriſtum puerum,& matrem inuadit, vt nec illis tutum fuerit manere in patrio ſolo: his olim afflictionibus probati ſunt Abraham, Iacob,Moyſes:ipſe etiam Dauid toties ad circumuicinos Populos transfugiens, quod ſe Tyranni Saulis inſidijs vndiq; circumuentum videret: Vnde,& ait: Quoniam & aduena ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes Patres mei.* Quod ſi ſacra eloquia conſulamus, facilè reperiemus amiciſſimos Dei,diuinitus inſpiratos,Tyrannorum ſæuitiam fugiſſe. Fugit Iacob fratrem ſuum Eſau, mortem illi machinantem; fugit Moyſes Pharaonem; fugit Elias Iezabelem Reginam; fugit Paulus à Damaſco per murum demiſſus;Petrus ſolutis ab Angelo vinculis è carcere fugit; fugerunt tandem primogeniti Eccleſiæ Catholicæ, quos Apoſtolus vocat: *In ſolitudinibus errantes, in montibus,& in ſpeluncis, & in cauernis terræ,quibus dignus non erat Mūdus.* Hi omnes fugam arripuere exemplo Chriſti Domini,qui infans Herodem iſtū, vir factus alium fugit Herodem, & ſæpè Iudæorum inſidias, fugiendo,euaſit. Vnde D.Auguſtinus hoc ſalutare documentum nobis tradidit: *Si quis ſeruus Dei vereatur, ne captus tormenta ſuſtinere non poſſit,& timeat, quod in fide deficiat, benè ſibi conſulit fugiendo.*

Orig.homil.3. in aduerſ.

Pſal.38.

Gen. 32.

Gen. 12. 3. Reg. 19. 2.Cor. 11. Act. 12.

Ad Heb. 11.

D.Augu. de doctr. Chriſt.

Antiquiſſimus Origenes aliam huius fugæ moralem perpendit cauſam, in hæc verba: *Fuge in Aegyptum,vt ij, qui nomine Chriſti,perſecutionem patiuntur,qui tribulationes tolerant, qui iniurias perferunt, fortiter ſtent, viriliter prælientur, Eccleſiam non deſerant,ſed ſemper meminerint, quia & Dominus a peccatoribus perſecutionem perpeſſus eſt, quoniam ab iniuſtis* con-

Orig.hom.17. in numer.

contumeliatus eſt, & ab ipſis de loco in locum fugit. Tetigit eleganter hanc eandem rationem D. Greg. Nazianz. orat. D.Greg. Nazianz. in Chriſti Domini Natiuit. dicens: *Itaq; ſi in Aegyptum profugiat Chriſtus, alacri animo te illius fugæ comitem adiunge. præclarum eſt, cum Chriſto perſecutione preſſo, fugam inire; ſi diuturniorem in Aegypto moram faciat, ex Aegypto eum voca, quod quidem fiet, ſi eum pulchrè, atque honorificè illic adoraueris*.

Nicætas Theologus ſuis in hanc Gregorij Nazianzeni orationem ſcholijs, hanc hiſtoriam ſublimiori ſenſu à nobis vult intelligi, *Herodes igitur* (ait) *ſi interpretari velis, idem ſonat, quod craſſa & paſſibilis, & velut pellea natura; Aegyptus autem nunc præſentem hunc Mundum deſignat, nunc carnem, nunc peccatum, nunc ignorantiam, nunc ærumnam, & afflictionem, qua potiſſimum ſignificatione hoc loco Domini fugam in Aegyptum accipere conuenit. Si igitur* (inquit) *Chriſtus in nobis conditus, ideſt, virtus tenera ætate ſit, atque affectus carnalis, & terrenus Herodis cuiuſdam inſtar iubeat, & principatum teneat, ad afflictionem in actione ſitam, velut in Aegyptum fugiendum eſt: quod ſi carnalis affectus, qui diuinam doctrinam nobis inſitam interficere molitur, extinctus, & enecatus fuerit, tunc ſanè ab Aegypto, Ieroſolymam migrandum eſt, hoc eſt, ab afflictione, quæ in agendo ſuſcipitur, ad contemplationem pergendum eſt; actio enim contemplationis, baſis, & fundamentum eſt; emortuis enim affectibus ſuperuacaneum poſtea erit in actione longiorem moram trahere, ac non ad contemplationem ſubuehi, ad quam actio ipſa ſpectat*.

Ceterum, cũ inter labores quos Chriſtus Dominus pertulit in infantia ſua, exilium ad barbaram, & incultam nationem, hodierna die nobis proponatur, ſpeciali ratione in exilium damnati, vel ad loca ſibi infeſta abire coacti, vt id patienter ferant, inuitantur, & confortantur; eo vel maximè, quod qui in Chriſto manent, nulla ratione exiliati nuncupari poſſunt; D.Aug. vt ſapienter adnotauit D.Auguſtinus, dũ loquens de illo inclyto martyre Cypriano in exilium miſſo, dixit: *Aut de Patria tua in alienam te arbitrans exulare, hominem Dei in Chriſto nuſquam exulem, in carne vbiq; peregrinum*. quaſi diceret: Iuſtus, quia in Chriſto manet, & Chriſtus in eo non eſt exul, peccator verò qui longè à Chriſto abeſt, ille propriè exulat. Vnde Philo lib. Allegoriarum dixit: *Exul impius eſt, quamuis in patriæ delicijs vitam degat*, cui ſententiæ conſonat illud Marci Tullij in Tuſculana 3. *Patria eſt, vbicumque bene eſt*. Vnde, cum diuinum eloquiũ audiamus: *Dicite iuſto, quoniam bene*: manifeſtum eſt, quod iuſto benè erit non ſolùm in Patria, ſed in exilio. Ad hæc, non poteſt vir ſanctus in exilium pelli, nam vel illi omne ſolum Patria eſt, vel totus Mundus exilium: ſi omne ſolum ei Patria eſt, vbi nam exulabit? ſi totus mundus exilium, quomodo mittetur in exilium, qui ſemper eſt in exilio? Victorinus Hugo lib. 3. Didaſc. cap. vltimo. *Delicatus* (inquit) *ille eſt adbuc, cui Patria dulcis eſt; fortis iam, cui omne ſolum, Patria eſt; perfectus, cui Mundus totus exilium eſt; ille Mundo amorem infixit, iſte ſparſit, hic extinxit*. Gregorius Nazianzenus orat. 28. *mihi* (inquit) *omnis terra, & nulla terra Patria eſt*. Nulla terra, Patria erat Gregorio, quia Patria erat cœlum: omnis terra Patria erat, quoniam totum terrarum orbem pro Patria ducebat: erat enim Mundi totius ciuis. Similiter Magnus Baſylius apud eundem Gregor. in orat. 20. de laudibus ipſius Baſylij Præfecto cuidam reſpondens: *Exilium* (inquit) *non cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac ne terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco; immò, vt rectius loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ſum, & peregrinus*; hæc ille. Conſonat etiam his Dionis Caſſij teſtimonium dicentis: *præſtat te, nullo flagitio admiſſo, Patria excidiſſe, quam perpetrato aliquo malo facinore in ea remanſiſſe*.

Philo. Cicero. Eſa.3. Hugo Victor. D.Greg. Nazianz. D. Baſil. Dion. Caſ. de exilio.

Cuius ſententiæ veritatem, vel illud vnum perſpicuè ſatis comprobat, quòd nihil mali in exilio excogitari poteſt, quod cumulatius in peccato non reperiatur: ſi in exilio miſeria, & indigentia eſt, ecce peccatori dicitur: *neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus?* Apoc.3. ſi in exilio amici non adſunt, qui tibi ſubueniãt, Iobum audi peccatoris perſonam agentem, quod dicat: *Et neceſſarij quoq; mei receſſerunt a me*, Iob c.6. quo loco per *neceſſarios*, non ſolum amicos, ſed, & Angelos

gelos Cuſtodes,ad cuſtodiam noſtram val dè neceſſarios, nonnulli Doctores intelligunt; quia licet omninò peccatorem non deſerant, longè tamen ob eius ſcelera, ab eo tecedunt,ſicut è contrà Iuſtos ſingulari amore protegunt, & circumdant, iuxta illud: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* (Pſal. 33.) Deinde ſi in exilio nullus humanus fauor opitulatur,& ab omnibus ſe deſpectũ exul experitur,audi Deum prophetæ Samueli Saulis mortem lugenti dicentem: *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum?* (1. Reg. 16.) quid quæſo miſerabilius,quàm a facie Domini proijci? Obſeruatione tamen dignum in hunc locũ eſt, adeò Deum Saulem odiſſe, vt prophetam increparet, eo quòd de eius interitu doleret; qui enim peccata ſua non planxerat, plangi indignus erat. Rurſus ſi exilium frequenter iacturam bonorum exulis patere ſolet, & occaſionem præbere, vt ſua omnia deuaſtẽtur, certè peccatũ,ignis eſt omnia bona deuorans & abſumens. Vnde ſenex Tobias inter alia ſalutaria monita, (Tob. 14.) quæ filio ſuo præſtitit, illud ſingulare fuit, vt poſtquam ſepulturæ corpus ſuum mandaſſet,continuò a Niniue recederet,eamſolum illius diſceſſus reddens rationem; *Video enim,quia iniquitas eius finem dabit ei.* Doctores valdè inter ſe digladiantur, (D. Hierony. Theodoretus. Ruper. cap. 2. Naum. Ioſeph. lib. 10 cap. 10. Beda de tempore. Oroſius. Tob. 14.) quiſnàm extiterit Ciuitatis Niniue ſubuerſor? Sanctus Hieronymus, Theodoretus, & Rupertus ſuper caput ſecundum Naum, putant Nabucbodonoſorem illam ſubuertiſſe. Ioſephus lib. 10. cap. 10. arbitratur,Medos,& Chaldæos illã expugnaſſe. Beda de tempore capite 20. & Oroſius libro primo,cap. 19. putant eam deuaſtaſſe Arbaze Medum. Verùm illud certius eſt, iniquitatem eius (vt dicit Tobias) illam ſolo æquaſſe, & vſque ad finem conſumpſiſſe: *Iniquitas eius finem dabit ei*: quis ergo non exhorreſcat, tam diro, & truculento hoſti omnia bona demolienti fores aperire? Quid plura? ſi exules ad alienam Patriam, ſæpè ſæpius in ea deſpiciuntur,& inhonorantur,certè ſicut amici Dei magno a Domino honore donantur, (Pſal. 138.) Dauide dicente: *nimis honorati ſunt amici tui Deus; nimis confortatus eſt principatus eorum*; ita inimici eius ſummo dedecore, & infamia ab eo afficiũtur. Nam,vt omittam Cainum, quem Deus publico ſigno, hoc eſt, continuo capitis tremore propter fratricidium notauerat; vt omittam Pharaonem ab hoſtibus ſuis deuictum, ac miſere aquarum vorticibus ſubmerſum; vt omittam impium Aman infami patibulo ſuſpẽſum;vt omittã laſciuos Suſannæ ſenes ſummo cum dedecore morte mulctatos; vt omittam Regem Nabuchodonoſorem inſtar quadrupedis animantis per deſerta errantem, & herbam paſcentem in ſuperbiæ & elationis ſuæ ſupplicium; vt omittam (inquam) hos, & pleroſque alios ſimiles peccatores dedecoris, & infamiæ cauterio propter peccata ſua exuſtos,illud ſolum referam, quod lib. 3. Regum lego. Quamuis enim propheta miſſus à Deo Regi Ieroboam, tanta ſanctitate polleret, vt (Lib. 3. Reg. cap. 13.) cum Rex aduerſus illum brachiũ extenderet, diuinitus exaruerit, & virtute orationis eiuſdem Prophetæ priſtina ſanitas ei fuerit reſtituta: quia tamen cõtra Dei præceptum ei prohibẽtis, ne in via quidquam comederet, cibum ſumpſit, continuò ex antris Deſerti egreſſus leo, irruit in illum, & in fruſta diſcerpſit. Legimus quidẽ Leones Danieli in lacu nihil prorſus nocuiſſe; (Dan. 6.) ignem pueros tres in camino ignis non læſiſſe: Eliſæum prophetã pueris illudẽtibus; (4. Reg. 2.) vrſos de eis vindictam ſumpſiſſe: cur ergo nunc Leonis rabies non coercetur prophetam inuadentis? Ratio ſanè eſt in promptu,nimirum, quod cum diuinæ voluntati obſecundabat,portenta faciebat,& cuncta ſibi ſubdebãtur,at diuinæ iuſſionis trãſgreſſor, & ex conſequenti exul à Deo factus, imbecillis & abiecti animi factus eſt ad reſiſtendum,facileque vincitur,& ſuperatur. Sed, & illud in hac hiſtoria ſingulari (3. Reg. 13.) obſeruatione dignum eſſe reor, quòd ibidem dicitur: *Erat cadauer eius proiectum in itinere, aſinus autem ſtabat iuxta illud, & leo ſtabat iuxta cadauer*: quid quæſo, opus nobis erat agnoſcere aſinum, & leonem cadaueri ſimul aſſuiſſe? multum quidem per omnem modum id intererat; vt ſic nobis per id innoteſceret, quantũ Deus hominem diuini præcepti tranſgreſſorem deſpiciat, ac paruipendat; ſiquidẽ leo,qui irruit in prophetã,aſinũ illæſum relinquẽs prophetã trucidat,aſinũ non tãgit, prophetam crudeli morte necat,aſinum,liberum dimittit propheta indẽnẽ abire non ſinit.

Attende igitur, ò peccator, quòd licet Salomone ſapientior ſis, & in agnoſcendis diuinis arcanis prophetico ſpiritu ſuper omnes

omnes polleas; ſi tamen diuinæ non obtemperas voluntati, deſpicieris à Deo, & ſtolido aſino, hoc eſt, imperito, & idiotæ poſtponeris. 1. Reg. 28. Ad hæc Rex erat Saul diuino conſilio electus, oleo ſancto vnctus, & tamen cum Deum conſuleret, quid ſibi faciendum Philiſthæis illum acriter oppugnantibus, nè ab eis exterminaretur, diuinum oraculum ei obmutuit, reſponſum nullum accepit; quia, cum per peccatum exul eſſet a Deo, ſic illum deſpexit, vt nec verbum vllum ei reſpondere dignaretur: 1. Reg. 28. *& non reſpondit ei, neq; per ſomnia.* Mirabile certè eſt, quod non dedignatus fuerit Dominus loqui Diabolo ſub forma ſerpẽtis, Geneſ. 3. vt narrat Moyſes in principio Geneſeos, nec dedignatus fuerit confabulari, & verba facere cum ipſo Dęmone, vt in lib. Iobi 2. Iobi legimus, & tamen Sauli etiam minimum verbum reſpondere non dignetur. Equidẽ, ſi Saul peccator erat etiã Dęmon; ſi impius ille, & iſte; ſi inobediens ille, inobediens & iſte; ſi ſuperbus ille, ſuperbus & iſte; vt quid ergo Deus loquens cum Diabolo, ſpernit loqui cum Saule? Eam profectò arbitror germanam rationem, in ęo Saulem deteriorem fuiſſe ipſo Diabolo, quod de illo nihil mirandum, ſi ad Deum non ſe cõuertat, & de peccato ſuo nõ conteratur, quia omni ad ſuam conuerſionem diuino auxilio penitus deſtitutus eſt; at Saul, & quicunque alius peccator præſto habet ſibi paratum diuinum auxilium, & ad illud recipiendum ab ipſo Deo vocatur: Prouer. 1. *vocaui, & renuiſtis*, & ideo cũ diuinæ vocationi non reſponderet, merito factum eſt, vt ipſi in auxilium ſuum Deum vocantl Deus vocationi illius non reſponderet, 1. Reg. 28. *& non reſpondit ei, neque per ſomnia*: quod hiſpane per exaggerationem dicitur: *No le reſpondio, ni aun por sueños*; ſed neque hoc contentus Dominus ſupplicio, ſceptri maieſtate illum priuauit, & hoſti ſuo Dauidi illam tradidit, in manus Philiſtim eum dedit, eundemq́ue & filios eius turpi morte mulctauit, vt Samuel ei prædixerat: 1. Reg. 28. *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum? faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet Regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid, quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalech. Idcircò, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie, & dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſtim. Cras autem tu, & filij tui mecum eritis, ſed & caſtra Iſrael tradet Dominus in manus Philiſtim.*

Ex his igitur facile conijcitur, nullam maiorem deplorandam miſeriam, quàm exulẽ eſſe à Deo, vnde Plutarchus Plutarch. in ſuis moralibus dixit cuidam exuli: *Nè horreſcas exulare: a Iuſtitia exulare, miſerũ eſt.* Ceterùm, vt exulis animum valdè contriſtatum recreemus, non erit abs re, ſi cum de Chriſti Domini exilio diſſero, exilij bona, & commoda commemorem. Exilium quidem a multis hoſtium inſidijs ſæpè liberat, vt enim dixit Chriſtus Dominus: *Inimici hominis, domeſtici eius*: Matth. 10. cui conſonat illud Iſaiæ, Iſai. 3. *qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt*. Vnde egregie Petrarcha lib. 2. Petrarch. li. 2. de remed. vtriuſque fort. dial. 67. de remedijs vtriuſque fortunæ, cuidam conquerenti: *In exilium eo:* reſpondit. *Immo forſan in requiem: ſub obtentu falſæ miſeriæ vera fœlicitas eſt, iam ſaltem ab Inuidia tutus eris, propera, mixtamque cum gloria ſecuritatẽ arripe. Tutis, & honeſtis latebris nihil eſt dulcius, nullæ his conferri poſſunt vrbium plateæ*, & ibidem in idem argumentum eleganter dixit: *Neque in tergum reſpicias, neque reditum cogites, neque cum illis eſſe cupias, qui te cupiunt abeſſe, neque demum quod à te fieri debuit, ab alio factum ægrè feras. Debuiſti cedere Ciuium Inuidiæ, vtque illam fugeres, vltrò in exilium ire, ita quidem fecerũt famoſiſſimi viri Africanus, Naſica, Lentulus charam Patriam deſerentes libenter: ſponte Pythagoras Vrbem Samon liquit, Athenas Solon, Lycurgus Lacedæmona, Romã Scipio, & alij, quod longum eſſet percenſere.*

Secundum exilij bonum eſt, quòd non ſemel exulẽ facit, vel doctiorem, ad quod alludens Diogenes Diogen. apud Laert. lib. 6. vocatus a quodam miſer, eò quod in exilio verſaretur, reſpondit: *Iſtius ob cauſam philoſophatus ſum*: vel reddit temperantiorem, vt enim dicebat Democritus: Democr. apud Dyoniſ. li. 38. *Exilium, & peregrinatio vitæ frugalitatem docent*: vel famam parit illuſtriorem, vt obſeruauit Petrarcha præcitato loco, Petr. præcitato loco. dum ait: *Multos exilium honeſtauit, multos acrior aliqua fortunæ vis, atque iniuria notos reddidit, & illuſtres. quid te vetas illis inſeri, qui quaſi ignem de ſilice claram famam, colliſionibus quæſiere?*

Tertium exilij bonũ eſt, quod exulem magnanimum reddit, a Patriæ vberibus il-

lum

lum auellens, nec enim fas eſt vnius Patriæ anguſtijs coarctari, vt extrà illam nihil non moleſtum eſſe putetur; vt enim dixit Naſo: *omne ſolum forti Patria eſt*. & , vt ait Statius: *omne homini natale ſolum*. Vnde interrogatus Socrates, cuias eſſet? reſpondit: *mundanus ſum*: verè Socraticum reſponſum; Athenienſem ſe alius reſpondiſſet, Socrati autem Patria, omnium mundus erat; ſed arbitror, non loquutum fuiſſe de hoc ſolùm, quem vulgo mundum dicit, cùm pars vltima Mundi ſit, ſed Cœlum ipſum, quod hac rectius appellatione comprehenditur. Illi Patriæ deſtinati eſtis, ad quam ſi ſuſpirat animus, qualibet in parte terrarum, peregrinum, atq; exulem ſe nouerit: nam quis Patriam vocet, vbi non habitet, niſi ad breue tempus? illa verè cuiuſq; Patria dicenda eſt, vbi quiſq; perpetuo ſecurus, ac tranquillus deget: quære hanc in terris, puto irrita erit inquiſitio.

Naſo. *Statius.* *Socrates.*

Quartum exilij bonum eſt, quod exul comites nanciſcitur magni nominis viros, vt his præclaris verbis id Petrarcha ſcitè obſeruauit. *Habes in hiſtorijs magnos huius rei ſocios, quorum ſpecioſiſſimus comitatus, non ſenſum modo doloris imminuat, ſed obliuionem afferat. Non minor in exilio Camillus fuit, quàm fuiſſet domi, quantus ciuis? quantus exul? qui victorias, ac triumphos, non iuſtitia minùs, quàm proſperitate conſpicuos in Capitolium duxit, mox hinc pulſus pro accepta iniuria ingratæ ſalutem Patriæ rependit. Non facilè aliud tam clari exulis exemplum fateor: ſed Rutilius, & Metellus tam nihil exilio fracti ſunt, vt Rutilius reuocatus ab illo, cuius nutui non parere capitale erat, exiliũ amplexus, reditum contempſerit, ſeu ne vlla in parte Senatui, iniuſtiſq; licet legibus Patriæ obſtaret, ſeu ne fortè exul iterum fieri poſſet. At Metellus eodem, quo in exilio profectus erat, vultu, atque animo remearet. His Marcellus accedat, hic vltimus, qui in belli ciuilis tempus incidit, pulſus nempè, non ſolitam modo conſtantiam, honeſtarumque artium ſtudium non omiſit, ſed ſtrinxit arctius., & publicis liber curis, vni excolendo animo, tam ardenter incubuit, vt ad ſcholas miſſus honeſtiſſimas, non ad exiliũ videretur. quod quidem in Cicerone conſpectius, operum ſplendor, & literarum copia maior fecit, non exilij modò, ſed carceris dulce ſolatium*. Hæc ille.

Petrar. in lib. 2. de remed. vtr. fort. dialogo 67.

Ex quibus, & alijs à me commemoratis, non ero inſipiens, ſi dicam quod tametſi inhabitatio Patriæ ſit adeò omnibus chara, vt Sertorius, id referente Plutarcho, poſtquàm de hoſtibus varias tulerat victorias, facultatem poſtulans a Pompeio, & Metello, vt liceret ſibi Romam ingredi propriam eius Patriam, dixit: multo gratius ſibi eſſe Romæ inter abiectos, & plebeios connumerari, quàm totius orbis Imperialem Regem fieri. Cui ſimile eſt illud, quod Seneca refert, tanti habuiſſe Vlyſſem Itacæ ſaxa, quę Patria ſua erat, quanti Agamemnonem Vrbis Micenę inexpugnabiles muros. Alius etiam dixit: gratũ magis ſibi eſſe fumum propriæ patriæ, quàm ſuauẽ aurã alienæ. Quid quod Pythagoras interrogatus, quomodo quis gereret ſe deberet erga Patriam? reſpondit: *vt erga Matrem*. Ac tandem Hyerocles amore Patriæ ebrius dixit: *Patria eſt velut alter quidam Deus, & primus, maximuſque Parens*: licet (inquam) ita ſit chara vnicuique propria Patria, minimè tamen inſipientiæ mihi vertendum puto, ſi dixero, maiora ſecum afferre bona exilium, quàm Patriam, maximè cum iniuſtum eſt exilium: tunc enim habet iniuſti exilij ſolatium, comitem iuſtitiam, quæ iniuſtos expulſores deſtituens, illum ſecuta ſecum exulat. Pergat igitur exul alacer, & ſecurus, ſciens, quod cum Deus ſit immenſus, nihil illi longè eſt: in exilio proteget eum, ſicut protexit in Patria; vbique enim miſericors eſt & benignus. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Plut. in vita Sertorij. *Hyerocles in*

Homilia VI.

Agimus de longo, ac laborioſo Virginis itinere in Aegyptum, pariterq; oſtendimus D. Ioſephum fuiſſe tàm matris, quam prolis ſingularem Protectorē.

QVANTA fuerit difficultas itineris ex Nazareth in Aegyptum, quã grauis, ac moleſta illa fuga, ex multiplici capite deprehendo. Primò ex magna diſtantia à Nazareth vſque ad Aegyptum, D. Auguſtinus ſermone 82. de tempore: *Ab illo* (inquit) *loco vbi erat Iacob vſq; in Aegyptum vix erant trecenta milliaria, vna autem leuca tribus milliaribus conſtat*. Seuerus Sulpitius in primo Dialogo cap. 4. quantum à Bethlehem diſtet Aegyptus, his verbis indicat. *Bethlehem oppidum, quod ab Ieroſolymis ſex millibus diſparatur, ab Alexandria autem ſedecim manſionibus abeſt*. Alexandria ciuitas eſt Aegypti. Borchardus 27. Leucas ab Ieruſalem, vſque ad Hebron. 8. ſupputat, ab Hebrone vſque ad Gazam dietæq; vnius iter eſſe ſcribit. Vnde à Nazareth Cairum vſq; centum amplius Leucas itinere terreſtris ſupputare poteris, cuius magna pars deſerta erat. Vt tamen clarior notitia huius itineris habeatur, pariterque aperiatur, quare cum breuius eſſet iter per mare, non illud elegerit ſanctus Ioſeph? Conſiderandum eſt, vt tradit Abulenſis in cap. 2. Matthæi, quod per viam breuem & rectam quæ eſt de Aegypto per terram Philiſtinorum, licet quaſi totum per deſertum ſunt ferè 70. Leucæ, & hoc eſt, computando à ciuitate Gaza, quæ eſt de terra Canaam, vſque ad Ciuitatem Cairum, quæ eſt maxima in Aegypto. Sed de hac via ſunt quaſi viginti Leucæ arabiles, & competentis habitationis: quinquaginta autem reliquæ ſunt verum deſertum, & ſic ſecundum veritatem inter terminos Aegypti, & Iudææ, ſiue terræ Canaam, ſolum ſunt Leucæ 50. in vera ſolitudine: quia quando computamus 70. incipimus à Gaza; & tamen non terminatur Canaan ex parte Auſtrali in vrbe Gaza, ſed in quodam loco, qui vocatur Darùm, & eſt iuxta mare Mediterraneum, vel verius, terminatur in Berſabee quæ eſt magis intra deſertum. Et iſta ſolet poni in Scriptura tanquam terminus terræ Canam, ſicut dicitur 1. Reg. 3. *Cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſq; Berſabee*: Ecce ponitur ibi Dan tanquam terminus terræ Iſrael ex parte Aquilonari, & Berſabee terminus ex parte Auſtrali. Aegyptus etiam non incipit in Cairo ex parte Aquilonari, ſed multò ante in Vrbe, quæ vocatur Pharamia, & tamen ipſa Ciuitas nō habitatur; & etiam Taphnis, quæ eſt poſt illam, ſed habitatio incipit in Cairo, ideo ibi incipit computari Aegyptus.

[D. Aug.] [Seuerus Sulpitius.] [Brochar. c. 2. Matth. q. 60.] [Abulenſis.] [1. Reg. 3.]

Vt tamen amplius adhuc cognoſcatur via iſta; aduertere oportet, quod in Aegyptum de terra Canaam via facilior eſt per mare, maxime quia de Ieruſalem vſq; ad mare Mediterraneū quod eſt ad Occidētem, ſunt nouem Leucę ſcilicet ad vrbem Iopem; & inde nauigando in Aegyptum, ſunt quaſi 80. Leucæ. Si quis tamen velit ire via terreſtri, ibit de Ieruſalē, vel de Bethlehem ad vrbem Gazæ, quæ eſt vna de quinq; ciuitatibus terræ Philiſtinorum, & pertinet ad terram Iudææ: & per iſtam viā reuertebatur Eunuchus Reginæ Aethiopiæ, qui ibat in Aegyptum, & inde in Aethiopiam, ſicut dicitur Actor. 8. *Surge, & vade contra Meridianum ad viam quæ deſcendit à Ieruſalem in Gazam* Gaza autē eſt circa finē terræ Iudeæ in latere auſtrali. De Gaza vſq; ad quindecim milliaria eſt in littore maris Mediterranei quidam locus, qui dicitur Darum, vel Dorum, & in eo eſt finis terræ promiſſionis in littore, licet vltra habeat aliquid terræ Iudææ; non tamen in littore maris. Debaro vſq; ad locū, qui dicitur caput Boroaldi, ſunt triginta milliaria, & inde vſq; ad fundum cuiuſdā ſtagni qui dicitur Deriſa ſunt milliaria triginta, & inde vſque ad aliud caput eiuſdem ſtagni ſunt milliaria triginta, & inde vſque ad locum, qui dicitur Raſacharon, ſunt milliaria 50. & inde vſq; ad Pharcaniam, ſunt milliaria 30. & hinc incipit Aegyptus. Hæc fuit ciuitas bene murata, & munita, ſed poſtea à ſerpentibus totaliter occupata eſt, nec ibi quiſ-

[Act. 8.]

Digitized by Google

quiſquam adeſt habitator, & poſita eſt in hoſtio Nili fluminis iuxta mare, quia ibi vnum brachium Nili abſorbetur à mari Mediterraneo.

Hoc ſufficiat ad cognitionem itineris Iudææ in Aegyptum, quod prudenter credimus tenuiſſe Ioſeph cum Virgine, quia nullum aliud eſt, niſi per mare ire decreuiſſet, quod Ioſeph minime elegit; fortè vt ait Abulenſis, quia cum eſſet pauper, non ſatis illi erat ad expenſas per mare faciendas: ſed præcipua cauſa duplex fuit. Prima vt Herodem lateret fuga Ioſeph, qui ſi voluiſſet nauigio ire, oportebat eum forte manere aliquot diebus in portu maris, expectando nauigium; ibi autem erat locus communiſſimus, vbi ſolent eſſe collectores prouentuum regalium; & ſic aliqui de ſatellitibus Herodis potuiſſent videre Ioſeph fugiẽtem cum paruulo, quod erat magnũ inconueniens, cùm ipſe vellet omninò latere fugam ſuam, hac enim ratione nocte receſſerat. Secunda ratio eſt, quia via maris erat valde nociua tenero infanti, alioquin enim prouectioris ætatis homines non aſſueti nauigare, vt frequenter videmus, non poſſunt ſuſtinere labores maris propter maximam quam ſuſtinent immutationem. Iuit ergo Ioſeph via in Aegyptum terreſtri ſupra aſſignata.

Abul. in c. 2. Matth.

Alij tandẽ (vt ad id vnde nonnihil degreſſi ſumus, reuertamur) longius mulrò quã diximus, arbitrantur fuiſſe iter à Nazareth in Aegyptum, in eo fundati, quòd Iſraelitæ ex Aegypto in Iudæam quadraginta annorum ſpatio peruenerunt, vt ex libris Moyſis conſtat: ſed falluntur, quia non duxit illos Deus itinere recto in terram promiſſam, ſed quadraginta annorum ſpatio per ſolitudinem circumduxit, vt habetur, Exod. 13. *Cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philiſthijm, quæ vicina eſt, reputans ne forte pæniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum; ſed circumduxit eum per viam deſerti quæ eſt iuxta mare rubrum.*

Exod. 13.

Secundo, difficultatem tam longi itineris non potuit non vehementer augere eximia Mariæ, & Ioſephi paupertas; licet enim ſacri coniuges non adeo inopes fuerint, vt aliorum eleemoſynis viuerent, quod abſque vllo fundamento confingunt Hæretici huius temporis, cùm potius ex Scriptura ſacra habeamus Ioſephum fabrilem artem exercuiſſe; non ſolent autem huiuſmodi artifices mendicare, neque eleemoſynas exigere.

Deinde addo ſanctos Patres aſſerentes parentes Virginis honeſtæ fuiſſe cõditionis, & Beatam Virginem fuiſſe vnigenitam & hæredem, & ideo nupſiſſe viro eiuſdem Tribus, & familiæ; quin potius annotat Nicephorus lib. primo Hiſtor. cap. 3. parentes Domini rediiſſe Nazareth è Bethlehem poſt Chriſti Natiuitatem, propter eam, quæ tunc ibi eis erat ſubſtantiam, & poſſeſſionem; *vtrobique enim, inquit, habitabant, quòd vtroque loco prouentum aliquem (vt conijcere licet) haberent.*

Nicephor. l. hiſt. c. 3.

Denique Euſebius Emiſ. Homilia in Natiuitate Virginis. *Manifeſtum,* inquit, *eſt Beatiſſimam Virginem Mariam, quæ nobiliſſima heres parentibus ſuis in hereditatem ſucceſſerat, ſi quidem neque fratres habebat, neque habuiſſe legitur, neminem de alia Tribu coniugem accipere potuiſſe.*

Euſeb. Emiſ. hom. in Nat. Virg.

Sed forte dices eam non habuiſſe hæreditatem? Lege ergo in Leuitico, & inuenies quòd nemo hæreditatem ſuam ex toto vendere poterat, etſi vſum eius vendere potuiſſet: veniente namque Iubilæo, omnis hæreditas ad proprium Dominum reuertebatur: quomodo autem ſine hereditate eſſe poterat, quæ ex nobiliſſimis parentibus orta fuerat? Itaque licet Maria, & Ioſeph non tanta opprimerentur paupertate, vt è mendicato viuerent; in itinere tamen ad Aegyptum vero ſimilius eſt, compulſos fuiſſe non ſemel eleemoſynam quærere: Tum quia cùm repentina fuiſſet, & inopinata eorum profectio ex Nazareth, non potuerunt ſufficientem pecuniam in promptu habere. Et licèt quidam putauerint, vt refert Canus librò vndecimo de locis comm. cap. 5. ad prudentiam Virginis ſpectaſſe, quòd aurum à Magis oblatum reſeruauerit pro viatico in Aegyptum; quod & placuit Ianſenio ad capitulum vndecimum ſuæ Concordiæ dum ait: *Iam pulchre donarijs Magorum ad hoc exilium ſuum cum matre, & nutritio communierat;* id certè nulla ratione

Leuit. 25.

Canus.

Ianſen.

ratione mihi probatur: Tum quod Angelica reuelatio de eundo in Aegyptum, nondum tunc facta fuerat, atque adeò præuideri non poterat futura illa neceſſitas: Tum quia Beata Virgo pro eximia ſua religione, aurum Deo oblatum in ſacros vſus, non in temporalem alimoniam expendiſſe cenſenda eſt: Tum quia, *D. Bonau. in lib. 6. de vita Chriſti.* vt erat liberalis, & beneficentiæ amatrix, fortè aurum illud in pauperes erogauit, vt tradunt Diuus Bonauentura, & Dionyſius Carthuſianus in libro de vita Chriſti: *Abulenſ. in c. 2. Matth.* Tum tandem quia (vt rectè adnotauit Abulenſis) licet Reges Magi obtuliſſent maxima munera, Virgo tamen vt oſtenderet omnia ſe terrena ſpernere, de ſingulis, modicum quid accepit, quod paruo temporis ſpatio ante purificationis diem conſumpſerat; cuius indicium eſt, quod non obtulit tunc agnum, ſed duos pullos columbarum. Tertio, quia arduum & moleſtum valde eſt propriam relinquere patriam: ad quod reſpiciens Diuus Paulus ad Hebræos primo, exaggerat mirum in modum obedientiam Abrahæ cùm iuſſus fuit *Geneſ. 12.* Geneſis cap. 12. à propria patria egredi, *fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem.* Experientia quidem compertum eſt inter proprios, charius eſſe pauca quædam, quàm inter alienos, & maximè barbaros, multa poſſidere; vndè *Ouidius.* Ouidius lib. 1. de Ponto cecinit.

> *Quid melius Roma? Scythicho quid frigore peius?*
> *Huc tamen ex illa Barbarus vrbe fugit.*
> *Neſcio quid natale ſolum dulcedine cunctos*
> *Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*

Quarto augebat difficultatem, & laborem illius itineris, quòd cùm partim, ſacri illi peregrini per deſerta incederent, partim per loca idolorum cultoribus plena, in quibus nullum pietatis ſpecimen, ſed efferatæ ac barbaræ conditionis mille inditia videres, certè inopiæ viatorum *1. Reg. 15.* nullo adminiculo ſubueniebant. Olim, refert ſacra Regum Hiſtoria, quòd cùm Rex Dauid fugeret à facie Abſalonis, mortem illi machinantis, duplici ſolatij genere animus eius fuit relaxatus, quia, & multi milites illum in ea fuga comitati ſunt, & in via, quidam miſericordia moti varia ciborum genera ad egeſtatem eius ſubleuandam ei obtulerunt. At ſacri hi exules, Ieſus, Maria, & Ioſeph, nec amicis aſſociati, nec liberali aliqua eduliorum oblatione in via recreati, famelici, & ſitibundi, longiſſimum illud iter peregerunt.

Ecce quàm veraciter Dauid Pſalmo *Pſal. 87.* 87. dixit: *Pauper ego ſum, & in laboribus à iuuentute mea*; non tamen, quoad poſſet, videtur mihi Dauid Chriſti indigentiam, & paupertatem exaggeraſſe, cùm re vera non ſolum à iuuentute, ſed à pueritiæ, immò & ab infantia labores eius cœpiſſent, immò & ab vtero matris ſuæ; & quidem paucos poſt dies ab ortu ſuo ſanguinem fudit, circumciſionis gladio percuſſus: poſtmodum verò infeſtiſſima Herodis perſecutio, eum in Aegyptum exulauit; idcirco Dauid id non ignorans, cùm Pſalmum illum compoſuit de Chriſti laboribus tractantem, hunc titulum *Pſal. 21.* ei appoſuit: *Pro ſuſceptione matutina*: vel vt alia Verſio habet, *Pro ceruæ aurora*. Certè cùm matutino tempore, quo cælum ſuper gramina rorem ſuum mittit, venatores canibus ſuis paruulam ceruam perſequuntur, non minus infeſta, & ingrata eſt illi canum inſectatio, quàm roris ſuper illam cadentis humectatio, quia hæc (vt Philoſophi naturales tradunt) illam animo cadere facit, & fugam retardat, vnde duplex tunc in eam inſurgit perſecutio, vna è cœlo, altera à canibus. Non diſſimiliter Chriſti Domini humanitati accidit, contra quam, velut contra ceruam, in aurora ſuæ infantiæ cœlum, & terra conſpirarunt. Pater cœleſtis vult illum in Aegyptum relegari, & cùm facile poſſet, ad eum liberandum, Herodianam retundere crudelitatem, id prorſus negligit. Herodes ſanguinis eius ſitientiſſimus necem machinatur illius, qui vitam nobis dare venerat: vndè inſtar ceruæ, quam diligentiſſimi Venatores inſectantur, fugit ex Iudæa in Aegyptum, & ex Aegypto in Iudæam: ac tandem in Monte Caluariæ à canibus captus ac dilaceratus, vt ait

Da-

Dauid: *Canes multi obſederunt me*, ſanguinem, & vitam ſummo cum dolore profudit.

Pſal.21. Hęc & ſimilia cōſiderans S.Pet.Chryſologus hom.151. ait: *Sic res vrget Chriſtum infantem? ſic non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem Matris, ſexus pudorem, periculum Ioſeph, longinquitatis fatigationem, exitiū totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in gētibus, quibus nec ipſa eſt communio, immo eſt profundum legis trāſgreſſione naufragium. O quàm dura eſt peregrinatio etiam inter ciues fratresq; ſapit quid ſit ſua domus, qui ſentit alienam*. Hactenus ille.

Solum illud matri, & infanti in itinere ad Aegyptum impenſum fuit ſolatium, vt S. Ioſeph vtriq; adeſſet in obſequium, & protectionem. Ad quod melius intelligendum D. Thomæ doctrinam in memoriam vobis reuocabo. Angelicus hic Doctor prima parte.q.13. ex doctrina D. Hieronymi docet omnibus, & ſingulis hominibus deſtinatos eſſe à Deo ſingulos Angelos cuſtodes ad eorum protectionē, & defenſionem. Multi etiam Patres, quos ſequuntur Alexander Alenſis, Epiſcopus Abulenſis, & alij, conſtanter docent, diabolico ſtratagemate fieri, vt dæmoniorum præſes ſingulis hominibus ſingulos dæmones ad eorum impugnationem deſtinet, Deo id ſic permittente, vt homines per eos vexati exerceantur. Meminit huius Tertullianus, dum in hunc modum interrogat. *Cui hominum non adhærebit nequam ab ipſa etiam ianua natiuitatis, animam aucupabundus?* ſed & D. Greg. Niſſenus id ipſum diſerte in hæc verba nobis tradidit: *Occultior quædam traditio eſt, verus ſermo ad nos vſq; deſcendit, Angelorum aliquem in adminiculum cuique conſtitutum fuiſſe, qui naturæ noſtræ corruptorem in omnibus contra annitentem prauum aliquem, atq; maleficum dæmonem ad male viuendum homines impellentē ad ſingulos deſtinaſſe*. Atque hoc etiam non obſcurè ſignificaſſe mihi videtur D. Paulus, cum propter hos dæmones nos impugnantes dixit: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum*. Adeſt igitur ſingulis hominibus à natiuitate ſua Angelus bonus, & Angelus malus; ſolus tamen Chriſtus Dominus Angelo cuſtode caruit, vt docuit D. Thom. 1.p.quæſt. 13. quia eius humanitas gubernabatur & cuſtodiebatur a Verbo diuino cui erat vnita; & ideo Angelo cuſtode non indigebat. Angelus etiam nequam, ſeu dæmon, nullus ei deſtinatus, quia excellentiam, & dignitatem ſuæ perſonæ dedecebat illum ſibi adeſſe. Cum ergo vtroq; hoc Angelo careret, diuina prouidentia loco Angeli cuſtodis adhibuit illi B.Ioſephum, qui in infantia ſua illum cuſtodiret; diabolica verò malitia, loco Angeli mali pręſtitit ei impium Herodem, qui illum perſequeretur, & mortem illi machinaretur. Eſt enim vetuſtiſſimum odium diaboli, quod à principio ſuæ creationis aduerſus hunc infantem conceperat, vt non obſcure indicant verba Chriſti Domini, *ille homicida erat ab initio*. Licet enim nonnulli Patres quos ſequuntur Gloſa ordinaria, & Lyranus Sap. 2. per *initium* intelligant initium creationis primi hominis, quando vt ait Sapiens, *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, quia tūc ſerpens fuit homicida, ſpiritualiter occidens primum hominem, D. autem Aug. in commentario illius loci, intelligi poſſe docet initiū creationis Angeli, tunc enim (vt tradunt D. Bernat. Baſil. & Gregor.) propoſitus fuit illi in ſpiritu Chriſtus Dominus adorandus, cui ille inuidens vnionis hypoſtaticæ maieſtatem, nō ſolum recuſauit illum reuereri, ſed & cæpit infeſtiſſimo odio proſequi, adeò vt nihil intentatum relinqueret, vt ſobolem ex qua Chriſtus naſciturus erat, de medio deleret. Vnde hac ratione Pharaonem incitauit, vt omnes maſculos Hebręorum occideret, quia ex illis carnem aſſumpturum filium Dei nouerat ex promiſſione Abrahamo facta: tunc Moyſes in fiſcella Dei beneficio liberatus typum geſſit Saluatoris de manu Herodis liberati. Deinde per Aman conatus eſt genus omne Hebræorum delere. Tertio, per Athaliam impiam curauit interficere omne ſemen Regium, ex quo Chriſtus Dominus naſciturus erat, diuina tamen prouidentia ſeruatus eſt Rex Ioas. Quarto per Antiochum 1.Machab.2. genus omne Iacob quod in Machabæis vigebat, omnibus viribus extirpare curauit. Nunc tandem per Herodem, puerum Ieſum quærit, vt illum

D.Th. 1.part. q.13.art.4. 5. D.Hieronym. Matth.18.

Alex. Alenſ. 2.par.q 41. Abul. q 65. in c.18.Mat. Pererius in c. 10. Danielis. Maldon.in c 18.Matth.D. Greg. Tertul.in lib. de anima c. 21. Niſſen. in vita Moyſi.

Ad Epheſ. 6.

Ioan. 8. *Sap.2.* *D. Aug.* *D.Bern.ſerm. 7.in cant. D.Baſil.ſerm de inuidia. D.Greg. orat. catechis.16.* *1. Mach.*

perdat & interficiat. Deluſus eſt tamen
Prouerb. 21. miſer, quia, vt ait Sapiens, *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*: & Iſaiæ 8. *Inite conſi-*
Iſai. 8. *lium, & diſſipabitur*, & cap. 16. *conſumptus eſt miſer, defecit qui conculcabat terram*. Infeliciter enim mortuus eſt Herodes, &
De reditu. Dominus Ieſus miniſterio Ioſephi Angeli ſui cuſtodis a morte liberatus è cruentis eius manibus euaſit. Sicut enim olim Angelus Raphael Tobiam Iuniorem, de
Tobia. duxit in longinquam terram, & è faucibus immaniſſimi piſcis eripuit, qui ex mari egrediens ad deuorandum illum inuaſerat, ſic S. Ioſeph Chriſtũ Dominum in longinquã Egypti plagam ducens prȩliberauit a nece quam impius Herodes ei inferre moliebatur.

Sed non ſolum infanti, ſed & matri ſingulare præſidium extitit Sanctus Ioſeph, præcipuè tamen in laborioſo hoc itinere cum ſudore vultus ſui, & fabrili arte allimenta ei miniſtrabat, & in exilio eam conſolabatur, itineriſq; moleſtias quoad poterat ab ea vel propulſabat, vel alleuiabat: vnde B. Virgo fatetur bene ſibi fuiſſe
Cant. 2. ſub vmbra ſui ſponſi: *ſub vmbra eius quem deſideraueram ſedi*. Pro cuius loci intelligentia ſuppono, duplicem ſponſum habuiſſe B. Virginem, diuinum vnum, alterum humanum; diuino fuit ſponſata per fidem, & charitatem; humano per vinculum matrimonij. Illud autem non parum humani ſponſi excellentiam commendat, quod verba quæ B. Virgo de diuino ſponſo pronuntiauerat, humano diuinum æmulanti adamuſſim etiam conueniant. Certè ſponſus cum eximiam Mariæ pulchritudinem laudaſſet, tanto excellentiorẽ eſſe affirmans, quanto pulchritudo lilij ſpinarum pulchritudine maior eſſe noſcitur:
Canticor. 2. *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*: Ipſa par pari rependens, diuino ſponſo dixit: *ſicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filias. Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi*: hæc autem eadem verba in Sanctum Ioſephum humanum eius ſponſum egregie quadrãt.
D. Bernar. ſer. 48. in Cantica. Etenim, cum B. Bernardus in Cantica quæreret, cur omiſſis melioribus arboribus huius mediocris ligni adducta ſit comparatio? nunquid cedro libani, cipreſſo, & ſimilibus pulcherrimis arboribus non poterat illum comparare?

Reſpondet, meritò ſponſam eius deſideraſſe vmbram, de quo refrigerium & refectionem pariter eſſet acceptura; illas ſublimes ac proceras arbores præterijt, quia infructiferæ erant, ex malo autem fructum dulciſſimum delibare poterat. Philo, Epiſcopus Carpatius affirmat; per Arborem Carpaſius in comment. illius loci.
fructum ferentem, iuſtum deſignari, iuxta illud Dauidis, *& erit tanquam lignũ, quod* Pſal. 1.
plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo; cum ergo S. Ioſeph iuſtus eſſet, (vt ait D. Lucas) *cum eſſet iuſtus, noluit eam traducere*, Matth. 1.
apte ſatis per Arborem fructiferam, Beata Virgo illum ſignificauit, a quo & refrigerium & fructum alimenti quotidie percipiebat. Verùm cum multæ aliæ arbores fructiferæ, malo pulchriores inueniantur, vacare non poteſt myſterio, ſponſam malo potius ſponſum ſuum comparaſſe quàm alteri. Philo illud detegit, quod arbor iſta Philo vbi ſup.
coniugalis amoris ſymbolum extiterit, vt teſtantur Phyliſtratus, Nicandrus, Theocritus, Catullus, Propertius, Virgilius, & alij Poëtæ, fingentes amores natos ſub malo, & ſub eadem arbore luſitare, & amantes malis ſe petere: quibus conſonat, tùm quod in ſomnio viſa poma fruitionem pollicentur, vt deliſtant Artimedorus, & Statius; tùm quod numiſmate Diones filia tanquam fructum amoris malum tenens proponitur, vt late proſequitur Euſtachius, & Pierius, Valerianus, Cum igitur B. Virgo tot fructus, quot adminicula S. Ioſeph ei impendebat, eſſet ab eo percepturа, meritò cõparauit illũ arbori a cuius vmbra refrigerium, & a cuius fructu refectionem habitura eſſet. Deinde ſubiungit Philo, malo fuiſſe comparatum ſponſum quia arbor hęc varijs miſticis ſignificationibus ſcatet. Equidẽ antiqui ad delineandum virum, vitæ probitate conſpicuum, Herculem depingebant, vt Author eſt D. Gregorius Nazianzenus, cui tribuebant præclara geſta ac heroica facinora ſua, tria poma manu tenẽtem, quæ ſymbolum erant Temperantiæ, quia ſolo mali fructu temperatiſſimi homines veſci aſſueuerãt. Per illa autem tria poma veteres illi Grȩci tres præcipuè Virtutes deſignari volebãt, quibus totidem vitia coërcerentur, manſuetudinẽ, ne ira excandeſceret; liberalitatem, ne auaritia vinceretur; cõtinentiam, ne carnis illecebris, & voluptatibus langueſce-

Euſtach. lib. 8. Odyſſ. Pierius li. 54. Hiero.
D. Greg. Nazianz. 2 contra Iulian.

Digitized by Google

gueſceret. Cum ergo S. Ioſeph amore coniugali, manſuetudine, liberalitate, & continentia inſignis valde eſſet, merito B. Virgo malo arbori, quæ omnium iſtorum vmbram præ ſe fert, illum comparauit. Coniugalis amor maximè in illo enituit, nam alij viri vxores ſuas amãtes venereo amore frequenter alliciuntur, Ioſeph autem caſtiſſimo amore Virginem proſequebatur: alij amore concupiſcentiæ qui voluptatem quærit, conſortem ſuam amant: Ioſeph amore amicitiæ, qui non amantis, ſed amati bonum reſpicit, ardenter diligebat. Mãſuetudo deinde in eo mirifice præfulſit, cum zelotypicum furorem ſponſa ſua ab eo intacta prægnante, ita cohibuit, vt ab eius accuſatione ſe abſtineret, Euãg. dicente; *Noluit eam traducere*. Liberalitas tandem, & animi magnificentia ei non defuit, quia licet ad faciendum magnos ſumptus facultas ei non ſuppeteret, quæ tamen labore manuum ſuarum quæritabat, ea omnia in matris, & prolis ſubſidiũ conuertebat, ob quæ merito Chriſtus Dominus ei dicere poterat quod Dauid Deo: *In te proiectus ſum ex vtero matris meæ*: nec non & Maria lætanter intonare: *ſub vmbra eius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*; Cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 1. — Pſalm. 22. — Cant. 2.

Homilia VII.

Oſtenditur, quàm vtile fuerit Chriſto Domino præſertim in eius infantia, Ioſephum, in Mariæ ſponſum, & in proprium nutritium, & cuſtodem elegiſſe, explicatis illis verbis: Quæſiuit Dominus ſibi virum ſecundum cor ſuum.

Lib. 1. Reg. 13.

QVAMVIS omnipotentia deitatis, quæ ſub humana infantilis corpuſculi ſubſtantia latebat, facili negotio potuiſſet Chriſtus Dominus & ab Herodiana ſæuitia ſe eripere, & ab aduerſi temporis inclementia in itinere ad Aegyptum ſe protegere; placuit tamen ei, cui facile eſt, honeſtare pauperem in oculis eius, humilem Ioſephum, ita exaltare, vt eum non ſolum in ſuæ genitricis ſponſum, ſed & in ſuæ infantiæ nutritium, ac protectorem eligeret. Vnde verba illa. 1. Regum cap. 13. apte ſatis in Diuum Ioſephum conuenire mihi videntur: *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum*. Licèt enim ſecundũ ſenſum literalẽ, verba hæc dixerit Samuel de Dauide, quẽ loco Saulis dominus in Regem elegerat; in ſenſu tamen miſtico, aut accommodatitio, vt moris eſt apud Patres, congruè ei quadrant; maximè, quod non ſemel ſacra Scriptura multa de filijs prædicit ſub nomine ſuorum parentum, vt clarè conſtat in Geneſ. 49. ibi enim Iacob futura vaticinans, inquit: *Dan quoque iudicabit*, quod in Sãpſone impletum fuit, & in libro Pſalmorum frequenter videmus, loquente Deo cum Dauide, ſermonem dirigi ad Chriſtum eius filium. Similiter igitur Samuel illa verba proferens de Dauide, eadem quoque retulit ad Ioſephum ipſius Dauidis filium, quem Dominus ſibi quæſiturus erat non ad regnãdum ſuper Iſraël, ſed quod excellentius multò eſt, ad imperandum, & dominandum ſuper Creatorem totius orbis, vt Diuus Lucas teſtatur: *ſubditus erat illis*; hoc eſt, Mariæ, & Ioſepho. Vnde D. Bernardus ſermone 2. ſuper Miſſus eſt, de Ioſepho loquens, inquit; *quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit iuxta cor ſuum, cui tutò committeret ſacratiſſimum ſui cordis arcanum*: hoc autem arcanum, Verbũ diuinum erat ſub infantili carne deliteſcens, quod cum innumeris alijs ſacramentis Ioſepho Dominus credidit; vt melius, quàm Dauid verba illa ſibi vſurpare potuiſſet: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Atque hinc eſt, quod, vt obſeruauit Diuus Bernardus præcitato loco, & Angelus vocauit Ioſeph filium Dauid: *Ioſeph, fili Dauid, noli timere, accipere Mariam, coniugem tuam*, & D. Lucas dixit: eſſe *de domo Dauid*: quæ non abſque myſterio cenſeri debent dicta. Vocatur enim *filius Dauid*, ac de eius domo, non ſolũ, quia ab eo ſecundum originem ſanguinis deſcenderet, ſed quia ab eius honeſtis moribus minimè degeneraret. In eo tamen præcipuè ei perſimilis

1. Reg. 13. — Geneſ. 49. — Luca 2. — D. Bern ſerm. 2 ſup. miſſus. — Pſal. 50. — Pſal. 50. Matth. 1. — Luca 1.

ſimilis fuit, tum quia, ſicut Dauid ſingularem curam habuit honorandi, & protegendi miſticam illam Arcam veteris teſtamenti, ita & Ioſeph ſingularem curã adhibuit in cuſtodienda, honoranda, & protegenda Beata Virgine, miſtica noui teſtaméti Arca per veterem illam præfigurata. Tum etiam; quia ſicut Dauid manſuetudine clarus fuit: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius*; ita, & Ioſeph manſuetudinis virtute mirificè præfulſit. Etenim, ſicut 1. Reg. cap. 26. legimus, cum Rex Dauid facili negotio vindictã ſumere potuiſſet de Saule, quem dormientem inuenit, iram ſuam tamen coercens, omnino ab eius percuſſione ſe abſtinuit: *Viuit Dominus* (inquit) *quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut in prælium deſcendens perierit: propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in Chriſtum Domini*: ita ſacratiſſimus Ioſephus, quamuis prægnantem videret ſponſam, quam nunquam tetigerat, ac proinde potuiſſet illam accuſare, prudenti tamen manſuetudine ductus ab huiuſmodi accuſatione ſe abſtinuit, Euangeliſta Luca dicente: *cum eſſet iuſtus, noluit eam traducere*: ſed tantæ rei curam fidenter in Deum iactauit. Nec feſellit eum illa manſuetudo, neque hæc fiducia, ſiquidem continuò Angelus Domini apparuit ei, *dicens: Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

Pſ. 131.

1. Regum 26.

Matth. 1.

Matth. 1.

Quàm igitur aptè propoſita verba in hunc tantum virum conueniãt, latius explicemus. *Quæſiuit ſibi Dominus virum iuxta cor ſuum*; expendamus primum verbum illud: *quæſiuit*. Sedula cura, ac diligenti ſtudio quęſiuit Dominus Ioſephum: hanc enim vim habet verbum hebræum, *bicches*, quo vtitur originale; in quo ſenſu Salomon illud etiam accepit Canticorum 3. in perſona ſponſæ, dicens: *quæſiui quem diligit anima mea*: cuius indefatigabilem curam in quærendo dilectum, illud manifeſtum inditium extitit, quòd circuiuit Ciuitatem, ac per vicos, & plateas illum quæritabat, & quoſcunque in via offendebat, de illo ſtatim interrogabat. Vigilantiore certè ſtudio, ac diligentiore cura, quærebat Dominus inter filios Iſrael, virum aptum in ſponſum Mariæ, virginitatis eius cuſtodem, ac ſuæ infantiæ nutritium, & in periculis defenſorem, nullum tamen ad hæc tanta munera præſtanda Ioſepho aptiorem inuenit. Vnde, quemadmodum D. Chryſoſtomus ſapienter dixit: *Quærendo iudicari Deum ſingulos homines cum diuerſos attigiſſet, examinaſſet cunctos plurimoſque præuidiſſet, è quorum numero eligeret Regem, inuenit tandem Dauid, cuius meritum tranſire non potuit*: Ita ſimiliter explorans Deus merita ſingulorum mortalium, cum omnia illa præterijſſet, vt potè inſufficientia ad munera ſponſi, & nutritij ſuſcipienda, meritum tamen Sanctiſſimi Ioſephi præterire non potuit quin cum his tantis officijs præficeret. Accidit quidem D. Ioſepho, quod in Senatu regio non ſemel contingit: refertur Regi catalogus eorum, qui vacante aliqua dignitate aptiores cenſentur ad eius functionem, & multis ex his qui nominantur, prætermiſſis, cum peruenitur ad eum, quem Rex digniorem præconceperat, continuo ipſe quaſi meritum illius præterire non valens, calamo ſcribit in margine: Huic conferatur hæc dignitas. Ad eundem certè modum inter plures viros ſanctitate conſpicuos, qui menti diuinæ obijciebantur, nullum digniorẽ inueniens, quem in patrẽ ſuę infantiæ adoptiuũ & protectorẽ acciperet, quàm beatum Ioſephum, eius meritũ præterire non potuit, ſed illum ad id munus elegit, meliuſque de illo, quàm de Dauid patre ſuo dicere potuiſſet: *Inueni Dauid, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*. Sicut enim, iuxta parabolam Chriſti Domini, mulier illa quæſiuit diligenter margaritam precioſam per omnes ſui domicilij angulos, ac tandem inter ſtercus illam inuenit, vbi minus inuenturam putabat: cui perſimile eſt, quod verè cõtigit Samueli, cum inter filios Iſai, quærens quem Deus ſibi elegerat in Regem, omnes prætериret, tandem elegit Danidem oues paſcẽtem in agro; ità quidem, cum omnes illos Patriarchas, & Reges Abraham, & Dauidem quos D. Matthæus in exordio ſuæ hiſtoriç commemorat, Dominus prætermiſiſſet, tandem inter ſtercus tot ſceleſtorũ hominum, & mulierum, quę in Genealogia illa narrantur, inuenit gemmam precioſam, hoc eſt, Iuſtum Ioſephum, cuius meritum præterire nõ potens, illum elegit, vt matri ſuæ eſſet ſponſus, & ſibi nutritius, & cuſtos

1. Reg 13.

Cant. 3.

D. Io. Chryſoſ. homil. de Dauid, & Goliath.

Act. 13.

1. Reg. 16.

Ob-

Obſeruandum tamen eſt, quod vbi noſtra Vulgata legit: *Quæſiuit Dominus:* Septuaginta Interpretes tranſtulerunt de futuro: *Quæret Dominus ſibi virum*, vt hinc clarius intelligeretur, quod quantũuis Deus non ſolum in præteritis hominibus, ſed & in futuris quempiam quærat, Ioſepho parem nullum inueniet. Atque hinc patebit ſolutio ad eam difficultatem; Quare Deus, cum à principio potuiſſet per Angelum, quem miſit ad eius ſponſam, diuinæ prolis in vtero Virginis concipiendę certiorem illum reddere, voluit animam illius acerbo Zelotypiæ dolore conficere? Reſpondit egregie Rupertus; *Vt manifeſtũ fieret, tàm ſanctis Angelis, quàm nobis hominibus, de ſeipſo, quòd eſſet iuſtus, & talis, quòd dignè ſic deberet appellari:* quaſi dicat: ne in hac electione, quam Dominus fecit, videretur cuipiam perſonarum acceptator; ſed iuſtè potius Ioſephum, in patrẽ ſuum legalem, & cuſtodem elegiſſe: ideò ingenti illo Zelotypico dolore illum probauit, vt instar auri in medio fornacis accenſæ, valor virtutis eius in omnium oculis clarius effulgeret, manifeſteq; cũctis eximia eius ſanctitas innoteſceret, qui grauidã videns ſponſam, non conquereretur de illa, non increparet, non accuſaret, nõ traduceret, non lapidandam tentaret, iuxta legem Deuter. 22. Vnde ſicut de Iob, ita & de Ioſepho dicere licet: *In his omnibus non peccauit Ioſeph labijs ſuis.* Hanc præexcellentem Ioſephi ſanctitatem ex maiore coniunctione, quam habuit cum Ieſu, ſapienter colligit Rupertus præcitato loco, memor illius ſcalæ, quam vidit Iacob, in cuius vertice aderat Dominus innixus, & per cuius gradus aſcendebant, & deſcendebant Angeli. Sancti, qui angelicam vitam agunt, ex proprijs ſuis operibus meritorijs gradus cõficiunt, per quos ad Dominum aſcendant. Vnde quanto excellentiora eſſe perhibentur eorum merita, tãtò illi ſunt in altiori gradu ſcalæ, & ex conſequenti propinquiores Deo. Rupertus ergò putat Ioſephum conſtitutum eſſe in primo illo gradu, cui innixus erat Deus: *ſupremus* (inquit) *gradus ſcalæ, cui Dominus innixus eſt, iſte eſt beatus Ioſeph, vir Mariæ, de qua Ieſus, qui vocatur Chriſtus, natus eſt.* Rectè ait: *cui Dominus innixus eſt*; cum & in itinere ad Aegyptum, & in reditu in Iudæam, Ioſephi adiutorio, & protectioni

Rupert. lib. 1. in Matth. c. 1.

Deut. 22.

Iob. 1.

Rup. vbi ſup.

Rup. vbi ſup.

inniteretur, qui matrem, & prolem ſummo ſtudio cuſtodiebat, & eorum commodis, quoad poterat, ſedula diligentia conſulebat. Idque planè indicant verba illa: *Quæſiuit Dominus ſibi*; ac ſi diceret: quæſiuit illum in commodnm proprium, vt explicuere D. Auguſtinus libro 16. de Ciuitate Dei cap. 16. & Procopius in 1. Regum 15. Illud enim latum intereſt diſcrimen inter beatum Ioſephum, & reliquos omnes viros ſanctos, quòd licet omnes quęſierit Dominus, vt illos ad ſe traheret, quia vt dixit Chriſtus Dominus: *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum;* tamen alios ſanctos quæſiuit ad eorum vtilitatem, illorum bono dumtaxat proſpiciens, Ioſephũ autem non ſolum propter hoc, ſed quæſiuit illum ſibi, hoc eſt, propriæ vtilitati cõſulens, vt ab eo protegeretur, & nutriretur, & integritatis ſuæ matris vigilantiſſimus cuſtos eſſet. Vt enim ſapienter dixit D. Auguſtinus de ſancta Virgine cap. 4. *Deſponſata eſt Maria viro iuſto, non violenter virginitatem ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro.*

D. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. Dei. cap. 16. Procop. in 1. Reg. 15.

Ioann. 6.

D. Auguſt.

Vel aliter dicamus: *Quæſiuit Dominus ſibi.* Tota beatiſſima Trinitas quæſiuit Ioſephum ſibi; Pater illum quæſiuit, vt nutriendum traderet ei filium ſuum: Filius eum quæſiuit in patrem ſuum legalem, ac Matris ſuę ſponſum, & vt honori Virginis, & nobilitati ſuæ conſuleret: Spiritus ſanctus tandem illum quæſiuit ſibi, hoc eſt, vt per illum, maiorem honorem, & nominis ſui gloriam apud homines ſibi cõciliaret. Etenim, ſi rem altius perpendamus, vox hæc *Spiritus ſanctus*, nuſquã audita fuit, quouſque Ioſephus Virginem in ſponſam accepit: adueniente namque Angelo ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, inſonuit vox hæc: *Spiritus ſanctus*, cum ad eam dixit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; ad Ioſephum verò, vt timorem ab eo depelleret, ait: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Ab hoc igitur duplici tempore inſonare cœpit in auribus hominum præclara illa vox: *Spiritus ſanctus.* Audita quidem fuit olim non ſemel, appellatio hæc: *Spiritus Dei*, & illa: *Spiritus Domini:* nuſquam tamen in veteri Teſtamento vox *Spiritus ſanctus*, inſonuiſſe reperietur. Meritò vero poſt Ioſephum virum Mariæ, Spiritus Dei, *ſanctus* nominatur,

D. Lucæ 1.

D. Lucæ 2.

Digitized by Google

D. Rupert. lib. 1. in Matt. c. 1. natur, quia, vt rectè adnotauit Rupertus lib. 1. in Matth. cap. 1. *Maximè ex hoc opere claruit hic ſpiritus Domini, quia verè ſanctus ſit.* Sanctum idem eſt, quod mundum, ſeu ſine terra: nullum autem marrimoniū mundius excogitari poteſt, quā quod Spirirus ſanctus fecit inter Ioſephū, & Mariā, cum ambo virgines ex voto, & virginitatis cultores ſemper fuerint: proles etiam nulla mundior concipi poteſt, quàm quæ ex hoc prodijt matrimonio, & quam abſque viri opera intacta mater, & virgo ſemper manens, ipſo Spiritu ſancto cooperante, concepit, & peperit. Ac tādem, quid purius, ac ſanctius, nō ſolum creatus, ſed nec increatus intellectus apprehendere valuit quàm ſtupendum Incarnationis myſteriū in vtero ſponſæ Ioſephi celebrarum? quod quia maximum omnium fuit ardentis diuini amoris indiriū, meritò Spiritui ſancto attribuirur, qui ſolus nō ſolum eſſentialiter, vt reliquæ perſonæ diuinæ, ſed perſonaliter amor eſſe perhibetur. Cum igitur hoc tantum opus fons fuerit, & origo omnis ſanctitatis, meritò ab hoc tempore Spiritus Dei, Spiritus ſanctus nuncupati cœpit. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Lucæ 1.

Quid plura? *quæſiuit Dominus ſibi*: explicemus, ſi placer, locum hunc per illum Pſalmi 88. *Exaltaui electum de plebe mea*: Pſal. 88. in Hebræo verbum illud *Rum* (vt adnotant periti illius linguæ) ſignificat exaltare aliquem ad ſeparandum illum ſibi à reliquis; vnde Paraphraſtes Chaldæus vertit: *ſecreui*, alludens ad communem omniū conſuetudinem, qui ea quæ ſibi ſeligunr, ſecernunr, & ſeparant ab alijs tanquam ſibi propria. Ad hunc ergò modum Dominus ſelegit ſibi Ioſephum, ſecreuit, & ſeparauit illum à reliquis, tanquam propriam ſui poſſeſſionem. Vnde rectè illi congruit, quod de Patre eius legimus. Eccleſ. 47. *ſicut adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſrael*: nō pauca D. Ioſephi encomia in his verbis latent: nam in primis ſacrificium adipis in eo reliqua ſuperabat, quòd in his partim Deo, partim miniſtris dabatur; in ſacrificio autem adipis, totum in Dei honorem comburebatur, vt habetur Leuit. 3. *Omnis adeps Domini erit perpetuo in generationibus*. Vnde nec minimā eius partem volebat Deus auferri, ſed totū ſibi reſeruari: *Nec adipem omninò comedetis*; quaſi diceret: hæc bucella digna ſolummodo eſt regio ore meo: nemo audeat quidpiam illius ſibi vſurpare. Hinc igitur facile erit deprehendere, quàm longo ſanctitatis interuallo D. Ioſeph reliquos viros ſanctos antecellat. Illi ſane ſacrificia Deo fuere quorū ſibi partem tulit Deus per gratiā, partim tamen prius dęmon tulerat per peccatum originale; & dum mortalem vitam agebanr, caro & ſanguis aduerſus ſpiritum pugnantes, quandoq; victores, quandoque victi prodibant; at Ioſeph tanquam adeps ſacrificium fuit adipis, totus Deo conſecratus, totus mente, & corpore Deo deditus, totus ardenti Dei amore combuſtus. Tradit Galenus lib. 2. de Naturalibus facultatibus, pinguedinem ſeu adipem, licet ex ſanguine originem trahat, ſanguinis tamen expertem eſſe, *exſanguis eſt cum generetur ex ſanguine*. Meritò ſanè Ioſeph adeps eſſe iudicatur inter reliquos ſanctos; ſiquidem quamuis ex ſanguine omnium illorum Regum, & Patriarcharū, qui in Genealogia eius cōmemorātur, originem trahat; exſanguis tamē prodijt, qui nunquam acquieuit carni, & ſanguini, nec eius oblectamentis. Quod & ſacer Euangeliſta tacitè indicaſſe mihi videtur; nam cū illorum Regum, ac Patriarcharum narrationem texens diceret: *Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob*, &c. accedens tamen ad Ioſeph, à generationis nomine, quod opus carnis & ſanguinis eſt, continuò ſe abſtinuit, non dixit *Ioſeph genuit*, quia totus erar adeps, & cōſequenter exſanguis, ſed nominans Ioſephum, ſolum ſubiunxit: *virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus*, ſic enim omnibus innoteſcit tum eximia puritas Ioſephi; tum immaculata Chriſti conceptio, qui non virum Mariæ genitorem, ſed eam ſolum ab Spiritu ſancto fœcundatam genitricem habuiſſet.

Leuit. 3. / Ibidem. / Galenus. / Matth. 1.

Sed perge iam reliqua verba explicare: *virum iuxta cor ſuum. Vir*, (vt cum Ambroſio omnes Larini teſtantur) dicitur *à vi*, ſeu *virtute*, vnde hominem præſtantem, & excellentem, *virum* nuncupamus: in quo ſenſu Terentius in Adelphis dixit: *abi, virum te iudico*. Similiter etiam eum, qui fortitudine, & viribus pollet, virum appellare ſolemus. Cum ergo Diuus Ioſeph tanta virtute, & potentia viguerit, vt ſuprà omnipotentem dominaretur eo dominio, quod ſuperiorem decet ſuper inferiores, vt Euangeliſta dixit: *ſubditus erat illis*:

D. Ambr. Calep. verbo vir. / Terent. in Adelph.

Lucæ 1. *illis*; non ſolum vir, ſed centumuir nuncupari meretur. Huius dominij non infirmum argumentum fuiſſe cenſeo, quòd Angelus poteſtatem ei dedit imponendi nomen naſcituro infanti: *vocabis nomen eius Ieſum*: D.Chryſoſt. vt enim D. Chryſoſtomus de conuerſione Sancti Pauli tomo 3. adnotauit: *nominum impoſitio dominium teſtatur. Ac olim, talem fuiſſe morem, quod ſeruorum nomina mutanda ſint legimus*. Quare inter alios actus dominij quos exercuit Adam, cum illum conſtituit Deus dominum omnium animantium, impoſitio fuit nominum: *omne, quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen* Gen.2. *eius*. Olim etiam (vt nuper dicebam, ex D.Chryſoſt. Chryſoſtomo) mos increbuit apud veteres, vt ſi quæ illi emerent mancipia, in ſignum dominij nomina noua imponerent illis. Cum ergo Diuo Ioſepho diuinitus collata poteſtas fuerit imponendi nomen Chriſto Domino, & nomen *Ieſus*, quod impoſuit, nouum eſſet, conſequens eſt dominium ſuper eundem Ieſum habuiſſe, quale ſuperiori competit erga ſubditum. Vide impletũ, quod inquit D. Paulus. *Qui cum in forma Dei eſſet*: ecce ſummam liberta- Ad Philip.2. tem; *exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens*: ecce ſeruitutem ad quam ſe demiſit, & per quam tanquam Dominum reſpiciebat Deum in Cœlis regnantem, & Ioſephum in terra degentẽ, qui caput erat illius ſacratiſſimæ familiæ, ſubditos ſibi habens Ieſum, & Mariam.

Sed quid in hoc moror, cum euidentius aliud argumentum habeamus, vnde clarè liquet Ioſephum, inſignem virum fuiſſe, cum Pater Chriſti eſſe meruerit? Sic enim illum vocauit Beata Virgo: *Pater tuus, &* Lucæ 2. *ego, dolentes quærebamus te*. Certè Deus alios vocat, & quærit qui moribus pueri erant, vt faciat illos viros; Ioſephum verò non ſic, ſed iam diuina gratia virũ factum, illum quæſiuit ſibi in patrem; idque ſignificant hæc verba: *Quæſiuit Dominus ſibi virum*: quaſi dicat: non vt faceret virum: quia iam vir factus erat, ſed vt faceret patrem. Neque quicquam imminuit hanc excellentiſſimam Patris nomenclatutam, Lucæ 3. quod D. Lucas dicat: *putabatur filius Ioſeph*: quia licet reuera Chriſtũ Dominum non genuerit, pleno tamen ore ab Euangeliſta patet eius vocatur, & non falſus, ſed verus eius pater cenſeri debet: nam, vt D. Auguſtin. acutè dixit Sanctus Auguſtinus; *Naſci etiam eis filius potuit ſine vllo cõplexu carnali*, quod qua ratione intelligendum ſit, lib.2. de conſenſu Euang. cap.14. in hunc modum explico: Lumine rationis notiſſimum eſt, non ſolum, illum verè dici iuuiſſe, vt res fiat, qui partim, rei produxit ſubſtantiam, ſed & eum qui iuuit, vt res congruo, & debito modo fieret: licet ergo Diuus Ioſeph generationis ſubſtantiæ corporis Chriſti particeps non fuerit, quia tamen iuxta diuinum decretũ generatio illa exequutioni cõgruo, & debito modo mandari non poterat abſque Ioſepho, qui ſponſalitio ſuo matris, & prolis honorem protegeret, ne alioquin filium Virgo pariens, adultera, & ille ſpurius putaretur, meritò Ioſeph cenſeri debet multum iuuiſſe ad Chriſti generationem. Bene ergo D. Au- D.Auguſt.vbi ſup. guſtinus dixit: *naſci etiam eis filius potuit ſine vllo complexu carnali*. Arque hinc intelligetis verba illa, quæ in ore omnium verſantur Iſaiæ 45. *Rorate Cœli deſuper, &* Iſai.45. *nubes pluant iuſtum*. Sanè vnam dumtaxat nubem, Mariam ſcilicet, videbatur dicendum produxiſſe Chriſtum, quia illa ſola abſque viri opera illum genuit, conſultò tamen plures nubes dicuntur iuſtum pluiſſe, quia Maria, & Ioſeph parẽtes illius erant; aliter verò, & aliter inſtar nubium quæ non ſolum rorem pluunt, ſed & ſolem cooperiunt; Maria Chriſtum generando, nubes fuit rorem producens, Ioſeph Chriſtum cælans nubes fuit, Iuſtitiæ ſolem tegens. Sanè ſi Maria omnibus innoteſceret virgo pariens, nubes clara eſſet ſole Iuſtitiæ illam irradiante: *Mulier amicta ſole*. Apocal.12. Quia tamen oportebat tunc myſteriũ generationis Chriſti cælari, altera nube opus fuit, nempè Ioſepho, qui ſponſalitio ſuo tantum myſterium tegeret, propter hoc enim vulgus exiſtimabat vtriuſque prolem eſſe. Atque in hoc ſenſu aptè ſatis explicanda veniunt verba illa Virginis: *Quia* Cant.1. *decolorauit me ſol*. Cant. primo; Etenim, cũ ſoli Iuſtitiæ placeret in ea occultus deliteſcere, prius decolorauit illam (vt ita loquar) colore vxoratæ feminæ, quod hiſpanè perlepide dicitur: *diole vn tinte de caſada*. Ambæ igitur hæ nubes, licet diuerſimode, pluetunt iuſtum; Maria ſubſtantiam rei producendo; Ioſeph, vt congruo, & debito modo, hoc eſt, vt clam, & latenter id fieret, mirificè iuuando. Liceat mihi rem tantam celebri exemplo illuſtrare, in memoriam quæſo reuocare, quod

(vt

Digitized by Google

Tangle Martialis lib. 1.

(vt vetus & vulgaris traditio narrat) cum olim inſigne quoddã tẽplum piorũ diuitum expenſis à fundamentis erectum fuiſſet, illo eodem die, quo dedicationis illius feſtum agebatur, in eminentiore loco ſuper ianuas eius hæc aureis literis exarata inſcriptio apparuit: *Sophia me fecit:* cuius rei nouitate multi permoti, diligenter exquirentes: quænam hæc eſſet Sophia? inuenerunt feminam quãdam pauperculam eſſe: quæ interrogata, quid ad ædificium illius Templi ipſa impendiſſet? reſpondit: Cum boues defatigati, & famelici veniebant, onera portantes pro ædificatione templi, ego fœni faſciculos eis porrigebam vt paſcerent, ne viribus deficerent ad inſeruiendum eius ædificationi. Nunc ad rem noſtrã hæc conuertentes, Eccleſia Catholica ſumptuoſum templum eſt, quod per Euangeliſtas, Doctores, & Apoſtolos ædificatum fuit, Diuo Paulo dicente: *Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, alios Euangeliſtas, & Doctores, in ædificationem corporis Chriſti;* quamuis tamen inter hos ædificatores non connumerentur Maria, & Ioſeph; illa tamen pluſquam aureis literis, quia Euangelicis exarata inſcriptio apparet in capite libri: *Iacob genuit Ioſeph virũ Mariæ:* vt hinc intelligamus, Chriſti parentes præcipuos Eccleſiæ catholicæ templi ædificatores fuiſſe, qui bouem illum, ſeu vitulum Chriſtum Dominum grauiſſima laborum onera pro eius ædificatione portantem, per multos annos aluerunt, ac ſuſtentarunt. Sed impẽſius noſtro argumẽto inſeruientes, indubitatum eſt per templum corpus Chriſti deſignari, ipſo dicẽte Ioan. 2. *Soluite templum hoc: hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Ad huius tẽpli ædificationem expenſis magni momenti non inficior concurriſſe antiquos illos Chriſti progenitores, Patriarchas ſuis lacrymis, Sacerdotes victimis, Prophetas vaticinijs, & reuelationibus, ac indiſcriminatim omnes ardentiſſimis deſiderijs; at D. Ioſeph ſublimius, & excellentius ad id cooperatus eſt; aluit enim ſudore vultus ſui, & labore manuum ſuarum, non boues, vt Sophia, ſed fecundam vitulam Mariam, ex cuius ſanguine exſtruendum erat ſacrũ illud Chriſti Domini templum, iuxta illud Apoſtoli ad Gala. 4. *miſit Deus filium ſuum factum ex muliere.* Vnde ſi Sophia, quia bobus templi ædificationi inſeruientibus pabulum dabat, meruit ædificatrix illius inſcribi: *Sophia me fecit:* potiore iure Ioſeph Virginem alens, quæ tẽplum corporis Chriſti ædificauit, ædificator illius, ac pater Chriſti appellari meretur. Adeò autẽ placuit illi Ioſephum patrem habere, vt licet alioquin ab eo originem nõ traheret, tàm ſimilis illi in facie prodire voluit, ac ſi ab eo genitus fuiſſet. Id quod hæc duo, docili ingenio facilè ſuadent; tùm quòd cum Deus intenderet ad cælandum eo tempore Incarnationis ſecretiſſimum arcanum, Ioſephum putari Chriſti genitorem, & accommodatiſſimum ſanè medium ad id eſſet, ſimilem vultu reddere Ieſum Ioſepho, cum huiuſmodi ſimilitudo, quæ inter patrem & filium frequens eſſe contingit, non leue argumentum cenſeri ſoleat hunc eſſe filium huius patris: & ex alia partẽ, vt dixit D. Paulus ad Hebr. 2. *debuit per omnia fratribus aſſimilari:* credendus eſt diuino conſilio in hoc aſſimilatus, vt vultus eius ſimilis eſſet ei qui eius pater a plebe putabatur. Tùm etiam quia philoſophi naturales docent, experientiaq; non ſemel compertum eſt, fœtum perſimilem concipi illi rei, quam mater dum concipit, impensè cogitat: Beata autem Virgo, certum eſt, quod tempore conceptionis Chriſti, in Ioſephi cogitationẽ non leuiter incidit, cum dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* euidens enim eſt, tunc locutam fuiſſe de viro ſuo Ioſeph, non de alieno; igitur cum Chriſtum concipiens, de Ioſepho attente cogitaret, naturale erat ſimilem vultu Ioſepho filium parere.

1. Cor. 12.

Matth. 1.

Ioan. 2.

Ad Galat. 4.

Ad Hebr. 2.

Luca 1.

Tandem, ſi (vt alijs placet) vir a *vincendo* dicitur, nemo ſanæ mentis inficias mihi ibit, meritò Ioſephum, virum nominari, qui grauiſſima Zelotypiæ tribulatione acerrimè oppugnatus, adeò viriliter illam deuicit, vt præmia diuinitus promiſſa vincenti cumulatius, quàm dici poſſit, ſuſciperet: *Vincenti (ait Deus) dabo manna abſconditum, & calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo nouit, niſi qui accipit:* Manna iſtud, quòd Deus pollicetur daturus, Chriſtus Dominus eſt, vt Diuus Ambroſius exponit in Commentario huius loci, at non ſicut ceteris, illud collatum eſt Ioſepho; alijs datũ eſt, cum omnibus patuit, & apud eos miraculis, & doctrina præfulſit: at Ioſepho datum cum manna erat abſconditum,

Apocal. 2.

D. Ambroſ. in commentaria huius loci.

Digitized by Google

tum, & ignotum ſub infantili ætate latens. Tunc datus eſt etiam ei calculus
Dan.2. candidus, hoc eſt, *lapis abſciſſus de monte ſine manibus*, quem Apoſtolus vocauit:
Ad Ephe.2. *lapidem angularem, qui facit vtraq; vnum.*
Apoc.17. Datum deniq; fuit Ioſepho *nomen nouum ſcriptum, quod nemo nouit, niſi qui accipit*, cum dictum eſt illi: *Vocabis nomen eius*
Math.1. *IESVM*, cuius ſanè nominis miram virtutem nemo melius percalluit, quàm Ioſeph; quia ſi Adamus perfectiſſimè cognoſcebat nomina, quæ ſingulis animantibus imponebat, quis quæſo, tā mentis inops eſt qui dicat, Ioſephū ignoraſſe nomen IESV quod ex diuina reuelatione mentem eius irradiante Chriſto impoſuit? Rurſus Apocal.c.2. hoc præmium promiſſum eſt vin-
Apoc.2. D.Ambroſ. centi: *Qui vicerit, dabo illi ſtellam matutinam.* Hanc ſtellam D. Ambroſ. ibidē, Chriſtum interpretatur de quo Balam: *Orietur*
Numer.24. *ſtella ex Iacob*. Fateor, hanc ſtellam omnibus innotuiſſe, omneſque eius lucis, ac ſplendoris participes effici potuiſſe; hoc tamen fuit, quando in vniuerſum orbem radios ſuæ lucis diſperſit, iuxta illud Ioan. 1.
Ioan.1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc Mundum.* Ioſepho autē data fuit hęc ſtella matutina, hoc eſt, matutino ſuæ infantiæ tempore, cum infantilibus pannis, velut nube à Ioſepho inuoluebatur.

Apocal.3. Deinde Apocal.3. dicitur: *Qui vicerit, veſtietur veſtimentis albis*: hoc etiam præmio donatus fuit Ioſeph, nā ſicut in monte Thabor ex ſplendore vultus Chriſti ad veſtes eius magnus candor effluxit, Diuo
Math.c.17. Matthæo dicente c.17. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix*: ita ex ſplendore illius matutinæ ſtellæ, Ioſephum è proximo inceſſanter irradiātis eximius caſtitatis candor in eum emanauit. Item Apoc.3. ſub-
Apoc.3. iungit: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei*. Sanè in præmium victoriæ immanis illius Zelotypicæ tribulationis, Ioſeph meruit firmiſſimam columnam fieri, cui niteretur Maria, quæ viuum Templum ſummi Dei erat. Etenim maritus ſi talis eſt, qualis eſſe debet, columna oportet ſit vxoris, vt Aeneæ vxor eius di-
Virgil.2.Aeneid. xit, id referente Virgilio 2. Aeneidos.

In te omnis domus inclinata recumbit.

His tandem omnibus præmijs acceſſit vltimum, & ſupremum: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Apoc.c.3.
Hoc ſanè licet commune præmium ſit omni vincenti promiſſum, illud peculiare arbitror obtinuiſſe Ioſephum, quòd ſicut Chriſtus Dominus, inquantum homo potioribus Patris bonis fruitur, ita & Ioſephus reliquos omnes (ſponſa eius excepta quæ tanquā Regina adſtitit a dextris eius) longo interuallo cœleſtibus gloriæ muneribus antecellat. Hoc autem, tàm præcxcellens præmium non aliunde certè meruit, niſi quia vir erat ſecūdum cor Dei, vt vltima verba indicant loci, quem explanamus: *Virum iuxta cor ſuum*. 1.Reg.3.

Quorum verborum expoſitionē, vt altius repetamus, ſupponendum eſt, quod licet in Deo, quia ſpiritus eſt, nulla ſit membrorū diſtinctio, metaphorica tamen quadā proportione ab homine ſumpta, in quo præcipuè effulget diuerſa membrorū compago, diuerſitatem mēbrorum ei aſſignamus. D. Paulus dixit: *Caput vero Chriſti* 1.Cor.11.
Deus. Iſaias: *Brachium Domini cui reuelatum eſt*? ideſt, filius Dei cui manifeſtatus Iſa.53.
eſt? Dauid. *Emitte manum tuam de alto*, Pſal.143.
idest, filium carne indutum. Ad eundem ergo modum aptè ſatis dicimus, quòd ſicut Deus per verbum ſuum, velut per linguam loquitur quæcunq; dicit, ita per Spiritum ſanctum tanquā per ipſius Dei cor, diligit quæcunque amore proſequitur. Vnde quemadmodum in homine cor eſt ſedes amoris vniētis amantem cum re amata, ita Spiritus ſanctus ex vi ſuę productionis eſt amor, & vinculū, & (vt ita loquar) nexus Patris & filij: Cū ergo Spiritus ſanctus ſit cor Dei, certè dum Ioſeph dicitur eſſe vir iuxta cor diuinum, *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum*, perinde 1.Reg.13.
fuit, ac ſi diceretur quæſiuit virum cōformem Spiritui ſancto, & ſi ita fas eſt loqui, quandam quodammodo ſympathiā cum illo habentem. Quòd ne abſque fundamento dicere videar, attendite primum, quod ſicut Spiritus ſanctus in illa Trinitate cœleſti, tertia perſona eſt ſecundum originē, ita in terreſtri hac trinitate Ieſu Mariæ, & Ioſephi, ipſe tertium ſibi vendicat locum ſecundum ordinem dignitatis; & ſicut Spiritus ſanctus inſtar cordis fons eſt, & ſcaturigo vitæ, ac omnium vitalium ſpirituum quibus corpus fouetur, & viuit, ita Ioſeph

nutriens, & alens puerum Ieſum vitæ eius principium ſe exhibuit, & omnium ſpirituum vitalium, qui per varias eius corporis arterias diffundebantur. Itē ſi Spiritus ſanctus, ſponſus fuit Virginis, eius virginitatem nunquā lædens, Ioſeph ſponſus eius fuit caſtiſſimus Mariam nunquam contingens: & ſi Spiritus ſanctus Mariam diuino ſpiramine fœcundauit, ac prolē in ea produxit, Ioſeph multis beneficijs eam cumulauit, ac fętum illius nutriuit. Quid plura? ſi Spiritus ſanctus Mariam obumbrauit;
Lucæ 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: etiā Ioſeph ſubuentionis ſuæ vmbra illam mirificè protexit, & honoris pallio cooperuit. Deinde ſi illa noſcuntur Spiritus ſancti munera, quæ
Eccl. Cathol. Catholica canit Eccleſia.

In labore requies,
In æſtu temperies,
In fletu ſolatium.

Etiam Ioſeph infanti Ieſu hæc præſtitit; Lacrymas effundebat infans,

Vagit infans, inter arcta
Conditus præſepia.

Ioſeph lacrymas eius abſtergebat: ecce Ioſeph *in fletu ſolatium*. In medio laborioſi itineris in Aegyptū millies in ſinu ſuo illum fouens, requiem ei dabat: ecce Ioſeph *in labore requies*. Denique cum æſtu ardenti, qualis valde vigebat in Aegypto, infans premeretur, flabello ad calorē temperandum vtens, dulcem ei præbebat auram, ecce Ioſeph *in æſtu temperies*.

Ad hæc, ſicut Spiritus ſanctus pædagogus fuit Chriſti, à quo ducebatur quocūq; ibat, vnde D. Matth. ait: *Ductus eſt Ieſus à*
Math. 4. *ſpiritu in deſertum*: ita & Ioſeph, quaſi infantiæ Chriſti educator, & pædagogus, in quemcunq; locum iturus erat, illum deferebat, atq; ducebat. Detulit in Aegyptū, detulit in Iudæam, duxit in templum, & reduxit in domum ſuam: *Et deſcendit cum*
Lucæ 2. *illis*. Vnde ſicut olim Poëtę finxerūt, quod dum Bacchus filius Iouis per orbē peregrinaretur, ſemper aderat ei, tanquam pędagogus, Sylenus vir ſenex, & ſapiens: ſic, dū filius æterni Patris per Iouem rectè adumbrati, qui *Iuuans pater* interpretatur, tēpore ſuæ infantię & pueritiæ, terrā noſtrā incoluit, ſapiētiſſimus Ioſeph, non ætate, ſed ſapientia ſenex, educator, nutricius, cuſtos ac indiuiduus fuit pueri Ieſu in peregrinatione Aegyptiaca, & alibi ſæpe comes.

Verùm ad extremum, illud reſtat nobis diligenter explorandum, quàm rectè in ſanctiſſimum Ioſephū cordis proprietates conueniant, quàmque egregiè cordis munera erga Chriſtum ipſe præſtiterit.

Et quidem in primis ſi *cor* (vt docet D. Iſidorus lib. 1. Etymologiarum) dicitur D.Iſidor. lib. 1.etymolog.
à *cura*, quis non videat id egregiè Ioſepho conuenire, qui in educatione Chriſti Domini ſollicitam adeò curam geſſit, vt præterquam locum, in quo naſceretur, diligenter quæſiuit, & nato, mille obſequijs ei inſeruiuit, etiam a Iudæa in Aegyptum clam illum tranſtulit, ne inter Bethlehemiticos infantes nefarij Herodis gladio confoderetur. Deinde Herodem mortuum diuinitus intelligens, longi itineris labore, eundem ad Patriam reduxit. In templum prætereà Ieroſolymitanū, duodennem ſecum illum tulit, & perditū, vehementi dolore quærens, In tēplo Inuenit. Secundo, ſi cor iuxta ſe pulmonem habet in illud exufflantem, ne exceſſiuo calore accendatur, Ioſeph quidem iuxta ſe Ieſum habuit, qui ventilabro diuinæ ſuæ gratiæ omnem libidinis ardorē in eo penitus extinxit. Vnde in illo mihi videtur impletū illud Iob. 34. *Si direxerit ad Deum cor* Iob 34.
ſuum, ſpiritum, & flatum ad ſe trahet. Tertio cor eſt in cōtinuo motu, aut enim conſtringitur, aut dilatatur, quod luſtis frequenter accidit; per amorem namque fatetur D. Paulus 2. ad Cor. 6. cor eius dila- 2.ad Cor.6.
tari: *os noſtrum patet ad vos; ò Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt*: & Eccleſiaſ. cap. 2. iuſtum hortatur, cor per timorem conſtringere & humiliare: *Deprime cor tuum,* Eccleſ.2.
& ſuſtine, quæ duo mirificè enituerunt in Ioſepho, præcipuè tamen cum in medijs anguſtijs, viſa vxore prægnante a ſe omnino intacta depreſſit cor ſuū per dolorē, ſed mox dilatauit illud per ſpem, in Altiſſimo illā reponens, ac diuinæ prouidentiæ ſe totum committens.

Quarto Ariſtoteles libro ſecundo de Ariſt. lib.2.de Anima.
Anima affirmat, quod licet animalia habeant cor in medio corporis, humanū tamen cor declinat ad ſiniſtram, vt pars illa, quæ naturaliter eſt frigidior, ab eius calore foueatur. Non diſſimiliter Sanctus Ioſeph, vt qui non ignoraret veram amicitiam in ſiniſtra aduerſitatis probari, videns infantem Ieſum, & matrem eius in ſiniſtra paupertatis, & aduerſita-

Digitized by Google

uerſitatis ex Herodiana perſequutione ortæ conſtitutos, in eam miſeriæ ſiniſtram ad eos ſubleuandos impenſius propendit. Quod ſi Auicennam conſulamus libro de differentia ſpiritus, & animæ, cor duplicem habet ventriculum, dextrum; & ſiniſtrum: in illo plus eſt de ſanguine, quàm de ſpiritu; è contra verò in ſiniſtro plus eſt de ſpiritu, quàm de ſanguine; quo non obſcurè ſignificari arbitror ſpirituales alios duos ventriculos cordi noſtro ineſſe, dexterum, nempè amorem in proſperitate, ſiniſtrum verò amorem in aduerſitate; inter quos amores illud intereſt perſimile diſcrimen, quòd amor in proſperitate plus habet de ſanguine, quàm de ſpiritu, quia magis quærit lucrum proprium, quàm alienum; amor verò in aduerſitate impenſus, plus habet de ſpiritu, quàm de ſanguine, quia non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ amici. Cum igitur beatus Ioſeph in ſiniſtra aduerſitatis Herodianæ perſecutionis, ardentiorem ac feruentiorem amorem erga matrem, & prolem multiplici officio planè oſtenderit, apertè relinquitur amorem eius, puriſſimum fuiſſe, & ab omni carne & ſanguine defæcatum.

Auicen. lib. de differ. ſpir. & anima.

Quintò, Nothomici affirmant in corde duas reperiri concauitates, perſimiles his quæ in auribus videmus, quæ propterea cordis auriculæ dicuntur; has ita veloces ad audiendum habuit Sanctus Ioſeph, vt Dei vocem per Angelum in ſomnis ei loquentem non vigilans, ſed dormiens audierit, & continuo è lecto ſumma velocitate ſurrexerit, vt facet Euangeliſta Lucas teſtatur, capite ſecundo, in quo cordis ſui ingenuitatem non obſcurè ſignificauit, cum Galenus de corde agens dicat, virtutem boni cordis agnoſci per velocem ſeu celerem actionem.

D. Luc. cap. 2.

Galenus.

Addo his omnibus miranda quædam portenta, quæ de corde celebres Authores commemorant. Plinius in Paphlagonia aſſerit, bina corda multis perdicibus ineſſe: è contra verò ibidem refert, quod Cæſare bis ſacrificante, cor in victima eius nullum repertum fuit. Duo quidem ſceleratorum hominum extrema genera in ſacris Scripturis lego; quoſdam duo corda habentes, *veh duplici corde*, de quibus Dauid: *In corde, & corde locuti ſunt:* alios, vno etiam corde carentes, quibus conuenit illud Oſeæ: *Ephraim columba ſeducta, non habens cor:* non ſic, non ſic noſter Ioſeph, qui inter hæc extrema medium virtutis tenens, nec duplex cor admiſit, cum ſimplex, & rectus eſſet, Euangeliſta dicente *cum eſſet Iuſtus:* nec vno illo corde caruit, quod enixè ſibi dari poſtulabat Dauid dicens: *Cor mundum crea in me Deus.*

Plinius.

Eccleſ. 2.

Oſeæ 7.

Matth. 1.

Pſal. 50.

Plutarchus in Paralellis author eſt, Hermogenem, & Leonidam hirſuto corde repertos fuiſſe, quod & Plinius libro 11. Naturalis hiſtoriæ capite 37. de Ariſtomene Meneſio etiam affirmat, quod ſingulare prodigium fortitudinis, & magnanimitatis eorum præſagium fuiſſe perhibetur. Animo certè hirſuto præditum fuiſſe beatum Ioſephum nemo diffitebitur, qui nouerit, tùm immaniſſimum Zelotypiæ amoris hoſtem viriliter ſuperaſſe, omnes in ſe inſurgentes vindictæ motus imperioſè coercendo; tū qui non ignorarit aduerſus tyranni Herodis potētiam pugnaſſe, & illum deuiciſſe, dum prædam infantis Ieſu, quem trucidare anxiè curabat, pluſquàm virili animo ab eius oculis abduxit, in remotiſſimam Regionem illum transferens.

Plutar. in Parall.

Plin. libro 11. nat. hiſto. cap. 37.

Denique illud ſilentio non prætoribo, quod Pierius libro 3. capite quarto refert, olim cor hominis faucibus appenſum boni viri os deſignaſſe, qui quod in corde gerit, hoc ex ore profert. Id certè non arbitror in Ioſepho deſiderari, quia cum cor eius in Ieſu, & Mariæ amorem arderet, quid ni flammæ ardentes per os eius prodirent, cum cordi amantis nihil gratius ſit, quàm amoris inditia per linguam proferre?

Pier. lib. 3. c. 4.

Atque ex his omnibus facilè colligo in laudem pariter Diui Ioſephi, & in confuſionem noſtram, quàm multū interſit inter cor noſtrum, & cor illius: Ioſephi cor diuina erat ſciens, humana neſciens: *Da eis cor, vt ſciant me:* cor Ioſephi amplum per ſpem: *Deus cordis mei, & ſpes mea Deus in æternum:* cor Ioſephi diuinæ voluntati obedire paratiſſimum. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum:* cor Ioſephi diligenti cura cuſtoditum, iuxta illud: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ab ipſo vita procedit:* cor Ioſephi in camino tribulationis probatum: *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me exa-*

Ierem. 24.

Pſal. 61.

Pſal. 56.

Prou. 4.

minaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Pſal.60. cor Ioſephi in graui illa preſſura conſtitutum diuinitus conſolatum: *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me:* (Pſal.60.) cor Ioſephi flammis diuini amoris exuſtum: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis:* (Pſal.38.) cor Ioſephi liquefactum per compaſſionem: *factum eſt cor meum, tanquam cera liqueſcens in medio vētris mei:* (Pſal.21.) cor Ioſephi munditiæ amantiſſimum: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem:* (Prouer.22.) cor Ioſephi a peccatis alienum: *Sapiens cor, & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis.* (Eccleſ.3.) E contra verò, proh dolor, cor veſtrum peruerſis cogitationibus eſt plenum: *cor tuum meditabitur peruerſa:* cor veſtrum multiplici malitiæ labe inquinatum: *cor tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos:* (Pſal.49.) cor veſtrum ſuperbia inrumeſcens inſtar Regis Nabuchodonoſor: *exaltatum eſt Regnum Nabuchodonoſor, & eleuatum eſt cor eius:* (Iudith.1.) cor veſtrum præ libidine laſciuiens. *Deprauatum eſt cor eius per luxuriam:* (3.Reg.1.) cor veſtrum abſque rectitudine erga Deum: *cor autem eorum non erat rectum cum eo:* (Pſal.77.) cor veſtrum per odium, & rixas diuiſum: *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt,* (Oſee 10.) diuiſum quidem à proximo, diuiſum à Deo, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia IX.

Cum Chriſtus Dominus per fugam recedere voluiſſet à facie Herodis, variæ aſsignantur cauſæ quare in Aegyptum potius, quàm in aliam regionem diuerterit. Ex profeſſoque ad id explicātur verba illa Iſaiæ: Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti a facie eius. (Iſaiæ cap.19.)

NEMINEM ignorare arbitror D. Pauli ſententiā aſſerentis: *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere:* (Ad Rom.12.) huic tamen ſententiæ minimè me refragari putabo, ſed pium potius, ac religioſum munus ſuſcipere, ſi humili ac ſubmiſſo animo rationes inquiram, ob quas Chriſtus Dominus in Aegyptū potius, quàm in aliam regionem proficiſci elegerit. Priorem certè fugiendi in Aegyptum cauſam diuinū eloquium Matthæi diſertis verbis edocuit, dum cap. 2. aſſeruit fugiſſe, (Matth.2.) *vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam: Ex Aegypta vocaui filium meum;* cui vaticinio potuiſſet ſimiliter Euangeliſta addere, vt impleretur etiam quod dictum eſt per Iſaiam: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra Aegypti a facie eius.* (Iſaiæ 19.) Quem locum intelligendum eſſe de Chriſto Domino, qui Aegyptum ingrediens falſorum Deorum cultus exterminauit, pariterque eorum ſtatuas ligneas, lapideas, æreas, & ſimiles, virtute diuinitatis ſub carne latentis, potenter contriuit, tradunt grauiſſimi Eccleſiæ Patres, D.Chryſoſtomus, S. Anſelmus, S.Bonauentura, S.Athanaſius, S. (D. Chryſoſt. hom.2. impraefecti.)

Cyrillus

Anſel. ſuper c. 2. Matth. Bonauen. in vita Chriſti. c. 21. Athanaſ. li. de Incarn. verbi. Cyril. chat. 10. Anton. 1. part. c. 1. §. 4. Euſebius lib. 6. de demonſtratione c. 20. Procopius cap. 19. Druthmarus ſuper cap. 2. Mathæi Nicola. de Lyra ſuper c. 19. Iſaiæ Chartuſ. ibidẽ Abulenſ. q. 60. & 61. in c. 2. Matth. Magiſter ſenten. de fuga Chriſti.

Cyrillus Ieroſolimitanus, S. Antoninus, Euſebius, Procopius, Drutbmatus, Nicolaus de Lyra, Magiſter ſententiarum, Dionyſius Chartuſianus, Abulēſis, & alij. Vnde iuxta eorum mentem duo nobis præſtare oportet ad huius loci intelligētiam, Primum, quàm apte per *nubem* Deipara Virgo intelligatur cōprobare, Secundum, per ſimulachra commota non ſolum intelligi Idolatriam ab Aegypto exterminatam, ſed & materialia ipſa idola ad ingreſſum eius ſenſibiliter cecidiſſe.

Inprimis appoſitè ſatis præcitatos Patres per *nubem* Deiparam Mariam intellexiſſe, multa quæ naturales Philoſophi de nubis natura, & conditione edocent, apertiſſimè commōſtrant. Nubes generatur ex vaporibus marinis, aut terrenis virtute caloris attractis, & condenſatis, quorū amaritudo in dulcedinem virtute eiuſdem caloris commutatur: non ſecus Beata Virgo, licet genita fuerit a parentibus peccati labe originalis aliquando infectis, in formatione tamen huius ſacræ nubis omnis originalis peccati amaritudo in dulcedinem iuſtitiæ originalis Virgini collatæ commutata fuit. Vel aliter: in partu, & in morte nulla vnquam fuit femina quæ doloris amaritudine non cruciaretur, hæc tamen amaritudo in Virgine cōuerſa fuit in ſummam dulcedinem, cum & ſine dolore lętabunda peperit, & abſque anguſtia, immo cum ingenti gaudio è vita diſceſſerit. Nubes à terra eſt eleuata, & licet de terra, aut mari generetur, in terra nec in mari non moratur, & quanto eleuatior eſt, tanto minor apparet, quanto verò terræ vicinior, tanto maior eſſe videtur: ſic ſanè Deipara Virgo licet in terra fuerit nata, in cælo tamen erat conuerſatio eius, & quanto amplius in cælum eleuabatur, tanto magis de ſe humiliter ſentiebat, ancillam ſe vocans, *Ecce Ancilla Domini*: vnde ad celſitudinem maternitatis Dei euehi meruit. Nubes terram fæcundat, æſtus ardorem mitigat, & cæleſtem arcum generat, vt libro de proprietatibus rerum legimus, ita Beata Virgo Eccleſiam Catholicam continuis donorum ſuorum imbribus irrigat, & fæcundat; vnde egregiè noſter Bernardinus de ea dixit; *Eſt enim fons Paradiſi, qui vniuerſam terram irrigat, & in quatuor capita diuiditur, quia quibuſdam dat virtutem prudentiæ, vt ſibi prouideant a periculis futuris; quibuſdam virtutem iuſtitiæ, vt Deo ſatisfaciāt de offenſis præteritis; quibuſdam virtutem fortitudinis, vt ſint conſtantes in aduerſis; quibuſdam verò virtutem temperantiæ, vt ſint abſtinentes in proſperis.* Quemadmodum etiam nubes interpoſita inter cælum, & terrā exceſſiuum calorem temperat; ita interponens ſe beata Virgo inter ſolem iuſtitiæ, & terrenos peccatores, diuinæ iuſtitiæ & iracundiæ feruorem mitigat, & Deum ipſum ad miſericordiam flectit. Deinde, ſicut nubes pulchrum, & perbellũ arcum concipit, igneo, viridi, ac cæleſti colore inſignitum; ita immaculata Virgo pulchrum arcum Chriſtum Dominum ſpecioſum præ filijs hominum concepit, & peperit tribus illis coloribus inſtar ætherei arcus diſtinctum: nam ſi, vt D. Paulus ait, *Deus noſter, ignis conſumens eſt*, igneo colore carere non potuit, & cum caro eius Virgineæ puritatis virore niteret, adeò vt nec viua vnquam emarcuit, nec mortua fætere potuit, iuxta illud Dauidis, *non dabis ſanctum tuũ videre corruptionem*, manifeſtum eſt huic ſuperno arcui viridem colorem non defuiſſe: & rurſus cum Paulus Chriſtum Dominum vocet hominem de cælo cæleſtem, & patris ſplendorē, minimè in eo cæleſtis color, & ſplendor deſiderari poterat. Deinde quēadmodū nubes eſt ſolaris radij ſuſceptiua, vt ita loquar, & tamen radius, qui in ipſa nube ſe incorporat ipsā penetrans, & ab ea exiens non ſcindit, nec illam diuidit; ſic beata Virgo filium Dei in viſceribus ſuis ſuſcepit, & carne illū induit, ac ſine virginei ſigilli diuiſione aut violatione pepetit.

Lucæ 1.

Bernard. ſenten. par. 9. Marialis ſerm. 3. aſſimilat.

Ad Hebr. 12.

Pſal. 15.

1. Cor. 15.

Ad hæc de nube Philoſophi aiunt, eſſe concauam, & inſtar ſpongiæ cauernoſam, & ideò ad cæleſtes influentias recipiendas aptior: Sic beata Virgo per profundam humilitatem concaua eſſe perhibetur, & ratione huius humilitatis præ cæteris omnibus ad cæleſtes diuinorum chariſmatum influxus recipiendū aptior inuenta eſt. Ac tādem Deipara Maria nubes dicitur, quia per eam Deus pluuiam illam immiſit in terram, quam antiqui illi Patres inſtanter petebāt, *Rorate cæli deſuper, & nubes pluāt iuſtum*: vel quia diuinæ gratiæ pluuiam in ſterilem, & fæcundam peccatorum terram frequenter pluit, vt dixit Ambroſius libro de Inſtitutione Virginis. Vocauit autem beatam Virginē Iſaias non ſolum *nubem*,

Iſai. 45.

Ambroſius.

 ſed

Hierony. ſuper caput eius Iſa. ſed leuem, quia vt D. Hieronymus adnotauit, leuis erat, quatenus virili ſemine pergrauata nunquam fuit: vel quia, vt tradit Procopius, nullũ habuit pondus peccati, nec fomitis, aut inordinatæ paſſionis; vel certè quia ſuper omnia hæc terrena volitabat. Atque hinc eſt quod ſicut ratione leuitatis, & agilitatis qua pollet nubes, vento impulſa facile mouetur; ita Deipara Virgo illius miſeriæ omninò expers, de qua ſapiens, *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animã, & terrena inhabitatio ſenſum deprimit multa cogitantem*, iuxta quod Sapient. 9. D. Aug. Conf. & Auguſt. dixit lib. Confeſſionum, *Quoniã tui plenus non ſum, ideò mihi onus ſum*, facilè Spiritus ſancti aura illam afflante, & impellente mouebatur, prout in itinere ad Aegyptum ſatis compertum eſt, cum non aliter quàm Angelico oraculo id mo- Matth. 2. nente, in Aegyptum profecta fuerit, *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegy-* Exod. 14. *ptum*. Vnde ſicut olim, prout libro Exodi legimus, nubes quędã filios Iſrael per diem protegens à ſole, & nocte illuminans eos ducebat, & viam oſtendebat per deſertum; ita beata Virgo inſtar lucidiſſimæ nubis præeuntis duxit, & reduxit per deſertum non filios Iſrael, ſed filium vnigenitum Patris, & creatorẽ cæli, & terrę. Vel dicamus, quod ſicut Ieſus grandior factus ad aſcendendũ in cælum nube, inſtar vehiculi, vſus Pſal. 113. eſt, iuxta illud Dauidis Pſal. 113. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*; ita cum infans exul abijt in Aegyptum, beatam Virginem lucidiſſimam nubem ſui geſtatricem habuit, in Aegyptum illum ducentem, prout Iſaia 19. indicant propoſita Iſaiæ verba, *Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum*.

Sed iam ſequentia verba explicemus, *& commouebuntur ſimulachra eius*: quod non aliter præſtabimus, quàm aſſignando rationes, his verbis inſinuatas, ob quas Chriſtus Dominus in Aegyptum potius quàm in aliam regionẽ proficiſci voluerit. Prima, & præcipua eſt, vt Idolorum cultũ, qui ſumma ſuperſtitione ibi vigebat, penitus extingueret, id quod ſibi volunt verba Iſai. 19. Prophetæ, *Et commouebuntur ſimulachra eius*: hanc aſſignant Patres omnes à me ſupracitati, quorum teſtimonia omnia, minime referam, contentus eorum indicaſſe loca, nonnulla tamen grauiora, & vtiliora ſilentio præterire non debui. Catena au-

rea D. Thomæ in cap. 2. Matth. ſic habet. D. Thom. *Quare in Aegyptum? Recordatus eſt enim Dominus, qui non in finem iraſcitur, quanta mala fecerit ſuper Aegyptum, ideò mittit filium ſuum in eam, vt det illi magnæ reconciliationis ſignum, vt decem plagas Aegypti vna medicina ſanaret; vt populus, qui ante fuerat perſecutor populi primogeniti, cuſtos fieret filij Vnigeniti; vt qui illi violenter dominati ſunt, iſti cum deuotione ſeruirent; vt iam non irent ad mare rubrum demergendi, ſed vocarentur ad aquas baptiſmatis viuificandi*. Origenes presbyt. in idem Origenes. Euangelium Hom. 3. in diuerſos. *Surge & accipe puerum: non tuum puerum, ſed hunc puerum, cui aliquando Pater teſtimonium perhibuit dicens: Hic puer meus dilectus eſt, in quo bene cõplacuit anima mea. Hunc dicit puerũ accipe, per quem Reges regnant, & potentes adminiſtrãt iuſtitiam, per quem ſapientes magnificantur, & principes poſſident terram: Hunc puerum accipe, & matrem eius, non tu huic puero pater, ſed hæc ſola Virgo huic puero mater: Non indiget patre ſuper terram, incorruptibilem enim habet patrem in excelſis; non indiget Matre in cælis, immaculatã et caſtã habet in terra*. Et paulò poſt, *ſine patre ſuper terram, ſine matre in cælis, ſine patre ſecundum corpus, ſine matre ſecundum deitatem, ſine patre in ſinu Virginis in nouiſſimo tempore, ſine matre in ſinu patris ante omnia ſecula. Fuge nunc in Aegyptũ, ait. Quare in Aegyptum? propter multitudinem, quæ ibi eſt idolorum, abominationumque multarum. Fuge in Aegyptum propterea vt deſtruantur manufacta eorum, vt confringantur, & pereant idola ipſorum; propterea vt dæmones turbentur, & regum fabricæ idolis deſtruantur, vt fiat in aduentum Domini fugitiuorum ſeruorum, atque malorum interitus. Fuge in Aegyptum, vt adimpleat quæ dicta ſunt, Ecce Dominus ſedet in nube puſilla, & veniet in Aegyptum, & commouebuntur omnia manufacta Aegypti. Ecce Dominus ſedet in nube puſilla, carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauedinem, Nubes enim in aera eleuatur, atque leuitate ſui in alta dirigitur, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus in ore eius*.

Euſeb. Emiſ. Euſebius Emiſſenus in expoſitione huius Euangelij de Chriſti fuga ſic loquitur: *In Aegyptum fugere iubetur, vbi Abraham, & Iacob, & filij Iſrael peregrinati ſunt: hoc*

enim Propheta prædixerat, dicens, Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & corruent omnia ſimulachra eius: nubes enim leuis, & nullius corruptionis pondere grauis eſt Virgo Maria. Quare in Aegyptum Chriſtum portauit? vt lux in tenebris luceret, & populus, qui ſedebat in tenebris lucem magnam videret. Euthymius etiam ſuper caput 2. Matthæi hęc ſcripſit: *Ex Aegypto vocaui filium meum, ſimul etiam quia Babylonia, & Aegyptus maximæ erant officinæ ad flammam omnis vitij, quod per orbem ſparſum erat: ab illa ergo Magos attraxit, in hanc autem intrauit, vtramque volens ad rectam viam reduci.* Ac tandem D. Leo Papa ſermon. in Epiphania, ideo Chriſtum fugiſſe ait in Aegyptum, *vt Hebrææ gentis antiqua cunabula repeteret, & principatum veri Ioſeph maioris prouidentiæ poteſtate diſponeret, & famem, qua Aegyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cælo panis vitæ cibus rationis auferret, nec ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ ſacramentum, in qua primum occiſione agni ſalutiferum ſignum Crucis, & Paſcha Domini fuerat præformatum.* Olim exorta fame tanta cura Dominus populum Iſrael ſeruauit, vt in Aegyptum confugere fecerit, atque illa fuga Aegyptum ipſam honorauerit, & Iſraëlitas vehementer multiplicauerit, atque ditauerit. *Intrauit Iſrael in Aegyptum* (ait Dauid) *& Iacob accola fuit in terra Cham: & auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius.* Eodem modo noſter diuinus Iacob animarum Aegypti cupidus, & vt earum tenebras illuminaret, errores depelleret, Idola & ſimulacra tolleret, veramque fidem, ac religionem ſtatueret, & Chriſtianum populum conderet in Aegypto, augeret, atque ditaret, mirabili, myſterio potius, quàm metu in Aegyptum fugit, vt hæc, & alia mirabilia, & magnalia faceret in ea. Vide autem quid olim dixerat Dominus ad Iacob: *Deſcende in Aegyptum, & faciam te in gentem magnā, ego deſcendam tecum*, quaſi diceret: Ego quoque tecum deſcendam opportuno tempore in carne tua homo factus, vt ſim in Aegypto in ſalutem, & producam in ea gentem ſanctitate, & virtutibus magnam. Impleuit ſanè Chriſtus Dominus hanc pollicitationem, cum infans manibus matris ſuæ geſtatus

Euthymius.
D. Leo ſermo. Epiphania.
Pſal. 105.
Gen. 46.

deſcendit in Aegyptum. Lib. 4. Regum legimus, quod Eliſeus admonuit Sunamitidem cuius hoſpes erat, & cuius filium mortuum ſua oratione ad vitam reuocauerat, vt famis tempore fugeret cum filio ſuo; non ſecus Spiritus ſanctus, qui perpetuò hoſpes erat beatæ Virginis, & cui abſque detrimento ſuæ integritatis non oratione, vt Eliſeus, ſed propria virtute obumbrante filium dederat, admonuit vt Herodis perſequutione ſæuiēte in tanta etiam animarum fame, qua puer Ieſus premebatur, fugeret in Aegyptum, vt ibi expleret, & ſatiaret eam. Satiauit quidem, quia penè innumeram animarum multitudinem lucratus fuit, vt Origenes & Chryſoſtomus adnotarunt, nam Origenes homilia tertia in diuerſa inquit, *Fuge in Aegyptum, inquit Angelus, vt fugiant de Aegypto qui ibi ſunt dæmones, vt habitent ibi Angeli ſancti, qui Deum conſequantur, qui ſanctis iungantur, vt pro multitudine templorum, atque abominantium, multitudo exuberet Eccleſiarum, pro vitijs, & erroribus multis, multa caſtitas, ſanctitas, & virginitas ſuperabundet.* Chryſoſtomus autem in Babilā Martyrē hæc ſcripſit: *Apollo Daphneus ob martyres illius cineres proximos contieuit, ita in Aegypto ſucceſſura benedictio præſagiebatur vt quo magis olim Hebræos perſequuti fuerant, eo tandem magis amplecterentur Chriſtianos. Quis enim, ſi Thebaidem, & vniuerſam Aegyptum qualis florente Chriſtiana religione conſtitit, expendat, non in illa Eremitarum, & pænitentium multitudinem, & pietatem admiretur? quid? quod tot inſignes viros protulit, Paulum Eremitam, Antonium magnum, Macharium celebrem, ceteroſque, quorum acta ex Theodoreto, ex Theophilo, & ex Palladio in hiſtoria Lauſiaeba, reliquiſque antiquis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ petere poſſumus.*

Idem tandem D. Chryſoſt. latius hoc argumenti genus ibi proſequens, hęc eloquenter edixit: *Si quis ad Aegypti veniret ſolitudines, paradiſo prorſus omnem illam videret eremum digniorem, & innumerabiles angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros Virginum, & omnem quidem Tyrannidem diſſolutam, Chriſti autem regnum coruſcans, & illam Magorum quondam, ac Philoſophorum parentem, cunctarumque huius generis artium repertricem, quæque etiam ceteris*

Lib. 4. Regum
D. Chryſoſt. Orig. hom. 3.
Chryſ. hom. in martyrem.
D. Chryſoſt.

teris propria inuenta tradiderat; videbit modò piſcatorum magiſterio gloriantem, & contemptis omnibus iam illis, repudiatisque doctoribus, publicanos vbiq; ac ſutores pellium circumferentem, atque ad maximam fidei ſuæ gloriam Crucem Domini præferentem. Et hæc omnia bona non in vrbibus ſolum, ſed etiam in deſertis florerent locis: erat enim mirabile cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutumq; cæleſtium conuerſationem in terris micantem, atque hæc non in viris ſolum, verum etiam in feminis ſplendere conſpicias. Nam illæ quoque non minori quàm viri virtute decorantur, non clypeo arrepto in equum inſilire callentes, vt honeſtiſſimi illi, ac ſapientiſſimi gentilium iubent Magiſtri, ſed multò certè vehementius bellum gerentes. Communis enim illis, ac viris aduerſus diabolum pugna eſt, contraque huius mundi poteſtates, nec vſpiam teneritudo ſexus his congreſſibus impares facit. Non enim natura corporis, ſed voluntate animi exercentur iſta certamina. Propterea ſæpe in huiuſmodi acie fortius viris feminæ decertarunt, ac trophæis inſignibus claruerunt. Non ita varijs aſtrorum choris cælum refulget, vt Aegyptus innumeris Monachorum, ac Virginum diſtinguitur, atque illuſtratur habitaculis. Si quis illam Aegyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furentem, adorantem irrationales animantes, porros etiã, cæpaſq; colentem; hic optime Chriſti poteſt noſſe virtutem, per quem facta eſt tam admiranda mutatio. Hactenus D. Chryſoſtomus.

Confirmat doctrinam hanc, & intelligentiam propoſiti loci Iſaiæ, quod poſt quam dixerat: *Et commouebuntur ſimulachra Aegypti à facie eius*, ſtatim ſubdit *Et cor Aegypti tabeſcet*, vel vt alia lectio habet, *deficiet*. Sicut enim Dauid ex affectu deuotionis in Deum dicebat, *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei* ita defecit cor Aegyptiorum ab infidelitate, & ab Idolorum cultu, cui antea vacabat. Addit deinde Propheta: *Et concurrere faciam Aegyptios aduerſus Aegyptios, & vir pugnabit contra fratrem ſuum, & contra amicum ſuum*: Ecce iam Euangelicam vitam in Aegypto inchoandam prædicit auctore infante Ieſu cum Maria, & Ioſeph ſocijs illius perfectiſſimi ſtatus Euangelici, de quo in Euangelio poſtea dixit: *Nõ veni pacem mittere, ſed gladium.* Quod iuxta intelligentiam Hieronymi ſuper Michæam c. 7. & Gregorij Nazianzeni orat. 39. quæ eſt in ſancta lumina, & iuxta expoſitionem Nicetæ Cretenſis, & aliorum Patrum, ſignificat diuiſionem futuram hominum in terra per gladium Euangelij, & ſermonis fidei: cum ſeparabitur pater fidelis à filio infideli, & filia à matre, nurus à ſocru, ita vt pro amore Chriſti, & fide eius, ſi opus ſit, filius conſurgat aduerſus patrem, & filia aduerſus matrem, & inimici fiant ad inuicem, & contra ſe mutuo pugnent, & frater tradat fratrem in mortem, & pater filium, ſicut contigiſſe in Eccleſia ſæpè legimus propter confeſſionem nominis Chriſti, & eius amorem.

Iſai 19. *Pſal. 72.* *Iſai 19.* *Matth. 10.* *Mich. 7.* *D. Greg. Nazian. orat. 39.*

Proſequitur Iſaias dicens: *In die illa erit altare Domini in medio Aegypti, & titulus Domini iuxta terminũ eius erit in ſignũ Domino exercituũ in terra Aegypti.* Albertus magnus refert, ab Aegyptijs dicatum fuiſſe altare Ignoto Deo, qui idola proſtrauit, & ſanauit plagas eorum, & tunc impletum fuiſſe vaticinium hoc Iſaiæ, *in die illa erit altare Domino*. Verùm D. Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 14. per illud altare intelligit Eccleſiam Chriſti, quæ in terra Aegyptiorum per tot annorum curricula mirabili Euangelicæ vitæ perfectione per ſanctos illos patres Eremi incolas Chriſto Domino inſeruiuit: ibi erat altare Domino, in quo ab eis ſacrificia Deo offerebantur, & holocauſta tàm corporum per continuam eorum macerationem, quàm cordium per miram obedientiam, & continuam amoris, & contritionis flammam, *ſacrificium* enim *Deo* eſt, vt dixit Dauid, *ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum*. Ibi erat etiam titulus Domini, hoc eſt, ſignũ ſacrum Crucis in ſanctis illis refulgens, qui in Cruce Domini gloriabantur, & quibus mundus crucifixus erat, & ipſi mũdo. Verè ſicut Dauid ante prædixerat: *Poſuit in Aegypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos.* Signa erant Aegypto tot Eccleſię, Templa, ac Monaſteria, in quibus relucebat Euangelicæ vitæ religio, ac perfectio Apoſtolica. Prodigia verò dixerim Sanctos illos Aegypti, qui verè ſancti-

Iſai 19. *Albert. Mag. de fuga Chriſti.* *D. Aug. lib. de vnit. Eccleſ. cap. 14.* *Pſal. 50.* *Pſal. 77.*

ctita-

ſtitatis prodigia ſtupenda fuere, his enim nominibus ſolitos eſſe ſanctos appellari, teſtis eſt Dauid, qui de ſe ipſo in virum perfectum iam mutato dicebat, *Pſal. 70.* *Tanquam prodigium factus ſum multis;* teſtis Iſaias: *Iſai. cap. 8.* *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & portentum;* Teſtis tandem D. Ignatius epiſt. 1. ad D. Ioannem, *D. Ign. Epiſt. 1. ſ. Ioan.* qui Beatiſſimam Virginem Mariam appellat *Cæleſte prodigium, & ſacratiſſimum monſtrum*. Illi ergo ſancti Aegypti habitatores, ſolitariæ vitæ, & regularis obſeruantiæ amantiſſimi, prodigia Eccleſiæ miranda, & ſtupenda orbis miracula fuere, & viuæ imagines vitæ Chriſti Domini, qui primus fundator extitit Eccleſiæ, & religionis Aegypti. Quamuis enim teſte *Caſſ. lib. 2. de Inſt. Mona.* Caſſiano lib. 2. de inſtitut. monachorum, poſt Chriſti Aſcenſionem in cælum, Marcus Euangeliſta primus fundarit Aegypti Eccleſias, & Chriſtianam religionem inſtituerit; dubium tamen nõ eſt quin Chriſtus Dominus fuerit in Aegypto fundator Eccleſiæ primus, ſimul cum Maria, & Ioſeph ſocijs fugæ, & peregrinationis ſuæ, *Pſal. 86.* *Ipſe fundauit eam Altiſſimus,* cuius fundamenta ſic poſuit, vt poſtmodum ædificatio conſtructa creſceret in illos ſanctos viros, & magnos, & compleret quod paulò anteà dicebam pollicitum fuiſſe Deum Patriarchæ Iacob, *Gen. 12.* *faciam te in gentem magnam*. Itaque cum duæ præcipuæ nationes Idolorum cultu, & varijs ſuperſtitionibus, reliquas omnes longe antecellerẽt Aegyptus ſcilicet, & Babylon (vt adnotauit D. Chryſoſtomus hom. 8. operis *D. Chriſoſt.* imperf.) volens Chriſtus Dominus oſtendere ſe veniſſe, vt idolatriam, ac diabolicas ſuperſtitiones exterminaret, paucis diebus poſt ortum ſuum, tres Reges Magos fidei magiſtros iam factos, miſit ad Babylonem, ipſe verò in Aegyptum venit, vt omnem illam regionem ſuo aduentu ſacraret, & de infidelitatis tenebris in fidei catholicæ lucem eam transferret. Et quidem cum primus agnus paſchalis fuerat occiſus in Aegypto, cuius occiſio typus erat adamuſſim adumbrans occiſionem immaculati agni Chriſti Domini in Cruce immolandi pro redemptione gẽneris humani, meritò vt oſtenderet ſe eſſe hunc agnũ, *qui phaſe*, ideſt *tranſitus interpretatur quia hic*, fieri debebat, à tenebris Aegypti ad lumen Eccleſię catholicæ, trãsferendo illos ab incredulitatis caligine in admirabile fidei lumen, (meritò inquã,) vt id oſtenderet, Aegypti incola fieri elegit.

Ceterùm vt huius mirabilis phaſe, ſeu tranſitus excellentia ingreſſu Chriſti in Aegyptum facti magis effulgeat, breuiter oſtendam quantum idolatriæ peſtis per omnem illam regionem tunc graſſaretur. S. Cyrillus ſuper Iſai. 1. ait. *Cyrillus.* *Aegypti præ alijs ſuperſtitioſiſſimi, delubra paſſim, & ſimulachra infinita habebant, adorauerunt volatilia, & piſces, & capram, & auem; & vitulus ab illis in honore habitus eſt*. S. Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ, *D. Hieron.* *In tantam ſtoliditatem Aegyptios veniſſe*, ait, *vt non ſolũ accipitres, noctuas, & hircos colerent, ſed & ſtolidos aſinos adorarent*. D. Auguſtinus *D. Auguſt.* addit non ſolum animalibus, ſed & cæparum plantis diuinum honorem præſtitiſſe: immo, vt alij DD. narrant, multa etiam inanimata, vt Solem, Lunam, & ignem tanquam Deos venerabantur. Ad hanc tantam idolatriæ abominationem abolendam, ac penitus eradicandã, & in veri Dei religionem, & cultum commutandam Chriſtus Dominus in Aegyptum venit. O admirabilis commutatio dexteræ excelſi, vt gens, quæ prius perſequebatur populum primogenitum Dei, poſtea fieret cuſtos Vnigeniti Dei; & quæ infidelitatis cæcitate obſcurata erat, fidei lumine ſit illuſtrata; & quæ peccati labe maculata vixerat, gratiæ nitore ſit decorata; & quæ tandem Inferno inſtar Pharaonis, & eius exercitus in mari rubro demergenda erat, nunc aqua Baptiſmi abluta quibus peccata ſuffocantur, iam in æternum viuat. Hæc tàm portentoſa mutatio dexteræ fuit, hoc eſt, digna dextera Dei, Chriſto ſcilicet, qui dextera Dei patris eſt, per quem fecit, & ſæcula, vt ait Apoſtolus. Hæc conſiderans D. Athanaſius lib. 1. de incarnatione Verbi, erudite *D. Athanaſ.* dixit: *Quis iuſtorum aut Regum in Aegyptum deſcendit, cuius deſcenſu Aegyptiorum Idola manufacta corruerint? Abrabam nempè illuc deſcendit, ſed tamen ad ingreſſum eius Idolorum minime cultura quieuit. Moyſes illic natus eſt, nec tamen feruere impietas, cultuſque ſacrilegus deſtitit; nunquam aliàs Aegyptiorum quieuit impietas, niſi cum Dñs omniũ, corpore illuc deſcendit ac nube deuectus, profligatoq; errore idolorũ omnes ad ſe, & per ſe ad Patrem tranſtulit.* Huc-

Hucuſque oſtendimus per verba illa Iſaiæ: *Simulacbra Aegypti commouebuntur* intelligi ſimulachrorum, & idolorum cultum, ac falſam Deorum religionem, quæ in Aegypto dominabatur, per ingreſſum Chriſti in illam regionem penitus eſſe abolendam, & exterminandam: nunc oſtēdam non ſolum id intelligi, ſed etiam materialia ſimulachra, ærea, lignea, vel lapidea Chriſto Domino in Aegyptum ingrediente de loco ſuo commota in terram corruiſſe: ſi enim Idolum Dagonis, olim in varias partes confractum ad ingreſſum Arcæ Domini in templum illius cecidiſſe legimus, quantò magis par erat vt ad ingreſſum in Aegyptum filij Dei in carne humana per arcam illam figurata, Idola corruerent? id quod ſacer textus non obſcure indicat: nam vbi noſtra vulgata legit: *ſimulachra Aegypti commouebuntur*, ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt: *Mouebuntur manufacta Aegypti*, &

Sept. interp.

Vatablus.

Vatablus, *mouebunt ſe ad aduentum eius*, ideſt, proſternent ſe ad ingreſſum Chriſti, quia ſi audito eius nomine compelluntur genuflectere, vt ait D. Paulus, quanto magis ipſo præſente? Hanc autem intelligentiam ſuſtinere prædicta Iſaiæ verba multi Patres, & antiqui Doctores tradidere.

Ad Phil. c. 2.

Niceph.

In primis Nicephorus lib. 10. Hiſtoriæ, loquens de arbore, quæ Aduentum Chriſti ferre non potens, ſe inclinauit, inquit: *Ego vero arbitror arborem hanc Græcorum moribus ab illis incolis diuino honore cultam, tùnc commotam eſſe dæmone, qui per eam colebatur, exhorreſcente ad præſentiam eius, qui aboliturus, & oppreſſurus eos omninò fuerat: ſed tùnc quoque cuncta Aegyptiorum ſimulachra defluxere Chriſti non ferentia aduentum, iuxta id, quod de eis ab Iſaia eſt dictum. Porrò dæmone ex arbore illa pulſo, ad certum rei certæ inditium prona, & inclinata permanſit, fide accedentes ſanans.*

Sozomenus.

Sozomenus lib. 5. hiſtoriæ de eadem arbore verba faciens ait, *quæ quidem ſi quid ego iudico, vel ſignificabat Chriſtum iam in orbe eſſe, vel (vt veriſimile eſt) non modo arborem, quam incolæ, propter magnitudinem, & pulchritudinem lege gentilitia venerabantur, dæmone iam, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum euerſorem, qui eo in loco comparebat, perhorreſcente ſua ſponte commotam eſſe.*

Mag. hiſt.

Magiſter hiſtoriarum de fuga Chriſti agens ait, *quod ſicut egrediente populo Hebræorum ex Aegypto nulla fuit domus, in qua non iaceret mortuus, ita ingrediente Chriſto ibidem, nullum fuit tēplū, in quo non Idola corruerēt.*

Hiſt. Lauſ.

Palladius.

In hiſtoria Lauſica in vita ſācti Appollonij Abbatis refert Palladius capite 52. memoriæ proditum eſſe in eadem ciuitate Hermopoli extare templum, in quo, ingreſſo Saluatore omnia Idola proſtrata, comminutaq; ſunt.

Procopius.

Procopius deinde, ſuper dictum locum Iſaiæ hoc indicat dicens: *Cum Dominus in puerili ætate in Aegyptum deuectus eſt, ineffabili potentia confregit Idola.*

Lyranus.

Lyranus Iſaiæ 19. *Ingrediente Domino in Aegyptum; ſimulachra corruerunt, vt dicitur in ſcholaſtica hiſtoria, in ſignum deſtructionis Idolatriæ per prædicationem Euangelicam.*

Dionyſ. Cart.

Dionyſius Chartuſianus in caput 19. Iſaiæ: *Corruerunt Aegypti Idola propter Chriſti præſentiam, quam ferre non potuerunt; quemadmodum Dagon Idolum corruit.*

Abulenſis.

Abulenſis autem q. 6. ſuper cap. 2. Matth. ait, *Omnia ſimulachra Aegypti ſenſibiliter mota fuiſſe, in quantum trecenta ſexaginta quinque corruerunt, quæ forſan erant omnia idola Aegypti, ita vt non eſſent plura nomine differentia, licet eſſent alia ab eis numero diuerſa*: & ſubiungit, *quod cum hoc factū nunciatum eſſet Aphrodiſio principi Sacerdotum, venit in templum cum omni ſuo exercitu, & poſtquam accedens puerum Ieſum adorauit, conuerſus ad exercitum dixit: Hic niſi eſſet Deus Deorum noſtrorum, coram eo non ſe proſternerent: nos ergo quod Deos noſtros facere vidimus, niſi cautè fecerimus, omnes ſicut Pharao periculum incurremus.*

Anſelmus.

Eidem ſancti Patres ſententiæ aſtipulantur: nam D. Anſelmus in cap. 2. Matth. ait: *De fuga prædixit Iſaias: Ecce Dominus aſcendet nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur ſimulachra eius, quod factum eſt: nam Domino intrante Aegyptum idola Templorum corruerunt.*

Bonauent.

D. Bonauentura de vita Chriſti capit. 12. ſimiliter ait: *Cum in Aegyptum intrarunt Chriſtus, Virgo, & Ioſeph, omnia idola ipſius Prouinciæ corruerunt, ſicut per Iſaiam fuerat prophetatum.*

D. Doroth.

D. Dorotheus Martyr in Synopſi hęc habet: *Ieremias ſignum dedit ſacerdotibus Aegyptiacis, quod oporteat ſimulachra eorum concuti, & decidere per ſeruatorem puerum ex Virgine naſciturum, & in præſepe iaciturum, propterea*

etiam

etiam nunc Virginem in lecto infantem in præſepio collocant, & adorant, & cum cauſam olim Ptolemæus Rex percontaretur, reſponderunt myſterium eſſe ipſis a maioribus traditum, quod illi a ſancto Propheta acceperunt. Idem tandem tradunt D. Cyrillus Ieroſolymi. Chatech. 10. D. Antoninus 1. parte titul. 5. cap. 1. §. 4. Cardinalis Vgo ſuper Math. 2. Ludolphus de vita Chriſti, Euſebius lib. 6. de demonſtratione Euangelica capite 20. Procopius ſuper Iſai. 19. Druthmarus in c. 2. Math. & multi etiam moderniores. Quare miror Ianſenium in ſua concordia hanc opinionem tantorum Doctorū teſtimonijs conſtabilitam, auſum fuiſſe fabulam appellare. Et quid quæſo mirum in Aegypto id contigiſſe, cū & Augusto Cæſari ſciſcitanti a Pythia, quis poſt ſe regnaturus eſſet? vt ſcribit Suidas palam, reſponderit:

Cyrillus. Cardin. Vgo. Ludolphus. Euſebius. Procopius. Druthmarus. Ianſenius. Suydas.

Me puer hebræus diuos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet, triſtemque depellit ad Orcum,
Aris ergo de hinc tacitus aſcendito noſtris.

Porrò reliquum eſt, vt ceteras miſticas rationes fugæ Chriſti in Aegyptum breui ſermone iā apponamus. Fugit certè Chriſtus Dominus, quia abſtulerat olim Deus omnia primogenita Aegypti in egreſſu filiorū Iſrael, nūc verò ei reſtituēs primogenitū ſuū pro omnibus illis præbuit. Percuſſerat Aegyptū plagis multis, nūc medicinā præſtat omni malo; percuſſerat eos tenebris, nūc ſolem ſuum ſuper eos oriri facit quo tenebræ pellantur. Deinde fugit Chriſtus, vt ſequeretur veſtigia ſuorum maiorum, hoc eſt, quatuor præcipuè Patriarcharum, quibus fuerat promiſſus ipſe Chriſtus, & qui eius geſſerant figurā, qui omnes ex Iudæa fugerant in Aegyptum, nimirum Abraham, Iſaac, Iacob, & Ioſeph. Rurſus fugit, vt hac ratione ſignificaretur regnum Dei transferendum eſſe ex Iudæis ad gentes. Moyſes vt effugeret Pharaonem, fugit ex Aegypto verſus Iudęam; Chriſtus vt fugiat Herodem, tendit ex Iudæa in Aegyptum, per quod ſignificabatur aliquando fore, vt propter Chriſtum Aegyptus fieret vera Iudæa, recepta fide Chriſti propter multos inſignes martyres, & cōfeſſores, qui ibi futuri erāt. Ad hæc, fugit Chriſtus Dominus iuxta mentem D. Auguſtini, & innocentes occidi permiſit, vt hebræos deferendo, & proprijs filijs priuando, parentes illorum puniret. Verba eius ſunt hæc: *Lugeatis licet Iudæi filios veſtros, atque plangatis, non illi moriuntur qui à vita ſuſcipiuntur. Vobis irrogatur pœna orbitatis, ceterùm illis gloria affertur immortalitatis. Nuntiaſtis Herodi, vbi occidendus inueniri poſſet filius Dei, ſed ille filios veſtros occidens pro filio Dei, & vos orbitatis pœna neſciens punit tanquam proditores, & filios veſtros Dei facit heredes. Sic vos irridebat ille, qui habitans in cælo iacebat in terra. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos,* cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Aug. lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 5. Pſal. 2.

Homilia IX.

De manſione B. Virginis cum filio & ſponſo patienter lata in Aegypto, & de reditu eorum in Iudæam ſermonem inſtituimus; pariterque vaticinium illud: Ex Aegypto vocaui filium meum, *ex profeſſo elucidamus.*

Matth. cap. 2.

CVM de manſione B. Virginis in Aegypto acturus ſim, non poſſum non quædā huic argumento valde conſentanea de terra Aegypti ex Abulenſi commemorare. Aegyptus regio quædā eſt quaſi inacceſſibilis ex omni parte, niſi per mare ex parte occidentis, Ab Occidente enim habet mare mediterraneū, & per nauigium ad eam acceſſus eſt; In quadā tamen parte Occidentis quæ eſt verſus Auſtrum vltra Alexandriam, ad meridiem habet confinia cum quadam prouincia Barbarię, quę vocatur *Varchna*, eſtque inter eam, & Aegyptum deſertum xv. dietarum. Ab Auſtro terræ Aegypti eſt deſertum Aethiopiæ duodecim dietarum, & vltra vſque ad Nubiam; eſt enim iſta prouincia quædam pars Aethiopiæ, in qua præ-

Abulenſis ſuper Matth.

prædicauit B. Matthæus, & gentes illius regionis Chriſtianæ ſunt vſque hodie, de quo doctiſſimus Abuleſ. in primo prologo Hieronymi, qui incipit. *Matthæus* cum primo, q. 3. Ab Oriẽte eſt deſertũ Thebaidos vſq; ad mare Rubrum per tres dietas ad locum, qui Beronicè dicitur, & eſt portus Aegypti in littore maris Rubri volentibus verſus Indiam nauigare: Contra Vulturnum verò, & Septentrionem eſt deſertum magnum vſque ad terram Canaam, ſiue Iudæorum, in quo quadraginta annis morati ſunt Iſraelitæ, quod deſertum non poteſt minus quàm octo diebus tranſiri. Eſt autem in Aegypto aer bonus, ſibique conueniens, & terra magis temperata, quàm Syria, & Paleſthina: Totum autem bonum terræ Aegypti oritur ex Nilo flumine, totam terram irrigãte. Flumen autem hoc contra conditionem omnium aliorum fluminum creſcit, & decreſcit, quolibet anno, ſumma regularitate, ſtatutis, & certis temporibus: Incipit enim creſcere die natiuitatis S. Ioãnis, & creſcit continuè vſque ad diem exaltationis Sanctæ Crucis, in menſe Septembris; & ab illa die incipit decreſcere continuè vſque ad diem Epiphanię: & cum apparet terra arida, proijcit agricola ſemen in menſe Ianuarij, & maturas fruges colligit in Martio. Eſt autem poſita quædam columna marmorea, vt idem *Abulenſis ſuper Matth.* Abulenſis teſtatur, in Inſula quadam parua, in medio fluminis, quæ eſt propè ciuitatem antiquam nomine Memphim, quæ eſt iuxta Cairum, & in illa columna ponunt ſigna, ſecundum quæ cognoſcunt ſequentis menſis copiam, itaque in diuerſis partibus eiuſdem columnæ varia exarantur ſigna: & ſecundum quod aqua Nili creſcentis pertingit vſque ad vnum, vel alterum ſignum, cognoſcitur quantitas frugum futurarum: Vnde viſo augmento fluminis, cognoſcit certiſſimè agricola quantos fructos habiturus ſit. Nec cum fallit opinio. In ſingulis locis propè Nilum erant antiquitus, & ſunt virgæ poſitæ, ſecundum quas menſurabatur incrementum Nili. Iſtæ autẽ ponebantur quondam in templis Idolorum in laudẽ ipſorũ, quaſi ab eis proueniret incrementum Nili, & fecunditas anni: Vnde in Alexandria ponebatur virga illa in templo Iſidis, quæ erat maxima Dearum, & Deorum Aegypti. Sed poſtquam fides Chriſti ſuſcepta eſt in Aegypto, poſita fuit illa virga in Eccleſia Chriſtianorum in honorẽ Chriſti, vt patet ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Euſebius. Ceterũ cũ ſermo occurrat valdè hiſtoricus in hac Homilia, nec poſſũ, nec debeo ſilentio præterire quæ de loco, & tempore quo B. Virgo in Aegypto permanſit, ſancti Patres, & probati Authores edixere. *D. Anſelm.* S. Anſelmus ſuper caput ſecundum Matthæi habitaſſe tradit in Vrbe Heliopolis nuncupata, quæ ſolis ciuitatem ſignificat. *D. Thomas.* Idem opinatur D. Thomas Matthæi ſecundo. *Hugo Card.* *D. Bonauen.* Hugo Cardinalis, & D. Bonauentura de vita Chriſti capite decimo ſecundo, & *Abulenſis.* Abulenſis quæſt. 60. Matthæi 2. ait Virginẽ in ciuitate Heliopoli, & Babylonia habitaſſe. Fuit enim quædã in Aegypto Babylon a Cambiſe Perſarum Rege cõdita (vt vult Abulenſis) vrbi propinqua, quæ Cayro appellatur. *Adrichom.* Adrichomius Memphin ſcribit appellatam Babyloniam, poſtea Cairum. In his ciuitatibus loca oſtendi ſcribit Abulenſis, in quibus Virgo vixit. Fontem præterea quendã non a Chriſtianis ſolum, ſed a Saracenis etiam in veneratione habitum, cuius aqua infantem, & quibus illum inuoluebat panniculos abluiſſe fertur. *Brocardus.* Brocardus in Geographia Aegypti, Deiparam in loco quem *Mathaream* appellar, domicilium habuiſſe refert iuxta hortum balſami: eſt autem locus hic inter Heliopolim, & Cairum ſitus. *Brocardus.* Brochardus verò alter, in deſcriptione Terrę Sanctæ parte 2. cap. 4. ait. *Inter Heliopolim, & Babyloniam Aegypti, medio ferè loco, eſt hortus balſami, irrigatur a fonte paruo ſed vbere, in quo fama eſt Beatam Virginem puerum Ieſum ſæpè lauiſſe, panniculoſque eius mundaſſe. Eſt & ibidem lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſicaſſe, & hæc omnia venerantur a Chriſtianis, & Saracenis.* Hæc ille. *Ianſenius.* Ianſenius cap. 11. Concordiæ apud peregrinum quendã qui loca hæc inuiſerat, ſe inueniſſe tradit locum, in quem Chriſtus fuga ſubductus eſt ab incolis Aegyptijs, *Mathaream* vocari, & diſtare a Cairo decem milli paſſuum. Mauros quoq; eo loco, vbi fertur Virginis fuiſſe habitatio, ardentẽ perpetuo lampadem conſeruare. Balſami etiam meminit. Ex his apparet, Virginem nec in ciuitate Heliopoli, nec Babylone, ſed aliquo in oppido inter Heliopolim, & Cairũ, ſiue Babylonem

lonem

lonem Aegypti ſitu habitaſſe iuxta Balſami hortum, & fontem, ideoque dici incolam fuiſſe Heliopolis: in hac vrbe Iacob eum filijs ſuis habitaſſe ſcribit Ioſephus libro 2. Antiq. cap. 4. *Iuſſit*, inquit, *Pharao Iacob cum filijs degere in Heliopoli.*

Ioſephus.

In ijs ergo locis exulare voluit Dominus, in quibus Iacob olim, & Iſraelitę exulauerant; in Tractu Heliopoleos, ideſt *vrbis ſolis*, ſol Aegypti, & mundi Chriſtus voluit habitare: in eodem tractu Heliopolitano extruxerat olim templum Onias Iudæus ſacerdos. *Ptolemeus* (ait Ioſeph lib. 7. de bello cap. 30.) *locum Oniæ dedit centum octoginta ſtadijs a Memphi diſtãtem*: Stabat hoc templum tempore Chriſti ſiquidem, vt Hierony. ſcribit Dan. 11. vſque ad Veſpaſiani Imperium ſtetit, *Onias*, inquit, *Sacerdos aſſumptis Iudæorum plurimis fugit in Aegyptum, & a Ptolemeo honorifice ſuſceptus accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocabatur; & concedente Rege templum extruxit, quod permanſit vſque ad Imperium Veſpaſiani. Sub occaſione Oniæ Põtificis infinita examina Iudæorum in Aegyptum confluxerunt.* Hæc Hieron. Habitabant etiam tempore quo Virgo Aegyptum petijt, in Aegypto Iudęi plurimi. Nam (vt ſcribit Philo in Flaccum) ſuo tempore non minus quàm decies centena millia Iudęorum habitabãt Alexandriã, totamq; regionẽ, quanta patet à Catabathmo Lybiæ vſque ad terminos Aethiopiæ: Vixit autẽ Philo tẽpore Apoſtolorũ. Hermopolis ciuitas quoq; Aegypti fuit, in quam veniſſe Deiparam tradit Sozomenus, adiuncto non vulgari miraculo lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 20. vbi hæc ſcribit: *Memorant arborem eſſe, quæ Perſis dicitur, Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos a compluribus depulerit. Nam traditum eſt, Ioſeph cùm propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Maria ſancta Deipara fugiſſet, veniſſe Hermopolim; atque ſimul vt portæ appropinquauit, iſtam arborem, licet plane maximam, aduentu Chriſti turbatam eſſe, atque ad ſolum vſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe.: Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut a multis audiui a me cõmemorata ſunt.* Hæc ille.

Ioſephus. D. Hier. Philo. Sozomenus.

Quot autem annis Beata Virgo Aegypti incola fuerit, reſpondit D. Epiphanius per duos annos: arbitratur enim ille duobus poſt Aegypto abijſſe, vt ſupra diximus. Nicephorus libro primo, capite 14. & Druthmanus Matthæi ſecũdo, huic exilio tres annos tribuunt. Lucidius libro ſeptimo, capite ſecundo quinque; Adrichomacus ſex; ſeptem vero annos alij, videlicet Ammonius, Origenis præceptor in Armonia Euangelica, Gloſſ. ordin. Diuus Anſelmus Matthæi 2. Diuus Thomas, Diuus Bonauentura de vita Chriſti capite 13. Magiſt. hiſtor. capite 23. Diuus Antoninus prima parte, titulo quinto, capite primo, §. 4. Platina de vita Chriſti, Sabellicus libro primo Aeneade 3. Iacobus Bergomenſis in vita Deiparæ Virginis, Dionyſius Carthuſianus in ſermone de Innocentibus, Abulenſis Matthæi 2. quæſtione 91. & Petrus de Natalibus in Catalogos: Verùm pauciores quàm ſeptem huius peregrinationis annos fuiſſe colligitur hunc in modum: Chriſtus natus eſt anno 32. Herodis, eodemque anno in Aegyptum profectus, & ex Aegypto teſte Matth. hoc loco poſt obitum Herodis reuerſus. Tot ergo annos in Aegypto vitam egit cum matre, & Ioſepho, quot inter annum Herodis 32. & eius obitum interfluxerunt. Herodes verò obijt anno regni ſui 37. vt conſtat ex chronico Euſebij, & alijs: Hinc efficitur Deiparam in Aegypto annos circiter quinque, vel ſex egiſſe: Eruditiſſimus Maldonatus partim ab hac ſententia non diſcedens in hunc modum philoſophatur: ait enim. *Qui ſeptem annos fuiſſe dicunt, auctorem ſecuti eum qui ſcholaſticam, vt vocant ſcripſit hiſtoriam, non probant. Neque qui tres, vt Nicephorus lib. 1. cap. 14. Omnium fere ſententia eſt, duos fuiſſe annos, quod Epiphanius hær. 51. videtur approbare; res fortaſſe non ita magni refert, ſed ſi volumus quod in ea eſt probabiliſſimum perueſtigare, tria nobis principia ſequenda ſint quæ ex euangelica lectione facile probantur: Vnum eſt, hanc fugam eodem anno contigiſſe quo Chriſtus a Magis adoratus, & quidem non multo poſt adorationem: Hoc enim verba illa ſignificant: Tunc Herodes videns quod illuſus eſſet a Magis: & hæc: Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph: quæ quamuis, vt diximus, non ſignificent ſtatim, tamen certè ſignificant non multò poſt Magorum*

Nicephorus. Druthmanus. Lucidius. Adrichomius. Amonius. Gloſ. ordinar. D. Anſelm. D. Thomas. D. Bonauent. Magiſ. Smar. D. Antoni. Platina. Sabellicus. Iacob Bergo. Diony. Chart. Petr. de Nat. Euſebius. Maldonat. in Matth. 2. Nicephorus. Epiphan.

diſceſſum, & Ioſeph vt fugeret admonitum, & Herodem pueros occidere cœpiſſe: Alterum eſt eodẽ anno quo Herodes mortuus eſt Chriſtum ab Aegypto reuertiſſe. Hoc enim illa indicant verba: Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: ſurge & accipe puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſrael: Tertium eſt, Magos paucis poſt natalem Chriſti diebus adueniſſe: Quibus tribus principijs, & ſi alia duo ex profanis addamus hiſtorijs, quot annos Herodes regnauerit, & quoto regni eius anno Chriſtus natus fuit, facile ſpatiũ temporis, quo moratus fuerit in Aegypto, reperiemus. Ex his ergo duobus poſtremis principijs alterum eſt certum, Herodem triginta ſeptem annos regnaſſe; Ioſepho libro 1. de bello Iud. cap. 21. & Euſebij Chronico certiſſimis teſtibus. De altero, duobus annis inter ſe Auctores diſſentiunt. Nam alij quadrageſimo primo Imperatoris Auguſti Chriſtum natum ſcribũt, vt Irenæus lib. 3. cap. 25. & Tertullia. aduerſus Iudæos, alij quadrageſimo ſecundo, vt Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 5. & in Chronico, & Epiphanius hær. 51. Rurſus autem quis annus Auguſti in quem Herodis annum inciderit, altero diſſidẽt anno. Nam alij quadrageſimum primum Auguſti, trigeſimum primum Herodis, vt Euſebius; alij trigeſimum ſecundum, vt Epiphanius fuiſſe dicunt. Si ergo Irenæi & Tertulliani ſententiam in eo ſequamur, vt dicamus Chriſtum quadrageſimo primo Auguſti anno natum fuiſſe; Euſebium vero in eo, vt eum annum trigeſimum primum Herodis fuiſſe, credamus, neceſſe erit Chriſtum ſex in Aegypto integros manſiſſe annos, aut etiam ſeptem, ſi illum ipſum quo fugit, id eſt trigeſimum primum Herodis, numeremus. Quæ eſt illa prima, et vt apparet vetus opinio. Si vero Irenæum, & Tertullianum in Auguſti, Epiphanium in Herodis ſequamur annis, reſtabunt anni quinque; aut ſi primum numeremus ſex quos fuerit Chriſtus in Aegypto, totidem ſecundum Euſebij computationem erunt anni, ſi eum ſolum, & in Auguſti, & in Herodis annis ſequamur. Sin autem Euſebio in annis Auguſti, Epiphanio in annis Herodis credimus, Chriſtus fuit in Aegypto, vt plurimum quinque; ſi primum numeremus, vt minimum quattuor. Itaque hoc tantum certum eſt, neque plures ſeptem, neque pauciores quattuor in Aegypto annos commorari potuiſſe. Quare opinio illa vulgaris per duos, & altera illa Nicephori per tres in Aegypto fuiſſe annos, nihil habet prorſus probabilitatis, niſi dicamus Magos duobus annis natum Chriſtum adoraſſe, quod omnes refutant, & nemo id ſibi perſuadere poteſt.

Ioſeph. Euſebius.

D. Irenæus. Tertullian. Euſebius. Epiph.

Quidquid tamen ſit de hac tanta opinionum varietate, illud tamen certiſſimum eſt, & abſque vlla controuerſia Beatum Ioſephum cum ſacra illa familia tamdiu in Aegypto habitaſſe, quamdiu de reditu in Iudæam non fuit monitus ab diuinitus, iuxta illud quod Angelus ei præ dixerat: *Eſto ibi vſque dum dicam tibi:* Matth. 2. In quo mirabile patientiæ & longanimitatis in tribulationibus exhibetur documentum, nimirum, vt tamdiu nobis placeat affligi, & tribulari quàmdiu diuinæ voluntati placuerit. Ille clamat quo vſque hæc mihi moleſta tentatio durabit? *vſque dum dicam tibi*: Vſquequo tot iniurias mihi latas ſuſtinebo? *vſque dum dicam tibi:* Vſquequo, hanc honoris, & pecuniæ iacturam patiar? *vſque dum dicam tibi*: Vſquequo in hac lite a iudicibus iniuſte vexabor? *vſque dum dicam tibi:* Apoſtolus ab Angelo Satanæ tentatus, orat liberari ab infeſto illo hoſte, vſque quo grauabitur? *vſque dum dicam tibi:* cum Abraami obedientia a Domino exploraretur, iuſſit ei, vt filium immolaret, intempeſta nocte iter arriperet, ligna ſuper humeros ei imponeret, ſecum illum duceret in montem, eundẽ ligaret, enſem euaginaret, brachium ad percutiẽdum eleuaret: vſq; quo anima huius venerabilis Patriarchæ contriſtabitur? *vſque dum dicam tibi.* Laſciui illi ſenes a Suſãna refutati minantur illã accuſare, ſi eorum libidini nõ conſentiat; deinde diſſentientem acriter accuſant, falſum teſtimonium imponunt, proceſſum multis calumnijs plenũ confingunt, illam publica ſententia damnant, purgationem eius non admittunt, precibus non emolliuntur, lapidibus obruenda, in publicum traducitur; vſque quo vt liberetur imploratum ab ea diuinum auxilium differetur? *vſque dum dicam tibi.* Clauſus fuit Noë in arca, diluuium vniuerſam innundauit terram, ceſſat aquarum innundatio, arca non aperitur, Noe non habet clauem, coruus mittitur ab eo, & non reuertitur, columbam

Matth. 2.

Matth. 2.

Matth. 2.

egre-

egredi permittit, quæ reuerſa ramũ oliuæ virentis ore detulit, ſed adhuc Noe manet clauſus. Vſquequo. S. Noë in arca claudetur? *vſque dum dicam tibi non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta quæ poſuit pater in poteſtate ſua.* Non noſtræ, ſed diuinæ voluntatis munus eſt, tribulationi terminos præfigere, vt rectè intellexit ac ſapienter docuit inſignis illa femina Iudith, quæ cum vidiſſet Hebræos decreuiſſe per quinquaginta dies dumtaxat expectaturos imploratum ab eis diuinum auxilium, acriter illos increpauit dicens: *Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Et qui eſtis vos qui tentatis Dominum? Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diẽ conſtitui iſtis ei?* ſuper quem locum Gloſa ordinaria ait. *Cum afflicti ſumus, nec tempus, nec modum Domino præſcribere debemus, ſed magis arbitrio eius cuncta relinquamus.* Vnde quidam Patrum in oratione ſua dixiſſe legitur: *fili Dei, fili Dei, ſicut ſcis, & ſicut vis, miſerere mei.* Scimus Chriſtum Dominum Iudæis inſtanter poſtulantibus, vt deſcenderet de Cruce, *ſi filius Dei eſt, deſcendat de Cruce*, & promittentibus illis, ſe credituros ſi deſcenderet ipſe perſeueranter pependit in Cruce, quo vſque diuino conſilio amotus fuit ab ea, implens melius, quàm omnes quod dictum eſt per Angelum, *eſto ibi vſque dum dicam tibi.* Illud tamen pro Chriſto laborantes, & varias tribulationes patientes conſolari inter alia frequenter puto, quod experientia comperiunt tribulationes præſentes præſagia eſſe futurarum conſolationum, etiam in hac vita.

Iudit. 8.

Enimuero miſericors Deus mæſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcuit. Quod certe in ſanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates ſinit haberet continuas, ſed tum de aduerſis, tum ex proſperis iuſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexuit. Iob multis diuitijs affluebat poſtmodum tamen in tantam egeſtatem venit, vt teſta ſaniem corporis in ſterquilinio iacens raderet.

Iob 1.

Abraham oraculum acceperat diuinum filios eius multiplicandos ſicut ſtellas cæli, poſtea tamen filium ſuum Iſaac qui ſibi promiſſus fuerat futurus in gentem magnam, iugulare præcipitur a Domino. Iacob denedictionem, & primogenitutam accepit a patre, ſed continuo fugere compellitur a facie fratris ſui mortem illi machinantis, Ezechias Rex inſignem victoriæ palmam contra Sennacherib reportauit, cælitus ibidem miſſo Angelo qui centum octuaginta mille hoſtium interemit, & cum proſpero hoc euentu gauderet, ecce incidit in grauiſſimum morbum, ita vt ad portas mortis appropinquaret. Ioſeph in domo patris præ omnibus filijs diligebatur ab eo, ſed a fratribus per inuidiã Iſmaelitis venditus eſt. Dauid a feminis applauditur ob expugnatum Gigantem Goliath, ſed a Saule mortis inſidiæ illi parantur. Sed quid moror in his commemorandis, cum ſimilem gaudij & doloris viciſſitudinem in Santiſſimo Ioſepho Deiparæ ſponſo, immo & in Chriſto Domino cernamus vt ait? *Videndo quippe S. Ioſeph grauidam ſponſam, in conturbationem incidit maximam*, atque in horribilem quendam cogitationum tumulrum: acerba illum de puella adulterij ſuſpicio mordebat; *ſed adfuit repente Angelus: ſuſpicionem ſoluens malignam, & timorem hunc prorſus extinguens. Deinde videns puerum natum, maxima exultatione repletus eſt; ſed rurſus huic etiam gaudio periculum grande ſucceſſit, cum tota vtique ciuitas turbaretur, ipſe rex fureret, & ad necem puerum quæreret: ſed & hunc mærorem alia rurſus lætitia ſubſequuta eſt, apparitio videlicet ſtellæ, & Magorum adoratio. Poſt hanc quoque iucunditatem, iterum periculum, iterumque formido: Quærit, inquit, Herodes animam pueri, & fugere Chriſto Domino neceſſe eſt, & in longinquã hominis inſtar infirmi, & imbecillis tranſire regionem.* Atq; in cuius figuram legimus olim Patriarcham Iacob, vt ſacra Geneſeos refert hiſtoria, feciſſe dilecto filio ſuo Ioſeph *tunicam polymitam*, hoc eſt, colorum varietate diſtinctam, non diſſimilirer Deus dilecto filio ſuo veſtem talarem fecit ex candido proſperitatis, & nigro aduerſitatis colore mira varietate exornatam. Ecce ergo quomodo, tàm capitis, quàm membrorum, tã Chriſti, quàm iuſtorum vita ex proſperis, & aduerſis mirabili quadam varietate contexitur. Vnde Iſaias textoris telæ Sãctorum vitam comparauit: *Præciſa eſt velut a te-*

Geneſ. 12.

Iſai. 37. 38.

Gen. 37.

D. Io. Chryſo. homil. 8. in Matth.

Matth. cap. 2.

Gen. 37.

Iſai. 38.

xente vita mea: & meritò quidem: quia ſicut duplici filorum genere contexitur tela, filis orditoribus, & filis ſubtegminis in formam crucis per illos tranſuerſantibus; ita Deus iuſtorum vitam proſperis nimirum, & aduerſis contextam eſſe vult: proſperi ſucceſſus ad ordiendam telam, aduerſi verò ad tramam faciendam deſeruiunt. Vnde quemadmodum ſi per filos orditores non tranſirent quaſi formam crucis formando fili ſubtegminis, ſeu tramæ, non texeretur tela; ita ſi per proſperos noſtros ſucceſſus non pertranſirent aduerſi, quaſi formam crucis in nobis exprimentes, in fine quidem vitæ nullam tunc contextam telam inueniremus, qua noſtra paupertas, & nuditas cooperiretur: & ſicut in tela textoris præſtant fili ſubtegminis, ſeu tramæ filis orditoribus, ita in iuſtorum vita pluris æſtimantur dies deſolatorij, quàm conſolatorij, dies doloris, quàm gaudij, dies lugubres quàm alacres: Mos inoleuit apud antiquos, vt dies vitæ ſuæ hac ratione enumerarent, dies quidem proſperos candido lapillo, quem in vrna mittebant, aduerſos verò, & moleſtos nigro deſignabant, & inde cum moriebantur, vitæ eius bonitatem, aut prauitatem coniectabant: nam ſi lapilli candidi plures erant, quàm nigri, id honeſtæ vitæ argumentum arbitrabantur: è contra, ſi nigri candidos excedebant: ad quod alludens Poeta dixit;

Mart. *Hunc Macrine diem ſigna meliore lapillo,*
Qui tibi labentes apponet candidus annos.

Ego vero multò aliter iudicium ferendum eſſe cenſeo: aduerſi enim dies, & nigri, non proſperi & candidi humanam vitam reddunt honeſtiorem, & laudabiliorem. Quod probè agnoſcens Iob dixit: *Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas numeraui mihi.* Mirabilis quidem eſt ſermo iſte: omiſſis integris menſibus, ait Iob, ſolum connumeraſſe ſibi noctes laborioſas vitæ ſuæ. (Iob cap. 7.)

Equidem per dies vacuos, ſcilicet à laboribus & moleſtijs, dies proſperos intelligebat; per noctes vero laborioſas, tempus quo multis laboribus oppreſſus fuerat, & ideo ad ſignificandum digniores eſſe dies aduerſitatis & doloris, quàm proſperitatis & gaudij, propterea omiſſis diebus proſperis, ſolum ſibi connumerandos iudicauit laborioſas, & moleſtas noctes, quaſi diceret: Deus curam habeat proſperorũ dierum quos mihi impertitus eſt, illos enumeret, & a me rationem eorum quærat, mihi ſolum incumbit dies aduerſos enumerare, quia eos æquanimiter patiens: *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, iuſtitiæ inquam talis, vt niſi debitum ſoluat, ſe ipſum mihi præbens in præmium, clare ſe manifeſtãs, in integrum minimè illud ſoluet. Atque hinc eſt quod agnoſcens Dauid vtilitatem quam ex aduerſo die, & lugubri ſibi comparabat dixit, *cibabis nos pane lacrymarum*: panem vocat lacrymas, tùm quia ſicut panis hoc habet ſingulare, vt quoſcumque cibos comedamus, illos ſemper comitetur, ita Prophera cupiens, vt omnia opera ſua pænitentiæ lacrymæ comitarentur, ideo lacrymas vocat panem: Tum (quod noſtro propoſito inſeruit) quia hac ſingulari proprietate præditus eſt panis, quod licet alij cibi alioquin pretioſi, ad nauſeam non ſemel prouocent, panis tamen nemini bona valetudine gaudenti in faſtidium venit. Ita quidem ſe habent labores reſpectu iuſtorum; honor, eſt illis onus, fauſtus eſt infeſtus dies, dignitas nauſeat, diuitiæ nõ placent, continuus tamen labor pro Chriſto ſuſceptus, ſemper gratus & iucundus eſt ei; nunquam illum deſpicit, ſemper ſibi arridet, ſciens per illum ſibi viam parari ad veram beatitudinem iuxta illud Dauidis: *Labores manuum tuarum, quia mãducabis; beatus es & bene tibi erit.* Ecce aſſignat labori duplicem fructum, vnum de præſenti, *Beatus es*; alterum de futuro, *& bene tibi erit*: quod aperte indicat, laborem vtilem eſſe non ſolum in vita, ſed poſt mortem, cum in vita beatitudinis ſpem conferat, poſt mortem eiuſdem poſſeſſionem nobis retribuat. Vnde acutè D. Auguſtinus verſans locum illum Dauidis; *Moab olla ſpei meæ:* adnotauit, quod cum alioquin Moabitæ eſſent infeſtiſſimi hoſtes populi Dei, acriterque illum opprimerent, de illis tamen affirmat Dauid fuiſſe fulcimentum ſpei ſuæ, *non conſumptionis meæ, ſed ſpei*, ait Auguſtinus: Quo non obſcure docemur, vexationem & laborẽ iuſti ſpem futuræ conſolationis ſecum afferre, non deſperationem, immo

(2. Thim. 4. — Pſal. 79. — Pſal. 127. — D. Auguſt. ſuper pſal.)

immo labor honoris gloriam & ſplendorem non modicum Iuſto accumulat, iuxta illud, *honeſtauit eum in laboribus*. Nemo vnquam maiori labore confectus quàm Iob, & nemo maiori honore cohoneſtatus quàm ille, adeò vt D. Chryſoſtomus homilia contra concubinarios, ſtercore quo iacebat, indignos nos omnes reputet, *quamuis reuera*, inquit, *neque ſtercore eius digni ſumus*. Atque huc etiam facit quod ea propter Chriſtus Dominus mortem ſuã innumeris opprobrijs exuberantem, vocauit exaltationem: *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum*: quid quæſo eſt quod cum patraret miraculum illud de quinque panibus multiplicatis, volentibus Iudæis illum rapere, vt ad regni faſtigiũ exaltarent, id renuens aufugit; nunc verò aſcenſum in crucem, vocat exaltationẽ, imperium & coronam ſuam? Sane id nos docere voluit Dominus, honorem & imperium non tàm geſtis quæ in admirationem rapiant, quàm aſſidua laborum tolerantia, & longanimi patientia comparari. Quod ſi hoc verum eſt de humano & temporali honore, certius multò eſt de æterno, Vnde D. Auguſtinus ſuper Pſalm. 2. vt animum noſtrum ad perferendos æquo animo labores alliceret, dixit: *Noli tantum attendere qua iturus es, ſed quo venturus es*: qui enim pódus æternæ gloriæ patienti promiſſum, alta mente perpendit, patienter laboris pondus ſuſtinet, vt de Iſſacar futurũ prædixit Iacob, dum benedictionem illi impertiens dixit: *Vidit requiem quòd eſſet bona, & terra quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum*: quibus conſonant verba illa Dauidis: *Inclinaui cor meum ad faciẽdas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.*

Sap. c. 10.

D. Chryſoſt. homil. contra concubinarios.

Ioann. c. 12.

D. Auguſt. ſuper Pſalm. ſecundum.

Gen. 49.

Pſal. 118.

Porrò impleto iam tempore quo Angelus monuerat Ioſephum, ne ab Aegypto recederet, quo vſque ipſe de reditu in Iudæam iterùm illum moneret, *Eſto ibi vſq; dum dicã tibi*: ſuperatis iam multis difficultatibus, varios expertus caſus, ac penè innumera diſcrimina rerum, monitus eſt ab Angelo vt matrem, & prolem eius, iterum reduceret in Iudæam: quia tamen huius reditus eam cauſam aſſignauit Angelus, quod iam perſecutor infantis obierat: *defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*: non poſſum, infelicem Herodis exitum ac execrãdam eius mortem hoc loco non commemorare. Euſeb. libro primo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcribit, *Propter necem quam Chriſto infanti machinatus fuerat, interficiens tot millia Innocentũ, magnas clades in domum eius ceciderũt, & Herodem prius in regno quietum, & feliciter agentem, tandem magnis & priuatis, & publicis calamitatibus oppreſſus fuit. Tanta vis eſt irati numinis, vt qui domos quaſque perturbauerat, ipſe & domi ſua obſideretur: & qui quoſque priuatos luctu, & cladibus oppleuerat, domi ſuæ & neces patraret, & nihil tutum nanciſceretur. Quid non attentauit in filios Ariſtobulum, & Alexandrum? An non etiam quinto ante mortem die filium ſuum Antipatrum trucidari iuſſit?* Cic. lib. 5. *Quæſt. Tuſcul. Dionyſio Syracuſano omnia diffidentiæ, & ſiniſtrarum ſuſpicionum plena fuiſſe ſcribit: adeo vt ex alta turre ad populum verba faceret, lecto penſili cubaret, & ipſe ſibi barbam amputaret. Quid non peius contigit Tyranno Herodi? Atheos, & deorum cõtemptor Dionyſius ad extremam inopiam redactus eſt, vt ſcribit Aelianus Spartianus. Sed quis vindictam numinis in morte Herodis explicauerit?* Ioſephus libro 17. Antiquit. *Ignis*, inquit, *lentus inerat, non tantum conflagrationem in ſuperficiem corporis agentem pṙodens, quantum intrinſecus creſcens operabatur incendium. Auiditas quoque inexplebilis illi ſemper inerat, nec tamen ſatietas vnquam rabidis incitata faucibus præualebat implere ingluuiem. inteſtina interius vlceribus tabida putreſcebant. Doloribus quoque colli ſæuiſſimis cruciabatur; Humor liquidus ac luridus erga pedes luridos oberrabat, ſimilis quoque illi & circa pubem inerat afflictio, ſed & pudenda ipſa putredine corrupta ſcatebant vermibus, ſpiritus quoque incredibilis erecta tentigo, quæ fuerat ſatis obſcæna, diri fatoris & anhelitus reſpiratione creberrima. Audiens demum Iudæos cum gaudio mortem eius expectare, nobiliores ex illis conuocat, & in Hipodromo concludens Salome ſorori ſuæ præcepit, vt ſtatim atque expiraſſet, illos occideret, vt hac ſaltem cauſa illo mortuo Iudæi plangerent.*

Matth. 2.

Matth. 2.

Euſeb. lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt.

Cic. lib. 5.

Ael. Spart.

Ioſephus libro 17. c. 8.

Quod ſi ad verba Euangeliſtæ reſpiciamus, dicentis, *defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*: facile cognoſcemus non Herodem ſolum, ſed permultos eius

Matth. 2.

conſiliarios tunc interijſſe, qui infanti
Eccl. 10.c.10. Chriſto inſidiabantur; vt enim dixit Eccleſiaſticus. *Qualis rector eſt Ciuitatis, & inhabitantes in ea*. Verùm in eos conuertit Dominus, ipſius principis, ſeu tyranni
D. Thomas in Matth. flagellum. D. Thomas Aquinas in Matth. illos fuiſſe ex primorum hominũ numero cenſet, qui ab Herode moribundo occiſi ſunt: ſuccedit enim, vt qui cum Dei religionis, & pietatis præiudicio ſibi blãdiuntur, ſibique impium tyrannũ conciliant, Deo vindice, & animum Tyranni ab illis auertente, diuinam vltionem experiãtur, & illum hoſtem ſentiãt quem in contemptum Dei, ſibi amicum conſtituerunt. Immo facit non ſemel Deus, vt hoſtes ſui, ſe ſe ipſi interimant, diſſeminatis inter eos diſcordijs: ſic ſe inuicem Amalechitæ, & Moabitæ peremerunt, dũ pugnarent contra Gedeonem. Hic ſpiritus eſt vertiginis, quem vbi Dominus, aut regno, aut exercitui immiſerit, efficit, vt ipſi ſe inuicem ad inſtar nubium, & fluctuum collidant, & ſic cuncti pereant. Vt enim dixit
Ad Gal. 5. Apoſtolus, *ſi inuicem mordetis, videte, ne*
Pſal. 54. *ad inuicem conſumamini*, & Dauid: *diuide*
Pſal. 67 *linguas eorum*: & rurſus: *Diſſipa gentes*
Pſal. 82. *quæ bella volunt*: & alibi: *Pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.*

Mortuis igitur impio Herode, & eius conſiliarijs, redijt ſacra illa familia in Iu-
Matth. 2. dæam, vt teſtatur D. Matthæus, *accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram*
Petrus Galatinus libro 8. c. 9. *Iſraël*. Petrus Galatinus lib. 8. de arcanis fidei in Thalmud inuentis, cap. 4. docet *prædictum ab antiquis Iudæis fuiſſe, quod Meſſias in Aegypto reuocaretur quod pro-*
Pſal. 80. *bat ex eo quod legitur Pſal. 80. Vineam de Aegypto tranſtuliſti*, & ex interpretatione
Rabbi Moſes Hadarſan. Rabbi Moſis Hadarſan, qui ſcribens in Gen. per vitem Meſſiam interpretatur, *& hæc vitis Channa, id eſt, bene præparata & ordinata eſt Rex ſcilicet Meſſias ex Aegypto transferendus*. Ad prædicta quoque inquit plurimum facit quod ſcriptum eſt in libro Beracoth, id eſt, benedictionum in capite quod incipit Aroe Machom, id eſt, qui videt locum: *ſic enim dicitur qui videt per ſomnium Sorecha*, id eſt, *palmitem vitis, ira iappe*, id eſt, *videbit, vel contem-*
Pſal. 80. *plabitur Meſſiam, de quo ſcriptum eſt* Pſal. 80. *Vitem de Aegypto transferes*. Vbi notandum eſt, quod *transferes* dicit textus, & non tranſtuliſti, vt noſtra editio habet, quod etiam lucidius per Rabbenu Haccados expoſitionem oſtendit eo in libro, quem Gale Razaja, id eſt, reuelatorem Arcanorum nuncupauit. In ſeptima enim eiuſdem libri petitione legitur, quod cum inter cætera ab eo Antoninus vrbis Romæ Cõſul quæſiſſet, quid ſibi vellet illud Pſalmi, *vitem de Aegypto transferes*, vel Pſal. 80.
remouebis? reſpondit ei, *hic eſt Meſſias*, dixit ei Antoninus: ergo Rex Meſſias in Aegypto naſciturus eſt? nonne in Bethelehem, vt dictũ eſt apud Micheam: Et Mich. cap. 5.
tu Bethlehem terra Iuda, paruula & in Text. hebr.
millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſrael? Reſpondit ei Rabbenu. Fateor Regem Meſſiã in Bethlehem naſciturum, ſed dicit, *vitem de Aegypto transferes*, cum enim natus erit Meſſias, Herodes qui in Ieruſalem regnabit, quæret eum ad necem; reuelatione autem diuina in Aegyptum fugere cogetur, vbi aliquandiu morabitur, & poſtea in Ieruſalem iuſſu Dei reuertetur; idcirco textus dicit, *vitem de Aegypto transferes*.

Hoc etiam Sybilla Erithrea lib. 1. oraculorum prædixit in hæc verba:

Cum Lapis Aegypti felix ſeruatus ab oris

Venerit &c. Hoc idem delineatum cerno in eo quod contigit Ioſeph. Ille fratrum perſequutionẽ paſſus, ductus eſt in Aegyptum: & in carcerem miſſus: rex autem tyrannus tunc regnabat qui nihilo illum faciebat, ſimilis illi qui poſtea vexauit populũ Iſrael quẽ captiuũ habebat operibus duris luti, & lateris: poſtmodũ vero Ioſeph ab ea tribulatione liberatus, ſolutus fuit a vinculis carceris, & totius Aegypti prorex conſtitutus eſt: *miſit rex, & ſoluit eũ; princeps populorum, & dimiſit eum*. Pſalm. 104. Pſal. 104.
& populus Iſrael a miſera Tyranni illius ſeruitute liberatur, & hoſtes eius mari eos abſorbente penas luerunt, *ſubuertit rotas Curruum ferebanturque in profundum*. hoc igitur totum eſt, quod Pſal. 105.
in Chriſto infante nunc impletur. Ductus eſt in Aegyptum regnante impio Herode, ſed diuino conſilio factum eſt, vt Herodes turpi morte periret, & Chriſtus Dominus de illo glorioſæ triumphans ex Aegypto proficiſceretur, & in propriam patriam ab immani hoſte liber rediret. Recte ergo dixit Paulus; *omnia in figura contingebant illis*, ſed accedente veritate impletur

pletur quod per vmbram fuerat delineatum.

Ceterùm cum pollicitus fuerim locum illum, *Ex Aegypto vocaui filium meum*, ex profeſſo elucidare, reliquum eſt vt ad id præſtandum calamũ admoueam. Verba (*Matth. 2.*) D. Matthæi ſunt iſta: *Hoc autem totum factum eſt, vt impleretur quod dictũ eſt à Domino per Prophetam dicentẽ: Ex Aegypto vocaui filium meum*. Prima quæ occurrit difficultas circa hoc teſtimonium eſt, quoniam nõ reperitur apud Septuag. Fateor ita eſſe, reperitur tamẽ in hebræo, (*Oſee 11.*) & in verſione Hieronymi: *quia puer Iſrael dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum*. (*Septuagin. interp. D. Hieron. Euth.*) Septuaginta vero eo loco non ita habent, *ſed ex Aegypto vocaui filios eius*. Euthymius, & quidam Græci, quia hoc teſtimonium non reperiebant in Septuag. ſuſpicati ſunt illud eſſe a Iudæis ablatum inuidioſe; ſed tamen reuera Iudæi habẽt, (*Hieron.*) & Septuag. omiſerunt. Quocirca Hieronymus multis in locis hoc argumẽto conuincit, neceſſariã fuiſſe traslationem Scripturæ ex hebræo, propter illam quæ dicitur Septuag. quoniam citantur aliqua teſtimonia ab Euangeliſtis & Apoſtolis quæ non reperiuntur in Septuag. licet in libro (*Numer. 24.*) Numer. c. 23. reperiatur: *Deus ex Aegypto vocauit eum, gloria eius ſicut vnicornis*, & cap. 24. ſimilis quoque ſententia legatur apud Septuag. Interpr. *Eduxit illum de Aegypto, cuique fortitudo ſimilis eſt Rhinocerontis*.

Secunda, & grauior difficultas eſt, quo- (*Matth. 2.*) niam Matth. dicens hoc loco, *vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam*: ſignificat illud ab Oſea ſecundum literam dictũ eſſe de Chriſto, & tamen ſecus eſſe vide- (*Oſe. 11.*) tur: Nam reuera Oſeas ibi loquitur de populo Hebræo, cui Deus improperat beneficium, quod ei præſtauerat liberando eum ex Aegypto, & carpit eius ingratitudinẽ. (*Iul. Apoſtata lib. 7. Hieron. ſuper cap. 11. Oſeæ cap. 11.*) Quare Iulianus Apoſtata aduerſus Chriſtianos, vt refert D. Hieronymus ſuper cap. 11. Oſeæ, & Hebræi etiam calumniantur hanc citationem Matth. Hæc difficultas multos doctores malè torſit: (*Ianſen.*) Ianſe. ait aliquando Scripturam dicere aliquid, non quia illud ſit prædictum in ſcriptura, ſed quia quod vno loco, ait illa, poteſt alteri rei pulcherrimè applicari, ſicut id quod dixit Dominus Phariſæis: *Hypocritæ: benè prophetauit de vobis Iſaias: Populus hic labijs me honorat*, & tamen Iſaias de (*Iſai. 29.*) Hypocritis ſui temporis dicebat: ita quod dictum eſt per Oſeam de populo Iudaico, (*Oſee 11.*) totum iſtud accommodari poteſt Chriſto, vt fecit Matth. ſicut cum quiſpiam pater (*Matth. 15.*) valdè diligit filium ſuum, ei poteſt accommodari illud Virgilij,

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Et quod deterius eſt, licẽtiam præbet amplam ita interpretandi ſimilia loca Euangeliſtarum, quoties dicunt, *vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam*. (*Matth. 2.*) Verùm hæc doctrina longè à Catholicis animis abijcienda eſt; Primò quia pugnat cum communi ſententia Sanctorum: omnes enim exponẽtes tàm locum Matth. quàm Oſeæ, intelligunt ibi contineri de Chriſto prophetiam, vt videre licet in Hieron. vtroque loco, & epiſt. 150. ad Algaſiam, q. 2. & Chryſoſt. Theoph. Euth. Anſel. Beda, D. Thom. Gloſſa ordinaria, Emiſſ. & Petro Chryſol. Hanc etiam ſententiam indicauit Greg. Naz. orat. 24. dicens, *de quo, ideſt, de Chriſto, nunc mihi quoque patrem audire videor dicentem: Ecce ex Aegypto vocaui filium meum*: (*D. Hieron. D. Chryſoſt. Theoph. Euthym. Euſebius. S. Pet. Chryſo. D. Greg. Naz. And. Cretenſ.*) Vbi Elias Cretenſis adnotat ex Euangeliſtæ teſtimonio conſtare hanc fuiſſe de Chriſto prophetiam & eodẽ modo exponit Athanaſ. tom. 1. lib. de Incar. verbi Dei, non longè à medio. (*D. Athanaſ.*) Clarius Sanctus Proſper de promiſſionibus, & prædictionibus capite 8. (*D. Proſper.*) & Anaſtaſius Synaita lib. 12. Commentariorum in Hexameron. (*D. Anaſtaſ.*) Secundò quia pugnat cum verbis Euangeliſtæ dicentis: *Vt adimpleretur, quod dictũ eſt à Domino per Prophetam*. (*Matth. 1.*) Non enim potuit clarius dicere, Dominum per Prophetam loquutum fuiſſe in illis verbis de hoc myſterio, quod in Chriſto impletum eſt. Tertiò pugnat cũ intentione Euangeliſtæ: vt enim oſtendat Chriſtum eſſe, quem prophetiæ reſpiciebant, & in quo omnes implentur, adducit prophetiam, & oſtendit concordiam inter prædictionem, & effectum, & hanc vim habet illud verbum; *Vt adimpleretur*: illud enim propriè adimpleri dicitur, quod (*Matth. 5.*) prædictum erat. Eſt igitur D. Hieronymi, & aliorũ Patrum ſententia ſuper cap. 11. Oſeę, verba illa ſecundum literam pertinere ad populum Hebræum, ſed ſecundum figuram, & typum dici de Chriſto, ſicut egreſſio illius populi de Aegypto fuit figura hu-

ra hu-

ra huius egreſſionis Chriſti. Et multa ſimilia enim reperientur in Scriptura. Ad Galat. 4. quod illa narrat de Monte Sina, & Ieroſolyma, de Sarra, & Agar, Paulus accommodat ad duo teſtamenta: vnde D. Auguſtinus dixit: *nō ſolum illius populi lingua, ſed & vita prophetia, & figura erat.* Immo addere poſſumus, quod omnia ceremonialia habebant duos ſenſus, vnum literalem hiſtoricum congruentem illis, alterum miſticum, quia gerebant figuram eorum, quæ erant ventura in lege Euangelica. Iubebat lex, vt non comminuerentur oſſa agni paſchalis: hoc ſecundum literam, & hiſtoriā de illo agno, qui in paſchate immolabatur, dictum eſt, & ita ſeruabatur; aliud, ſecundum figuram pertinebat ad Chriſtum; vnde Ioannes accommodauit Chriſto, *vt impleretur, quod dictum eſt: Os non comminuetis ex eo.*

Galat. 4. — Auguſt. — Exod. 12. — Ioan. 19.

Et vt id clarius intelligatur, ſciendum eſt in Scriptura poni quaſdam perſonas, quæ continent expreſſam figuram Chriſti, vt Salomon, & Dauid. Vnde Meſſias nominatur in Scriptura nomine vtriuſque, vt Ierem. 30. *Et ſeruient Domino Deo ſuo, & ſeruo meo Dauid,* qui tamen erat mortuus 400. annis ante: & Ezech. 34. *mittam ad eos ſeruum meum Dauid,* loquitur de Meſſia. In Cant. dicitur de Salomone: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem.* Sed obſeruandum aliqua dici in Scriptura de iſtis, quæ ipſis ſolis conueniunt, non Chriſto, vt Pſal. 21. *Longè à ſalute verba delictorum meorum,* hoc ipſius eſt Dauid literaliter: quædam ipſi conueniunt Dauid in illo Pſalmo, & Chriſto, vt *Deus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Tertiò, quædam dicuntur in perſona Dauid, ſed ſoli Chriſto cōueniūt, vt illud quod ibidem dicitur: *foderūt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Conſiderandū ergo, quod ſecundum primam conſiderationem de illis loquitur hiſtoria, & litera, iuxta ſecundam verò miſticè de Chriſto fit ſermo: At ea, quæ de illis dicuntur tantum ſecundū quod gerebant figuram Chriſti, iuxta literalem ſenſum conueniunt Chriſto, vt plurima, quæ Pſal. 71. dicuntur de Salomone ſecundum quod erat figura Chriſti, nullo modo ſecundum literam conueniunt Salomoni, ſed Chriſto, vt illud: *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, & adorent eum omnes Reges, omnes gentes ſeruiēt ei,* & alia, quæ ibi inuenies, quæ nullatenus Salomoni conuenire poterant, ſed Chriſto. Ad propoſitum ergo: populus Hebræorum in hoc fuit figura Chriſti, quoniam metu famis in terra Chanaan, vbi habitabat, fugit in Aegyptum, Iacob ſcilicet, & duodecim Patriarchæ; deinde ad monitus à Deo, ex Aegypto iterum reuerſus eſt in terram promiſſam. Sic Chriſtus metu Herodis fugit in Aegyptum; deinde monitus ab Angelo reuerſus eſt in Iudæā, vbi prædicatione ſua promiſit ſe dare vitā æternam, & in hoc adaptatur teſtimoniū Oſeæ, ad Matth. verba. Aſtruit hanc intelligentiam ſolita ſua eloquentia D. Chryſoſt. homil. 8. in Matth. vbi elucidans prædictum locum: *Ex Aegypto vocaui filium meum,* ait. *Reſponderem profectò eſſe hunc quoque prophetiæ morem, vt multa ſæpè in aliјs dicantur quidem, ſed in aliјs impleantur, vt illud, quod de Simeone, & Leui dicitur: Diuidam eos in Iacob, & diſpergā eos in Iſrael, hoc enim non ipſis, ſed in eis etiam factum eſt, qui de illorum ſtirpe proceſſerūt: & quod in Chanaam Noe dictum, vt in Gabaonitis poſteris eius impletur. De Iacob quoque ſimiliter intelligit accidiſſe, ſiquidem benedictio illa, quæ dicit, Eſto Dominus fratrum tuorum, & adorent te filij patris tui, non in ipſo habuit effectum. quemadmodum enim id poſſit intelligi, cum è contrario iſte timuerit fratrem, atque tremuerit, eumque millies adorauerit? ſed vtique in eis, qui ex eius ſtirpe deſcenderunt. Hoc igitur etiam in præſenti poteſt quæſtione defendi: quis enim magis, ac propriè Dei filius eſſe dicitur? Ille ne populus, qui adorabat vitulum, qui Idolis initiabatur, quiq; filios ſuos dæmonijs immolabat, an verò Dominus Ieſus qui natura filius Dei eſt, & toto patrē honore veneratur?*

Ierem. 23. — Ezech. 34. — Cant. 3. — Pſal. 21. — Pſal. 21. — Pſal. 71. — D. Chryſoſt. homil. 8. in Matth.

Tertia opinio eſt dictum Oſeæ habere duos ſenſus literales, vnum pertinere ad populum Iudæorum, alterum ad Chriſtum; Poſſe autem eiuſdem loci duplicem eſſe ſenſum literalem, tradit Auguſtinus libr. 3. de Doctrina Chriſtiana, & 10. Confeſſion. & ratio ipſa conuincit. Nam aut ſenſus literalis definitur eſſe is, qui pro ſe intentus eſt ab authore ſcripturæ; & hoc modo non eſt dubium, quin potuerit ſcripturæ author intendere multos ſenſus per eadem verba, ſecūdum propriam ſignificationem, ſi propriam

D. Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtian. & 10. Confeſſ.

priam ſignificationem,ſi propriè ſumantur,
vel ſecundum metaphoricam, ſi metapho-
ricè vſurpentur; ſicut in parabolis, poſſunt
verba vnius ſecundum propriam ſignifica-
tionem admittere multos ſenſus literales.
Geneſ. 1. Exemplum eſt in illo: *In principio creauit
Deus Cœlum, & terram:* In principio,ideſt,
ante omnia alia. Vel illa *in principio*, ideſt,
ab initio temporis. Non ergò poteſt dici,
quod vnus eſt literalis tantum,nam verba,
vtrumque æque admittunt.

Sed quoniam ſententia D. Hieronymi fe
rè ab omnibus amplexatur (etiam ſi multis
potius arrideat, quod ſit ſenſus literalis il-
le, quem citat Euangeliſta, vt ſtatim vide-
bimus) tamen in gratiam tanti Doctoris,&
illorum, qui illius ſententiam ſequuntur,&
quia doctrina hæc vtilis erit ad intelligen-
tiam ſacrarum literarum, aduertendum eſt
primo, quod duplex eſt genus ſenſus miſti-
ci: Alterum pro arbitrio cuiuſque pruden-
ter confectum, qui ſenſus ſi habet veritatē,
& pietatem, non eſt contemnendus; verùm
talis ſenſus eſt inefficax ad probanda dog-
Hieronymus. Auguſtinus. Dion. mata fidei,(quoniam vt Hieronymus ſuper
cap. 13. Matth. & Auguſt. contra Vincen-
tium Donat. & D. Dionyſ. docent,Theolo-
gia miſtica non eſt argumentatiua: quare
cum Hieronymus, & qui eum ſequuntur
aſſerunt dictum Oſeæ conuenire Chriſto
ſecundum ſenſum miſticum, non intelli-
gunt de hoc ſenſu: quia, vt ſupra dicebam,
non diceret Matth. *vt adimpleretur ſcriptu
ra*. Alius tamen ſenſus miſtieus eſt, qui ab
authore Scripturæ intentus fuit, & voluit
deſignari, & ſignificari per illam hiſtoriam,
& literam, quam narrat Scriptura: verbi
Num. 21. gratia: Exaltatio ſerpentis in deſerto, fuit
figura inrenta exaltationis Chriſti in Cru-
Exod. 12. ce. Non eſſe comminuenda oſſa agni pa-
ſchalis,fuit figura non comminutum iri oſ-
ſa Chriſti in carne. Talis ſenſus miſticus
pertinet ad complementum Scripturæ,quia
eſt intentus ab eius authore, & eſt efficax
ad argumẽtandũ nõ ex verbis, ſed quia ex
intentione authoris ſcripturæ habet robur.
Et hoc modo plerumque,Euangeliſtæ,Apo
ſtoli, & ipſe Chriſtus arguunt ſecundum
Paul. ad Galat. 2. hunc ſenſum miſticum;ſicut Paulus ad Ga-
latas, vbi illum ſenſum appellat allegoricũ.
1. Cor. 10. Et 1. Cor. 10. appellat illum *figuratiuum*,
Hebr. 10. & ad Hebræos 10. *adumbratiuum*. Sed
dices, qua rarione diſcerni poterit,quis ſen
ſus miſticus ſit intẽtus ab authore Scriptu-
ræ? Ad hoc cognoſcendum tres adhibeo
regulas: Prima eſt, quando in aliquo loco
Scripturæ multa dicunturde aliqua perſo-
na, vt Pſal. 2. & 21. de Dauid, & Pſal. 44. *Pſal. 2. & 21. de Dauid.*
& 71. de Salomone,quæ ita conueniunt il-
li ſecundum hiſtoriam, & pulchrè etiam *Pſalm. 44 & 71. de Salomone*
conueniunt Meſſiæ ſecundum figuram,ſi in
eo loco præter illa, quæ ſunt communia il-
li perſonæ,de qua loquitur hiſtoria, rradũ-
rur aliqua, quæ non conueniunt illi, ſed
Meſſiæ, eſt argumentum illa communia
verè conuenire Chriſto ſecundum ſenſum
miſticum intentum à Spiritu ſancto, ſicut
Pſal. 2. dicitur de Dauid: *Filius meus es tu,* *Pſal. 2.*
ego hodie genui te. Hoc certum eſt non con-
uenire Dauid, ſed Chriſto, & Pſal. 21. *Fo-* *Pſal. 21.*
*derunt manus meas, & pedes meos, & dinu-
merauerunt omnia oſſa mea*, Chriſto rantũ
hoc conuenit. ſimiliter Pſal. 71. *Adorabunt* *Pſal. 71.*
eum omnes Reges terræ. Hoc non conuenit
Salomoni, & alia, quæ ibi ſunt plurima,
tunc eſt ſignum manifeſtum, quod in iſtis
Pſalmis author ſcripturæ loquitur de Chri
ſto in perſona Dauidis, & Salomonis. Se-
cunda regula: ſi ſit aliquis locus Scripturæ,
cuius ſenſus literalis eſt admodum humi-
lis,& non valde dignus; ſenſus autem mi-
ſticus maximè conuenit grauitati Scriptu-
ræ, & ſapientiæ Dei, ille fuit intentus ab
authore. vt 1. Cor. 9. probare nititur Paulus *D. Paul. 1. Corin. 9.*
prædicatorem Euangelij alendum eſſe à
Chriſtianis, *quia dignus eſt operarius mer-
cede ſua*, & probat ex illa ſententia Deute- *Deuter. 25.*
ron. 25. *non alligabis os boui trituranti*, &
ſubdit: *Nunquid Deo cura eſt de bobus*? ſi-
gnificat in hoc D. Paulus, quod non ſolum
ſenſus literalis illius loci,eſt intentus à Spi-
riru ſancto, ſed etiam miſticus, immò, &
potiſſimum iſte. Tertia regula eſt, quan-
do ſenſus iſte eſt receptus ab Eccleſia,
vel ſacris Scriptoribus, vel à communi do-
ctrina Patrum, ille eſt habendus intentus à
Spiritu Sancto. Vnde Apoſtoli, & Euange-
liſtæ ſæpè argumentantur ſecundum ſen-
ſum miſticum; argumentantur tamen effica
citer,quia eo tempore in Eccleſia Dei,iam
erat receptus ille ſẽſus miſticus, ſicut quod
Dauid, & Salomon erant figura Meſſiæ, &
modò inrer Catholicos apud Parres com-
munirer receptum eſt, illud Iſaiæ, *Quo-* *Iſai. 14.*
*modo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane
oriebaris*? ſecundum hiſtoriam dictum eſſe
de Rege Babylonis, ſed ſecundum ſenſum
miſticum de caſu Luciferi. Oſeas ſimiliter

cap.

Oſee cap. 11. cap. 11. ſic incipit: *Sicut mane tranſit, ſic pertranſijt Rex Iſrael, quia puer Iſrael, & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum*. Pro cuius loci intelligẽtia reuocare oportet in memoriam, quod Chriſtus venir in hunc mundum, vt ſua præſentia, atque doctrina doceret populum Iſraëliticum, atque illi innumera beneficia cõferret, ſecundũ illud Zachariæ: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam, & pullũ filium ſubiugalis*, quæ verba Mat- Matth. 21. & Ioan. 12. thæi 21. & Ioan. 12. explicant de introitu Chriſti in Ieruſalem, in die Palmarum. Matth. 15. Inſuper Matth. 15. dixit Dominus mulieri Chananææ: *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*, & Roman. 15. Rom. 15. etiam dicitur: *Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circũciſionis*, (ideſt Iudæorũ) *ad confirmandas promiſſiones Patrum*. Inſuper conſiderandum eſt Chriſtum ſæpiſſimè dici in ſacra Scriptura Regem Iſrael, Zachar. 9. Zach. 9. *Ecce Rex tuus tibi venit*, & Oſeas. Oſee 3. *Poſt hæc filij Iſrael quærent Dauid Regem ſuum*, & Matth. 21. & Ioan. 1. *Tu es filius* Matth. 21. Ioan. 1. *Dei, tu es Rex Iſrael*. His cõſtitutis ſenſus erit iſte: ſicut Sol mane citiſſimè trãſit, cũ illuminat; ita etiã Meſſias Rex Iſrael, paucis diebus in Mundo conuerſabitur, iuxta Act. 3. illud: *Ecce ego hodie, & cras ſanitates perficio, & tertia die conſumor*. Attamẽ quoniã populus Iſraeliticus à me eſt dilectus tãquam filius tenellus, & delicatus, ſecun Ierem. 31. dum illud Ierem. 31. *filius mihi honorabilis eſt Ephraim, & puer delicatus?* Ego miſi filium meum in Mundum, vt illuminaret Iſai. 62. Iſrael, ſecũdum quod prædixerat Iſai. 62. *Propter Sion nõ tacebo, donec egrediatur, vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius, vt lampas accẽdatur*, & hac de cauſa nolo, vt filius meus diù moretur extra populum Iſrael: quare ſublara occaſione fugæ eius in Aegyptũ, ex Aegypto vocaui filiũ meũ; hoc eſt, traduxi citò illũ ab illa Prouincia in terrã Iſrael. Iſta interpretatio ſuadetur etiam ex cõtextu Euangelico. Nam dicitur, *& erat ibi*, ſcilicet in Aegypto, *vſque ad obitum Herodis*: ac ſi diceret Euãgeliſta: Trãſmigratio illius ſolummodò facta eſt, vt euitaretur Herodis ſæuitia, & ſub- Matth. 2. dit: *vt adimpleretur quod dictum eſt: Ex Aegypto vocaui filium meum*. Fateor tamen, quod ſi (vt multi volunt) propria ratio ſenſus literalis requirit, vr non ſolũ oratio nudè ſumpta illum ſenſum in proprietate ſermonis referre poſſit, ſed etiam, vt in eo ſenſu poſſit cum antecedentibus, & conſequenribus texi, & vnum inregrũ hiſtoricum, ſeu literalem ſenſum conficere; non poteſt (in rigore loquendo) dici Euangeliſtam accepiſſe verba illa in ſenſu literali, ſed in miſtico tantum, intento tamen a Spiritu ſancto.

Ad extremum illud dicere nõ parcam, quare Sanctus Ioſeph, regnãte Archelao, recuſauerit in Iudæam ire: *Audiens autẽ,* Matth. 2. *quod Archelaus regnaret in Iudæa pro He* Theoph. ſup. *rode patre ſuo, timuit illo ire*: Reſpondet cap. 2. Matt. Theophilactus: *timuiſſe illũ ire propter Archelaum, vt qui non eſſet melior patre ſuo*. ſcribit enim Ioſephus lib. 17. *Illum in prin* Ioſeph. lib. 17 antiq. ca. 10. *cipatus ſui exordio modeſtè ſe habuiſſe, & populo blanditum eſſe, vnde & ipſius ſibi fauorem conciliauerat: tandem verò ferocior redditus, cum de morte Matthiæ, & aliorum cum eo ab Herode interemptorum maxima quæſtio fieret, petentibus Iudæorum iuuenibus mortis illorum vindictam, armatorum cohortem inſtituit, à quibus in die feſto Azimorum cæſi ſunt Iudæorum circiter tria millia, alijs fugientibus*. Capi- Idem c. 11. te autem 11. ait, quod: *Hinc fauor populi ab illo auerti cœpit, & aueſantibus illũ Iudæis, etiam & cognatis, apud Cæſarem, eiuſque inſolentiam deferentibus, iudicio Senatus anno ſui regni nono apud Viennã Galliarum vrbem exilio relegatus vitam finiuit*. Hinc fit, vt rumore crudeliratis Archelai percitus Ioſeph, timuerit in Iudęam venire, hoc eſt, in loca Ieroſolymæ, aur Bethlehem viciniora.

Quod ſi rurſus inquiras, cur etiam S. Ioſeph non timuerit Archelaum proficiſcens in Galilæam, feceſſit in partes Galilææ? Reſpondet Diuus Thomas Aquinas D. Tho. hic. Ieroſolymæ fuiſſe Regiam Sedem, ibi vetò commoratum eſſe Archelaum, Iuniorem autem ipſo Herodem Antipam tunc Galilæam rexiſſe, qui vt ſeſe in Iudæorum gratiam inſinuarer, fratremque Archelaũ Regno expelleret, mitiorem ſe & humaniorem ſuis Galilæis præbuerit, vnde fieret, vt tutiorem ſe Ioſephus in Galilæa putaret. Quod ſi quis deinde obijciat, ſingulis annis perductum fuiſſe puerum in Ieruſalem, nec ei tamen damnum, & periculum aliquod ab Archelao acceſſiſſe? Reſpõdet Auguſtinus, quod ſimul cũ puerorum turba latuerit, & paucis hic diebus

mora-

Digitized by Google

moratus ſit. Denique, quod vt ſcribit Ioſephus lib. 17. antiquit. cap. 12. & 13. Archelaus breui poſt ſeditionem illam, quam diximus, Romam venerit, res autē Iudæorum per Romanos regerentur, vnde non erat Archelai timenda tyrannis, vt occideret Chriſtum, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Ioſephus.*

Homilia X.

Varia commemorantur prodigia à Chriſto Domino patrata a die fugæ in Aegyptum vſque reditum in Iudæam.

VARIA commemoraturus prodigia, ac portentoſa miracula, quæ Chriſtus Dominus patrauit à die, qua ex patria ſua fugere cœpit vſque ad ingreſſum in Aegyptum, & habitationem in ea regione; exordior ab eo quod antiqua Armenorum narrat hiſtoria, id referente Gratiano in vita Sancti Ioſephi, nec non Caſtro in vita Deiparæ Mariæ. Tradunt, quod dum in parandis neceſſarijs Ioſephus moraretur, Deipara in ſpecu latuerit inter meridiem, & Auſtrum ad iactum lapidum duorum à Bethlehem ſemota; dumque Deo infanti mammillam porrigeret, lactis guttis in durum ſpeluncæ lapidem effuſis, ita emollitum, ac candidum effectum, vt inſtar cādidiſſimæ terræ in puluerem tenuiſſimum conuerſus ſit, ex qua lota panes paruuli conficiuntur, quibus ad morborum diuerſorum ſanitatem, præſertim lactis feminarum contractionis, omnes vtantur, & *lac Dominæ noſtræ* ab eis nominatur: immò etiam ſaxa illa in puluerem redacta, & in aquam miſſa pecudibus propinantur, nè lac eis deficiat. Quæ omnia nō ſolum prædicti Authores, ſed & traditio antiqua à maioribus accepta, & illius regionis incolæ, nec non & Chriſtiani tàm Latini, quàm Græci conteſtantur, & multi, quibus id videre licuit, ſcriptis mandarunt. *Gratianus. Caſtro.*

Petrus de Natalibus in Hiſtoria boni latronis refert, repente fuiſſe quemdam ex occulto loco prodijſſe, vt ſacros illos Peregrinos Mariam, & Ioſephum deprædaretur; qui tamen cumprimum intuitus eſt infantem Ieſum, & Marrem illum geſtantem, ex rapaciſſima fera mutatus eſt in manſuetiſſimum Agnum, adeò vt nihil ab eis extorqueret, ſed ad propriam ſuam ſpeluncam, quæ eius domicilium erat, illos beneuolè ſecum adducens ex his, quę poſſidebat, multa liberaliter erogaret. Contigit autem, quod vxor illius latronis lauans filium ſuum lepra laborantem eadem aqua, qua Virgo infantiles Ieſu pannos lauerat, continuò à lepra liber euaſit, teſtaturque illum latronem eundem fuiſſe, qui à dextris Chriſti crucifixus in Monte Caluariæ, dixit: *Memento mei Domine*, & audire meruit, *hodie mecum eris in paradiſo*. *Petrus de natal.* *Luc. 2.*

Sozomenus lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 20. hæc ſcribit: *Memorat præterea arborem eſſe, quæ Perſeis dicitur Hermopoli, quod eſt oppidum Thebaidis, cuius fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos à compluribus depulerit. Nam traditum eſt, Ioſeph cum propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Maria ſancta Deipara fugiſſet, veniſſe Hermopolim, atque ſimul vt portæ appropinquauit, iſtam arborem licet planè maximam, aduentu Chriſti turbatam eſſe, atque ad ſolum vſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe. Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut à multis audiui, à me commemorata ſunt.* *Sozomenus.*

Epiſcopus Abulenſis ſuper caput ſecūdum Matthæi commemorat, quod præter illam arborē, quæ aduentantē in Aegyptū Chriſtū cū Maria, & Ioſeph venerata fuit, alia etiam arbor palmę antiquiſſima fuiſſe perhibetur, quæ poſtquā ſe ſanctiſſimæ Virgini in Aegyptum intranti inclinauit, vt dactilos inde colligeret, iterùm ſe erexerit; quodque hoc Idolatræ videntes, arborem ſtatim ſucciderunt; ſed nocte ſequenti, ſic arbor illa iterùm conſolidata eſt, & erecta, ſicut antea erat, exiſtentibus tamen inciſionibus illis in ipſa, quæ hodie etiam in illa apparent. Romæ hæc elaboranti, venit ad manus liber quidam de vita Chriſti Domini abſq; titulo Auctoris, perantiquus tamen, vt caractherum vetuſtas indicabat, in quo reperi quod *Abulenſis ſuper c. 2. Matthæi 9 60.*

cum beata Virgo, & Ioſeph per antra deſerti Aegypti iter faciebant, varia animalia hinc inde prodibant, vt leones, leopardi, vrſi, dracones, & ſimilia, quæ Chriſto Domino ſe humiliabant, eumque qua ratione poterant venerabantur.

Legi etiam ibidem, magnam volucrũ cateruam ſuaui melodia canentem Chriſtum Dominum hac miraculoſa voce ſalutaſſe: *Salue Rex*. Subiungit etiam, quod cum Virgo in brachijs ſuis Chriſtum Dominum baiulans, ingredi vellet in templũ quoddam Gentilium, vltrò portæ ſe aperuerunt.

Abulenſis. Epiſcopus Abulenſis ſuper caput ſecundũ Matthæi, aliud portentum non minori admiratione dignum commemorat. Ait enim, quod cùm Virgo primo veniſſet Hermopolim, in eum locum, in quo prius ipſa commorata fuit, quàm in aliquo alio Aegypti; & nullũ inueniret domũ, in quã ipſa cum puero Ieſu ingredi poſſet ad requieſcendum, tandem ingreſſa eſt quoddam templum; in quo erant Idola 365. iuxta numerum dierum totius anni, quibus ſingulis diebus diuinus, imò potiùs inſanus, & vanus exhibebatur cultus; quodque ad Chriſti ingreſſum, cũ ſanctiſſima matre ſua omnia illa Idola ſubitò in terram corruerunt: & adimpletum eſt illud Iſaiæ: *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & mouebuntur omnia ſimulacra Aegypti.* Quã (Iſai. 19.) Iſaiæ authoritatem Abulenſis euentui illi accommodans dicit, quòd omnia ſimulachra Aegypti mota ſunt, inquantum illa 365. corruerunt, quæ fortè erant omnia Idola Aegypti, ita vt non eſſent plura nomine differentia, licet eſſent plura alia ab illis numero diuerſa. Et addit quòd cum hoc factum nuntiatum eſſet Aphrodiſeo, Principi Sacerdotum, venit in templum cum omni ſuo exercitu; & poſtquàm accedens puerum Ieſum adoraui conuerſus ad exercitũ dixit: *Hic niſi eſſet Deus Deorum noſtrorum, coram eo non ſe proſternerent. Nos ergo quod Deos noſtros facere videmus, niſi cautè fecerimus, omnes ſicut Pharao periculũ incurremus.* Brocardus Theutonicus in deſcriptione Terræ ſanctæ hæc (Brocar. Theuton. in deſcriptio Terra ſancta par. 2. capit. 11.) cuius etiam ſupra memini, nobis memoriæ prodidit: *Inter Heliopolim, & Babyloniam medio fermè loco eſt balſami hortus*: & paucis interiectis: *rigatur*, inquit, *hortus ille ex paruulo fonte, in quo fama eſt B. Virginem Ieſum paruulum pluries lauiſſe, panniculoſque eiuſdem mundaſſe, cùm eſſet in Aegypto propter metum Herodis. Eſt etiam ibidem lapis, ſuper quem dicitur eoſdem exſiccaſſe. Hæc omnia venerantur à Chriſtianis, & Saracenis. Verùm, quia fons Ieſu paruulus eſt, non ſufficiens irrigationi totius horti, Saraceni alium profundũ foderunt puteum, ex quo quatuor boues per totam aquam extrahunt; ſperantes ex vicinitate fontis Ieſu aquam alterius fontis fore virtuoſam. At ſe deceptos animaduertentes conſtruxerunt canalem, per quem transmittunt aquam illam in fontem Ieſu, vt ſic ex eis mixtis fecundaretur hortus. nec hæc eos feſellit opinio, nunc enim ſufficienter fecundatur ex aquis ſic mixtis.* His, quæ de illo horto, & fontibus tradit Brocardus, hæc etiam addit Abulẽſis loco ſupracitato, videlicet, quòd *A meridie diei Sabbati vſque ad ortum Solis diei Lunæ, boues, qui trahunt aquam de puteo, ita ceſſant à labore, vt nullo modo velint intra illud tempus aquam trahere; & hoc etiam ſi vel excorientur, vel occidantur: ſed in die Lunæ orto Sole, iterum incipiunt ipſam aquam extrahere vſque ad diem Sabbati ad meridiem.* (Abulenſis.) Hæc ex probatis Authoribus ſolummodò commemorare libuit, quia alia, quæ partim repeciuntur in libro de Infantia Saluatoris, partim in Alcorano Mahometri, vt quòd Chriſtus infantia ſua ſuper Solis radios equitans aſcenderet, & id genus alia ridicula, tanquàm futilia, & vaniſſima omninò refutanda ſunt: Tum quia Gelaſius Papa damnauit prædictum (Gelaſius Papa.) libellum de infantia Saluatoris, vt legitur cap. Sancta Romana Eccleſia, diſt. 15. Tũ quia non decet Chriſtianos viros à ſpuriſſimo Mahumeto, & mendaciſſimo authore Chriſti miracula petere.

Ceterùm quia nonnulli nõ ſolùm hæc, ſed & quæ nos in medium produximus, patrata à Chriſto miracula, falſa eſſe contendunt, compellimur ab eorum impugnatione noſtram ſententiam vindicare. (S. Chryſoſt. homil. in Ioã.) Hi videntur eſſe Sanctus Chryſoſtomus, (S. Ambroſius ſerm. 19.) Ambroſius, Epiphanius, Theophilactus, (S. Epiphanius hæreſ. 51.) Euthymius, & Angelicus Doctor; qui (Theophylact.) ad id mouentur, tùm quia poſtquàm (Ioannis 2.) Diuus Ioannes retulerat miraculum con- (Euthym. ibi Ioan. 2.) uerſionis aquæ in vinum factum in Cana Galilææ, continuò ſubiunxit hæc verba:

Ioan. c. 2. verba : *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ*. Si ergò hoc fuit initium, manifeſtum eſt nullum, aliud antea feciſſe, alioquin illud fuiſſet initium ſignorum, non iſtud. Tùm quia, (vt præcitato loco adnotauit Sanctus Thomas) ſi Chriſtus Dominus in infantia ſua miracula patraſſet, Incarnationis myſterium phantaſma eſſe putaretur, & deluſio: Tùm quia quod nonnulli interpretantur, conuerſionem illam aquæ in vinum non fuiſſe primum ſignorum ſimpliciter, & abſolute omnium ſignorum, quæ vnquam fecerit Chriſtus, ſed primum dumtaxat eorum, quæ patrauit in Cana Galilææ, infirmum fundamentum eſt, quorſum enim dixiſſet Ioannes primum hoc ſignum eorum, quæ eo feciſſet loco, præſertim cum nullum poſtea in Cana Galilææ ſignum à Chriſto factum legamus? & ſi legeremus, quid attinebat dicere primum hoc eorum fuiſſe, quæ ibi feciſset? eadem enim ratione de alijs miraculis, quæ alibi Chriſtus fecit, dicere debuiſſet, hoc in Capharnaum, hoc
Ioan. 2. in Ieruſalem, *primum ſignum fecit*, quod nuſquam Ioannem vidimus dicere.

Verùm ego non video qua ratione negari poſsit Chriſtum Dominũ ante conuerſionem aquæ in vinum factã in Cana Galilææ, quædam alia patraſſe ſecreta miracula: Nam In primis dum erat in ventre Virginis, ſtupendum illud prodigium patrauit, dum per vocem Matris, tanquàm per inſtrumentum, Ioannem in vtero Eliſabeth latitantem ſanctificauit,
Luc. 1. & geſtire fecit: *Vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*: Deinde in ortu ſuo magnũ illud fecit portentũ, dũ egrediens ex viſceribus maternis inuiolatũ reliquit clauſtrum virgineum, penetrans ſe (vt loquuntur Theologi) cum partibus corporis proximis Virginis clauſtro. Rurſus Chriſtus Dominus velut magnes innata ſua virtute ad ſe pertrahens ferrum, ferrea Magorum Regum pectora ad Bethlehemiticum porticum ab Oriente
Matth. 17. te traxit, vt tradit Diuus Matthæus; Aegyptum ingrediens Idola, quæ in Fano falſorum Deorũ oracula reddebãt, non ſolum ſilere, ſed corruere, & conteri compulit, vt grauiſſimi Patres communi conſenſu docent. Inſigne miraculum fuit, quod duodennis puer cum Doctoribus in Templo diſputaret, eoſq; obſtupeſcere faceret, abditiſſima ſecreta eius pandens, quæ multo ſtudio, & induſtria, longoq; tẽporis decurſu ipſi comparare non potuerant. In Baptiſmo deinde Iordanis, ſingulare miraculum Chriſti fuit, quod Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper caput eius deſcenderet, & vox de Cœlo delapſa intonaret: *Hic* Ioan. 1. *eſt filius meus dilectus*. Manifeſtum etiam miraculum fuit, abſque vllo cibo, vel potu quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunare. Vnde rectè Maldonatus ad quæſtionem illam, quam Maldonat. in cap. 2. Ioan. mouet Theodoretus in Catena Græca, vnde in mentem Mariæ venerit petere à filio, vt miraculum conuerſionis aquæ in vinum faceret? aptè reſpondet Virginem aliqua prius priuatim ab eo facta miracula vidiſſe, quibus ſuam aliquando ſubleuaſſet inopiam, & ideò in ſimili caſu miraculum ab eo poſtulaſſe. In hanc eandem etiam ſententiam ducor, quod germanum ſenſum illorum verborum: *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus* Ioan. 2. *in Cana Galilææ*, hunc eſſe putauerim: quod illud fuit primum ſignum non omnium omninò quæ fecit Chriſtus, nec eorum dumtaxat, quæ edidit poſt Baptiſmum, & poſt admiſſos Diſcipulos, ſed illorum, quæ fecit, vt gloriam ſuam palam manifeſtaret, ſeque iterum Chriſtum eſſe oſtenderet. Aſtruit apertè hanc intelligentiam, quod ſtatim ſubiunxit Euangeliſta: *Et manifeſtauit gloriam* Ioan. 2. *ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius*: ecce loquitur de miraculis ad oſtentationem ſuæ potentiæ publicè factis, in quo accomodatè ſatis ad id, de quo agebar, loquutus eſt Ioannes; agebat enim de Chriſti manifeſtatione, quomodo ſe paulatim Diſcipulos colligere, & miraculis ſe oſtentare cœpiſſet. Vnde quemadmodum de illo miraculo dixit: *Hoc* Ioan. vb. ſupra. *fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ*, ita de prima poſt Baptiſmum Concione dicere potuiſſet: Hæc fuit prima Concio, quam habuit Ieſus, cùm tamen credibile non ſit nullam aliam priuatim habuiſſe. Ex quo omnia fundamenta aduerſæ partis facilè corruunt,

cum illud tantum conuincant, non publicè, & vt ſe quis eſſet, omnibus oſtenderet, miraculum aliquod feciſſe ante nuptias in Cana Galilææ: priuatim autem nullum prorſus patraſſe, præſertim in itinere ad Aegyptum, & dum ibidem habitauit, minime probant. Nec id inficiantur Sancti Patres à me relati, quos germanum iſtum huius loci ſenſum minimè latuiſſe credibile eſt: vnde cum negant alia priùs patraſſe miracula, loquuntur de miraculis publicis, & ſenſibilibus, quæ propriè ſigna dicuntur, de quibus loquitur Diuus Ioannes, & in quibus locũ habet ratio adducta a Diuo Thoma, non verò de miraculis priuatis, & intelligibilibus, quæ non fiebant ante faciem Turbarum, & vt in illum crederent, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Homilia XI.

Ex Euangelica Chriſti fugæ Hiſtoria quatuor præcipuè documenta ad mores informandos deducimus, peccati occaſiones fugere, Dei gratiam conſeruare, Iuuenibus praua exempla non dare, ab impiorum conſortio ſe abſtinere.

INTER hæc documenta illud primum locum teneat, ea velocitate, & diligentia nos peccati occaſiones poſt purificatam conſcientiam fugere debere, qua Chriſtus Dominus infeſtiſſimum hoſtem Herodem, poſt purificationem in Templo aufugit.

Eſt enim quoddam victoriæ genus glorioſum, abſque congreſſu hoſtem deuincere. Potuiſſet quidem Chriſtus Dominus cum Herode pugnans facilè illum ſuperare; maluit tamen illum deludens ſola fuga vincere, & abſque bello in pace de illo triũphare, hac enim ratione glorioſius de Herode palmam reportauit. Hoc ſalutare documentum, tanquàm valdè vtile non ſemel Deus edocuit, nam cum olim prohibuiſſet Hebræis fermentato pane veſci per omnes ſeptem dies Paſchæ, ſubiunxit: *In primo die non erit fermentum in domibus veſtris*, Poterat certè ab illo die fermentum eſſe in domibus illorum, & reſeruari ad tempus poſt transactum Paſcha, quid ergò refert, quòd à primo die Paſchatis non reperiretur fermentum in domibus eorum, cum etiam ſi id reperiretur, obſeruare potuiſſent diuinum præceptum de non comedendo pane fermentato per ſeptem dies Paſchæ? Diuina ſapientia ad obſeruantiam illius præcepti vtile valdè iudicauit, fermentum à primo die non adeſſe, vt omnem eis de medio tolleret occaſionem, diuinum præceptum tranſgrediendi; præſentia enim fermenti, & eius intuitus, facile eorum appetitum excitare, & allicere poſſet ad panes fermentatos conficiendum. Et ideò ad hoc periculum præcauendum conſultò iuſſit, vt à primo die abijcerent à ſe omne fermentum. Simile etiam huic præcepto fuit, quod antea Nazarenis dederat, eodem Exodi libro; nam cum præcepiſſet illis, ne vinum biberent, iuſſit ne vuas immaturas, vel maturas, nec paſſas, nec grana illarum comederent, vt ab his ſe abſtinentes longius abeſſent à vini potu; vuas enim comedentes facilè ſtimulare poterat appetitus ad experiendum ſaporem liquoris, qui in modum potus ex vuis exprimitur. Ad vitandum ergo hoc periculum, & hanc tranſmigrationis occaſionem propulſandam, non contentus Deus prohibuiſſe vinum Nazaræis, interdixit etiam vuarum eſum, quia facilè ille via poterat eſſe ad vini potum. Narrat Plutarchus in Catonem, rem huic argumento valdè conſentaneam: ait enim, quod cum Acheis exulantibus à propria patria, Senatus Romanus eis pepercisſet, & ab exilio liberaſſet, Polybius, vir clariſsimus, ardentiſſimè pro eis interceſsit, vt pu-

Exod 12.

Plutarch. de Catone.

vt publica, quibus fungebantur officia, eis reſtituerentur. Cuius interceſſionis conſcius factus Cato, quid ſibi de illa videretur? Reſpondit, Polybium idipſum feciſſe, quod Vlyſsi accidit; hic enim à ſpelunca Cyclopis ſummo labore egreſſus, ſpeluncam repetere voluit, vt pileum, & cingulum, quod ibi per obliuionem reliquerat, reciperet. Quibus verbis ſignificare voluit ſapientiſſimus Cato, quod cum officia illa perperàm per Acheos adminiſtrata, eorum exilij cauſa extiterant, eadem ſibi reſtituta, facilè in exilium eos iterum relegatura forent; quia vt Hiſpanum prouerbium ait, *la ocaſion haze el ladron*; cui ſimile eſt illud aliud: *El arca abierta el iuſto pecca*. Equidem ſi Vlyſſes non reliquiſſet pileum, & cingulum in ſpelunca, minimè ad eam reuertiſſet, quia tamen reliquit, redijt, vt pignora ibi relicta recuperaret. Abſit à nobis in ſpelunca peccati pignora relinquere, alioquin iterum peccati vinculis ligabimur. Cum olim Angelus Diuum Petrum è carcere eduxit, dixit ei: *Præcinge te, & calceate caligas tuas*: Quod ſi ab Angelo ſciſciteris, vt quid tàm ſollicitus eſſet, ne Petrus quidquam ſuorum veſtimentorum in carcere relinqueret? reſpondere certè poſſet, ne Petro, quod Vlyſſi accideret, qui vt pileum, & cingulum recuperaret, iterum in ſpelunca Cyclopis redire voluit. Qui ergo à vinculis peccati, diuina gratia fauente, liberi facti eſtis, oportet longè fieri ab omnibus occaſionibus, quæ in ea vincula vos coniecerunt, iuxta illud Sapientis conſilium, qui de laſciua fugienda femina agens dixit: *Ne appropinques foribus domus eius*, quaſi dicat, oportet ne iterum reincidas, vt non ſolum ab aſpectu eius, à confabulatione, à muneribus, ab epiſtola te abſtinere, ſed a foribus domus illius longè fieri: quia vt rectè dicit Diuus Thomas de regimine Principum: *Oportunitas peccandi via eſt ad libidinem*. Vnde Iob, licet alioquin filij eius ſancti, & iuſti eſſent, lauto tamen conuiuio vacantes, timuit ne in aliquod prolaberentur peccatum, *Ne fortè peccauerint filij mei*, ſciebat enim opipara conuiuia, non ſemel peccandi occaſionem præbuiſſe, quod origina-

Actor. 12.

Prouer. 5.

D. Thom. de regim. Principum, c. 13. lib primo.

le Hebræum ſatis indicat, nam vbi noſtra vulgata vertit: *Ne forte peccauerint*, in Hebræo legitur, *ſi fortè deuiauerint*: occaſio enim peccandi viam rectam deſerere, & obliquam amplecti quodammodo cogit, & maximè infirmum, & imbecillem. Quapropter Dauid hanc virtutis ſuæ imbecillitatem non ignorans, dixit: *Viam iniquitatis amoue à me*: quaſi diceret, non ſolum deſidero, vt auferas à me peccatum, ſed vt illo ſemel ablato etiam amoueas à me occaſionem peccandi, quæ via ſolet eſſe ad ipſum peccatum. Huc etiam facit, quod quando Angeli abduxerunt Loth à conſortio Sodomorum, dixerunt ei: *Nec ſtes in omni circa regione*, quaſi dicerent, non ſolum volumus te extra Sodomam eſſe, ſed ab omni regione ei propinqua longè fieri. Non ſufficit Fratres per cõfeſſionem à peccato egredi, niſi ab omni regione, circa peccatũ longè arceamini, hoc eſt, ab occaſionibus iterum reincidendi vos ſubmoueatis, & illis omnibus adytum præcludatis. Fugit Chriſtus ab Herode, longè tamen ſe fecit ab omni circa regione Iudææ, & in Aegypti diſtantiſſimam plagam fugit, vt doceret nos occaſiones peccati, quæ inſtar ſæuiſſimi Herodis nos perſequuntur, longiſſimè fugere, præcipuè tamen illas, quia periculoſiores, quę libidinis flammas excitant: ſæpè enim libido dormiret, niſi occaſio illam excitaret, & luxuriæ ſcintillæ non erumperent, niſi peccandi opportunitas animum pulſaret. Sicut enim intra venas ſilicis, ſcintillæ ignis latent, quæ tamen, niſi ferro percuterentur, foras illæ non prodirent; ita intra venas concupiſcentiæ noſtræ libidinis latent ſcintillæ, quæ alioquin niſi viſis, & auditis, illa tangeretur, foras non erumperent. Quare feminarum conſortium apprime fugiendum eſt, vt enim dixit Origenes: *Mulier caput eſt peccati, & arma Diaboli*, ac ſi diceret, femina laſciua arcus eſt Diaboli, quo acutas ſagittas in cor aſpicientis illã mittit. Vnde ſicut inſipiens eſſet, qui arcus pulchritudinem, intenta oculorum acie aſpiceret, cuius ſagittam contra ſe mittentem attenderet; ita væcors, & inſanæ mentis eſt, qui in feminam pulchram, quæ velut dæmonis arcus eſt, ſagittis ſuis acri-

Pſal. 118.

Geneſ. 19.

Origen. hom. tomo 2.

acriter lacerat, luminum acie intendit. Et quidem ſi in deſerto, vbi panes non erant, volebat Diabolus illos è lapidibus educere: *Matth. 23.* *Dic, vt lapides iſti panes fiant*, & in deſerto, vbi vrbes, & populi non ſunt, ait Euangeliſta, quod *oſtendit ei* *Matth. 4.* *omnia regna Mundi*: & vbi feminæ longè abſunt, de libidine per cogitationem tentat; & vbi pecuniæ deſunt, de cupiditate; & vbi dignitates non ſunt, de ambitione iacula mittit, quid quæſo faciet cum quis occaſiones peccati non ſolum non fugit, ſed ſe illis immiſcet? Rectè *D. Hieron.* Diuus Hieronymus, de cohabitatione Clericorum dixit: *Nunquam intra vnam cauernam habitās cum lupo tutus eſt agnus*: & aduerſus illos, qui ſuſpicioſa contubernia non fugiunt, producit illud Salomonis: *Prouerb. 6.* *Nunquid poteſt quis abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Accedit *S. Nilus.* Sanctus Nilus, qui oratione ſecunda aduerſus vitia, inquit, *Mulieris aſpectus ſagitta veneno illita, quæ ferit animum, & venenum immittit; & quo diutius manet, eo magis vulnus computreſcit. Qui uitare cupit huiuſmodi vulnera, is à publicis ſpectaculis abſtinebit, nec in celebritatibus verſabitur: ſatius eſt enim, vt domi maneas, Nam cum putaueris te celebritates venerari, in manus inimicorum incides*. Idem ibidem ait: *Ad ignem potius ardentem, quàm ad mulierem iuuenem iuuenis appropinqua: nam ſi ad ignem acceſſeris, dolore affectus reſilies; at ſi feminæ verbis incenſus fueris, haud ita facilè recedes: florent olera propè aquam ſata, & libidinis femina mulierum familiaritate excitantur*. Ad libidinem ergò ſuperandam illud ſupereſt probatiſſimum remedium, ſumma celeritate fugere; fuga enim huiuſmodi non dedecoris, ſed fortitudinis inditium eſt, & ideò non ignominiam, ſed gloriam parit, Diuo *D. Ambr. libro de fuga ſeculi, cap. 4.* Ambroſio dicente libro de fuga ſeculi: *Glorioſa hæc fuga eſt fugere à facie peccati: ſic fugit Iacob, matre ſuadente, ſic fugit Moyſes à facie Pharaonis, ſic fugit Dauid à facie Saulis, & Abſalonis*.

Illud tandem in hoc genere argumenti dicere non parcam aduerſus eos, qui alioquin imbecillitatem ſuam millies experti non verentur peccati occaſiones deuitare, ſed potius illas quæritare, quibus lapſuros, aut manifeſto labendi periculo ſe expoſituros non dubitant. O inſaniam ſanguineis lachrymis deplorandam! Certè ſi equus, vel aliud animal flumen aliquod tranſiens in cœno inhæſit, ſi iterùm illac tranſeundum ſit, protinus conſiſtit, & prius ſe fuſtibus dilacerari patitur, quàm vlteriùs progrediatur: homo autem beſtijs ipſis ſtupidior, ſecundo, tertio, & quarto, & ſæpiùs ſe in ea loca immittit, in quibus non ſemel ſe peccaſſe nouit. Pudeat vos homines à beſtijs hac in re ſuperari; pudeat Prophetam Nahum ad vos dirigere ignominioſa illa verba: *Beſtiæ ſunt meliores, qui poſſunt fugere, & prodeſſe ſibi*: *Nahum 2.* Pudeat tandem manus dediſſe diabolo, & miſeræ eius ſeruituti ſubiugari vos velle. Audite quæſo Diuum Auguſtinum hanc *D. Aug. libr. 8. confeſſ.* veſtram infœlicem ſortem in hunc modum plangentem: *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me: quippè ex voluntate peruerſa facta eſt libido, & dum ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*.

Secundum documentum, quod ex hac hiſtoria nobis deducere licet valdè neceſſarium eſt, nimirum, vt poſt recentem in Deum conuerſionem, ſolliciti ſimus acquiſitam illius gratiam ab inſidijs diaboli illæſam conſeruare: hic enim eſt Satanæ conatus Chriſtum infantem in pectore Chriſtiano interimere, nam vt ex Paulo ad Galatas quarto colligitur, *Ad Gal. 4.* naſcitur in nobis Chriſtus infans, *Filioli*, inquit, *mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Totis viribus ideò nitendum eſt, vt ad ætatem virilem, & robuſtam perueniat. Vnde Auguſtinus ſerm. 10. de tempore, *Auguſt. ſer. 10.* *Credidiſti, inquit, natus eſt Chriſtus in corde tuo; ſed nunquid Chriſtus natus ſic remanſit? creuit, ad iuuentutem peruenit, ſed in ſenectutem non declinauit: Creſcat ergo, & fides tua robur inueniat, vetuſtatem neſciat*. Hæc ille. Verùm Dæmon creſcere non vult in pectore Chriſtum, teneram atque recentem gratiam cupit extinguere.

Lege

Lege ſeminantis parabolam, videbis Dæmonem non pati in ſpicã proſilire ſemen, protinus currit ad vorandum; *volucres*, inquit Dominus *cæli comederunt illud*. Typus Satanæ Pharao infantes Hebræorum flumine iubet ſubmergi; timet enim ne poſtquam adoleuerint, bellum illi inferãt. Origenes in hunc locum ait: *Quid princeps huius mundi præcepit ſuis, vt infantes noſtros rapiant, & in flumen proijciant, primæ ſtatim natiuitati noſtrorum inſidiantes continuo, vt cum vbera Eccleſiæ prima contigerint, irruant, diripiant, perſequantur, vndis huius ſæculi abſorbeant. ergo cum in te Chriſtus natus fuerit, Pharaonem fuge, Herodem fuge, & voluptatis mella longè a te abijce*; nam vt ait Diuus Ephrem lib. citato: *Si diligenter attenderis, vbique inimici laqueos, tanquam mellis dulcedine circumlitos, voluptatis illecebris extentos deprehendes, vt ſi quis illius guſtare dulcedinem velit, laqueo capiatur.*

Matth. c. 13. Exod. c. 1. Origenes. D. Ephrem li. citato.

Tertium documentum eſt, ne ſitis ſicut amici impij Herodis, qui pueros velut Pharao, Iſraelitas perſequuntur, & occidunt: perſequi enim eſt male amare, & ad vitia exemplo, verbiſque impellere, Paulus ad Galat. 4. ait Iſmaelem perſequutum eſſe puerum Iſaac: *Is, inquit, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum*: Iſmaeles illi ſunt, qui pueros innocentes Iſaaco ſimiles, exẽplo, & colloquijs prauis perſequuntur, ac deprauant. Eiecit domo Iſmaelem Sara, quod Iſaacum perſequeretur: eijciendi Iſmaeles, hoc eſt ſuaſores improbi, qui pueros vitiorum contagione inquinant. Audi quid hac de re ſentiat homo Ethnicus, *liberos noſtros*, ait Plutarchus lib. de educãdis liberis, *a flagitioſorum hominum conſortio ſegregare decebit; eorum enim malignitatem reportant*. Item, ſicut infantiũ membra ſimul ac nata ſunt, formari componique debent, vt recta, minimeque obliqua fiant, ita puerorum mores principio aptè concinneque fingere conuenit; illa namque nouella ætas ad fingendum facilis, & tenera eſt, & ipſorum animi, dum molles adhuc extant, diſciplina melius inſtruuntur, difficilius autem quæ dura ſunt molliuntur. Quemadmodum enim ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ, dum puerilis adhuc animus eſt, inſculpuntur: quale ſigillum eſt, tale illud eſt, quod mollis cera recipit. Amici ſigilla quædam ſunt; ſi Dæmones ſunt, Dæmonis; ſi Angeli ſunt, Angeli imaginem in puero inſculpunt.

Ad Gal. 4. Plutarchus.

Plato, vt eodem loco docet idem Author, nutrices admonuit, ne friuolas, ac turpes pueris fabulas darent, ne illorum animos ab initio corruptis imbuerent moribus. Ipſe verò Plutarchus pueris qui alumnis miniſtraturi conuicturique ſunt, bonis moribus prædltos requirit; quoniã iuxta prouerbium, *ſi claudo vicinus habitaueris, & ipſe claudus ambulare diſces*. Vnde præclare Iuuenalis ſatyra 14. maximam puero deberi reuerentiam dixit, ſed carmina ipſa recitemus,

Plato. Plutarchus. Iuuenalis.

Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangunt
Intra quæ puer eſt, procul hinc, procul inde puellæ,
Lenonum, & cantus pernoctantis Paraſiti
Maxima debetur puero reuerentia; ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Senibus deberi reuerentiã omnes ſciebamus, pueris autem deberi non item; at debetur, & quidem maxima, videlicet ne coram illis aliquid committatur turpe, aut flagitioſum, aut minus decorum, vnde poſſint exemplum trahere. Quamobrem Plato in dialogo 5. de legibus: *Sapiens*, inquit, *legumlator ſenioribus præcipiet potius, vt ſint coram iunioribus verecundi, ac ſummopere caueant, ne quis iuuenum eos, aut videat, aut audiat agẽtes turpe aliquid, vel loquentes*. Fugiant ergo pueri improbos Herodes, Pharaones, Iſmaeles, puerorum perſequutores; puerum ſequantur agnum quocumque ierit, & inter caſtitatis lilia cum illo paſcantur.

Plato.

Diſce etiam ex hoc loco teneram cuſtodire virtutẽ adhuc infantem, nec dum virilem: Arcenda enim eſt a periculis, nimijſque oneribus, huiuſmodi virtus ne pereat. Exigua flamma vento, tenera virtus periculis expoſita extinguitur; ingens flamma eodem vento, ingens virtus eiſdem periculis oblata extollitur, & exardeſcit: nec parua Cymba in magnos fluctus, nec parua virtus in magna diſcrimina, & labores

eſt immittenda nè ſubmergatur. Noluit Deus Iſraelitas ex Aegypto recens liberatos Philiſthinorum bellis objicere: *Cum emiſiſſet Pharao populũ, nõ eos duxit Dominus per viã terræ Philiſthim,* quæ vicina eſt reputans ne fortè pæniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum: ita etiam recens ex peccato liberari, in quibus modica animi fortitudo eminet, difficilibus tẽtationibus nõ ſunt obijciẽdi: vnde Greg. Mag. 24. Moral. c. 13. *Ex Aegypto,* inquit, *exeuntibus è vicino bella ſubtrahũtur, quia derelinquentibus ſeculum, quædam prius tranquillitas oſtenditur, ne in ipſa ſua teneritudine, atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant quod euaſerunt; prius ſuauitatem ſecuritatis ſentiunt, prius pacis quiete nutriunt: poſt cognitam vero dulcedinem tanto iam tollerabilius tentationum certamina ſuſtinent, quanto in Deum altius cognouere, quod ament.* Huc ſpectat illud Ambroſij lib. 4. in Lucam cap. 2. *Eadem eſt natura virtutis quæ nemorum, vt ſi adhuc exigua, de terrenis ad ſuperna ſe ſubrigant, dũ teneris ætas adoleſcit, frondibus ſæui veneno dentis obnoxia, facile aut ſuccidi poſſit, aut vri: ſi verò alta ſe radice fundarit, vt ramorum ſublimitate ſuſtulerit, fruſtrà iam, & ferarum morſibus, vel lacertis agreſtium, vel diuerſorum flatu procellis arbor tentatur.* Hæc ille. Tenera virtus floribus eſt ſimilis, vt enim flores vehemens frigus, ita teneram virturem vehemens tentatio decoquit, vt late proſequitur D. Bernardus ſermone 63. in Cantica, & ſermone 64.

Exod. 13.

D. Greg.

D. Ambroſ.

D. Bernard.

Quartum tandem documẽtum eſt, impiorum conſortia, & amicitias diligenter vitandas eſſe, ſicut & Chriſtus infans vitauit a facie impij Herodis fugiens, & grandior factus, eius interrogationi non reſpondens. Certè capta a Dæmone anima, ad alias decipiendas fit quaſi laqueus, & ſicut pernix comprehenſa pro eſca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ ſunt: circa illam enim auceps laqueos figit, vt voce ſua pernix reliquas circumuolitantes ad eoſdem pelliceat. Pythagoræ duplex documentum celebre fuit: *Quæ nigrantes habent caudas, guſtari non oportere,* hoc eſt, cũ hominibus cõſuetudinẽ non eſſe habendam quos moũ deprauatio ipſa denigrat. Alterũ Pythagoræ documentum erat: *Non iniÿciendam vnicuique dexteram:* Dextram inijcere amicitiæ eſt: vnde perinde fuit ac ſi diceret: Eligendi ſunt amici probi, quibus dexteram inijcias; improbi fugiendi, ne ſcabie ſua te inficiant. Diui Gregorij Nazianzeni hæc in idem ſunt carmina ad Seleucum.

Bernardus.

Pythagoras in ſuis adagijs.

Sunt namq; multi more qui pecudum ſcatent,
Fædaque, ſcabie grauibus & morbis ſimul
Iuueneſque tentant ſimplices, ſi quos vident
Seque effricantes ſubdolè his illud ſtudent
Vt prauitatis hos ſua morbo impleant.

Ad his omnibus longè vos arceri oportet, ſi vultis Deo homini adhærere, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE

DE SACRIS ARCANIS
B. VIRGINIS AMITTENTIS. ET INVENIENTIS IESVM IN TEMPLO.

LIBER DECIMVS.

Homilia Prima.

CHRISTVS DOMINVS IN TEMPLO ſuæ diuinitatis, & humanitatis, necnon mirabilis ſcientiæ quæ in illo latebat, præclara indutia exhibuit, variæque huius manifeſtationis imagines, & figuræ proponuntur.

ANTEQVAM abditiſſima arcana, quibus hodiernũ Euangelium ſcatet, diuina irrorante gratia, pandere aggrediar, oportet rationem reddam, quare Eccleſia Catholica in Introitu miſſæ huius feſtiuitatis, verba quædam adduxerit, quę ſingulari antipathia, cum hiſtoria ipſius Euangelij pugnare videntur? Introitus verba hæc ſunt: *In excelſo Throno vidi ſedere virum, quem adorat multitudo Angelorum, pſallentes in vnum; ecce cuius Imperij nomen eſt in æternum.* Series iſta verborum quàm è diametro aduerſari videatur hiſtoriæ Euangelicæ quam audiſtis, haud difficile erit propalare. Nam in primis Chriſtus Dominus dicitur ibi viſus ſedere in ſublimi aliqua ſede: *In excelſo Throno vidi ſedere*: ipſe autem in Templo, in loco humili ſedebat, vt hic adnotat Beda. Vnde Diuus Ambroſius ſuper caput ſecundum Lucæ, inquit: *Traditio Synagogæ eſt, vt ſedentes diſputent ſeniores dignitate in Cathedris, ſequentes in ſubſellijs, nouiſſimi in pauimento ſuper mattas*, hoc eſt, ſtoreas quas humi ſtrabant. Ecce in locis eminentioribus ſedebant Doctores, & magiſtri: in ſubſellijs verò viri alij minoris dignitatis, ad pedes verò Magiſtrorum ſuper ſtoreas ſedebant iuniores, quod & tradit Philo Iudæus lib. *quod omnis probus ſit liber*: immo & teſtatur expreſſe Diuus Paulus Actorum 22. *Nutritus ſum in iſta Ciuitate, ſecus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paternæ legis.* Nec pugnat cũ hoc quod Euangeliſta dicat, Chriſtum, *ſediſſe in medio Doctorum*, quia hebraiſmus iſte idem pollet, quod *inter Doctores*: vt: *medium veſtrum ſtetit quem vos neſcitis*, ideſt, *inter vos*, idq; adhuc credibilius fit, tùm quod Diuus Lucas non refert illum, tanquam doctorem, ſed tanquam diſcipulum ſediſſe audiẽtem, & interrogantem; tùm quia illa Scribarũ, & Phariſæorũ ſuperbia, quos Euangeliſta, Doctores vocat, puerum non tuliſſet in honoratiſſimo omnium loco conſidere. Deinde ver-

Eccleſia Romana in introitu dominica inf. Octa. Epiphaniæ.

Beda hic.

D. Ambroſ.

Philo Iudæus

Act. 22.

Ioan. 1.

D. Luc. 2.

Digitized by Google

de verba Introitus vocant *virum* Chriſtũ Dominum. *In excelſo Throno vidi ſedere virum.* Euangelium autem hodiernum, puerum vocat illum; Ibidem. *Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem:* in Introitu Angelos cantantes lego *multitudinem Angelorum pſallentium in vnum*: in Euangelio video parentes Chriſti lamentantes, ac ſummo dolore filium quærentes: Ibidem. *Ecce Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te*: in Introitu, Imperium eius nominatur, *cuius Imperij nomen eſt in æternum*; in Euangelio verò nec Maieſtatis Imperialis veſtigium reperies, quinimo abiectionẽ, & paupertatem facilè colliges, cum parentibus orbatus Chriſtus per triduum, & a cognatis, & notis ſegregatus, toto illo tempore mendicãdo vixerit, vt tradunt Diuus Bernardus D. Bernard. homil. infra octauam Epiphaniæ, & Diuus D. Bonauent. Bonauentura in Apologia pauperum. Ac tandem ibi æternitas ei attribuitur: *Cuius Imperij nomen eſt in æternum*: hic verò Euangeliſta menſura noſtri temporis ætatem eius metitur, dicens: *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*: nihil ergo commune habere videtur Introitus ille Miſſæ cum Euãgelica huius feſtiuitatis lectione, immo multa cum illa ex diametro pugnantia.

Bifariam propoſitæ difficultati ſatisfaciendum cenſui. Primo aſſero Eccleſiam Catholicam diuino ſpiritu afflatam, duo hæc quæ, vt oſtendimus, inuicem aduerſari videntur, conſulto copulaſſe, vt hæreticorum petulantem audaciam compeſceret, qui verã Chriſti Ieſu diuinitatem abnegantes, ac purum hominem illum fatebantes; ex eo id ſibi perſuadebant, quod Euangeliſta ait, illum creuiſſe ſcientia. & ætate: incrementum vero manifeſtũ mutationis argumentum eſſe, nemo ambigit, Malach. 3. Deus autem immutabilis eſt: *Ego Dominus & non mutor*: vt ergo Eccleſia Catholica oſtenderet nulla ratione diuidendam eſſe diuinitatem ab humanitate Chriſti, D. Ioan. Ioanne dicente in ſua prima Canonica cap. 4. *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt*, ideo Euangeliſta plura commemorante, quæ ſolius Chriſti humanitatem indicabant, totidem Eccleſia ipſa in Introitu adiecit, quæ diuinitatem eius apertiſſime oſtenderent, vt ſic Chriſtus Dominus, Deus pariter & homo prædicaretur.

Secundo affirmo, quod tametſi prima facie ſacer Euangeliſta de ſola Chriſti humanitate videatur locutus, diuinitatis tamen eiuſdem non obſcura argumenta indicat; verba namque Chriſti: *Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*, D. Luc. 2. omnes Patres Cyrillus, Alexandr. D. Cyrillus. Diuus Gregorius Emiſſenus, D. Epiphanius, D. Greg. Emiſ. D. Epiphan. Titus Boſtrorum Epiſcopus, Timotheus presbyter, Venerabilis Beda, Aymõ, Titus Boſ. Timoth. Beda. Theophilactus, Euſebius, Euthymius, & Aymon. Theoph. Lyranus vnanimi conſenſu docent idque Euſeb. certiſſimũ eſt, Chriſtum Dominum locu- Euth. tum fuiſſe de Patre cæleſti, & naturali, nõ Lyran. de Ioſepho putatiuo, ſequuti in hoc antiquiſſimum Origenem, qui in commentario Orig. huius loci aſſerit, ex hoc loco conuinci hæreticos, perperam negantes Chriſti Domini diuinitatem: verba Origenis hæc ſunt: *Primum ſimpliciter ſentientes armemur aduerſus impios hæreticos, qui dicunt, non eſſe conditorem Patrem Chriſti Ieſu, neque Deum legis, ſed neque Prophetarum. Ecce Pater Deus Templi aſſeritur. Erubeſcant Valentiniani audientes Ieſum inquientem: In his quæ ſunt Patris mei, oportet me eſſe erubeſcant omnes hæretici &c.* hactenus Origenes. Luca 2.

Obſeruatione etiam ad idem dignum eſt, quod Chriſtus Dominus ad maiorem ſuæ diuinitatis manifeſtationem, opponit parentibus ſuis Patrem æternum: quaſi diceret: vos dicitis: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: at ego, cum Patrem Deum habeam in cælis, cuius filius naturalis ſum, habeo alia eius negotia, quibus me incumbere oportet. Non ſolum autem in hoc Euangelio diuinitatẽ Chriſti, ſed & veram humanitatẽ contra Manichæos, & alios hæreticos, video comprobatam, dum de illo ait Diuus Lucas. Ibidem. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*: ecce quomodo ille cuius egreſſus eſt a diebus æternitatis, & de quo Ioannes intonuit: Ioan. 1. *In principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum*, & qui de ſeipſo dixerat: Ioan. 8. *Antequam Abraham eſſet, ego ſum*, nunc variabili, & caduca noſtri temporis menſura metitur, annis, menſibus, diebus, & momẽtis menſuratur. Olim apud antiquos, (vt author eſt Henricus Eſcualen in ſuis Aphoriſmis Hẽricus Eſcualen. lib. 14. num. 3.) ſymbolum temporis fuit ſerpens caudam ſub gutture attractam occultans, ſignificare volentes per hoc

quod

Digitized by Google

quod quemadmodum anguis in longitudinem porrigitur,& multis circulis, ita & tempus protenditur, & multitudine dierum, annorumq́ue conſtat: per occultationem verò caudæ ſub collo, indicabant occultum eſſe,quid ſit tempus his,qui tempore menſurantur. Verùm cum Chriſti Domini ſcientiã nihil lateret,manifeſtum eſt, ſymbolum illud temporis quo ipſe menſurabatur, in integrum illi non conuenire. Sed & minus etiã ei quadrare poteſt illud aliud ſymbolum, cuius & idem
Idem Henric. author meminit lib.42.numero 4.vbi ait: *falcem in manu Saturni Hieroglyphicum fuiſſe temporis*,quia tempus cum rerum ſit edax, omnia falce ſua demetit, & conſumit: *at cum Chriſtus maneat in æternum*, etiam morte intercedente,non potuit perſonam eius demetere,quæ immutabilis erat,& nulli corruptioni obnoxia. Hæc licet ita ſint, tamen ſicut quondam Eliſeus
4.Reg.4. 4.Reg.4. quãuis alioquin tantus Dei Propheta puerum a mortis ſomno excitaturus,ſeipſum puerilibus membris attemperauit,& corpuſculo tãtillo molem ſui corporis ita adaptauit, & commenſurauit, vt os ori, caput capiti, manus manibus pueri adhærerent; ita æternus Dei filius, noſtra carne indutus,ita ſe illi contemperauit,vt inquantum homo eadem menſium,& annorum temporali,& caduca menſura,qua natura humana menſuratur,mẽſurari non dedignaretur,vt inter nos homines, velut vnus ex nobis conuerſari poſſet. Deinde Spiritus ſanctus per Eccleſiaſticũ dixerat:
Ecclеſ.20. *Sapientia abſcondita,& theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* ſicut enim nummus non eſt factus, vt ad perpetuum arcæ carcerem damnetur, ita nec ſapientia cælitus eſt data, vt ſemper maneat in latebris. Vnde Plutarchus lib.3. Sympoſ. re-
Plutarch. fert ſapientem Philoſophum cuidam viro multum ſilenti dixiſſe: *Si fatuus es,ſapientis opus facis; ſi ſapiens, fatui:* quo nõ obſcure ſignificauit, oportere ſapientiam debito tempore manifeſtari. Cum igitur Chriſtus Dominus eſſet ſapientia Patris,
Ad Coloſ.2. vt D.Paulus dixit de illo: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ Dei:* cum etiam de eodem Iſaiæ oraculum cap. 11.
Iſa.11. vaticinaretur: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus* cum reliquis donis Spiritus ſancti,nõ obſcurè adumbratis in lapide illo, de quo Zacharias 3. *Super lapidem vnum ſeptem oculi ſunt:* hoc eſt,ſuper Chriſtum,lapidem *Zach.3.*
angularem (vt loquitur Dinus Paulus) ſeptem Spiritus ſancti chariſmata deſcendent,& cum primam, nec modicam vitæ ſuæ partem ſilẽtio,humilitati,& obedientiæ conſeruaſſet; ne tamen, tàm inopia ſcientiæ,ac poteſtatis id contingere,quàm voluntate, ac arbitrio eius homines cogitarent, putauit ſibi Chriſtus (vt Epipha- *Ad Ephe.2.*
nius, & Cyrillus indicant) in illa adhuc infirma, teneraq; ætate argumentum aliquod edendũ ſapientiæ ſuæ,quo illius tam longo tempore ſilentium,amplius veneraremur, & viam pararet ad doctrinam ſibi in futurum iam grandiori facto prædicandam:ac tandẽ ex geſtis illius in puerili hac ætate conicctarent, illum audientes, quãtus in poſterum futurus eſſet Doctor: vt enim ait Sapiens: *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius.* *D.Epiphan. hæreſ. contra Ebionitas. D.Cyril. lib. Theſauri 7.* *Prou.20.*

Pontanus libro 1.cap.8. de Alexandri magnanimitate commemorat, inter alia ſuæ generoſæ indolis,& animi virilis inditia,in puerili ætate ab eo exhibita, illud eſſe ſingulari memoria dignum, quod interrogatus, *an placeret ei in certamen currendi venire, cum velociſſimus eſſet?* ipſe reſpondit. *Si certaturi ſunt Reges veniam*; Cupiebat equidem, prout erat magnanimus, non viles, ſed excellentes candidatos vincere,vt ſic maior, & illuſtrior eſſet ſuæ victoriæ gloria: non ſecus puer Ieſus in certamen literarium vocatus a Patre (vt ipſe inſinuauit) *neſciebatis, quia in his,quæ Patris mei ſunt,oportet me eſſe?* annuit, dummodo in certamen illud venirent omnium doctiſſimi, & peritiſſimi, vt ſic palma,quam de illis reportaret, ſplendidior & glorioſior eſſet, prout reuera contigit: puer enim duodecim annorum ſupremos Satrapas,ac peritiores magiſtros Ieroſolymitanæ illius Academiæ in enodandis ſacris arcanis publice ſuperauit; vt in perſona eius Regius vates prædixerat: *Super ſenes intellexi.* *Pontanus.* *Lucæ 2.* *Pſal.118.*

Narrat etiam Plutarchus in vita eiuſdem Alexandri (quod ad idem argumentum mirifice facit) quod cum equus quidam,quem Rex Philippus eius pater multis auri talentis emerat,adeò petulans, & indomitus eſſet, vt nullum ſibi inſidere permitteret,adeoque timidus, vt ad aſpectum propriæ vmbræ continuò expaueſceret, *Plutarcus.*

Digitized by Google

ſceret, id puer Alexander Patri ſuo referri audiens, virili animo irruit in equum, & faciem illius verſus radios ſolis conuertens, ita vt non poſſet propriam vmbram intueri, ſuper illum ſumma dexteritate, & fortitudine conſcendit, ac effrænem equi petulãtiam compeſcuit, & domauit: quod lętãter vidẽs Pater eius, ad eũ dixit: *Quære fili mi, aliud Regnum, quia Macedonicum exiguum eſt tibi*: non diſſimiliter Phariſæi, & Satrapæ Ieroſolymitani, equi erãt feroces, effrænes, & indomiti, multos præci
Act.8. pitauerant, vt Actorum 8. legimus: *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?* nunc autem puer Ieſus inſtar magnanimi Alexandri conuertens faciem illorum verſus ſe, tanquam in ſolem Iuſtitiæ, radios ſuæ doctrinæ emittentem, ita feritatem, ac ſuperbiam illorum repreſſit, vt intricatiſſimos difficultatũ ſacræ Scripturę nodos, ab vno puero diſſolui ipſis ſilentibus non moleſte ferrent.

Huius mirabilis, ac ſtupendi operis a Christo Domino patrati varias Imagines illud adumbrantes in ſacris literis reperio obſcruatione digniſſimas. Nam in primis Salomon qui typum Chriſti Domini geſſit lib. Sap. cap. 8. his verbis hoc totum opus
Sap.8. delineauit: *Habebo* (inquit) *honorẽ apud ſeniores, iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu Potentium admirabilis ero: & facies Principum mirabuntur me. Tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent*. hæc Salomon, ſed ecce,
Matth.10. *pluſquam Salomon hic*; quẽ ſapienter adeo loquentem experti ſunt doctiſſimi illi Ieroſolymæ Rabbini, *vt ſuper prudentia, & reſponſis eius admirarentur, & ſtuperent*,
Luca 2. vt ait Euangeliſta, ac manus ori ſuo imponentes obmuteſcerent, ſuoque ſilentio & admiratione puerum laudarent, multumque honoris ei deferrent. Sed & in eo etiã Salomon ſapiẽtiſſimi huius pueri figuram geſſit, quia ſicut Ieſus cum eſſet duodecim annorum, ſapientiam ſuam inter Doctores oſtentauit; ita id adumbrans Salomon duodecimum annum attingens (vt
D. Hieron. docet D. Hieronymus epiſtola 13.) iudicium illud celebre inter duas meretrices tulit, quo ſapientiæ ſuæ manifeſta inditia exhibere cæpit.

Deinde libro Danielis cap. 13. legimus
Daniel. c.13. quod Daniel iuuenis, cum inſtar aliorum puerorum nullum ſapientiæ ſpecimen dediſſet, duodecimum tamen annum agens (vt Sanctus Ignatius vult epiſtola ad D. Igna. Mar.
Magneſianos, & obſeruat Seuerus Sulpitius lib. 2. ſacræ hiſtoriæ) ſenes illos laſci- Seuer. Sulp.
uos Babylonis caſtitati Suſannæ inſidiantes prudenter iudicauit, & ad mortem damnauit: vnde illi dictum fuit a ſapientibus, & ſenibus: *Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi dedit Deus honorẽ ſenectutis*. Daniel puer duodennis Chriſtum Dominum ſignificat, *cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*;
ſapientes Babylonis, Sacerdotes denotãt, Luca 2.
& Doctores Iudæorum: *Babylon* enim *confuſio* interpretatur; apud Iudæos autem omnia tunc confuſa, & implicata eranr, eò quod cæleſtibus præponebant terrena, & derelicto Deo adhærebant diabolo iuxta
illud: *Vos ex patre diabolo eſtis*. Vnde, & Ioan 8.
ipſis vox illa aptè conuenit: *confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos*. Quod autem Pſal.52.
Daniel interpretatus eſt ſomnia Regis, duo ſignificat, Tùm quod Chriſtus vos diuites huius ſæculi ſomniãtes, & blandientes vobiſmetipſis longam vitam habituros, & tamen in puncto ad Inferna deſcen-
ditis, monet, vt vigiletis, *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam*: Tum (quod no- Matth.
ſtro argumento inſeruit) ipſe inſtar Danielis ſacratiſſima diuinæ Scripturæ arcana multo magis curioſa quã Nabuchodonoſoris ſomnia ipſis legis Doctoribus ſapiẽter in templo aperuit. Vnde meritò ei conuenit illud Ezech. 28. *omne ſecretum non* Ezech.28.
eſt abſconditum a te.

Quid plura? Dauid ad viuum in multis Chriſtum Dominum expreſſit, præcipuè tamen in duobus, quorum meminit ſacer Euangeliſta: nam ſicut de Chriſto ille teſtatur, creuiſſe ſapientia, & ætate, ita
2. Reg. 3. dicitur, *Dauid erat proficiens, &* 2.Reg.3.
ſeipſo robuſtior: & ſi de Chriſto Lucas re- Luca 2.
fert fuiſſe *in medio Doctorum*: ità de Da- 2.Reg.23.
uid ſcriptum eſt: *ſedit in Cathedra Dauid ſapientiſſimus inter tres*. Quid, quòd Ioſeph adoleſcentulus ſomnijs ſuis diuinitus infuſis non ſolum fratres, ſed & ipſum patrem Iacob, & matrem ſuam in admirationem, & ſtuporem rapuit? certè id nihil aptius delineare potuit, quàm ſapientiam a puero Ieſu in Templo manifeſtatã, quæ adeò præfulſit, vt ſacer Euangeliſta dicat; *ſtupebant autem omnes, qui eum audiebant*,

Digitized by Google

immo, & de Parentibus eius, Maria, & Ioſepho affirmet: *Videntes admirati ſunt.*

Verùm quidam non immerito interrogant: quomodo cum ad modeſtiam adoleſcentium pertineat ſilentium, & maximè inter ſeniores, vnde Salomon Eccleſ. *Eccleſ. 32.* 32. dixit: *Adoleſcens loquere in cauſa tua vix cum neceſſe fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul, & quærēs:* ſubdit. *In medio Magnatorū non præſumas: & vbi ſunt ſenes, non multum loquaris.* Hinc Eliù ſapienter dixit *Iob 32.* Iob. 32. *Iunior ſum tēpore, vos autem antiquiores; idcirco demiſſo capite veritus ſum vobis indicare meam ſententiam. Sperabam enim, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam*: ecce modeſtiam Eliù adoleſcentis: quomodo igitur Chriſtus duodennis in publica Academia coram cætu ſeniorum de ſecretiſſimis arcanis loquitur? Reſpōdeo, id nulla ratione præſumptioni, aut puerili audaciæ tribuēdum eſſe, quia (vt author *D. Ambroſ.* eſt D. Ambroſius ſuper epiſt. 1. ad Corinth. cap. 4.) in more poſitum erat apud Hebræos, vt vulgares etiam auditores cuiuſcumque conditionis, aut ætatis eſſent dubia quæ ſibi ſe offerebant, interrogarent, & ad interrogatà reſponderent. Addo deinde nō eſſe contra officium, & ſubiectionem adoleſcentium, vt in propria cauſa debita adhibita reuerentia, inter ſapientes & maiores natu loquantur. Vnde, cum inter Doctores in templo congregatos, altercatio orta eſſet de lege, quæ multum per omnem modum ad eum pertinebat, quia illius author, & inſtitutor fuerat, idcirco abſque præiudicio debitæ modeſtiæ & ſilentij, quod adoleſcentes profiteri debent, potuit puer Ieſus inter Seniores illos palàm loqui maximè, quia ipſe partes diſcipuli egit, ætatis ſuæ rationem habens, licet alioquin re vera eſſet omniū Archimagiſter, vt ſic omnibus præberet humilitaris exemplum, & ne illis pluſquam par erat, ſibi arrogare videretur. Interrogauit autem eos, non vt diſceret, ſed vt audiret, vel potius erudiret; nam interrogatio, etſi diſcentis eſſe videatur, aliquando verò docentis eſt; & ſapienter interrogare eſt inſtruere: immo ſapiens interrogatio aliquando eſt fortiſſimum veritatis argumentum, quo etiam aduerſarij conuincuntur. Cum enim Chriſtus Dominus ex vna parte modeſtiam ætati conueniētem conſeruare vellet, ex altera autem erudire, & veritatem inducere, interrogatione vſus eſt, quæ vtrique deſeruit, nam docet cum diſcere velle videatur. Vnde ingenioſe Origenes homilia 19. *Origen.* *Interrogabat,* inquit, *Magiſtros non, vt aliquid diſceret, ſed vt interrogans erudiret; ex vno quippe doctrinæ fonte manat, & interrogare, & reſpondere ſapienter; & eiuſdem ſcientiæ eſt ſcire quid interroges, quidvè reſpondeas.* Vbi addit tertiam cauſam: *Oportuit*, inquit, *primum Saluatorem eruditæ interrogationis magiſtrum fieri, vt poſſet interrogationibus reſpondere iuxta rationem Dei, atque ſermonem.* Hæc ille.

Illud autē non pauci interrogant, quænam fuerit materia interrogationis, quam Chriſtus Dominus fecit Senioribus, & quod ſubiectum illius diſputationis? *Euthym.* Euthymius, & Titus Boſtrorum Epiſcopus *Titus Boſtrē.* ih caput ſecundum Lucæ, reſpondent diſputationem illam fuiſſe de legalibus, & ijs, quæ ad ritus, & ſanctiones legales pertinebāt. At Diuus Hieronymus putat fuiſ- *D. Hier.* ſe de quęſtionibus Legis, vnde epiſtola ad Paulinum, inquit: *Duodecim annos Saluator impleuerat, & in Templum ſedens de quæſtionibus legis interrogans magis docet, dum prudenter interrogat.* Cardinali au- *Card. Tol. hic.* tem Toleto, & alijs non paucis viſum eſt, multum veriſimile eſſe diſputationem illam fuiſſe in ſpeciali de aduentu Meſſiæ, & alijs quæ ad ipſum ſpectabant. Chriſtus enim hoc ſuo facto intendebat, eos inducere ad inueſtigandas Scripturas de Chriſto, vt ſic diſponerentur ad recipiendum, & confitendum eius aduentum, quod ipſe Dominus in principio fere ſuæ prædicationis præſtitit. Quando enim in Patria ſua intrauit in Synagogam (vt refert D. Lucas cap. 4.) *Luc. 4.* *Surrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me.* Et meritò quidem de Chriſto ſermo iſte habitus eſt, qui totius legis, & Prophetarum finis erat.

Id etiam obſeruandum, quod Orige- *Origen.* nes homi. 19. dicit: *Quia paruulus,* inquit, *erat, inuenitur in medio non eos docens, ſed interrogans, & hoc pro ætatis officio, vt nos doce-*

Google

doceret, quod pueris, quamuis ſapientes, & eruditi ſint, conuenit, vt audiant potius Magiſtros, quàm docere deſiderent, & ſe vana oſtenſione non iactent. Atque hæc eſt præcipua cauſa, cur īterrogatione ſit vſus. D.Greg.Mag. Altera eſt, quam tradit Gregorius homil. ſecunda, in Ezech. & 3. par. Paſtor. admonit. 26. *Vigilanti*, inquit, *conſideratione penſandum eſt, quod cum Ieſus duodecim annorum dicitur in medio Doctorum ſedere, non docens, ſed interrogans inuenitur; quo exemplo oſtenditur, ne infirmus docere quis audeat. Si ille puer exterius doceri interrogando voluit, qui per Diuinitatis potentiam, verbum ſcientiæ ipſis Doctoribus miniſtrauit:* cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen,

Homilia IX.

Variæ proponuntur cauſæ, ob quas Chriſtus Dominus voluit manere in Jeruſalem, in illa verba. Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem.

CVM Chriſtus Dominus nō errore, nec caſu (vt aiunt) fortuito, inſtar aliorum puerorum, ſed ſummo conſilio, quia *Sapientia Patris* erat, in Ieruſalem manere decreuerit, parentibus dimiſſis, pios animos pulſat deſiderium agnoſcēdi rationes & cauſas, quæ ad id faciendum illum impulerint. Et quidem ab illis exordiens ob quas elegit manere in Ieruſalem, Euangeliſta dicente: Luca 2. *Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem:* illam ſingulari obſeruatione dignam primo loco appono, quod conſulto Ieroſolymæ remanere voluit, vt in eadem vrbe, in qua multis iniurijs afficiendus, ac turpiſſima Crucis morte mulctandus erat, omnes illas contumelias, & cruciatus prius animo reuolueret, & ruminaret. Leuit. 11. Præceperat enim Deus olim animal, quod non ruminaſſet, minimè in ſacrificio ſibi offerri, ſi tamen ruminabat, & vngulam diuiſam habebat, pergratum illi erat ſibi mactari. Vtraque hæc conditio neutiquam potuit deſiderari in Chriſto Domino, vt hoſtia, quam in Ieruſalem æterno Patri in ara Crucis oblaturus erat, pergrata ei exiſteret, etenim ruminabat, cum multo ante tempore animo ſuo verſans ſacrificium, quod a ſe offerendum erat, illud attentiſſimè perpenderet. Immo non infimi nomini interpretes arbitrantur, ipſum tanquam præludium futuri agonis, agentem adijſſe hoc triduo hortū Gethſemani, vbi ſanguinem viuum erat effuſurus præ anguſtia futuræ pugnæ. Recogitaſſe etiam ibi a Diſcipulo perfido tradendū; veniſſe etiam in domos Principū Sacerdotum Herodis, & Pilati, a quibus erat condemnandus, & illudendus. Habebat in illa puerili ætate diuiſam vngulam, hoc eſt, diſcretionem, & ſapientiam maximā. Vngula enim diuiſa diſcretionis eſt ſymbolum, quemadmodum obſeruant Origenes homil. 7. in Læuiticum, & D. Hieronymus in Pſal. 95. D. Auguſtinus homil. 45. Iſychius in hūc Leuitici locum. Origen. D Hier. D. Aug. Iſichius. Ratiocinabatur igitur, & philoſophabatur hæc omnia, animo ſuo illa reuoluens. Vnde, & Templum Ieroſolymitanum ingrediens conſiderabat inſpectis ſacrificijs in eo oblatis, quemadmodū illa animalia ſic ipſius eſſent vmbra, & imagines; & quod non multo poſt tēpore, iā non vitulus, agnus, colūba, aut taurus, & ſimilia immolāda forent, ſed ipſemet futurus eſſet victima. Videbat ſe quaſi iugulari in agnis, immolari in vitulis, & in oībus ſacrificijs offerri, quod ſolus filius, & parentes eius penetrabant, eo quòd tūc Ieſus duplici velamine tegebatur, inde velamine literę, hinc carnis pariete, iuxta illud Spōſæ Cāticorum 2. Cant. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrū reſpiciens per feneſtras proſpiciēs per cācellos.* Oculi enim eius erāt velut cancelli per quos corporaliter Verbū diuinum, quod in carne illa latebat, quę foris fiebāt intuebatur. Vnde videtur mihi quod ſicut Princeps anteaquam bellum aggrediatur, arma ſumit, galeam, thoracem, loricam, & alia id genus, ſuoq; corpori ea adaptat, vt experiatur, quomodo ſibi congruāt; deinde locū certaminis equo ſuo inſidens perambulat, diligenterq; omnia perluſtrat, vt poſtea tempore congreſſus cum hoſte melius, ac facilius dimicet: ad eundē modum filius Dei ſub humana carne latēs, hoc triduo arma agonis ſui mente tenus ſuſcipit,

& ſpe-

& ſpeciali ac meditatione in proprio loco certaminis,quomodo ſibi couenіant,probat; & equũ corporis ſui exagitat in eiſdẽ locis, in quibus poſtea reipſa cruentiſſimum bellum eſt aggreſſurus.

Iam ſecundã cauſam adiungo, ob quã voluit Chriſtus Dñs Ieroſolymis, relictis parentibus manere: vt & magnitudinem amoris,quo nos proſequebatur, patefaceret:&,vt,quod ipſe nobis faciendum præceperat,ipſe prius opere cõpleret; vt enim dixit D.Greg.lib.6.in c.8.Lucæ: *Magiſter qui de ceteris præbet exemplum, atque ipſe præceptor,ipſe etiã ſuorũ exequutor eſt præceptorum.* Dixerat certe à conſtitutione Mundi,Gen.2. *Propter hanc relinquet homo patrem ſuum,& matrem ſuã, & adhærebit vxori ſuæ.* Super quæ verba D. Paulus ad Eph.5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autẽ dico in Chriſto,& in Eccleſia:* reliquit Chriſtus patrẽ,non diſcedens tamẽ ab eo, quatenus qui in forma Dei erat,forma ſerui aſſũpta,ſe ipſũ exinaniuit, vt ait Apoſt. ad Philipp.2. & ab ipſo etiam propè mortem,voluit derelinqui: *Vt quid dereliquiſti me?* Reliquit quoq; matrẽ, ab ea ſe ſubducens;& licet multũ doleret, tùm de abſentia matris quã tenerrimè diligebat,tùm de mœrore,quo vehementer Marianũ cor ſauciandum fore præuidebat; vt noſtræ rñ ſaluti impenſius incũberet, & ardentẽ ſuũ erga nos amorem oſtentaret, chariſſimam etiam matrẽ reliquit. Relicto verò vtroq; parente,vxori conſtanter adhæſit, nimirũ Eccleſiæ Carholicæ,quã ſibi copulaturus, tanquam ſponſus de thalamo ſuo proceſſerat. *Et adhærebit vxori ſuæ.*

D. Greg. lib. 6. in 8. Luc.

Gen. 2.

Ad Eph. 5.

Ad Philip. 2.

Matth. 27.

Tertiam cauſam appono: nimirum ea propter cõſultò Chriſtũ Dñm Ieroſolymis manſiſſe,vt in Tẽplo, quæ propria domus Patris erat, ibidẽ eiuſdem Patris negocia perageret. Dauid Pſ.67.ait: *Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*: per *Beniamin*,qui paruulus erat,intelligunt nõnulli paruulã Tribũ Beniamin: ob paucitatem hominum, quia funditus deleta fuerat ob ſtuprũ Gabaonitarũ,vt habetur lib.Iud. c. 20.ex hac Tribu(inquiunt) quãuis parua, veniunt nonnulli etiã ad Templũ Eccleſię & ideo ait: *ibi Beniamin adoleſcẽtulus.* Alij per *Beniamin,adoleſcentulũ* intelligunt D. Paulũ à Deo vocatũ,qui erat de tribu Beniamin, *in mentis exceſſu*,& extaſi, vſq; ad tertiũ Cœlum raptum per altiſſimam contemplationem. Sed, cur non accomodatè hæc dicemus de noſtro Beniamin Ieſu paruulo,annorũ duodecim? Beniamin, Deut. 33. *dilectus* dicitur à patre tereno,& Ieſus à Patre cœleſti, *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplaui.* Beniamin interpretatur, *filius dexteræ*; & Chriſtũ Dauid vocat,dexterã Patris: *Dexterũ tuã ſic notã fac.* Quod ſi maior pars venit ad Beniamin,Gen.43. Ioannes etiã ait de Chriſto: *Ecce totus mundus poſt eũ abit.* Quòd ſi tãdem in Eccleſia inuenitur Beniamin; *ibi Beniamin in mentis exceſſu*; etiã Ieſus in Templo adeſt in mentis exceſſu, quæ ſunt Patris obnixè quærens;ſicut ipſe matri dixit: *in ijs,quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe.* Quibus verbis,præcipuam meo iudicio cauſam detexit, ob quam Ieroſolymis manere decreuit.

Pſal 67. verſ. 30.

Iud. 20.

Deut. 33.

Matth. 17.

Pſal. 89.

Gen. 43.

Luca 2.

Porrò ad cauſas commemorandas, ob quas inſcijs parentibus, voluit Ieſus in tẽplo manere,ſermonem conuertamus. Cùm enim potuiſſet ibi permanere, ſuæ volũtatis illos certiores faciens, & noluerit, non poteſt non aliquid myſterij in eo latere, quod illis ignaris id præſtiterit, maximè, cùm ob id parentes ſummo dolore cruciãdos certò agnoſceret. Euthym. & Græcus ille auctor in Cat.D.Thom.in Comment. huius loci,affirmant,diuina prouidentia factum fuiſſe, vt Chriſtus Dominus,ignorantibus parentibus manſiſſet in Ieruſalem:quia,ſi id nouiſſent, prohibuiſſent illum: aut ſi illis morem non geſſiſſet,videretur inobediens. Sed hæc cauſa mihi non probatur: quia cum agnoſcerent ſub humana Chriſti carne latere perſonam verbi diuini,ſine dubio,voluntati eius remanendi in Ieruſalem, ſe conformaſſent. Qua etiam ratione confutatur illud, quod ſi morem eis non geſſiſſet, videretur eis inobediens: nam cum firmiſſimè crederent Deum eſſe, non poterant inobedientiæ culpam ei aſcribere.

Euth. Cat. D. Tho.

Cardinalis Toletus in hunc locũ annotat.69.& Mald.ibi.§.ad tertiã queſt. arbitrantur Chriſtũ Dominũ clam parentibus in Ieruſalẽ remanſiſſe,vt oſtenderet,alium ſe habere Patrem, cuius negocium abſque eorum cõſultatione agere debebat. Quod vt melius intelligatur, obſeruandum eſt, duo genera operationum fuiſſe in Chriſto Domino;quædam erant communes, quas inſtar ceterorum hominum operabatur,vt parentes adiuuare, & varia obſequia illis exhibere; quædam verò erant propria ipſius

Card. Tolet. Maldonat.

ſius quatenus redemptor, vt miracula facere, verbum Dei diſſeminare, ſaluti hominum attendere. In primis operationibus ſubdebatur parentibus, nõ neceſſitate, ſed voluntate; in ſecundis verò ſolũ erat ſubiectus æterno Patri. Voluit ergo neſcientibus parentibus remanere in Ieruſalem, vt, qui in multis illucuſq; parentibus obedierat, ſignificaret ſe habere quædam alia negocia, in quibus non ipſis ſubdebatur, & quæ rectè exercere poterat ipſis inconſultis. Atque ex eadem cauſa non malè iidẽ Authores arbitrantur, quòd non expectauit ad ætatem adultam, vt hoc faceret; ſed cum duodecim annorum eſſet, id effecit, quia hoc tẽpus eſt, quando maior eſt obedientia filiorum ad parentes: antè enim duodecimum annum, puerorum opera sũt velut infantię, quæ nõ ducitur perfecto arbitrio, ſed velut neceſſitate quadam; idcò non apparet perfecta obedientia in illis: at cum in duodecimo anno arbitrium perfectum eſt, & obedientia eo tempore perfecta eſſe poteſt. In adultis autem viget quędam libertas, qui quaſi iuris ſui ſunt in multis: electũ ergo eſt tempus hoc, in quo magis obedire debere videbatur, vt oſtenderet ſe in his, quæ propria habebat, non ſubdi parentibus, ſed Deo, cuius erat filius. Scio etiam alijs placere, Chriſtum in ætate ſua puerili ſpecimen aliquod diuinitatis ſuæ prębere voluiſſe, ne poſtea annos natus triginta, nullo dato ante ſapientiæ ſuæ documento, de improuiſo ad docẽdũ prodijſſet, homines magis admirarentur, quàm crederent: nam ſi hac ſapientiæ ſuæ oſtentatione facta, cum eſſet puer, poſteà nihilominus dicebãt Iudæi: *Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? & quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* (Matth. 13. Ioan. 17.) in multò peiora, ſi nullum vnquã ſuæ ſapientiæ in pueritia inditium exhibuiſſet, prolapſi eſſent. Id autem duodecimo ætatis anno facere conueniebat, quo potiſſimum tempore incipit puerorum ingenium apparere, & capeſſendis literis aptum eſſe.

Accedit ad hæc, cauſa quędã moralis, obſeruatione digna. Arbitror enim, ideò Chriſtum Dominum voluiſſe inſcijs ſuis parentibus, & abſq; vlla eorum facultate non ſolũ obtenta, ſed neq; petita, ab eis ſe elongare, & in Ieruſalẽ Ciuitate ſanctâ remanere; vt hoc ſalutare documentũ iuuenibus, & adoloſcentibus ſuo exẽplo præberet, ne cum ad Religionis ſtatũ properare contendunt, deſideria ſua Parentibus, & conſanguineis patefaciant, maximè cũ propoſitum ſuũ impedituros prædorauerint; ſed ipſis ignorantibus de ſæculi huius fluctuoſo, ac turbulento mari ad ſecurum Religionis portum cõfugiant. In cuius rei confirmationem, Deut. 33. lego verba illa omni acceptione digna: (Deut. 33.) *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos, & fratribus ſuis: ignoro vos, & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquiũ tuũ, & pactũ tuum ſeruauerũt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuã ô Iſrael.* hæc enim ignorãtia, qua neſciũtur, & ignorãtur ſanguine propinqui, ſcientia eſt mirabilis apud Deũ. vt enim dixit Gre. (D. Gregor. 7. Moral. c. 14.) *Ille ſcire Dñm familiarius appetit, qui præ amore pietatis neſcire deſiderat quos carnaliter ſciuit: graui etenim dãno ſcĩetia diuina minuitur, ſi cũ carnis notitia partitur.* Immò, non ſolũ ignorantibus parentibus, verũ etiã prohibentibus, licet ei Religionis ingreſſus: quia dũ Chriſtus nos vocat, ãbnegandi ſunt parentes, dũ vocationẽ noſtrã impedire ſatagunt; quod quidẽ eis mirandũ non eſt, vt ait S. Aug. epiſt. 38. ad Læt. (D. Aug. ep. 38 ad Læt.) quia Deus, qui præcepit, vt eos ꝓpter ipſũ odio habeamus idẽ nobis de anima noſtra præcepit, dicendo: *Si quis venit ad me, & non odit patrẽ ſuũ, & matrẽ ſuã, adhuc autẽ, & animã ſuã non poteſt meus eſſe diſcipulus.* S. Hier. epiſt. 1. ad Heliod. admonẽs (D. Hier. ep. 1. ad Heliod.) quandã nobilem fœminã, vt filiam ſuã in pudicitia, & caſtitate conſeruet, ait ad eã. *Contriſtabitur pater, ſed lætabitur Chriſtus; lugebit familia, ſed Angeli gratulabuntur; faciat pater quod vult de ſubſtantia ſua: nõ es eius, cui nata es, ſed cui renata, & qui te grandi precio redemit ſanguine ſuo.*

Vltima tãdẽ cauſa moralis, ob quã Chriſtus Dñs inſcijs parentibus remanſit Ieroſolymis, religioſas perſonas concernit, nimirũ, vt ipſe exẽplo ſuo nos informaret, vt quemadmodum ipſe ad vacandũ impenſius rebus diuinis à Patre ſibi commiſſis, à propria matre ſe aulſit, quæ tamen nihil impedimento ei eſſe poterat; ita nos a congreſſu parentum, & propinquorum, qui multum nobis obeſſe ſolent, ſedula diligentia abſtineamus, & carni, & ſanguini minime acquieſcamus: ſed ſicut ipſe fuit verus Melchiſedech ſine patre, & ſine matre, & ſine geneologia; nam tanquam Patris vnigenitus omni ſanguinis cognatione caruit; & quatenus homo ex Virgine natus à patre mortali nihil accepit.

Digitized by Google

cepit: vnde & talem in terris ſe geſſit, vt nec matrem quidem Mariam, nec regiam genealogiam, neq; aliquos cognatos ſuos agnoſcere videretur: vocatus enim à ma-
Matth.12. tre,& cognatis,cõtinuò dixit: *quæ eſt mater mea,& qui ſunt fratres mei?* ità ad imitationem ſui, nos vult Dominus ablactatos eſſe a lacte,auulſos ab vberibus matris & omni ſanguine expoliatos, ac veros Melchiſedech imitatores,abſq; patre,matre, & genealogia ſecundum affectum.

Dico notanter: *ſecundum affectũ*: quia hæc elongatio à parentibus,& conſanguineis non ſolùm facienda eſt abſentia corporali,ſed præcipue ſpirituali, hoc eſt, intimo ſpiritus affectu: nam qui ſolo corpore parentes,& cognatos deſerunt, ſimiles ſunt Abſaloni propter fratricidium Amonis propriam patriã deſerẽti, & in Alienigenarum terram tranſmigranti: vt legimus
2.Reg.14. 2.Reg. 14. Sicut enim iſte ſola præſentia corporali paternã domum,& amicos reliquerat,breui tñ tempore ad amatã patriã redire voluit, quod vt breuius conſequeretur, non erubuit ſegetes Ioab ad eum venire remorantis comburere;ita qui corpore ſolum à parentibus,& fratribus recedunt,citò eorum negocijs ſe inuoluunt, & bonorum deſideriorũ ſegetes diſtractionis igne concremant. Vt ergo perfecta ſit hæc ſequeſtratio à parentibus, & cognatis, & præſentia corporalis, & affectus vitandus eſt;pręſentia quidem corporalis ad imita-
Gen.12. tionem Abrahæ Gen. 12. diuino oraculo obedientis: *Egredere de terra tua,& de cognatione tua, & de domo patris tui, & benedicam tibi*. Sicut enim canis non audet domũ ingredi, in qua vulnus accepit, nec ad illum hominẽ accedere,à quo grauiter percuſſus eſt;ita nos, qui in paterna domo iniquitatum plagas contraximus,& nõ niſi angulos,& loca, vbi miſerè deliquimus, videre poſſumus,& inter fratres,& amicos poſiti millies à diabolo percuſſi ſumus,domos eorũ fugiamus,ne ſimus canibus im-
B.Laur. Iuſt. prudentiores. Cuius ſane rei B.Laur. Iuſt. (vt in vita eius legitur) illuſtriſſimũ dedit nobis circumſpectionis exemplũ:vitã enim religioſam aggreſſus,non ſolũ adoleſcens, ſed & grandæuus,ſed & Epiſcopus factus, perpetuò à paterna domo,& ędibus fratrũ abſtinuit,ſemel illã, vt dormitioni matris intereſſet, ſemel iſtas, vt Marcum fratrem inuiſeret extremum ſpiritũ agentẽ,poſt ſu-

ſceptum habitũ Religionis intrauit. Atq; huc etiam facit,quod Gen.cap.5.dicitur: *Ambulauit cum Deo, & non apparuit,* Gen.5.
quia tulit illum Dominus: quod & D. Paulus ad Hebr. 11. dicit: quæ verba tractans Orig.homil.27.ſuper Num. & Ioan. Orig.
Caſſ.collat.3.c.7.ſic ait: *Vbi per omnes virtutes iter egerit anima,& ad ſummã perfectionis aſcenderit,tranſit ià de cœlo,& aſcẽdit,ſicut Enoch non inueniebatur; quod, etſi videatur adhuc in ſæculo eſſe, qui eiuſmodi eſt,& in carne habitare,tamen non inuenietur. In quo non inuenietur? in nullo actu ſæculari,in nulla re carnali, in nullo colloquio vanitatis inuenietur, tranſtulit enim Deus illum ab ijs, & conſtituit in Regione virtutum.* hactenus Orig. Concludo hoc ſolum dicens,quòd ſi B Virgo Chriſtum non inuenit inter propinquos,& cognatos, Luca Caſſ. Luca 2.
dicente c. 2. *requirebant eum inter cognatos,& notos,& non inueniẽtes, regreſſi sũt Ieruſalem,*fruſtra nobis blandientes, exiſtimamus inter parentes,& alios ſanguine propinquos, Chriſtum inuenturos.

Damna autem, quæ ex frequentatione Parentũ,& cõſanguineorũ, religioſam vitam profitentibus imminẽt, paucis verbis S.Ioan Clim.
perſtrinxit S.Ioann.Clim.gradu 30.de peregrinat. dicens: *Sicut impoſſibile eſt, vno oculo in cœlũ,altero in terrã aſpicere,ita fieri non poteſt,vt in his anima non periclitetur illius,qui corpore,& cognatione,ab omnibus & propinquis,& extraneis non ſe peregrinũ fecerit. Labore magno,& ingenti fatigatione mores graues, & optimos acquirimus, & quos multo temporis labore acquiſiuerimus, fieri poteſt vt vno momento temporis amittamus. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala,ſæcularia ſimul, & turpia. Qui* 1.Corint.15. ex Mandro.
poſt abrenũciationem eum ſæcularibus verſatur, ſiue iuxta illos commanet, prorſus, aut in eoſdem laqueos incidet,aut cor in eiuſmodi cogitatione inquinabit,aut certe,ſi non inquinatus fuerit,eos qui inquinantur,iudicans,& condẽnans,ipſe quoq; inquinabitur. hæc ille. Ex quibus verbis in hunc modum licet philoſophari: Si duos oculos habẽtes cœlũ, & terrã altero ſimul videre nequimus,quantò minus,ſi vnũ tantùm oculum haberemus, eodem temporis momento cælum, & terram aſpicere valeremus? At vnus animus tantum eſt nobis, vnum cor, vna volũtas,vnus affectus,quomodo ergo poſſumus eo cælum, terramq; complecti,

Digitized by Google

& nos ipſos carne, & ſpititu Deo, qui to-
tos nos petit,& parentũ,ac propinquorum
negotijs occupare? præſertim,cũ iuxta di-
Iſai. 28. ctum Iſaiæ,*anguſtum ſit ſtratum,ita, vt al-
ter decidat,& pallium breue,quod duos ope-
rire non poſſit?* Nemo quidē poteſt amicũ,
& inimicum ſequi; & familiari,& hoſti ſi-
mul aſſentiri. Vnde,nec poterit Dei,& pa-
rentũ, ac propinquorũ non tantum diuer-
ſa,verũ & contraria negotia tractare. Chri
ſtus quippe amicus noſter eſt, qui cũ Do-
minus ſit, perſonam etiam amici ſuſcipit,
Ioan 15. cũ proteſtatus eſt: *Vos autem dixi amicos.*
Parentes verò,& cognati,ſi nos ad ſuas cu
ras,& ſollicitudines pertrahãt, hoſtes ſunt
Matth. 10. manifeſti: *quia inimici hominis domeſtici
eius:* nõ ergo poſſumus Chriſti veſtigia ſe-
qui,& propinquorum noſtrorũ, qui nos a
Chriſto auellũt,negotijsq;& ſollicitudini-
bus inhęrere cogũt. Hinc æterna memoria
S. Caſſ. dignũ exemplum,(Caſſ. id referẽte collar.
24.cap.9.) inſignis ſanctitate vir, Abbas
Apollo nobis præbuit: nam cum ad illum
germanus eius intẽpeſta nocte veniſſet,im
plorans, vt de monaſterio ſuo paulisper
egreſſus,ad extrahendum bouem,quẽ cœ-
no paluſtri eminus inhęrere flebiliter que-
rebatur, ei eſſet auxilio, quia eũ ſolus ne-
quaquam poſſet eruere: Abbas Apollo per
Caſſian. ibid. tinaciter obſecranti, cur ait, *iuniorem fra-
trem noſtrum, quem præteriens propiorem,
quàm me habueras, non rogaſti?* Cumq;
ille, eum mortem olim ſepulri fratris ob-
litum,& eximia continentiæ, ac ſolitudi-
nis iugitate, velut impotem mentis exiſti-
Caſſian. ibid. mans,reſpondiſſet: *quomodo poteram de ſe-
pulchro eũ, qui ante annos quindecim obijt,
inuocare?* Abbas Apollo: *Ignoras ergo* (ait)
*me quoque ante annos viginti huic mundo
fuiſſe defunctum, nullaq; iam poſſe de hu-
ius cellæ ſepulchro, quæ ad præſentis vitæ
pertineant ſtatum, tibi conferre ſolatia?* quẽ
in tantum Chriſtus ab intenſione mortifi-
cationis arreptæ, vel modicum ad extra-
hendum bouem non patitur relaxari; vt
ne breuiſſimi quidem momenti inducias
pro patris indulſerit ſepultura; quòd mul-
tò vtiq; celerius, honeſtius, ac religiòſius
Matth. 8. fuerat exhibenda? O magnum,& mirabi-
lem virum,qui ita ex corde ſuo amorẽ pro
pinquitatis carnalem euulſit, vt nec ſemi-
horę ſpatium voluerit fratri concedere,&
ſe à religioſæ occupationis iugitate ſub-
trabere. Hoc facto Abbas Apollo increpa-
tionis, & confuſionis colaphum quibuſdã
viris religioſis impingit, qui non dicam
fratris bouem de luto extrahere,ſed dotẽ
pro ſororibus multo labore quærere,digni
tates pro fratribus ambire, facultates eo-
rum augere,ac rerum temporalium Oeco-
nomos fieri non erubeſcunt.

Ne autem quiſpiam temerè iudicet ni-
mium auſterum, atq; immiſericordẽ Ab-
batem illum erga fratrẽ ſuum ſe exhibuiſ-
ſe,cum negauerit ei officium charitatis, quod
breui tempore perficere potuiſſet; in me-
moriam quæſo reuocet, quod cum Chri-
ſtus Dominus vocauit quendam, vt ſeque-
retur ſe,& illi dicenti: *permitte mihi primũ* *Matth 8.*
ire, & ſepelire patrem meum, reſpondit qui
illum ad ſe vocabat: *Sine, vt mortui ſepe-
liant mortuos ſuos; tu autem vade, & an-
nuncia Regnum Dei.* Alius verò non voca-
tus diſciplinæ eius ſe ipſum ingeſſit dicẽs:
Sequar te, Domine, ſed permitte mihi prius *Lucæ 9.*
renunciare his, quæ domi ſunt. Ad quẽ Do-
minus: *Nemo mittens manum ſuam ad ara
trũ, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei.*
Reddit autẽ rationem D. Baſil. in conſtit. *D. Baſil. in*
monaſt. cap. 21. quare Dominus neutri *Conſt. monaſt. c. 21.*
eorum, tàm breuem erga parentem, & er-
ga res ſuas occupationem permiſit? *Atqui*
(ait) *quæ vterq; rogabat, rationi maximè
conſentanea eſſe videbãtur, ac iuſtiſſima; ſed
enim neutiquam ea Saluator probauit, neq;
vel ad punctum quidem temporis ſeiungi ab
illo cæleſtis Regni alumnos permiſit: ne ſu-
blimi illa, & cæleſti animi elatione humilius
aliquid, vel agerent, vel cogitarent, mẽte in
rerum terrenarum, fragiliumq; cogitatione
depreſſa, & aceliui. Tãquam, qui ad res cæ-
leſtes animum adiunxerant, ijs neutiquã li-
ceat, eorum qui in terra ſunt, rationem vllã
habere, vt qui iã ex ea animo emigrauerint
mentis contẽplatione altiores mũdo ſint ef-
fecti.* Verùm, qui ſe abdicat à parentibus,
cõſanguineis,& negocijs ſæcularibus, quę
illũ implicare ſolẽt, oportet nõ tantũ præ-
ſentiã eorũ corporalẽ fugere, & curas eo-
rum non ſuſcipere, ſed & affectum pariter
carnalem, quo in illos propendet, à corde
ſuo eradicare: quòd probe agnoſcens Ma-
gnus Pater Baſilius lib. 6. Conſtit. monaſt. *D. Baſil.*
cap. 21. dixit: *A propinquis autem amicis
parentibusue animi affectione nos tã longè
oportet eſſe disiunctos, quàm longe eos, qui
iam ſunt vita defuncti, à viuis videmus
diſtare: qui enim vere ſe ad ea, quæ ex vir-*
tute

Digitized by Google

tute ſunt, certamina exercuerit, mundoque, ac rebus mundanis omnibus nuncium remiſerit; quique (vt plus aliquid ditam) Mundo ſeipſum crucifixerit, is Mundo, & omnibus, quæ in Mundo ſunt, mortuus eſt, ſiue illi parentes ſint, ſiue fratres, ſiue tertium, quartumvè, aut quemuis deinceps cognationis gradum attingant, ſeu obtineant.

Quantum autem nocumentum non ſolum affectus inordinatus ad parentes, conſanguineos, & propinquos, ſed, & ſola eorũ cogitatio religioſæ vitæ inferre ſoleat, idem S. Pater Baſilius præcitato loco his verbis manifeſtauit: *Diabolus, cum omnes nos de rebus vitæ huius curas exuiſſe animaduertit, & expeditiſſimo curſu ad cælum contendere, in hoc elaborat, vt cum animum noſtrum in propinquorum recordationem reduxerit, eo ſenſim adducat, vt rationibus illorum curandis mentem noſtram, ad ſuſcipiẽdas vitæ huius ſollicitudines impellat, vt videlicet illa ſecum verſet, quæ res propinquorum ſit eiuſmodi, quaue ſe poſſint tutari, ac non: ex contractibus præterea, lucra, quæ veniant, & illorum fortunas quantopere exaugeant: ad hæc ex varijs, & fortuitis vitæ caſibus, quæ iacturæ contingant, eaque illorum rem quantopere minuant: facitque, vt ex rebus illorum ad vitæ commoditates proſperis, vnà cum ipſis lætemur, itemque ex aduerſis doleamus: ſimiliterquè, vt cum eorum inimicis pariter inimicitias geramus (& quod grauius eſt, qui iuſſi ſumus, vt inimicum neminem habeamus) & amicis contra faueamus, indignis ſæpe ſpirituali coniunctione. Præterea, vt de iniquis, ac per illorum fraudes quæſitis lucris gaudeamus, prauas denique omnes de rebus vitæ huius affectiones, quibus exhauſtis earum loco ſpirituales cogitationes induxeramus, denuo in animum nobis reducit, quo iterum ad rerum humilium, atque ſæcularium cogitationem depreſſo internum monachum perimit: fit hinc, vt veluti ſtatua ſit monachus, quæ ſolam monachi figuram circumferat; nimirum, quæ nuſquam virtutibus ſit animata.* hæc magnus pater Baſilius. Quæ, proh dolor! multi non ſolum opere exequi, ſed & audire renuunt, quia non ſunt ex illis oſſibus aridis, carne & ſanguine deſtitutis, ad quæ ſe conuertens Propheta Ezech. 37. dixit: *oſſa arida, audite verbum Domini*. Etenim, qui in Religione verſantes oſſium firmitatem induerunt, & ſe molli parentum, & cognatorum carne ſpoliauere, ij libenter, & in ſe carnis deſideria areſecerunt, ij libenter audiunt vocem Dei, & ſpiritũ perfectionis ſuſcipiunt: qui verò è contra, parentum inordinato affectu non ſunt exuti, in quibus ſanguinis feruor per affectum ad propinquos ebullit, ægre ferunt illa verba audire. Caueant ergo, ne in ſe teſtimonium habere experiantur, quòd ſint extra oues illas, de quibus dictum eſt a Christo Domino: *Oues meæ vocem meã audiunt:* ad eas verò pertineant ad quas ipſe dixit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*. Cuì ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Baſil. vbi ſup. in conſt. monaſt. c. 21.

Ezech. c. 37.

Ioan. 10.

Ioan. 8.

Homilia III.

Chriſtum Dominum duodennem ſapientiæ ſuæ theſauros manifeſtare inchoaſſe, ſingularemq; curam habuiſſe tunc, & per totum ſuæ vitæ curriculum veritatem illam docendi, quod Filius Dei, & filius hominis pariter eſſet, in illa verba: Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim: *&* *illa alia:* Et erat ſubditus illis.

Luc. 2.

INTER beneficia a ſupremo bonorum omnium largitore humano Generi collata, illud certè ſingulari acceptione dignum eſt, quod filius Dei, ſapientia Patris, magiſter & doctor noſter effici dignatus fuerit; & quaſi parum ſibi videretur per Prophetarum oracula nos docuiſſe, per ſe ipſum non eſt dedignatus cæleſti doctrina, quam a Patre accepit, ruditatem noſtram inſtruere. Meminit huius tã pręclari beneficii Iſaias cap. 33. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & non faciet auolare a te vltra docto-*

Iſa. 33.

doctorem tuum. Licet enim in Aſcenſione inſtar aquilæ, in cælum euolarit, duplici tamen ratione nobiſcum manſit; tùm tanquam Deus, & homo in propria ſubſtantia in Euchariſtiæ ſacramento, tùm etiā tanquā doctor, & magiſter in doctrina Euangelica, quam nobis ſcriptam reliquit, per quam quotidie nos docet, & erudit. Præterquam autem quod Chriſtus Dominus

Ioan. 13. Ioann. 13. diſcipulis ſuis dixit: *Vos vocatis me, Magiſter: & bene dicitis: ſum etenim;* Certè ipſe adeo charum, & pergratum habet nomen magiſtri, ac miniſterij ſui munus obire, vt ſibi ſoli illud reſeruari

Matth. 23. voluerit, dicens Matth. 23. *Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus.* Vnde & Pater æternus ad audiēdum hūc Archimagiſtrum nos ire monet.

Luca 9. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. Atque ad hoc

D. Aug. beneficiū reſpiciens magnus pater Auguſtinus lib. de quinque hæreſibus ad finem, inquit: *Gratias tibi Deus, Pater omnipotens, qui & filium tuum oſtendiſti, & mihi in Doctorem dediſti*.

Vt autem veſtra omnium corda ardenti deſiderio doctrinam huius ſupremi magiſtri audiendi accendantur, & inflammentur, non erit abs re, ſi excellentiam huius tanti doctoris ſuper omnes magiſtros varijs argumentis demonſtrem.

Primū illud ſit; id in eo valde eſſe ſingulare, quòd doceat, licet nunquam didicerit; ita vt ſit magiſter, cùm nunquā fuerit diſcipulus. Etenim Chriſtus Dominus conſiderari poteſt à nobis tanquam filius Dei, vel tanquam filius hominis: ſi tanquam filius Dei, manifeſtum eſt non fuiſſe diſcipulum, cum per æternam generationem, increatam ſcientiam a Patre accepe-

D. Ambroſ. rit. Vnde cum D. Ambroſius libro 2. de fide cap. 4. & libro 5. cap. 2. prius dixiſſet Chriſtum Dominum, vt hominem protuliſſe illa verba: *Mea doctrina non eſt mea:* ſubdit: *Iudæi, cum doctrinā eius ſecundum hominem quærerent, & dicerent: quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? reſpondit Ieſus: Mea doctrina non eſt mea, nam cum ſine eruditione literarum doceat, non quaſi homo, ſed vt Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, ſed inuenerit: adinuenit enim omnem viam diſciplinæ, & poſt*

Baruch 3. *hæc in terris viſus eſt, & cū hominibus conuerſatus eſt.* Si verò conſideretur in quantum homo; licèt certum ſit animam eius in inſtanti ſuę creationis a Verbo ſcientiam accepiſſe; hac enim ratione dixit: *doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me*,

vt interpretatur Diuus Auguſtinus lib. 1. *D. Auguſt.*

de Trinitate cap. 12. necnon Diuus Am- *D. Ambroſ.*

broſius loco nuper citato, in rigore tamen non didicit, quia diſcere importat quendam motum, ſeu progreſſum ab imperfecto ad perfectū, & ab ignorantia ad ſcientiam: Chriſtus autem Dominus cum ab inſtanti ſuæ conceptionis, etiam inquantum homo, fuerit perfectè ſapiens, & nunquam ignorans, verè nunquam didicit, ſed magiſter ſemper, & nunquam diſcipulus fuit.

Secundum iam ſubnecto argumentum, apertè etiam demonſtrans, quàm mirificè Chriſtus Dominus in ratione Doctoris, & magiſtri ſuper omnes emineat. Etenim alij magiſtri, quantumuis doctrina polleāt, ſi rudes ſint, diſcipulos, & hebetes ingenio ſapientes reddere non poſſunt; at Chriſtus Dominus ad omnem ſcientiam capeſſendam ineptos, interdum ſubitò doctiſſimos reddit, & diuinorum myſteriorum capaciſſimos, immo & infantium linguas facit eſſe diſertas, vt contigit Danieli, & alijs nō paucis. Alij etiam magiſtri facultatem habent ad proponendum exterius veritates, poteſtate tamen carent ad illuminandum interius mentem, & virtutem intelligentiæ dandam. Chriſtus autem mentem diuinis fulgoribus interius irradiat, & ad altiſſima myſteria penetranda quæ ſola ratio naturalis non attingit, ſupernaturale lumen infundit. Alij magiſtri, tametſi ſacra ſupernaturalium rerum arcana aperientes, intellectum illuſtrent; vim tamen efficaciter cor tangendi non habent; Chriſtus autem Dominus docebat, tanquam poteſtatem habēs etiam ſupra cor-

da Magnatum & Regum: *Cor Regis in manu Dei eſt, quocumque volet, vertet illud.* Vnde Diuus Petrus, ad hoc alludens *Prouerb.*

Ioan. 6. dixit: *quo ibimus? verba vitæ æternæ habes*, ideſt, verba quæ ad vitam æternam nos efficaciter dirigunt. *Ioan. 6.*

Tandem illud non leue argumentum eſt ad oſtendendam excellentiam, qua Chriſtus Dominus, tanquam magiſter ſuper omnes alios eminebat; quòd in eo viguit ſuprema ſanctitas, & vitæ puritas, quæ ad excellentiam Doctoris, & magi-

ſtri,

ſtri maximè pertinet, propter quod ipſe
Ioan. 8. dixit, Ioan. 9. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & continuò ſubiunxit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*
hæc omnia argumenta me docuit Diuus
D. Thom. Thomas 3. par. quæſt. 42. art. 1. ad ſecundum, dum ait: *Poteſtas Chriſti in docendo attenditur, & quantum ad miracula, per quæ doctrinam ſuam confirmabat; & quantum ad efficaciam perſuadendi, & quantum ad authoritatem loquentis, quia loquebatur, dominium habens ſuper legem; cum diceret: Ego autem dico vobis: & etiam quantum ad virtutem rectitudinis, quam in ſua conuerſatione monſtrabat, ſine peccato viuendo*: hactenus Diuus Thomas;
Cum ergo Chriſtus Dominus tot nominibus, ſupremus omnium magiſter eſſet, probeque agnouiſſet, quod Salomon di-
Eccleſ. 10. xerat: *Theſaurus abſconditus, & ſcientia inuiſa, quæ vtilitas in vtriſque?* cœpit in Ieroſolymitana illa Academia theſauros abſconditos ſapientiæ ſuæ palàm omnibus aperire. Licet autem non ſit certum, & exploratum ſubiectum, de quo loquutus fuit Chriſtus Dominus, quia id Sacri Euangeliſtæ reticuerunt; illud tamen ex Euangelica lectione deprehendo, verbo, & opere docuiſſe duplicem Catholicam veritatem ad materiam de Incarnatione pertinentem, nimirùm & quod verè filius Dei naturalis, & filius hominis eſſet. Equidem quamuis Chriſtus Dominus permulta ſacra arcana toti orbi panderit; nihil tamen ipſe aliud frequentiùs docuit, quã quòd verus Deus, & verus pariter homo eſſet. Naſcitur infans in ſtabulo tanquam homo, ſed tanquã Deus ab Angelis adoratur, canentibus: *Gloria in excelſis Deo.* Cruẽtum Circumciſionis vulnus ſuſtinet,
Luc. 2. vt homo; ſed vt ipſe Deus eſt, Saluatoris nomen accipit: *Vocabis nomen eius Ieſum.* Veniunt Reges Arabes ad illum adorandum, & ſicut homini mortali myrrhã,
Matth. 2. ſicut Deo thus ſibi offerri voluit: *Obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham.* Tanquã
Matth. 2. homo, inſidias Herodis mortem illi machinantis patitur, ſed tanquam Deus, ab eius cruentis manibus liberatur; illumque
Matth. 2. tandem interire fecit. Tanquam homo in exiliũ Aegypti ducitur, ſed tanquã Deus Aegypti Idola in terram corruere compulit. Tanquam homo in Templum duodennis abijt, ſed ibi tanquam Deus corda Doctorũ tetigit, vt illum gratanter, ac beneuolè audirẽt, vt & ab vno puero ſeniores edoceri paterentur. Tanquam homo Ioan. 2.
in nuptijs Cana Galilææ ad prandium inuitatur, & tanquam Deus, qui ſuper naturas omnium rerum principatur, aquam in vinum ſolo nutu conuertit. Tanquam homo à Martha in hoſpitium ſuſcipitur, & tanquã Deus, Magdalene peccata condonat, *Remittuntur ei peccata multa, quoniã* Luc. 7.
dilexit multum. Tanquam homo ieiunat, & eſurit in deſerto, ſed tanquam Deus miniſtratur ab Angelis: *Et ecce acceſſerunt* Matth. 4.
Angeli, & miniſtrabant ei. Tanquam homo tentatur à diabolo, ſed quia Deus ſimul erat, dixit ei: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tanquam homo com- Ibidem.
paſſus eſt cæco à natiuitate, & tanquam Ioan. 9.
Deus luto liniens oculos, quod obſcurare eos poterat, illuminauit. Tanquam homo manum imponebat, & tanquã Deus infirmis ſanitatem, & mortuis vitam conferebat: Tanquam homo permiſit ſe com- Matth. 26.
prehendi, & funibus ligari, ſed tanquam Ioan. 18.
Deus comprehenſores ſuos ſolo illo verbo: *Ego ſum*, quod proprium eſt ſolius Ioan. 17.
Dei, fecit in terrã illos prolabi: *Ceciderunt retrorſum*, vt ait D. Ioannes. Tanquã ho- Ioan. 18.
mo ad mortẽ dãnatur, ſed cauſam mortis dicunt: *Quia filiũ Dei ſe fecit.* Tanquã ho- Matth. 28.
mo crucifigitur inter duos latrones, ſed tanquã filius Dei Patrem cęleſtẽ inuocat: *Pater, in manus tuas cõmendo ſpiritũ meũ:* Luca 23.
Tãquam homo in Cruce pẽdens moritur, Ibidem.
ſed tanquam Deus Solem obſcurat, petras ſcindit, velum Templi diuidit, ſepulchra aperit, corpora mortua viuificat: *Multa corpora Sanctorum ſurrexerunt:* Matth. 27.
Tanquam homo vita functus ſepelitur, Ioan. 17. Ioan. 10.
ſed tanquam Deus propria virtute ſeipſum ad vitam immortalem ſuſcitat: tanquam homo cum Diſcipulis fauum mellis comedit, cicatrices vulnerum oſtendit, ſed tanquam Deus corda illorum inflammat: *Nonnè cor noſtrum ardens erat* Luca 24.
in nobis, dum loqueretur in via? Tanquam Ioan. 20.
homo ſuper nubem aſſumptus eſt in Cœlum: *Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum:* Act. 1.
ſed tanquam Deus non alienæ virtuti, ſed propriæ innitens, ad empyrei Cœli cacumina ſcandit. Tanquam homo conuexũ ſupremi Cœli plantis ſuis contingit, vt ait Diuus Thomas; ſed tanquam Deus ad D. Thom. 3. p.
dexteram Patris ſedet in æqualitate maieſta-

Digitized by Google

D. Hilar. ieſtatis cum illo, vt inquit Hilarius lib. de Trinitate: Tanquam homo, prẹmium laboris glorioſus recipit, & tanquam Deus dedit dona hominibus, & Spiritum ſanctum ab eo procedentem in Eccleſiam ſuam miſit: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* *Ioan. 14.* Nonnè videtis quanta fuerit huic ſupremo magiſtro ſedula cura, duplicem hanc Catholicam veritatem edocendi, & quod Deus, & quòd homo pariter eſſet? hoc ſanè mihi videtur hodierna die Chriſtus Dominus planè, & luculenter præſtitiſſe; docuit enim non obſcurè ſuam diuinitatem, dum dixit: *Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* eſt autem manifeſtum, non loquutum ibi de patre putatiuo Ioſepho, cuius nulla ipſe negocia in Templo peragebat, ſed de Patre ſuo naturali, & cœleſti. *Origenes.* Vnde Origenes homil. 20. dixit, his verbis Chriſtũ ſignificaſſe non tantum ſe eſſe Deum, ſed etiam Dei filium. Et licet tunc Auditores veritatem illam non intelligerent, ſatum tamen illud ſemen, tempore præordinatọ à Deo fructum ſuum reddidit.

Atque ad hanc ſuæ diuinitatis manifeſtationem, quam Verbum incarnatum publicè fecit, per totum vitæ ſuæ curriculũ, *D. Ambroſ.* reſpiciens Sanctus Ambroſius libro 3. de Virginibus, explicans verba illa: *Oleum effuſum nomen tuum*: *Cant. 1.* vel vt alij vertunt: *Vnguentum exinanitum nomen tuum*: hæc acutè pariter, & ſapienter ſcripſit: *Exinaniuit, vt ſpiraret tibi. hoc vnguentum erat apud Patrem, olebat tantum Angelis, deſcendit filius Dei, repleta ſunt omnia nouo odore Verbi: Ipſe Dei filius, in corpore, tanquam in vaſe odorem primò cohibebat, vſque ad tempus, quo effunderet: Venit hora, aperuit os, exiuit vnguentum, quando virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* hactenus Diuus Ambroſius. Odor autem cœleſtis illius Chriſti doctrinæ adeò penetrauit eos, in quos ſe diffudit, vt quotquot aderant, ad ſtuporem traheret: *Luc. 2.* *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant*: magnum enim quid totam naturæ facultatem excedens in eo odorabant, quod poſtea eidem euenit, quãdo adultus prædicauit. *Matth. 7.* Matth. 7. *Admirabantur Turbæ ſuper doctrina eius; erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens.* *Marc. 6.* & Marc. 6. *Vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi?* hoc eodem ſtupore, & admiratione correpti ſunt nunc iſti, audientes pueri Ieſu doctrinam? Stupor, & admiratio ex ignoratione oritur cauſæ: videt ruſticus Solis eclypſim, & ſtupeſcit, quia cauſam neſcit, nimirum, interpoſitionem terræ inter Solem, & Lunam; videt autẽ Aſtrologus, & non miratur, quia cauſam illam non ignorat. Ignorabant illi Doctores, quæ cauſa eſſet, cur puer duodennis, cuius ætas inſipiens eſſe ſolet, ſapientiſſimè loqueretur, & qui nunquam literis vacaſſet, tanta eſſet literatura præditus: vnde poſtea dixerunt: *Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit?* & ideò ſtupebant. Nos ſcimus Chriſtum eſſe, ſapientiam Patris, & diuina, ac humana ſcientia præditum, & ideò nõ miramur, quod myſteria magna loqueretur. Vnde cum ſacer Euangeliſta ait, quod in parentes Chriſti magna tunc cecidit admiratio; *Admirati ſunt*: intelligendum eſt, quod ſunt admirati nõ ſicut reliqui auditores propter prudentiam, & reſpõſa eius, nam infinitã eius eſſe ſapientiã non ignorabant, ſed quia eum præter opinionem in medio Doctorum diſputãre, metuere periſſent.

Verùm quia Chriſtus Dominus non ſolum Deus, ſed homo pariter erat, veritatẽ ſuæ humanitatis duplici argumento ſatis luculenter hic demonſtrauit: nam in primis ętas illa puerilis duodecim annorum; *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*, manifeſtum indicium erat, illum eſſe verum hominem, cum tempore menſuraretur, quod ſolum eſt menſura rerum corruptibilium; & qua etiam multæ Creaturæ non menſurantur, vt Cœli, & Angeli, & alia æuiterna. Quod autem ætatẽ duodennem, magis quàm aliam elegerit, ad manifeſtandam ſuam ſapientiam, nõ pauca arcana complectitur, quæ breuis ſermonis eloquio reſerabo. Gloſa interlinearis hunc numerum duodecimum ad duodecim Tribus refert, quas ait ſignificari ad Chriſtum eſſe conuertendas. *Gloſ. interlin.* *D. Ambroſ.* D. Ambroſius in Commentario huius loci, numerum duodecim Apoſtolorum indicari autumat; *Anno (inquit) duodecimo, dominicæ ſumitur diſputationis exordium, hic enim prædicandæ fidei Euangelizantiũ numerus debebatur.* Diuum Ambroſium ſequitur Beda dicens: *Beda.* *Neque abſque prouidentia duodennis, prima fidei rudimenta reuelabat, quæ duodecim Apoſtolorum miniſterio*

D.Greg. *niſterio cuncta erant reuelanda, & elucidãda per orbem.* D. autem Gregorius opinatur à duodecimo incepiſſe anno Solem iuſtitiæ ſapientiæ radios diffundere, quia in illa ætate pueri diſcretionis ſuæ ſpecimen exhibere ſolent; volebat autem, quantum decet, fratribus aſſimilari; & quidem ſi tempore quo alij pueri, ob immaturam ætatem, rationis lumine carent, ipſe ſapientiam manifeſtaret, illuſorium aliquod phantaſma à vulgo iudicaretur. Alij dicunt, conuenienter in anno duodecimo cœpiſſe theſauros ſapientiæ ſuæ aperire, vt confirmarentur in fide, qui ex illis, quæ

Luca 2.

à Paſtoribus, à Simeone Sacerdote, & Anna propheteſſa audierant, conceperant ſpem, puerum hunc verum fore Meſſiam declarandum; ſi enim vſquè ad trigeſimum annum id diſtuliſſet, facilè mutaſſent ſententiam. Alij putant Chriſtum Dominum duodecimum annum attingentem ſapientiam ſuam voluiſſe manifeſtare, quia hic præcipuè numerus in diuinis eloquijs ſacer valde eſt, & per illũ hi duodecim anni Chriſti Domini, & alia myſteria præfigurantur: Duodecim enim fuere Prophetæ, duodecim fontes aquarum in Elim reperti, duodecim gemmæ pretioſæ, quæ Sacerdotis rationale decorabant; duodecim pueri Dauidis, quibus fortiter occumbentibus in prælio, Dauid victoriam reportauit; duodecim cophini panis, qui ex conuiuio Chriſti ſuperfuerunt; duodecim exploratores terræ promiſſionis; duodecim lapides Altaris, quod Elias diuini amoris zelo inflammatus conſtruxit; duodecim viri, quos elegit Ioſuè, vt totidem lapides ex Iordanis fluuio in terram promiſſionis aſportarent; duodecim portæ, quæ ad ipſum templum ingrediendum, aditum prębebant; duodecim tribus Iſrael, à duodecim Patriarchis originem ducentes; duodecim Duces Iſmael; duodecim viri, qui noluerunt ſumere lapides pro turre fabricanda, ex quibus vnus fuit Abrabam; duodecim Leunculi throni Salomonis: duodecim Iudices, qui rexerunt Iudæam; duodecim panes non fermentati, qui in ſacrario reponebantur; duodecim Principes, qui ceciderunt; duodecim fructus ligni vitæ; duodecim ſtellæ, quæ coronabant mulierem, Eccleſiam ſignificantes; duodecim boues ſuſtinentes mare æneum, quod erat in templo Salomonis; duodecim ſedes Apoſtolorum; duodecimo anno mulier liberatur à fluxu ſanguinis; duodecimo menſe liberantur Hebræi à morte, quam eis machinatus eſt Aman.

Exod. 28. Num. 23. 2 Reg. 2. 3. Reg. 18. Ioan 4. Pſal. 113. Gen. 17. Leuit 24. 2. Paralip. 2. Ezech. 42. Apoc. 22. Apo. 12. 3 Reg. 7. Matth. 19. Luca 8.

Sed non ſolum in diuinis literis, verùm apud profanas etiam reperio, numerum duodecimum valde ſacrum baberi. Nam in primis Plato in Phædone, ſummopere celebrat hunc eundem numerum, duodenario formarum numero deſcribens orbẽ. In Critia pla[illegible] duodecim antiqua ante diluuium deſcribit. In Phædoneorum, dæmonumq; exercitum ſub Duce Ioue in ordines diſponit duodecim. In legibus cuſtodias, Magiſtratus, agros, vicos, Ciuitatemq; ſecat in partes duodecim, quod verò partes orbis ſequi circuitum vniuerſi dicit, totum octauæ ſpberæ circuitum intelligit, triginta & ſex annorum millibus perficiendum: qui ſanè numerus tribus millibus duodenarijs perfectè completur, adeo vt in primo millium duodenario ex antiquorum ſententia intelligas iuuenilem totius Mundi habitum; in ſecundo, virilem; & ſenilem in tertio. Suam quoq; Ciuitatem Dijs duodecim commẽdat Plato, quod & in ſyderibus Zodiaci duodecim à Pytbagoricis poſiti fuerint particulares Dij, ſiuè animæ ſitæ in cordibus eiuſmodi ſyderum, atq; ex inde totũ ſydus regentes; ſcilicet in corde Arietis Pallas particularis, in corde Tauri, Venus particularis, in corde Geminorum, Phœbus particularis, in corde Cancri Mercurius, in corde Leonis, Iupiter, in corde Virginis, Ceres, in corde Libræ, Vulcanus, in corde Scorpionis, Mars, in corde Sagittarij, Diana, in corde Capricorni, Veſta, in corde Aquarij, Iuno particularis, in corde Piſcium, Neptunus particularis. Octauo denique libro de Republica, duodenarium, tanquam diuinum, celebrat, illum aſſerens magnam Ciuitatibus portendere mutationem, ſi quando contigerit multiplicari, & peruenire ad ſuũ quadratum; Centum quadraginta quatuor poterunt in melius demutari, ſi prudenti diſciplina regantur, nec fato tunc, ſed imprudentia collabi poterunt. Idem etiam Plato in Thimæo, duodenarium facierum numerum format propter ſphœras Mundi duodecim, quas ipſe conſtituit; Cœlos nimirum octo, & quatuor elementa, quibus

Plato. Plato. Idem in Thimæo.

bus apponit duodecim Intelligẽtias, quas *Animas* vocat, quarum ſingulę, quia iuxta Orphœi Theologiam, partim congruunt cum Mundo intelligibili, ex quo ipſi ſunt, partim declinant ad corpora quæ producunt, duplicem dicuntur habere virtutem. Terra, Plutonem, & Proſerpinam, Aqua Oceanum, Tethin; Aer Iouem fulminatorem, & Iunonem; Ignis, Phanætam, & Auroram; Luna, Bacchum Cicnitem, & Thaliam; Mercurius, Bacchum Lycium, & Cratum; Venus, Bacchum Triętericum, & Melpomenem; Sol, Bacchum, Sylenum, & Euterpen; Mars, Bacchum baſſarem, & Clio; Iupiter Bacchum Zabatium, & Terpſichorę; Saturnus Bacchum Amphietum & Polymniam; vniuerſi Bacchum Erythtonium, & Calliopen. Accedit ad hæc, quod Virgil. lib. 1. Georgicorum cecinit.

Virgil.

Vt certis dimenſis partibus orbem
Per duodena regit Mundi Sol aureus Aſtra.

Hæc ſunt, Aries, Leo, & Sagittarius, quæ in ignem dominantur: Gemini, Libra, & Aquarius in aërem: Cancer, Scorpio, & Piſcis in aquam: Taurus, Virgo, & Capricornus in terram. Quid plura? oſtendit duodenarius numerus in animantibus ſuam perfectionem: nam, vt docet Ariſtoteles de natura Animalium lib. 6. c. 9. Pauo duodecim oua ponit, lepus, & cuniculus fœcundiſſimi duodecies in anno concipiunt, & pariunt, Camela duodecim menſibus fœtum gerit, & licet tanta ſit magnitudine præpedita, vſq; ad duodecimum diem ſine potu perdurat: vnde ab Aegyptijs longa ieiunia, & diuturnæ ſitis tolerãtia per hoc animal ſignificata ſunt. Ac tandem horæ diei duodenario numerantur iuxta verba Chriſti Domini, Ioan. 11. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?*

Ariſtot.

Ioan. 11.

Greg. Cedr.

Præterea, illud mirabile ſcribit Gregorius Cedrenus, Auctor Grecus, hoc duodenario ſpacio cunctas creaturas preces offerre Deo. Prima (inquit) diei hora preces peraguntur in Cœlo: ſecunda, preces Angelorum: Tertia, volucrium. Quarta, Iumentorum: Quinta, beſtiarum: Sexta Angeli aſſiſtunt, omneſque diſcernuntur Creaturæ: Septima, ad Deum intrant Angeli, & exeunt: Octaua, laudatio, & ſacrificia Angelorum: Nona precatio, & cultus ab hominibus: Decima, Aquarum inſpectio, præceſq; cœleſtium, & terreſtriũ: Vndecima mutua confeſſio, & exaltatio omnium: Duodecima, interpellatio hominum Deo accepta. hæc Cedrenus in compend. Hiſt. Neq; mirandum, quòd bruta numeri inſcia, Deum laudare dicantur; quemadmodum enim S. Tho. 2. 2. q. 83. art. 1. ad tertium edocet, *Dicuntur* (inquit) *Bruta Deum inuocare propter naturale deſiderium, quo cuncta ſuo modo diuinam bonitatem conſequi deſiderant: Sicut etiam Deo dicuntur obedire ob naturalem inſtinctum, quo mouentur à Deo.* Ieſus igitur duodennis ſuæ ſumit diſputationis exordium, eò quòd hic numerus non ſolum naturæ congruat, ſed in diuinis quoq; literis ſacer valde eſſe probetur.

D. Thom.

Alij meditantur in ea puerili ætate ſapientiam ſuam hominibus pateſeciſſe, vt omnes ætates ſanctificaret: vt enim Chriſti aduentus ſanctificauit naturam humanam in ea, quam aſſumpſit ad ſe Verbum diuinum; ita & diuerſitas ætatum illius ſanctificauit noſtras ætates, & pro ſingulis illis varia rectè viuendi documenta exemplo, & opere nobis tradidit. Prima ætas, infantia eſt, vſq; ad ſeptimum annum perueniens, in qua imperfecta ſunt & ratio, & corp⁹, ita vt infans fari neſciat. Secũda, Pueritia, dicta à puritate, & hæc à ſeptimo anno inchoatur, & in quartumdecimum terminatur; in qua rationis lumen magis effulget. Tertia eſt adoleſcentia, à quartodecimo ad vigeſimumprimũ, in qua tàm ratio, quàm corpus ſunt melius diſpoſita, ſed non perfectè, quia in vtroq; adoleſcit. Quarta eſt iuuentus, à vigeſimoprimo ad vigeſimumquartum, vel ſecundum alios ad trigeſimum, in qua vtrumq; eſt diſpoſitum, ac completum etiam ad iuuandum alios; vnde dicta eſt ſecundum nonnullos: *Iuuentus*, quia alios iuuare poteſt. Quinta eſt Virilitas à trigeſimoprimo viq; ad quinquageſimum, in qua vtrumq. amplius completum, idoneum magis eſt ad per ſe agendum, & in hac Chriſtus operatus eſt noſtram ſalutem vſque ad trigeſimumtertium. Sexta eſt ſenectus, à quinquageſimo ad ſeptuageſimum, in qua corpus decreſcit, & declinat. Septimum eſt ſenium, vel grauitas, in qua vtrumq. decreſcit, ac minuitur vſque ad mortem ob frigus, & corporis corruptionem. Annos autem vitæ noſtræ accipimus à Dauide, qui in Pſalmo 89. ait:

Digitized by Google

Pſal.89. 3 Reg. 2. ait: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*, quos etiam, Dauid ipſe vixit: triginta enim annis ſuperſtes, vt priuatus, quadraginta vero regnauit. *Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor*. Non me prætetit, B. Ambroſium ſecutum ſententiam Solonis in Epiſt.82. ad Gratianum, annos vitæ humanæ diuiſiſſe in decem ætates, cuilibet tribuendo ſeptem annos, nempè, in infantiam, pueritiam, adoleſcētiam, iuuentutem, ætatem virilem, matutitatem, perfectionem, ſenectutem, ſeniū, & decrepitam deniq; ætatem. Sed non eſt hic locus de iſtis latius differēdi. Chriſtus ergo erat in ſecunda ætate, quod attinet ad corpus: nam quod ſpectat ad rationem, in eo erat perfectiſſima ab inſtāti conceptionis, iuxta illud: *Mulier circundabit virum*. Chriſtus autem voluit manè operari, ſiue prima hora, ideſt in natali ſuo, trahendo Angelos ad ſe, Paſtores, & Magos, & peregrinando in Aegyptum. Deinde hora tertia, ſiue in pueritia, in Templo diſputando, ſapientem Doctoribus ſe oſtentauit, & parentibus morigerum ſe præſtitit. hora ſexta, in iuuentute, & virili ætate, prædicando miracula edidit, ac vitæ æternæ acquirendę documenta magni momenti dedit, vt omni ætate viſus, atq; cognitus cunctos ad ſe traheret. Quamquam autem ſenex, Chriſtus Dominus non fuerit, quia ad maioris ſui amoris manifeſtationem, voluit pro nobis mori in florentiore, & chariore ætate; voluit tamen à ſenioribus detegi, ac prædicari, & benedici, vt a Simeone Sacerdote, & ab Anna propheteſſa, vt hac ratione omnes ætates honoraret, & ſanctificaret.

S Ambr. to. 3.

D.Apol.

Ierem. 31.

Demum voluit Chriſtus Dominus, ad manifeſtandam ſuam ſapientiam, expectare ætatem duodecim annorum, quando iam diſcurſus rationis viget, vt exemplo ſuo eorum coerceret petulantiam, qui, antequam ad debitam in literis ſufficientiam peruenerint, prædicandi, Cathedras conſcendendi, ſupremos Eccleſiæ gradus occupandi, ac Rempublicam gubernandi onera ſuperbe, & inſipienter aſſumunt. Quemadmodum enim paſſerculus, qui nondum editis pennis extra nidum euolare tentat, facile decidit, & breuiter interit: & ſicut Phaeton inexpertus (vti finxere Poetæ) ſolis currum, & equos illum vehentes gubernare præſumens, ignominioſo caſu in terram prolabens, interijt, & terram, ardore Solis in eam decidentis combuſſit; ita quotquot ad dignitatum culmina, & præſertim Eccleſiaſtica, doctrinæ, & vitę integritate deſtituti conſcēdunt; qui ante acquiſitam ſcientiam tantæ functioni neceſſariam, officia, angelicis etiam humeris tremenda, ſuſcipere non dubitant, Phaetontes ſunt inſani, ſeipſos, vna cùm illis, quos regendos aſſumunt, præcipitantes. Paſſerculi ſunt, qui ante ortas pennas, infirmis, & imbecillibus ſuis viribus fidentes, volitare contendunt, & in terram miſerè decidunt. quod valdè præcauere monet D.Paulus 1.ad Timoth. 3. *Ne in ſuperbiam incidant Diaboli*, hoc eſt, in eandem cum diabolo damnationē, in quam ille ex arrogantia, & præſumptione incidere meruit, vt rectè expoſuit Oecumenius in Commentario illius loci. 1. ad Tim. 3. Oecumen.

Secundum argumentum, quod Chriſtus Dominus ſuæ humanitatis præbuit, refert etiam S. Lucas in hodierna Euangelica lectione: *Et deſcendit cùm eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*. Quēadmodum enim in eo, quod remanſerat ſolus, non habito parentum conſenſu, ſed auctoritatiuè, & independenter ab eis Deum ſe eſſe declarauit; ita etiam, in ſubdendo ſe illis, hominem ſe eſſe comprobauit. Manifeſtum autem eſt, quod Chriſtus Virgini non ſubdebatur, niſi propter naturam humanam, quam ab ea, tanquam a vera matre ſuſceperat; Ioſepho verò, quia, cum vir matris ſuæ eſſet, pater illius eſſe putabatur. itaque tanquam Dei filius Deo Patri obedit, & honorem exhibet, in his, quæ Patris ſunt, ſe exercens; vt filius tamen hominis, matri, & nutricio ſe humiliter ſubdit: vt enim dixit D. Paulus: *Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium; ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt, vſq; ad præfinitum tempus à Patre*. Obiter tamen ſilentio non eſt prætermittendum, quòd poſtquam Euangeliſta narrauerat, quod Chriſtus Dominus aſcenderat in templum cum parentibus ſuis, *aſcendentibus illis Ieroſolymam*, poſtea inquit, *deſcendit cum eis, & erat ſubditis illis*, vt hinc clarè videas in Chriſto aſcenſum ad diuina pro Dei gloria, & deſcenſum ad humana pro vtilitate proximorum, *qui deſcendit, ipſe eſt, &*

Luca 2.

Ad Gal. 4.

Ad Eph.4. *eſt, & qui aſcendit.* ad Eph.4. In ſchala huius vitæ Angeli deſcendunt, atque aſcendunt, ſicut Iacob vidit per oſtenſam ſibi ſcalam Angelos aſcendentes, & deſcendentes; aſcendunt enim, cum Dei faciem contemplantur; deſcendunt verò, cum nobis miniſtrant ad ſalutem. Illos videtur 2. Cor. 8. mihi imitatus D. Paulus, dum 2. Corinth. 8. ait; *Siue mente excedimus Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis.* quibus docentur omnes verbi diuini præcones, debere priùs aſcendere, ſublimia Dei myſteria contemplantes, deinde deſcendere, lacte Euangelicæ doctrinæ paruulos Eccleſiæ nutrientes, vt la- D. Aug. tius proſequitur D. Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum cap. 26.

Ceterùm ad propoſita verba rediens, quibus vera Chriſti humanitas comprobatur: *& erat ſubditus illis*, non poſſum lectorem fraudare multis, hiſq; præclaris, ac valde vtilibus documentis, quæ ſancti Patres ſuper hunc locum, diuino ſpiritu afflati, ſapienter tradidere. In primis D. D. Bern. Bernardus in commendationem Virginis, & ad noſtram inſtructionem in hunc modum loquitur homil. 1. ſuper Miſſus eſt: *Erat ſubditus illis quis? quibus? Deus, hominibus. Deus (inquam) cui Angeli ſubditi ſunt, cui Principatus, & Poteſtates obediunt: ſubditus erat Mariæ, nec tãtùm Mariæ, ſed etiam Ioſepho propter Mariam; mirare ergo vtrumlibet, & elige quid amplius mireris; ſiue filij benigniſſimam dignationem, ſiue matris excellentiſſimam dignitatem, vtrinq; miraculum, & quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſq; exemplo, & quod Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio. In laudibus Virginum ſingulariter canitur, quod ſequuntur Agnum quocumq. ierit: quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ etiam præit? diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare: de auctore tuo loquens Euangeliſta: & erat (inquit) ſubditus illis, haud dubium, quin Mariæ, & Ioſepho. Erubeſce ſuperbe cinis. Deus ſe humiliauit, & tu te exaltas? Deus ſe hominibus ſubdit, & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis Auctori? vtinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti Deus reſpondere dignetur quod, & ſuo, increpando reſpondit Apoſtolo: Vade (inquit) poſt me Sathana, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, quoties enim hominibus præeſſe deſidero, toties Deum meum præire contendo; & tunc verè non ſapio ea, quæ Dei ſunt: de ipſo namq; dictum eſt: & erat ſubditus illis. Si hominis, ò homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum, ſequi auctorem tuum. Si non potes forſitan ſequi eum quocumq; ierit, dignare vel ſequi quò tibi condeſcendit.* Hactenus Diuus Bernardus.

D. Baſilius magnus de Chriſti Domini D. Baſil. pucrili ætate agens, hæc valde obſeruanda literis mandauit lib. de conſtitutionib. Monach. cap. 5. *Primæua quidem ætate parentibus ſubditus, quemuis corporalem laborem manſuetè, & laborioſè cùm illis tulit: Cum enim homines eſſent iuſti quidem, ac pij, pauperes tamẽ, ac rerum neceſſariarũ haud quaquam abundantes, cuius rei teſtimonium dat Præſepe, veriſimile eſt, aſſiduo corporalium laborum exercitio victum ſibi neceſſarium vnà comparaſſe. Ieſus autem iſtis, (vt Scriptura inquit) ſubditus, obedientiam ſuam omnem etiam his præſtitit, vt ſimul cum illis laboraret.* hæc D. Baſilius magnus.

D. Ambroſius autem ponderans exem- D. Ambroſ. plum, quod Chriſtus Dominus nobis præbuit, reuerentiam, & obedientiam præſtãs parẽtibus, hæc tanto Patre digna profert: *Quid enim Magiſter virtutis nobis officium pietatis impleret? & miramur, ſi Patri defert, qui ſubditur matri? non vtique infirmitatis, ſed pietatis, iſta ſubiectio eſt:* & infrà: *Diſce potius tuæ voluntatis præcepta, & exempla pietatis agnoſce, diſce quid parentibus tuis debeas, cum legis à patre filium, non voluntate, non opere, non tempore diſcrepare; vtique nullum Pater ille cœleſtis laborem generationis expertus eſt, tu matri debes pudoris iniuriam, virginitatis diſpendium, partus periculum: matri longa faſtidia, matri longa diſcrimina, cui miſerè in ipſis votorum fructibus maius periculum eſt, & cum ediderit, quod optauit, partu abſoluitur, non timore. Quid anxios Patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatos alienis vſibus cenſus, iactaq; agricolæ ſemina poſterorum ætatibus profutura? nonne pro his obſequia ſaltem oportet rependi?* Hæc D. Ambroſius.

Nunc audiamus antiquiorem illo Ori- Origenes. genem, qui exemplum hoc Chriſti Domini non ſolùm ad naturales parentes, ſed ad ſpirituales accomodat. in hæc verba? *Diſcamus filij ſubiecti eſſe parentibus*

noſtris

noſtris; maior minori ſubÿcitur: nam quia maiorem Ioſeph videbat ætate, propterea eum parentis honore coluit, omnibus filÿs exemplum tribuens, vt ſubÿciantur parentibus. Quod ſi Patres ÿs non fuerint, ſubÿciantur his, qui patrum ætatem habent: quid loquor de parentibus, & filÿs? Si Ieſus filius Dei ſubÿcitur Ioſeph, & Mariæ, ego non ſubÿciar Epiſcopo, qui mihi à Deo ordinatus eſt pater? non ſubÿciar præsbytero, qui mihi Domini dignatione præpoſitus eſt? Peto, quid intelligebat Ioſeph, quia maior ſe erat Ieſus, qui ſubÿciebatur ſibi, & ſciens maiorem eſſe ſubiectum, trepidus moderabatur imperium. Videat ergo vnuſquiſq; quod ſæpè melioribus præpoſitus ſit inferior, & nonnunquàm accidat, vt ille qui ſubiectus eſt, melior ſit eo, qui ſibi videtur eſſe præpoſitus; quod cum intellexerit dignitate ſublimior, nõ eleuabitur ſuperbia ex eo, quod maior eſt; ſed ſciet, ita ſibi meliorem eſſe ſubiectum, quomodo & Ieſus ſubiectus fuit Ioſeph. hactenus Origenes.

Ad exrremum dicendi finem facio, ſatisfaciens curioſè inquirentibus: quid fecerir Chriſtus Dominus anno rertiodecimo, & quartodecimo, ac reliquis, vſq; ad trigeſimum, quo cæpit euangelicam doctrinam diſſeminare? Reſpondeo enim, occupatum fuiſſe in obediendo. Vnde ſi inquiras, quid fecit anno vigeſimo? Reſpõdebo id, quod Euangeliſta; *Subditus erat illis*; & ſi rurſus quæras quid fecit anno vigeſimo quinto? reſpondebo: *Subditus erat illis*. Er ſi tandem irerum ſciſciteris, quid fecit vigeſimooctauo anno, vſq; ad trigeſimum? non verebor eandem reſponſionem tibi dare: *ſubditus erat illis*. hoc feciſſe, ſatis fuit, vt hinc intelligamus, hanc vnam eſſe Chriſtiani hominis, & maximè religioſi viri vitam, perpetuò ſubeſſe, & alterius imperio, ad Chriſti exemplum, parere. illud enim arbirror Chriſtiani hominis præclariſſimum epytaphium: *obediuit ſemper*: in eo enim larenr præclara facinora, glorioſi rriumphi, ac inſignes victoriæ, Spiriru ſancto dicenre: *Vir obediẽs loquetur victorias*. Cui cum Patre, & Filio ſir honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia IV.

Sub metaphora Solis, de Chriſti Domini manifeſtatione in Templo diſſeritur; multiplici Sanctorum Patrum eruditione, ac varÿs animi conceptionibus verbis illis explicatis.

Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate. Luca 2.

CVM incomprehenſibilis
ſir diuina, & humana
Chriſti Domini maie-
ſtas, ad eam non pro di-
gnitate, ſed pro faculta-
re humani eloquij ex-
plicandam, ſacræ lireræ varijs nominibus
Chriſtum Dominum compellãr, nunc vo-
cant illum, Agnum; *Agnus, qui occiſus eſt* Apoc. 13.
ab origine Mundi Apoc. 5. nunc Leonem: Apoc. 5.
Vicit Leo de tribu Iuda; nunc Aquilam,
Sicut Aquila prouocans ad volandum pul-
los. Deurer. 32. nunc ſerpentem: *Sicut* Deut 32.
Moyſes exaltauit Serpentem in deſerto.
Ioann. 3. nunc ignem: *Deus noſter, ignis* Ioan. 3.
conſumens eſt. Ad Heb. 12. nunc florem, Ad Heb. 12.
& lilium: *Ego ſum flos campi, & lilium con-*
uallium. Can. 2. nunc vitem: *Ego ſum vitis,* Can. 2.
& vos palmites. Ioann. 15. nunc magni Ioan. 15.
valoris lapidem: *Ponam in fundamentis* 1. Petr.
eius lapidem precioſum: nunc Angelum:
Magni conſilÿ Angelus. Iſai 9. Verùm in- Iſai 9.
ter hæc, & alia pene infinita, & clariſſima
epithæta, quibus Chriſtus Dominus in ſa-
cris lireris decorarur, Solis nomenclarura
principem locum tenet, cuius metaphora
vſus eſt Malachias cap. 4. *Orietur vobis ti-* Malach. c. 4.
mentibus nomen meum. ſol iuſtitiæ, necnon
D. Paulus 1. Cor. 4. *qui illuminabit abſcon-* 1. Cor. 4.
dita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia
cordium. Cõſultò tamen, omiſſis alijs
Solis proprietaribus, quas larè refert D. D. Dionyſ.
Dionyſius de diuin. nominib. cap. 5. nimi-
rum, quod ſit vnicum ens, vniforme, quod
illuminat, renouat, cuſtodir, perficit, di-
ſcernit, vnit, refouet, fœcundat, auget, mu-

Digitized by Google

tat, collocat, plantat, remouet, & viuificat; eas dumtaxat in medium producam, quæ ad præſens myſteriũ inuenti Chriſti Domini in templo à Beata Virgine in medio Doctorum magis illuſtrandum, aptiores mihi viſæ ſunt.

Et quidem in primis Solis metaphora non obſcurè nos docet, quomodò intelligenda ſint verba illa, quæ Hæretici in ſiniſtros intotquent ſenſus. *Proficiebat ſapientia, & ætate*. In quorum expoſitione, D. Hieronymum imitans ſuper cap. 1. D. Matthæi dicentem: *Diuerſa in diuerſis lego, & debeo ſingulorum opiniones ponere*; prius aliorum placita commemorabo, deinde germanam explicationem à Solis metaphora decerpam. Cum Hæretici, ex verbis his Euangeliſtæ; *Proficiebat ſapientia, & ætate*, ex quibus Catholici veritatem humanitatis Chriſti, cui incrementũ ætatis conuenire poteſt, colligunt: ipſi deitatem ab eò longè repellendam colligerent, eo quod incrementum in ſapientia, & ætate, æterno, & infinito, atque inexhauſto pelago ſapientiæ conuenire nequeat. Huic Hæretico cauillo, vt priſci illi Patres reſponderent, in varias abiere ſententias in explicatione huius loci: nam D. Athanaſius ſermone 4. contra Arianos, & Epiphanius in anchorato, & D. Cyrillus lib. 10. theſauri cap. 7. & lib. de recta fide ad Regin. & D. Ambr. lib. Incarnat. Domini c. 7. aſſerebant, profeciſſe quidem verè nõ diuina, ſed humana ſapientia, atque adeò profeciſſe, vt hominem, non vt Deum. In modo autem explicandi hanc ſententiam non conueniunt; nam D. Athanaſ. & Cyrillus exiſtimant profeciſſe ſcientiam humanitatis Chriſti per communicationem diuinitatis, paulatim reuelantis varia arcana animæ Chriſti: D. autem Ambroſius non ſic illam ſcientiam auctam fuiſſe dicit, ſed per ſenſus, acquirendo noua incrementa cognitionis: Nec hoc dicunt repugnare vnioni hypoſtaticę eius in verbo, exemplum afferentes de morte, ceteriſq; paſſionibus: nam ſicut, quòd humanitas, paſſibilis, ac mortalis fuerit, ſitim, famem, ceteraſque ſimiles infirmitates pateretur, non fuit impedimento, quin vnita eſſet diuinitati; ita etiam de ſapiẽtiæ profectu, quamuis enim non habuerit à principio totam ſapientiam, ſed paulatim receperit, non ob id effectum eſt, quominus Verbo vnita fuerit. Sed hæc expoſitio placere non poteſt, quia iuxta illam, oporteret in humanitate Chriſti admittere ignorantiam; aliter enim ſapienter euadere non poſſet, vt rectè obſeruauit Cardinalis Toletus in cap. 2. Lucæ.

Origenes, aliam viam ingreſſus homil. 1. in Ieremiam, hunc locum de Chriſto ipſo interpretatur: affirmat tamen, Verbum ipſum profeciſſe, non quidem in ſe, ſed in humana natura; profectus autem fuit hic: vt quæ in ſe, vt Deus ſciebat, ſupra naturam humanam nouo modo ſciuit, nempe humano; Vnde humana natura ſcientiam acquirente, ipſum Verbum proficiebat in ſapientia, nouo ſemper modo res ipſas cognoſcens, quas prius ſua ſapientia diuina cognouerat. Profectum ergo refert ad verbum ipſum propter nouitatẽ modi cognoſcendi res. A qua expoſitione non multum abhorrent verba D. Athanaſij orat. 4. cont. Arianos, dum ait: *augeſcente magnitudine corporis, vnà creſcebat in eo diuinitatis manifeſtatio*. Sed certè profectus in ſapientia, ſicut & in ætate non aliter competere poteſt Verbo diuino, quàm per communicationem Idiomatum, quatenus ille homo, qui Deus erat, proficiebat.

D. Ioannes Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 22. necnon D. Gregorius Niſſen. homil. 3. in Cantica referunt hæc verba, ad profectum Chriſti Domini in nobis, ita vt, non dicatur profeciſſe ſapientia in ſe, ſed in ſuo corpore miſtico, hoc eſt, in eius fidelibus. verba D. Grægorij hæc ſunt: *qui natus eſt Ieſus, qui in ijs, qui ipſum ſuſceperunt diuerſè proficit ſapientia, ętate, & gratia; non eſt idem in omnibus, ſed pro modo eius, in quo eſt, quatenus is, qui ipſum capit eſt idoneus, talis apparet, aut infans, aut proficiens, aut perfectus*. Itaque aſſerunt Patres, in nobis creſcere Chriſtum ſecundum quòd nos creſcimus, & proficimus, iuxta illud Pauli ad Eph. 4. *Veritatem facientes, in charitate, creſcamus in illo, qui eſt caput, Chriſtus*. Vnde, ſicut idem Paulus ad Coloſſ. 1. dixit de verbo Euangelij, quòd *fructificat, & creſcit*, non quia in ſeipſo creſceret, ſed quia auditores illius creſcebant, & proficiebant: & Actorum 6. *Verbum Domini creſcebat*, & item cap. 19. *creſcebat verbum Dei, & confirmabatur*, quod non poteſt intelligi de profectu verbi in ſeipſo, ſed de fructu, quem in Auditori-

Marginal notes: D. Hier. — D. Athanaſ. — D. Epiphan. — D. Cyrill. — D. Ambroſ. — Card. Tolet. — Origen. — D. Athan. — D. Ioan. Damaſc. D. Gr. Niſſen. — Ad Eph. 4. — Act. 6. — Act. 19.

Pſal. 88. toribus reddebat. Simile eſt illud Pſalm. 88. *Nihil proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei*: necnon 1. ad Tim. 4. illud Pauli 1. ad Timot. 4. *Profectus tuus, manifeſtus ſit in omnibus*, conſonatq; huic expoſitioni communis phraſis loquendi, qua dici ſolet: *Magiſter hic multum proficit*: non quia ipſe, ſed quia diſcipuli eius ob eius doctrinam multum proficiant. Sed licet hæc interpretatio nonnullis arrideat, non tamen videtur coherere cum contextu ipſo: nam ſermo eſt de Chriſto in ſe, non de corpore eius miſtico, vt patet tùm ex verbis illis: quod *proficiebat ætate*; tũ quod eo pueritiæ Chriſti Domini tempore, cùm ipſe nondum prædicaſſet, nullum tunc profectum ſuo verbo feciſſe poterat in Auditoribus: niſi dicas illum feciſſe in illis, qui in templo eum in medio Doctorum loquentem audierunt: vel certè, quod exemplo tunc docebat, non verbo.

D. Thom. S. Thom. 3. p. q. 9. ar. 1. 2. 3. & 4. & q. 12. art. 4. & communi conſenſu omnes eius Aſſeclæ, aliter verba hæc interpretantur; conſtituunt enim in Chriſto præter ſcientiam diuinam & increatam, ſcientiam beatam, qua in quantum homo, clarè videbat Deum, vt ipſe teſtatur Ioan. 8. *Ego* Ioan. 8, *quæ vidi apud Patrem, loquor*, Scientiam infuſam, quæ a ſenſibus non pendet; hæc enim, cum Angelis fuerit data à principio ſuæ creationis, non debebat negari animæ Chriſti ab exordio ſuæ conceptionis, vt D. Thom. rectè argumentatur D. Tho. prædicto art. 3. Scientiam deinde acquiſitam, ſeù experimentalem, quæ progreſſu temporis ſenſuũ exercitio augebatur, iuxta illud Pauli Hebr. 5. ad Hebræos 5. *Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam*. cui perſimile eſt illud Iſai Iſai. 7. *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, & rurſus, *antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam*. Super cuius loci ex- D. Auguſt. poſitionem D. Auguſt. lib. 8. in Geneſ. ad literam c. 14. putat illum interpretandũ de Chriſto, diſtinguens in eo prudentiam, & experientiam. Non tamen eſt intelligendum, quod Chriſtus Dominus per hanc ſcientiam aliquid ſciret de nouo, quod antea ignoraret: hoc enim longè abeſt ab eo, quem Ioann. cap. 1. vocat *plenum gra-* Ioan. 1. *tiæ, & veritatis*: Sed quod ſciret nouo modo id, quod iam anteà præſcierat. Dicunt ergo hi Doctores, Chriſtum Dominum profeciſſe non in ſcientia beata, aut infuſa ſed in acquiſita, & experimentali, hocque ſibi velle prædicta verba: *proficiebat ſapientia*; Quod idem me docuit Richardus Ricardus. Victor. lib. 2. de Emmanuele.

Card Tolet. Cardinalis vero Toletus egregiam aliã adhibet expoſitionem, quam licet nulla alicuius doctoris authoritate fulciat, eſt tamen Cardinalis Caietani in cap. 2. Lu- Caiet. cæ: ait ergo, quòd cum Euang. dicit: *Ieſus proficiebat ſapientia*: per illam ſapientiam non intelligitur ipſe habitus ſapientiæ intellectui inhærens, ſed exercitium ipſum operum, & verborum, quæ à ſapientia Chriſti procedebat, in quibus verè Chriſtus ſecundùm ætatis incrementum, proficiebat, quia opera ſapienriora edebat, & verba ſapienriora loquebatur; non enim omnia externa opera æqualem ſapientiã habent, ſed contingit ſapienter, & ſapientius operari, & loqui. Verba Caietani hæc ſunt: *Chriſtus proficiebat actibus ſapientiæ, procedendo de ſapientibus actibus ad ſapientiores; etenim licèt Chriſtus plenitudinem intus ſapientiæ haberet, exterius tamen verba, & opera ſapientiora proferebat pro ætatis incremento; nec eſt inuſitatum in Scriptura, verba, & opera externa, quæ à ſapientia procedunt, appellare ſapientiam, immo frequenter id fit 2. Paralipom.* 2. Par. 9. *9. & Lucæ 11. dicitur de Regina Saba, Venit audire ſapientiam Salomonis, &* Luca 9. *Prouerb. 2. Audiat ſapientiam auris tua.* Prou 2. *1. Cor. 2. Loquimur ſapientiam. Dicta* 1. Cor. 2. *ergo, & facta à ſapientia procedentia nomine appellantur, ſapientiæ. In hac Chriſtus ratione humanæ naturę progreſſum verè fecit, ſicut in ætate.*

Vltimam tandem expoſitionem a præcedente non abhorrentem noſtro argumento ſatis accomodatam venari poſſumus ex metaphora poſita Solis, ſicut, & venatus eſt illam D. Vincentius ſerm. in- D. Vincentius Ferrer. fra Epiphaniam. Etenim quemadmodum quamuis Sol eandem omnino claritatem habeat in ſe, tam hora prima, quam tertia, quam in meridie, tamen quanrum ad effectum proficit, & creſcit in claritate, quia maiorem claritatem cauſat in aere hora tertia, quàm prima, & in meridie maiorem, quàm in illa; ita Chriſtus Dominus Sol Iuſtitiæ, licet ab inſtanti ſuæ conceptionis fuerit pleniſſimus ſapientia, quantò magis creſcebat ætate, tantò maiora

Digitized by Google

ſuæ ſapientiæ argumenta prodebat, tantoque maiorem opinionem de illo omnes concipiebant. Quare incrementum ſapientiæ Chriſti Domini, de quo Lucas loquitur, cum ait: *creſcebat ſapientia*, non fuit reipſa, ſed oſtenſione, & manifeſtatione, & in communi hominum exiſtimatione. Hanc expoſirionem ſequuntur antiquiſſimi & grauiſſimi Doctores, quorum teſtimonia, quia perlongum eſſet, omnia recenſere, ſelectiora hic tanrum apponam.

Luca 2.

D. Cyrill.

D. Cyrillus in Io. 1. cap. 17. *Non vt Deus profeciſſe intelligitur Chriſtus, verùm, quia magis eum in dies homines admirabantur, illorum potius de Ieſu opinio, quàm illius perfecta creſcebat gratia; vt magis in dies cognoſcentes magis illum procedere, ac gratia creſcere arbitrarentur*. & in Theſauro lib. 10. cap. 7. *Cum audis, Chriſtum profeciſſe in ſapientia, & gratia, noli putare quidquam ei additum eſſe, ſed quia videntibus, & audientibus eum ſapientiorem, gratioremque in dies ſe præbebat; ideo dicitur profeciſſe*.

Idem.

D. Gre. Naz.

D. Gregorius Nazianzenus oratione 20. de laudibus Baſilij ad idem, in hunc modum loquitur: *Proficiebat* (inquit) *Chriſtus vt ætate, ita etiam ſapientia, non quod hæc in illo incrementum caperent; quid enim eo, quod a principio perfectum erat, perfectius eſſe poſſet? Sed quòd hæc paulatim detegeretur, & eluceret*.

D. Ioan. Damaſ.

Accedit D. Ioannes Damaſcenus dum lib. 3. fidei cap. 22. inquit: *Proficere ſapientia, & ætate, & gratia idcircò dicitur Chriſtus, quòd ætate quidem creſceret, per ætatis autem incrementum, ſapientiam eam, qua præditus erat, in lucem proferret*.

D. Bern.

Rurſus D. Bernardus homil. 3. ſuper Miſſus: perbelle, vt aſſolet, hæc ſcripſit. *Vir erat Ieſus necdum etiam natus, ſed ſapientia, non ætate animi vigore, non viribus corporis maturitate ſenſuum, non corpulentia membrorum. Neq; enim minus habuit ſapientiæ, vel potius non minus fuit ſapientia Ieſus conceptus quam natus, paruus, quam magnus; ſiue ergo latens in vtero, ſiue vagiens in præſepio, ſiue iam grãdicolus interrogans Doctores in templo, ſiue iam perfectæ ætatis docens in populo æquè perfecto plenus fuit Spiritu ſancto. Nec fuit hora in quacunq; ætate, qua de plenitudine illa, quam in ſui conceptione Chriſtus accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur, ſed a principio profectus, à principio (inquam) plenus fuit ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, ſpiritu conſilij, & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritu timoris Domini. Nec te moueat, quod de illo legis: Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines: nam quod de ſapientia, & gratia hic dictum eſt, non ſecundùm quod erat, ſed ſecundùm quod apparebat, intelligẽdum eſt: non quia videlicet, aliquid ei nouum accideret, quod antea non haberet; ſed quod accidere videretur, quando volebat ipſe, vt videretur*.

S. Thom. 3. p. q. 12. ar. 2. in corp.

S. Th. etiã ait: *Duplex eſt profectus ſcientię, vnus quidẽ ſecundùm eſſentiã, prout ſcilicet ipſe habitus ſcientiæ augetur; alius autem ſecundum effectum, putà, ſi aliquis ſecundùm eundem, & æqualem ſcientiæ habitum, primò minora alijs demonſtret & poſtea maiora, & ſubtiliora. hoc autem ſecundo modo manifeſtum eſt, quod Chriſtus in ſcientia, & gratia profecit, ſicut & in ætate; quia ſcilicet ſecundùm augmentum ætatis, opera maiora faciebat, quæ ſcilicet maiorem ſcientiam, & gratiam demonſtrabant; ſed quantum ad ipſum habitum ſcientiæ, clariſſimum eſt, quòd habitus ſcientiæ infuſæ in eo non eſt augmentatus, cum à principio plenariè fuerit ſibi omnium ſcientia infuſa, & multò minus ſcientia beata in eo augeri potuit*.

Theodor.

Tit. Boſtren.

D. Epiph.

D. Gauden.

Vigilius.

Eutich.

Theoph.

Beda.

Niceph.

D. Anſelm.

D. Vinc.

Conſpirant deniq; in eandem expoſirionem Theodoretus in Epitome diuinorum Decretorum, capite, quod Chriſtus ſuſceperit animam cum corpore. Tirus Boſtrenſ. Epiſcopus ſuper hunc locum. Epyphanius in anchorato. Gaud. in reſponſ. ad Paulum Diaconum. Vigilius lib. 3. & 5. cont. Eutichæn. Theophilatus in comm. huius loci. Beda ibidẽ, Niceph. lib. 1. hiſtor. cap. 14. Anſelmus lib. 1. Cur Deus homo. D. Vicentius ſerm. infra octauam Epiphaniæ.

Scio huic inrerpretationi obijci poſſe, Primo quia ſecundum illam non ſolum ratione naruræ humanæ, ſed etiam ſecundum naturam diuinam poſſet dici profeciſſe ſapientia, quantum ad oſtenſionem, quatenus verbi diuini ſapientia magis, ac magis ſe prodebat per humanitatẽ Chriſti: ſed hoc nullum putat inconueniens D. Cyrillus loco præcitato. Secundo, & fortius obijci poſſet, quòd Euangeliſta eodem renore verborum dicat: Chriſtum profeciſſe ſapienria, quo ærate: ærare autem manifeſtum eſt, quod re ipſa proficiebat,

& non

& non ſolùm in apparentia, & opinione hominum. Reſpondeo tamen, non ſemel eadem verba in eodem ſacræ Scripturæ contextu habere diuerſam ſignificationem, vt Marth.8. *ſine mortuos*, ſcilicet per peccatum, *ſepelire mortuos ſuos*, hoc eſt, vita functos, & Ioann.1. *Mundus per ipſum factus eſt, & Mundus eum non cognouit*. ecce primo accipitur mundus pro fabrica materiali illius; ſecundò verò pro cætu hominum, ad quos pertinebat agnoſcere, & reuereri Dominum, & Ioann.17. *Aſcendo ad Patrem meum*; nempe naturalem; *& ad Patrem veſtrum*, adoptiuum, ſcilicet. Vel certè per illa verba voluit ſignificare Euangeliſta, quòd quantò amplius re ipſa creſcebat ætate, tantò per incrementa temporis creſcebat ſapientiæ eius manifeſtatio, & apud homines de eius ſcientia opinio. Quòd ſi vrgeas, Euangeliſtam dicere, quòd non ſolùm apud homines, ſed apud Deum creſcebat ſapientia; ergo reipſa eius ſapientia ſuſcepit incrementum, & non ſolùm in apparentia, & opinione hominum, verùm etiam apud Deum: ſecundùm hebraicam autem phraſim: *apud Deum*, idem eſt, quod: *verè*, vt, cùm Zacharias, & Eliſabeth, *iuſti apud Deum* fuiſſe dicuntur. Occurrimus huic obiectioni, quòd, cum idem ſit: *apud Deū*, quod: *verè*: ſenſus eſt, quòd verè hominibus videbatur proficere: vel certè in verbis Euangeliſtæ debet fieri diſtributio accomoda, vt ætate creſceret apud Deum, apud homines verò ſapientia, & ætate.

Matth. 8.
Ioan. 1.
Ioan. 17.

Porrò, nè à Solis metaphora recedere videamur: quemadmodùm contingit Solem, qui prius erat in nubilo, repente nobis illuceſcere, iuxta illud: *Refulſit Sol, qui erat anteà in nubilo, & accenſus eſt ignis magnus*; ita ſimiliter accidit Soli Iuſtitiæ Chriſto Domino, qui, cùm antea fuiſſet ſub nubilo infantiæ, & pueritiæ abſconditus, vt Iſaias loquitur: *Verè tu es Deus abſconditus:* nunc repentè, præter hominum opinionem, in templo effulſit in medio Doctorum, inſtar Solis inter planetas, fulgentiſſimis ſuæ doctrinæ radijs eos illuminans. Itaq; ſplendidiſſimus ille Phœbus (Chriſtum Dominum intelligo) ſub infantilis, & puerilis ſuæ ætatis annis latens, non micabat ſapientia, operaque eius nobis ignota erant; hoc enim ſibi volunt verba illa ſponſæ de illo dicentis: *Comæ eius ſicut elatæ Palmarum, nigræ quaſi coruus*. Sanè priores anni ætatis Chriſti Domini, fuerunt, velut capilli: quia, cum homo, iuxta Philoſophi ſententiam, ſit arbor inuerſa, certè ſicut capilli ſunt velut radices, quæ ex trunco oriuntur, ita, & priores anni ſunt illi, qui ortui ſuccedunt. Cum autem ait, hos capillos nigros eſſe, indicare voluit, luce, & claritate carere, qua nobis innoteſcerēt, vnde ſacri Euangeliſtæ annos illos ſilentio prætereriere. Cùm ergo hoc modo latuiſſet hic fulgentiſſimus Sol nunc repentè reſplenduit inter medios Doctores, diuinæ & humanæ ſuæ ſapientiæ radios, in illos, inſtar Solis, effundens, immò liberaliùs multò, quàm ille: ſol enim hic materialis, quem oculis intuemur, non illuminat ponentes ſibi obicem; quantùmuis enim oriatur Sol, quaſi inuitans te ad lucem ſuam recipiendam, tamen ſi fores, ac fœneſtras illi claudas, in tenebris manes; Chriſtus autem Dominus ipſo Sole munificentior, in Satrapas, & Doctores legis, mentis ſuæ ianuas ad veritatis Euangelicæ lucem ſibi occludētes, ſuæ doctrinæ lumen munificentiſſimè effudit præ deſiderio illo, quo æſtuabat, illuminandi omnem hominem venientē in hunc Mundum, vt verbis Ioannis vtar. Vnde B. Iob in perſona Chriſti, ad hoc alludens, dixit: *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei, & venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit*. Mirum in modum cor Chriſti Domini arctabatur, & idcirco vt illud aliquantulum dilataret, cœpit publicè loqui, *loquar, & reſpirabo paululum*. Interrogabat, & reſpondebat Doctoribus, vt indicat verba Euangeliſta: *Inuenerunt illum in Templo ſedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem eos*. Contingit non ſemel, tam, cùm mater vbera vt magna lactis copia plena habeat, vt præ dolore non poſſit plenitudinem illam continere, catulos canis quærat, quos ablactet, cum proprij filij ei deſint, qui ſugere illud poſſint: non diſſimiliter Chriſtus Dominus, qui ſe amantiſſimæ matri comparauit, *Numquid poterit mater obliuiſci infantis vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar*, diuinæ doctrinæ lacte vbera plena habens, moleſteque ferens filios ſuos nolle illud ſugere, Doctoribus legis,

2. Mach. 1.
Iſai. 45.
Cant. 7.
Ioann. 1.
Iob. 32.
Luca 2.
Iſai. 49.

velut catulis illa ſugenda porrexit.

Deinde, quemadmodum Sol in alio emyſphœrio lucens, occultatur nobis; ad nos tamen appropinquans in crepuſculo Auroræ, paulatim tenebras à noſtro emyſphœrio diſcutit; ita Sol Iuſtitiæ Chriſtus Dominus, ſub infantilis ſuæ ætatis velamine hominibus latens, quaſi in alio emyſphœrio exiſteret; aurora veniente pueritiæ ſuæ, voluit duodecimo ſuæ ætatis anno per doctrinæ ſuæ lucem, tenebras ignorantiæ expellere. Vnde videtur mihi Chriſtus Dominus ſe geſſiſſe in hoc mirabili opere, inſtar prodigioſi cuiuſdam

Salmeron. animalis, cuius meminit doctiſſimus Salmeron Tomo de infantia Chriſti Domini, vbi refert, quod in fronte geſtat pyropum, ſeu carbunculum precioſiſſimam, ac ſplẽdidiſſimam gemmam, contectam tamen cuiuſdam pellis velamine, ex qua cum in noctis caligine illam detegit, clariſſimi lucis radij prodeunt. Sapientia Chriſti Domini fulgentiſſimus erat pyropus, velamine tamen infantiæ, & pueritiæ, quæ ignorantiam præſeferunt, contectum geſtabat; duodecimum verò annum attingens, placuit detegere precioſiſſimum illum ſuæ ſapientiæ pyropum in media caligine ignorantiæ illius populi, qui cùm Deum ſecum humana carne indutum haberent

Ioann. 1. illum non cognoſcebant: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Refert autem

D. Iſid. apud Bert. Bercorius ex D. Iſidoro lib. 11. ſui Reductorij moralis, cap. 57. inueniri quoddam genus carbunculi hanc virtutem habens, quòd librorum folia, ac paleas ad ſe trahat: quid quæſo erant Satrapæ illi Chriſtum in templo audientes, niſi paleæ inanis ſcientiæ ſiccitate arentes? quid illi legis Doctores, & Rabbini, niſi velut folia quædam librorum multis erroribus implicata? tamen Chriſtus Dominus ſapientiæ ſuæ carbunculo, ac mira eius virtute, omnes illos ad ſe traxit, ſi non, vt illum crederent, ſaltem vt in ſapientiæ eius admirationem non modicam raperentur, D.

Luca 2. Luca cap. 2. dicente: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant ſuper prudentia, & reſponſis eius.*

Ad extremum, quemadmodum, vt Aſtrologi docent, Eclypſis Lunæ fit per interpoſitionem terræ inter Solem, & ipſam, ita Beata Virgo, quam *Lunam* appel-

Cant. 6. lant: *quæ eſt iſta, quæ aſcendit, ſicut aurora conſurgens, pulchra, vt Luna*, eclypſim ſuſtinuit per interpoſitionem tridui inter Chriſtum, & ipſam; quo tempore dilecti filij ſui præſentia caruit. Vnde, ſicut Luna eclypſim pariens, fulgentiſſimis Solis radijs priuata obſcuratur; ita Beata Virgo per totum illud triduum, quo filij abſentia durauit, tetra doloris caligine obſcurata manſit, ipſa dicente; *Pater tuus,* Luca 2. *& ego dolentes, quærebamus te.*

Siſtamus parumper hic, ſi placet, & inquiramus à Domino, cur dilectiſſimam Matrem, quæ ardentiſſimo amore eum nutriebat, & educabat, & à qua penè innumera obſequia ſuſceperat, nullamque, nec minimam, alicuius offenſionis cauſam quę Seraphinis innocentior, & purior erat ei præbuerat: cur, inquam, ſua abſentia ſic eam torquere, grauiterque cruciare voluit? Reſpondeo id feciſſe primò propter rationem, quam aſſignat D. Gregor. lib. 5. D. Greg. Magnum. Moral. cap. 9. dum ait: *Abſcondit ſe ſponſus, cum quæritur, vt non inuentus, ardentius quæratur: & differtur quærens ſponſa, nè inueniat, vt tarditate ſua capacior reddita, multiplicius quandoque inueniat, quod quærebat.* Secundò, vt pulchra Virgo, pulchrior redderetur: ſicut enim ignis fornacis pulchrius reddit vas, ita ignis tribulationis pulchriorem reddit animam, vt non obſcurè indicat viſio Zachariæ 1. cui Zach. 1. apparuit Dominus inſidens equo rufo; & ſtans inter pulchra myrteta, *vidi* (inquit) *& ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo:* Sicut enim myrti expilantur, vt pulchræ fiant, & gratiam hortis addant: ita animæ perfectæ, inſtar myrtorum decoræ, & odoriferæ in hac valle lacrymarũ conſtitutæ, aſſidua mortificatione expilantur, & tribulationibus affliguntur, vt quotidiè pulchriores euadant, & ſanctæ Eccleſiæ horto gratiam, & decorem adijciant. Tertiò, vt magis innoteſceret præcellens ſanctitas B. Virginis: nam vt docuit D. Gregorius præfar. moral. cap. 2. tri- D. Greg. Magnum. bulatio charitatem commouet, & alias virtutes, velut ſpecies aromaticas incendit, vt bonum odorem ſpargant, & quam odoriferæ ſint, omnibus pateat. Pulchra verba D. Gregorij, hæc ſunt. *Sicut vn-* D. Greg. *guenta, niſi commota, redolere latius neſciũt & ſicut aromata fragrantiam ſuam, non niſi cum incenduntur, expandunt; ita ſancti*

viri

viri, omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innoteſcunt. Et ſtatim ad hoc applicans illud Domini: *Si habueritis fi-* Matth. 17. *dem, tanquam granum ſinapis*, ſubdit: *granum quippe ſinapis, niſi conteratur, nequaquam vis virtutis eius agnoſeitur, nam non contritum, lene eſt, ſi verò eonteratur, inardeſcit, & quod in ſe acerrimum latebat, oſtẽdit; ſic vnuſquiſque vir ſanctus, cum non pulſatur, deſpicabilis, ac leuis aſpicitur; ſi qua verò illum tritura perſequutionis opprimat, mox omne, quod calidum ſapit, oſtẽdit, atq; in feruorem virtutis vertitur quicquid in illo antè deſpicabile, infirmumque videbatur; quodq; in ſe per tranquillitatis tempora libens operatus fuerat, exagitatus tribulationibus, coactus innoteſcit*.

Quartò, quia tribulatio, mater eſt, & pædagogus, varijs virtutibus animam inſtruens, vt his verbis elegantiſſimè docuit D. Chryſ. D. Chryſoſtomus, homil. 1. in Pſalm. 1. & hom. 62. ad Populum: *Tribulatio omnium virtutum eſt mater, ac filiorum pædagogus, nec debuerunt illi, qui præ omnibus diliguntur, matre priuari, à qua nutriantur, nec pædagogo, cuius induſtria doceantur, vt non ſolum magnis vitijs, ſed etiam minimis defectibus liberentur. Illi ſanè antequam ſanctam conuerſationem arriperent, fortaſſis in grauia ſunt peccata prolapſi, & poſt conuerſionem ſuam modicos defectus, & leuia peccata patrare non ceſſant, ad quæ ipſa carnis fragilitate propè modum impelluntur; tribulationes verò præterita crimina, & præſentia peccata non ſine ſuauiſſima Dei diſpenſatione caſtigant. Quod videmus in mendico Lazaro: recepit enim ille mala, ideſt, labores, & corporis dolores, ac plagas in vita ſua, vt caſtigatis, & purgatis defectibus ſuis conſolationem diuiti Epuloni negatam acciperet. Nonnunquam etiam vitiorum fallaci ſuauitate perfecti tentantur, & rerum temporalium curis, velut Syrenarum cantu, præpediuntur, ne nouos faciant in virtute progreſſus, & tribulationis flagello à vitijs arcentur, a rerum labentium amore reuelluntur, & ad currendum in via Spiritus incitantur; nam multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt*. Hæc D. Chryſoſtomus.

Licèt autem hæc tribulatio opus non eſſet Virgini, tanquam pædagogus ad defectum aliquem in ea emendandum, vel excoquendum; profuit tamen illi, vt mater quæ ab vberibus auellit infantem, vt robuſtior fiat: ſic tribulatio illa conſolationis dulcedine Beatam Virginem priuans, fortiorem, & robuſtiorem illam reddidit, 2. Cor. 12. iuxta Pauli ſententiam: *Virtus in infirmitate perficitur*. Sicut autem non ſolum Virgo, ſed & Ioſeph illius tribulationis particeps fuit, ita & huius incrementi nõ fuit expers. Vtrique ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia V.

Agitur de noſtro profectu ſpirituali in eadem verba: Proficiebat ſapientia, & gratia apud Deum. Lucæ 2.

DE profectu ſpirituali acturi, ſermonem hunc minimè dirigemus ad peccatores, ſpirituali gratiæ vita carentes, ſed ad iuſtos, & pœnitentes. Nam quemadmodum animantibus repugnat incrementum vitæ, niſi ipſa prius viuant, ita & repugnat fidelibus incrementum vitæ ſpiritualis, niſi vitæ gratiæ prius participes ſint. *Sapientiam* ergo 1. Cor. 2. *loquimur*, ſi non *inter perfectos*, vt dicebat D. Paulus, ſaltem inter iuſtos, quorum proprium eſt creſcere de virtute in virtutem, inſtar lucis mane ſplendentis, iuxtà illud ſapientis, Prouerb. 4. *Iuſtorum ſemita* Prou. 4. *quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſq; ad perfectum diem*. E contrà, peccatorum proprium eſt, Lunam imitari, quæ quantùm creſcit per primam quindenam, tantùm decreſcit per aliam; quibus conuenit illud Eccleſ. *Stultus, ſicut Luna, mutatur*. Eccl. hi ſequuntur veſtigia Ruben, cui dictum fuit: Gen. 49. *effuſus es, ſicut aqua, non creſcas*.

Ad rem igitur noſtrã proprius accedẽs, illud certè apud me plurimùm commendat charitatem Dei ergà nos, quòd inſtar famelici cibum valde appetentis, ardenter deſiderat noſtrum profectum ſpiritualem: *Ego* (inquit) *alium cibum habeo mandu-*

eare

care, quem vos neſcitis. Hic cibus ſanè erat noſter profectus ſpiritualis, vt D. Bernard. ſapienter eſt opinatus, dum ſerm. 71. in Cantica, ait: *Paſcens, ita, puto, nihilominus paſcitur ipſe, & quidem: eſcis, quibus libenter veſcitur, profectibus noſtris: Etenim gaudium Domini, fortitudo noſtra. Ita ergo, & cum paſcit, paſcitur ſimul nos ſuo gaudio ſpirituali reficiens, & de nouo æque ſpirituali profectu gaudens. Cibus eius, pœnitentia mea, & cibus eius, ſalus mea; cibus eius, ego ipſe. an non cinerem, tanquam panem manducat? ego autem quia peccator ſum, cinis ſum, vt manducer ab eo. mandor cum arguor, glutior cum inſtituor, decoquor cum immutor, digeror, cum transformor, vnior cum informor. Nec putare debemus, cibum iſtum maioris noſtri ſpiritualis profectus, quia cineri comparatur, eſſe guſtui Domini inſulſum, & ob id minus appetibilem; nam ſolent interdum nimis ægroti cibos dulces, & ſalubres horrere, & cibos inſuaues poſtulare; ideoque Dominus, qui, vt eſt in Iſaia, ægrotationes noſtras aſſumpſit, & morbo impatientis amoris in Cruce decubuit, cibos dulces, id eſt, homines corpori ſeruientes, & in croceis, & in lectulis delicatis laſciuientes exhorruit, & mentes in contritiones amaras, & cinere humilitatis coopertas, velut cibum ſuauiſſimum appetiuit.* Hoc ergo deſiderium *noſtri profectus ſpiritualis, æterni Regis mentem ſollicitat, illudq; in Cruce manifeſtare voluit, dum omnium laborum ſuorum veluti oblitus, ſolius ſitis memoriam fecit, dicens: Sitio. qui enim dolores, & cruciatus intolerabiles, ignominias horribiles, & contemptibilem nuditatem patientiſſimè ſuſtinebat, bene poſſet ſitim diſſimulare, niſi eam, ad oſtendendum deſiderium noſtri ſpiritualis profectus, manifeſtare oporteret.*

D. Bern. ſerm. 71. in Cant.

Pſal. 100.

Hoc deſiderium non obſcutè indicant verba illa, Cant. 7. *Mane ſurgamus ad vineas, videamus, ſi floruit vinea. Si flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.* Sponſa namq; per agros, ac villas, iuſtos nondum perfectos intelligit, in quibus non fructus omnino maturos requirit, ſed flores, ideſt, ſancta deſideria, & fructuum initia, aut fructus acerbos, hoc eſt opera bona, tametſi nonnullis imperfectionibus mixta. Atque hinc eſt, quòd cùm naturale ſit deſideranti, & inquirenti aliquid impensè, cùm illud obtinet, lætari, & gaudere. Ita Deus, vt Sophonias teſtatur cap. 3. cum proficimus, valde ipſe exultat. *Gaudebit ſuper te in lætitia, ſilebit in dilectione ſua, exultabit ſuper te in laude.* Sed quid quæſo non gaudeat de bonis ſuis? Bona autem noſtra, & perfectio noſtra, bona Dei ſunt; quia ſicut nos, membra eius ſumus, ita nullum bonum quod ab eo alienum ſit, in nobiſmetipſis habemus. quòd ſi aliqui defectus, aliquæ maculæ in anima perſeuerent, ipſe ſilet, ob dilectionem ſuam, qua illam diligit, & patienter diſſimulat, non vt maculas probet, ſed vt eas oportuno tempore abradat. Nec ſolùm gaudet, ſed exultat, & quaſi tripudiat ob profectum noſtrum ſpiritualem, & Patrem, qui illam ad ſe trahit, iubilo perpetuo collaudat. In hanc certè cogitationem inciderat ſine dubio D. Auguſt. cum epiſt. 85. perbellè dixit: *Cogitemus nos tantò ſimiliores Dei, quantò eſſe potermus eius participatione iuſtiores. Si ergo eius opus eſt, regeneratio noſtra, ſi eius opus, eſt ſanctitas, & puritas noſtra; quid mirum, ſi deſideret opus ſuum perfici, & ſanctitatem à nobis comparari? Quid mirum, ſi gaudeat, & exultet, cùm nos viderit eam virtutis menſuram acquirere, propter quam nobis dandam, tanta & tam admirabilia fecit, & tot laborioſa, & indigna ſuſtinuit?*

Cant. 7.

Sophon. 3.

D. Auguſt.

Cùm igitur Deus noſter, tàm ardenter noſtri ſpiritualis profectus deſiderio flagret, mirum eſt, quomodo voluntati illius nos conformantes, eumdem profectum ſpiritualem auidiſſimè non deſideremus. Etenim in Regum Curijs, nihil eſt, quod Aulicos ad hæc, vel illa ſtudia capeſſenda potentius impellat, quàm cognitum deſiderium, & voluntas Principis: hæc enim, inſtar primi Cœli, quod motu ſuo inferiores orbes ſecum rapit, ſubditorum voluntates ad ſe trahit, & ad bonum, vel malum perficiendum inclinat; adeò, vt nec clauus in poteſtate peritiſſimi Gubernatoris poſitus tam facilè nauim huc, aut illuc dirigat, quàm vna voluntas Principis ſubditorum voluntates, & deſideria ad ſe trahat. Vnde experientia perſæpè compertum eſt, quòd ſi Rex bellicoſus ſit, & ad prælia procliuis, tunc apud ſubditos diſciplina militaris viget, & bellandi deſiderium accenditur. E contra verò, ſi Rex pacificus ſit, omnes in tranquillitate

viuunt

viuunt, & Reſpublica ſerena pace perfruitur: Si Rex literarum ſtudio deditus, vel ſapientiæ amator ſit, florent tunc literæ, & Academiæ in dies creſcunt. Ac tandem, vt dicit Eccleſiaſticus cap. 10. *Secundum Iudicem Populi, ſic & miniſtri eius: & qualis Rector eſt Ciuitatis, ſic & habitantes in ea*. Cum igitur Deus, vir deſideriorum ſit, & noſtrum profectum ſpiritualem ardenter deſideret, debemus & Regi noſtro nos conformantes, eundem ardenter cupere. Quòd ſi vna voluntas Moyſis, Exod. 35. cupientis Tabernaculum ædificare Domino, populum vniuerſum adegit, vt libentiſſimè opes ſuas, & quicquid habebant, in opus deſtinatum tribuerent, *egreſſaq; omnis multitudo filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi obtulerũt mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino ad faciendum opus Tabernaculi teſtimonij*. Et ſi vna etiam voluntas Salomonis Templum extruere volentis vniuerſos Iſraëlitas ad ædificationem incitauit, & plurimos eorum ad laborem applicauit; erubeſcamus, ac ſocordiam, & oſcitantiam noſtram excutientes incrementum ſpiritualis huius ædificij, quod in nobis Dominus cõſtruere ſatagit, ſummo deſiderio cupiamus. Dixi: *ſummo*: quia deſiderium hoc non debet eſſe tepidum, ſed feruens, ſed ardens, ſed robuſtum adeò, vt omnes difficultates ſuperet, quæ profectum noſtrum ſpiritualem quoquo modo impediunt. Vt enim dixit D. Hieronymus lib. 1. in Matth. cap. 5. explicans verba illa. *Beati, qui eſuriunt iuſtitiam: Non nobis ſufficit velle iuſtitiam, niſi iuſtitiæ patiamur famem; & ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera intelligamus*. quibus conſonant egregia illa D. Bernardi verba: *Eſuriat amplius, & qui deſiderat abundantiùs adhuc deſideret, quoniam quantumcũq; deſiderare poterit, tantum eſt accepturus; immò vero non ſecundum imperfectionem, modumuè deſiderij, quoniam donec perfectè habeat, perfectè deſiderare non poteſt, ſed nec, & perfectè habere, donec perfectè deſideret, ſed menſuram accepturus eſt bonam, & confertam, & coagulatam, & ſupereffluentem*.

Eccl. 10.

Exod. 35.

3. Reg 5. & 6

D. Hieron.

D. Bernard. in com men. huius loci.

Horum Patrum ſententiam Simon de Caſſia & ipſe doctor pius, & in diuinis literis eruditus in hũc modum latius expoſuit: *Sed quid eſt eſurire, & ſitire iuſtitiam niſi ſe inſatiatum, & inſatiabilem reddere ad omne perperam factum, ad vendicandum in ſe ipſo delictum, & puniendum amarè peccatum? ad rependendum pro gratia, ad debita perſoluenda, ad cuſtodiendum immaculatè depoſita, & ad perficiendum ſine contradictione iniuncta, & ſine ſimulatione conſulta, & ad patienter portandum quæcunq; noſtræ ſenſualitati contraria; nec non & ſemper tenere indeſinenter moderamina vitæ, ac ſi quæ interminata tormenta, & mortem intentatam promptè potius ſuſcipere, quàm ipſam iuſtitiam intermittere*. Hactenus ille.

Simon de Caſſia.

Inter multa tamen, quæ animum noſtrum excitare poſſunt, immo, impellere ad hoc, vt ſedula diligentia, ſtudio in dies proficiendi ſemper incumbamus, tria præcipuè ante oculos ponam, quæ ad hunc effectum non modicam vim habere videntur.

Primum eſt, quòd ſtudium proficiendi, eſt ſignum inhabitantis gratiæ, licèt enim abſque diuina reuelatione nemo agnoſcere poſſit infallibili certitudine, iuſtificantis gratiæ munere ſe eſſe donatum, Eccl. dicente cap. 9. *Nemo ſcit, an odio, vel amore dignus ſit*: poteſt tamẽ ex aliquibus inditijs, & probabilibus argumentis id veriſimiliter coniectari, vt his verbis non obſcurè indicauit D. Leo Papa ſermone omnium ſanctorum, cap. 5. *Fœlix mens, quæ hunc concupiſcit cibum, & ad talem æſtuat potum, quem vtique non expeteret, ſi nihil de eius ſuauitate guſtaſſet. Audiens autem dicentem ſic propheticum ſpiritum: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus, accepit quandam ſupernæ dulcedinis portionem, & in amore caſtiſſimæ voluptatis exarſit, vt ſpretis omnibus temporalibus ad edendam, bibendamq; iuſtitiam toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet veritatem, dicentis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. quoniam nihil eſt aliud diligere Deum quam amare iuſtitiam*.

Eccl. 9.

D. Leo.

Pſal. 33.

Matth. 22.

Secundum, quod vehementer animum pulſare debet ad progreſſus continuos faciendos in vita ſpirituali, doctrina eſt illa antiquorum Patrum non ſemel dicentium, *non proficere, deficere eſſe*: ita loquitur in primis D. Leo Papa ſer. 8. de Paſſione: *quantumlibet quiſq; iuſtificatus ſit*, habet

D. Leo Papa.

quod eſſe non poteſt? quid enim ſtat in hoc ſæculo? & certè de homine ſpecialiter dictum eſt: fugit, velut umbra; & nunquam in eodem ſtatu permanet. Præterea
Idem. epiſtola 91. ad Abbates congregatos ſubdit hæc alia lectu digniſſima. *Recedant à me,& à vobis, qui dicunt: Nolumus eſſe meliores,quàm patres noſtri,tepidorum, & diſſolutorum ſe filios proteſtantes, quorum memoria in maledictione eſt; quia manducauerunt vuas acerbas, quibus dentes filiorum obſtupuerunt: aut,ſi ſanctis, & bonæ memoriæ Patribus gloriantur, imitentur certe ſanctitatem,quorum indulgentias, diſpenſationeſq; pro lege defendunt. quamquã ſanctus Elias, non ſum, inquit, melior, quàm Patres mei, & non dixit ſe nolle Patribus eſſe meliorem. Vidit Iacob in ſcala Angelos aſcendentes,& deſcendentes,numquid ſtantem quempiam,ſiue ſedentem? non eſt ſtare omnino in pendulo fragilis ſcalæ, neque in incerto huius mortalis vitæ quicquam in eodem ſtatu permanet; non habemus hic manentem Ciuitatem. nec futuram adhuc poſſidemus,ſed inquirimus; vt aſcendas ergo neceſſe eſt, aut deſcendas. Si attentas ſtare, ruas neceſſe eſt. minime pro certo eſt bonus,qui melior eſſe non vult; & vbi incipis nolle fieri melior,ibi etiam deſinis eſſe bonus.* Hactenus D. Bern.

Ceterùm quia in prõptu eſt obiectio illa: Qui in aliquo gradu gratiæ, & virtutum poſitus,nunquam in graue peccatum incidit, licet tepidè viuat, & deſideria proficiendi deponat, & nullo modo adeptam virtutem promouere curet, nequaquam ab illo gradu priùs adepto deficiet; eſt enim certum ſecundum communem Theologorum ſententiam, charitatem ex multiplicatione peccatorum venialium non minui,alioquin tot poſſet quis peccata venialia committere, vt tandem illam omninò deſtruerent; vt enim docent Phyloſophi, *finitum per ablationem finiti tandem conſumitur*. Propter hoc compellimur,rationes in medium producere, quibus ſanctorum Patrum doctrinam traditam,veram eſſe innoteſcat,dum aſſerunt; *non proficere, deficere eſſe*. Inter has primum locum habeat illa,quam me docuit
D.Thom. D.Tho. 2. 2. q. 2. art. 10. nimirum, quòd virtutes ſupernaturales ex Dei infuſione prouenientes,non modicum detrimentum ſubeunt ex incuria, & negligentia noſtra. Peccata enim licet leuia ad earum interitum, & corruptionem diſponunt:manifeſtum autem eſt, non parùm deficere, qui negligentia ſua ſe conſtituit in via, & diſpoſitione ad admittendam gratiam.

Secunda ratio: quia, dum virtutes nihil operantur, affectus inordinati renaſcuntur, & vitia pullulant, quæ ſui augmento virtutes infirmiores,& imbecilliores efficiunt. Quemadmodum enim exercitus decem millium militum aduerſus alium æqualem exercitum pugnans, illi viribus æqualis eſt; Si verò iſte aduerſarius creſcat, & viginti millibus militibus conſter,iam ille primus, ſine vlla ſuorum militum diminutione, ex ſolo augmento contrarij alterius infirmior fit: ita charitas tepidi hominis eadem, ſecundum ſubſtantiam manens,virtute reſiſtendi minor eſt, & operandi facilitate infirmior eo ipſo,quod paſſiones robuſtiores fiunt, & affectus contrarij rebellant, & vitia iam victa, & proſtrata iterum defectionem cogitant,& aduersùs charitatem inſurgunt. Prodeſt etiam ad idem hæc ſimilitudo: quemadmodum ſi hoſtes aliquem fortiſſimum Ducem captiuum tenerent, & catenis ligatum in carcerem conijcerent, licet alioquin ille in ſeipſo fortiſſimus eſſet, quia vires ſuas non amiſiſſet,comparatione tamen externorum impedimentorum, infirmus cenſeretur, quia non valeret eã prærumpere, nec catenas effringere, nec profunditatem carceris ſuperare: ita charitas,ſe ipſa,fortis eſt,cum gradus ſuæ perfectionis non perdat: at quia affectibus eſt ligata, & paſſionũ vinculis compedita, & veluti in profundum lacum tepidi cordis coniecta, & multis perturbationibus implicita, non poteſt facile,ſicut anteà, ſtudijs perfectionis inſiſtere, & hoſtes ſuos ſuperare.

Tertia ratio: Quia ille verè deficit, qui ſuo muneri non ſatisfacit: iuſti autem proprium munus eſt, proficere in gratia accepta, Apoſtolo dicente: *Obſecro vos fratres,ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, tunc autem intelligitur gratia vacua, 2.Corint.6. cum otiatur, & ab exercitio bonorum operum ſe abſtinet. Certè viri ſpirituales,in hac vita viatores ſunt,qui in cœleſtem Patriam greſſibus meritorum, feſtinant.Diſcipuli ſunt,qui perfectionis ſcientiam, & artem benè viuendi perdiſcunt.

Pueri

Pueri ſunt, qui optimis alimentis, non ſtatura corporis, ſed mentis augeſcunt: ergo manifeſtè a ſua obligatione deficiunt, ſi in via ſedeant, ſi indies in ſanctitatis diſciplina non proficiant, ſi puſilli ſemper maneant, & debitam virtutis menſuram non acquirant. Profectò mercator, qui potuit nouum lucrum acquirere & prætermiſit, ab alijs mercatoribus irridetur, & in ſua arte defeciſſe iudicatur; & ſi abſque cauſa debita contrahat, quibus ſoluendis ſuam ſubſtantiam imminuat, imprudens, & ſtultus habetur. In idipſum, immò in multò maius nos, non proficientes, crimen incidimus, quoniam, & cœleſtes theſauros, cum poſſimus, non lucramur, & quotidianis imperfectionibus, pœnarum ſuſtinendarum debitores efficimur. Hinc egregie Richard. Victorinus lib. 1. in Apoc. cap. 5. dixit: *Meritò etiam ipſe Dominus non ſolùm malè agentes, ſed etiam otioſos increpat, dicens: Quid hic ſtatis tota die otioſi? quoniam non ſolum delinquũt, qui mandata transgrediuntur, ſed, & qui menſuram, ad quam vocati ſunt, perfectionis non complent.* Atque ex his ſufficienter me arbitror ſatisfeciſſe obiectioni ſuprapoſitæ, cùm non obſcurè oſtenderim, qua ratione, abſq; diuinæ gratiæ diminutione decreſcat quis in via perfectionis.

Richard. Vict.

Porrò, iam nonnulla documenta profectui noſtro ſpirituali multùm conducentia in medium proferamus. Primum eſt, quod tametſi profectus noſter ſpiritualis, ſit donum cœleſte gratuito Dei munere nobis collatum, iuxta illud D. Iacobi: *Omne datum optimum deſurſum eſt, deſcendẽs à Patre luminũ*; noſtram tamen cooperationem deſiderat. Nec enim ſufficit cognitio, & deſiderium profectus ſpiritualis, ſi alioquin torpens operi manum non admoueas. Equidem ſola cognitio ſine deſiderio, parùm eſt vtilis; quid enim proderit decorem perfectionis agnoſcere, nec eam cupere, niſi humanæ naturæ infirmitatem oſtendere, cuius, (vt dixit Auguſtinus) *præuolat intellectus, & tardè ſequitur, & aliquando non ſequitur humanus, atque infirmus affectus*, deſiderium, eſt ſine actione mutilum, quia ad hoc datum eſt nobis, vt ea, quæ deſiderio cupimus, operis labore aſſequamur. Itaque ad hoc bona cognoſcimus, vt deſideremus; & ad hoc deſideramus, vt opere compleamus.

Iacob. 1.

Aug. in Pſal. 118. conc. 9.

Vnde D. Leo Papa ſermo. 2. Epiphaniæ, cap. 3. eleganter dixit: *Quamuis omnium bonorum ſit ipſe largitor, noſtræ tamen etiã fructum quærit induſtriæ. Non enim dormientibus prouenit Regnum Cœlorum, ſed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus, vt, ſi dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere quod promiſit.* Dominus quidem Salomoni ſapientiam dare decreuerat, ſed quouſque poſceret Salomon Dominus expectauit; quin, & excitauit illum ad poſtulandam dicens. *Poſtula quod vis & dabo tibi*: ſic, & nos petere debemus, & orationibus, gemitibus, ac bonis operibus poſtulare, vt ſecundùm deſiderium cordis noſtri detur nobis optata perfectio. Hæc duo, deſiderium, & opus, ſunt velut pondera horologij, quæ in continuo motu ſui profectus iuſtum conſeruant: ſunt duo oculi, quos homo in iſtud maximum ſuæ mentis bonum intendit, quorum meminit Dauid Pſal. 122. dicens: *Sicut oculi ſeruorum in manibus Dominorum ſuorum: & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Nam deſiderium, & opus noſtrum talia ſint oportet, vt inſtar oculorum, intentionis ſimplicitate Deum reſpiciant, & de manibus eius ſpiritualis profectus inæſtimabile donum frequenter extorqueant. ſunt etiam duæ manus, de quibus ait Iob: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Dentes enim meditationis, quorum eſt, diuina beneficia, & propria peccata ruminando comminuere, carnem lacerant dum eam pro commiſſis delictis debita ſeruitute caſtigant, & manus deſideriorum, & operum animam portant, quia de virtute in virtutem vehunt, & ne in priſtina delicta cadat, diligentiſsima cura ſuſtentant. Sunt denique *duæ alæ datæ mulieri, quæ peperit maſculum vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quænam eſt iſta mulier? nonne anima ſui ſpiritualis progreſſus auida, quæ cœleſtis ſapientiæ luce, tanquam Sole veſtitur, & Lunam murabiliratis calcat, & caput eius virtutibus, tanquam ſtellis circumdatur? & quem maſculum peperit, niſi propoſitum proficiendi, & ad ſanctitatem ſine vlla

D. Leo Papa.

3. Reg. 3.

Pſal. 122.

Iob 13.

Apoc. 12.

vlla ceſſatione properandi? in quod autem deſertum ſecedit, niſi in ſecretum ſpiritualis vitæ? vt interpretatur contemplator Richardus lib.4.in Apoc. c. 1. *In quo, tanquam in amabili ſolitudine ab ſtrepitu ſæculi deliteſcit. Duabus itaque alis deſiderij, & operis, in hunc deſertum volat, quia benè deſiderando, & operando adoptatam ſpiritus tranquillitatem appropiat. Ibi autem, ſcilicet in ſpirituali conuerſatione, alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis; quia initio virtutis, & in profectu, & perfectione eius, diuina gratia reficitur. Initium virtutis eſt tempus, quo à malo fugit, & pœnitentiæ præteritorum inſiſtit. Profectus, ſunt tempora, quoniam multa virtutibus acquirendis intendit. Perfectio eſt dimidium temporis, quia perfectio noſtra in hac vita ſemper imperfecta eſt, & quaſi dimidiata, quæ ſolùm in futura vita omnino perficitur:* His ergo duobus ponderibus deſideriorum, & operum horologium vitæ noſtrę mouetur: his duobus pedibus nobis currendum eſt, quos perfecit Dominus tanquam ceruorum, vt ſuper excelſa ſtatuat nos: his duabus manibus laborãdum, & his duabus alis velociter volandum eſt, vt in via diuini famulatus in dies magis, ac magis creſcamus. Deſideria virtutis, ſine virtutis operibus minime ſufficiunt: eſſet enim velle vno tantum pede progredi, aut vna tantùm ala volatum tentare. Vnde rectè Salomon Prouerb. 21. dixit: *Deſideria occidunt pigrum,* ſcilicèt, operibus deſtituta: qui enim obligationi ſuæ ſatisfacit ſolo deſiderio, quãdo adeſt facultas operandi, immo, cum operari renuit; tunc in efficacia conuincũtur eius deſideria, vt futilia. Vnde quod dixit vidua Eliæ, 3. Reg. 17. *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam ignem mihi, & filio meo:* myſterium inuoluit eius, quod nos facere debemus, nempe, vt colligamus duo ligna: alterum boni deſiderij, boni operis alterum, quibus ignem feruoris, & deuotionis in nobis excitemus.

Richard.

Pſal. 17.

Prouer. 21.

3. Reg. 17.

Secundum documentum ad progreſſum ſpiritualem faciendum docuit nos D. Ambroſius, modum præſcribens, quo ſit proficiendum: Pſalmo enim 1. in illa verba: *Beatus vir.* ait; *Nobis initium bonorum, abſtinentia peccatorum eſt, quoniam legimus: declina à malo, & fac bonum, hic enim, ordo eſt diſciplinæ, vt ab inferioribus ad perfectiora contendas, ne terrearis mole maiorum, qui leuiorum exordio habeas prouocari; ſcalarum enim ſimilem eſſe ſcripturã nos docet, pietatis aſcenſum, per quas vidit Angelos Domini aſcendentes, & deſcendentes ſanctus Iacob, vir exercitationis, qui nobis propoſitus eſt, vt per illum cognoſceremus gradum virtutis paulatim nos proferre debere; & ita poſſe ab imis ad ſumma contendere, ſi per proceſſus gradiamur exiguos ad ea, quæ videntur humanæ altiora naturæ.* Hactenus D. Ambroſ. Si autem ignoras ordinem graduum, per quos tibi aſcendendum eſt, vt multùm proficias, audi B. Caſſ. hæc ſcribentẽ: *Principium noſtræ ſalutis, ſapientiæq; ſecundum ſcripturas, timor Domini eſt; de timore Domini naſcitur compunctio ſalutaris, de compunctione cordis procedit abrenunciatio, ideſt, nuditas, & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluntatum generatur: mortificatione voluntatum extirpantur, atque euaneſcunt vitia vniuerſa, ex pulſione vitiorum virtutes fructificant, atque ſuccreſcunt, pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, puritate cordis Apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur.* hæc Caſſian.

D. Ambr.

Pſal. 1.

Gen. 28.

Io. Caſſ. lib. 4. de inſtit. cap. vltimo.

Tertium documentum eſt; vt ſi quis proficere deſiderat, etiam modicas proficiendi occaſiones ſibi præteriri non ſinat. hoc documentum docuit me D. Paulus actor. 26. dum dixit: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno non tantùm te, ſed etiam omnes, qui audiunt, hodie, fieri tales, qualis, & ego ſum.* ecce prius in modicis, & minoribus, poſteà in maioribus cupiebat Apoſtolus fieri audientes, ſui imitatores, vt ordinata eſſet virtutis progreſsio. Certè negociator, quamuis magna lucra magno voluptatis ardore quærat, modica tamen non ſpernit, ſciens, quia multa modica lucra, vnum magnum faciunt, & non modicam acceſſionem ſuis diuitijs adiũgunt. Eodem prorſus modo ſi multiplicentur parui profectus, magna ipſi merita congerunt, & non paruam noſtræ virtutis partem ipſi conſtituunt. Hoc idem me docent Aurifices, qui cum aurum manibus tractant, non ſolùm caute ſe gerunt, ne magnam auri partem perdant, ſed etiã ne minimum granum amittant: Sciunt enim, quod ex multis minimis auri granis, magna auri copia conflatur. O incredi-

Act. 26.

bilem ſtultitiam noſtram? eſt ne aurum, quod tractant Aurifices meritò virtutum precioſius? ſed ſi illi cautè ambulant, ne modicum metalli corruptibilis perdant, cur nos ambulamus incautè, immò imprudenter, qui tot virtutis adaugendæ occaſiones perdimus, & gemmas meritorum precioſiſsimas non tantùm obliti, aut incurioſi, ſed ſcientes, & videntes derelinquimus? Verùm interrogabis: quid eſt, occaſiones modicas proficiendi incidentes non præterire? forſitan aliquis, iſta legens, linguam, quam non nouerat, nunc audit, & nos modica exquirentes non intelligit? Huic, vt intelligat, honeſtiſsimam ac fideliſsimam Ruth, in proficiendo, formam proponamus; illa quippe ſimul cum ſocru ſua mendicitate, & fame laborans, veniam ad quærendum tantæ neceſsitatis remedium, in hæc verba popoſcit. *Si*
Ruth. 2. *iubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium; vbicumq; clementis in me Patris familias reperero gratiam.* annuēte matre, *abijt, & colligebat ſpicas poſt terga metentium.* Fœlix illi tàm exigua annonæ collectio fuit, vt ex ſpicis à meſſoribus relictis, atq; contēmptis ad menſam, & ex menſa, ad lectum ditiſsimi Patriarchæ, & ex lecto ad coniugium eius, & ad poſſeſsionem omnium, quæ ipſe habebat, hilariter properauerit. Conſidera & tu ſimiliter mendicitatem tuam, & expende famem tuam, quam, vt cibi ſumptione compeſcas, collige ſpicas à metentibus derelictas, & modicas proficiendi occaſiones, quas magni in ſuis oculis ſpernunt, & congrega in ſinum tuum, & ſic primùm fami virtutis te crucianti vtcumque ſatisfacies. poſteà ad menſam, in qua ſatieris, ideſt, ad magna merita virtutis accedes; Deinde in lectum hominis diuitis admittèris, qui dicet tibi; vt non metuas, & dormias vſq; manè, ac tādem, te in ſponſam chariſsimam accipiet.

Addo, pręter tria nuper exhibita documenta, tria quoq; obſeruanda, quæ iuſtos creſcere faciunt. Primum eſt, paupertas, pro Dei amore patienter lata, iuxta verba
Gen. 41. illa Ioſeph Gen. 41. *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Secundum eſt, interna aliqua cordis oppreſsio, vt in figura contigit filijs Iſrael Exodi 1. vbi di-
Exod. 1. citur: *quantoq; opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant.* Tertium, eſt humilitas: De Eſther enim cap. 11. ob eximiam eius humilitatem legitur: Eſth. 11.
fons paruus creuit in fluuium maximum.

Quid plura? ſanè omnia, quæ hucuſq; dixi, quaſi compendio video comprehendiſſe Chriſtum Dominū in parabola illa:
Sic eſt Regnum Dei, quemadmodùm, ſi iaciat homo ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte, ac die, & ſemen germinet, & creſcat, dum neſcit ille; vltrò enim terram fructificat; primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica & cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis. quid hìc aliud nobis à Chriſto explicatur, quam profectus viatorum per verbum Dei diuina largitate illis miſſum? Sed, vt dilucidior aliquatenus fiat tota hæc parabola, non grauabor expoſitionem illius ex D. Gregorio
adijcere. *Semen* (inquit) *homo iactat in terram, cum cordi ſuo bonam intentionem inſerit, & poſtquam ſemen iactatum eſt, dormit, quia iam in ſpe boni operis quieſcit: nocte vero ſpargit, ac die, quia inter aduerſa, ac proſpera proficit, & ſemen germinat, & creſcit, dum neſcit ille; quia, cum adhuc metiri incrementa ſua non valet, ſemel concepta virtus ad profectum ducitur, & vltrò terra fructificat, quia præueniente ſe gratia, mens hominis ſponeanea ad fructū boni operis ſurgit; ſed hæc eadem terra primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum producit in ſpica. Herbam quippe producere, eſt inchoationis bona adhuc teneritudinem habere: ad ſpicam verò herba venit, cum ſeſe virtus animo concepta ad profectum boni operis protrahit; plenum verò frumentum in ſpica fructificat, quando iam tantùm virtus proficiat, vt eſſe robuſti, & perfecti operis poſſit. Sed, cum ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt tempus meſſis. Omnipotens enim Deus in productum fructum falcem mittit, & meſſem ſuam diſſecat; quia, cum vnumquemque ad perfecta opera perduxerit, eius temporalem vitam per emiſſam ſententiam incidit, vt granum ſuum ad cœleſtia horrea perducat. Cum igitur deſideria bona accipimus, ſemen in terram mittimus; cum verò operari rectè incipimus, herba ſumus; cum autem ad profectum boni operis creſcimus, ad ſpicam peruenimus. Cumque in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iam plenum fructum in ſpica*

Marc. 4.

D. Gregor. in comment. huius loci.

pro-

Digitized by Google

proferimus. Imitemur ergo fratres, Chri-
1. Ioan. 2. ſtum Dominum: Nam, vt ait D. Ioannes in ſua prima Canonica cap. 2. *qui ſe dicit in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*. Vnde cum Euangeliſta dicat. *Ieſus creſcebat ſapientia, ætate*
Luca 2. *& gratia apud Deum, & homines*, ita & nos ſimiliter creſcamus, vel (vt melius dicam) ipſe creſcat in nobis. Sicut enim corpus humanum ſua habet incrementa, & progreſſus ætatum; ab infanria ad pueritiam, à pueriria ad adoleſcenriam, ab adoleſcentia ad iuuentutem, à iuuentute ad virilitatem; ita oportet, vt Chriſtus ſemper in nobis creſcat, *meliora continuò cha-*
Ephes. *riſmata æmulando*, vt loquitur D. Paulus. Adoleſcit in nobis Chriſtus, & grandior fit, cum iam relicto carnis, ſolidum cibum ſpiritus appetimus, cùm, neglectis terrenis ad cœleſtia aſpiramus. Igitur, qui in Chriſto renarus eſt, oportet, ad illius exēplum, non manere in infantia, ſed in dies creſcere, & progredi, & inſtar Caroli V. ſymbolum illud: *Plus vltrà*: in columnis Herculis exaratum, ſibi vſurpans quæ retro ſunt, obliuiſcendo, ad anteriora ſe extendete cum D. Paulo.

Aduerto tamen, ab hoc proficiendi ſtudio neminem poſſe excipi. Putant enim multi, id proprium eſſe Regularium, qui viam perfectionis ingreſſi ſunt: ſed falluntur, quia non ſemel contigit, coniuges matrimonij vinculo copulatos, amplius proficere, quàm regulares, & Eremitas, vt legimus in vitis Patrum, lib. enim quarto,
Caſſ. in coll. cap. 19. refertur, quòd duo antiqui Patres in Eremo rogauerunt Dominum, vt oſtēderet eis, ad quam perfectionis menſuram perueniſſent? & venit cœleſtis nuncius illis dicens: In villa, quæ eſt in Aegypto adeſt quidam ſæcularis, *Euchariſtus*, nomine, & vxor eius, *Maria*: nondum perueniſtis ad menſuram ipſorum. Exurgentes illi, venerunt in vicum illum, & percūctantes, inuenerūt cellulam ipſius, & vxorem eius, & dicunt ad eam: vbi eſt vir tuus & illa: in campo eſt, & paſcit oues; & introduxit eos in domum. Cum verò factum eſſet, venit ille cum ouibus, & vidēs illos ſeniores parauit menſam, miſitque aquam in peluim, vt lauaret pedes eorum; qui dixerunt: Non guſtabimus quicquam niſi indicaueris nobis prius operationem tuam. Et ille cum humilitate, Ego (inquit) ſum Paſtor ouium, & hæc, vxor mea eſt. Cumque perſeueraſſent illi, rogantes, vt omnia denunciaret, & ipſe nollet dicere, dixerunt ei: Deus miſit nos ad te: audiens autem hoc verbum, timuit, dixitq; eis: ecce oues duas habemus à parentibus noſtris, & quicquid nobis donauit ex ipſis Dominus, diuidimus in tres partes; vnam partem pauperibus, alteram in ſuſceptione Peregrinorum, & tertiam partem in vſum noſtrum. Ex quo autem accepi vxorem meam, neque ego pollutus ſum, neque ipſa; ſed Virgines adhuc permanemus; ſinguli autem remoti ab inuicem dormimus, & nocte induimus nos ſaccis, die verò veſtimenta noſtra accipimus, & vſquehùc nemo hominum cognouit. Cùmque hæc audiſſent illi Patres, admirati ſunt, & receſſerunt, benedicentes Deum. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia VI.

Explicatur adamuſſim, quomodo inſcijs Parentibus puer Ieſus potuerit manere in Templo, & qua ratione illo triduo, quo abſens fuit ab illis, victum quæritarit; ac tandem de dolore, & gaudio Virginis propter Chriſtum amiſſum, & inuentum diſſeritur, in illa verba: Remanſit puer Ieſus in Luca 2.
Ieruſalem, *& in illa alia*: Regreſſi ſunt in Ieruſalem requirentes eum, & inuenerunt illum in Templo.

CVm in hoc genere argumenti nihil certa fide exploratum habeamus multifariam, multiſq; modis licet nobis explicare, qua ratione, quouè modo puer Ieſus remanſerit in Templo parentibus inſcijs, aut ab illis in cœpto

iam reditu ſe potuerit ſubducere, abſquè vlla eorum notitia. Prius tamen ſuppono falſam eſſe illorum ſententiam, quos ſuppreſſis nominibus refert Chryſoſtomus *Chryſ. Luſit.* Luſitanus tomo. 2. de verb. Dominæ in eius introductione, qui opinati ſunt, quòd cùm in Templo ſeparatæ eſſent feminæ à viris, liceretquè filijs paruulis patribus, vel matribus adhærere, facilè potuit puer Ieſus ab illis diſcedere in eodem Templo manens, quia vnuſquiſque parentum, eum apud alterum eſſe prudenter exiſtimabat: Hoc certè mihi non videtur cohærere *D. Luc. 2.* cum verbis D. Lucæ cap. 2. *Conſummatiſq; diebus, cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem*. Super quæ verba Cardinalis *Tolet. hic.* Toletus ait: *Neſcientibus parentibus, & reuertentibus in Galilæam, remanſit ſolus Ieſus in Ieruſalem: incœptus ergo erat iam reditus in Galilæam, cum puer Ieſus à parentibus diſceſſit*. Rationi etiam illa ſententia aduerſatur, quia, cum non immediatè ex Templo parentes iter arripuerint in Galilæam, ſed prius diuerterint ad hoſpitium, tunc ſi manſiſſet in Templo, continuò illi agnouiſſent eius abſentiam; Euangeliſta autem expreſsè dicit, id non *Luca 2.* cognouiſſe, niſi cum redirent. Hac ergo exploſa ſententia, celebris eſt, & multùm *Beda.* repetita opinio Bedæ in cap. 2. Lucæ, aſſerentis, Iſraelitis morem fuiſſe, vt temporibus feſtis Ieroſolymã confluẽtes, & inde redeuntes, ſeorſum viri, ſeorſum fœminæ, choros ducentes incederent; pueri verò pro libito, vel patrem comitarentur, vel matrem, ideoq; Deiparam exiſtimaſſe Chriſtum cum Ioſepho redire, Ioſephum contra, ſibi perſuaſiſſe matrem potiùs fuiſſe ſecutum. Idipſum affirmat ibidem Ly*Lyranus. Card. Tolet. Maldon.*ranus. Cardinalis tamen Toletus, & Maldonatus improbant hanc ſententiam, quia cum dicit Euangeliſta parentes exiſtimaſſe, eum eſſe in comitatu, atquè inter cognatos eum quæſiuiſſe, non obſcure ſignificat, Ioſephum, & Mariam ſimul iuiſſe.

Barradius. Alij tamen, cùm Barradio in cap. 2. Lucæ, quibus Bedæ ſententia diſplicet, putant morem illum eundi ſeparatim, fundari poſſe in eo, quòd in templo peculiare erat feminis atrium diſtinctum ab atrio *Ioſephus.* virorum: vt enim tradit Ioſephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6. tàm in greſſu Tẽpli, quàm etiam intrà ipſum Templum, & portis diuerſis, & porticibus interpoſitis feminæ à viris diſtinctæ erant, & Zacharias c. 12. feminas ſeorſum à viris plãgere *Zach. 12.* teſtatur: *familiæ, & familiæ ſeorſum, & mulieres ſeorſum*: ex quo iudico veriſimile etiam eſſe, vt, cum in Templum Ieroſolymitanum ibant, ſeorſum à feminis viri iter facerent; quòd ſi vera eſt hæc ſententia, facilè potuit puer incœpto reditu, ad aliquem locum in ipſo itinere diuertere, vbi lateret, quouſque totus comitatus pertrãſiret; quod idem etiam inſcijs parentibus præſtare potuiſſet, etiam ſi illorum ſententia verior eſſet, quòd apud Hebræos non ſeorſum viri à feminis, ſed turmatim, opidatimq; ſoliti erant Templum adire, & ab eo redire: in ea enim turma præmiſſus erat puer Ieſus à parentibus, vt ſeparatus ab ipſis cum cognatis progrederetur, vt manifeſtè tradit Euangeliſta dum ait: *Luca 2.* exiſtimaſſe parẽtes, *illum eſſe in comitatu*.

Secundo poteſt intelligi, in hunc modum id contigiſſe, quòd Maria, & Ioſeph Ieroſolymis receſſuri, vnà cum cognatis & notis, ac reliquo comitatu, ceteris præcedentibus, improuiſa aliqua, ſed Dei prouidentia, ſuborta (ſicur multoties accidere ſolet) occaſione detenti, ſed tamen mox velociter conſequuturi, præmiſerint cum cognatis, & notis puerum Ieſum, qui paululum cùm illis progreſſus, non autem Ciuitate egreſſus, veluti ſuorum Parentum cupidus (ſicut pueri ſolent) loco ſteterit, illos expectaturus, vel ad illos rediturus, hoſpitium verſus tendens (ex inſtituto tamen, & voluntate, non verò à via aberrans) eo modo parentibus, & cognatis, ac notis inſcijs, diuino conſilio, ſe ſubduxerit. Hæc omnia humano modo facilè contingere potuerunt: ſi tamen ad miracula recurramus, latam aperit viam Origenes homil. 19. in Lucam, qui de hoc *Origenes.* ipſo diſſerens, tradit, Chriſtum Dominum inuiſibilem ſe reddendo, ſe ſubduxiſſe à parentibus, eius receſſum proinde omnino ignorantibus: Verba eius ſunt hæc: *Quomodo in Ioannis Euangelio ſcriptum eſt: quando inſidiabantur ei Iudæi, eſt elapſus de medio eorum, & non apparuit; ſic, & nunc puto, remanſiſſe puerum in Ieruſalem, & parentes eius, vbi remanſerit ignoraſſe*. Hæc Origenes.

His iam prælibatis, oportet explicemus quomodo per totum illud triduum Chriſtus Dominus victum quæritauerit: In hac

etiam

etiam re cum nihil certi habeamus philoſophari licet, quòd, vel Chriſtus Dominus ſupernaturali, & miraculoſo modo ſe habere voluit, vel modo naturali, & humano; ſi primo modo, facilè id præſtare potuit, vt diuinitus ſuſtentatus, cibo non indigeret, ſicut poſtea fecit, cùm ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vt refert D. Matthæus cap. 4. Vel certè dici poteſt, quòd fuerit Angelorum cibatus miniſterio, ſicut in deſerto ei contigit, eodem Euangeliſta dicente: *& ecce Angeli miniſtrabant ei*. Si vero ſecundo modo ſe habuit, bifariam potuit contingere, vel, quòd Doctores, ob præclaram pueri indolem, & mirandam in puerili ętate doctrinam, quam ab eo audierant, in domum ſuam illum inuitarint, & neceſſaria ei ſubminiſtrauerint, vt docuit celebris ſua ætate Theologus Ioannes Maior, in cap. 1. Lucæ dicens: *Potuerunt etiam viri docti, & ingenui eius eruditionem admirãtes, eum ad menſam inuitare; potuit etiam actionem caloris naturalis in humidum radicale impedire, & non fameſcere*. Addit etiam ibidem, quod forſan à parentibus aliquid viatici habuit, quo ſe potuiſſet illo triduo ſuſtentare. Sed ſi nomine, *viatici*, intelligat pecuniam, non probo: quia, qui poſtea monuit diſcipulos, ne pecuniam in Zonis portarent, non eſt veroſimile, eum, contrarium feciſſe. qui non ſolum venit docere verbo, ſed exemplo: Si autem nomine, *viatici*, aliquem cibum ſignificet, probabilius id eſſet, quamuis neque id crediderim, cùm ipſe de craſtino docuerit non eſſe ſollicitè cogitandum. Duplex tamen via, cum ratione, & cum paupertate; quàm Chriſtus profitebatur, magis coniuncta mihi videtur eligenda. Prima, quod ad commune pauperum hoſpitiolum pro refectione cibi, & pro cubitu diuerterit, vt tradit D. Bonauent. lib. meditationum vitæ Chriſti, vel certe, vt docent idem D. Bonauent. in apolog. pauper. Alexand. de Ales, 3. p. q. 31. memb. 2. ar. 2. Ludolphus de vita Chriſti, toto illo triduo victum quæritauerit ex eleemoſynis oſtiatim poſtulatis: quibus conſentiunt multi graues Doctores moderni, qui omnes Ducem huius ſententiæ habent D. Bernardum, qui homil. infra octauam Epiphaniæ, interrogans, ait: *Domine Ieſu, quis te cibauit in illo triduo?* & reſpondet. *Quid dicam Deus meus? vt te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ natura calamitates ſuſciperes, quaſi vnus è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas. quis dabit me, bucellarum illarum ſic mendicatarum participem fieri?* O admirandam Dei dignationem, vt de cuius cibo penè infinita Angelorum multitudo in Cœlo paſcitur, & de cuius liberalitate volucres aeris, piſces maris, & cuncta animantia terræ quotidie aluntur, dicente Dauid: *Tu das illis eſcam in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione: hic, inquam, tàm opulentus buccellam panis à Creaturis ſuis emendicet: Stupendum ſanè myſterium iuxta Pauli ſententiam: qui cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt*. Et quidem cum D. Thomas 2. 2. q. 187. art. 5. expreſsè concedat, Chriſtum aliquando mendicaſſe, dicens: *Chriſtus mendicauit ſecundùm illud Pſalmi: Ego autem mendicus ſum, & pauper*. quod, & affirmant Card. Caiet. in comment. illius articuli. Vuald. lib. 4. fidei c. 3. & 4. & Pighius lib. 1. cont. Eraſmum, & Catherinus lib. 2. annotat. contra Caietanum; quibus & Euangelica eloquia opitulantur, dum referunt mendicaſſe locum, vbi Paſcha cum Diſcipulis celebraret; & à Zacchæo hoſpitium poſtulauerit, vt ad illud diuerteret: quid autem eſt mendicare, niſi neceſſaria ad victum quærere, & poſtulare? cum igitur inquam, ex ſententiæ D. Thomæ, & reliquorum Doctorum, Chriſtus aliquando mendicauerit, veroſimile etiam ſatis eſt, mendicitatem hanc exercuiſſe illo triduo in Ieruſalem, cum, & parentes, & cognati abeſſent, qui alimoniam ei præſtarent, & inter ignotos degeret.

Matth. 4. — Io. Maior. — Matth. 10. — Matth. 6. — D. Bernar. — Pſal. — D. Thom. — Pſal. 39. — Card. Caiet. — Vualdenſ. — Pighius. — Caterin.

Scio huic ſententiæ refragari non paucos Theologos, præcipuè tamen Abulenſem in cap. 17. q. 194. Lyranum, & Carthuſianum in cap. 15. Deut. 15. Maiorem in cap. 2. Lucæ, Caſtrum, lib. 10. aduerſus Hæreſes, Medinam 3. p. q. 40. art. 3. eo precipuè fundamento innitentes, quod apud Hebræos non eſſet mendicandi conſuetudo; nam Deuter. 15. illud in hæc verba extat præceptum: *& omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*. Sed ſalua pace Abulenſis, & reliquorum, germanum ſenſum horum verborum ignoraſſe mihi videntur; quia, vt Angelicus Doctor tradit,

Abulenſ. — Lyran. — Carthuſ. — Maior. — Caſtro. — Median. — Deut. 15. — D. Thom.

dit,indicato loco, illud præceptum non pauperibus,& diuitibus datum fuit, ne ſuarum diuitiarum tenaces eſſent, ſed in pauperes ita liberaliter illas erogarent, vt nullus, ob inopiam mendicare cogeretur. *Card. Caiet. D. Iſid. clar. Oleaſter.* Vel certè verba illa (vt adnotarunt Card. Caiet.Iſid.Clar.& Oleaſt.in c.15.Deut.) non continebant præceptum,ſed obſeruatæ legis præmium, ita vt Deus polliceretur in præmium obſeruantibus legem eius,nunquam fore mendicaturos; quia tamen eam non obſeruabant, frequenter apud ſe mendicos habebant. Vnde D.Lucas *D.Luc.16.& 18.* cap.16.ait: *erat mendicus quidam Lazarus*,&cap.18. inquit: *cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans*. & Ioan. c.9. *Ioan.9.* Illa vox auditur: *nonne hic eſt, qui ſedebat,& mendicabat?* *Act. 3.* & Actor. 3. legimus: *Claudus ad ſpecioſam portam Templi mendicabat*. Prorſus igitur falſum eſt,& cum Euangelica doctrina pugnans, affirmare, apud Hebræos mendicandi conſuetudinem non fuiſſe; quare mendicitatem verbis Deuter. prohibitam fuiſſe pauperibus falſum omnino reputo.

Sed, iam ad diligentiam, & dolorem, quo B.Virgo filium quæritabat,& ad gaudium inuentionis illius,eloquium conuertamus. Prius tamen dicendum de cogitationibus, quibus Virginis animus impetebatur,deinde de grauitate doloris, quo Virgineum eius cor fuit exulceratum; ac tandem de gaudio inuentionis,quod tàm diligens inquiſitio, & tàm acerbus dolor, velut præmium,promeruit,diſſeremus. In primis,quòd attinet ad cogitationes,quas *Timot.Presb. Hieroſ.* Beata Virgo animo ſuo verſabat, Timoteus presbyter Ieroſolymitanus oratione de propheta Simeone,exiſtimat,hanc cogitationem in mentem Virginis irrepſiſſe: Si forſan filius ſuus interijſſet. Verùm hoc omnino explodendum eſt, cum B. Virgo ex ſacris Scripturis probè agnouiſſet, Chriſtum in virili ætate moriturum, & non niſi Cruci affixum. Antiquiſſimus *Origen.* Origenes homil.19. putat in eam cogitationem incidiſſe Virginem: ſi fortè flagitijs, præcipue populi Iſraelitici irritatus vellet reuerti ad Cœlum, iterum deſcenſurus, cùm ſibi benè placuiſſet. Impugnat *Tolet.in c.12. Luca.* hoc Cardinalis Toletus duplici ratione: quia ſi Virgo exiſtimaſſet, filium in Cœlum reuertiſſe, doluiſſet quidem, ſed non requiſiuiſſet eum,quia nemo quærit, ſine ſpe inueniendi; quæ autem ſpes eſſe poterat Virgini exiſtimanti Chriſtum iã in Cęlũ reuertiſſe? Secũdo:quia ſi Chriſtus in Cœlũ tũc euolaſſet,non cõgrueret iſtud cum promiſſionibus factis per Gabrielem in Annũciatione, nec cum verbis Eliſabethæ in viſitatione, nec cum prophetia Ipſius Virginis: *Beatam me dicent omnes Generationes*. *Luca 1.* Ceterùm vtraq; ratio non videtur firma: Prima quidem, quia illa exiſtimatio Virginis non erat cum omnimoda certudine,atq; adeò erat opinatiua, & ex conſequenti cum formidine partis contrariæ, & ideò rectè poterat habere ſpem illum inueniendi, ſciens, aliter potuiſſe rem euenire, quàm ipſa cogitabat. Secunda etiam minus conuincit: quia etiamſi de facto Chriſtus aſcendiſſet tunc in Cœlum, & poſtea reuertiſſet,omnia illa potuiſſent ita benè impleri ac ſi non aſcendiſſet. Quare firmior ratio mihi videtur ad infirmandam Origenis ſententiam, quòd ex ſacris Scripturis, & ex diuinis reuelationibus, quas B. Virgo frequenter habebat, non ignorabat, duplicem tantum Chriſti aduentum; primũ, ad redimendum genus humanum; ſecundum ad iudicandum illud. non ergo potuit cogitare tertium illum aduentum, quem Origenes confingit.

Chryſoſtomus Luſitanus tomo ſecundo de verb. Dominæ c. 57. ait, cogitaſſe *Chriſ Luſit.* Virginem ne Chriſtus ab ea diſceſſiſſet, aliqua eius culpa offenſus, ac proinde alios nutritores quæreret, & ipſos deſereret: hic enim timor proprius eſt iuſti,cum Salomon dicat Prou. 2. *Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pauidus*. *Prouer. 2.* Sed hoc magis diſplicet, quia cum beata Virgo non ignoraſſet ſe nunquam peccaſſe nec venialiter, immò ex dono confirmationis ſuæ in gratia, factam fuiſſe omnino impeccabilem, neutiquam illam inuadere potuiſſet ſuſpicio,ſi forſan Chriſtus ab illa vllo modo fuiſſet offenſus.

Alij opinantur, Beatam Virginem dubitaſſe, ſi forſan decreuiſſet Ieſus ſolitariam vitam agete, & ab omni humano conſortio ſegregatam. Sed minimè id crediderim, vt potè quæ rectè agnouiſſet, Ieſum, vocatum, *Emmanuelem*, quod interpretatur: *Nobiſcum Deus*. *Iſaia. 7. & Matth.1.* Venerat enim, vt nobiſcum conuiueret, ac vitam cœleſtem inter medios homines ageret.

D.Au-

D. Anton. Dion. Cart. D. Antoninus 1. p. titulo 6. c. 1. §. 5. & Dionyſius Carthuſ. in enarrat. Euangelij ſecundæ Dominicæ poſt Natiuitatem fer. 3. eiuſdem Dominicæ, & Gloſa, quam ipſe citat, affirmant, cogitaſſe Virginem, ne mortem, quam Herodes machinatus fuerat Ieſu infanti, eandem Archelaus qui tunc regnabat, eidem inferre moliretur. Hoc ſanè veroſimilius eſt, quia licet rectè agnouiſſet, Chriſtum ſubiturum non eſſe mortem in ea ætate, nec interficiendum ab Archelao, potuit tamẽ timere ſapiẽter, nè inſtar Herodis, illum perſequeretur, aut aliquid moleſtię inferret, quãuis, & id non ignoraſſet, inuolũtariè ei accidere nõ poſſe. Card. Tolet. in c. 2. Lucæ aliam viam ingreditur, dicens: *Aduertendum eſt Beatam Virginem ex vna parte firmiter credidiſſe Chriſtum, Dei filium, eſſe omni ſciẽtia, & ſapientia plenum, cui nihil à caſu, nihil ex errore accidere poterat: ex altera verò parte experta erat, eum ab infantia humano more proceſſiſſe, & ſicut ceteros adoleuiſſe; neque enim in infantia loquebatur, nec firma membra corporis, vt ambularet, accepit, nec proprijs manibus induebatur, ſed auxilio, & opera matris vſus eſt, reliquaſq; infantibus, & pueris fragilitates communes habuit: patiebatur ſitim, famem, lacrimas, vagitus, & alia huiuſmodi. Nouerat profectò Virgo Beata, filium Dei, non ex infirmitate, ſed ſponte, & voluntate hæc pati, vt nobis ſimilis eſſet, quos ſaluare venerat: ex hoc factum eſt, vt cogitaret etiam more peccatorum, illum aberrare voluiſſe à via præ tanta multitudine tunc confluente, vt ſolent ſæpè pueri à parentibus aberrare, non quidem, vt ceteros, qui nolentes errant, ſed volentem, ſicut, & ceteras hominis infirmitates huiuſmodi, volens aſſumpſit.* Hæc expoſitio meo iudicio ſatis congrua eſt; Origen. Titus Boſtr. Theoph. licèt enim omnes Doctores, cùm Origene homil. 19. & Tito Boſtrenſi epiſcopo, & Theophilacto in cap. 2. Lucæ doceant B. Virginem non exiſtimaſſe, Chriſtum Dominum ab itinere, vt ceteros pueros aberraſſe, cum rectè agnoſceret eſſe Deum; id tamen non pugnat cum Cardin. Toleti ſententia: nam ipſe non inficiatur, Virginem non exiſtimaſſe, Chriſtum erraſſe ex ignorantia, inſtar ceterorum puerorum; ſed aut exiſtimaſſe quod errauerit ſcienter, & data opera, vt in hoc etiam, quoad fieri poſſet, alijs pueris ſe præberet conformem, & hanc puerorum miſeriam ſciens, & volens experiretur.

Quidquid tamen ſit de varijs his cogitationibus, quas rationabilibus coniecturis ducti præcitati Doctores, Virgini tribuunt, duplicem tamen hanc cogitationẽ in Virginis mentem veniſſe, nemo mihi inficiari poterit. Eſt enim certiùs, quam probatione indigeat, cogitationem de probabili incommoditate pueri, & penuria inter ignotos degentis, necnon etiam cogitationem de eius abſentia, quem tàm ardenter amabat, & de incertitudine diuturnitatis illius, ſi forſan ad longum tempus ab ea ſe decreuiſſet ſubducere, vt eo etiam ſolatio, quo gaudebat in conſortio dilectiſſimæ ſuæ genitricis, ſe amore noſtri priuaret, in mentem Virginis veniſſe.

Hæ, & ſimiles aliæ cogitationes acerrimum dolorem in Mariano corde excitarunt, cœpitque in ea impleri vaticinium Simeonis: *tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, immo Timotheus presbyter Ieroſolymitanus Oratione de prophæta Simeone, opinatur, *Simeonem* locutum eſſe præcipuè de hoc dolore, quem in Chriſti amiſſione Virgo concepit, tanta fuit eius acerbitas. Non tamen propterea probo, quin potius reijcienda arbitror, quæ hic Auctor, alioquin grauiſſimus, in perſona Virginis ibidem apponit, dum eam introducit in hunc modum eiulantem: [O calamitatem? quando expectaui fœlicitatem, tunc damnum ſenſi. hei mihi, quis theſaurum ſurripuit? quis precioſas opes mihi abſtulit? quis me mea ſpe eſt fruſtratus? hei mihi, non dicar amplius benedicta in mulieribus; non amplius dicent: beatus venter, qui te portauit? extabui, non autem beata euaſi?] hæc ille: quæ, quia pugnant cum integerrima fide, qua Beata Virgo credebat, beatam eſſe dicendam in omnes generationes, vt in cantico ſuo ipſa prophetauerat, nulla ratione ſunt acceptanda. Lucæ 2. Timot. Simeon.

Aliter ergo dolorem hunc Virginis expendamus: ſolet pietas chriſtiana hodierna die vocare Ieſum perditum; quæ verba in eo ſenſu veriſſima eſſe cenſeo, quo ſolet perditum vocari: tùm, quod non inuenitur, tùm quod per vias ſibi inuſitatas, & inſolitas vagatur anxiè quodpiam quærens. Ieſus ergo puer erat perditus, tum quia à multis non inueniebatur, à quibus

per

per peccatum perditus ipſe fuerat; tùm etiam, quia tanquam bonus Paſtor quærit per vias diuinæ Maieſtati inuſitatas, & inſolitas oues ſuas errantes, vt ait Iſai. *Iſai. 53.* *Omnes nos, quaſi oues, errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Viæ enim Dei, ſunt Cœli, beatitudo, gloria, æternitas, celſitudo; viæ ſanè pulchræ. Viæ autem hominum ſunt arida terra, labor, luctus, paupertas, & ſimiles aliæ miſeriæ, & *Iſai 55.* infelicitates: vnde idem Proph. cap. 55. in perſona Dei dixit: *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris.* Ieſus igitur puer perditus erat, dum vias aſperas, & difficiles famis, ſitis, & paupertatis ſibi, in quantum Deo, inexpertas, & inuſitatas, perambulabat; quærens anxiè, tanquam bonus paſtor, oues perditas, vt ad paſcua Paradiſi eas reduceret. Sicut enim olim Ioſeph puer, vt *Gen. 37.* legimus Geneſ. cap. 37. ætatis ſuæ ſexdecim annorum, ex patris mandato, & amore fratrum, quærebat eos; & interrogatus, *Gen. 16.* quid quæreret? reſpondit, *fratres meos* *D. Ambr.* *quæro*, ſuper quæ verba D. Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 3. dixit: *Meritò errabat, qui quærebat errantes*; ita Chriſtus Dominus, cum duodecim annorum eſſet, ex præcepto Patris, amore fratrum, matrem deſerit vt illos quærat, nulli parcens labori, vt tandem eos inueniat. Cùm igitur Beata Virgo alta mentis cogitatione perpenderet vias illas aſperas, & inuſitatas, & vt nuper dicebam, ipſi Verbo diuino inexpertas, per quas puer Ieſus ſciens, & prudens vagabatur, non poterat ipſa præ teneritudine materni amoris, & ardentiſſimæ pariter ſuæ charitatis incendio non illi commiſereri, & condolere. Sicut enim *D. Gregor. in ſuis mor.* (vt refert D. Greg.) cum duæ lyræ, aut alia ſimilia inſtrumenta ſibi inuicem omninò concordant, & conſentiunt, Cytharædo vnum illorum tangente, continuò alterum etiam intactum inſonat: ita, cum corda Chriſti, & Mariæ, eſſent velut duo inſtrumenta muſica in omnibus, & per omnia rectè ſibi conſentientia, Chriſto dolente ex vna parte abſentem eſſe à dilectiſſima matre, & ex alia, lugubrem gemitus ſonum emittente, quòd oues errantes, quas quærebat, non inueniret, quia vt dixerat *Ier. 50.* Ieremias cap. 50. *Grex perditus factus eſt populus meus.* continuò cor beatæ Virginis cæpit graui dolore affici, lugubremque lamentationis ſonum emittere.

Quando autem cœperit hæc lamentatio, cùm Euangeliſta ſolùm dicat B. Virginem per vnum diem diſceſſum filij ſui ignoraſſe; ait enim: *Venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos*, non poteſt *Luca 2.* determinatum tempus aſſignari, quo primò B. Virgo agnouit puerum Ieſum ab ea diſceſſiſſe; in re tamen incerta, cum coniecturæ locus ſit, ſententia Euthymij in cap. 2. Lucæ mihi arridet, aſſerentis, quod *Euthym.* cum hora prima noctis appropinquante, quo tempore, vt erat veroſimile, puerum ad ſe cœnandi, & hoſpitandi cauſa putabat venturum, non aduentaſſet; ex tunc Virgo cœpit de eius abſentia certior fieri, ac ingenti dolore affecta in illa verba prorupit, quæ Patriarcha Iudas dixit, quãdo Ioſeph diſparuerat: *puer non comparet, & ego quò ibo?* vel illa, quæ contemplatur Diuus Bonauentura in meditationibus vitæ Chriſti, c. 14. dicens: *O Deus, & Pater æterne, clementiſſime, & benigniſſime, tibi placuit mihi dare filium tuum, ſed ecce perdidi eum, & neſcio, vbi ſit. redde eum mihi, ò Pater; tolle mihi amaritudinem iſtam, & oſtende mihi filium meum. Sed ad Ieſum ſe conuertens, dicebat: o fili dilectiſſime, vbi es? quid eſt de te? apud quem nunc hoſpitaris? indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, vbi requieſcas in nocte; doce me, quomodò veniam ad te, vel, tu rede ad me, oſtende mihi faciem tuam, & ſalua ero; ſonet vox tua in auribus meis:* hæc D. Bonau.

Poſſumus etiam aliter eumdem Marianum dolorem expendere varijs comparationibus vtentes; & vt à rebus naturalibus exordiar, reuocemus in memoriã, ingentem eſſe dolorem vrſæ, cum catulus ab ea ufertur. Vnde Chuſi ad exaggerandũ Abſaloni ingentem dolorem, quem patiebatur pater ſuus Dauid, *Tu noſti,* *2. Reg. 17.* inquit, *patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti, ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat:* Vacca etiam abſtracto vitulo, præ dolore *1. Reg. 6.* mugit. Vnde in ſacra Scriptura legimus, quòd conſulto vaccæ quædam fœtæ adductæ fuerunt ad portandum Arcam Domini, quia recluſis earum vitulis, ipſæ præ dolore concepto de eorum abſentia, & præ deſiderio redeundi ad illos, velocius properarent. Columbã deinde quis ignoret,

Digitized by Google

ret, ablato pullo, gemebundam querulas voces formare? ac tandem ouis perdito agno, quem peperit, & non inuento, non ſolum per prata curſitat, ſed vſque ad domos propinquiores, quas aliàs non ingrederetur, impatiens filioli amor illam ducit. Fortiſſima vrſa, erat B. Virgo, vacca ruffa, columba ſine felle peccati, ouis manſuetiſſima: igitur rapto catulo, vitulo ablato, pullo abſente, agno Dei Ieſu perdito, qui agnus Dei erat, & totus eius theſaurus, non poterat tam ingentem iacturam leuiter dolere.

Gen. 3. Ad hęc, ſi tantus fuit primorum parentum Adam, & Heuæ dolor propter paradiſum terreſtrem amiſſum, à quo fuerant à Deo relegati, memores amœnitatis illius fontis perennis, arboris vitæ, & deliciarum, quibus ſcatebat; quo quæſo dolore putamus oppreſſos Mariam, & Ioſeph, cum ſe agnouerunt puero Ieſu priuatos, qui ſibi erat paradiſus voluptatis, arbor vitæ, fons gratiæ ſalientis in vitam æternam? Deinde, ſi tam ingenti anxietate premebatur pater Abraham, cum nondum riſum, hoc eſt, Iſaac filium ſuum perdidiſſet, ſed tantùm ſibi perditurum videretur: non dubito quin Beata Virgo, quæ iam perditum à ſe riſum ſuum, hoc eſt, filium eius Ieſum agnoſcebat, grauiore doloris vulnere, quàm Abraham, fuerit ſauciata. Quid plura? Si mater Siſaræ oppreſſo animo erat (vt habetur lib. Iud. 5.) propter dilationem aduentus filij ſui, & per feneſtras amaro animo reſpiciebat, ſi forſan iam aduentaſſet, quamuis alioquin proſperis euentibus illum frui cogitaret; dicebat enim: *forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei:* Nemo prudens inficias mihi ibit, grauiore multò mœrore Mariam fuiſſe confectam ob dilationem aduentus filij ſui, cui non proſpera, ſed aduerſa multa ex materno affectu ſuſpicabatur in ea tenera ætate illi poſſe contingere, ab ipſo, vt cupidus erat pro nobis patiendi, minimè reſpuenda. Ac tandem lib. Tobiæ c. 10. legimus, ingentem fuiſſe mœrorem, quem Tobias ſenior, & coniux eius Anna ob abſentiam filij ſui conceperunt. Vnde ipſa mater montium cacumina conſcedebat, vt, ſi eum eminùs venientem cerneret, marito nunciaret; quem tamen, cum eluſa, fruſtrataquè non videret, lacrimans, & querebunda dicebat: *Heu, heu me fili, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ?* At maior, (mihi credite) amaritudo, anguſtiaque fuit, quam glorioſa Deipara, & Ioſeph hodierna die de amiſſo puero Ieſu ſenſerunt; cùm illi, vt minimùm, cognoſcerent, ad Ciuitatem Mædorum profectum fuiſſe filium ſuum, & ſufficienti viatico munitum; at ſacri hi parentes prorſus ignorabant locum, vbi degeret Ieſus, certoq; ſciebant, nullo viatico ad propriũ victum ſe muniuiſſe; atque hic acerbus dolor, vehementius, quàm matrem Tobiæ, impellebat Mariam, & Ioſephum, vt diligentiſſimè puerũ Ieſum quæritarent. Certè illi longum iter, filiũ quærentes, non fecerunt: Maria autem, & Ioſeph, vt ſacer Euãgeliſta Lucas non obſcurè indicat cap. 2. primo die mox inquiſierunt illum: ſimul autem atque non inuenerunt, continuò regreſſi ſunt verſus Ieruſalem, vnde exierant. quanta quæſo mœſtitia Marianum cor toto illo triduo occupauit, præſertim, cum aduentante nocte, chariſſimi, ac ſibi dulciſſimi pueri conſortio, (vt ſolita erat) non frueretur? Tunc dicebat: *In lectulo meo per noctem quæſiui, quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni:* ſuper quæ verba Rupertus in cap. 3. Cant. tradit, Beatam Virginem tam ingenti erga Chriſtum amore flagraſſe, tantamq; ex illius aſpectu ſolitam ſpiritualẽ ſumere voluptatẽ, vt cum Chriſtus Dñs in lectulo recumberet, ipſa illum intuens, perplures tranſigeret noctes inſomnis. Vnde, iuxta Ruperti ſententiam, ſenſus illorum verborum eſt: *Cum more ſolito vultum filij mei in lectulo decumbentis contemplari concupiſcerem, quæſiui illum in lectulo meo toto illo triduo, ſed non inueni.* Verùm in medio huius Mariani ſermonis, liceat mihi, bone Ieſu, ad te verba mea conuertere. Si filius ille Tobiæ, & Annæ ex deſiderio reuertendi ad parentes, dixit Socero ſuo, Tob. 10. *Ego noui, quia pater meus, & mater mea modo dies computant, & cruciatur ſpiritus eorum in ipſis*, quomodo tu, Domine, non attendis dolorem Mariæ, & Ioſephi? At dices: Ego diſpono matri meæ, ſicut diſpoſuit mihi pater. Pater derelinquet me, vt dicam: *Deus meus, vt quid dereliquiſti me*, dereliquit filius matrem, vt ipſa idem dicere poſſit: *Vt quid feciſti nobis*

Margin notes: Gen. 22. (beside "nam? Deinde"); Iud. 5. (beside "preſſo animo erat"); Tob. 10. (beside "da. Ac tandem"); Tob. 10. (beside "bunda dicebat"); Luc. 2. (beside "geliſta Lucas"); Cant. 3. (beside "meo per noctem"); Rupert. (beside "tradit"); Tobiæ 10. (beside "Tob. 10. Ego noui"); Matth. 27. (beside "dereliquiſti me").

nobis ſic? Ceterum ſine dubio arbitror, puerum Ieſum commiſeratum matris ſuæ, manifeſtationem ſui acceleraſſe, vt maternum dolorem leniret. Si enim (vt Plutarchus refert) Alexander ille magnus legens epiſtolam ſibi à matre miſſam, in qua ſignificabat, eam multis lacrimis cõmotam, aduerſus Antipatrum famulum eius; legenſque aliam epiſtolam prolixam ab eodem Antipatro ſcriptam, continẽtem multas calũnias aduerſus Olympiadem matrem, ipſe Alexander non potuit lacrimas continere, quin & diceret: *Numquid ignorat Antipater, quod vna matris lacrima multas delebit epiſtolas?* Nõ diſſimiliter Chriſtus Dñs nõ ignarus lacrimarũ, quibus vultũ eius efflagitabat Deipara, filiali miſeratione, & pietate erga Virginem matrem commotus, petitioni illius annuit, ſuique manifeſtationem amore illius accelerauit. Vnde, mox atq; peruenerunt Ieruſalem Maria, & Ioſeph, vt moris erat illis, Templum intrantes, inuenerunt illum grauiſſima Doctorum corona circumdatum, ac celeſtia arcana cũ ſummo omnium Auditorum ſtupore reſerantem; vbi, vt ab incœpta Tobiæ hiſtoria non diſcedamus, quemadmodum parentes Tobiæ, incredibili gaudio perfuſi ſunt, filium ab Angelo Raphaele ductum, ſoſpitem, & incolumem domi reuerſum videntes; ita Maria, & Ioſeph indicibili alacritate exhilarati ſunt, cùm primùm deſideratiſſimum filium in Templo inuenerunt. De Tobia, & Anna, ait ſacer textus cap. 11. *quod conſurgens pater eius, occurrit obuiam filio ſuo, & ſuſcipiens, oſculatus eſt eum, cum vxore ſua, & cœperunt ambo flere præ gaudio:* non ſecus, piè opinor, Beatam Virginem, & Ioſephum poſt finitam diſputationem ad filium acceſſiſſe, dulcia oſcula, & amplexus ei dediſſe, & præ gaudio, lætitiæ lacrimas effudiſſe. Ecce experti ſunt Maria, & Ioſephus, quod Senior Tobias Deo dicebat: *poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrimationem, & fletum exultationis imbrem infundis.* amiſſo Ieſu adfuit tempeſtas; ſed inuento Ieſu, venit tranquillitas; amiſſo Ieſu lacrimantur parentes; ſed inuento Ieſu collætantur illi. Cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Plut. de Ale. — *Tob. 11.* — *Tobia 3.*

Homilia VII.

In illa verba: Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: *oſtẽditur, Deum non poſſe amitti, niſi per peccatum mortiferum cuius turpitudo varia eruditione deſcribitur: Inueniendum verò eſſe ſedula diligentia, & ingenti animi dolore, & poſtquam inuentus fuerit, tenaciſſimè retinendum ad imitationem Virginis.*

Argumentum, cuius tractationem hucuſque ſuſcepimus de puero Ieſu à beata Virgine amiſſo, & ab eadem inuento, ſermonem à me extorquet, vt triplicem viam aperiam; prima, qua Deus amittitur, vt ab ea fugiamus; ſecunda, qua Deus amiſſus inuenitur, vt eã ingrediamur; tertia, qua inuentus, retinetur, vt in ea iugiter perſiſtamus.

Via quidem amittendi Deum vnica tantum eſſe perhibetur, nimirum, ſolum mortiferum peccatum: certum enim eſt ſecundum catholicam fidem, Deum non recedere ab homine, niſi ipſe prius per peccatum mortale recedat ab eo. Vnde D. Auguſt. lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 12. oſtendens, quòd Adam peccans prius reliquerit Deũ, quàm relinqueretur à Deo, ait: *Quamobrem, etiamſi in eo, quod dictum eſt: morte moriemini, quoniam non eſt dictum, mortibus, ſi eam ſolam intelligamus, quæ fit, cũ anima deſeritur à ſua vita, quod illi Deus eſt; non enim deſerta eſt, vt deſereret, ſed, vt deſereretur, deſeruit; ad malum quippe eius, prior eſt voluntas eius; ad bonum verò eius, prior eſt voluntas Creatoris eius; ſiuè, vt eam faceret, quæ nulla erat; ſiuè, vt reficiat, qua lapſa perierat, etiamſi, erga hanc intelligamus, Deum denunciaſſe mortem in eo, quod ait: qua die*

D. Aug.

ediri-

Digitized by Google

ederitis ex illo, morte moriemini, tanquam diceret: qua die me deſerueritis per inobedientiam, deſeram vos per iuſtitiam. Cum igitur vnica tantum ſit via amittendi Ieſum, nempè, mortiferum peccatum, ab ea certè, vt longè declinetis, eandemque ingredi exhorreſcat animus Chriſtianus diligenter curabo ante oculos veſtros proponere ingentia detrimenta, & incommoda, quæ ingredientes viam hanc, nulla ratione vitare poterunt.

Tam certè eſt cunctis nota, & manifeſta grauitas iacturæ, quam anima amittens Deum per peccatum, ſuſtinet, vt Idololatræ homines gentilico more viuentes, ſolo lumine naturæ illuſtrati, illam agnouerint;
Seneca. vt enim Seneca Epiſtola 54. dixit: *Prima illa, & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe.*
Cicero. Cicero etiam ſcripſit: *Præter culpam, & peccatum, nihil poteſt accidere, quod ſit horribile, atque pertimeſcendum.* Deinde ſacra Geneſeos commemorat hi-
Gen. 31. ſtoria cap. 31. quod, quando Laban inſectatus eſt ſanctum Iacob, eò quòd illo inſcio, & inſalutato filias eius ſecùm tulerat, nec non etiam argenteos, & aureos ſuos Deos, & alia eius ſupellectilia; perueniens tandem ad illum, triplicem querelam ei propoſuit; & quod ipſo neſciente receſiſſet: *Cur ignorante me, fugere voluiſti?* & quod non permiſiſſet oſculari filias ſuas, antequàm abirent: *non es paſſus, vt oſcularer filios meos.* Sed tertiam, tanquam omnium maximam vltimo loco appoſuit, quòd Deos ſuos abſtuliſſet. *Cur furatus es Deos meos?* Hanc certè exiſtimans reliquis alijs maiorem eſſe iacturam
Iud. 18. Simile etiam quidpiam lego lib. Iud. c. 18. accidiſſe cuidam idolatræ, nomine *Michanam*, cum quidam latrones bona omnia domus ſuæ depredarentur, ipſe dolens ſecutus eſt eos maximis clamoribus eiulans; ipſis autem ad eum dicentibus: *Quid tibi viſ? cur clamas?* ille reſpondit: *Deos meos, tuliſtis, & dicitis: quid tibi eſt?* Ecce quamuis omnia bona, quæ domi habebat, ei fures illi ſurripuiſſent, nullum illorum nominauit, niſi *Deos ſuos*, quaſi nihilo habēs rapinam ſuorum bonorum pati, reſpectu tanti mali, quãtum exiſtimabat eſſe, Deos ſuos amiſiſſe. Si ergo tam graue putatur detrimentum, falſos Deos perdere, qui
Pſal. 113. *oculos habent, & non uidebunt, os habent, & non loquentur, manus habent, & non palpabunt*, vt cecinit Regius vates; quantò Chriſtianus homo, diuinæ fidei luce prælucente, Dei veri amiſſionem, *qui in principio creauit Cælum, & Terram*, grauiorem iacturam reputare debet? Hanc maiorem grauitatem ex multiplici capite deprehendere licet. Gen. 1.

Primò, quia amiſſio Dei mortem infert animæ: vt enim ſcite dixit D. Auguſtinus D. Aug.
ſerm. 18. de verb. Apoſt. *Præſentia animæ tuæ caro tua viuit, & quandiù in carne tua præſens anima eſt, neceſſe eſt, vt viuat caro tua: putas, non eſſe aliquam vitam, qua viuit ipſa anima tua? quomodo autem habet caro ſuam vitam (videlicet animam) ſic habet & anima tua aliquam vitam ſuam; & quomodo caro, cum moritur, expirat aliquam vitam ſuam, ſic & anima, quando moritur, expirat aliquam vitam ſuam. Vita corporis, anima eſt. vita animæ, Deus eſt.* Hinc duo grauiſſima mala emergunt, tum quod, ſicut corpus emortuū, etiamſi multis vulneribus confodiatur, nihil ſentit, quod ſecus accidit viuo, quod vnius acus punctarum ferre non poteſt; ita anima per abſentiam Dei emortua multis peccatorum vlceribus ſe lacerans, nihil ſentit, nihil ea ducit. In cuius figuram Deus olim, vt legimus Ezech. 24. huic Prophetę Ezech. 4.
iuſſit, vt tametſi eum priuaret multis bonis etiam ipſa vxore, nullo modo plangeret, ſed potius precioſis veſtibus ſe ornaret, & diademate caput ſuum lætus redimiret. Quod poſtea videns populus, & admiratus, interrogauit Prophetam, quid ſibi hæc vellent, vt tam vrgenti occaſione lugendi ſibi oblata, ipſe hilareſceret, & ad tanta mala, quaſi inſenſibilē ſe exhiberet? Reſpondit, ita placuiſſe Domino, vt faceret; ad ſignificandam eorum inſenſibilitatem, qui poſt multa, & ingentia ſcelera patrata, non ſolùm non lugerent, ſed potius iubilarent, & precioſis veſtibus ſe induerent, & coronas capitibus imponerēt. Ezech. 4.
Coronas habebitis in capitibus veſtris, & calceamenta in pedibus: non plangetis, neque flebitis, ſed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris. Experti etiam ſunt id Dauid, & Saul: Peccauit Dauid, & poſt peccati adulterium, quod mors animæ ei fuit, adeò induruit vt per plures menſes, quaſi inſenſibilis exiſteret, & ad diuinas inſpirationes cor eius tangentes æneum ſe præberet, & homicidium contra innocentem Vriam

perpe-

perpetrare non dubitaret, qui alioquin anteà familiariſſimus, & amiciſſimus erat Dei. 1. Reg. 13. Saulem etiam Regem nemo ignorat, quantum poſt illud inobedientiæ crimen, à priſtina virtute degenerauerit, qui ſine vlla cauſa, furore percitus, ſeptuaginta Sacerdotes Domini veſtitos Ephod, 1. Reg. 22. ante ſe trucidare fecit, & Nobe Ciuitatem Sacerdotum, ſic euertit, vt nec ouibus, neque pecoribus parceret. Tum etiam, quia, ſicut corpus emortuum vitalibus operationibus caret, ita etiam, qui peccati morte interijt, cum careat vita gratiæ, nullam vitalem operationem vitæ æternæ meritoriam exercet; quantumuis ad eam eliciendam conetur, quia, cum principium meriti ſit vita gratiæ, repugnat, hac deficiente, opus prodire meritorium; Atque huc facit illud Pſalmi 58. vbi Dauid lo- Pſal. 58. quens de peccatoribus, inquit: *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum*: quid quæſo eſt, quod Dauid ait: peccatorum ſepulchra domus illorum fore in æternum cum fide Catholica ſciamus, illa ex ſepulchris reſurrectura. Planè vult propheta, tum quòd peccatoribus, propria corpora in alia vita erunt, velut ſepulchra, quibus ſepultæ in æternum iacebunt eorum animæ; tum quod ſicut in ſepulchro corpus corroditur à vermibus, ita, & anima illorum intra corpus inextinguibili verme Iſai. 66. diſcerpetur, Iſaia dicente cap. 66. *Vermis eorum non morietur*: tum quod, ſicut corpus in ſepulchro manet, velut carcere cõſtrictum, ſic, & anima peccatoris intrà eius corpus velut intra horribilem carcerem manebit perpetuo occluſa, & ſcelerum commiſſorum vinculis alligata, Salomone dicente: *Et funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*. Ac tandem, ſicut ſepulchrum ſumma caligine eſt obſcuratum, ita, & anima in corpore illo iniquo per totam æternitatem gratà luce priuabitur, Matth. 22. iuxta illud Matt. 22. *Mittite illum in tenebras exteriores*; hoc eſt, in locum, de quo Iob. 10. Iob dixit: *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*.

D. Greg. Secundo, hanc malitiæ peccati grauitatem colligo ex verbis D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 15. dicentis: *Habet hoc proprium humanus animus, quod mox, vt in culpam labitur, à ſui cognitione longius ſeparatur*. Accidit quidem peccanti, quod Samſoni, qui à Philiſthæis captus, ludibrioque hoſtium habitus, & molere in piſtrino iuſſus, ante omnia excæcatus fuit: Iud. 16. quia eruti fuerunt ab eo oculi. Accidit etiam ei, quod Sedeciæ Regi, qui deuaſtato Regno, 4. Reg. 25. extinctis liberis, & Proceribus Regni, vinctiſque ferro manibus, & pedibus, in tetrum carcerem detruſus, oculorum iacturam paſſus eſt. hoc horrendum nocumentum infert peccatum mortale animæ; vt reddat illam, cœcam, ne videat ſe Deum perdidiſſe. Ad hoc reſpiciens Oſæas cap. 7. dixit: *factus eſt* Oſeæ 7. *Ephraim, quaſi columba ſeducta non habens cor*, quia, ſecundum Hieronymum, ſola columba ablatos pullos non dolet, nec requirit; ſic iniquus ablatam gratiam, ablatam vitam æternam, ablatum Cœlum immo & ablatum Deum, non dolet, non requirit. Congruit etiam illud in eodem Ibid. n. capite. *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit, ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit*, comedit peccatum robur impij ideſt, gratiam, & ipſe neſciuit. Vnde D. Greg. præclarè iuxta morem ſuum D. Gregor. in 4. cap. Iob, docet à peccatis ita conſumi iniquos, vt conſumitur à tinea veſtis, hoc eſt abſque ſonitu, & ſenſu, iuxta illud Iob 4. Iob. 4. *Conſumentur velut à tinea*, ſic enim ait, *Tinea damnum facit, & ſonitum non facit; ita iniquorum mentes, quia damna ſua conſiderare negligunt, integritatem, quaſi neſcientes perdunt: quaſi à tinea conſumuntur, quia ſine ſonitu morſum culpæ tolerant, dum, quanta detrimenta vitæ, & innocentiæ patiantur, ignorant*. hæc ille.

Atquè hinc eſt, quod peccator, nec curat recuperare, nec inuenire, quod perdiderat, quia perditum nõ agnoſcit: vt enim D. Bern. dixit D. Bernardus epiſtola 190. ad Innocentium. *Non quærit redimi, qui ſe neſcit eſſe captiuum*. In cuius figura legimus in Lucæ 2. hodierno Euangelio, quòd parentes Chriſti non quæſierunt illum, donec ab eis abeſſe cognouerunt. Secus quidem fecit Pſal. 50. Dauid, qui pœnitentia ductus dicebat. *quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*; ideſt, *ante me*, ſeu, *coram me*, vt interpre- D. Chriſ. tatur D. Chryſoſtomus ſuper Pſalm. 50. dicens: *In conſcientia ſua Dauid, tanquam in imagine peccatum habebat depictum, & per ſingulos dies videbat putredinem; ideò dicebat: peccatum meum coram me eſt ſemper; ego illud video, tu Deus, ne id conſideres*.

res,ego illud ſcribo,tu, quaſi Dominus dele.
Oportet ergo, vt peccator peccata agno-
ſcat,vt Deus ignoſcat, & ante oculos ſuos
illa ſtatuat, vt Deus poſt tergum ſuum ea
reijciat;iuxta illud Regis Ezechiæ dictum:
Iſai 38. *Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata*
D. Auguſt. *mea*,Iſai. 38. vnde D.Aug.*Sit ante te,quod*
non vis eſſe ante Deum; ſi autem poſt te fe-
ceris peccatum tuum, retorquet illud tibi
Deus ante oculos tuos,Audi,quæſo,quid de
Seneca. hoc ſcripſerit ethnicus Philoſophus Sene-
ca epiſt.28.*Initium*(inquit) *eſt ſalutis no-*
titia peccati:qui peccare ſe neſcit, corrigi nõ
vult:deprebendas te oportet,antequam emẽ-
des; inquire in te, accuſatoris primum par-
tibus fungere, deinde Iudicis,nouiſſimè de-
precatoris.hęc ille,non,vt ethnicus,ſed vel
S. Auguſt. vti Chriſtianus. Simile habet Aug. ſerm.
87.de tempore.*Peccata* (ait) *noſtra, Iudi-*
ces nos ſentiant, non patronos, accuſatores
ſuos,non defenſores eſſe cognoſcant.

Tertio,quia in conſpectu Dei; nihil vi-
lius,& abiectius peccatore excogitari po-
teſt. Vnde Iob ad ſignificandam abiectio-
nem, & vilitatem, quam in peccatoribus
parit peccatum,vocat eos:extrema terræ.
Iob 38. *Concutiens extrema terræ, & excuſſiſti im-*
pios ex ea, extrema terræ hoc loco appel-
lat peccatores,quos Deus ſignis, & prodi-
gijs illius temporis deterrere intendit, vt
conuertantur,& ſaluos faciat illos, dicen-
Iſai.49. te Propheta:*Dedi te in lucem Gentium, vt*
ſis ſalus mea vſq; ad extremum terræ,hoc
eſt: *vſq; ad abiectum peccatorem*, vocantur
verò iſti: *extrema terræ:* multis de cauſis.
Primò,quia peccatores neſciunt iuxta re-
ctam rationem,& prudentiam viuere,quæ
ſemper medium tenere ſtudet, in quo vir-
tutes conſiſtunt;ſed extrema potius ſequũ-
tur,quæ,ſemper vitioſa ſunt, atque prohi-
Ariſt. bita;vt Ariſt. docet lib.2.ethic c.6.8.& 9.
aut enim auari ſunt, aut prodigi, à medio
virtutis recedentes,aut timidi, aut teme-
rarij, & audaces, quæ extrema ſunt, vbi
medium tenet virtus, & prudentia,ſecun-
D.Tho. dùm D.Tho.doctrinam c.2.q.64.ar.1.aut
fortaſſe vocantur peccatores:*extrema ter-*
ræ: quia ſunt magis diſtantes & ſeparati à
Deo, qui in medio Iuſtorum eſt;propterea
Pſal.118. dicitur in Pſal. *Longe à peccatoribus ſalus,*
quia peccatores longè poſiti ſunt à Deo,
corde, & operibus, & quamuis fide Chri-
ſtiana,illi vtcunq; adhæreant,lõgè tamen
recedunt,ſeparãtes ſeipſos à Deo iniquis
ſuis cogitationibus,vt ait ſapiens:*Peruerſæ* Sap 1.
cogitationes ſeparant à Deo. aut certè,no-
ſtro argumento accomodatius vocantur:
extrema terræ: quia ſunt abiectiores, &
viliores omnibus,qui in terra ſunt, & ma-
gis deſpecti,ac ſine honore. Sic enim ſacra
Scriptura abiectos homines vocare ſolet;
ſicut 3.Reg.dicitur de Ieroboam:*fecit Sa-* 3.Reg.12.
cerdotes de extremis populi, ſiue enim Re-
ges illi fuerint,ſiuè Principes,aut diuites,
& nobili genere orti,ſi peccatores ſunt, ſi
ſeparati à Deo,& vitijs dediti, viles ſunt,
& ſine honore in oculis Domini, & in ve-
ritate, *qui contemnunt me (ait Dominus)* 1.Reg.2.
erunt ignobiles. Immo, non ſolùm peccatũ
reddit illos,ignobiles, ſed & infames, &
ignominioſos. Nam vbi Salomon Prou. Prob.14.
inquit: *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros au-*
tem facit peccatum: Pagninus vertit:*Igno-* Paguinus.
minia erit Populis peccatum; quia tamen
contingit frequenter, ignobiles eſſe diui-
tes, diuitiarum autem ſplẽdor ignobilita-
tem quandoq; tegit, quandoque inaurat;
peccati verò ea eſt conditio, vt peccatorẽ
in ſummam etiam paupertatem conijciat:
vnde,cũ Dauid Pſ.30.iuxta noſtrã vulga- Pſ.30.
tam ait:*Infirmata eſt in paupertate.virtus*
mea,D.Hieron.& ſeptuaginta Interpretes D.Hieron.
verterunt: *infirmata eſt in iniquitate:* ini- Sept. Interpr.
quitatem veram eſſe paupertatem iudi-
cantes;& quia paupertas valde acerba eſt,
& multùm affligit,Pagninus vertit,*in affli-* Pagninus.
ctione. Chald. *in acerbitate*, alij: *in inſta-* Interp. Chal.
bilitate. Ita etiam cenſuit Berſabee, quæ
(vt legimus 3.Reg.1.) vt declararet ma- 3.Reg 1.
gnam paupertatem,in quam metuebãt ip-
ſa, & filius eius incidere poſt mortem Da-
uidis,dixit ei; *Erimus ego, & filius meus*
Salomon,peccatores; quo genere loquendi
ſummam paupertatem ſignificauit, quia
nulla paupertas comparari poteſt cum ea,
in quam peccator incidit, diuinam gratiã
& Deum ipſum ammittens. Expendit hanc
paupertatem D. Chryſ. explicans verba D.Chryſ.
illa: *Cognouerunt,quod nudi eſſent:* verba
eius hæc ſunt: *Mandati præuaricatio ve-*
ſtem illam nouam,admirabilemq; gloriæ,ac
ſupernam beneuolentiam expoliauit. Et con-
ſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibimetipſis
ſuccinctoria. Obſecro,dilecte,cogita, quomo-
do,& à quanto faſtigio in profundum præ-
cipitium deiecit illos diaboli conſilium: nam
tanta gloria dudùm circundati, nunc folia
ficus conſuunt;hoc diabolicæ deceptionis lu-

crum eſt; hoc machinabatur illius conſultatio, vt non ſolum maiora non conferret, ſed & denudaret, & deſtitutos ab his, quæ habebant, oſtenderet. Tantum malum eſt peccatum, vt non ſolùm nos à ſuperna gratia alienos faciat, ſed ad multam confuſionē, & humilitatem deducat, & cum nos priuat à bonis, quæ iam poſſidebamus, omnem etiam fiduciam non ſemel aufert.

Quid plura? Obſeruaui in ſacra Scriptura, propter varia vitia, quibus peccatores brutis animantibus ſe conformant, varijs beſtiarum nominibus, ad eorum vilitatem declarandam, paſsim compellari. Interdum, *canes*, ob impudentiam, vocat,
Iſai.56. *Canes* (inquit) *muti, non valentes latrare*, in
Ierem.5. terdum, ob libidinem equos: *equi in feminas inſanientes facti ſunt, vnuſquiſq; vxori proximi ſui adhinniebat*: interdum, propter
Matth.7. voluptates, *porcos*: *Nolite mittere margaritas veſtras ante porcos*: interdùm verò *aſinos*: ob ſtupiditatem, & ruditatem: *Com-*
Pſal. 48. *paratus eſt* (inquit Scriptura) *Iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, nonnunquam *ſerpentes, & viperas*, ob latens venenum, & malitiam, ſicut, & B. Ioannes
Matth. 3. clamat dicens: *progenies Viperarum, quis vobis oſtendit fugere à ventura ira?* quan-
Pſal. doque *aſpides*, venena diffudentes: *Venenum aſpidum ſub labijs eorum*; immò, & ipſum venenum eos vocat: nam vbi noſtra
Pſal. Vulgata legit: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*: alij ex hebręo vertunt *oleum amaritudinis*. & alij: *oleū veneni*, alij *oleum toxici*, transferunt. Ac tandem Herodē, ob aſtutię malitiā, *vulpem*, appellauit
Luca 13. Chriſtus Dn̄s dicens: *Dicite vulpi illi* Lucæ 13. Hinc eſt, quod ad hæc reſpiciens
D.Chryſ.ho. 4 in c.1.Matth.10.2. D. Chryſoſt. homil. 4. in cap. 1. Matth. ad peccatorem ſe conuertens, in hunc modum, illum carpit: *Vnde fidelem te eſſe, potero cognoſcere, cum omnia contrariam de te ferant ſententiam, teque apertiſſimè infidelem eſſe conuincant? & quid dicam: vtrū fidelis? nec ſi homo vere ſis, poſſum euidenter agnoſcere; quando enim, vt aſinus, calcitras, vt taurus ſuperbis, libidine incenſus, hinnis, vt equus; quando in epulis, aſinorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more diſtendis; cum execranda ſimultate camelum, lupum imiteris rapina, cum iraſcaris, vt ſerpens, & atrocitate ſcorpionum percutias, cum ſubdolè inſidieris, vt vulpes, cumque veneno malignitatis armeris vt coluber, & vipera, cum quaſi diabolus ipſe aduerſ' fratres crudelia bella ſuſcipias, qua ratione in hominum te poſſum numero collocare, nulla in te cernens humanæ ſigna naturæ? O rem plenam doloris, atque lacrimarum, fidelis, & cathecumeni diſcrimen reperire cupiebam, ſed nec inter homines, & feras quod ſit diſcrimen inuenio, quid enim te appellare debeo? feram? ſed illæ vno aliquo horum vitio tenentur, tu verò, ſimul in te omnia colligendo, longe ferarum irrationabile, ſtultitiq; genus transgrederis. An diabolum, te potius appellem? ſed ille, nec pecunias concupiſcit, nec tyrannidi ventris obſequitur. Cum igitur plura in te vitia ſint, quàm in beſtijs, atque dæmonijs, reſponde, obſecro, vnde te poſſum iure, hominem, nuncupare? ſi verè te hominem appellare nequeo quo tandem modo potero, fidelem te vocare?* Hactenus D. Chryſoſt.

Verùm quia, terra, & lutum, ipſis animantibus viliora ſunt, his peccatores in ſacris eloquijs comparantur: Vnde illorum illa eſt vox Iob. 30. *comparatus ſum* Iob 30.
luto; quia videlicet, ab omnibus inſtar luti mereretur conculcari, & Paral. poſtquam Paral.2.c.7.
ſub metaphora *domus*, dixerat Deus, deſtructurum ſe ac deuaſtaturum peccatorem. *Domum hanc, quam ſanctificaui nomini meo proijciam*, & infra vt vertit Va- Vatablus.
tablus: *& domus iſta excelſa erit in prouerbium vniuerſis tranſeuntibus*: continuò ſubdit: *& dicent ſtupentes: quare fecit Dominus ſic terræ huic?* Ecce, quæ paulò antea vocata fuerat: *domus excelſa*, ſubitò facta eius deuaſtatione, non amplius vocatur: domus, ſed terra, *quare fecit Dominus ſic terræ huic?* vt hinc intelligamus diſcrimen inter iuſtum, & peccatorem, quòd ille domus excelſa Dei eſt, in qua placet ei habitare, peccator autem, terra eſt deſolata, ac deuaſtata, ſterilis, & inculta. Vnde D. Auguſt. tract. 2. in epiſtolam D.Aug.
Ioannis, dixit: *Talis eſt quiſque, qualis eius dilectio. terram diligis? terra es. Deum diligis? quid dicam? Deus es.* Cum igitur peccatores terrena diligant, meritò terra, nuncupantur.

Ceterùm, Dauid peccatoris vilitatem, & abiectionem magis omnibus exaggerans, altiuſq; eam contemplans, peccatores vocat *nihilum*, dicens *ad nihilum redactus ſum, & neſciui*. Vnde D. Hieron. in caput. primum Abdiæ, inquit: *qui petit ei, qui eſt?* D.Hieron.
& qui

& qui dicit ad Moyſen: qui eſt, miſit me ad vos, ſecundùm regulam Scripturarum, non eſſe dicitur. Vnde & in Eſther legimus: Ne tradas Domine, Regnum tuum his, qui non ſunt. Peccatores ergo dicuntur non eſſe. hæc ille. Hoc idem humiliter agnoſcens D. Auguſtinus, miſerum illum ſtatum deplorans, quando ſub peccati iugo iacebat, hæc præclara verba protulit: D. Auguſt. lib. Sol. loq. *Nunc igitur, toties nihil factus ſum, quoties à te ſeparatus ſum, quia bonum, quod tu es oblitus ſum; & ideò malus effectus ſum. Veh mihi miſero, vt quid hoc non cognoſcebam, quia te deſerens, nihil fiebam? Si ergo nihil fui, cùm ſine te fui, quaſi nihil fui, & quaſi idolum, quod nihil eſt.* Ecce Auguſtinum aſſerentem, peccatorē nihil eſſe: & meritò quidem, quia reſpectu meriti vitæ æternæ, reſpectu gratiæ & beatitudinis, perinde eſt ac ſi non eſſet, & multò etiam peius, quia maius malū eſt, priuatio boni, quàm pura negatio eiuſdē.

Item peccatum eſt, origo omnis deſolationis & deuaſtationis: nam in primis inania opera bona præterita reddit, illa mortificat, & iacturam facit omnium meritorum, quibus per totam vitam homo Ezech. 33. inſudauerat, Ezechiele dicente: *Omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur.* Immo omnia diuina chriſmata, quibus anima iuſti condecorabatur (vna excepta Fide, & Spe) penitus abſumit. Ad quod ſignificandum, peccatoris animam comparat Ioel Propheta vineæ, quam æruca & locuſta demolitæ ſunt, nihil boni in ea re- Ioel 1. linquentes. *Reſiduum*, inquit, *erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduū bruchi comedit rubigo. Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quo-* D. Hieron. *niā perijt ab ore veſtro.* Vnde D. Hieron. ad idem adducit verba illa eiuſdem Pro- Ioel 1. phetæ, his ſatis ſimilia: *Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis. Sed & beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrē, ſuſpexerunt ad te: quoniam exiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.* Verba hæc ad iuſtū quendam virum referri poſſunt, qui cùm declinauerit, & fecerit malum, nequaquam ei virtutes priſtinæ proderunt, ſed iudicabit eum Dominus ſecūdùm ea, in quibus inuenerit. Flamma quæ ſuccendit omnia ligna Regionis, illa credenda eſt, quæ immittitur ardentibus diaboli ſagittis, vt nihil in nobis bonarū frugum remaneat, ſed cuncta incendio conſumanrur. Hanc deuaſtationem perpendens idem D. Hieron. in cap. 1. Ioel, ait, vineam hanc ſic deuaſtatam, irridendam fore ab Angelis, & inhabitandam à ſerpentibus. Verba eius ſunt hæc: *Omnis, qui tranſibit per* D. Hieron. *eā, ſibilabit & mouebit manus ſuas. Quòd ſi id de Angelis intellexerimus, ita interpretabimur: Cùm tranſierint per eam Angeli, & non tranſierint in ea, vt prius facere conſueuerant, ſtupebunt & mirabuntur, & non eam fulcient & ſuſtentabunt ruentem manibus ſuis; ſed leuabunt manus & pertranſient, vel certè cum ſibilo attollent manus, & quaſi plangentes in morem lugentium concrepabunt. Si autem hoc de Diabolo voluerimus accipere, qui vineam quoque, quæ de Aegypto tranſlata fuerat, vaſtauerit: dicemus, per animam, de qua Chriſtus receſſerit, & quæ prius templum Dei fuerat, & eſſe deſiuit, tranſire ſerpentem, & ſibilare in ea, & venena ſuæ malitiæ euomere.* Huc etiam facit, ad deuaſtationem peccati magis exaggerandam, quòd Iſaias cap. 30. peccatorem comparauit lagenæ in fruſta contritæ, cuius nulla pars in miniſteriū aliquod apta manet: *Comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli, contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fonte.* Iſai. 30. Ac tandem, vt vno verbo multa complectar, totius Orbis conſidera deſolationes, & omnes ex peccato ortas reperies. Vnde nam orta eſt Cœli deſolatio, cùm ex illo tot Angelorum millia corruère? ex peccato. Vnde ortum eſt diluuium, quod totum Terrarum orbem deſolauit? ex peccato. Vnde ignis, quo Sodoma atq; Ghomorra abſumpta ſunt? ex peccato. Vnde bella? vnde morbi? vnde peſtilentiæ? vnde reliquæ hominum ſtrages? vnde mors denique, quæ omnia deſtruit? ex peccato. Omnis ergo deſolationis, fons & ſcaturigo eſt peccatum.

Vltimò, viam peccati ingredi, deteſtari debemus: quia inter omnia abominabilia non ſolùm terræ, ſed ipſius etiam Inferni, nihil peccato abominabilius, non dicā reperiri, ſed nec cogitatione concipi poteſt. Equidem per peccatū homines fieri abomina-

V 2

minabiles,nullus inficiari poterit, dicente
Oſe 9. Oſea: *Facti ſunt abominabiles,ſicut ea quæ*
dilexerunt. Adeò abominabilem cenſet
Deus peccatorem, vt nolit, eum compa-
rere ante ipſum. *Tollatur impius, ne vi-*
deat gloriam Dei. Dauid etiam abomi-
nandum adeò iudicauit peccatorem, vt
cũ reliqua animantia inuitaret ad benedi-
cendũ Deum, *Benedicite omnia opera Do-*
mini Domino: ſerpentes & volucres pẽnatæ,
ad id tamen minimè peccatorem inuitat:
Eccleſ. 15. quia *non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*.

Eſſe autem peccatum inter omnia abo-
minabilia ſummum abominabile, illud ſa-
tis luculenter declarat, quòd Iacob noluit
petenti Ruben filiũ Beniamin præbere, li-
Gen. 42. cet ei diceret: *Ambos filios meos interfice,*
niſi reduxero eũ tibi viuum. At Iudæ pro-
teſtanti peccati ſe reũ, niſi illũ reduceret,
Gen. 43. ſtatim dedit: *niſi reduxero eum tibi, ero*
peccati reus; longè maius id eſſe reputans
malum, quod ſibi Iudas, quàm quod Ru-
ben imprecatus fuerat. Nec diſſimile eſt
illud, quod contigit Pilato, à paucis tamẽ
obſeruatum. Magna perplexitate labora-
uit Pilatus, dubitans, an damnare vel ab-
ſoluere deberet Chriſtum; nam ad abſol-
Matth. 27. uendum impellebatur ab vxore. *Miſit ad*
eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto
illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum,
propter eum; nihil tamen propter id com-
mouetur ad dimittendum illum. Iudæi
autem, vt eũ morte puniret, enixè poſtu-
labant, illud magni roboris motiuum ad
illum flectendum, ei proponentes: *Si hunc*
Ioan. 15. *dimittis, non es amicus Cæſaris*. Nec tamẽ
tunc perſuadetur, ſed manſit anceps &
dubius. In media autem hac perplexitate
dixit Chriſtus Dominus Pilato, vt refert
Ioan. 19. D. Ioannes: *Propterea qui me tradidit tibi*
maius peccatũ habet; & continuò ſubiun-
git: *Et ex illa hora quærebat dimittere eũ.*
Ecce, quod non potuit extorquere à Pila-
to, homine aliàs gentili, deprecatio pro-
priæ vxoris, nec inſtantia accuſantiũ, nec
periculum cui ſe exponebat, lædendi Cæ-
ſarem, ſola execranda peccati vox ab eo
Ibidem. audita: *Propterea qui me tradidit tibi, ma-*
ius peccatum habet: id ab eo extorſit, ani-
mum eius inclinans, vt Chriſtum dimitte-
ret, *ex illa hora quærebat dimittere eum*.
Ibidem. Cùm ergo tanta ſit turpitudo peccati,
totq. grauiſſima detrimenta peccatori in-
ferat, fugite, obſecro fratres chariſſimi, ab
ingreſſu huius deteſtandæ viæ, per quam
ſolus Deus amitti poteſt; & vnuſquiſque
veſtrum, diuina gratia adiuuante, medul-
litus & ex toto corde dicat, quod D. An-
ſelmus lib. de ſimilit. cap. 19. *Si hinc pec-* *D. Anſelmus.*
cati pudorem, & illinc gehennæ cernerem
horrorem, & neceſſariò vni eorum deberem
immergi, prius me in Infernum immerge-
rem, quàm peccatum in me admitterem.
mallem enim purus à peccato, innocens
gehennam intrare, quàm ſorde pollutus Cæ-
lorum Regna tenere. Hæc Anſelmus.

Ceterùm, iam ſermonem conuertamus
ad ſecundã viam, per quam oportet am-
bulare ad inueniendum Deum per pecca-
tum ammiſſum. Hanc B. Virgo exemplo
ſuo nos docuit, quærens Ieſum ſedula di-
ligentia, & ingenti dolore. Salomon ad
ſignificandam hanc B. Virginis diligen-
tiam, in perſona eius, verba illa dixit:
Circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, *Cant. 3.*
quæram quem diligit anima mea, notãter
ait: *Circuibo*, quia, ſicut in circulo non eſt
inuenire finem, ita ipſa proteſtatur, ſine
fine quæſiturum ſe filium, donec illũ in-
ueniat. Vnde D. Bernardus dixit: *Non* *D. Bern. ſerm. 75. in Cant.*
tepidè aut negligẽter, ſeu perfunctoriè quæ-
rit Sponſa; nam corde ardenti & animo in-
fatigabili quærit. Quo quidem vnuſquiſq;
noſtrum docetur, quomodo à quærendo Deũ
nunquam ceſſare debeat. Sanè Chriſtus
Dominus non quomodocumque quærit
animam, ſed mille modis tentat illam ad
ſe allicere, & non in vno loco, ſed in mul-
tis eam quæritat. Vnde de ipſo ait Diuus
Matthæus: *Circuibat Ieſus per omnes ciui-* *Matth. 9.*
tates & caſtella. Nouit enim Dominus, il-
lud eſſe dœmonis ingenium, vt nõ ſegni-
ter, ſed diligentiſſimè exploret vias om-
nes, quibus animam expugnet: *Circuit*
quærens quem deuoret, ait D. Petrus: quod
& ipſemet humani generis hoſtis de ſeip- *Iob 1.*
ſo fatetur: *Circuiui terram, & perambu-*
laui eam. Ne ergo ipſe hoc circuitus ſtra-
tagẽmate inueniat quos perdat, conſultò
Chriſtus Dominus circuit animã, vt nul-
lus dœmoni pateat aditus ad illam expu-
gnandã. Si ergo Chriſtus te quærit, cir-
cuiens ciuitates & caſtella, cur tu cum
Virgine non dicis: *Surgã & circuibo ciui-*
tates, per vicos & plateas quærã quẽ diligit
anima mea? Si enim diligẽter quæſieris,
inuenies illum, vt docuit D. Bernard. *Si* *D. Bern. ſerm. 24. in Cant.*
nolumus fruſtra quærere, quæramus vera-
citer,

Digitized by Google

citer, quæramus frequenter, quæramus perſeueranter: facilius eſt enim cœlum, & terram tranſire, quàm vt ſic quærens non inueniat, ſic petens, non accipiat, & ſic poſtulanti non aperiat. hæc ille.

Inter alia autem argumenta, quæ magnam Virginis diligentiam in inueniendo Ieſu manifeſtè indicant, illud ex ſacro epithalamio adnotaui, quòd quærens Chriſtum, quos in itinere offendebat, ſollicitè interrogabat: *Num, quem diligit anima mea, vidiſtis?* (Cant. 3.) quod & repetens, ingreſſa per plateas Ieruſalem, tandem edocta fuit puerum, quem quærebat, in Templo adeſſe. Quo peccator inſtruitur, multum per omnem modum ſibi opus eſſe ad inueniendum Ieſum, ſpiritualem aliquem doctorem, & magiſtrum interrogare, & ab eo inſtrui, qua via ſibi gradiendum ſit ad inueniendum Ieſum; vt egregiè docuit, D. Bernardus ſerm. 77. in Canr. (D. Bernar. in Cant.) vbi exponens verba illa: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt Ciuitatem:* (Can. 3.) hæc habet: *Audiant qui ſine duce, & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, ipſi ſunt in arte ſpirituali exiſtentes, & diſcipuli pariter, & magiſtri; non ſufficit hoc, etiam coaceruant diſcipulos ſibi, cæci duces cæcorum; quàm multi ex hac à recto tramite perículoſiſſimè aberraſſe comperti ſunt? nimirum ignorantes aſtutias Sathanæ, & cogitationes ipſas, factum eſt, vt qui ſpiritu cœperant, carne conſummarentur, adducti turpiter, lapſi damnabiliter. Videant proinde qui eiuſmodi ſunt, quomodò cautè ambulent, & de ſponſa exemplum ſumant, quæ non prius ad eum, quem deſiderabat vllo modo valuit peruenire, quàm ſibi occurrerent, quorum magiſterio vteretur, ad cognoſcendum Domini dilecto. Certè ad diſcendum timorem Domini ſeductori dat manum, quæ dare diſſimulat præceptori. Omnes quidem nos, viatores ſumus, & via, quæ ducit ad Patriam, anguſta eſt; & carni, & ſanguini horribilis, & ideò pauciſſimis frequentata.* Oportet igitur huius viæ doctorem quæramus, nè à cupito termino inſipienter aberremus. *State ſuper vias,* dicit Dominus per Ieremiam, *& audite, & interrogate de ſemitis antiquis:* (Ierem. 6.) *quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* 2. Paralipom. cap. 35. (2. Paral. 35.) legimus, quòd noluit Ioſias, pius & ſanctus Rex credere ei, qui loquebatur ex ore Dei, & ſuo ſpiritu ductus, & bono (vt videbatur) zelo incitatus, perrexit in prælium aduerſus Necaò Regem Aegypti, & ſagittis vulneratus, occubuit. Nemo quidem ambigit, opus eſſe nobis bellum gerere, cum Apoſtolus dicat ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio* (Epheſ. 6.) *aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes tenebrarum,* quos ſæpe nos ferientes, & vulnerantes non videmus. Si ergo hanc Ioſiæ calamitatem ſpiritualiter experiri nolumus, oportet, nos magiſtri conſilijs acquieſcere, & proprio Marte non duci, quia, vt Salomon dicit Prou. 11. (Prou. 11.) *vbi non eſt gubernator, populus corruet; ſalus autem, vbi multa conſilia*: quem locum tractans beatus Dorothæus, ſatis efficaciter periculum ſine ductore pugnantium detegit, & neceſſitatem ſpiritualis doctoris exponit: *Cauere nos admonet* (inquit) (Dorot. do. 5.) *nè noſmetipſos informemus, ne nos ſciolos habeamus, ne perſuadeamur eſſe nos ſatis nobis ad regimen noſtrum; opus enim nobis eſt, auxilio præter Deũ, opus coadiutoribus. nihil eſt miſerabilius, nihil, quod citius expugnari queat his, qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei.* Ac tandem ſi omnes alias diſciplinas humanas nullo modo ſine ductore perdiſcimus, quæ dementia eſt, velle ſine magiſtro medio, virtutum doctrinam obtinere, & diuinam diſciplinam addiſcere? Hoc ipſum perpendens B. Ioannus Caſſianus collat. 2. cap. 11. vt, qui in rebus ad regimen animæ (B. Io. Caſſ.) ſpectantibus experttiſſimus eſſet, hæc huic argumento congrua valde ſcripſit: *Etenim, cum omnes artes, ac diſciplinæ huma-* (Io. Caſſ.) *no ingenio repertæ, & quæ nihil amplius, quàm huius vitæ commodis proſunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri, rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina nequeunt comprehendi; quàm ineptum eſt credere, hanc ſolam non egere doctore, quæ, & inuiſibilis, & occulta eſt, & quæ nonniſi corde puriſſimo perſpici poterit, cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, ſed animæ perditionem parit, mortemq; perpetuam:* Sed quid in ſanctorum Patrum teſtimonijs receſendis immoror, cum non ſemel Chriſtus Dominus huius doctrinæ fuerit magiſter; nam Paulo dicenti Actorum 9. (Act. 9.) *Domine, quid me vis facere?* non reſpondit Dominus: hæc, & hæc facias, ſed quid? *Surge, & ingredere Ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te opor-*

te oporteat facere. Eo autem Damaſcenorum Ciuitatem ingreſſo, Ananiam, non maiorem, non æqualem, ſed inferioris virtutis, inferioris meriti, inferioris ſtatus excitauit, qui Paulum de omnibus erudiret. Si doctorem, ſi Apoſtolum, ſi totius Eccleſiæ patrem Chriſtus ad hominem miſit, à quo Dei voluntatem audiret; putamus, nos abſque ſpiritualis magiſtri, & Ducis adminiculo poſſe proficere? Erramus, & nos ipſos falſa perſuaſione decipimus. Certè Deus Reges Magos interius illuminabat ad Ieſum quærendum in Bethlehem, & nihilominus voluit per externum magiſterium illos edoceri, vbi naſci deberet Meſſias. Vnde ingreſſi Ieruſalem, quæſierunt: *vbi eſt, qui natus eſt, Rex Iudæorum?* & meruerunt certiores fieri de loco: nam Principes Sacerdotum, reſponderunt; *& tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum Iſrael*: qua diligentia adhibita, tandem inuenerunt Ieſum, Matthæo Euãgeliſta dicente: *& intrantes inuenerunt puerum, cum Maria matre eius*.

Matth. 2.

Matth. 2.

Matth. 2.

Porrò, Deum quærendum eſſe non ſolum ſedula diligentia, ſed ingenti animi dolore, ſatis B. Virgo verbo, & exemplo nos docuit, dum dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*. Sicut enim Maria, quæ *amaritudo* interpretatur, dolebat de abſentia corporali filij ſui, ita, & nos ſumma animi amaritudine dolere debemus de abſentia ſpirituali illius ab anima noſtra, ob ſcelera multa contra illum patrata. Sicut enim (vt ait Auicenna) *prudentes inquiſitores auri quærunt illud ſcutella eburnea ſubter aquas, quia aurum naturaliter attrahitur ebore*, vt teſtatur Plinius de nat. hiſt. ſicut & ferrum attrahitur à magnete; ita dolore contritionis quærendus eſt Deus, quia hæc ſola, extra ſacramenta, virtutem habet attrahendi aurum charitatis, & auctorem eius ad animam. Itaque fratres, oportet, ſi inuenire cupimus Deum amiſſum, vt turpitudinem peccatorum expendentes, ingenti conatu, & acerbo mœrore ea deteſtemur: vt enim dixit D. Chryſoſtomus homil. 20. ad Populum. *Sicut vermis ex ligno naſcitur, & illud rodit, ac comedit, ſuam ab ipſo originem habens: ſic, & dolor de peccato natus eſt, & peccatum abſumit*. Vt autem hic

Luc. 2.

Auic.

Plinius.

D. Chryſ.

contritionis dolor ſit verus, oportet, vt ſecum afferat firmum propoſitum nunquam labendi in præterita, vel ſimilia peccata, iuxta verba illa Chriſti Domini: *Vade, & iam amplius noli peccare*, quæ vertit Græcus interpres: *vade, & ab hoc nunc ne amplius pecces*, quibus verbis non obſcurè Chriſtus Dominus docuit, ab ipſo nunc, ſeu inſtanti, à quo peccator incipit de peccatis dolere, incipere etiam debere in eo radicare propoſitum firmum non peccandi, quod in totam vitam protendatur. Illud tamen peccatorem moneo, quòd ſi forſan pro fragilitate conditionis humanæ iterum, atque iterum prolabatur, pactumque non reincidendi cum Deo initum, violauerit, iterum atque iterum doleat, non deſperans in Deo eſſe pietatem ad remittenda eius peccata. Nec ſolum hoc meum conſilium eſt, ſed magni Patris Chryſoſtomi, qui homil. 3. de pœnit. hanc doctrinam his præclaris verbis edocet: *Tametſi quotidie pecces, quotidie pœnitentiam age, & quod in domibus facimus, cum fragiles, & ad caſum nutant, fragilia educimus, tignaque noua ſubmittimus, continuaque reparationis munus exercemus; idipſum, & in nobis faciamus. Si hodie à peccato ſenueris, te ipſum per pœnitentiam inſtaura: in peccatis omnem contriui vitam, at ſi pœnitentiam egero, putas ſaluabor? vnde mihi conſtabit? Domini excellentia, pietateq; non iam tua confides pœnitentiæ. Si ſola ſuperfuerit pœnitentia, meritò timebis; ſed quoniam pœnitentiæ, Dei clementia, Deique pietas vincta eſt fide, tua quidem malitia menſuram habet, Dei verò clementia, & pietas, menſuram non habet. tua malitia, qualiſcumq. fuerit, humana malitia eſt, Dei clementia verò eſt incircumſcripta: ipſa igitur tuam malitiam ſuperat. Cogita, ſcintillam, ſi in mare ceciderit, num poterit ſtare, aut apparere? quantum ſcintilla ad mare ſe habet, tantùm hominis malitia ad Dei clementiam; immò verò, non tam modo, ſed & longe ſupra: nam, & pelagus tametſi magnum ſit, menſuram non habet. hæc dico, non quòd vos deſidiores faciam, ſed promptiores reddam*. hæc D. Chryſoſt. Promptiores tamen intellige ad dolendum, & contriſtandum illa pœnitentiæ, & doloris triſtitia, de qua D. Paulus. 2. Cor. 7. dixit: *Contriſtati eſtis ſecundum Deum, vt in illum detrimentum patiamini*. Sed quæ-

Luca.

Græcus interpres.

D. Chryſ.

2. Cor. 7.

ret

ret quiſpiam, quomodo verum ſit, peccatorem pati detrimentum in Chriſto ex triſtitia pro peccatis, cum potius accipiat internæ renouationis lucrum? Reſpondeo, rectè hæc inter ſe cohærere: nam, dum gratiæ lucrum habet, detrimentum patitur temporalis iucunditatis, qua fruebatur in delicijs carnis ſuæ: dicit autem Apoſtolus, tale detrimentum eſſe in Chriſto, quia dolor, ſeu triſtitia, quæ ſecundùm Deum eſt, per quam detrimentum fit, fugacis voluptatis, fundatur in Chriſto, id docente ſic fieri; & fit propter Chriſtum amiſſum, quem peccator inuenire ſatagit, immo, & a Chriſto ipſo cooperante cum peccatore, ad contritionis, & doloris triſtitiam concipiendam.

Ad extremùm ſolùm reſtat, viam aperire, per quam Chriſtum per contritionem, & dolorem inuentum, eundem poſtmodum tenaciter nobiſcum cõſeruemus, ad imitationem Virginis, quæ cum diſceſſit à Ieruſalem, ſecum tulit filium ſuum, vt perſpictè indicant verba Lucæ cap. 2.
Luca 2 *& deſcendit cum eis, & erat ſubditus illis*.
Cant. 3. Vnde illa eſt vox Virginis. *Inueni quem diligis anima mea, tenui eum, nec dimittam* quæ enim cum dolore quæſierat, & inuenerat, non poterat inuentum facilè dimittere, ſed ſtrictiſſimè apprehenſum tenere. Super quæ verba elucidanda Ri-
Richard. chard. in cap. 3. Cant. hæc habet: *Tenetur Deus orationis deuotione, deſiderio, importunitate, memoria, prece, fide, & expectatione exauditionis; nec dimittitur, ſi ab intentione non ceſſetur, nec vultus amplius in*
Gen. 32. *diuerſa mutentur; tenetq. dilectum, quamuis vxor non ſit, nec dimittit, donec benedixerit ei. luctatum eſt cum eo tota nocte, qua dormiuit; ſed cor eius vigilat, quia ſcilicet, ab exteriori occupatione ceſſauit, & in quærendo dilectum laborauit*. Sed, &
Z. Bernar. in Cant. audite quæſo nunc D. Bernard. qui ſerm. 79. in Cantica, quædam de Eccleſia ſancta dicit, quæ in Virginem mirum in modum conueniunt: *Sanctus Patriarcha, non te dimittam, ait, niſi benedixeris mihi, ita iſta non vult eum dimittere, & fortè, magis quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem; ſi quidem ille benedictione accepta dimiſit eum: hæc autem non ſic: Nolo (inquit) benedictionem tuam, ſed te. quid enim mihi? tenui te, nec dimittam; nec minus forſitan ille teneri vult, cum perhibeat dicens: Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum; quid hac lucta fortius, quæ vna duorum tam vehementi voluntate firmata eſt? Tenui eum (inquit) ſed nihilominus ipſa ab eo tenetur viciſſim, quia alibi dicit: Tenuiſti manum dexteram meam: quæ, tenetur, & tenet, quomodò iam cadere poteſt?* hæc ille.

Quibus addo, quòd, quemadmodum in ordine rerum naturalium, iuxta commune Philoſophorum, & receptiſſimum axioma, per quas cauſas quodcumque naſcitur, per eaſdem & conſeruatur; ita & in ordine ſupernaturali per eas cauſas, per quas Chriſtus amiſſus inuenitur, per eaſdē prorſus in anima conſeruatur. Inueniſti Ieſum per dolorem contritionis, per orationem, per carnis afflictionem, per Sacramentorum ſuſceptionem: his ſemper inſiſte, hæc itera, hæc repete, & Ieſum conſeruabis in æternum, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia VIII.

Deum amiſſum per peccatum, diligenter eſſe quærendum per dolorem, & pœnitentiam; bonaque ſola ſpiritualia eſſe ſollicitè quærenda, non temporalia; quia hæc vacuam relinquunt animam, illam appetitum eius explent, in illa verba: Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.

QVAM precioſa, ac inæſtimabilis gemma ſit ſtudioſa, ac diligens in hac vita Dei inquiſitio, hæc præclara diui Bernardi verba ſerm. 4. in Cant. D. Bern. ingenio, ac pietate tanti Patris digna, luculenter declarant. *Bonum (inquit) quærere Deum, ego hoc nullis in bonis animæ ſecundum exiſtimo, primum in donis,* vlti-

vltimum in profectibus eſt virtutum, nulli accedit, cedit nulli, cui accedat, quam nulla præcedat, quæ omnium magis conſummatio eſt? quæ enim virtus adſcribi poſſit non quærenti Deum? quiſuè terminus quærenti Deum? quærite (inquit) faciem eius ſemper: exiſtimo, quia, nec ſi inuentus fuerit ceſſabitur à quærendo. Huius cœleſtis doctrinæ exemplo ſuo, Deipara Maria, Archimagiſtra mihi extitiſſe videtur. Primò, quia, licet alioquin non ignoraſſet, Chriſtum Dominum non prius regreſſurum in cœlum, quàm doctrina, & miraculis filium Dei ſe oſtendiſſet, & humani generis redemptionem perfeciſſet; nihilominus tamen, quantum fuit ex parte ſua, inſtitit quantum potuit, vt illum inueniret; quo non obſcure docemur, vt quantumcumq; fiduciam habeamus in Deo, quod nos ad meliorem frugem reducet, nec defuturum in collatione auxiliorum, quibus, vt conuertamur indigemus; nihilominus tamen, conandum nobis eſt, quoad fieri poſſit, bonis operibus inſudare, & cooperatores fieri Dei in conuerſione noſtra. Certè
Gen. 31. Iacob rectè ſciebat, & quod Deus arguerat Laban, & quod præceperat ei, ne in via aſperè illi loqueretur, nihilominus tamen ipſe humiliter cum illo ſe habuit: minimè etiam ignorabat, Eſau nihil mali fore ſibi illaturũ, fecit tamen, quod in ſe erat, mittens munera Eſau, vt illũ placaret, & inueniret gratiam in oculis eius. *Sic loquimini Domino meo Eſau*. Dauid quoq; certò ſciēs ſe regnaturũ poſt Saulem, quia Dominus ſibi auxiliabatur, nihilominus fugiebat à
1. Reg. 21. facie eius, & abijt ad Achis Regem.

Secundò, quærendi Deum doctricem optimam ſe nobis præbuit B. Virgo, quæ, certiſſime ſciens, puerum Ieſum non perijſſe, aut ab itinere, inſtar aliorum puerorum ignoranter aberraſſe, aut quaſi perditum, vagari, cum de eius diuinitate multa ei cælitus fuiſſent patefacta; ingenti tamen dolore percuſſa, anxiè eum
Origenes. quærebat, & vt adnotauit Origenes in cap. 2. Lucæ, *Quomodo* (ait) *ſi quando ſcripturas legis, quæris, in eis ſenſum, cum dolore quodam, non quod ſcripturas erraſſe, aut perperam quid habere arbitreris, ſed, quòd illæ intrinſecus habeant veritatis ſermonem, & rationem, & tu nequeas inuenire, quod verum eſt; ita & illa quærebat*. B. ergo Virgo acerbo dolore quærens, & inueniens Chriſtum, quem ſine culpa amiſit, docet nos, qui culpa noſtra illum amiſimus, amariſſimo cordis dolore à nobis eſſe quæritandum. ſic enim certiſſimè illum inueniemus, immo, & cùm illo vnum efficiemur, quia, *qui adhæret Deo*, (vt ait 1. Cor. 6.
Paulus) *vnus ſpiritus eſt*, cum eo.

Amiſerat quidē olim primus parens diuinam gratiam, & per peccatum ſuæ præuaricationis longè receſſerat à Deo; per ſubſecutum tamen dolorem, & pœnitentiam, factus eſt ſimilis ipſi Deo. Scio quidem, verba illa ipſius Dei. *Ecce Adam,* Gen. 3.
quaſi vnus ex nobis factus eſt; ſecundùm communem interpretum intelligentiam, exponi ironicè: nam, cum ſerpens dixiſſet primis parentibus: *eritis ſicut Dij*: quo Gen. 3.
audito Adam conſenſit diabolicæ ſuaſioſi, & multis miſerijs obnoxius euaſit; tunc Deus videns Adamum nudum, & veſte indigentem, & alijs multis, quibus in ſtatu Innocentiæ non egebat, quaſi illum irridens, per ironiam dixit: *Ecce Adam,* Gen. 3.
quaſi vnus ex nobis factus eſt. ac ſi irriſorie dixiſſet: non eſt defraudatus Adam à deſiderio ſuo, cum iam ſit, velut alter ego. Scio, inquam, hanc eſſe huius loci tritam, & receptam explicationem, ſed liceat mihi aliter philoſophari: opinor enim per illam ſignificari hunc eſſe mirabilem effectum contritionis, & pœnitentiæ, vt peccatorem quodammodo conuertant in Deum: videns namq; Deus Adamum contritum, & pœnitentem de patrato ſcelere & cilicio ex aſperis fici folijs confecto indutum, continuò aſſertiuè in illa verba prorupit: *Ecce Adam, quaſi vnus ex no-* Gen. 3.
bis factus eſt, quod proinde fuit, ac ſi diceret: tanta eſt virtus contritionis, & pœnitentiæ, vt Adamum, alioquin præuaricatorem, & totius humani generis ſubuerſorem, adeò rectificauerit, vt Deo ipſi perſimilem fecerit; ac dignum, vt inter eos connumeretur, ad quos ſermo Dei Pſal. 81.
factus eſt: *Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Vt autem Deus præcaueret, ne Adam ab hoc tam ſublimi ſtatu iterũ laberetur, de ligno prohibito iteratò comedens, conſultò exulauit eum de Paradiſo, poſuitq; ad introitum illius Angelum, qui ei ingreſſum prohiberet: *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ*. Et infra: *collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim flammeũ gladium, atq; verſati-*

ſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Probe, certe agnoſcebat hanc mirabilem pœnitentiæ virtutem S. Ioannes Chryſoſtomus, cum homil. quinta ad Populum Antiochiæ, hæc dixit; *Propter hoc enim triſtitia facta eſt, non vt in morte, nec in vlla alia re tali doleamus, ſed vt ipſa ad delenda peccata vtamur. Mulctatus eſt quiſpiam pecunijs, triſtatus eſt, mulctam non emendauit; filium amiſit, doluit, mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profuit; flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumelijs affectus, doluit, non reuocauit contumeliam in morbum quis incidit grauiſſimum, doluit morbum nō ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodeſſe triſtitiam: peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit debitum.* hactenus D. Chryſoſtomus. *D. Chriſ.*

Hanc eandem pœnitentiæ virtutem perpendens D. Auguſtinus, ſeipſum increpabat, quod, cū alioquin legens Didonis mortem fleret, animæ ſuæ interitum non doleret: verba eius ſunt hæc: *Quid enim miſerius miſero non miſerante ſeipſum, & flente Didonis mortem, quæ flebat amando Aeneam, non flente autem mortem ſuam, quæ fiebat non amando ſe?* Memini, Alexandrum, qui (vt in eius vita refert Plutarchus) cum ebrietate captus eſſet, Clitum fideliſſimum amicum occidens, poſtea compos ſui factus, commiſſum facinus agnoſcens præ magnitudine doloris ſeipſum interimere tentaſſe: ſi ergo occiſio amici inuoluntaria Alexandro, ingentem dolorem intulit, quantò acerbior dolor cor peccatoris occupare debet, quòd voluntariè amiſerit Ieſum, immo & Deum ſuum Cruci affixerit, vt ait D. Paulus: *Iterum crucifigentes Ieſum?* Hic igitur dolor de Chriſti amiſſione, via certiſſima eſt ad eius inuentionem, vt ſub metaphora viæ maris ſecundum ſenſum miſticūm egregie explicauit Dauid Pſal. 76. *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur*; hoc eſt, literali ſenſu: Per rubrum mare Deus iter feciſti, populumque tuum per medias pelagi vndas deduxiſti, nulla verò poſtea huius itineris veſtigia aquis coëunribus extitere. Senſu verò morali: In amaro doloris, & pœnitentiæ mari, via Dei eſt, quæ tamen ſub oculorum aſpectum minimè cadit; etenim per hoc mare Deus ad nos venit, *D. Auguſt. in confeſſion.* *Plut. de Alex.* *Ad Heb. 6.* *Pſal. 76.*

per hoc mare nos Deum quærimus, & ad eum nauigamus. O beatam nauigationem, quo non Indicas gemmas, aut aromata, ſed ipſam Dei gratiam omnibus gemmis, aromatibuſque precioſiorem comparamus. In mari rubro Aegyptij omnes demerſi ſunt, hoc contritionis veræ, dolorisq; intimi pelago peccata omnia obruunt. Exod. 14. dicitur, *Nec vnus quidem ſuperfuit ex ijs Aegyptis.* eundem in modum, neque vnum quidem ſupereſt ex peccatis. Sap. 19. *In mari rubro via ſine impedimento*; in mari quoque pœnitentiæ via eſt ad Deum, cœleſtemq; Patriam ſine impedimento. Si mortiferum peccatum pœnitentia non obruerit, ingenti obſiſtente impedimento ad ingreſsū patriæ, tartareis ignibus obruemur. Memini, quod & huic argumento congruit, D. Ambroſ. lib. de Elia, & Ieiun. c. 19. pulchrè dixiſſe mercatoribus, qui nauigando pecuniā quærunt: *Mercatorū ſemen, aqua eſt meſſis in fluctibus, fructus ipſis in aqua nunquam tutus, & ſolidus*, &c. Horum primū nos de noſtris cæli mercatoribus aptè etiam dicere poſſumus, non tamen ſecundum: ſanè ſpiritualiū mercatorum ſemen, aqua lacrimarū eſt, meſſis tamē in fluctibus his tuta eſt & ſolida, ſementem faciūt gratiæ in aqua lacrimarū, & ſic copioſa illis contigit meſſis gaudij, & gloriæ in fluctibus doloris, iuxta illud Pſ. 125. *Qui ſeminant in lacrimis, in exultatione metent: euntes ibant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*, Vides doloris ſemina? vides exultationis, & gloriæ meſſem? *Exod. 14.* *Sap. 19.* *D. Ambr.* *Pſal. 125.*

Ceterum ad diligentem Dei inquiſitionem ſermonem conuertens, illud ſanè ad eam nos vehementer excitare, immò & impellere debet, quòd ſola diuina chariſmata, ac cœleſtia dona poſſunt appetitum animæ ſatiare. Certius quidem eſt, quàm probatione indigeat, omne illud, quod ſinus habet, & plenum non eſt, naturaliter appetere id, quo aut ſecundùm veritatem, aut ſecundum exiſtimationem, repleri poteſt. Vnde cum cor humanum capaciſſimos ſinus habeat, & experientia ipſa compertum ſit, plenum non eſſe bonis, cū tot bona ei deſint, conſequens eſt, vt deſiderijs æſtuet, & aliquod bonum, quo caret, adipiſci peroptet. Quia tamen, vt adipiſcatur neceſſe eſt, quærat, mul-

multum quidem intereſt, vt ea ſolum inquirat, quæ capaciſſimos eius ſinus explere poſſint; alioquin oſcum, & operam perdet, & inanis prorſus erit eius labor. Hinc hominis lugenda ſanè inſipientia conſpicitur, D.Aug. *qui* (vt ait Auguſtinus ſer. 30. de ſanctis) *gaudere deſiderat, ſed non ibi quærit gaudium, vbi oportet inquiri*. Videamus igitur, nunc quæ ſint bona ſinus animæ noſtræ aptè explentia, quæ verò non; vt hæc abijciamus, illa impensè quæramus. Equidem temporalia, quæ ſoli corpori inſeruiunt, non poſſe cor humanum ſatiare, multis argumentis haud difficile eſt conuincere. Primò, quia, quemadmodum veſtis ad menſuram pueri contexta gigantem non operit, & receptaculum annuli pro carbunculo elaboratum minor gemma non replet, & lac in cibum infantium à natura paratum, homines robuſtos nullo modo ſuſtentat: ſic corporalia, quæ ad velandum, & fouendum puſillum, & imbecillum corpus data ſunt, mẽtem vſq; in cælum caput attollentem non contingunt, & capacitatem eius ad capiendum ſummum bonum conditam non explent, & velut gutta lactis exiguæ ſpiritui forti, atquè robuſto, nequaquam ſufficiunt.

Secundo, quia, cum anima ſit generoſa, vt potè facta ad Dei imaginem, & ſimilitudinem, immo, & ex genere Dei oriunda, Actor. vt ait Apoſtolus. *Ipſius enim, & genus ſumus*, non poreſt vilibus, & abiectis rebus appetitus eius expleri; vilia autẽ eſſe, vana, & caduca, temporalia huius ſæculi bona, D.Greg. eleganter explicat D.Gregor. lib. 17. Moral. cap. 5. dum eas rerum exiguarum, ac inanium, & ſimul citiſſimè deficientiũ naturis comparat: *Iniquorum potentia* (ait) *fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dùm nitet, cadit, dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur; ſic namq; aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed caſu concito ad ima reuocatur; ſic ad mobilia fumus attollitur, ſed repente in nihilum tumeſcendo diſſipatur; ſic ab infimis nebula ſurſum aſcendendo ſe erigit, ſed exortus hanc ſolis radius, ac ſi non fuerit, abſtergit. Sic in herbarum ſuperficie nocturni roris humor aſpergitur, ſed diurni luminis ſubito calore ſiccatur; ſic ſpumoſæ aquarum bullæ incohoantibus pluuijs excitatæ ab intimis certatim prodeunt, ſed eo celerius diſruptæ depereunt, quo inflatæ citius extenduntur. Cumque excreſcunt, vt appareant, creſcendo peragunt, ne ſubſiſtant. De iniquis igitur temporalis gloriæ elatione tumentibus, ſed tamen nulla in hac ſoliditate durantibus, dicitur rectè: Eleuati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent*. Iob.14. hactenus D.Gregorius.

Videbimus eos, qui harum rerum amore tenentur, figuratos in Iona, cui præparauit Dominus hæderam, vt eum ab æſtu protegeret; *& lætatus eſt Ionas ſuper hædera lætitia magna*. Ionæ 4. quanta res eſt hædera, vt ex eius præſentia tantam Ionas lætitiam acciperet? Sic ſunt homines rerum terrenarum amatores, qui ex rebus nullius momenti, ita lætantur, ac ſi aliquid pertinens ad ſalutem æternam acquiſiuiſſent; & non aduertunt miſeri, quia res iſtæ velut ſomnia, tranſituræ ſunt, & eos, vacuos, & triſtes relicturę. nam, ſimul, cum hædera, præparauit Dominus vermem. *Aſcendit diluculo in craſtinum, & percuſſit hæderam, & exaruit*. Iona 4. quo datur intelligi, quod ſimul cum proſperitate temporali vermis enaſcitur, quoniam eo ipſo, quòd corruptioni ſubiecta eſt; intus habet, quo citò conſumitur: quis putaret, hæderam heri natam, hodiè ſubitò caſuram, & prophetam ſine vllo vmbraculo permãſurum, vt ſolis calore æſtuaret, & quod peius eſt, igne indignationis arderet? ſed quis non putaret? cum iſta ſit omnium rerum viſibilium conditio, vt velut fumus, facilè euaneſcant?

Tertiò, quia bona omnia terrena, quantumcumq; præſtantiſſima ſint, non ſunt ſufficientia alimenta ad congruam hominis ſuſtentationem, & conſequenter, multò minus apta erunt ad mentem humanam ſatiandam; tùm, quia calor ſpiritualis ſtomachi adeo vehemens eſt, vt quaſi in momento omnia corruptibilia conſumat, & continuò, ac ſi nihil deglutiſſet, fame tabeſcat. Contingit enim ei illud, quod ſomnianti, cuius meminit Iſaias, dum cap. 29. ait: *Sicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit: & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt*. Iſai.29. Si igitur bona temporalia ſunt velut cibi ſuauiſſimi, & vina precioſiſſima per ſomnium tantum ſumpta, manifeſtè

relin-

relinquitur, quod ſicut hæc famelico, & ſitibundo non ſatisfaciunt, ita nec illa mentem humanam ſatiare poſſunt.

Quartò, quia cùm multis laboribus, & miſerijs, velut ſpinis, inuoluta ſint, impoſſibile eſt, vt verum gaudium ſecum afferant. Quantumuis enim prophani homines diuitijs, & honoribus abundent, amor tamen augendi diuitias, & conſeruandi honores, eſt illis acetum; & timor amittendi eſt fel, quibus duobus ſalſamentum quoddam amarum adeo, & inſipidum conficitur, vt omne, quantumcumq; dulce, cui ſuper inijcitur, abſynthio horribilius ac deteſtabilius reddatur. Hæc perpendens B.Laurent. Iuſtinianus in ligno vitæ tract. de paupertate, cap. 3. præclare dixit: *Si pecuniam congregare conaberis, eripies habenti, aut cupiditatibus laceraberis: ſi dignitatibus fulgere velis, danti ſupplicabis, & qui præire ceteros cupis, poſcendi humilitate erubeſces. Si potentiam deſideres, ſubiectorum inſidijs obnoxius, periculiſq; ſubiacebis. Si gloriam appetis, per aſpera quæq; diſtractus, quietus, & ſecurus eſſe deſiſtis. Si voluptuoſam vitam eligis, quis non ſpernat, atque abijciat viliſſimæ, fragiliſſimque rei, corporis ſcilicet, ſeruus eſſe?* Neceſſe igitur eſt fateri, omnia hæc tẽporalia bona non poſſe mentem humanam ſatiarę. Ex quo apertè infero, pulchrè ſane Richardum ſermone de Spiritu ſancto, antiquorum philoſophorum ſententiam correxiſſe qui hominem: *mundum paruum* appellarunt, qui potius *mundus maximus*, vocandus eſſet: quoniam totius mundi poſſeſſio ſinus, & receſſus mentis humanæ non replet. *Nonne* (inquit) *Philoſophi videntur erraſſe, qui hominem microcoſmum ideſt minorem Mundum, dixerę? Numquid nam obſecro, non meritò, maior mundus dicendus eſt humanus ille animus, qui mundo vtiq; maior eſt, quem totus mundus nulla ſui dilatatione, nulla ſui multiplicatione ſatiare poteſt? Si ergo humanus animus maior, & capacior eſt mundo iſto viſibili, qui omnia bona terrena in ſe claudit, manifeſtum eſt, non poſſe omnia illa capaciſſimos eius ſinus implere, & appetitum eius plenè ſatiare. auarus non ſatiatur diuitijs, etiam ſi vniuerſum mundum ipſe poſſideat, cum ſcriptum ſit: auarus non impletur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Libidinis amator non ſatiatur voluptatibus, cùm Salomon dicat: Omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram: & vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Certe, qui poſt tot delicias, vanus, inaniſque remanſit, ſatis indicat, ad ſatietatem quæſitam non veniſſe. Ambitioſus, nec honoribus, nec Regnis, nec imperio ſatiatur. Alexander quidem (vt refert Plutarchus in eius vita) vno mundo ſubiugato, nequaquam ad ſatietatem vſq; imperandi peruenit: ſed audiens quendam Philoſophum diſputantem, & plures eſſe Mundos aſtruentem, triſtatus eſt, atque in lacrimas reſolutus, quòd ipſe inter tot Mundos, vix vni tantùm imperaſſet, & ſuis bellis plures non ſubegiſſet. Hos omnes, quos hucuſque retuli temporalium bonorum auidiſſimos amatores, nunquam tamen ab eis ſatiatos eleganter deſcribit D.Bernardus ſermone ſuper, *Ecce, nos reliquimus omnia.* vbi quandam mirabilem viſionem in hæc verba narrat: *Vidi ego aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? primus ſiquidem buccis tumentibus marinam maſticabat arenam, ſecundus ſulphureo aſtans lacui, exhalantem teterrimum, fœtidiſſimumq; geſtiebat haurire vaporem: porrò tertius fornaci incubans vehementer accenſæ micantes ſcintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur: quartus ſupra pinnaculum Templi reſidens leuioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore, & ſi quominùs influere videretur, flabello ventum ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aerem deglutire. quintus ſeorſum poſitus ridebat ceteros, ipſe quoq; ridendus, & maxime; proprias enim carnes incredibili, quodam ſtudio ſugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori, miſeratus homines, cauſamque ſciſcitatus à ſingulis, vnam omnibus eſſe reperio, validiſſimam vtiq; famem; tunc verò macilentiſſimas eorum facies contemplatus, recordabar prophetę gementis miſerabiliter & dicentis: Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.*

Hæc ergo bona, tum à Salomone, tùm à D.Bernardo hucuſq; commemorata, in quacumq. etiam ingenti menſura accepta, non ſunt ſufficiens cibus ad animę appetitum ſatiandum, & explendum: alius cibus

B.Laur. Iuſt. — Richard. — Eccl. 5. — Eccl. 2. — Plut. de Alex. — D.Bern. — Pſal 101.

cibus nobis inquirendus eſt, qui famem
eius expleat. hic certè nullus alius eſt,
quàm rectitudo vitæ, integritas morum,
iuſtitia, & ſanctitas, vt his præclaris verbis
D. Bern. docuit D. Bernard. præcitato loco. *Quid
hæc bona proſunt? non ſunt naturales cibi,
magis famem hæc prouocant, quàm extin-
guunt, panis namq; animi, iuſtitia eſt, & ſo-
li beati, qui eſuriunt illam, quoniam ipſi ſa-
turabuntur: nimirum ad imaginem Dei fa-
cta anima rationalis, ceteris omnibus occu-
pari poteſt, repleri omnino non poteſt. capa-
cem Dei, quicquid Deo minus eſt, non im-
plebit.* & lib. de diligendo Deum, eandem
Ibidem. doctrinam confirmans hæc ſcripſit: *Iuſti-
tia ratione vtentis ſpiritus, cibus eſt vitalis
& naturalis, pecunia verò ſic non replet; vel
minuit animi famem, quomodo nec corporis
ventus. Deniq; ſi famelicum hominẽ aper-
tis faucibus vento inflatis, haurire buccis
aërem cernas, quo quaſi conſulat fami, non-
ne credas inſanire? ſic, non minoris inſaniæ
eſt, ſi ſpiritum rationalem rebus putes qui-
buſcumq; corporalibus non magis inflari,
quam ſatiari; quid namq; de corporalibus
ad ſpiritualia? nec illa ſane ſpiritualibus,
nec iſti è regione reſici corporalibus queunt.*
Tob. 12. Vnde quod Raphaël Angelus Tobię dixit:
*Videbar quidem vobiſcum manducare, &
bibere, ſed ego cibo inuiſibili, & potu, qui
ab hominibus videri non poteſt, vtor:* Idem
poteſt quilibet homo dicere, qui licet vi-
deatur terrenis rebus impleri, tamẽ (quod
ad animam pertinet) non ſuſtentatur, niſi
inuiſibili cibo virtutis, & veritatis. quare
promittens Dominus cibum homini le-
Iſai 58. gem cuſtodienti, ait: *Cibabo te hereditate
Iacob patris tui*. hereditas Iacob in hac
vita iuſtitia fuit, ſanctitas, & gratia,
in alia verò gloria, quę in clara
Dei viſione conſiſtit.
Cui ſit honor,
& glo-
ria in ſæcula
ſæculorum.
Amen.

Homilia IX.

Proſequimur idem argumentum ex Euangelica lectione, docentes, quo tempore, & quo loco ſit quærendus Deus: prius tamen ſupponimus, neminem poſſe quærere Deũ, niſi prius quæratur à Deo.

QVEMADMODVM,
neminem contingit de-
relinqui à Deo, niſi prius
ipſe derelinquat eum, vt
docet ſacrum Concilium
Tridentinum; ita è con-
tra, nemo poteſt quærere Deum, niſi prius
ipſe quæratur ab eo, vt non obſcurè Re-
gius Vates ſignificauit Pſalm. 77. dicens: Pſal. 77.
*Recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus va-
dens, & non rediens:* licet enim in ſenſu
literali verba hæc intelligantur de vento,
qui egreditur à corpore, nec ad ipſum re-
dire poteſt, niſi diuina potentia illum in-
tus mittat, D. tamen Bernardus ſerm. 84. D. Bern.
in Cant. in ſenſu miſtico illa intelligens de
anima, ſeu ſpiritu noſtro, qui ſi ſemel à
Deo ſe auertat, non poteſt ad Deum redi-
re, niſi diuina virtus illum ad ſe reuocet;
verba hæc ſcripſit: *Quærit anima mea
verbum ſed, quæ à verbo prius quæſita ſit,
alioquin ſemel à facie verbi egreſſa, vel eie-
cta, non reuertetur oculus eius, vt videat
bona, ſi non requiratur à verbo: quaſi verò
aliud anima noſtra ſit, quam ſpiritus va-
dens, & non rediens, ſi ſibi fuerit derelicta.*
hæc ille.

Quemadmodum enim ouis, quæ perijt
niſi à paſtore quæratur, facilè luporum
dentibus dilaniatur, ſic anima noſtra, niſi
à Deo miſericorditer quæratur, Tartarei
lupi vnguibus diſcerpitur, & ideò vt Deũ
quærere ſciamus, quæ omnium ſcientiarũ
optima eſſe perhibetur, oportet, enixè à
Deo flagitemus, vt errantem ouem ipſe
quærat, cum Dauide Pſal. 118. clamantes:
*Erraui, ſicut ouis, quæ perijt, quære ſeruum
tuum.* Pſal. 118.

tuum. Vt tamen Deum cum labore quærẽtes, cum gaudio inueniamus, oportet obſeruemus circumſtantias temporis, & loci, quo ſcilicet tempore, & quo loco ſit quærendus.

De tempore oportuno quærendi, per Iſaiam admonemur, cap. 55. *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum prope eſt.* Ad hoc reſpiciens D. Bernardus, ſerm. 75. in Cant. peccatorem vitijs ſuis inueteratũ, in hunc modum alloquitur: *Quam tibi ſomnias prouenturam inter ardores ſempiternos facultatẽ veniam promerendi, cùm iam tranſijt tempus miſerendi? non relinquitur tibi hoſtia pro peccatis, mortuo in peccatis.* Licèt autem pœnitentia ſit apud inferos, Salomone de damnatis dicente: *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*; illa tamen eſt infructuoſa, vt in commentario huius loci explicat Lyranus. Vnde rectè doctiſſimus Alcuinus, lib. de virtutibus & vitijs, cap. de Confeſſione dixit: *Tempus eſt nunc remiſſionis pœnitentibus, tempus erit poſt mortem vindictæ, confiteri ſcelera negligentibus. Omnes enim impij amaram habent in tormentis pœnitentiam, ſed non proficit eis ad remiſſionem pœnitentia: torquet eos ad augmentum pœnarum, quas patiuntur conſcientia.* Vult igitur Deus quæri, ſed intra triduum, ad imitationem Virginis, Filium intra triduum quærentis & inuenientis. Prima dies, fuit tempus legis naturæ, in qua Patriarchæ illi, Noe, Abraham, Iſaac Deum quæſierunt & inuenerunt. Secunda dies, fuit lex ſcripta, in qua ſancti Prophetæ & magiſtri populi Iſraelitici, vt Moyſes, Aaron, Dauid, Iſaias, Ieremias, & reliqui diligenter Deum inquiſierunt; & diuino afflante ſpiritu, *non ſunt defraudati à deſiderio inueniendi.* Tertia dies, eſt tempus legis gratiæ, intra quod vnicuique præfixum eſt tempus vitæ, in quo dumtaxat licet vnicuique Deum quærere & inuenire. Quarta verò dies, tempus eſt poſt hãc vitam, in quo quantumcumque quiſpiam nitatur quærere Deum, non inueniet, iuxtà illud Chriſti: *Quæretis me, & non inuenietis.* Licèt enim damnati Chriſtum Dominum inuenerint ſeuerè iudicantem poſt hanc vitam, non tamen inuenient tanquam patrem miſerantem. In cuius figuram lib. 2. Reg. legimus, quòd Abſalon vſque ad annum tertium, Regem Dauid videre non potuit; in quarto autem anno ipſum non inuenit, ſed tribus lanceis vulneratus fuit. Homo quidem, qui Deum non inuenit in tempore legis naturæ, nec in tempore legis ſcriptæ, nec etiam in tempore legis gratiæ; in quarto tandem tempore, poſt hanc vitam, Deum non inueniet ad pœnitentiam, ſed ad pœnam; quia tunc etiam tribus lanceis vulnerabitur. Vna lancea, eſt vermis conſcientiæ, Iſaia dicente: *Vermis eorum non morietur.* Secunda, ignis gehennæ, eodem Propheta atteſtante: *Ignis eorum non extinguetur.* Tertia, priuatio viſionis diuinæ, iuxta illud eiuſdem Vatis: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Iſai. 55. | D. Bernard. | Sap. 5. | Lyran. | Alcuinus. | Ioan. 7. | 2. Reg. 14. | Iſai. 2.

Porrò, iſtud etiam triduum aliter interpretari poſſumus cũ Orig. in c. 3. Exod. vbi explicans verba illa in ſenſu miſtico: *Filij Iſrael volentes exire Aegyptum, dicebant Pharaoni: Viam trium dierum itineris ibimus, ad ſacrificandum Domino Deo noſtro:* hæc eruditè ſcripſit: *Non vult Moyſes, vt ſeruiat populus in Aegypto, Domino; ſed vt exeat ex Aegypto in deſertũ, & ibi ſeruiat Domino; hoc ſine dubio ideò euènit, quia donec quis in tenebroſis ſæculi actibus manet, & in negociorum obſcuritate verſatur, non poteſt ſeruire Domino: non enim poteſt ſeruire Deo, & mammonæ.* Exeundum eſt ergo de Aegypto, relinquendus eſt mundus: relinquendus (dico) non loco, ſed animo, non itinere, ſed fide viua proficiendo. Audi hæc eandem Ioannẽ dicentem: *Filioli nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt, quoniam omne quod in mundo eſt, aut eſt deſiderium carnis, aut deſiderium oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Quomodo autem iubet proficiſci ex Aegypto, ſequitur: *Viam, inquit, trium dierum ibimus in Eremum. Quæ eſt via trium dierum, quæ nobis incedenda eſt, vt exeuntes de Aegypto, peruenire poſſimus ad locum, in quo immolare debemus? Ego, viam, illum intelligo, qui dixit: Ego ſum via, veritas, & vita. Hæc via tribus diebus nobis incedenda eſt; qui enim confeſſus fuerit in ore ſuo Dominum Ieſum Chriſtum, & crediderit in corde ſuo, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis tertia die, ſaluus erit. Hæc ergo eſt tridui, via, per quam peruenitur ad locum, in quo*

Origenes in Exod. 3. | 1. Ioan. 2. | Origenes.

Digitized by Google

Domino immoletur, & reddatur ſacrificium laudis. Hoc quantum ad miſticum intellectum. Si verò etiam moralem, qui nobis perutilis eſt, requiramus: iter tridui de Aegypto proficiſcimur, ſi ita nos ab omni inquinamento corporis, animæ, & ſpiritus conſeruemus, quemadmodum dixit Apoſtolus: Integer ſpiritus, & anima, & corpus noſtrum ſeruetur in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Tridui iter proficiſcimur de Aegypto, ſi rationalem, & moralem ſapientiam à rebus mundanis auferentes, ad ſtatuta diuina conuertimus. Tridui iter proficiſcimur de Aegypto, ſi purificantes in nobis dicta, facta, vel cogitata, ſpiritualia opera in nobis compleamus. Tria enim ſunt hæc, per quæ homines peccare poſſunt. Efficiamur mundi corde, vt poſſimus Deum videre. Hactenus Origenes.

Cur autem per triduum voluerit Chriſtus Dominus abſens fieri à matre, & ab ea per triduum quæri? multi eam rationem huius eſſe exiſtimant, quòd ternarius numerus ſacer valde ſit in ſacris literis, & multis myſterijs grauidus. Tres enim ſunt diuinæ perſonæ in vna eſſentia: tres ſunt Hierarchiæ cœleſtes: tres ſunt præcipuæ potentiæ Angelicorum ſpirituum, & etiam hominum, nempe, Intellectus, Voluntas, & Memoria. Triplex, ſecundùm Ariſtotelis ſententiam, (*Ariſt.*) eſt anima; vegetatiua ſcilicet, ſenſitiua, & rationalis. Tribus, nimirum principio, medio, & fine, omnia determinantur, iuxtà Pythagoræorum placitum. Tres dies poſtulat Moyſes à Pharaone, vt ſacrificet Deo ſuo populus Hebræus. (*Geneſ.34.*) Tertia die grauiſſimus vulnerum dolor eſt in circumciſis. (*Iudith 12.*) Triduum poſtulat femina Iudith ad adorandum Deum ſuum. (*Geneſ.18.*) Tres viri apparent Abrahamo, prope tabernaculum eius. (*Geneſ.40.*) Tres propagines vitis, ac tria caniſtra farinæ ſomniarunt famuli Pharaonis. (*Exod.2.*) Tribus menſibus abſconditus eſt Moyſes, ne interficeretur ab Aegyptijs. (*2.Reg.23.*) Tres viri fortes irruerunt, vt adducerent aquam Dauid de ciſterna Bethlehem. Tres fuerunt viri fortiores inter omnes Duces, & milites fortiſſimos Regis Dauid. Tribus conficiuntur veneranda Eccleſiæ ſacramenta: forma, materia, & intentione. Tres ſunt omnium virtutum maximæ: Fides, Spes, Charitas. (*1.Cor.13.*) Trium dierum ſpatio ſtetit Ionas in ventre Cete. (*Ionæ 2.*) Tertio die pauit turbas Chriſtus Dominus in deſerto: (*Ioan 2.* *Matth.15.*) *Ecce, iam triduo*, inquit ille, *ſuſtinent me, nec habent quod manducent*. Ac tandem, tertio die voluit idem à mortuis reſurgere. Latet igitur myſterium in his verbis: *poſt triduum*. Vnde eleganter D. Ambroſius in commentario huius loci: *Poſt triduum*, inquit, *reperitur in Templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis in ſede cœleſti, & honore fidei noſtræ ſe reſurrecturum offert, qui mortuus credebatur*. Ac tandem alij volunt, conſultò per triduum voluiſſe quæri Chriſtũ Dominum, ad præfigurandum, per triduum, contritionis, confeſſionis, & ſatiſfactionis, quæ ſunt tres partes ſubſtantiales ſacramenti Pœnitentiæ, nobis quærendum eſſe.

Ceterùm, iam inueſtigemus circumſtantiam loci, vbinam ſit quærendus Ieſus, vt inueniatur. Sacer Euangeliſta id notificat, dum teſtatur in Templo Ieroſolymæ fuiſſe quæſitum, & inuentum à Virgine, *Inuenerunt illum in Templo*. necnõ (*Luc.2.*) dum aſſerit, repertum inter Doctores: *ſedentem in medio Doctorum*. De his duobus, ad mores noſtros ea conuertentes, paruper, ſi placet, diſſeramus. Vnaquæque res propria ſibi loca vendicat. Piſces habitant in aqua, feræ in deſertis, Cerui in montibus, pecora in paſcuis, volucres in aëre, vel in nidis, fructus in arboribus, Chriſtus in Templo Ieruſalem, que *viſio pacis*, interpretatur; quia vt ait Dauid: *In pace factus eſt locus eius*; nec (*Pſal.75.*) niſi inter filios pacis habitat, vt loquitur Paulus, 1.Cor.14. *Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis*. (*1.Cor.14.*) Vnde ſuos monuit illis in domibus manere, in quibus eſſet filius pacis. Et ſanè, cùm Dominus dicat: *Cœlum mihi ſedes eſt*, & aliunde, templum (*Luc.10.*) Dei ſit Cœlum, vt Iacob dixit, Geneſ.28. (*Gen.28.*) *Terribilis eſt locus iſte: verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli*; nullibi aptius in hac vita quæri poteſt Deus, quàm in templo. Vnde D.Chryſoſtomus homil.36. in epiſt.1. ad Corinthios, ait: *Eccleſia, locus eſt Angelorum, locus Archangelorum, Regnum Dei, ipſum Cœlum*. (*D.Chryſ.*) Quare & D.Baſilius homil.33. in cap.10. Matth. agens de Templo, & de Cœlo, in hunc modum loquitur: *Hic magna*

nobis

Digitized by Google

nobis ſunt poſſeſſiones, hic omnis ſpes noſtra ſita eſt: omnia quæ hic ſunt, ſublimia certè ſunt. Hæc Baſilius. Tacet quidem ille, quæ ſint hæc ſublimia; mihi autem non licet ea ſilentio prætetire, ſed minutim potius commemorare. In ſacris Templis adſunt in primis mortuorum ſepulchra, quæ ſunt velut ſpecula, in quibus humanæ conditionis fragilitatem, & corruptibilitatem proſpicimus, memoreſque efficimur illius ſententiæ, diuino ore contra nos prolatæ: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Cuius rei memoria quàm vtilis ſit, teſtatur Sapiens, dum ait: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*. Adeſt ibi fons patens ſacri baptiſmatis, in ablutionem peccati originalis; adeſt lauacrum aquæ luſtralis, ſeu benedictæ, qua abſterguntur ſordes peccatorum venialium: adeſt myſticum mare rubrum amaræ pœnitentiæ, cuius ſacramenti beneficio, velut olim Aegyptij in mari rubro, peccatorum ſcelera in rubro ſanguinis Chriſti mari ſuffocantur; adeſt ibi opulenta menſa tum Verbi diuini, tū Corporis Chriſti, quibus cibantur famelici, & ſpiritualiter nutriuntur: adeſt ibi ſacrificium incruentum immaculati agni, qui per manus ſacerdotum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſub ſpecie panis & vini quotidie Deo Patri offertur, in remiſſionem peccatorum noſtrorum; adſunt ibi Dei & Sanctorum imagines, quæ præclara eorum geſta nobis in memoriam reuocant, & ad eorum auxilium inuocādum nos oſcitantes excitant: adſunt auriculares Confeſſores, animarum medici experti, ad medendum infirmitatibus noſtris. Quid plura? Templum, eſt Ciuitas refugij, ſimilis illis tribus, quas olim Dominus, Deuter. 15. ſeparare iuſſit, vt ad eas malefici confugientes, ab omni ſupplicio immunes eſſent. In cuius etiam figuram, Salomon voluit, Oſtia, per quæ ingreſſus patebat ad Templum, ex lignis oliuarum eſſe affabrefacta, vt per id ſignificaret, ingredientes Templum ad orandum, victoriam de hoſtibus ſuis, & miſericordiam à Deo conſequuturos. Oliua enim ſemper fuit ſymbolum vtriuſque, & victoriæ, & miſericordiæ. Ac tandem Templum ipſum, officina quædam eſt, & quaſi compendium eorum bonorum, quibus ad æternam felicitatem conſequendam indigemus; ibi interius renouamur, ibi vulnera noſtra ſanantur, ibi paſcimur incorruptibili cibo, ibi conterimur, pectora tundentes, ibi peccata defleмus, crimina confitemur, verbum Dei auſcultamus, diuinis inſpirationibus tangimur, orationi vacamus, quia dictū eſt: *Domus mea, domus orationis eſt*: ibi obſecrantes exaudimur, multiſque beneficijs diuinitùs cumulamur. Quod probè agnoſcens Dauid, deſiderabat Templo Domini frequenter aſſiſtere, quaſi iuſtitiam, & ſanctitatem in eo inuenturus. Quare Pſal. 117. dicebat: *Aperite mihi portas iuſtitiæ: ingreſſus in eas, confitebor Domino. Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam*. Portas quidem iuſtitiæ, vocabat Templi ianuas, quia in Templo adſunt ea, quibus opus habemus ad noſtram iuſtificationem, & ſanctificationem. Cùm ergo Templum ſanctum Dei ingredimini, ne quæſo diſcedatis vacui, vbi tam ingēs cœleſtium bonorum theſaurus patet; ſed cœleſtibus diuitijs repleti, iuxta illud eiuſdem Dauidis: *Replebimur in bonis domus tuæ*; Hieronymus vertit: *Replebimur ſanctificatione templi tui*. Felix, qui hoc repletur bono, felix qui Templi ſanctificatione repletus, domum abijt. *Eccleſia* (ait Chryſoſtomus, homilia prima in Geneſim) *locus quidam eſt medicinæ ſpiritalis, & eos, qui huc veniunt, decet ne domum redeant, niſi congrua remedia acceperint, illaque ſuis vulneribus adhibuerint*.

Gen. 3. — Eccleſ. 7. — Deut. 15. — 3. Reg. 6. — Matth. 21. — Pſal. 117. — Pſal. 64. — D. Chryſ.

Hæc & alia innumera bona, quibus ſacra Templa ſcatent, non ignorantes quidam fideles, etiam cum vitæ diſcrimine ſacras ædes ingredi non dubitabāt. Vt enim refert Victor Vticenſis, lib. 2. de perſecut. Vvandal. in princ. cùm impius Hunnericus Rex conſtituiſſet in Africa tortores, qui, Templa adeuntes atroci pœna punirent; nemo tamen ab ingreſſu Templi ſe abſtinebat, quantumuis acerrimè torquerentur. Verba illius hæc ſunt: *Statuit Hunnericus portis Eccleſiæ collocare tortores, qui videntes feminam, vel maſculum in ſpecie ſuæ gentis ambulantem, illico palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibuſque in eiſdem colligatis, ac vehementiùs ſtringentes, ſimul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant*. Nonnulli, dum

Victor Vtic.

hoc fieret, ſtatim oculos amiſerunt: alij, ipſo dolore defuncti ſunt. Mulieres verò poſt hanc pœnam, capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas, ad oſtenſionem totius Ciuitatis ducebantur. Quod ſibi (quæ magis patiebantur) lucrum maximum computabant; quorum nos plurimos nouimus: neſcimus tamen aliquem eorum, etiam pœnis vrgentibus, à recto itinere deſtitiſſe. Hactenus Victor Vticenſis. Vides, Chriſtiane auditor, quanto olim ardore à fidelibus ad Templa properatum ſit, nec vllis tormentis homines inde potuiſſe arceri.

Atque hinc (vt id obiter dicam) facilè deprehenditur, quàm ſit ingens delirium hæreticorum, Caluiniſtarum, & Lutheranorum, qui tanquam legitimi hæredes impij Ieroboami, de quo Ioſephus libro Antiquitatum, cap. 8. narrat, quòd, erectis duobus vitulis, vniuerſo populo ſuadebat, vt amplius ad Salomonis Templum non accederet, ipſi non verentur effutire, ſuperuacaneum eſſe, Templa, ad quærendum & orandum Deum, adire, cùm Deus vbique ſit, & ob ſuam immenſitatem omni loco præſentiſſimus. Ab his enim impijs hæreticis interrogarem ego: Si Templum non eſt adeundum, vt quid Deus præcepit, ſibi Ieroſolymis ædificari Templum? vt quid Dauid adeò deſiderauit illud extruere, vt diceret, *ſe non daturum oculis ſuis ſomnum, nec palpebris dormitationem, quouſque inueniret tabernaculum Deo Iacob?* Vt quid Salomon tot expenſis, & grauiſſimis ſumptibus auri, & argenti, magnificentiſſimum illud Templum tanto labore erexit? Vt quid nunc Ieſus, Maria, & Ioſeph aſcendunt in Templum, cùm non ignorarent, vbique exiſtere Deum, qui preces extra Templum exaudiat? Vt quid tandem Apoſtoli, Petrus, & Ioannes ibant in Templum, ad horam orationis nonam? Certè Catholici fatemur, Deum vbique eſſe, in Templo tamen ſpeciali ratione adeſſe; tum quia in Euchariſtia adeſt Verbum diuinum incarnatum; tum quia, etiam deficiente Euchariſtia, adeſt Deus in ſacris ædibus, promptior ad exaudiendas deprecantium preces.

Ioſephus.

Ac profectò, ſi Deus non eſſet in Templo, peculiari & ſingulari aliqua ratione magis quàm in reliquis alijs locis, haud ita ſollicitus fuiſſet Paulus præcipere mulieribus, vt dum in Templo verſarentur, caput ſuum propter Angelos, tegerent; nam certè Angeli cuſtodes adſunt in domibus etiam prophanis, & ſic oporteret ibi velare capita ſua. Quia ergo Dominus ſpeciali ratione, in Templo adeſt, & ibi ſpecialiter ab Angelis adoratur, qui Regi ſuo, tanquam in regio cubiculo aſſiſtunt; idcirco feminas caput operire iubet, propter Angelorum, Deo ibi aſſiſtentium, reuerentiam. Vnde Diuus Chryſoſtomus, ſermone primo ex viginti quinque varijs, qui habentur tomo primo, inter alia innumera bona, quæ in Templo adſunt, præſentiam Seraphinorum alis faciem tegentium, commemorat in hæc verba: *Menſa myſterijs inſtructa eſt, & agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur; ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, ſex alis faciem tegentes, omnes incorporeæ virtutes, pro te cum Sacerdote intercedunt; ignis ſpiritualis è Cœlo deſcendit, ſanguis in cratère, in tuam purificationem, ex immaculato latere hauſtus eſt.* Hæc Diuus Chryſoſtomus. *D. Chryſ.*

Deinde hodierni Euangelij lectio nos docet, quærendum nobis eſſe Deum, inter Doctores; *Inuenerunt illum in Templo, in medio Doctorum.* Tam parentes Chriſti, quàm nos, amiſimus Chriſtum per ignorantiam, ſed diuerſa ratione: illi enim amiſerunt illum, per ignorantiam inculpabilem, vt apertè indicant verba Diui Lucæ: nam poſtquam dixit: *Non cognouerunt parentes eius*, continuò ſubiunxit, *exiſtimantes illum eſſe in comitatu.* Nos autem amittimus illum per ignorantiam culpabilem, iuxta illud Iſaiæ, c. 5. *Captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Quamuis enim quædam peccata committantur ex malitia, alia ex fragilitate; omnis tamen quicumque peccat, practicè errat, iuxta ſententiam Ariſtotelis, quarto Ethicorum dicentis: *Omnis peccans, eſt ignorans;* quatenus videlicet, ſemper quod peccat, eligit ſub ratione boni (quia nemo reſpiciens ad malum, operatur) quod turpe & peccaminoſum eſt, in quo valde errat. De quo genere erroris loquens Salomon, Sapientiæ cap. 5. ait: *ergo errauimus in via veritatis.* Cum igitur *Lucæ 2.* *Iſaia 5.* *Ariſt.* *Sap. 5.*

tur id, quod per ignorantiam amittitur, per ſcientiam ſoleat acquiri,& reſtaurari, neceſſe eſt, vt Deum quæramus in medio Doctorum, inter ſapientes, qui ignorantiæ noſtræ tenebras doctrinæ,ſuæ luce expellant; illi enim nos docent,quod olim Raphael conſuluit Tobiæ cap. 6. *exentera piſcem,& tolle fel:bonum enim eſt ad viſum* ſic nos exenterare debemus peccatum, vt videre poſſimus fel,& amaritudinem eius; ſic namq; expellemus ignorantiam, & ad videndam obſcenitatem, & feditatem peccati, oculos aperiemus.

Tob.6.

Hanc ſalubrem doctrinam quærendi Deum inter doctores, reperio docuiſſe ſponſam in ſuo epithalamio: nam poſtquã illa cap.1.eum in hunc modum deprecaretur. *Indica mihi quem diligit anima mea,vbi paſcas,vbi cubes in meridie,ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* (cupiebat enim illa Dominum inuenire, ne vagari cogeretur)reſpondet ei ſponſus, opus eſſe ad ſodales paſtores, ideſt doctores ire,vt ipſum reperiat. *Si ignoras* (inquit) *te ò pulcherrima inter mulieres,egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum*, ſi (inquit) ignorantia tui laboras, & vbi ego in meridie cubem, & vbi paſcam ſcire cupis, duc greges tuos in paſcua,& paſce illos iuxta tabernacula Paſtorum, vbi ego paſcam, illi te docebunt, etenim cum illis quoque paſco. Greges habemus magnos cogitationum, verborum, deſideriorum, & operum; ne autem in venenata paſcua incidant,iuxta tabernacula Paſtorum Eccleſiæ paſcendi ſunt: ad Doctorum,ſanctorumque Patrum rura ducendi. Hinc Salomon monet: *ſi videris ſenſatum, euigila ad illum*; cuius rationem reddens cap.13.inquit: *qui cum ſapientibus graditur,ſapiens erit*. Immo & Cicero lib. de amicit. ſolo naturæ lumine illuſtratus, fatetur, ſe à ſenis Sceuolæ latere,quantùm potuit,nunquam diſceſſiſſe, vt ab eo edoceretur,& illuminaretur. Nec refert, ſi quandoque Doctores tibi conſulendi, ſint improbi, dummodo ſapientes, vt his verbis docuit D.Aug. lib. de doctr. Chriſtiana. *Audiuntur vtiliter, qui vtiliter non agunt; tua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent, & ita Cathedra Moyſis cogit eos bona dicere, etiam non bona facientes, qui ſolum à bonis volunt addiſcere, ſimiles ſunt illis, qui in ſciphis argenteis,vel aureis tantùm volunt bibere, & in purpureis ſaccis frumentum recipere,quorum profectò ſitis,ſameſque miſeratione digna non eſt*.

Cant.1.

Sap.6.

Sap 13.

Cicero.

D.Aug.

Ceterum,doctrinam hanc cũ illo grano ſalis intelligendam cenſeo,cum ſcilicet nõ inueniuntur doctores probi: ſi enim inueniuntur ſapientes pariter,& probi,illi ſunt adeundi,& conſulendi, improbis dimiſſis, vt varijs in locis docuit D.Ambr. præſertim tamen lib. 1.offic. c. 17. vbi ait: *Talis debet eſſe,qui conſilium alteri dat, vt ſe ipſum formam alijs præbeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate,vt ſit eius ſermo ſalubris,atque irreprehenſibilis,conſilium vtile, vita honeſta,ſententia decora*,& cap.8. ait: *huiuſmodi viro ſalutem noſtram, & exiſtimationem committimus,qui ſit iuſtus,& prudens: facit enim iuſtitia,vt nullus ſit fraudis metus facit etiam prudentia, vt nullius ſit erroris ſuſpicio*, & cap. 12. hæc ſcribit: *quis in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? itaque vbi luxuria eſt,vbi intemperatia,vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? quis vtilem cauſæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ ſuæ?* Hactenus Diuus Ambroſius.

D.Ambr.

Verùm, & illud ſilentio prætereundum non eſt, Euangeliſtam non dixiſſe inuentum fuiſſe Ieſum inter doctores,ſed *in medio Doctorum*: in hoc enim,ſecundum miſticum ſenſum, documentum latet, inſtruens nos,vbi quærendus,& inueniendus ſit à nobis Ieſus. Sæpè in ſacris eloquijs *in medio*,legimus Ieſum conſtitutum; in medio veris conceptus eſt, in medio hiemis natus, in medio noctis ab Angelis in Bethlehem viſitatus, in medio duorum animalium in præſepio locatus, in medio Doctorum inuentus, in medio latronum in crucem actus, in medio terræ ſalutem operatus, in medio Diſcipulorum poſt reſurrectionem repertus,qui ab æterno inter diuinas perſonas medius eſt,& inter Deũ, & homines ſollicitus mediator. Opinor enim,Ieſum toties medium locum eligentem, nos inſtruere voluiſſe ab extremis vitijs nobis fugiendum, mediumq. virtutis inter illa amplectendũ, ne per exceſſũ,aut defectum diuinam legem trãſgrediamur, ſed mediam viam virtutis ingrediẽtes,per

X 3 eam

eam illum quæramus, ſecuri, quòd ab illa non deuiantes, certò illum inueniemus.

Oportet tamen, vt quemadmodum B. Virgo, cùm primum agnouit abſentiam filij ſui, continuò abſque vlla cunctatione cæpit illum quærere, ita, & nos cum agnouerimus per peccatum, Deum amiſiſſe, confeſtim ſine mora, & abſque aliqua dilatione illum quæramus per pœnitentiam. Quod quia non aliter efficacius me perſuadere potuiſſe cenſui peccatoribus, quàm ſi doctrinam magni Baſilij eis ante oculos ponerem, idcirco quæ ipſe in hoc genere argumenti ſingulari eruditione ſcripſit, licèt non pauca, hìc aſcribere non ſum grauatus. Ille homil. 13. inter varias, quas in primo tomo ſcripſit, ita loquitur ad peccatorem conuerſionem ſuam
D. Baſil. de die in diem procraſtinantē: *Vide, ne lon giorem tibi vitam pollicendo, ſpe decidas; neſcis quid cr.ſtina ſit aduectura, nè tibi quæ non tua ſunt, in tua putes eſſe poteſtate; ad vitam te, homo, vocamus, quid vocationem fugis? ad bonorum participationem inuitatus, quid Dominum tam egregium negligis? Regnum Cælorum præparatur, ipſe, qui vocat, minimè fallax, via facilis, non tempore, non ſumptu, non negocio tandem opus, quid moraris? Iugum, inquam, bonum, ac leue eſt; minimè obterens colla, non vincit, ſed probat ceruicem ſpontè ferentem. Subde corindomitum. Sis Chriſti iumentum, ne ab hoc immunis iugo, neuè inconcuſſam quærens vitæ libertatem a feris deprehendaris. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus; mellis namq; ſuauitas melius ignorantibus nunciari, quam per deguſtationem non poterit, quòd ſenſus omni ſermone ſit efficacior.* Ad circumciſionem *minus Iudæus compellitur, quoniam omnis anima, quæ die octaua non circumcidetur, de populo pelletur; tu autem circumciſionem non manu factam, quæ per pœnitentiam in expoliatione carnis perficitur, differre, quæris? ſi non fueris per pœnitentiam complantatus ſimilitudini mortis eius, quomodò reſurrectionis ſocius eris? nonne vides, quòd ligni viam gladius igneus cuſtodit, infidelibus quidem formidandus, credentibus verò propitius, ac amœne corruſcans? & verſatilem, illum fecit Dominus: quando fidelem conſpexerit, enſis, terga oſtendit, pœnitentia verò carentibus, os aciemque intentat.* Elias *currus, equoſque igneos minimè expauit, verùm itineris ſuperni deſiderio incenſus, contra formidoloſa eſt auſus, ac hilaris, gaudenſque flammantes aſcendit currus, cum adhuc eſſet in carne; tu verò igneos currus minime viſurus, ſed lotus lacrimis in Cœlum penetrare potens, cunctaris, nec vocationi obtemperare maturas? Si aurum Eccleſia diſtribueret, non profectò diceres: Cras mittam, cras dabis, verum moram ſedulus ægre ferres. Quoniam verò non materiæ alicuius ſuccum, ſed animæ purgationem tibi Rex munificus pollicetur, moras, excuſationeſque nectis impedimenta, cauſaſque affers? debebas, ad hoc donum accurrere. O rem admirandam, renouaris, nec conflaris; refingeris, & renouaris, nec contereris; curaris, & tamen hanc gratiam non expendis; Si enim hominum ſeruitus, ac libertas omnibus proponeretur, non ad conſtitutum diem inſtructus venires, aduocatos precio conductos, & Iudices ſollicitares, vt omni conatu libertatem reciperes? quin alapam quoque, extremam ſeruorum plagam pro liberatione omnis in futurum infamiæ, ac probri libenter ſubires? poſtquam verò te ſeruum, non hominum, ſed peccati, ad libertatē præco vocat, vt te à ſeruitute ſoluat, & Angelorum conſortem, ciuemque faciat; præterea, Dei filium per gratiam, factum, cæleſtium hæredem bonorum conſtituat, nondùm eſſe tempus hæc bona excipiendi cauſaris? O iniquas excuſationes, ò infames carnis voluptates, quouſq; vanè affectus? longo nimis tempore mundo viximus, reliquum eſt, vt & nobis ipſis viuamus: quis fidelior tibi conſiliarius, quàm Deus? quis Domino vtilior? quis Creatore familiarior? ò ſermonem nefandum, ſanari, curarique non vacat; ne lucem mibi oſtende, ne ad Regem, regnumque me ducas. Enimuerò, ſi publicis tributis obnoxius eſſes, debitorum autem remiſſio reis circumquaq; nunciaretur; deinde quiſpiam te hoc publico munere priuare conaretur, doleres, clamareſque, communis gratiæ parte per iniuriam priuari; poſtquam verò, non ſolùm præteritorum remiſſio, ſed etiam futurorum dona palam proponuntur, non audis, ſed ipſe te lædis quantum nec inimici fortè læderent. Conſultum nè tibi, ac vtiliter cogitatum exiſtimas, ſi quis ius immunitatis tuum, ac huiuſmodi remiſſionem tibi abſtulerit, ære quoque alieno te premi patiatur; maximè, cum ſcias, quod mille talentorum fortè debitor, remiſſionis*

munus

munus facilè conſequèris, niſi tu debiti ex humanitate in proximum tuum gratiam abſtuleris? Sciſcitare aliquantulum conſcientiam, ingredere in promptuarium animæ ſecretius, præteritorum memoriam apud te parumper excita. Si enim plura ſunt peccata, multitudine ne terrearis; vbi delictum abundauit, ſuperabundabit, & gratia, ſi eam receperis. Plus enim debenti plus remittitur, vt vehementius amet; ſi autem parua, nec admodum lethalia fuerint delicta, quid de futuro ſollicitaris, qui generosè præterita diſpoſuiſti, cum adhùc impius eſſes? nunc verò tu te conſidera, in examine, trutinaq; tuam eſſe poſitam animam, hinc ab Angelis, inde à dæmonibus abſtrahi meditare: quibus cordis lancem inclinabis? quid apud te vincet, carnis ne voluptas, an vitæ ſanctitas? præſentium oblectatio, an futurorum deſideriorum? iuuenis es? Aetatem, fræno pœnitentiæ retine, flos abeſt ætatis? vide, ne ſenectutis viaticum deſit, ne aciem, & propugnaculum per inconſiderantiam, atq; ignauiam amittas, nec de vndecima hora, ſicut de prima, cogita. quandòquidem, & illo, qui iàm primùm incipit viuere, mortem ante oculos habere, continuò eſt opus. Si quis medicus commêtis, & machinis quibuſdam te iuuenem, è ſene reddere ſe deceperit, ad eam profectò diem omni ſtudio venire curares, in qua ætati floridæ te reſtituendum videres: at nunc, cum anima tua, quam omni ſcelere contaminatam reddidiſti, per pœnitentiam renouari nuncietur, tantùm deſpicis beneficium, nec vltrò per operas, aut id pollicenti ſit obuiam: num non tanti muneris rem miram videre deſideras, quomodò vetus homo, ac ſecundùm deſideria erroris corruptus, rurſus in pubertatem, ætatiſq; florem reconcinnetur? Pœnitentia igitur eſt, captiuorum, & æris alieni remiſſio peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, cœlo iter, Regni cœleſtis reconciliatio, adoptionis gratia. Tantis itaq; ac talibus bonis miſer, potiorem ducis voluptatem? noui enim tuam cunctationem, atque pigritiam: ipſa enim facta, etſi taces, contra te clamant. Mitte (inquis) ſuperſede, interim carne, ætatiſque flore abutar, in luto voluptatum porcorum more volutabor, manus ſanguine fœdabo, alienum auferam, dolosè ambulabo, peierabo, mentiar, tunc denique, cum ſatur ero, malis deſiſtam, ac pœnitebo. Si ergo res honeſta eſt peccatum, hoc vſque ad extremum cuſtodi; ſi patranti turpis, ac nocens, quid in eo perſeueras, quod pernicioſum eſt? Nullus enim bilem euomere quærens, maiorem, eam, ex mala, intemperantique dieta reddere cogitabit, corpus namq. malis, graſſantibusq; purgari humoribus, ne morbus conualeſcat, eſt opus. Videtur nauis aliquò vſquè impoſitorum onera, & grauitatem ferre; ſi verò modus excedatur, æquo grauata periclitabitur. Vide, ne & tu ſimilia patiaris, maiora continuò admittendo, quàm ea, quæ remittenda tibi per pœnitentiam promittebantur, & antequam ſperatum contingas portum, naufragium facias. Vide ne liberationis ſpe malorum tibi aceruum congerens, peccata quidem cumules, vineam autem non apprehendas. Cunctatio ad pœnitentiam nihil aliud clamare videtur, quàm: in me ante regnet peccatum, deinde, aliquando regnet, & Dominus; adſint mihi membra iniuſtitiæ, & iniquitatis arma, deinde aſſumam aliquando etiam arma Iuſtitiæ Deo. Sic, & Caim ſacrificia offerre ſolitus erat, primùm quidem pro voluptate propria, deinde illius protectori, ac Creatori Deo. Quando facultas, ætaſque viget, te libidinibus tradis; quando verò membra languent, tunc Deo potiſſimùm offerre ſtudes, cùm ſcilicet, ob ingruentem, & inualidam ſenectam his vti non amplius licet, quo maximè tempore, pudicitia, ſeu temperantia vocari non poteſt, ſed laſciuiendi potius, & luxuriandi dempta facultas. Mortuus enim minimè coronatur, nec iuſtus aliquis dicitur, cui male facere non licet. Dum itaq; poteſtas adeſt, dum corpus valet, dum ratio viget, peccato dominare, ſi ætate prohibitus, à peccato deſiſtis, debilitati gratias agendum, optione non ceſſante bonos laudamus. Quis tibi vitæ terminum fixit? quis ſenectutis metam terminauit? quis apud te tam fide dignus futurorum ſponſor? non vides pueros ſæpe innumeros ab vbere raptos? non ætate floridos mori vides? nullum certum terminum habet hæc vita: quid expectas, beneficio febris pœnitere quando nec ſalutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris? morbo caput occupante, non manus in cœlum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commodè doceri, non ſecurè, ac liberè confiteri, non cum Deo conuenire, non cùm aduerſario decertare, dubitantibus etiam præſentibus, num gratiam ſentias, an ſine ſenſu, quæ

agan-

Digitized by Google

*aguntur accipias. Chananæam imitare,
qui habes animam in mundo ſpiritu ocupatam;
magnus enim dæmon patitur, miſericordiam
inuenit, qui autem peccat odium
contrahit. Itaque quamuis extra gratiam
ſis, clama, dic: miſerere mei, non labia mouendo,
ſed mente vocem emittens. Vbi prompta
voluntas, nihil eſt, quod impediat: qui
vocat benignus, qui miniſtrat paratiſſimus,
gratia abunde expoſita, modo impedimentum
ceſſet. Vnus eſt prohibens, qui nobis
ad ſaluem obſtruit viam; ille, inquam, torporem,
ac deſperationem nobis inijcit, ne nos
ad opus ſanctum exurgamus. ille vana ſpe
corda noſtra deludit; an non hodie peccare,
cras verò iuſtè agere, pietatem differre,
nos cohortatur? Idcirco Dominus eius occurrens
inſidijs, Hodie, inquit, ſi vocem meã
audieritis, nolite obdurare corda veſtra:
ille vero ait: mihi hodie, cras Deo. Dominus
contra: Hodie vocem meam audite.
Noſce, obſecro, inimici dolos: vt omnino, ſtatimquè
à Deo auertaris conſulere non audet,
nouit enim hoc graue admodum Chriſtianis.
Verùm artibus inſidioſis aggreditur;
ſerpens eſt, & ad decipiendum argutus.
Intelligit enim, quemadmodum nos
homines præſens libenter recipimus tempus,
omniſque actio humana in præſens contendit,
atque ſpectat; quamobrem hodiernum
tempus nobis furatur aſtutè, & ſpem facit
craſtini. Poſtquam craſtinum venerit,
rurſus malus diuiſor hodiernum ſibi, craſtinum
vero Domino dari petit, ſicq; continuò
diem de die trahens, voluptate præſenti,
& ſpe frugis noſtram ſubducit latenter vitam:
certa pro incertis relinque, ſpem certam
in vanam commutes. Vide, ne te tuorum
conſiliorum pigeat, cum te ſera, nihilque tibi
profutura pœnitentia ceperit. Diſce prudentiam,
Virginum exemplo: illæ oleum in
vaſis non habentes, quando ſponſo ire obuiam
oportuit, tunc neceſſaria deficere ſen-*
Matth.25. *ſerunt, ideo, fatuas, eas Euang. vocat; quoniam
dum tempus ferendi erat olei; id prodigendo,
comedendoq; abſumentes, extra fores
ſunt eiectæ, & à ſponſi pulchritudine
prohibitæ. Ne igitur, & tu frater, annum
de anno, menſem de menſe, diem de die trahas,
& oleum, luminis nutrimentum negligens,
in diem, quam non expectas, quandoq;
incidas, ac te benefaciendi occaſio, vita deficiente
deſtituat, & morbo præualente, in
animi anguſtia conſtitutus, à medicis, domeſticiſque
deſeraris; quando (inquam) extrema
erit anxietas, febriſque ardore viſcera
adurentur, dolebis miſer, dolebis corde
pœnitiore, nec habebis qui condoleat, ſed tantùm
tacito, inexplicatoque murmure muſſitabis
apud te, dicens: quàm contempta eſt
mea ſtultitia. quis ſtupidum, ac lethali ſomno
oppreſſum admonebit? propinqui? at hi
mærebunt. alieni? at hi deſpicient. amici? at
hi talia memorando, te turbare verebuntur,
ſcilicet, & medicus decipiet, nec tu vitam
omnino deſperabis, cum naturà maximè
omnibus deſideretur: mors irruet, te rapientes,
ſtatim aduolabunt; quis liberabit? Deus
tibi deſpectus? At (inquis) me tunc exaudiet,
tu verò nunc non ipſum audis. Ne
miſer decipiaris, nemo te inanibus ſeducat
verbis, aderit tibi repentinum exitium, ac
interitus ſimilis procellæ te euertet. Veniet
angelus triſtis, per vim tuam rapiens tot
peccatis irretitam animam; teque demum
magnoperè cruciatum, & abſque voce quærentem,
præcluſo lamentis vocis organo ad
nigra tartara deducet. Heù quantùm teipſum
afflictabis, quantum præteritorum
pœnitentia conſiliorum ſuſpirabis; me miſerum,
dices: cur peccatorum grauiſſimam
hanc ſarcinam, cum licuerit, non abieci?
me miſerum, qui haſce peccatorum
ſordes non ablui: quot peccatis ſum
commaculatus? O praua mea conſilia? ob
breuem peccati voluptatem, in æternum crucior?
ob carnis modicas delicias, æterno tradar
igni? O iuſtum Dei iudicium! vocatus
eram, nec audiebam; docebar, nec attendebam.
Homo, ſi gehennam metuis, ſi
Regnum affectas, ne vocationem
aſpernare.* Sed abſq;
mora Deum quære.
Cui ſit honor,
& gloria
in ſæcula
ſæculorum.
Amen.

Ho-

Homilia X.

Oſtendimus a primordijs conſtitutionis Mundi dediſſe Deum Eccleſiæ ſuæ diſertiſsimos magiſtros, variaſque Academias inſtituiſſe, in quibus illi ſinceram doctrinam docerent. Vnde, & Chriſtus Dominus Hebræorum Academiam ſua præſentia mirificè honorare voluit in illa verba: Inuenerunt ſedentem in medio Doctorum audientem, & interrogantem eos. Luca 2.

MAgnam felicitatem ſemper arbitratus ſum, non niſi diuino beneficio mortalibus conceſſam, idoneos nanciſci Magiſtros, & ſcientia conſpicuos Doctores, qui doctrinæ ſuæ lumine, ignorantiæ tenebras ab hominum mentibus expellant. Vnde Deus optimus, Maximus, cui ſumma eſt prouidentia, ſingularem curam habuit, vt à primordijs conſtitutionis mundi, non deficerent Eccleſiæ ſuæ præceptores, & Magiſtri, eam ſalutis viam docentes. Primus parens Adam, vt author eſt Magiſter ſententiarum 2. Diſt. 23. tùm verbo, tum ſcripto doctrinam tradidit, humanam pariter, & diuinam ſcientiam continentem; ex qua Schola prodijt Enos, cuius ætate, cùm pauciſſimi Deum palàm colerent, ipſe vnius veri Dei cultum publicè prædicare inchoault; in hoc enim ſenſu intelligit Card. Caietanus illa verba Geneſ. 4. *Iſte cœpit inuocare nomen Domini*. Noè deinde fuit ſummus ſui temporis Theologus qui à Mathuſalem Adami diſcipulo perfectiſſimam didicit ſcientiam, natus enim eſt anno mundi 1056. potuitq; cum Mathuſalem annis non minus 5600. verſari, & quàm ab illo hauſit diuinarum, humanarumque rerum ſapientiam, Mundo poſt diluuium reparato, tradere cœpit, quod & fecit: fuit enim parens alter generis humani, de quo Eccl. 44. ſcriptum eſt: *Teſtamenta ſæculi depoſita ſunt apud illum, ne deleri poſſit diluuio omnis caro*; hoc eſt, pepigit cum illo fœdus Deus nunquàm violandum, de hominibus nunquam aquarū inundatione extinguendis. Profectò decens fuit, vt ſicut Adam, qui naſcente Mundo adfuit, cæterorum hominum doctor exiſteret; ita Noè, qui (vt Hebræi affirmant) tres mundos vidit, & expertus eſt, hominum genus cœleſti inſtrueret philoſophia: quot viderit Mundos, ſi roges? tres dico. Vnum corruptiſſimum ante diluuium, alterum in ipſo diluuio, in quo pauci in Arca, Ideſt, *octo Animæ ſaluæ factæ ſunt*: tertium, veluti ex aquis emergens, & prolem felicem, ſcilicet, erudiendi munus à Noe ad filium eius Sem translatum eſt. Videtur enim gymnaſio præfuiſſe, in quo illi pietatis alumni, & veræ ſapientiæ cultores aures darent. Eius auditor extitit Iacob, vt pleriq; interpretes affirmant, exponentes illa verba Geneſ. 25. *habitans in Tabernaculis*, vt mirum non ſit, cum tanti Magiſtri ductu inſignem complexum eſſe ſapientiam, ad quā alioquin quaſi natus indicatur, dum Geneſ. 27 lænis, & mollibus carnibus prçditus, docilisq; deſcribitur, hæc quippe, authore Ariſtotile in phyſiognomia, boni ſunt ingenij indicia; non ſic Eſau, qui in morem pellis, hyſpidus natus eſt, vel (vt transferunt ſeptuaginta interpretes) *piloſus*. Chald. *ſicut pallium piloſum*. Quare Iacob luctatorem nomine ipſo præfert, quippe non viribus corporis, vt Eſau contra animantes, & feras, ſed animi fortitudine, quæ comitem habet ſapientiam, contrà vitiorum monſtra decertare didicit. Dum ergo de illo ſcriptum eſt. *Vir ſimplex habitabat in tabernaculis*: alij vertunt: *vir integer miniſter domus doctrinæ*, vt ſignificetur (quod onceculus, vt hebræi adnotarunt) ipſum fuiſſe, vnum ex præcipuis auditoribus, qui rerum diuinarum, & pietatis ſtudio vacantes, Scholas Theologiæ, quibus præerant Sem, & Heber, aut (vt alij malunt) Melchiſedech, vtiliter frequentabant. *Viderat enim*, (vt dicitur Eccleſ. 6.) *ſenſatum, & euigilabat ad eum, & gradus oſtiorum illius* exer-

Marginal notes: Magiſ. ſentẽ. — Caiet. — Eccl. 44. — Gen. 25. — Gen. 27. — Ariſt. — Eccl. 6.

exercebat pes eius. Abrahamus inſuper creditur, auditor fuiſſe vtriuſque magiſtri Sem, & Noe; ſuperuixit namq; Noe diluuio annis 350. Abraham verò natus eſt anno 294. poſt diluuium, atq; adeò agere potuit cum Noe annis ſex ſuprà quinquaginta, ab illiuſque ore ſinceram fidem, & rerum diuinarum, humanarumq; perfectam ſapientiam percipere, neq; hoc tantum, ſed à filio, quoque eius Sem, qui Patri in magiſterio ſucceſſit.

Ex hoc diſcipulatu, eximius Abraham Theologiæ Magiſter euaſit, adeoque ceteris ſui temporis præſtitit mortalibus, vt ex eo in Chaldæos, in quorum ipſe regione natus, & educatus fuit, ſapientiæ fama, & antiquitatis opinio redundarit: ſcribit

Euſebius.

enim Euſebius lib. 9. cap. 4. de præparatione Euangelica. Abrahamum natum eſſe in Camerina Vrbæ Babyloniæ, quam alij appellant, Vr Chaldæorum. Locus, in quo Abraham fidem, & religionem docuit, non vnus fuit, primum namq; apud Chaldæos, vnum ſolum Deum totius orbis moderatorem religioſè colendum eſſe pro concione teſtatus eſt; parum curãs inueteratam illius gẽtis de inanium Deorum multitudine, opinionem. Hinc, eum à Chaldæis, qui igni diuinos deferebant honores, quòd eam ſuperſtitionem abominaretur, in ignem coniectum, & miraculo liberatum tradunt Hebræi, & D. Hieronymus tradit. Geneſ. 11. Lyranus, Burgenſ. Rabbi Moſes in ſuo ductor. perplex. cap. 30. ſunt, qui hanc traditionem fabulis Iudicis annumerant; Si tamen Ioſepho credimus, vel id, quod traditio perhibet, vel aliquid ſimile Abraham Theologiæ profeſſori accidiſſe compertum eſt. Sic enim lib. 1. antiquitatum cap. 8. ſcribit

D. Hieron.
Lyranus.
Burgenſ.
Rabbi Moſes.

Ioſeph Niz.

Primus omnium auſus eſt prædicare, vnum eſſe Deum vniuerſitatis conditorem, hoc verò, ex terræ, & maris obſeruatione colligebat, tùm eorum, quæ circa Solem, & Lunam, & reliqua ſydera videbat accidere. Quamobrem cum Chaldæi, Mæſopotamitæq; cæteri contrà eum inſurgerent, conſilium migrãdi cepit, & voluntate, ac fauore Dei fretus, Chananæam tenuit, vbi Deo ſtruxit aram. Quare id mihi pro comperto eſt, Abrahamo, cùm Chaldæis de cultu vnius Dei, & de vera religione graue fuiſſe diſſidium. Vnde ſpectata ſignificatione vocis, *Vr*, quæ non ſolùm ignem, ſed doctrinã quoq; ſonat: conſiderato etiam, *Chaldæorum*, nomine, quod non tantùm ad gentem, ſed ad profeſſionem quoq; ſyderalis doctrinæ referri ſolet, poteſt locus ille Geneſ. 15. *Ego ſum Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorũ*: ita verti *eduxi te de doctrina Chaldæorum*, quòd è vulgato interprete Iſaiæ 24. factum aduerto. *In doctrinis* (inquit) *glorificate Deum*. Igitur veræ ſapientiæ magiſterium ab vno Abrahamo ductum in Patriarchis vſque ad Moſen conſeruatum eſt. Quare dum audis Geneſ. 13. habitaſſe eum iuxta Conuallem Mambræ, erexiſſeq; ibi altare, & cap. 21. plantaſſe nemus in Berſabeæ, & inuocaſſe ibi nomen Domini: fas tibi erit opinari, Abrahamum tanquam in publico gymnaſio matutinis, aut pomeridianis ſcholis veri Dei cultum illis locis docuiſſe; nec ad indigenas ſolum, ſed ad hoſpites etiam, quos cibo, & potu liberaliter reficiebat, eum fructum manaſſe; Iam illum in Sychem, & in conualle illuſtri doctoris munus obijſſe, id argumento eſt, quòd conuallis illuſtris, dicitur hebraicè: *Elen More*; ideſt, *quercus Doctoris*: nimirum, quia in loco nemoroſo domum doctrinæ, & gymnaſium habuit, in quo eos diſcipulos ad diuinarum rerum cognitionem erudijt, quos ſcriptura videtur appellare, animas, quas fecerat in Aram, iuxta Onchelum, qui animas intelligit, quas ſubiecerat legi à Sara muliere in veri Dei cultu fuiſſe inſtitutas, quid, quod nomen ipſum, *Abraham*, ſignificat, *patrem ſublimem*; ideſt, rerum, quæ in ſublimi fiunt, in aſtris, ſcilicet, & nubibus profeſſorem? Abraham verò, interpoſita litera A, idem eſt, atque Pater electus vocis, quæ ethymologia ad ſapientiam, & docendi munus refertur.

Gen. 5.
Iſaia 54.
Gen. 13.

Graſſante in Chananæorum terra fame in Aegyptum profectus eſt, vbi & neceſſitati ſuæ conſuluit, & Aegyptiorum innumeros veræ doctrinæ magiſterio, errores confutauit; *nam, cum ea gens* (vt inquit Ioſephus lib. 1. antiquit. cap. 9. *in diuerſos ritus, & opiniones facta eſſet, & colliſos inter ſe eorum de religione ſermones, & à ſeipſis confutatos, vaniſſimos eſſe, nihilq; prorſus veritatis habere declarauit. Ob has diſceptationes in precio habitus, vt qui magnam tam intelligendi, quam docendi facultatem haberet, & numerorum ſcientiam, & ſyderum benignè illis communicauit:*

Ioſephus.

nam

Digitized by Google

nam, & ant: Abrahami ad ſe aduentum, Aegiptij rudes erant huiuſmodi diſciplinarum, quæ à Chaldæis, ad Aegyptios profectæ hinc ad Græcos tandem peruenerunt. hæc Ioſephus; Cui concinit Cyrillus, expli-

Cyrill. in Iſa. 19
Euſeb.

cans illud Iſaiæ 19. *Concurrere faciam Aegyptios aduerſus Aegyptios.* & Euſebius lib. 9. de præparat. Euang. cap. vlt. Iſaias præterea loco citato, ſapientes Thanæos, & Memphæos, idcircò commemorat, quia gymnaſia, & Academiæ Aegyptiorum in his potiſſimum vrbibus efflorebant eoq; honore habitæ ſunt, vt ad eas inuiſendas Orphœus, Muſæus, Dydalus, Pythagoras, & Plato longi itineris, quod cōficiendum erat non horruerint moleſtias, vt author eſt Diodorus.

Diodorus.
Gen. 45.

Ioſeph Patriarcha in Aegyptum, poſtquàm à fratribus ſtimulatis inuidia, Iſmahelitis venditus, eſt aſportatus, ſedem regiminis proximè, & ſecundùm Regem ſupremi obtinuit, ſimulq; Patres magiſtros veræ doctrinæ ſibi aſſumpſit, quo factum eſt, vt Pharaonis, & totius aulę Principum pater, ſiue magiſter appellaretur, quod expreſſit regius Vates Pſal. 14. illis verbis:

Pſal. 14

Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, vt erudiret Principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.

Doctrina à Patriarcha Ioſeph in Aegypto tradita ipſis Aegyptijs, ſi de vera Theologia ſermo ſit, diuturna non fuit; ſolùm in duodecim Patriarcharum filijs radices iecit, quibus præ numeroſitate gentis, & Regionis amplitudine, non multi indigenæ acceſſerunt. Vnus Moſes inter omnes Patriarcharū Paſtores, Patriarcha etiam ipſe, & Prŏpheta, quæ partìm à maioribus didicerat, partìm ſpiritus diuini afflatu hauſerat, alijs, tanquam Magiſter ex ſuggeſtu tradere inſtituit, atque vt vtilitas ad Hebreos iuxta, & Aegyptios manaret, diuinarum rerum ſcientiæ humanam copulauit eruditionem, *eruditus,*

Act. 7.

(inquit S. Stephanus act. 7.) *omni ſapientia Aegyptiorum erat, potens in verbis,* &c. quod in cauſa fuit, vt pleriq; Moyſem, Mercurium Trimegiſtum, ſcientiam, qua ceteris ſui temporis ſapientibus excelluit, demirati, exiſtimarint. Mihi verò

Euſebius.

probabilius eſt, quod Euſeb. lib. 9. de præparat. euang. cap. vlt. ſcribit; cui ſuffragatur Auguſt. in lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 8.

Aug.

Moſen, Mercurio Trimegiſto, magni Mercurij nepote fuiſſe antiquiorem. Porrò eximiæ doctrinæ, quam profitebatur, plurima veſtigia relicta ſunt, non ſolùm apud Aegyptios, inter quos natus, & educatus multos annos vixit; ſed etiam apud Arabicas gentes, & Medianiticas. Sufficiat tandem dicere, quod cap. 1. lib. Pirke Auoth habentur hæc verba: *Moſes acce-*

Pirke Auo b.

pit legem de Synai, & tradidit eam Ioboſche Fesboſchuæ verò ſenioribus, ſeniores, & Prophetis: Prophetæ verò tradiderunt eam viris ſynagogæ magnæ, &c. Rabbynus Moſes Malckotſi in præfatione ſuper librum magnnm præceptorum; *Moſes* (inquit) *ac-*

Rabbi Moſes.

cepit legem ex ore ipſius Domini Mundi de Synai, & tradidit eam Ioſuè, quia ſic ſcriptum eſt: & miniſtrabat ei Ioſue filius Nun iuuenis: non mouebat ſe è medio Tabernaculi, & Ioſue tradidit eam ſenibus ſeptuaginta, iuxta illud: & ſeruiuit Iſrael Domino omnibus diebus Ioſuè, & omnibus diebus ſenum. Atque vt in electis Diſcipulis tanti Magiſtri ſcientia propagaretur, Conci-

Conc. 72. Sen.

lium 72. Senum, quod, Sanedrin, appellatum eſt, inſtituit; in quo recondita Theologiæ dogmata, & Philoſophiæ præcepta ſcitu digniſſima, toto Iudicum tempore conſeruata ſunt. Poſt Moyſem ſucceſſit Otheniel, qui, tanquam doctor inſignis, legis doctrinam tanquam verus eius interpres docebat, & intermiſſam, atque corruptam illo æuo diſciplinam reparauit; Ciuitas autem, vbi erat eius Academia, *Cariat Sepher,* vocabatur, quæ: *Vicus litera-*

Ioſue c. 15.

rum, interpretatur; vt Ioſuè cap. 15. legimus: ſic enim habet ſacer textus, de Otheniel loquens: *Inde conſcendens, venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur, Cariath ſepher, ideſt Ciuitas literarum.*

Poſt hos, ſapientiſſimi Doctotis nomine ſacræ literæ Dauidem cohoneſtant, ſi

D. Hieron.

D. Hieronymum in trad. auſcultamus, ait enim, verba illa lib. 2. Regum, cap. 23.

2. Reg. 23.

Sedens in Cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, ipſe eſt, tanquam tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno, intelligenda eſſe de tribus Dauidis ornamentis: Sapientia, Humilitate, Fortitudine: atque ad hæc tria referri, quod num. 19. eodem capite ſubiungitur de Abyſai, & nu. 23. de Banaia, nempe quod *ad tres primos,* ideſt, ad, tria Dauidis virtutum decor a

nullus

D. Hieron. Rupertus. Rabban. Lyran. hic. nullus illius militum, aut Ducum peruenit. D. Hieronymo ſuffragantur Rupertus, Rabanus, & Lyranus, qui adnotauit prædictis verbis magis laudari Dauidem à ſapientia, quam a fortitudinis ornamento cum cathedra ſedem præbeat ſapientiæ profeſſoribus. Additque, vermiculi ſimilitudinem, neſcio quid delicatum, & acumine plenum indicare, quo diuinæ legis arcana attinguntur, & licet difficultatem contineant, ſcrutatione tamen, & modeſtiſſimi ingenij ſubmiſſione pateſiunt. Scio Batablum, gloſam interlinearem, Carthuſ. Hugonem, Ioſeph 17. antiquitatum c. 12. Iſidor. Clarium, verba citata ad inſignem Dauidis militem, cuius nomen non exprimitur, retuliſſe, qui ex ſapientia, & fortitudine dumtaxat deſcribatur. Ceterum prior interpretatio bonos habet patronos, nec dubitandum eſt, ſiue hanc, ſiue illam ſequaris, Dauidem inſignem extitiſſe diuinæ Theologiæ profeſſorem. (Batablus. Ioſephus. Hugo. Carthuſ. Iſid. Clar.)

Acceptam à Dauide Patre doctrinam, vt ad multos funderetur, ſapientiſſimus Salomon conſtitutis, vel amplificatis Hieroſolymis in Vrbe regia Gymnaſijs, publicè cuulgandam curauit. Quare in arce Syonis academiam ædificare iuſſit, non procul ab aula regia, de qua Prou. 9. dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem; immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & poſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis; ſi quis eſt paruulus veniat*, &c. Quod vero ad Academiæ auditoria diuerſa, hic locus referatur, verba illa: *Sapientia ædificauit ſibi domum*, indicant: quid enim vocari ſolet, ſapientiæ domus, niſi locus ad docendum, & diſcendum publicè comparatus? Huiuſmodi domum, Geneſ. 25. tabernacula appellat vulgata editio. Chaldæus autem: *domus doctrinæ*: ſiue igitur Ieruſalem bipartita fuerit, (vt multi volunt) ſiue tripartita, vt affirmat Ioſephus lib. de bello Iud. c. 6. nemo dubitare poteſt, in eminentiore parte ſapientiæ Gymnaſium fuiſſe ædificatum: hoc autem gymnaſium, (vt indicat ſapientiæ vocabulum) quod in Hebræo pluralis eſt numeri, iungiturq; cũ verbo ſingulari: ædificauit (vt ſæpè fit more Hebræorum) diuiſum erat pro facultatum, & ſcientiarum multitudine, in ſeptem omninò aulas, ſiue auditoria. Vnde ſubditur: *excidit columnas ſeptem:* In quibus verbis præterquàm quod Doctores, & Magiſtri ſanæ doctrinæ, qui in Eccleſia Populum ad pietatem, & verum Dei cultum erudiunt, intelligi poſſint, exemplo Apoſtoli, qui ad Galat. 2. Petrum Iacobum, & Ioannem, columnas vocat: *Iacobus* (inquit) *& Cæphas, & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ*; ego columnas intelligo vocari, non quibus arcus marmorei, aut lateritij innitantur, ſed quæ in Atrijs rectæ, ſuggeſta fulciunt, ad docẽdum idonea; quod ex ipſa vocis proprietate elicitur: nam *Ghomed*, ideſt, *tribunal*, à radice: *Ghamad*: quod eſt, aut fulcire deducitur: Vnde 2. Paral. 34. ſedem ſuper quam ſtetit Rex ad percutiendum fœdus. 70. interpret. columnam vocant, *ſtetit Rex ſuper columnam, & gradus*, & 4. Reg. 23. ſeptuaginta interpretes ſic habent: *Stetit Rex ad columnam*, Ad hanc columnæ pro ſuggeſto, aut Tribunali ſumptæ, vſurpationem videtur alludere Propheta, Pſ. 98. *in columna nubis loquebatur ad eos*: ſenſus enim eſt: A nube in modum Cathedræ, aut Tribunalis populum docebat, &, cum opus erat, ius dicebat; & ſapiens; *Thronus* (inquit) *meus in columna nubis*, eſt enim nobis columna, non ſolùm Dei ius dicentis Tribunal, ſed etiam docentis, Cathedra. Salomon igitur in loco aptiſſimo gymnaſia, Cathedris marmoreo ornatu politiſſimè elaboratis erexit: ex quibus erectis Doctores, & interdum ipſi Auditores vndequaq; diſcendi cauſa Hieroſolymam venientes, ad ſapientiam exhortabantur. Quamuis autem iam inde à Samuelis tempore extiterint collegia in Bethel, in Hiericho, in Rhama, in quibus filij, ſiue diſcipuli Prophetarum habitarent, aliaq; ſparſa per vniuerſum terram Iſrael, vt docet Abulenſ. 4. Reg. 2. q. 9. potiſſimus autem doctrinæ locus fuit in monte Syon, quod adnotauit Optatus Milæuitans Epiſcopus, expendens illud Iſaiæ 2. *Onus vallis viſionis*, ſic enim ait: *Non inquit in Syon, ſed in vna eius valle; non illo monte Syon, quem in Synai Palentinæ a muris Ieruſalem paruus diſterminat riuus, in cuius vertice eſt non magna planities, in qua fuerant ſeptem ſynagogæ; vbi Iudæorum Populus legem per Moſen datam diſcere potuiſſet*, & infrà: *inde ſcriptum eſt in Iſaia propheta: De Syon exibit lex*,

(Margin: Prou. 9. — Gen. 25. — Ioſephus. — Galat. 2. — 2. Paral. 34. — 4 Reg. 23. — Pſal. 98. — Eccl. 24. — Abulenſ. — Optatus Mil. — Iſai. 2. — Iſaias.)

lex, & verbum Domini de Ieruſalem. hæc illꝰ.

Ancillæ à ſapientia miſſæ, vt vocatent ad arcem, & mœnia Ciuitatis, diuerſæ ſunt facultates, quæ auditores ſuos ab inferioribus ſtudijs ad altiora inuitant dogmata, quæ in Ciuitate Dauid tradebantur, vbi Arx erat mœnibus, & propugnaculis viſenda, & ab ipſo Dauid ædificata; vt ſignificatur Cant. 4. Cum autem hæc turris præcelſa eſſet, & ad ſpeculandum oportuna, prudenter Salomon in ea domum doctrinę conſtituit, ad eamque alludens, ſponſam laudauit; *ſicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea*. quæ verba ſic explicat Theodoretus: *Habet collum tuum, quod caput tuum, & faciem, ſuſtinet omnes aliorum doctrinas; quibus tanquam iaculis, cunctos aduerſarios transfigis: habet item clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hoſtis tela extinguis; munita enim eſt ſpiritus armatura, & facie hoſtes vulneras, cùm omnibus fortium ſagittis abundes, eoſque modo per Prophetas, modo per Apoſtolos redarguis*. Huc etiam alluſum eſt Iſaiæ 2. dum populus concurſus, ad montis faſtigium properans exprimitur. *Venite* (inquiunt) *& aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas*, & cap. 33. dicitur: *Iuſtus in excelſis habitans, & nutrimenta ſaxorum ſublimitas eius. Regem in decore ſuo videbunt, oculi eius cernent terram de longe. Cor tuum meditabitur timorem. Vbi eſt litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?* ſeptuaginta interpretes ita vertunt: *Vbi Grammatici? vbi conſiliatores? vbi eſt, qui numerat eos, qui nutriuntur?* Quæ verba indicant, in monte Syon, præter alios Doctores, ſcholis præfuiſſe etiam grammaticæ peritos. Vide Iuſtinum in dialogo cum Tryphone, vbi antiquos mythræ, hoc eſt, Solis cultores imitatos fuiſſe Hebræos in ſaxorum Syonis ſublimitate docentes, affirmat: quippe qui in ſaxea ſpelunca diſcipulos ſuos mythrę ſacris imbuebant. Idem aſſerit Tertullian. de præſcrip. c. 49. Academiam igitur in Syonis arce poſitam Salomon ipſe ſua præſentia, & magiſterio decorauit. *Veniebant* (inquit Scriptura) *de cunctis Populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis Regibus terræ*, &c. & quos ad contemplationem ſui Ieruſalem non traxerat, vnius hominis ſapientiæ fama perduxit, vt dixit D. Hier. in Epiſtola ad Paulinum. Tandem tēpore etiam Chriſti Domini viguerunt multi diuinæ legis interpretes, vt Simeon, quem, iuſtum, & timoratum appellat D. Lucas, necnon, & Gamaliel, in ſacris eloquijs, *venerabilis Doctor*, nuncupatus viguit, in Academia intrà Ieroſolymitanum Templum conſtituta. Cùm autem hoc haberet porticus, exhedra, & domunculas varias, dubitari poſſet, in qua parte Templi Academici Doctores conuenirent. Sunt qui in porta Templi Orientali, locū Academiæ fuiſſe commemorent. Ita docuit Arias Montanus in ſuo appatatu. D. Antonin part. 1. tit. 5. cap. 1. §. 5. in Templi porticu magiſterium ſuum exercuiſſe hoſce doctores tradit. Ego Academiam iudaicam in Templo, hoc eſt, in Templi atrio (Templum enim dicitur, quod habet Templi atrium) iuxta Orientalem portam fuiſſe exiſtimo, atque de ea Paulum interpretor, actor. 24. ſic loquentem: *Neque in templo inuenerunt me cum aliquo diſputantem*, ideſt, in gymnaſio, quod in atrio Templi erat: quamuis (vt Lorinus benè aduertit) nihil incommodi ſit, ſi porticū Salomonis intelligamus. Ordo autem, quo locus hic Templi, cùm Doctores intererant, ornabatur, explicat D. Ambroſius, Cot. 14. *hæc* (inquit) *traditio ſynagogæ eſt, vt ſedentes diſputent ſeniores dignitate, & Cathedris, ſubſequentes in ſubſellijs, nouiſſimi in pauimento*, &c. Itaque Doctores, vt ſup. dixi ex eodem Ambroſ. homil. 1. cum diſputabant, in Cathedris ſedebant, inferioris gradus homines in ſubſellijs; qui ſpectatotes tantùm erant, aut auditores, ad pedes Magiſtrorum ſuper ſtoteas humi ſtratas, quod diſcipulis præcipuè proprium fuit, vt conſtat ex verbis Apoſtoli, Actor. 22. *Nutritus ſum in iſta Ciuitate, nempe Ieruſalem, ſecus pedes Gamaliel: eruditus iuxta veritatem paternæ legis*. Aeſſenis (vt refert Phylo in lib. quod omnis probus, ſit liber) mos fuit, vt dignitatis ordo in conſenſu ſeruaretur: *quoties* (inquit) *ſynagogas adeunt, pro ætatis ordine iuniores ad ſeniorum pedes conſidunt*. quid Magdalæna? ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Hanc Academiam Chriſtus Dominus ætatis

Margin notes: Cant. 4. — Theod. — Iſaie 2. — Iſaia 33. — S. Iuſt. — Tertull. — 3. Reg. 4. — D. Hier. — Arias Mont. — D. Antonin. — Act. 24. — Ioan. Lorinus. — D. Ambr. — Act. 22. — Philo Iud.

duodecim annorum, præſentia ſua honorare, & autoritate defendere voluit, Luca
Luca 2. Euangeliſta dicente: *Inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum.*

Audiebat Doctores diuinus puer, & interrogabat, vt formam tradendę in Academijs doctrinæ approbaret, ſimulque præſentia ſua ordinem ſedendi in Academicis actibus in eminentiore, aut inferiore loco, pro ratione dignitatis, & gradus, quem heretici nonnulli calumniaturi erant, decoraret. Multi in illam porticum, ſiue atrium conuenerant Doctores, vt de lege, & ſcripturis ſacris diſceptarent. His diſputationibus, vt veritati locus eſſet, intereſſe voluit Dominus. Deinde ſumma cum modeſtia, & ſapientia quæſtiones varias humi cum Diſcipulis ſedens propoſuit; moris enim erat, vt qui in pauimento ſedebant, diſputantes Magiſtros, & audirent, & interrogarent, & interdum etiam reſponderent. ad hunc morem allu-
D. Ambr. dit D. Ambroſius 1. Cor. 14. *Hæc* (inquit) *traditio ſynagogæ eſt, quam nos vult ſectari D. Paulus, quia Chriſtianis ſcribit; ſed ex gentilibus factis, non ex Iudæis, vt ſedentes diſputēt ſeniores dignitate, in Cathedris, ſequentes in ſubſellijs, nouiſſimi in pauimento ſuper mattas; quibus ſi quid reuelatum fuerit, dandum locum dicendi præcipit, nec deſpiciendos, quia membra corporis ſunt*, &c.

Hinc fit, vt nemo mirari debeat, quòd Chriſtus in medio Doctorum ſit locutus: mirum dumtaxat, quod in ætate tàm tenera deſſeruerit, & ſapientiſſimè perora-
Luca 2 uerit. Vnde Lucas ait: *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant.* Ceterùm mirari deſinet, qui ſecum cogitauerit aliorum hominum ſapientiam ex ætatis progreſſu, quæ in dies admittit incrementa, dependere; Chriſti verò non item, ſiuè de beata ſermo ſit, ſiue de infuſa, & diuina; hæc enim (vt ſup. late oſtendi) neq; cum ætate creſcebat, neque ex ætate pendebat in ipſo quippe momento, quo natura humana diuinæ copulata fuit, plenus extitit gratiæ, & veritatis, vt meritò de illo ceci-
Pſal. 44. nerit Propheta Pſal. 44. *diffuſa eſt gratia in labijs tuis:* ex abundantia enim cordis per labia ſapientiam effundebat: hoc tamen ordine inter Doctores ſe geſſit, vt prius audiret, & interrogaret, vt enim ait
Luc. 2. Euangeliſta: *Inuenerunt illum in Templo in medio Doctorum audientem, & interrogantem eos.* Quibus verbis apprimè neceſſarium documentum in diſputationibus Academiarum obſeruandum exhibuit: perſæpè enim accidit, ita multiloquos eſſe diſputantès, vt tàm proponens, quàm defendens, velint pariter eſſe argumentantes, & reſpondentes. Vnde & ante interrogationem frequenter reſpondēt, *Eccl. 11.*
contra illud Eccleſ. *Priuſquam audias, ne reſpondeas*, & illud aliud: *In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens, & quærens.* Sanè, qui in diſputatione ita inordinatè ſe gerunt, ſtultitiæ ſuæ non obſcurum præbent inditium, Salomone dicente in Prou. *Prou. 18.*
Qui prius reſpondet, quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum. Etenim, qui doctrinam auſcultat, colligit, & haurit, & cor implet; qui verò loquitur, erogat, & exinanitur. Quod ſcitè conſiderauit Plutarchus, dum ſcriberet vaſcula *Plutar.*
inania maximè tinnire; ſic homines loquaces, & inſolida doctrina inanes, quàm maximè garriunt, & vociferantur; audire igitur prius decet, poſteà loqui, & docere. Inſignis eſt ſententia Prou. 25. *Mala au-* *Prou. 25.*
rea in lectis eburneis, verbum dictum in tempore ſuo. Epictetus notat hominibus binas aures à natura datas, linguam vnicam vt intelligeremus, plus auſcultandum, quā loquendum eſſe. Quid quòd Pythagoræ diſcipuli totum quinquennium tacebant, quo expleto, tum demum loquebantur? agnoſcebat quidem ille philoſophus, neminem poſſe bene loqui, qui prius ſilere non didiciſſet. Diſputantes ergo moneo, cantores peritos imitentur, qui cantantes ſilentij pauſam interponunt, alioquin moleſtum, & ingratum cantum ederent. Adfui ego non ſemel permultis publicis Academiarum diſputationibus, quibus tanta erat vociferantium confuſio, vt dicere compellerer: ecce imaginem inferni, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitabat.* Ferrarios malleatores, ſapientiores his iudico; illi enim ſic ſe gerunt, vt dum vnus malleo ſuper incudem ferri maſſam percutit, alius malleum ſuum eleuat, nec pariter percutiunt, nec pariter eleuant, ſed alternantes; iſti verò importunæ ſuæ vociferationis malleo ſemper noſtras aures percutiunt, interrogationem & reſponſionem minimè alternare volentes, ſed omnia confundentes contra

exem-

exemplum Chriſti audientis, & interrogantis. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XI.

Parentes Chriſti Domini ſecum ducentes Ieſum ad Templum ſanctum Ieruſalem, vt Paſchæ feſtum celebrarent, magni momenti documenta omnibus parentibus præbent, circa cultum diuinum, & filiorum educationem.

INTER alias non paucas Hebræorum feſtiuitates, tres celebriores ſpeciali religione colebant, nimirum, Paſcha, Pentecoſtem, & Scenopegiam. Paſcha erat in memoriam exitus eorum à dura captiuitate Aegypti, Pentecoſtes, in recordationem datæ legis à Deo, & per Moyſen promulgatæ. Scenopegia, in gratiarum actionem beneficiorum, quæ in progreſſu quadraginta annorū per deſertum à Domino ſuſceperant. De his
Deut. 12. ita fuit præceptum Deut. 12. *ad locum, quē elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus, vt ponat nomen ſuum, ibi venietis, & offeretis holocauſta, & victimas.* Singulis autem annis debebant hæc feſta cele-
Exod. 23. brare, vt habetur Exod. 23. *tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis*, ſcilicet Aprili, Iunio, & Septembri, & infrà *ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo*, vbi gloſa addit: *in Paſcha, Pentecoſte, & Scenopegia.* Præſens autem feſtum, ad cuius celebrationem aduenerant nunc, beata Maria, & Ioſeph, Paſcha fuiſſe, euangelicum ipſum
Luca 2. Lucæ eloquium conteſtatur, dicens: *Ibant parētes eius per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchæ.* Quamuis autem ex ſacris Euangeliſtis certum, & exploratum non ſit, an puer Ieſus aſcenderit cum parentibus ſuis ſingulis annis in Ieruſalem, an verò eo tantum anno, cùm manſit in Templo; quia iam grandiuſculus erat; mihi certe venerabilis Bedæ ſententia Beda.
placet, in caput ſecundum Lucæ aſſerentis, per ſingulos annos aſcendiſſe. Aſtipulatur ei Iuuencus primo libro hyſtoriæ euangelicæ vbi hæc carmina cecinit.

Ad templum lætis puerum perducere feſtis.
Omnibus annorum vicibus de more ſolebant.

Placet etiam hæc ſententia doctiſſimo Maldon.
Maldonato in commentario huius loci, vbi ait, *Id mihi videtur Euangeliſta (obſcurè licet) indicare, cùm non dicit: eo anno aſcendiſſe, ſed remanſiſſe in Ieruſalem, quaſi inſinuans, alijs annis aſcendiſſe quidem, ſed non remanſiſſe: & quaſi ſatis eſſe putauerit, dicere: aſcendiſſe parentes, vt & puerum aſcendiſſe intelligeremus.* hactenus ille.

Ecce parentes Chriſti duo valde vtilia documenta omnibus parentibus præbent: vnum ad Dei cultum in feſtorum celebratione, dum ad id per omnes annos ibant in Ieruſalem; alterum, ad filios in bona eorum educatione ſpectans, dum, ad Tēplum quoties veniebant, ſecūm ducebant filium. In celebratione quidem feſtorum tot, ac tam frequentia video prophanitatis monſtra, vt non tam mihi videantur feſta chriſtianorum, quam bachanalia ethnicorum: nam quemadmodum, vt lib.
3. Reg. cap. 12. legimus, impius Rex Iero- 3 Reg. 12.
boam duos vitulos aureos conflauit, quorum vnum erexit in Bethel, alterum conſtituit in Dan, vt ad hæc vana ſimulachra adoranda omnes confluerent, quorum occaſione penè innumera ſcelera patrabantur; ita nunc video permultos ad feſta confluere, non vt ea ſanctificent, ſed ſacrilego auſu prophanent, in vanam oſtētationem, in libidinem, in loquacitatem, & alia id genus peccata, quæ ſunt Idolorum ſeruitus, illa conuertentes. Vnde illis ea contingit ſanguineis lacrimis deploranda calamitas, vt in ſacris Templis, & in Diuorum feſtiuitatibus, in quibus vberior erat acquirenda gratia, in eiſdem iacturam eius faciant Imitatores
in hoc facti impij Saulis, qui, vt lib. 1. Reg. 1. Reg. 13.
13. habetur, offerens ſacrificium Deo,

grauiter eum offendit, & Regnum amiſit; necnon etiam Oziæ, qui offerens in Templo incenſum, repente fuit lepra percuſſus. Multi non ſemel tẽplum ingrediuntur ſani, & egrediũtur leproſi, quia, cum diuina gratia præditi intrarent, illa expoliati exeunt. Contra hos, & ſimiles ſacrorum feſtorum prophanatores illa proclamant *Malach.2.* verba Dei per Malach.c.2. *diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, dicit Dominus, & aſſumet vos ſecùm, vt nihil à ſtercore deflectatis, ſicut corrupti, & abbominabiles facti eſtis in ſtudijs veſtris*. ſic mali, fiunt vt ſtercus terræ, dum ſtercora peccatorum in diebus Deo feriatis amplexantur, & iumentorum inſtar à ſtercore ſuo computreſcunt. Et no- *Pſal.82.* tanter dicit, *veſtrarum*, non *mearum*; quia Sabatum tale, non eſt Sabatum Domini, ſed diaboli: ſabatum Domini ſanctificari debet, illi autem Sabatos dies Do- *Ezech.23.* mini prophanant, iuxta illud: *Sabata mea* *Hiere.17.* *profanauerũt*: & illud Ieremiæ, *Nolite portare põdera* (ſcilicet peccatorum) *in die Sa-* *2.Malach.6.* *bati*. Vnde verificatur id, quod 2.Malac.6. egitur, *neq; Sabata cuſtodiebantur, neq; ſolẽnes dies patrij ſeruãtur. Ideo inimici noſtri* *Orig.l.1 in c.* *1.lamen.Ier.* (hoc eſt, dæmones, vt explicat Orig.) *feſta noſtra illudunt*, Ierem. dicente. Thræno 10. *Thren.10.* *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabata noſtra*, ſed quid dico dœmones, ipſe etiam Deus ea deſpicit, & irridet. *Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odit anima* *Iſai.5.* *mea*. Iſa. 5. Certè veteres illi hebræi, qui ſolùm vmbras, & imagines noſtrorum feſtorum celebrabant, religioſius, quàm nos chriſtiani veras noſtras feſtiuitates coli- *Leu.25.* mus, obſeruabant: etenim Moyſes Leu. 25. in perſona Dei ait: *decimo die menſis ſeptimi, dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus, affligetiſq; animas veſtras*. Iuſſit deinde, Hebræos in magna paſchali feſtiuitate non niſi panem dolo- *Deut.16.* ris guſtare, *ſeptem diebus comedes abſque fermento, afflictionis panem*. Eodem ipſo Paſchatis feſto lactucis agreſtibus veſci, ſolemne erat Hebræis, quos ſeptuaginta interpretes, *herbas amaras*, interpretan- *Orig.* tur. Quæ omnia explicans Orig. homil. 23. ſup. nu. in ſenſu myſtico, modum præbet, quo Chriſtiani ſacra noſtra feſta colere debemus. *ò mira* (inquit) *feſtiuitas, dies feſtus vocatur: afflictio animæ. Vide ergo, ſi vis diem feſtum agere, ſi vis, vt lætetur Deus ſuper te, affli ge animam tuam & humilia illam; non ei permittas explere deſideria ſua, ne concedas ei, laſciuijs euagari, ſed in quantum fieri poteſt, affli ge, & humilia eam*. & ibidem, hæc notan- *Origenes.* da verba adiungit: *Paſchæ feſtiuitas, & Azimorum panem afflictionis habere dicitur; nec poteſt quis agere diem feſtum, niſi afflictionis panem manducauerit, & Paſcha cum amaritudine. Audis ergo, quid eſſent feſtiuitates Dei: non recipiunt dulcedinem corporalem, nihil remiſſum, nihil voluptuoſum, aut luxurioſum volunt, ſed afflictionem animæ, & amaritudinem, humilitatemq; depoſcunt*. hæc Orig.

Demum diebus feſtis Hebræi ſoliti erãt oues, & boues, & pleraque alia bruta animantia, interficientes, Deo immolare. Quo docemur diebus præcipuè feſtiuis non laxandas eſſe habenas libidini, intemperantiæ, ludis, choræis, & alijs ſimilibus; ſed potius brutos hos omnes affectus interficiendos, & Deo immolandos eſſe, vt & ipſe Origenes eruditè proſequi- *Origenes.* tur lib. 9. ſuper epiſtola ad Romanos, vbi *Rom.12.* explicans verba illa: *Obſecro vos, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*, ſic ait: *Cultus, qui dudum in pecudum mutorum corporibus conſiſtebat, nunc in corpore rationabilis hominis offeratur; & corpora magis veſtra, quam pecudum, fiant ſacrificium Deo, atque in ſacris altaribus collocentur. Hi enim, qui membra ſua mortificant ab incenſiuo libidinis, & furoris, & actus corporis ſui Deo placitos habent; hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabiliter offerunt, & legem ſacrificiorum, quæ in Leuitico lata eſt, ſecundum ſpiritualem intelligentiam complent. verbi gratia: vt ibi offerebant vitulum primo in loco, vel ſecundo arietem, aut tertio, hyrcum, aut quartò, turtures, vel etiam pullos Columbarum, vt in his vniuſcuiuſque anima purificaretur pro qualitàte geſtorum, hæc nunc in ſuo corpore vnuſquiſque purificans, & ſpirituali ſenſu diſcernens, rationabili obſequio viuentem hoſtiam obtulit Deo. Si quis ſuperbiam corporis ſui vincit, immolat vitulum: Si iracundiam ſuperat, iugulat arietem: Si libidinem vindicat, in holocauſtum offert hyrcum: Si vagos, & lubricos cogitationum reſecet volatus, columbas, & turtures immolat.*

Digitized by Google

molat. Nunc autem Paulus obſecrat credentes in Chriſto, vt corpora ſua exhibeant hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Viuentem, dicit hoſtiam, quæ vitam hoc eſt, Chriſtum in ſe gerit: vnde dicit. Mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore veſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corpore veſtro mortali. Sãctam ſubiungit in qua Spiritus ſanctus habitet. Placentem Deo: vt potè, à vitijs, & peccatis ſeparatam: hæc autem omnia, rationalis cultus eſt Dei. hactenus Origenes.

2. Cor. 4.

Inter alia autem non pauca documenta, quibus Dominus per ſanctos Prophetas nos docuit feſta debitè celebrare, duo præcipuè obſeruaui apud Iſaiam, vbi ait: *Si vocaueris Sabathum delicatum, & ſanctũ Domini glorioſum, & glorificaueris eũ, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonẽ, tunc delectaberis ſuper Domino.* Ecce dum abnegationem voluntatis noſtræ exigit a nobis in diebus feſtis, mortificationis exercitium planè docet, non eſſe à feſtiuitatibus diſſonum, ſed ijs multùm conſentaneum. Illud tamen, quod primo loco appoſuit. *Si vocaueris ſabatum delicatum:* duplicẽ intelligentiam ſuſtinet prima, vt verbum illud: *delicatum* idem ſit, quod *deliciæ*: Vnde quidam vertunt: *ſi vocaberis Sabatum, delicias*, hoc eſt, ſi Sabati obſeruationem ab omnibus vitijs te abſtinens, & in honorẽ Dei illud conſumens, delicias id tuas eſſe putaueris, ita, quod, ſicut Deus ait: *deliciæ meæ eſſe cùm filijs hominum*; ita, & tu cùm Deo conuerſari, ſacris intereſſe, & ſpiritualibus exercitijs vacare, delicias tuas eſſe duxeris; tunc diem feſtum rectè celebraſti: Secunda intelligentia eſt, vt verbũ illud: *delicatum*, ſumatur in eo ſenſu, quo homo dici ſolet, delicatus, cui minima quæq; nocent, & qui exigua etiam incommoda ſuſtinere non poteſt. Feſtum ergo vocat Deus: *delicatum*: innuens, quòd quamuis alioquin reliqui dies non feſtiui culpas noſtras ſuſtineãt, dies tamen feſtus, quia delicatus eſt, non fert prophanari, & culpis noſtris maculari, ſed maculanti feſtus dies eſſe deſinit, & ferialis redditur, qui opera ſeruilia admittit: nullum enim opus magis ſeruile, quàm peccatum. Chriſto Domino dicente. *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* ſi tamen paucis modum quo celebrãdi ſunt dies feſti, ſcire deſideras, audi Origen. hæc pauca dicentem: *Si ergo deſinas ab omnibus ſæcularibus operibus, & nihil mundanum geras, ſed ſpiritualibus operibus vaces, ad eccleſiam conuenias lectionibus diuinis, & tractatibus aurem prabeas, & de cœleſtibus cogites, de futura ſpe ſollicitudinem geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non reſpicias ad præſentia & viſibilia, ſed ad inuiſibilia, & futura, hec eſt obſeruatio Sabati chriſtiani. qui ceſſat ab operibus ſæculi, & ſpiritualibus vacat, iſte eſt, qui ſacrificium Sabati, & diem feſtum agit Sabatorum.* hactenus ille.

Iſai. 58.

Prou. 8.

Ioan. 8.

Origen.

Iam ad ſecundum documentum veniamus, quo parentes Chriſti, ducentes illum ſecùm in templo, curam de ſanctè erudiẽdis filijs omnibus exẽplo ſuo parentibus commendat. Neminem certè crediderim adeo mentis inopem eſſe, vt non agnoſcat quanti momenti ſit, filios, ſi fieri poſſit, etiã ab incunabulis, bonis moribus inſtituere. Vt enim lana, cum intingitur purpuriſſo, tenacius retinet purpureum colorem quàm ſi ex ea contexta iã tela intingatur; ita, ſi puer in tenera ætate bonis moribus imbuatur, tenacius illos retinet, quàm, ſi grandior factus, eos imbibere incipiat; prima enim illa inſtitutio tantùm valet, vt vincat naturã ipsã, veluti in brutis animãlibus non ſemel experimur. Cernimus interdum ſæuiſſimos Leones naturalem feritatem ex bona educatione à tenera eorum ætate omnino depoſuiſſe, & quaſi in manſuetudinem, illam commutaſſe Percutitur acriter canis coram Leone, & qui ſua iniuria exaſperatur coercetur aliena, alteriuſq; exemplo eius petulantia emollitur, & frangitur. Ecce, quæ noſtræ ſubſtantiæ conſortio carent, agnoſcunt tamẽ inſtitutoris vocem, & imperium, & cũ ſuæ naturæ nullam rationem habeant, naturæ noſtræ rationem capeſſunt, & quodammodò transfuſa acquirunt.

Ad hæc, nemo ignorat, quàm multum adoloſcentum ferueat ſanguis, & quantò tunc eorum concupiſcentia effrænatior ſit vt enim dixit Ariſt. Iuuenes ſunt maioris ſpei, & audaciæ, vnde ardua quæq; vt libidini ſuæ ſatisfaciant, intrepidè aggrediũtur: & quidem, ſi vt legimus Gen. 8. *ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*; opus erit non exigua induſtria, ad hanc procliuitatẽ cõpeſcendam. Quomòdo ergo infrænabitur pronitas illa ad malum? quomodo ſupprimetur, & confringetur inſolentia?

Ariſt. 2. Eth.

Gen. 8.

non aliter certè, præterquàm quòd Dauid docuit, Pſalmus 118. vbi interrogans: *in quo corrigit adoleſcentior viam ſuam?* reſpondit: *In cuſtodiendo ſermones tuos*. Ecce, lex diuina, frænum eſt ad cohibendum effrænes adoleſcentum animos. Hoc autem frænum quis quæſo apponat eis? parentes, certè ad id diuino præcepto tenentur, Eccleſiaſtico dicente cap. 30. *doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas*. Antiqui illi Patres præclara huius bonæ inſtitutionis filiorum exempla, atque documenta nobis reliquerunt: Abrahamus, cùm Dominus vellet eum laudare, poſſetque permulta, in eius commendationem, dicere, hoc, tanquam laude digniſſimum protulit, quòd diligentem curam habiturus eſſet bonæ educationis filiorum ſuorum, *ſcio enim, quod præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuę poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam*. Tantum autem valuit eius bona inſtitutio, vt ea filium ſuum Iſaachum adeò paternis iuſſionibus obedientem redderet, vt volenti Patri in ſacrificium illum Deo mactare, occiſionem non renueret. Vnde D. Ambroſius, de Abrahæ ſacrif. non minus miratur obedientiam Iſaachi, quam Abrahæ; ego tamen crediderim excellentiorem fuiſſe filij, quàm Patris obedientiam: tùm, quia difficilius eſt obedire homini, quàm Deo; tùm, quia, ſi pater offerebat filium, filius offerebat ſeipſum, quo nihil charius habebat. Exemplo deinde omnibus parentibus eſt Anna, quæ filium ablactatum confeſtim ad Syloè adduxit, ac ſacerdoti Heli, veluti in ſinum ſanctè educandum tradidit: adeò autem bona educatio illi profuit, vt lib. 1. Reg. cap. 2. hæc verba legantur: *puer autem Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus*. Iob tam impensè incumbebat rectæ filiorum inſtitutioni, vt ſingulis annis ſacrificia offerret pro ſpirituali ſalute filiorum ſuorum; quam rem perpendens Origenes lib. 1. in cap. 1. Iob. hæc, magna obſeruatione digna ſcripſit: *Vitulum vnum coram filijs ſuis pro peccatis eorum iugulabat, vt videntes ipſi filij, metuentes, ac pauentes, ab omnibus peccatis quæ animas premunt, declinarent, & iuuētutis ignorantias à ſe mortificarent. Hæc vniuerſa faciebat beatus Iob, ſapienter conſiderans, ſanctèq; cogitans, & docens: ne forte filij mei mali aliquid in corde ſuo cogitauerint, aduerſum Deum. O ſinceritas Patris, ò dilectio Parentis, ò ſtudium generoſi! non enim tantùm pro corpore ſollicitus erat, ſed etiam pro anima cogitabat*, & paulò inferius: *Dic, ò beate Iob, quomodo permitteres, vt aliquid mali filijs tuis, in verbis, atque operibus euidentioribus expediret qui pro occultis, & abditis, aut omninò forſitan non exiſtentibus, ita ſollicitus fueris, atq; nimiùm curam geſſeris, qui ſollicitus, atq; metuens dixiſti, ne forte filij mei in corde ſuo mali aliquid cogitauerint aduerſus Deum?* ac tandem ſubiungit: *Hoc nimirum faciebat non ſemel, aut ſecundo, neq; vno anno, aut duobus, ſed ſic faciebat Iob omnibus diebus vitæ eorum: non quieſcebat, non fiduciam reſumebat, non obdormitabat, neq; obliuiſcebatur, non erat negligens, ſed ita faciebat cunctis diebus vitæ eorum, magnum theſaurum ſe credens habere in Regno Cælorum, ſi inuiolatos, atque immaculatos filios exhiberet, atque ad Regnum Cælorum eos mitteret*. Dauid huius educationis exemplum etiam præbuit, cum Salomonem filium ſuum Nathan prophetæ, doctrina, ſinceritate, & morum probitate conſpicuo tradidit inſtruēdum. Eiuſdem etiam Dauid illa vox eſt: Pſalm. 18. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*. Tobias ſenior in hoc genere diſciplinæ nulli fuit inferior, cùm lib. Tob. cap. 1. ſacer textus de eo illud ſingulare preconium commemoret: *Cùm factus eſſet vir, accepit vxorem Annam de tribu ſua, genuitque ex ea filium, nomen ſuum imponens ei, quem ab infantia timere Deū docuit, & abſtinere ab omni peccato*. Perpendite quæſo, quàm citò bonis moribus filium imbuerit: non expectauit adoleſcētiam, non pueritiam, ſed ab infantia, in qua nōdùm rationis particeps factus erat, cæpit bonæ inſtructionis lacte nutrire, vt cum ipſo etiam lacte, quoad fieri poſſet, ſanctitatem ebiberet. Parentes Danielis, Ananiæ, Miſael, & Azariæ benè adeò ſuos filios ſanctis moribus educauerunt, vt legatur c. 1. Daniel, quòd cùm Rex Nabuchodonoſor iuſſiſſet, vt cibo regio veſcerentur, ipſi ſpretis regalibus delicijs, leguminibus alebantur, ne polluerentur, vt ait ſacer textus, de menſa Regis: quid, quod, vt legitur ibidem cap. 3. Sidrach, Miſach, & Abdenago iuſſi à Nabuchodonoſore, ſtatuam auream, quam erexerat,

Eccl. 30. Geneſ. 18. Geneſ. 22. D. Ambr. 1. Reg. 1. lib. 1. Reg. 2. Iob. 1. Origen. Pſal. 18. Tob. 1. Dan. 1.

rat, adorare, tam erant vera religionis doctrina benè inſtructi, & educati, vt liberrimè reſponderent: *notum tibi ſit Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus;* firmique adeò, & conſtantes extitere, vt data eis optione adorandi ſtatuam, vel voraces ignis flammas ſuſtinendi, potius eligerent in ardentem caminum detrudi, quàm cultum Deo ſoli debitum ſimulacro illi deferre.

Quantùm autem ſollicita filiorum educatio ab ipſa etiam infantia Deo grata ſit verba illa Dei Michææ 7. aperte ſatis indicant: *Veh mihi, quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum.* Quibus verbis eorum ſocordiam damnat, qui vſq; ad ſenectam conuerſionem ſuam differunt, in qua inepti adeò ſunt ad opera virtutis exercenda, vt vix botrum vnum alicuius boni operis Dominus in illis reperiat. Placet quidem Deo, vt ſaltem ſerò hi conuertantur ad ipſum; addit tamen continuò: *præcoquas ficus deſiderauit anima mea:* quaſi diceret: illud tamen gratius multò, & palato meo ſuauius eſt, ſi à tenera ætate pueri, per *ficus præcoquas* deſignati, mihi famulari incipiant. Quantò autem Deo gratior exiſtit diligens parentum cura in filijs benè educandis, tantò eorum in bona filiorum inſtitutione, oſcitantia deteſtabilior eſt, ob magnum, quod illis infert nocumentum, nam quemadmodum cùm committitur error in principio viæ, quo magis viator progreditur, eo magis à deſtinato loco ſe elongat, & error, qui paruus videbatur in principio, maximus fit in fine: ita experientia conſtat, pueros malè inſtitutos, poſteà grandiores factos, prauos mores non deponere, ſed in eis inueteraſcere, vt Salomon teſtatur, Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Hinc Origenes lib. 1. in cap. 1. Iob audet dicere: *Omnia, quæ deliquerint filij, de parentibus requirentur, qui non erudierint, neq; corripuerint filios ſuos.* Cuius euidens exemplum in Heli oſtenditur, qui grauiter à Deo mulctatus fuit, eò quòd ſegniter corripuerit filios ſuos, vt habetur 1. Reg. 4. Ad quod alludens D. Chryſoſt. homil. 59. in Geneſim, hæc ait: *Oro, vt præbeatur manus pueris noſtris, ne etiam pro his, quæ illi peccauerunt, pœnas ſuſtineamus. An neſcitis quid ſeni Heli acciderit, cum non debitè emendaret filiorum delicta? quemadmodum enim medicus, ſi morbum ſectione indigentem curare ceſſat, ac moratur, ſtatim incurabilis erit morbus, & inutile, alioqui vtile, remedium; fecit ita, & ſenex ille, cùm deberet filios ſuos pro peccatorum qualitate emendare, nimia vſus lenitate illos arguit. Proinde oro, exemplo hoc timeamus, & habentes filios, prouideamus eis de honeſta educatione, & ſummam, vnuſquiſque curam eorum agat, qui apud ſe habitens, & lucrum maximum, ducat vtilitatem proximi.*

Mich. 7.

Prou. 22.

Origenes.

1. Reg. 4.

D. Chriſ.

Idem etiam Chryſoſtomus acriter reprehendit parentes bonam filiorum ſuorum educationem negligentes, vbi, & pœnas, quibus diuinitus puniendi ſunt, ob oculos eis ponit, homil. enim 2. in Ioan. hunc in modum eos alloquitur: *Vos ad ſpectacula filios adducitis, neque ad doctrinam, neq; ad aliquam bonam frugem eos hortamini. Verùm ſi quid ſanctum, ſi quid ſpirituale comparandum manet, id appellatis, ſollicitudinem; nonnè iram Dei in vos prouocatis, cum celerius, & certo tempore, & diligenti cura adhibita in diuinarum rerum doctrina pueros exerceri, moleſtum, intempeſtiuumq; ducitis? Non ſic fratres, non ſic. hæc profectò ætas maximè admonitionibus indiget: tenera eſt, & facilè, quæ ei inſtillantur, bibit, & audita accipit, tanquam ſigillo cera, hoc eſt puerorum animis preſſo,* & homil. 9. in epiſt. 1. Pauli ad Timoth. hæc, tanto patre digna ſcripſit: *Exerceamus ad virtutem, & pietatem molles filiorum animos, cetera omnia ſecundo loco quæramus; nam ſi quidem illi improbi fuerint, nihil eius pecuniæ proderunt, ſi autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere diuitem? bonum, illum, ac benignum eſſe doce, ita enim, etiam rem familiarem auctiorem facere poterit; quòd ſi tenuis illa ſubſtantia fuerit, nihil deteriori in loco erit, quàm hi, qui plurima poſſident, quod ſi malus ille fuerit, etiam ſi infinitam illi ſubſtantiam relinquas, non illi cuſtodem reliquiſti, ſed longè deteriorem conditione feciſti, quàm ſi ad extremam deueniret inopiam: quippe filijs non rectè inſtitutis præſtat pauperes eſſe, quàm diuites.* Hactenus ille.

D. Chryſ.

D. Chryſ.

Quid plura? eleganter Plutarchus, *Parentes*

Plut. de liber educ.

rentes (inquit) *qui filijs ditandis omnem curam impendunt eorum autem mores negligunt* (quanto magis ſalutem?) *ſimiles ſunt ijs, qui magnam calceorum curam habent, & interim pedem ipſum paruipendunt. Vnde ille merito ab Ariſtippo deriſus eſt, qui rogans quantam inſtruendi gratia filij mercedem poſtularet, illo mille drachmas poſtulante, intulit: Atque ſeruum mille drachmis comparare poſſum. Cui Ariſtippus: Duos itaque ſeruos habebis, illum quē mercaberis, & filium.* Nihil enim à ſeruo filius ruſticè educatus differt. Vnde idem Philoſophus cuidam percontanti, quarè tam ſolicitam curam adhiberet in filio ſuo erudiendo reſpondit: *Vt nihil aliud certe ne alioquin in theatro ſedeat lapis ſuper lapidem.* Homo idiota in hoc magno mundi theatro quaſi lapis ſuper lapidē inutiliter ſedet. Acutè Diogenes dicebat ſe Megarenſis alicuius arietem eſſe malle, quam filium, ſignificans Megarenſes pecorum maiorem curam habere quàm liberorum. At hodie ſi viueret, de multis Chriſtianis (proh pudor) diceret, malle ſe canem, aut equum multorum eſſe, quam filium.

Apophth.

Laer. lib. 2. c. 8. Apophth. Ael. de varia hiſtor. lib. 12. Apophth.

Id tamen præcipue in hoc genere argumenti parentes aduertere oportet, nullum efficacius medium excogitari poſſe ad docendum pueros, quàm vt eos bono exemplo parentes præcedant; ſi enim filij in parentibus perſpexerint opera contraria illis, quæ ipſi docentur, doctrinā ſpernunt: ſi autem operibus videant conformari, facilius illam aprehendunt, & tenacius eandem retinent. In cuius rei probationem Simeō Metaphrates ſcribit, inſignem ac pulcherrimam hiſtoriam, quæ cōtingit tempore Cæſaris Iuſtiniani circa annum Domini quingenteſimum vigeſimum ſecundum: dum Dunaam in Arabia regnaret, & Chriſtianos hoſtiliter proſequeretur. Hic, mulier quandam Chriſtianam apprehenderat, quæ ſe & puerulum ſuum quinquennem ſanguine martyrum ex deuotione deliniuiſſet: filiolus matri aufertur, & mater ad palum alligatur, vt viua deflagret, & tota ignis ardore conſumatur. Puer vndiq; circumſpicit, vt matrem cernat, quam dum non inuenit ad Regem Dunaam vadit, qui in alto, & Regali throno ſedebat, ante quem ſe ſupplicem abijcit lacrimis, orans eum, vt matrem ſibi reſtituat. Rex puerum ſumit, & ponit ſuper genua ſua, quærens an ne potius mallet eſſe apud eum, quàm apud matrem? reſpondit puer: non equidem, cupio meam matrem, oro te, dimittas eam, vt illa me ſecum ducat ad martyrium, ad hoc enim ſæpius me admonuit. Quærit Rex: quid, inquiens, eſt martyriū? Reſpondit puer, mori ob nomen Chriſti, & poſtea viuere. Quærit Rex quis eſt hic Chriſtus? Reſpondit puer: veni ad templum, oſtendam eū tibi (loquebatur enim de imaginibus Chriſti, quæ ſemper antiquitus in templis Chriſtianorum cuſtodiuntur, & honorantur) Sed vidit puer ab alto matrem ſuam palo alligatam, & clamat: Dimittas me, dimittas me, volo adeſſe matri meæ, quam video ſub malorum hominum manibus eſſe. Quærit Rex: quarè huc veniſti ſine matre tua? Maneas ergo apud nos, & dabimus tibi omnia genera pomorum, pyrorum, ceraſorum, & aliorum fructuum. Dicit Puer: non volo hic manere, putabam te Chriſtianum eſſe, ideo etiam ad te huc veni ad orandum te pro matre mea, ſed quia cognoſco te Iudæum eſſe, nihil etiam à te accipete volo, ſinas me abire hinc ad matrem meam. Nonnulli conſulebant, vt puer ad Reginam duceretur, tanquam ad mulierem ſimilem matri. Sed cùm puet vidit ignem incendi ad comburendum matrem ſuam inclinans ſe mordet Regem in femore: quem morſum cum Rex ſentiret, puerum mox à ſe reijcit & commendat vni ex Senatoribus ſuis, vt educetur in Iudaica ſuperſtitione. Puer verò dum à Rege abducitur è manu ducis ſui effugit, rectaq; quam primum ad matrem veniendo in ignem inſilijt, quam dum amplexatur ſimul etiam cum matre comburitur, & moritur; omnes parentes docens, quam multum interſit cum bono eorum exemplo coniuncta filiorum recta inſtitutio.

Ad extremum non poſſum non mirari parentum inſipientiam, qui ſi equus eorum fræno non paret, aut ſeſſorem non patitur, diligenter ſatagunt, illum vi, vel arte domare, filius verò, tametſi diuinæ legis frænum non ſemel a ſe abijciat, minime eius petulantiam, effrænemq; viuendi conſuetudinem compeſcere curant; maiorem (proh dolor) diligentiam adhibentes in educatione equi, quàm in inſtitutione filij, quod non poteſt non valde exo-

exoſum, ac deteſtabile eſſe Deo. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XII.

Proſequimur idem intentum, pleraque alia ſpiritualia documenta ex hodierna Euangelij lectione decerpentes.

INTER varia documenta ad informandos humanos mores, quibus hodierni Euāgelij lectio plena eſt, ſex præcipuè breui eloquio complector, obſeruatione digniſſima. Primum deduco ex verbis illis: *Ibāt parentes eius per omnes annos in Ieruſalem.* *Luc. 2.* Quibus Chriſti Domini parentes nos docent curam, quā in diuino cultu exhibere debemus, ſacras ædes frequentantes. Non ignorabant certè illi Archelaum regnare in Iudæa pro Herode, qui pariter cum Regno, immanitatem patris hæreditauerat, & eius timore perterriti, vt D. Matth. c. 6. narrat, *Matth. 6.* non ſunt auſi in Iudæam ire, ſed ad Nazareth diuerterunt; tamen ne diuini cultus religionem in viſitando Templo Ieroſolymæ, quę metropolis erat Iudææ, quoquo modo violarent, audacter, & confidenter ad illud perrexerunt. Nemo, procul dubio, mihi inficiabitur, B. Virgini, & Ioſepho, qui ſecum habebant filium, qui Dei Patris expreſſa erat imago, ſanctius oratorium, domum ſuam eſſe, quam Templum Ieroſolymitanum, quod ſolùm continebat arcā teſtamenti, vmbram, & figuram ipſius Chriſti; nihiloſecius tamen, religionis cauſa, cum ingenti prolixi itineris labore, ad id Templum aſcendebant, quia nouerant dictum fuiſſe à Deo per Salomonē 3. Reg. 9. *3. Reg. 9.* *Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi, vſque in ſempiternum: & erunt oculi mei ibi.* Quo exemplo, illorum ſocordia, & in diuino cultu tepeditas meritò damnanda venit, qui abſq; vlla infirmitate, ſed pura indulgentiæ, & relaxationis cauſa, & ne quidpiam incommodi ſuſtineant, in proprijs domibus rem ſacram audiunt, hac inurbanitate, & incuria erga Deum vtentes, vt non ipſi ad domum Dei, ſed Deum ad domos ipſorum venire velint; quod ſi contingit aliquando, mitigata aëris intemperie hyberni temporis, aut nimio æſtatis calore decreſcente, ad templa ire, & ſacris intereſſe, breuiſſimè illa perfici optant, immò, & illis imperfectis, & ad finem nondum perductis, in proprias domos redeunt, contra id, quod parentes Domini hodie feciſſe narrat ſacer Euangeliſta, dum ait: *Conſummatiſque diebus;* *Luc. 2.* quouſq; enim perficerentur ſacra officia paſchatis, noluerunt redire in domum ſuam. Pudeat ergo fideles, antè peractam rem diuinam ab Eccleſia egredi audiant canonem Apoſtolorum. *Qui autem non perſeuerauerit in oratione, vſque* *S. Clemens in conſt. Apoſt.* *dum miſſa peragatur, velut inquietudinem mouentes conuenit communione priuare.* audiant Concil. Agathenſe c. 31. *Conc. Agath.* *Miſſas die dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, itaut ante benedictionem ſacerdotis, egredi non præſumant; quod ſi fecerint ab Epiſcopo publicè confundantur.* Pudeat etiam eos, qui Chriſti religionem profitentur, antè abſolutam completamque concionem ab Eccleſia egredi: audiant Concilium Carthaginen- *Conc. Carth.* ſe 4. ſic. c. 4. definiens: *Sacerdote verbum faciente in Eccleſia, qui egreſſus de auditorio fuerit excommunicetur.* Quod ſi omnibus compertum eſt, in c. nullus ſacerdotum 11. q. 3. & in Conc. Arælatenſi, & in Conc. Veron. c. 2. pręceptum eſſe, ne Epiſcopi pro rebus parui momēti aliquem communione priuent, reliquum eſt, hæc, quæ nunc enarrauimus non tàm eſſe leuia, quam quidam inſipientes illa ducunt.

Secundum documentum decerpo ex *Luca 2.* verbis illis. *Cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem.* Ecce, non amittitur Ieſus in itinere ad Templum, ſed in reditu ad requiem in propria domo; vt hinc diſcamus ſæpè proſperos, & ſecundos euentus Deum nobis eripere; vt enim vehementi vento inflata vela exiguam cymbam fluctibus obruunt; ſic vehementi ſuperbia inflata proſperitas exiguum peccatoris animum vitijs demergit. Vnde præclare Seneca epiſt. 39. dixit: *Seneca.* *Segetem ſternit animæ, vbertas, rami onere franguntur,*

tur, ad maturitatem non peruenit nimia fecunditas, id quoq. animis euenit, quos immoderata proſperitas rapit, qua non tantum in aliorum iniuriam, verùm etiam in ſuam vtuntur. &c. Sed quid Ethnici hominis
Pſal. 37. teſtimonio egemus, cũ regius vates, Pſ. 73. dicat: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur & diluculo veniebant ad eum*, ecce pedes in proſperitate claudicantes ad Deum adeundum, in aduerſitate feſtinantes, ad quærendum eum. Ita
Luca 8. certè accidit filio prodigo, quem, poſt dilapidata paterna bona, & magna egeſtate oppreſſum, miſeria illa, quam patiebatur, ad quærendum patrem compulit, atque
Dan. 7. huc facit, quòd Danielis 7. beſtia quædam deſcribitur, quaſi leænę alas habens, ablatis tamen alis, quaſi homo remanſit, & *cor hominis datum eſt ei*, vt inquit ſacer textus. Huic Leænæ ſimilis eſt honorum, opumque infelici felicitate inflatus homo Leæna eſt alis prædita, ſed ſi euellantur proſperitatis alæ, ſuper pedes, quaſi homo ſtat, & cor hominis manſuetum humile, rationiſque particeps datur ei. Vnde
D. Chryſ. Chryſoſtomus hom. 54. ad populum Antiochænum. *Cum in ſecundis* (inquit) *rebus ſunt plures, efficiuntur inflati, omnibus inimici, iracundi, cum adeſt potentia; cum verò fuerit ablata, manſueti ſunt homines, & humiles, & in propriam naturæ cogitationem veniunt*. Leæna erat alata Nabuchodonoſor, euulſæ ſunt proſperitatis alæ, regno deiectus, ſe, Deumque abiectus
Dan 4. agnouit. Dan. 4. *Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs, feriſq; erit habitatio tua, donec ſcias, quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumq; voluerit, det illud*. Alata quoque Leæna, fuit Antio-
2. Mach. 9. chus qui, vt habetur 2. lib. Machab. cap. 9. ſibi videbatur, etiam fluctibus maris imperare, & quaſi Leæna ignem ſpirans in Iudæos, illos penitus deuaſtaturus præſumſit; grauiter tamen diuina vltione percullus, euulſæ ſunt Leænæ alæ, & cor hominis ſic ei datum, vt illa humilia verba proferret: *Iuſtum eſt, ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*. Accidit certè hominibus, quod in Luna experimur, quia, ſicut illa tũc lumen ſuum amittit, cùm plena eſt, ita illi diuinæ gratiæ ſplendorem amittunt, cùm rebus abundant: & quemadmodum Luna amittit lumen ſuum ex interpoſitione terræ inter ſolem, & ipſam, ita, & homines proſperitatis, honoris, diuitiarum, & pecuniæ interpoſitione inter ipſos, & Deum lumen gratiæ frequenter amittunt, vt expertus eſt omnium doctiſſimus, & fortunatiſſimus Salomon, qui diuitijs, & voluptatibus opulentiſſimus, in medio earum Deum miſerè amiſit, vt magnus Gregorius in ſuo D. Greg.
Paſtorali par. 3. bis verbis tradit: *Salomon qui poſt tantam ſapientiam, vſq; ad idololatriam cecidiſſe deſcribitur, nihil in hoc mundo, priuſquam caderet, aduerſitatis habuiſſe memoratur; ſed conceſſa ſapientia funditus cor deſeruit, quod nulla, vel minima tribulationis diſciplina cuſtodiuit*. Atque ex hac doctrina colligo egregiam expoſitionem difficilis illius loci Gen. 46. *Ego ſum* Gen. 46.
fortiſſimus Deus Patris tui: noli timere, deſcende in Aegyptum. Tota difficultas huius loci conſiſtit in explicando, quid ſit illud, cuius terrore timebat ſanctus Patriarcha Iacob venire in Aegyptum, cum vocatus eſſet a chariſſimo filio ſuo Ioſeph; qui Prorex erat Aegypti, cum alioquin videbatur, non ſibi timendum, ſed gaudendum potius, proficiſci ad videndum filiũ, quem iam perijſſe exiſtimauerat, cùm dixit: *fera peſſima deuorauit eum*. Sed non vanè certè, verum ſapienter metuebat in Aegyptum deſcendere, timebat enim, & dubitabat, ne opulentia, dignitas, & magna Ioſephi proſperitas eum ita ſuperbum reddidiſſet, vt illatam ſibi à fratribus iniuriam vendendo illum, tanquam ſeruum Iſmahælitis, vindicare tentaret; vt enim prouerbium ait: Honores, mutant mores, vnde Diuus Gregorius prima parte paſtor. capit. 3. ſapienter dixit: *Proſpera* D. Greg.
ſæpè per tumorem cor inquinant, aduerſa per dolorem purgant, in proſperis ſe animus erigit, in aduerſis, etiam quando ſe erexerat, ſternit: in proſperis homo ſui obliuiſcitur, in aduerſis ad ſui memoriam nolēs etiam, coactuſque vocatur, &c. Quid plura? Certè primus parens magna illa proſperitate fruens, cum cunctis animantibus prę erat, & paradiſi delicias poſſidebat, diuinæ legis præuaricator extitit, & diuinæ gratiæ pignus amiſit, poſteà vero à Deo relegatus extra paradiſum, & multis miſerijs obnoxius, pœnitere cæpit de peccato, & diuinam gratiam recuperauit. Dauid, cum paſtor erat, placebat Domino, tantaque fortitudine diuinitus præditus

fuit

1.Reg.17. fuit, vt gigantem Goliath in publico certamine vinceret, ac iugularet. Poſteà verò ad regiam dignitatem euectus, & homicidium
2.Reg.11. perpetrauit Vriæ, necnon adulterium cum eius vxore, fragilem debilemque adeò ſe exhibens, vt à femina vince-
3.Reg.11. retur. Salomonem etiam, nemo ignorat, tunc miſerius prolapſum, cùm maioribus, tùm honoris, tum diuitiarum bonis abundabat. Quid de Alexandro Magno dicam, qui cùm multis virtutibus moralibus acquiſitis, præfulgeret, poſtquàm tamen ſuper varia Regna principari cœpit, quaſi in virum alterum mutatus, tanta crudelitate efferbuit, vt Parmænydem amicum ſuum, Phylotum, & venerandum ſenem Clytum, Chalyſtenem, diſcipulum eius Attalum, Eupylochum, Pauſaniam, multoſque alios Macedoniæ præclaros Principes iniuſtè interemerit. Ecce tot mala nimia felicitas, ac exuberans proſperitas peperit.

Tertium documentum præbent nobis verba illa. *Aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti*: nemo quidem ignorat bonam, & laudabilem conſuetudinem, vim legis ſolitam eſſe habere, & idcircò ſemper obſeruandam, niſi magna, & euidens neceſſitas, vel vtilitas aliud poſtulet. Ecce parentes Ieſu, ſecundùm conſuetudinem diei feſti aſcendunt Ieroſolymam, ſic ijdem ſecundùm conſuetudinem legis, fecerunt pro puero oblationes, dum eum Domino ſiſterent in
Luca 22. Templo. Ieſus item ſecundum conſuetudinem ibat in mõtem oliuarum orationis
1.Cor.11. cauſa: Apoſtolus Eccleſiæ conſuetudinem allegat in mulierum velatione, dum
Matth.27. in Eccleſiam, orandi gratia conueniunt. Pilatus pro liberatione innocentis Ieſu, conſuetudinem affert Iudæorum Feſtus.
Act.25. Tribunus allegat conſuetudinem Romanorum, contra Iudæos mortem Apoſtolo intentantes, & innocentem liberauit de
Luca 1. inſidijs eorum. Zacharias etiam ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij, ſorte exijt
Ad Eph.4. vt poneret incenſum. At ecce, quam filius Dei ſeruauit conſuetudinem bonam, rationabilem, ſanctam, piam, & honeſtam, quam ſeruauerunt Parentes eius ſuper
Act.13. omnes homines Deo accepti, & dilecti, cum ceteris, quos partim enumerauimus; quam tanti fecerunt omnes Eccleſiæ Dei columnæ, & Doctores à Deo in ædificationem corporis Chriſti, & opus miniſterij ad conſummationem ſanctorum dati: quã tantis efferunt laudibus Eccleſiæ ſacræ Dei Conſtitutiones; hanc Luthærus, ecce filius perditionis, ſemen nequam, adulterina plantatio, viperarum genimen, inimicus omnis iuſtitiæ, ordinis peruerſor, turbator pacis, honeſtatis criminator, nũquam deſinens ſubuertere vias Domini pulchras, & rectas, temerè negat, nequiter ſugillat, ſcurriliter refellit, impudenter irridet, ac flagitioſè exibilat.

Quartum documentum præbuit puer Ieſus, dum in Ieruſalem remanere voluit, relictis parentibus, & illis ignorantibus, Euangeliſta dicente: *Remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius:* quo manifeſtè docentur omnes filij Luca 2.
adultam ætatem attingentes, non oportere, cùm ad felicem Religionis ſtatum ex hoc ſæculo nequam migrare decernunt, parentes, aut conſanguineos ſuos conſulere, maximè, cùm ſuſpicantur, eorum precibus arcendos, aut diuertendos fore ab hoc ſancto propoſito, memores ſolùm diuinæ illius pollicitationis: *Qui reliquerit* Matth.19.
patrem, aut matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Quando Iacob, vt ſacra Geneſeos commẽmorat, hyſtoria, cap.31. fu- Gen.31.
git à domo Laban ſoceri ſui, inſecutus eſt illum Laban: ad quem, cùm peruenit, triplicem grauem querelam ei propoſuit, prima fuit: *Cur, ignorante me, hoc facere voluiſti, nec indicaſti mihi?* ſecunda; *non es paſſus, vt oſcularer filios meos, & filias.* tertia: *furatus es Deos meos.* Pari modo triplici querela conqueritur mundus eorum, qui, illo ſpreto, ad ſtatum perfectionis cõfugiunt. Primo lamentatur, quòd ſui diſceſſus certiores non fecerit amicos, & conſanguineos, vt ſuis blanditijs, ac lænocinijs ab eo propoſito illum auocarẽt. Secundò conqueritur, quòd caris, & familiaribus amplexibus, & oſculis, non prius vale diceret; ſed, illo inſalutato, inurbanè abijſſet; vellet enim mundus, vt priuſquam adoleſcens diſcederet à ſe, eius voluptates deguſtaret, & in libidinis amplexus prius exarderet, vt horum memoria refricata, iterum eas concupiſceret, & vt obtineret, iterum ad ipſum rediret. Tertiò conqueritur mundus, quòd Deos ſuos abſtulerit, deſpiciens diuitias, honores, & dignitates

quæ

quæ ſunt eius idola, quibus, vt dijs ipſe inſeruit. Prudentes ergo adoleſcentes, Chriſti Domini veſtigijs inſiſtentes, inſcijs parentibus, pergant ad ſtatum religionis, eorum conſilia ſuſpecta habeant, cùm veritas ipſa dixerit: *Inimici hominis, domeſtici eius*. lib. 1. Reg. c. 4. hiſtoriam lego huic argumento valde accomodam. Vocabat Deus puerum Samuelem dormientem in Templo: ipſe verò exiſtimans ſe vocari à cœco ſene Heli, veniebat ad illum; Heli autem dixit ei: *reuertere, & dormi*: vocauit ſecundò Deus eundem, & ille iterùm abijt ad Heli, qui ſimiliter locutus eſt ei: *reuertere, & dormi*. Non diſſimiliter dormientes filios veſtros veterno ſomno vanitatis huius ſæculi Dominus illos excitat, & vos, qui parentes eorum eſtis, nimia carnis, & ſanguinis affectione obcœcati, velut alter cœcus Heli, eos monetis, vt reuertantur ad ſæculum & requieſcant in lectulo voluptatis: *reuertere, & dormi*: fruere bonis, quæ partim labore comparaui, partim maiorum tuorum hereditate accepi. Ab his ergo diabolicis ſuaſionibus, per Parentum ora, tanquam per fiſtulas decurrentibus, vt liberi fiant adoleſcentes, inconſultis parentibus ad aſylum religionis confugiant, illud corde voluentes: *ſecretum meum mihi*, & illud: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*.

1. Reg. 4.

Tob. 2.

Quintum documentum colligo ex verbis illis: *Requirebant eum inter cognatos*. Non ſemel vidi inter conſanguineos, & affines, lites, iurgia, & inteſtina odia, quæ ſi inter extraneos deteſtabilia ſunt, multò magis inter coniunctos ſanguine execrãda: tanta enim inter eos mutua conſenſio, amicitia, & familiaritas oportet eſſe, vt ſi quoquo modo filius à paterna domo diſceſſerit, confidenter ad domum conſanguinei confugiat; nè alioquin errare, & vagari cogatur. Sic filius Rebeccæ iuit ad Haram, ſic etiam ſanctus Patriarcha Abrahamus ſecum duxit ſanctum Loth filium fratris ſui, & poſteà cum ſibi nunciatum eſſet, eundem expoliatum à Regibus Chodorlahomor, & Thadar, nec non alijs Regibus, cognationis iure erga nepotem ex fratre inflammatus, coacto exercitu, irruit ſuper eos, qui captiuum duxerant Loth, & bona eius abſtulerant; & in libertatem vendicauit, vnà cum illius ſubſtantia, & bonis. Certè ſanguis abſq; igne feruet, & qui propinquis indigentibus nõ ſubuenit, cùm poſſit, ferinum animum ſe induiſſe demonſtrat. Longè certè ab hoc abfuit Abimelech conſanguineus Ruth, qui animaduertens eius inopiam, præcepit illi, ne abiret in alterum agrum ad colligendum ſpicas, ſed in ſuo legeret, quia eius erat cognata, quinimmò præcepit meſſoribus, vt illi tribuerent aquas ad bibendum.

Gen. 12. 14.

Ruth. 2.

Sextum, & vltimum documentum verba illa exhibent: *Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*. Obſerua quæſo præclarum ordinem prius ait, quærendam eſſe gratiam apud Deum, deinde apud homines. Contrarium huius ſæculi cultores factitatis, nam primùm quæritis, & impenſius gratiam hominum, cui adeò innitimini, vt frequẽter in obicem conuertatur ad quærendam poſtmodùm gratiam Dei, præpoſterus certè ordo omninò commutandus, iuxta ſententiam Chriſti Domini: *primùm quærite Regnum Dei, & omnia adijcientur vobis*. Profecit olim non parùm Princeps Aman in fauore Regis Aſſueri, qui altas in eius gratia radices egerat; ſed quia diuina gratia erat deſtitutus, tandẽ in Crucem ſuſpenſus miſere perijt; econtrà verò quia ſanctus Ioſeph gratia apud Deum prius multùm profecerat, deindè etiam maximè profecit in fauore, & gratia apud Regem Pharaonem, adeo, vt prorex totius Aegypti ab eo crearetur. Profecerunt etiam quondam in gratia apud Nabuchodonoſorem ſapientes, & Satrapæ Babylonis; quia tamen in Dei gratia nullum prouentum fecerant, quin potius innocentem Danielem varijs inſidijs, & fraudibus circumuenerunt, in lacum leonum miſſi ſunt, beſtiarum facti cibus; econtrà vero ſanctus Daniel, qui in gratia Dei progreſſus multos fecerat, vberem etiam gratiam apud Regem nactus eſt. Ecce, fratres; nullum medium efficacius adhiberi poteſt ad humanum Principum fauorem ſibi conciliandũ, quàm prius diuinum implorare, vt experta fuit inſignis illa fœmina Iudith, quæ, vt legimus c. 12. vt inueniret gratiam corã principe Holopherne, prius lachrymis, & ieiunijs diuinam gratiam quæſiuit, cœleſtemque fauorem enixè inuocauit: efficacitatemque huius medij

Matth. 6. Eſther.

Gen. 3. & 8.

Gen. 41.

Dan. 6.

Daniel.

Iudith. 12.

medij exitus comprobauit, cum conciliata ſibi Holofernis gratia, captus ille fuit in oculis eius,& ipſa diuino fauore ſuffulta,opurtunitatem habuit,ipſius caput amputandi. Similiter etiam Regina Heſther, vt Regis Aſſueri excandeſcentem animum in Hebræos mitigaret, prius diuinum fauorem implorauit, & illo impetrato adijt ad Regem Aſſuerum, & tantam gratiam in oculis eius inuenit, vt ad eius preces ſententiam mortis latam contra illos,mutaret,Reginamq; multis fauoribus verbo, & opere cumularet. Eſther. 1. & 7.

Tandē,vt in hoc genere argumenti paucis multa dicā,credite mihi,fratres,errant toto Cœlo,qui ſe hominum fauorem, diuino ſpreto,conſequuturos falsò ſibi blandiuntur; fauor enim diuinus, clauis eſt, quo facilis patet aditus ad humanum. Vnde quemadmodùm, ſi quis arcem fortiſſimam ingredi tentaret, fores omnes obſeratas habentem, fruſtra abſq; claue reſerare eam conaretur;ita certè,cùm cor Regis in manu Dei ſit,& quocunq; voluerit,inclinabit illud,vt ait ſapiens lib.Prou. c. 21. opus eſt diuino fauore, quo, velut claue reſeretur cor Regis, & ad eius gratiam nobis pateat adytus. Concludo ſacrum Euangeliſtam non dixiſſe, Chriſtum Dominum profeciſſe gratia apud omnes homines,ſed, *apud homines*: vt hinc ſerui Dei intelligant, nihil ſibi curandum, ſi omnibus placere non poſſint, cum enim multi multa iniuſta velint,oporteret certè vt placerent illis;diſplicere Deo. Sanctus Moyſes non omnibus Hebræis gratus extitit,ſed contra illū multi grauiter murmurarunt. Dauid licet alioquin multa obſequia Regi Sauli præſtitiſſet; tamen apud illum gratiam non inueniebat. Chriſtum deinde nemo eſt, qui ignoret, quòd cùm alioquin ipſius ſanctitatis author eſſet, multis fuit deteſtabilis, & odio habitus. Vnde ſanctis,& ſeruis Dei contingit illud, quod, de manna,ſacra narrant eloquia: cum enim in ſe ſuauiſſimus, & dulciſſimus cibus eſſet, multis tamen erat ingratus, adeò vt dicerent: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*. Auram igitur humanam deſpiciamus, diuinā gratiam præcipue quærentes, quam nobis præſtare dignetur,qui cum Patre,& Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Prou. 21.

Num. 21.

Homilia XIII.

Hæretici verba hodierni Euangelij in prauos ſenſus intorquentes multis calumnijs inſectantur Deiparam,ſed ab illis omnibus apertiſsimè vindicatur innocentiſsima Virgo; in illa verba: fili, quid feciſti nobis ſic? &c, quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? & ipſi non intellexerunt, quæ locutus eſt ad eos: *quæ varijs expoſitionibs illuſtrantur*.

HAERETICI, pro inſatiabili,qua eſtuant,maledicendi libidine, caninis dentibus lacerare conantes, innocentiam Deiparæ Virginis, effrænique petulantia eam impetentes, innumeras tragœdias excitant, vt illam quoquo modo peccati ream probent;Sed fruſtra, quia, vt aliò dixit Dauid: *quæretur peccatum illius,ſed non inuenietur*. In primis igitur Culmanus in Euangelium Dominicæ primæ poſt Epiphaniam, affirmat, matrem accuſaſſe filium, dum dixit: *fili, quid feciſti nobis ſic?* Brentius homil. 9. in Lucam, putat, Virginem in hanc cogitationem incidiſſe: *Si hic eſſet Meſſias,obediret Parentibus; & clam ab illis non ſe ſubduxiſſet*. Georgius Maior in explicatione eiuſdem Euangelij non veretur dicere, Virginem negligentia ſua amiſiſſe puerum Ieſum. Centuriatores lib. 1. Centur. 1. culpam Virginis magis exaggerantes, comparant illam cum culpa Euæ, dicentes: *Eua ſciens, & volens facit contra mandatum Dei, Maria inſciens, & contra volnntatem,amittit filium,ſed nihilominus grauiter peccat*. Similis eſt latratus Hemnigij

Error Culm.

Hæreſ. Brent.

Deliriū Geor.

Centuriato[rū] blaſphemia.

nigij hæretici, in Euangelium Dominicæ primę poſt Epyphaniam blaſphemiā hanc euomentis: *Maria contulit ſummam miſeriam ſuam cum miſeria Eua, nam, vt illa genus humanum à diabolo ſeducta perdidit, ita virgo exiſtimauit, ſe ſua negligentia amiſiſſe mundo promiſſum Saluatorem.* Hæc omnia hi hauſerunt ex turbido Lutheri fonte, in poſtilla ſuper hoc Euangelium; nec enim meliora diſcipuli tradiderunt, quàm a ſuo præceptore Luthero didicerunt. Sed non ceſſant adhuc in Beatam Virginem, alij hæretici magis inſanientes debacchari.nam Spangenbergius addidit, Virginem culpam ſuam agnoſcentem, æterno ſupplicio dignam ſe iudicaſſe. Coſſius in poſtilla ſupra dictam Dominicam, vltra debitum modum exceſſiſſe tradit dolorem Virginis in amiſſione filij ſui,animoq; defeciſſe præ ingēti mœrore. Nouatores,& alij Hæretici in cap.2. Lucæ dicunt B. Virginem reprehenſam fuiſſe à Chriſto tùm quando ei dixit: *neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* & cùm,quibuſdam ei nunciantibus adeſſe foris matrem, & fratres expectantes eum, ipſe reſpondit, aſpera illa verba (vt ipſi putant) *quæ eſt mater mea, & quæ ſunt fratres mei?* &c. Alij Hæretici cùm Brentio homilia 2. in Lucam, errore, & ignorantia laboraſſe iudicant, cùm exiſtimauit Ieſum eſſe in comitatu, cùm tamen aliter ſe res haberet; & cum non intellexit verba Chriſti, Luca dicente. *& ipſi non intellexerunt quæ loquutus eſt ad eos.* Conſultò miſſam facio calumniam aliorum circa verba illa: *quid mihi,& tibi eſt,mulier?* quia de hac expreſsè nobis differendum eſt ſuo loco, cùm libro ſequenti de nuptijs Chanæ Galilææ ſermonem inſtituemus. Ceterùm, quia pauca Coruino Hæretico in matrem Dei conuinciorum iacula conuertiſſe videbatur, ipſe, inſtar corui, rapacibus ſuis vnguibus, & acuto roſtro columbam diſcerpentis, ineptiſſimè,& inuerecundiſſimè ſubiunxit: Beatam Virginem, cum amiſit filium, fidei etiam de eius diuinitate iacturam feciſſe. Verùm, iam non miror, immaniſſimos canes ita matrem inſectari, quando etiam aduerſus filium, Deum, & hominem, ac totius innocentiæ fontem, in hunc modum illum increpantes,oblatrarint; *Durius quidem* (inquit Ioannes Agricola in ſecundum caput Lucæ,) *quam aliòquin conueniebat, alloquitur matrem expoſtulantem ſecum Ieſus.* Proh nefas, quantùm in his ſuis electis organis valet beſtia illa Apocalyp.cap.13. qua contra Deum, & contra Dei tabernaculum ingentes blaſphemias eructauit.

Errorum Scaturigo Lutherus.

Inſania Spangenbergij.

Stultitia Coſſ.

Nouator.inſipientia.

Brentius, & alij Hæretici infamant.

Coruini Hæretica temeritas

Blaſphemia audacia Agricola.

Apoc.13.

Cœterum, vt innocentiſſimam Virginem ab his omnibus calumnijs vindicare exordiar, ad illam ēuincendam, quæ eius fidem labefactare contendit, verba ſolùm diui Auguſtini ſermone primo de aſſumptione Virginis,mihi vſurpabo: *non potuit* (inquit) *Maria diuinitati Chriſti non eſſe credula, quæ nouerat hunc ſe non virili ſemine ſecundùm ordinem naturæ, ſed diuino ſpiramine, nunciante Archangelo concepiſſe.* Quod autem aiunt ex acerbitate doloris de amiſſione filij, animo defeciſſe in illo triduo: vel illa vna ratio falſum ſatis id conuincit, quòd ſi, cùm alioquin vulnus doloris materno pectori illatum ex morte filij, longè acerbius fuit, quàm quod ex triduana eius abſentia ſuſcepit, tunc firma, & in fracto animo perſtitit, vt docet Diuus Bernardus ſermone, qui incipit: *ſignum magnum*, apertè conuincitur, in mœrore iſto multo leuiore, Mariam non ſuccubuiſſe,vt perperam iſti contendunt;& certè ipſi ignorare non poſſunt, quàm verè dictum ſit illud Prouerbior. 15. *ſecura mens, iuge conuiuium*; & quod Propheta regius affirmat, Pſalm. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*, certò enim ſibi perſuaſum habent, ac reipſa comperiunt, diligentibus Deum, vt & Paulus teſtatur, in bonum omnia coòperari. An Iuſtorum non eſt, fuitque ſemper proprium, ſecundis rebus non extolli, & aduerſis ſuprà modum non deprimi; ſed, ad omnes huius vitæ caſus inuicto durare pectore,quin,& præſenti Cruce lætari? Expertus eſt non ſemel id, D. Paulus, qui vſque ad tertium cælum raptus,magnitudine certè reuelationum non extollebatur;nec etiam calamitatibus oppreſſus,animo cadebat; quin potius robuſtior reddebatur, ipſo dicente: *Cum infirmor, fortior ſum.* Notum etiam eſt dictū ſapientis: *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit.* Cur igitur ſi æqui volunt eſſe cenſores,cur,inquam,perfectæ fidei,

D. Aug.

D.Bernar.

Prou 15.

Pſalm. 118.

fidei, inuictæ patientiæ, conſtantis animi, & hæroicæ fortitudinis præconlum, nunc vni Mariæ detrahunt, quòd multis alijs veteris, nouiſq; teſtamentl virls, & fœminis vetè pijs, & iuſtis largiuntur?

Iam nunc paulatìm ſingula verba tam matris, quàm filij, quæ hæretici non abſq; ingenti vtriuſq; iniuria deprauare ſatagunt explanare properemus iuxta veram, & catholicam Eccleſiæ Romanæ, & ſanctorum Patrum, ac aliorum boni nominis Interpretum intelligentiam. Et quidem, in primis, quod attinet ad verba Virginis. *fili, quid feciſti nobis ſic?* ab omni prorſus increpatione, & amarulentia longè aliena ſunt, bifariam enim poteſt, iuxta germanum ſenſum, interrogatio illa intelligi; primò, per modum admirantis, & cauſam ignorantis, quare Ieſus, qui de ea carnem ſumpſerat, & naſci dignatus erat, & ab infantia ſemper ei adhæſerat, quique ab ea ſummo amore diligebatur, ipſa neſciente, ab ea ſe ſubduceret, & huc, atque illuc ingẽti dolore affectam permeare permiſiſſet. nec inuſitatum eſt in ſacra ſcriptura interrogationes fieri, ex admiratione, vt
Iſai. 14. Iſai. 14. *quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* &
Zach. 13. Zacch. 13. *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Hãc
Toletus. expoſitionem acceptat Cardinalis Toletus ſuper 2. Ioann. annotatione 61. Secundo modo poteſt intelligi interrogatio illa per modum cuiuſdam querimoniæ ex affectu materno procedentis; quaſi cum filio ſuo conqueratur, quòd remanſerit ipſa neſciente, ex quo maximus cruciatus, ſollicitudo, & labor eam vexauerint, nec eſt indecens querimonia. Nam in ſcriptura legimus, quoſdam pio quodam affectũ querimonias habere ad Deum, quod ſibi non exaudiri ab eo videantur, & Hie-
Matth. 27. tonymus illud Matth. 27. *vt quid dereliquiſti me?* querimoniam quandam interpretatur; ita potuit mater conqueri de filio, quod ſit derelicta, non quidem filium increpando, ſicut nec filius patrem increpauit. Ac tandem aſtipulantur huic
Caiet. Ianſen. Chriſ. Luſit. expoſitioni Cardinalis Caietan. in cap. 2. Lucæ, & Ianſenius in ſua concordia, quos ſecutus Chryſoſtomus Luſitanus de veris Dominæ, tomo ſecundo, cap. 11. hæc ſcripſit: *hæc virgo dixit, non arguendo, ſed querulam propriæ neſcientiæ vocem depromendo; non quærendo cauſam, cur fecerit, cur ſe a ſuo, & Ioſephi conſpectu ſubduxerit, & ſubducendo dolorem intulerit; ſed ſolùm affectum manifeſtando: Nouerat enim Virgo beatiſſima, nouerat (inquam) filium, ſuum, Deum, & hominem, nec poſſe quidquam ſine rationabili cauſa agere. Vnde, non filium ob triduanam ſuam abſentiam arguebat, ſed tamen de ſua neſcientia, filijque ſui abſentia dolebat, cuius præſentia ipſi, & Ioſepho ſuper omnes mundi delicias dulcis erat. Nec mirum; Si enim Dauid in ſola Dei memoria adeo delectabatur, vt pro ea, omnia negligeret, & negligendo diceret: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum, hoc eſt, nullam in his varijs, & caducis rebus anima mea conſolationem voluit accipere; ſed ſola Dei memoria delectabatur. Si ſola Dei memoria regio prophetæ, delectabilis erat ſuper omnia, quomodo ipſius Dei præſentia noſtræ Virgini ſuper omnes mundi delicias non eſſet optata? quomodo etiam ipſa tali præſentia priuata, dolens, non diceret; fili, quid feciſti nobis ſic? hoc eſt; fili, cur ad iſtum modum egiſti nobiſcum? cur te clam à noſtris oculis ſubduxiſti? fili, quid feciſti nobis ſic?* hæc ille. Planus ergo, & catholicus ſenſus, hic eſt: arbitramur ſanè, fili, aliquam, & iuſtam ſuſcepti conſilij tui rationem extare, quòd hiſcè tribus diebus à nobis quæri volueris, cùm, vbi eſſes, ignoraremus; nunc, vt omni ſolicitudine liberemur, expone cauſam quæſo, qua commotus volueris in te quærendo, nos circumcurſitare, tuique deſiderio torqueri? cùm enim vnus nobis ſis chariſſimus, à te etiam ad breue tempus auelli, non potuit nobis, non valde moleſtum, & amarum eſſe.

Quando autem Beata Virgo illa verba protulit: *fili, quid feciſti nobis ſic?* num quando erat puer cum Doctoribus diſputans, an verò finita diſputatione, non eſt vna omnium ſententia. Nam Cani- *Caniſius.* ſius libro quarto de Deipara, capite decimoſeptimo; & Maldonatus in caput ſe- *Maldonatus.* cundum Lucæ; affirmant verba illa non fuiſſe prolata à Beata Virgine durante diſputatione, ſed poſteà, cùm dimiſſis doctoribus ſolus eſſet Ieſus cùm Maria, & Ioſepho. Cũ enim B. Virgo in eo ſe cõſtituiſſet loco, vt à puero videri poſſet, continuò

conſpecta matre, finem impoſuit diſputationi, & comiter ſalutans Doctores, ab eis diſceſſit, & ad matrem venit, ac in eius amplexus ruit. Verùm hoc mihi omninò diſplicet, tum, quia id placuit Caluino

Caluinus reprobatur.

centuria 1. lib. 1. in harmonia euangelica, vbi monet, veroſimile ſibi eſſe, vt ſeorſum, & remotis teſtibus Maria egerit cum filio, poſtquàm is à conuentu diſceſſit; tum quia non id cohæret cùm verbis, quæ reſpondit puer: *quid eſt, quod me quærebatis, neſciebatis? quia in his, quę Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* quæ ſanè conſultò ipſe dixit ad docendum Doctores ibi aſtantes ſe Patrem habere in Cœlo. Non ergo Ieſus diſceſſerat ab illis, cùm Beata Virgo illa verba protulit.

Verùm, vt Hæreticorum inſaniam luculentius, confutemus, operæ prætium erit varias Virginis laudes aperire, quæ in verbis illis latent; nam, ſi primum illorum obſeruemus, dum Ieſum, vocat: *filium. Fili, quid feciſti nobis ſic?* ardentem amorem erga illum oſtendit, nam: *fili*: græcè, idem eſt, quod: *amor*. Dum etiam addidit doluiſſe de eius abſentia, eiuſdem amoris erga Ieſum manifeſtum prodit argumentum: cùm dolor rei amiſſæ ex amore erga illam procedat. Deinde, dum vocat Maria Deum incarnatum filium ſuum, Dei matrem ſe profitetur, quo nihil commendabilius, & inter puras Creaturas laude dignius. Vnde egregie D. Bernard. homil. 1. ſuper *miſſus eſt*, hæc ait: *Quod ſi, & cuius mater, attendas, quò tua ſuper eius mirabili cælſitudine, te ducet admiratio? nonne ad hoc, vt te videas, non ſatis poſſe mirari? nonne tuo, immo veritatis iudicio, illa, quæ Deum habuit filium, ſuper omnes etiam choros exaltabitur Angelorum? an non Deum, & Dominum Angelorum Maria ſuum audacter appellat filium, dicens: fili, quid feciſti nobis ſic? quis hoc audeat Angelorum? ſufficit eis, & pro magno habent, quòd cùm ſint ſpiritus ex conditione, ex gratia facti ſunt, & vocati Angeli: teſtante Dauid: qui facit (inquit) Angelos ſuos, Spiritus. Maria verò matrem ſe agnoſcens, maieſtatem illam, cui illi cum reuerentia ſeruiunt, cum fiducia ſuum nuncupat filium*. hactenus D. Bernardus.

D. Bern.

Humilitatem etiam Beatæ Virginis in illis verbis agnoſcit Diuus Auguſtinus, ſerm. 63. de diuerſis cap. 11. dum prius nominat Ioſephum, quàm ſeipſam; verba tanti patris hæc ſunt. *Non eſt prætermittenda (fratres) maximè propter diſciplinam ſororum noſtrarum, tam ſancta modeſtia Virginis Mariæ. Chriſtum peperat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius: Ieſum; hic erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur. Meruerat parere filium Altiſſimi, erat humillima, nec ſe marito, nec in ordine nominis præferebat, vt diceret: ego, & pater tuus: ſed: Pater tuus (inquit) & ego, non attendit ſui vteri dignitatem, ſed attendit ordinem coniugalem. Non enim humilis Chriſtus matrem ſuam ſuperbire docuiſſet, Pater tuus (inquit) & ego, quia caput mulieris vir*. hæc ille.

D. Aug.

Detegitur deinde in illis verbis inſignis prudentia Virginis, dum noluit illa verba proferri à Ioſepho, ſed à ſe ſola, & cùm illa protulit, honoris gratia, vocat Ioſeph, *Patrem*, intellige putatiuum, cùm verè rè non fuiſſet pater; nam, non ipſe, ſed ſola Maria, tanquam vera Chriſti mater liberè, ac iure ſuo materno vtẽs, auſa eſt Chriſtum interrogare: *fili, quod feciſti nobis ſic?* Detegitur etiam in his verbis (quòd in Deiparæ commendationem non parùm cedit) acerbitas doloris, quem, ob Chriſti abſentiam, ſuſtinuit, quia verba illa non ſolùm fuere admirantis, ſed & dolentis; nec enim rogat, cur id fecerit, aut cur cùm Doctoribus diſputauerit? ſed, cur ita ſe habuerit, vt parentibus inſcijs tam ingentem dolorem eis incuſſerit? aduerbium etiam illud: *ſic*: magnitudinem illius doloris apertè indicat: Sicut & Ioannis 3. ingentem amorem redolent verba illa: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, & ſicut etiam verba illa eiuſdem Ioannis: *Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. magnam vim, & emphaſim portendunt: ſignificãt enim magnam Chriſti fatigationem, quæ, quia quodammòdo ineffabilis erat, ideo Euangeliſta eam, illa tantùm particula, *ſic*, exprimere ſtuduit; magnitudinem defatigationis non aliter auſus dicere. Ita etiam hoc aduerbium: *ſic*: in his Virginis verbis magnam doloris vim præſefert, quæ, quia quodammodò inef-

Digitized by Google

ineffabilis erat, & ad illam exprimendam ipſius Virginis lingua quaſi obmuteſcebat; ideò ſolum contenta eſt dicere: *fili, quid feciſti nobis ſic?*

Ad extremùm, vt paucis multa perſtringam, non ſolùm negamus, Virginē Mariā in illis verbis quicquam peccaſſe, ſed etiā aſſerimus eam vtrobiq; multùm meruiſſe: meruit ibi, quia filio ſuo, quem afflictum putabat, compatiebatur: meruit, quia filium Dei curæ ſuæ commiſſum ſollicitè quærebat meruit, quia tamdiu eum quæſiuit, quandiu inuenit: meruit, quia conſeruabat verba eius in corde ſuo: meruit, quia inuentum Ieſum, benignè alloquitur, dolorem ſuum ex amore procedentem ei manifeſtando. Et certè, qui verba illa matris ad filium: *quid feciſti nobis ſic?* cum verbis, quæ protulerūt ſerui ad Dominum, ideſt prophetę ad Deū conferat, obſtupeſcet ſuper cœcitate Hæreticorum, qui illa Virginis aſpera eſſe dicunt. Contendit acriter Ieremias cū Deo
Ierem. 12. Deo de illa quæſtione: *Quare via impiorum proſperatur?* lamentatur Helias dicēs:
3. Reg. 17. *Domine Deus meus, etiamnè viduam, apud quam ego vtcumq; ſuſtentor, afflixiſti?* Iraſcitur adeo Ionas, quia Deus exſiccauit
Iona 4. hæderam eius, vt dicat Deo: *benè iraſcor ego vſque ad mortem*, & nihilominus nemo prophetas arguit, Matrem verò Dei, illa amoris plena verba: *quid feciſti nobis ſic?* ad filium, quem amiſerat, proferentem arguunt, & pro maximo peccato reputāt. Bone Deus, quanta impietas, quanta inſania:

Cœterum, iam ad reſponſum Chriſti, quod his verbis præbuit, orationem conuertamus; *quid eſt, quod me, quærebatis? ne-*
Luca 2. *ſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* verba hæc increpatoria minimè eſſe, vt contendunt Hæretici, tum ex Sanctorum Patrum & aliorum Doctorum probata ſententia, tum ratione ex hiſtoria ipſa Euangelica deprompta apertiſſimè commonſtrabo: Cardinalis Toletetus in
Tolet. caput ſecundum Lucæ, paulò ante annotatione octuageſima perdoctè aſſerit, verba hæc non eſſe reprehenſionis, ſed inſtructionis, & conſolationis, & defenſionis cuiuſdam: inſtructionis quidē, quia docet quod factum eſt ab illo, conſilio, & myſterio diuino geſtum eſſe, vt ijs, quæ Patris ſunt, incumberet; quod ſtatim verbis ſequentibus clarius explicat: conſolationis verò, quia cauſam dolendi, & ſollicitè inquirendi non fuiſſe dicit; nec enim quicquam mali ex ijs, quæ ipſi timuerunt, interceſſit in hoc facto: defenſionis autem, quia cauſam illis dolendi, & anxiè quærēdi dediſſe, tacitè negat, quaſi diceret: non ego vobis cauſam huius cruciatus, & inquiſitionis dedi: non enim feci quicquam, propter quod reuera me dolentes quærere debuiſſetis, vos pro amore veſtro, & quia ignorabatis rei myſterium, cauſam vobis miniſtratis. Ex qua egregia expoſitione, prorſus euaneſcit alia Hæreticorum obiectio, dum dicunt: Si non erat cauſa, cur quærerent puerum Ieſum, vt indicant verba Chriſti: *quid eſt, quòd me quærebatis?* vana igitur, & ſuperuacanea fuit inquiſitio illa, & conſequenter vitioſa, & peccaminoſa. Sed inanis, immò, & nulla eſt conſequutio iſta: fieri enim poteſt, vt quiſpiam aliquid faciat, motus aliqua exiſtimatione probabili, quamuis reipſa non exiſtat quod arbitratur: vt ſi quis exiſtimans quendam indigere, miniſtret ei, & conferat eleemoſynam, opus virtutis facit, licet ille, verè non indigeat. Nec caruit laude adoratio illa Ioannis Apoc. 19. Apoc. 19.
quando exiſtimans Deum eſſe, quem videbat, Angelum, vti Deum, adorauit, quouſque fuit admonitus: *ne feceris, conſeruus enim tuus ſum*, &c. Nec vitio ſunt Gen 37.
dandæ lacrymæ Iacob ſuper Ioſeph, quem à beſtia occiſum exiſtimabat, cùm reuera viueret; ſunt & alia multa huiuſmodi exempla. Non ergo reprehendenda fuit Beatæ Virginis ſollicitudo, & inquiſitio, nam rationabiliter exiſtimare potuit, filium ſuum paruulum accomodare ſe voluiſſe ceterorum puerorum naturæ, ſicut in alijs multis fecerat; quo caſu quęrendus, & quidem cum ſollicitudine erat. Exiſtimatio ergo rationabilis, licet res non ita ſe habeat, non tollit actum virtutis.

Deinde hæc eadem verba: *quid eſt, quod me quærebatis?* non eſſe arguentis, ſed myſterium explanantis, ex eo liquidò conſtat, quia nulla cauſa aderar increpandi Virginem: quomodo enim reprehenderet, quod & ritè, & tanto cùm ipſius amore fiebat? Nec verò ſimiles loquendi phraſes deſunt in ſcriptura: ex quibus, omiſſis alijs, duas eiuſdem Chriſti, in

mediũ proferamus. Prima, ſit illa: cùm cõuerſus ad diſcipulos Ioannis ſeipsũ, ſequẽtes, inquit: *quid quæritis?* numquid reprehendit illos, quod eum quærerent? minimè, immo tam gratum id habuit, vt eos ad hoſpitium ſuum inuitarit. Idem pœnitus hic accidiſſe, effectus ipſe demonſtrat; nã ſicut ibi diſcipulos Ioannis amãter ſuſcipit, ita hìc non minore cum amoris ſui declaratione, cũ ijs, quos reprehendere dicitur, *deſcendit Nazareth, & erat ſubditus illis*. Sed addamus aliud exemplum; nam, & illa verba eiuſdem Ieſu ad Magdalenam: *Mulier, quid ploras? quid quæris?* idem planè probant: amoris enim potius, & beneuolentiæ, quam reprehenſionis hæc ſigna ſunt. O quàm facilè ſpiritus hæreticus calumnijs inhians hìc, non vnam, ſed, & alteram Chriſtum calumniandi reperiet occaſionem. Cur enim interrogat, quòd optimè nouerat?

Ioan. 5. *Ioan. 20.*

His expoſitionibus addo aliam informandis moribus ſatis congruam; nimirùm, quod verba illa non fuerunt indignantis, ſed ſapientis magiſtri, nos erudientis, in euangelico negocio, ad quod miſſus erat à Patre cœleſti, non oportere locum eſſe cuiquam auctoritati humanæ. Habet quidem Parentum auctoritas limites ſuos, cui renunciandum eſt, quoties agitur negoçium ſalutis æternæ; par eſt enim, vt humana cedant diuinis, & prius ſit ratio Dei, cui debemus & corpus, & animã, & à cuius benignitate expectamus hæreditatem vitæ immortalis, quàm horum, à quibus iuxta carnem progeniti ſumus, & educati, ſucceſſuri in portionem aliquam facultatum terrenarum. Debemus, & his ſanè plurimum, longè autem plus Deo, cui debemus, & ipſos Parentes. Sic, & poſteà, parùm blandè reſpondit matri, cùm in nuptijs interpellaret de vino; ac materna quadam (vt ſuſpicari poſſent circumſtantes) authoritate miraculum exigeret; quod nonniſi in gloriam Patris erat promendum. Sic durius etiam reſpondit ijs, qui ipſum à concione Euangelica, matris, & cognatorum verbis euocare volebant. *Si ergo propter te Dominus* (inquit Ambroſius) *ſuæ renunciauit matri dicens: quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei? cur tu, Domino tuo cupias anteferri? ſed neque ignorare naturam, neque ſeruire naturæ Dominus iubet, ſed, ita ſeruiræ naturæ, vt venereris authorem, nec à Domino, parentum amore deſciſcas*. Puer Chriſtus vtramque docet, & parentes honorare (nam in hoc loco ſtatim Euangeliſta ait: *& deſcendit cum eis, & erat ſubditus illis*) & illos propter negocium Euãgelij, & propter Patrem relinquere, ideò ait: *quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quibus verbis (vt id obiter dicam) nos monuit, agnoſcendos non eſſe propinquos ſecundum carnem, ſi ſalutem impediant; qui enim amat patrem, aut matrem, pluſquàm Chriſtum, non eſt illo dignus. hinc eſt, quòd D. Hieron. in epiſtola ad Heliodorum ait: *Ecce aduerſarius Chriſtum in pectore tuo conatur occidere. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera, quibus te nutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, & ſiccis oculis ad vexillum Crucis euola: ſolum genus pietatis eſt, in hac re eſſe crudelem*. & poſteà ſubdit: *gladium tenet hoſtis, vt perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? pereant ergo facultates, in obliuionem veniat patria, iraſcantur affines, tumultuētur amici, ac vniuerſus contra nos Mundus conſpiret, ac frendeat, tantùm ne offendatur Deus, non fidei ſinceritas vitietur, animæuè ſalus in diſcrimen adducatur*. Quid plura? Certè ex verbis ipſius Euangeliſtæ, Lucæ cap. 2. nullam culpam imputari poſſe Virgini non obſcurè colligitur, dum ait: *exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter vnius diei*. An, non erat probabilis, iuſtaq; ratio eum non requirendi toto itinere illius diei, cũ eũ in comitatu, & inter cognatos eſſe, vt ſæpè alias, exiſtimarent? Vbi certè non obſcurè monſtraſſe videtur Euangeliſta, parentes omni vacaſſe culpa, cum puerum amiſerunt, ac proinde ad excuſandos illos hoc fortaſſis addidit, quòd eum in comitatu relictum putarent.

Matth. 12. *D. Amb. hic.* *Luca 2.* *D. Hier.* *Luca 2.*

Ad extremum, plures aliæ rationes occurrunt, quas ſilentio pręterire nõ patiar, vt luce ipſa meridiana clarius pateat, verba Chriſti nullam Virginis reprehenſionem continere. Quid enim, vel reprehendat, vel obiurget Mariam, & Ioſephum laude digniſſimos, qui non modò præſentis, ſed abſentis etiam, ac potiſſimum amiſſi pueri rationem, & curam ſingula-

gula-

gularem habuere, quemadmodùm ab ipſis iniuncti à Deo muneris ratio flagitabat? Tunc verò reprehenſione illi meritò digni fuiſſent, ſi in officio ſuo torpentes, maleque ſecuri, omnem quærendi curam, & finem, dolendi affectum eo tempore abieciſſent, nihilque de amiſſo tanto theſauro fuiſſent ſolliciti, quem certe ſummè & amare, & diligentiſſimè cuſtodire, omnibuſque mundi rebus longè anteferre debebant. Adde, quod Chriſti verba ritè perpenſa eoſdem parentes excuſent, omnique culpa liberent, quùm apertè declarent, id, quod factum erat, non ipſorum negligentia, ſed diuinæ prouidentiæ diſpoſitione, ac officij ſui ratione ſic exigente, quam certe ſine culpa ignorabant contigiſſe, quandoquidem ſe ipſe Meſſiam voluerit inſolito nunc modo exhibere. Præterea non erat Chriſtus tam ingratus, vel inhumanus, vt maternam ſimul, & paternam Mariæ, & Ioſeph erga ſe charitatem, grauemque ſollicitudinem ſperneret, ac repudiaret; ſed procul dubio, etiam abſens, quærentes, laborantes, & dolentes illos haud ſine pio quodam compaſſionis affectu ſæpè reſpexit, eoſq; ſuo nomine afflictos ſingulari eſt gratia proſecutus. Deinde, quis vnquam plus debuit ſuæ genitrici, quam Chriſtus matri ſuæ, cùm abſque vllo patre terreſtri, ab ea ſola carnem ſumpſerit? Ipſe igitur, qui non ſolùm author, ſed etiam obſeruator fuit ſanctiſſimæ legis, qua filijs præceptum eſt, vt Parentes omni beneuolentia, ac lenitate, & honore proſequantur, quomodo quæſo parentes negligeret, aut inhonoraret publicè eos reprehendendo? Accedit, quòd ſi hoc loco Chriſtus quicquam obiurgatione, & correctione dignum parentibus apponere voluiſſet, non tam inuolucrè, & obſcurè loqueretur, vt ab ijs ipſis, quos arguebat, non poſſet intelligi, ſicut Lucas *Luc. 2.* factum eſſe deſcribit, ſed reprehenſionem claram, & apertam illis, quos emendatos volebat, pro ſua prudentia, procul dubio expoſuiſſet. Quòd ſi adhuc cuipiam videatur formulla illa verborum, quibus Chriſtus matrem allocutus eſt, duriuſcula, & rigorem quemdam redolens, nobilis Theologus Heſſelius in explicatione ſa- *Heſſelius.* lutationis angelicæ cap. 12. in hunc modum illa interpretatur: *Quod Christus Dominus ſuos parentes, tanquam eis ſuperior, magna cùm authoritate publicè ſit allocutus, vt ceteri, qui illum parentibus eſſe ſubiectum, atque morigerum iam ante nouerant, hinc anſiam arriperent cogitandi, eum ipſum puerum, amplius, quam hominem eſſe ſicq; paulatim ad pleniorem illius notitiam adducerentur, quem in ipſa pueritia tam mirificis ornatum dotibus deprehenderent.* Hæc ille.

Vt tamen in hac parte libera omnino maneat B. Virgo ab hæreticorum cauillis illum omnium fortiſſimum non præteribo quin illum euaneſcere faciam. Nam videtur (inquiunt) manifeſtam Virginis negligentiam, & incuriam ex eo conuinci, quod ſuſtinuerit per integrum diem, (vt ait Euangeliſta (*iter vnius diei*) præſentia pueri Ieſu priuari; maximè cùm ille in ætate tam tenera eſſet, & in itinere extra Patriam, & habitationem propriam, quod vix communes matres ferrent. Ceterùm non eſt difficile hunc nodum ſoluere, nam cum B. Virgo ſub humana Chriſti carne Verbum diuinum, Patris ſapientiam latere firmiſſimè crederet, idcirco eius arbitrio multa relinquebat, ſecura nihil inde præter illius voluntatem euenturum. His etiam accedit conſuetudo illius Regionis vt ex Euangeliſtæ verbis conſtat; comites enim viæ multi erant, & quidam præire, quidam ſequi ſolebant, vſque ad terminum diei, quando conueniebant ad diuertendum in locum quietis: ſolebant etiam paruuli accedere notis, & amicis, aut ſponte, aut ab ipſis tracti. Noluit ergo pijſſima mater negare filio, quod ſuis etiam filijs aliæ matres concedebant, non ex amoris ergam illos tepiditate, ſed potius ex vehementia, nolentes eorum votis contradicere. His de cauſis B. Virgo integro die à filio abfuit, quod non negligentiæ, ſed amori, & reuerentiæ eſt adſcribendum.

Porro, iam accedamus ad Caluini, & aliorum Hereticorum tela infringenda, quę aduerſus irreprehenſibilem Virginem conijciunt, ex illis verbis Matth. 12. *quæ* *Matth. 12.* *eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei:* &c. verba Caluini in harmonia euangelica *Caluini in uerecundia.* hæc ſunt: *non dubium eſt, quin his verbis carpatur Mariæ importunitas, quæ certè prapoſterè curſum doctrinæ eius abrumpere tentabat.* Brentij etiam illa eſt rauca vox homilia 28. in cap. 8. Lucæ: *Mater igitur & co-*

Blaſphemia Brentij. *& cognati Ieſu ambitione ſua tam grauiter peccant, vt etiam palam per Chriſtum pudeſiant.* Putat equidem Brentius Mariam aucupandæ gloriolæ cauſa, iuſſiſſe vocari Ieſum, & inciuiliter interpellaſſe diſputantem. Conſultò miſſam facio inſaniam Marcionis aſſerentis Chriſtum illa verba dixiſſe, vt matrem, & fratres negaret, quia erat velut Melchiſedech abſque patre, & matre, quod acriter impugnat ſanctus Epiphanius hæreſ. 42. necnon D. Hieronymus, & Chryſoſtimus ſuper hunc locum. In primis ergò, multi putant, nuncium illum, qui Chriſtum concionantem interpellauit, minimè fuiſſe à Beata Virgine miſſum; vt enim rectè adnotauit Caniſius lib. 4. de Deipara, cap. 21. potuit internuncius, quiſquis ille fuerit, vel præter, vel contra eius mentem Chriſtum prædicationis tempore importunè interpellaſſe. Cùm ergo ex euangelica lectione, aut traditione aliqua non cõſtet, Mariæ iuſſu, aut ſuaſione id factũ eſſe, fruſtrà, & abſque vlla cauſa Hæretici in Virginem ſtomachantur, importunitatis, & imprudentiæ illam arguentes. quòd ſi demus, Virginem nuncium illum miſiſſe. egregiè eam ab omni culpa immunem probat inſignis theologus Heſſelius in explicatione ſalutationis Angelicæ cap. 21. dum ait: *Non ob hoc, eadem Virgo arguenda imprudentiæ eſt, quòd ad filium, cum in Templo prædicaret, foris ſtans miſerit nuncium, qui eum vocaret: non enim cupiuit eum impedire à prædicatione verbi Dei, ſed ei tantùmodo ſignificari voluit, quòd quando ei placeret, ſiue prædicatione finita ei loqui cuperet.* Alij cum Maldonato ſuper cap. 12. Matthæi, opinantur, nuncium illum ab Apoſtolis ſolum miſſum fuiſſe, cùm ipſi, præ multitudine Auditorum, ingredi non potuiſſent. Quod ſi ita contigit, tota hæreticorum calumnia aduerſus Virginem, corruit, cùm ipſa non interpellauerit per ſe, nec per intermedium nuncium, Chriſtum concionantem. Quòd ſi D. Hieronymo vt par eſt credimus in cap. 12. Matthæi, verba illa Chriſti Domini, quæ aſperitatem præſeferre videntur; *quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei?* nulla ratione Chriſtus Dominus direxit ad Virginem, ſed ad nuncium, qui malo animo matrem, & fratres adijſſe renunciauit, vt experiretur, an parentum, & conſanguineorum affectu tangeretur; ideoq́. illi, tanquam inſidiatori aſperè reſpondit. Falluntur ergo, qui verba illa Chriſti Domini in Mariæ detorquent iniuriam.

Marcionis inſania. D. Epiph. D. Hieron. D. Chryſoſt. Caniſius. Heſſelius. Maldonatus. D. Hieron.

Sed iam varia myſteria, quæ in illis latent, ad quæ Chriſtus reſpiciens, ſe protulit, ex Sanctorum Patrum officina detegere incipiamus. D. Gregorius hom. 3. in Euangel. in hunc modum loquitur: *Mater Domini, quaſi non agnoſcitur, foris ſtare perhibetur, quia, videlicet Synagoga idcirco ab Authore ſuo non recognoſcitur, quia legis obſeruationes tenens, ſpiritualem intellectum perdit, & ſeſe ad cuſtodiam literæ foris fixit.* hæc D.Gregorius. Diuus autem Chryſoſtomus homil. 45. myſterium aliud aperit in hæc verba: *Probat Dominus nec matrem, nec fratres ſuos, nec quoſcumque alios ſua fretos neceſſitudine, virtutem negligere oportere. Nam, ſi nullam mater, etiam in quantum mater, vtilitatem conſequitur, niſi virtutem colat, multò minus alij neceſſitudine ſaluabuntur. Vna enim ſola, & vera, communis nobilitas, atque neceſſitudo cum Chriſto eſt, vt voluntatem Dei facias: hic propinquitatis modus multò melior illo eſt, ac vberior. Quæ omnia probè tenentes, ne de filiorum geſtis gloriemur, niſi virtutes eorum imitemur; nec de Parentum nobilitate quicquam nobis arrogemus, niſi probam eorum vitam ſequamur; poteſt quippe, etiam quæ non genuit, mater eſſe, &, quæ genuit, eodem modo non eſſe. Idcirco alibi, cum mulier quædam dixiſſet: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti: non reſpondit: nullus me portauit venter, nec, nulla ipſe vbera ſuxi; ſed: beati, qui faciunt voluntatem Patris mei. Vides, quemadmodum nullibi coniunctionem hanc naturæ hominum negat, ſed addit ſemper quæ à virtutibus eſt.* Ibidem etiam, idem ſanctus Chryſoſtomus aliud arcanum non contemnendum pandit, dum ait: *Nunc verò non tantum honoris matri conferre videtur, quantùm in Cruce pendens contulit, quoniam fratrum, qui nudum hominem illum cenſebant, inanem ambitionem eijcere ſtudebat.* Ac tandem D. Ambroſius ſuper Lucam cap. 8. eadem Chriſti verba exponens, præclarè dicit: *Nec iniurioſè refutantur Parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe, quàm corporum.* & in eun-

D.Greg. D.Chryſoſt. Lucæ 11. D. Chryſoſt. D. Ambroſ.

in eundem locum hæc, quæ ſequuntur, ſapienter adiunxit: *Moralis magiſter, qui ſe ceteris prabet exemplum, atque ipſe præceptor, ipſe etiam ſuorum executor eſt præceptorum; præſcripturus enim ceteris, quoniam, qui non reliquerit Patrem, aut matrem ſuam, non eſt filio Dei dignus, ſententiæ huic primus ipſe ſe ſubiecit; non quòd maternæ refutet pietatis obſequia, ipſius enim præceptum eſt: qui non honorauerit patrem, & matrem, morte moriatur: ſed quia paternis ſe miniſterijs, amplius, quàm maternis affectibus debere cognoſcat*. His accedunt quæ perdoctè, & eruditè ſcripſit Abbas Guaricus diſcipulus Diui Bernardi, ſermone 4. de Aſſumpt. Mariæ, qui tantum abeſt, vt putet Chriſtum Dominum matrem increpaſſe illis verbis: *quæ eſt mater mea*, vt potius dicat, duplici honore illam cohoneſtaſſe; verba eius ſunt hæc: *Itaque Mariam, quæ ſecundum carnem mater erat, alia quoque ratione matrem ſibi Ieſus probat, quandoquidem, & ipſa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipſa prædiceret Pater: vocaberis voluntas mea: igitur, vbi eam viſus eſt ignoraſſe filius, ibi amplius honoraſſe inuenitur, dum ei ſcilicet materni nominis bonos duplicatur pro eo, quòd eundem filium, quem aluo geſtauerat incarnatum, etiam nunc animo geſtabat inſpiratum*. hæc ille.

D. Ambroſ.

Abb. Guar.

Verum, non contenti Hæretici, quòd tentarint, peccati macula voluntatem Virginis labefactare, intellectum etiam eius erroris, & ignorantiæ næuo obſcurare, & obnubilare ſatagunt, temere effutientes, manifeſto errore laboraſſe, dum exiſtimauit filium eſſe in comitatu (vt ait Euangeliſta) *& tamen non erat ibi*. Deinde aiunt, ignorantem fuiſſe, cum non intellexerit verba Chriſti Domini, Euangeliſta dicente: *& non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos*. Ita affirmarunt Nouatores, Luther ſuper Dominicam primam poſt Epiphaniam, Pelicanus, Culmanus, & alij in cap. 2. Lucæ, immo Loſſius in annotationibus in Lucam cap. 20. & Brentius homil. 2. in Lucam non veretur dicere, *Chriſti parentes propter carnalem imaginationẽ de Regno temporali Meſſiæ, verbum Domini non intellexerunt; expectabant enim in Ieſu, non doctum quendã Rabynum, ſed illuſtrem in hoc ſæculo Regẽ*.

Luc. 2.

Luther, Culmans, Loſſij, & Brentij tur piſſima deliria

Eodẽ errore tenetur Dominica prima poſt Epiph. Spangembergius, inuerecundè affirmans, Chriſti parentes rerum ſacrarum adeo ignaros fuiſſe, vt putarent, illum futurum velut potentem, & pompaticum Regem Iſrael; ſic enim loquitur: *Inter expeditos exercitus arma tractaturum, non autem Scripturæ doctorem, vel magiſtrum in Iſrael euaſurum eſſe, putabant*. Verum omiſſo hoc impudentiſſimo delyrio; nam, cùm Angeli plura Mariæ, & Ioſeph de Conceptione Chriſti Domini, de impoſitione nominis, ac de eius Regno ſpirituali prædixiſſent, & maximè illud. *Ipſe enim ſaluum faciet Populum ſuum à peccatis eorum*: apertiſſimè inde conſtat, non potuiſſe in mẽtem eorum hanc erroneam cogitationẽ de pompatico Chriſti regno incidere. Tranſeo ad errorem, ſeu falſam exiſtimationem, quam Virgini imponunt ex eo, quòd putauerit Chriſtum eſſe in comitatu, cùm reuera non eſſet: ipſi certè toto cælo errant, quia nulla ratione dici poteſt errare, aut decipi quiſpiam, qui probabilibus rationibus ductus, iudicat veroſimile eſſe, aliquid, ſic, vel ſic contingere. Beata autem Virgo putans Chriſtũ eſſe in comitatu ex probabilibus coniecturis, reuera non errabat, quia non iudicabat per firmum, & indubitatum aſſenſum, Chriſtum ibi exiſtere; ſed veroſimile ſibi videri, quòd ibi adeſſet. Etenim, cùm Beata Virgo haberet plenum dominium ſuarum potentiarum, ſummamq́. prudentiam, abſque vllo inordinato motu, facile poterat nunquam definitè iudicare de rebus incertis; ſed, vel ſuſpendere, vel iudicare, hoc eſſe probabile, aut veroſimile; quo etiam modo ipſi etiam beati de his rebus, quas certè non norunt, niſi diuina reuelatione inſtruantur, iudicium ferunt abſque vlla prorſus deceptione; quos quidem in hac perfectione imitata eſt Beata Virgo, iudicans in re illa incerta veroſimile eſſe, quòd Chriſtus exiſteret in comitatu. Vnde miror valde, noſtrum Cordubenſẽm, alioquin virum doctiſſimum lib. 1. ſui quæſtionarij, quæſt. 46. dicere, Beatam Virginem tunc fuiſſe deceptam; melius certè loquuntur, (vt tantæ matri debitum eſt) alij Doctores; nam antiquus Theologus Maior, in cap. 2. Lucæ, inquit: *Altius rimanti viſum eſt abſonum à vera pietate, admittere, vllum errorem*

Spangembergij Hæreſis.

Luc. 1.

Corduba.

Maior.

rorem etiam ſpeculatiuum in Dei Genitricem cadere. huius veſtigia ſequens Medina. Primarius Salmanticenſis Med. 3. par. q. 30. *quod ex ea*, ait, *eſſe Meſſias naſciturus, omnino ignorabat, immo, quidam dicunt, quòd ex humilitate exiſtimabat oppoſitum; quibus ego non aſſentior, nam exiſtimo, quòd nunquam habuit aſſenſum erroneum, & fallacem, ſicut nunquam habuit actum inordinatum appetitus, aut voluntatis*. Quod ſanè ita fuiſſe ex eo facilè mihi perD. Thom. ſuadeo, quia, vt docent S. Thom. 1. p. quæſt. 94. art. 4. & de veritate, quæſt. 16. D. Bonauent. ar. 6. & D. Bonauentura 2. d. 23. quæſt. 2. Durandus. Durandus, & alij Theologi ibi: primi Parentes in ſtatu Innocentiæ permanentes non potuerunt decipi, vt apertè tradit D. D. Auguſt. Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. dum ait: *Approbare vera pro falſis, non eſt natura inſtituti hominis, ſed damnati*. Igitur, cum hæc perfectio daretur primis Parentibus, non eſt credendum illa caruiſſe maD. Bernard. trem Dei, iuxta ſantentiam Diui Bernardi epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes: *quod alijs licet paucis, fuit datum, non creditur, Mariæ fuiſſe denegatum*. Deinde, quia, qui Beatam Virginem credunt originalis peccati labem non contraxiſſe, ex conſequenti credere debent, omnem errorem, & deceptionem longè ab ea relegandam, cùm hæc ſit pœna peccati originalis, non alteri meritò infligenda, quàm contrahentibus illud. Nec iuuat reſpondere, quòd, ſi firma eſſet hæc ratio, neque deberet ſuſtinere mortem, quia etiam mors corporalis data eſt in pœnam peccati, per quod illa intrauit in Orbem Terrarum; nam mors ſecuta eſt in Virgine non, vt pœna peccati originalis, quod nũquam contraxit, ſed ex conditione naturæ humanæ, quæ diuinitus non præſeruata, ad corruptionem tendit. Concludo, dicens, in Beata Virgine non fuiſſe vnquã errorem poſitiuum præuiæ diſpoſitionis, nec ignorantiam priuatiuam, quæ importat carentiam alicuius cognitionis debitæ ſuo ſtatui, ſed ſolùm purè negatiuam (vt loquuntur Theologi) quia cum non omnia ſciret, proficiebat ſemper, in ſcientia, & ex inſcia, conſcia fiebat amplius, & amplius diuinorum arcanorum.

Denique, iam ſolum reſtat, vt expoſiLuca 2. tioni illorum verborum: *Ipſi non intellexerunt ea, quæ locutus eſt Dominus ad eos*, calamum admoueamus. Quidam moderniores volunt, verba illa, per Synecdochen, intelligenda eſſe, accipiendo partem pro toto; vt ſcilicet pluraliter dicatur de multis, quod in aliquo tantum accidit, ſicut, dicuntur, latrones blaſpemaſſe Chriſtum, quamuis bonus latro non blaſphemaret; ſic autumant, dici ab Euangeliſta: *Ipſi non intellexerunt*. quia Ioſeph, quæ Luca 2. dicebantur, non intellexit. Alij affirmant, verba illa, non eſſe referenda ad Virginem, & ad Ioſeph, ſed ad Auditores illos, de quibus paulò antè D. Lucas dixerat, *quòd ſtupebant ſuper prudentia, & reſponſis* Luca 2. *eius*. quos, ait, non intellexiſſe quæ dicta fuerant Virgini, & Ioſepho à Chriſto Domino. Alij interpretantur, quòd licèt reuera Beata Virgo, & Ioſeph non intellexerint verba illa Chriſti Domini; id tamen non fuit ex ignorantia, aut ex defectu cognitionis ſupernaturalium myſteriorum, ſed quia, vel vehementi ſollicitudine inauditi, noui, & inopinati ſpectaculi admiratione perculſi; vel certe exuberanti lætitia, & gaudio, ob inuentam margaritam, abſorti, ad verba, quæ Chriſtus protulit, non attenderunt. Alij, cum Euthymio ſuper cap. 2. Lucæ, verbum Euthym. *non intellexerunt*, putant, nihil aliud ſignificare, quàm, quòd non intellexerint, quòd Templum, rem Patris ſui appellaſſet. Rupertus vero cum alijs lib. 2. in Can- Rupertus. tica diuerſam omnino viam ingrediens, in principio duo ſupputat Mariæ tempora: vnum tacendi, dum Chriſtus in terris docebat, alterum loquendi poſt Chriſti Aſcenſionem in cælo. Hoc ſuppoſito, docet Rupertus, quòd Beata Virgo, inſtar aliorum, pro ignorante ſe geſſerit, agnitumq; myſterium celauerit, vt ſuo tempore illud manifeſtaret; hoc enim eodem modo Chriſtus dicitur ignorare diem Iudicij, non quia illum non agnoſcat, ſed quia non agnoſcat ad detegendum: poteſtq; hæc expoſitio non leuiter confirmari ex verbis D. Bernardi homilia 4. ſuper D. Bernard. *miſſus*, qui loquens de eximia Virginis ſcientia, docet, illam per Angelum, priuſquam ab vllo homine traditũ eſſet Euangelium, omnia accepiſſe; *ne Mater Dei à conſilijs filij videretur amota, & eorum, quæ in Terris tam probè gererentur, remanſiſſet ignara*. Ego verò aliorum Doctorum expoſitionem ſequens, arbitror, Beatam Virgi-

Virginem, & Ioſephum planè intellexiſſe, Chriſtum Dominum locutum fuiſſe de Patre ſuo æterno, cuius negocia dicebat ſe agere oportere; nec enim id poſt Angelos, poſt Paſtores, poſt Magos, poſt Symeones, poſt Annas, poterant ignorare Chriſti parentes: ſed myſterium, nimirum Verbi non intellexerunt, quæ eſſent negocia illa Patris ipſius, quæ vocabat: vt homines primum doceret, deinde pro illis moreretur. Itaque dicuntur, non intellexiſſe Chriſti verba, quia non ſatis comprehenderunt, quænam eſſent res illæ ad æternum Patrem pertinentes, in quibus Chriſtum occupari, & propter eas Parentes ſuos relinquere oportuerat; vel etiam, quia, non intellexerunt, an ſignificare voluerit Chriſtus appropinquaſſe iam tempus manifeſtandi ſeipſum Mundo, & incboandi humanam redemptionem, vt notauit Ianſenius ad cap. vndecimũ concordiæ. Sed poſſet quiſpiam meritò interrogare: vt quid ergo Chriſtus Dominus verba illa protulit, quę alioquin præcognouerat, nec à circumſtantibus, neque à Ioſepho, neque ab ipſa Beata Virgine fore intelligenda? *Ipſi non intellexerunt quæ locutus eſt ad eos.* Spiritus ſanctus enim dicit: *Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem.* Superuacanea ne verba proferre potuit ſapientia Patris? minimè certè: illud ergo ſacrum arcanum arbitror in illis verbis latere, quòd per illa docere voluit Chriſtus Dominus, diuini verbi præcones, ac Euangelicæ doctrinæ magiſtros nefas eſſe, nolle proponere ſublimia myſteria Auditoribus, prætextu incapacitatis eorum, tum quia inter multos, forſan vnus adeſt, qui illa percipere valeat: tum quia, quæ nunc auditores non percipiunt, poſtea tractu temporis percipere valent, maximè ſi eadem ſibi repetantur: quemadmodum enim bonus agricola ſurculum inſerit arbori, & grana frumenti ſeminat, licèt non ſtatim colligat fructus, ſed aliquandiu expectet, certò ſperans ſe illum collecturum. Ad eundem modum ſeminauit Chriſtus verbum ſuum, quod eſt, ſemen Dei, in cordibus Hominum, & quamuis multi illud non conſeruarint in agro cordis ſui, de Beata tamen Virgine audis: *& mater eius conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Non ergo in vanum Chriſti lingua illa protulit verba, cùm, & Beata Virgo illa conſeruarit, & perfectè poſtea agnouerit; ac Eccleſiæ Catholicæ ad illa ſcrutanda, & ex ęis varia documẽta eruenda propoſuerit, prout Sancti Patres à me citati illa ſapienter eruerunt.

Ianſenius. *Eccleſ. 32.* *Lucæ 2.*

Atque ex omnibus à me dictis in hoc diſcurſu, arbitror, me ſi non pro dignitate rei, ſaltem pro viribus, quamquam exiguis, innocentiam Immaculatiſsimæ Virginis ab Hereticorum importuniſſimis conuicijs vindicaſſe: Sacrorum Conciliorum veſtigia in hoc ſequutum; nam quatuor prima Concilia generalia (quod ſingulari obſeruatione dignum iudico ad Virginis commendationem) quibus, magnus Gregorius, velut quatuor Euangelijs, venerationem exhiberi vult, inter alia hæc præcipuè præſtiterunt. Primum Nicœnum, honorem filij, & conſequenter honorem etiam Patris contra Arium defendiſſe perhibetur; Secundum, ſcilicet, Conſtantinopolitanum, diuinitatem Spiritus ſancti ſtatuiſſe, contra Macædonium nouimus; Tertium ſcilicet, Ephæſinum, ad tuendam Matris Dei dignitatem contra Neſtorium eſſe congregatum, nemo eſt, qui ignoret, in quo tam multa ſunt dicta de Laudibus ſanctitatis, & puritatis Virginis, vt vix aliquid addi poſſe videatur; quæ poſtea in quarto Concilio Calcædonenſi, & in quinta, & ſexta Synodo, atque in ceteris, vſque ad Tridentinum confirmata ſunt, vbi definitur, nulla actualis peccati labe vnquam Dei Matrem inquinatam fuiſſe. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ho-

Homilia XIV.

Mirabile ſuæ prudentiæ ſpecimen oſtendiſſe Beatam Virginem dum verba, & geſta Chriſti Domini in pectore ſuo recondebat, in illa verba: Mater autem conſeruabat omnia verba hæc: *quæ iuxta Sanctorum Patrum, & aliorum interpretum ſententiam multifariam explicantur.*

IN varias video abire ſententias ſacrarum literarum interpretes in elucidatione horum verborũ: *Mater autem conſeruabat omnia verba hęc in corde ſuo:* (*Luca 2.*) Nam Titus Boſtrenſis Epiſcopus (*Titus Boſt.*) refert hæc verba non tantùm ad ea, quæ dixerat tunc Chriſtus; ſed etiam ad præterita, quę ab Angelis, Paſtoribus, Symeone, & Anna audierat. *hæc omnia* (inquit) *B. Virgo conſeruabat in corde ſuo, & inter ſe illa conferebat.* (*Euthym.*) At Euthymius opinatur non eſſe referenda hæc verba ad omnia præcedentia, ſed ad proxima, nimirum, ad verba, quæ Chriſtus Dominus protulerat: *quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* (*Toletus.*) Cardinalis verò Toletus in commentario huius loci annotat. 85. arbitratur, referenda eſſe non ſolùm ad proxima verba (vt Euthymius docet) ſed etiam ad facta, vt, quòd remanſerit ſolus in Ieruſalem, quòd inter Doctores fuerit repertus; &, quòd deſcenderit cum Parentibus, eorum imperio obediens. Neque huic intelligentiæ quicquam obſtat, quòd Euangeliſta dixerit, quòd mater conſeruabat verba, non verò aſſerat, conſeruaſſe facta; quia ſatis vſitatum eſt in ſacra ſcriptura, *verbi*, nomine non ſolùm dicta, ſed etiam facta ſignificari, etenim 2. Reg. c. 1. (*2. Reg. 1.*) legitur: *Quod eſt verbum, quod factum eſt? indica mihi*, & 1. Reg. 3. *Ecce ego faciam verbum in Iſrael.* & 3. Reg. 3. *quia poſtulaſti verbum hoc.* Vnde; & in hoc ſenſu Euthymius in cap. 2. Lucæ explicat illud; (*Euthym.*) *Videamus hoc verbum quod factum eſt.* hoc eſt, mirabile hoc opus natalis Chriſti in Bethlehem. Atque hæc videtur mihi germanior intelligentia horum verborum: conſeruabat igitur B. Virgo in pectore ſuo tam verba, quàm facta filij ſui, non enim cor eius erat inſtar cordis hominis ſtulti, de quo Eccleſiaſt. 21. dixerat: (*Eccl. 21.*) *Cor fatui, quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* ſed inſtar illorum, de quibus Chriſtus Dominus dixit: *Beati, qui audiunt verbũ Dei, & cuſtodiũt illud.* (*Luc. 11.*) Quamuis autẽ hoc loco ſacer Euangeliſta reticeat, quòd B. Virgo cõferebat ea, quæ conſeruabat in corde, iam idipſum paulò ante dixerat eodem cap. 2. *Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* (*Luc. 2.*) Quæ autem eſſent extrema huius collationis, non eſt vna omnium ſententia. Euthymius ait, quòd conferebat ſequentia cum præcedentibus, magnam omnium ad Incarnationis myſterij confirmationẽ, fidem, & conſenſionem animaduertens. (*Euthymius.*) Diuus vero Bernardus, ſerm. ſuper *ſignum magnum*, & Theophylactus, omnia, quæ dicta, & operata ſunt: (*D. Bern.* *Theophil.*) ſalutationem angelicam, conceptum ſine viro, partum ſine dolore, Paſtorum aduentum, Regum adorationem, fugam in Aegyptum, diſputationem in Templo, & ſimilia, putant B. Virginem in corde ſuo contuliſſe; & miram eorum cohærentiam, & conſonantiã penetraſſe. Venerabilis autem Beda (*Beda hic.*) aliam viam ingreſſus, cùm veteribus Prophetarum vaticinijs Mariam quæ loquebantur, & fiebant, contuliſſe docet in hæc verba: *Quia ſanctas ſcripturas legerat, & ſciebat Prophetas, conferebat ea, quæ ſecum ſunt acta de Domino, cum his, quæ nouerat à Prophetis ſcripta de Domino, & collata ad inuicem; cognouit, inſtar cæleſtiũ Chærubim ſocia ſui vultus luce, concordia.* (*Apoc. 12.*) *Dixerat enim Gabriel: Ecce concipies in vtero, & paries filium. prædixerat Iſaias: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. prædixerat Micheas, filias Syon in turre gregis aduenturas, & poteſtatem primam tũc eſſe venturam. Dicebant Paſtores ſupernæ, ſcilicet Ciuitatis, in turre gregis apparuiſſe cohortes, quæ natum canerent. Chri-* (*Luc. 1.* *Iſai. 2.* *Mich. 48.* *Luca 1. 31.* *cap. 7. 14.*)

ſtum,

ſtum legerat Maria : bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſa. 1. 3. *Videbat præſepe, Dei filium vagientem, qui homines ſaluat, ac iumneta; & in his ſingulis, atque huiuſmodi conferebat quæ legerat, & comparabat his, quæ audiebat, & videbat.* hactenus Beda. Ecce igitur, erant duo illa teſtaměta vetus, & nouum, velut Cantica quædam ſuauiſſimo concentu Chriſtum annunciantia, & quaſi duo Seraphin alternis vocibus ſibi inuicem reſpondentes, & clamantes: Sanctus, ſanctus, clamantes (inquam) inſtar echo; nam quicquid nouum teſtamentum clarà, apertaque voce proclamat, vetus ex reconditiſſimis antiquitatis cauernis non claro, & articulato, ſed rauco, & confuſo ſono promit. Beata igitur Virgo, vetuſta cum nouis inter ſe conferebat, vt non immeritò dicere poſſet illud ſponſæ: Cant. 7. *Omnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi, dilecte mi.* Vnde, ſicut antiqui Prophetæ, ex his, quæ ſibi in vniuerſali reuelabantur, particularia quædam ſpeciali diligentia colligebant iuxta illud 1. Petr. 1. 1. Pet. 1. *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes, in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti.* ita Beata Virgo, inſtar ſacri animantis, ruminabat diligenter, & ſcrutabatur religioſè dicta, & facta Chriſti Domini, immo, & quæ circa illum ab alijs dicebantur, & agebantur, adeò vt Beda Beda. dixerit in cap. 2. Lucæ. *Virgo autem, quæ intellexit, ſeu quæ necdum intelligere verba Euangelij potuit, omnia ſuo pariter in corde ruminanda, & diligentius ſcrutanda recondebat.* Atque hinc eſt, appoſite D. Ambroſ. ſatis D. Ambroſium ſerm. 81. Mariam, arcæ fœderis comparaſſe. *Arca,* inquit, *intrinſecus portabat teſtaměti tabulas, Maria autem, ipſius teſtamenti geſtabat hæredem: illa intra ſemetipſam, legem, hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Arca intus foriſq; auri nitore radiabat, ſancta Maria intus, foriſque virginitatis ſplendore fulgebat.* Ac rurſus Mariam celebrat, quæ non minus ore pudica, quàm corpore, ſecreta, quæ nouerat, nulli diuulgarit, ſed tacito corde perueſtigarit; congruum nempè tempus, quo hæc Deus propalari vellet, reuerenter expectans, vt etiam obſeruauit Lyranus. Lyranus in eum locum. O præclarum exemplum Euangelici pectoris diuinas opes tã tam prudenter cuſtodientis. Non eſt Maria otioſa ſpectatrix, vel negligens auditrix eorum, quæ ſeſe paſſim offerebant, ſed ſedula meditatrix, & obſeruatrix, vt ſacro, & arcano cordis ſui ſcrinio illa diuinæ diſpenſationis opera commendaret, commendataq; retineret, ne vnquam effluerent; nec enim ſibi tantum, ſed, & alijs mater prouida inſeruiebat, & precioſum pararet theſaurum oportunè aliquando depromendum, multiſq; vtiliſſimè communicandum, vt adnotarũt præcitati patres; vnde & Zacchar Chryſopolit. in Monoteſſaron, hæc ait: Zacchar Chryſopolit. *Omnia, quæ de Domino, vel à Domino dicta, vel facta cognouit, ſiue intellecta, ſiue non intellecta in memoriã recondebat, vt tempore ſuo vniuerſa, prout geſta erant, intelligeret, & quærentibus explicaret.* Euſebius. Euſeb. autem Emiſſænus, in homil. huius myſterij: *Niſi enim,* inquit, *ipſa conſeruaſſet, nõ ea haberemus; de eius namq; theſauris nos iſta accepimus: quæ enim de Chriſti pueritia legũtur, à ſanctiſſima Virgine accepta leguntur: quæ non modo verba iſta, ſed, & Paſtorum, Magorum, Symeonis, & Annæ in corde condidiſſe dicitur, nimirum, quæ aliquãdo reuelaret.* Hinc, & Ignatius ad eam ſcribit, vt Apoſtolorũ doctricẽ, quę (vt habet Hieron. orat. de Aſſumpt. D. Hieron. vel Sophronius. Virginis) multa cum illis contulerit, & eos de his, quæ nec viderant, nec audierant, informarit. & quidem, ſi beati ſunt, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud; beatiſſima eſt Virgo, quæ tantũ nobis theſaurum recondidit, quem in omnium ædificationem profunderet. Ita Danieli dictum eſt, cap. 12. *Tu autẽ claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum.* Hinc Eccleſ. 8. *Tempus ad reſponſionem cor ſapientis intelligit.* Daniel 2. Sic Marc. 9. Diſcipuli qui Chriſtum transfiguratũ viderant, & verbũ Patris audierant, continuerunt verbum illud apud ſe, donec ſcilicet, quæ acceperant, quaſi fidei ſymbola, mutuò conferrẽt, iuxta illud Pauli ad Gal. 2. Ad Galat. 2. *Contuli cũ Apoſtolis euangelium, quod prædico in Gentibus.* Bed. tom. 7. in homil. hyemal. de tẽp. Beda. *Imitemur & nos, fratres, mei, piam Domini matrem, ipſi quoque omnia verba, & facta Domini, ac Saluatoris noſtri fixè in corde conſeruando, horũ meditatione diurna, & nocturna importunos inanium, nocentiumq; cogitationum repellamus incurſus; horum crebra collatione & nos, &*

proximos noſtros à ſabulis ſuperuacuis, & à
detractionum colloquijs caſtigare, atque ad
diuinæ frequentiã laudis accẽdere curemus.
D.Greg. Pap. Greg.Pap.lib.16. motal.in Iob c.17. iſtud
Iob. 23. comparat cum eo, quod dixit Iob cap.23.
Et in ſinu meo abſcondi verba oris eius. In
ſinu enim cordis verba Dei abſcondimus,
(inquit)*quando mandata illius, non tranſi-*
toriè, ſed implenda opere audimus: Hinc eſt,
quod de ipſa matre Virgine ſcriptũ eſt: Ma-
ria autem conſeruabat omnia verba hæc cõ-
ferens in corde ſuo.

Sed ad Virginem rediens, inter alia non
pauca præconia, quibus dignam ſe præbuit
B.Virgo, dum conſeruabat verba, & geſta
Chriſti Domini in corde ſuo, ob inſignem
præcipuè prudentiam, quam in hoc facto
oſtẽtauit ſingulari cõmendatione à nobis
exaltari promeretur. Quare, ad illã mani-
Luca 2. feſtandam, cõſulto D.Lucas bis illa verba
protulit in eodẽ cap.2. conſultò etiam, cũ
alioquin multa alia in plurali de Maria pa
riter, & Ioſepho dixiſſet, vt, quòd Chriſtũ
ambo quæſiſſent, ambo dolẽtes eſſent, am-
bo admirati fuiſſent; quòd tñ verba Chri-
ſti corde ſuo ſeruauerit, ſoli Mariæ in ſin-
Luca 2. gulari tribuit: *Mater eius conſeruabat oĩa*
verba hæc in corde ſuo. Quo, duo ſine dubio
ſignificare voluit Euãgeliſta, tũ excellẽtiſ-
ſimã eius fidem de diuinitate Chriſti ſuper
Origenes. reliquos oẽs, vt hoc loco adnotauit Orige-
nes dicens: *Plus aliquid, quã de homine ſu-*
ſpicabatur. vnde & cuſtodiebat omnia ver-
ba eius in corde ſuo, nõ quaſi pueri, qui duo-
decim eſſet annorum, ſed eius, qui de Spiritu
ſancto conceptus fuerat. Tùm etiã ad deno-
tandã ſingularem Virginis prudentiã, quæ
tametſi nonnulla nõ intellexerit, vt ait D.
Luca 2. Lucas: *& non intellexerunt quæ locutus eſt*
ad illos; quia tamen non ignorabat, omnia
verba, quæ ex ore Chriſti effluebãt, &, quę
ab alijs in eius laudẽ dicebantur, margari-
tas eſſe, & precioſiſſimas gemmas, omnia
colligebat, opportuno tempore non parum
profutura ſperans, quando ſcilicet, ſingula
ſacris Scriptoribus, ipſa reſeratura foret, vt
D. Bernard. homil. 4. adnotauit D.Bern. *Ne Mater*, inquit, *à cõ-*
ſilijs videretur amota, ſi eorum, quæ in Ter-
ris tã probe geruntur, remanſiſſet ignara, re-
rũ tempus, & ordinẽ tenens, ipſa melius poſt-
modũ Scriptoribus, ac Prædicatoribus Euan
gelij, reſeraret veritatẽ. Vt enim tradit B.
B Brig. lib.6. Reuelat. c.58. Brig. Chriſtus Dominus adhuc etiam puer
in priuato, ac domeſtico cum Matre cõtu-
bernio, multa arcana illi abſcondita ape-
riebat; quod nõ ſolùm feciſſe putandũ eſt,
vt eã magis illuminaret, ſed vt aliorũ etiã
ipſa eſſet illuminatrix, prout nomen, *Ma-*
riæ, pręſefert, quod, *Illuminatrix*, interpre-
tatur. Atq; in hac diligentia, quã in cõſer-
uandis Chriſti Domini verbis exhibuit B.
Virgo, feciſſe mihi videtur iuxta morẽ eo-
rum, qui arborum fructus, ne marceſcant,
& pereant, prudẽter ſaccharo decoquunt,
vt ſic facile illos per longum tempus con-
ſeruent. Non ſecus quidẽ B.Virgo, ne ver-
ba Chriſti, quæ fructus erant veræ arboris
vitæ, perirent, aſſiduæ ſuæ ac dulcis medi-
tationis ſaccharo, prudẽter illa decoque-
bat, vt ſic in pyxide cordis ſui ea nobis cõ-
ſeruaret. *Maria autem conſeruabat omnia* Luc.2.
verba hæc. Hanc ſingularem prudentiam,
qua Virgo in huc & in alijs ſuis actionibus
mirificè præfulſit, varijs metaphoris illu-
ſtrauit ſponſus in ſuo epythalamio; nã c.6.
ad Virginem, dixit: *Naſus tuus, ſicut turris* Cantic. 6.
Lybani, quæ reſpicit cõtra Damaſcum. Cla-
re patet, ſermonẽ hìc non eſſe de corporeo
naſo ſponſæ, nã vice laudis, naſutæ oppro-
brio illam afficeret; quare, ſupponendum
eſt, nomine, *naſi*, prudentiã, ſeu donum di-
ſcretionis ſignificari: nã ſicut naſus odores
à fætoribus longè diſcernit, ita prudentia,
& diſcretionis donũ, ſagaciſſimè etiã à lon
gè malum à bono diſcernere norunt. Vnde
D.Bern. ait: *Diſcretio, quædam moderatrix* D.Bern ſerm. 49. in Cant.
eſt, & auriga virtutum, ordinatrixq; affe-
ctuum, & morũ ductrix; tolle hãc, & virtus,
vitium erit; ipſaq; affectio naturalis in per-
turbationẽ magis cõuertetur, & exterminiũ
naturæ. Vt ergo ſponſus ſignificaret, pru-
dentiã, & diſcretionem valde in B.Virgine
vigere, dixit: *Naſus tuus ſicut turris Lyba-*
ni, quæ reſpicit contra Damaſcũ. Et quidem
in primis, ſicut magna eſt turris pulchritu-
do, & rectitudo, vt neq; in illam partẽ de-
flectat, ſed quod adamuſſim, & per pendi-
culũ facta ſit, ita diſcretio B. Virginis eam
rectitudinem ſemper habuit, quæ ad obe-
dientiæ regulã, & normam continuò eſſet
directa. Nouerat bene hanc doctrinã Caſ- D. Caſsian. lib coll. 2. cap. 10.
ſianus, cũ dixit: *Vera diſcretio non niſi vera*
humilitate cõquiritur, cuius humilitatis hæc
erit prima probatio; qui vniuerſa, nõ ſolũ quę
agenda ſunt, ſed etiã, quæ cogitãtur, ſeniorũ
ſcrutentur examine, vt nihil quis ſuo iudicio
credens, illorũ per omnia definitionibus ac-
quieſcat, & quid, bonum, vel malum debeat
iudicare, eorũ traditione cognoſcat. Diſcre-
tio, quæ hac rectitudinis conditione ca-

tuc-

Digitized by Google

ruerit, nedum haud laudabilis, ſed, vt maximè damnabilis reputatur à Patribus. Celebratur autem diſcretio, & prudentia Virginis ex eminentia quoq; ſeu celſitudine, quia, ſicut naſus præeminet vniuerſis membris, & ſicut turris reliquis ædificijs, ita B. Virginis diſcretio, & prudentia, diſcretioni, & prudentiæ omnium ſanctorum ſuperior extitit. Vnde, ſicut olim Hebræi ad inſignem illam fœminam, Deboram, tanquam, ad oraculum, in rebus arduis confugiebant, non ſecus Apoſtoli ad beatam Virginem, tanquam ad inſignem magiſtram, & doctricem, vt in obſcuris illuminarentur, & in dubijs edocerentur, frequenter confluebant, vt ex D. Bernardo ſupra oſtendi. Deinde commendatur diſcretio Virginis, quòd ſicut exiſtens in erecta turri, quæ inferius fiunt, dijudicat, & inimicos ab amicis diſcernit, ita B. Virginis diſcretio lupos agnina pelle indutos ab agnis ouilis, cuius Paſtor, Dominus erat, facillimè diſcernebat; quod enim multis ſanctis conceſſum fuit ad tempus, vt intima cordium aliorum penetrarent, id poſt Chriſti conceptionem per totum vitæ ſuæ tempus Virgini fuiſſe denegatum, veroſimile mihi non eſt. Tandem beatæ Virginis diſcretio eo præſertim extollitur encomio, quòd ſicut turris in altum erecta formidare compellit hoſtes, ita B. Virginis diſcretio hoſtibus humani generis metum incutit; hac enim ratione ſpecialiter comparauit illam ſponſus turri Lybani, quæ reſpiciebat contra Damaſcum, nam, vt interpretes huius loci adnotant, turris illa ædificata erat ad excubias faciendas contra Damaſcenos, & Syrios, quæ è Damaſco totius Syriæ capite Iudæam infeſtabant, vt non obſcurè etiam colligitur ex lib. 4. Reg. c. 24. Nomine autem, Damaſci, Dœmones aptè intelligi ex eo apertè conſtat, quod Damaſcus, interpretatur: *ſanguinis potus:* vel vt alij volunt, *ſanguinis poculum*; et autem manifeſtum Dœmones animarum noſtrarum ſanguinis ſitientiſſimos eſſe, adeò, vt Iob diceret: *Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.* Nec id, quod, tanquam difficile, & arduum propter nimiam dœmonis inſolentiam, propoſuit Deus Iob, dicens: *numquid illudes ei, quaſi auis, aut ligabis eum Ancillis tuis?* quaſi diceret: minimè id poteris, id tamen reuera potuit illa vna Ancilla, quæ dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum:* illa enim non ſolùm compeſcuit dœmonem, & illum alligauit ſed & caput eius, ad maiorem Chriſti gloriam, contriuit. Qui cum Patre, &c.

Iudic. 4. Cant. 7. 4. Reg. 24. Iob 40. Iob 40. Luc. 1.

Homilia XV.

Agitur de obedientia, & gratitudine, quam præſtare debent Parentibus filij, ad exemplum Chriſti Domini, qui matri ſuæ, & obedientiſſimus, & gratiſſimus ſemper extitit; in illa verba: Et erat ſubditus illis.

Luc. 2.

TAnquam inauditum portentum referunt diuina eloquia, ſolare aſtrum obediens fuiſſe imperio Ioſuè, itaut illo iubente, ne curſum ſuũ vltra perageret, continuò immotus perſtiterit. *Sol contra Gabaonem ne mouearis & Luna contra vallem Ayalon: ſteteruntq; Sol, & Luna.* Verùm, ſi ad verba, quæ ſacer Euangeliſta refert: *Subditus erat illis,* mentis aciem conuerramus, aliud in eis portentoſum magis prodigium detegemus, nimirum, quòd Sol Iuſtitiæ, non pura creatura, ſed Deus ipſe imperio Virginis incunctanter parebat; quod excellentius multò eſſe quàm illud ex multiplici capite deprehendo. Primò, quia, obedientia illa, quam Sol exhibuit Ioſue, metaphorica erat, cùm expers eſſet rationis; at quam præſtitit Ieſus Mariæ, vera obedientia fuit, & omnium perfectiſſima. cum enim ipſe legem tuliſſet filijs de obediendo Parentibus, ipſe etiam eãdem exactè impleuit, nè alioquin ſibi diceretur: *patere legem quam tuliſti:* Vnde dicitur: *digna vox eſt maieſtate regnantis legibus alligatum ſe Principem confiteri.* Verùm in Chriſto multò id dignius, ad exemplum profundæ humilitatis, & in auditæ obedientiæ inobedienti Mundo exhibendum. Nam ſi tantò maior, & commendabilior eſt obedientia, & humilitas, quantò dignior, & excellentior perſona, quæ ſubijcitur, & obedit, quanta quæſo erit Chriſti obedientia mirabilior, cuius dignitas, & maieſtas agno-

Ioſue 10. Luca 2.

Digitized by Google

ſcitur eſſe infinita? *ſubditus erat illis*; ait Euang. ſed ſi interroges, quis eſt iſte ſubditus? reſpondet Pater de cœlo: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, quis iſte ſubditus? reſpondet angelus: qui *filius Altiſſimi vocabitur*, &: qui *regnabit in domo Iacob in æternum, cuius Regni non erit finis*. quis iſte ſubditus? reſpondet Michæas: *cuius egreſſus à diebus æternitatis*, quis iſte ſubditus? reſpondet Iſaias. *Princeps pacis, admirabilis, magni conſilij Angelus*. Dic tu etiam Daniel, quis iſte ſubditus? cui in Cœlo, *miniſtrant millia millium, & decies centena millia aſſiſtût ei*. Dic Dauid, quis iſte ſubditus? *Cuius eſt terra, & plenitudo eius, orbis Terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo; Rex gloriæ, & Dominus virtutum, dominus fortis, & potens*. Dic Iudith, quis eſt iſte ſubditus? *Deus Cœlorum, Creator omnium, & Dominus totius creaturæ*. Dic Ioannes, quis iſte ſubditus? reſpondet: qui, *in principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum*. Dic Paule, quis iſte ſubditus? in cuius nomine *omne genuflectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*. Dic Eccleſia, quis iſte ſubditus? Reſpondet.

Luce 9. — Luce 1. — Iſai 6. — Daniel 7. — Pſal. 23. — Iudith. 9. — Ioan. 1. — Philipp. 2. — Himn. Eccl.

Quem Terra, Pontus, Aethera
Colunt, adorant, prædicant; & ibid.
Cui Luna, Sol, & omnia.
Deſeruiunt pro tempora.

Et cui tres Magi procidentes Regẽ, eũdẽq; Deũ certis muneribus cõfeſſi adorauerũt.

Secundò, fuit hoc obedientiæ Chriſti prodigium excellentius illo, quia ſi dignitas, & auctoritas Ioſuè in omniũ opinione creuit ex eo, quòd Sol voci eius obediret, incõpatibiliter multò magis creuit dignitas, & auctoritas Virginis ex eo, quòd ipsũ Deum haberet ſibi obedientem: ex huiuſmodi enim Chriſti ſubiectione, neceſſe erat, vt in Maria conſurgeret quædã maioritatis, & ſuperioritatis excellentia ſupra illũ, qualis competit omnibus ſuperioribus reſpectu ſuorũ inferiorũ, & ſubditorũ, cuius prærogatiuæ tãta eſt ſublimitas, vt potiori iure, quàm Herculis colũnis, ei affigi poſſit illud epytaphium: *non plus vltra*, cũ intrà latitudinẽ Imperij, nihil vltra glorioſius dici, aut excogitari poſſit, quàm principari, & dominari ſuper ipſummet Deum; ſubditumq; ſibi illum habere: *ſubditus erat illis*. Et quamuis quiſpiã poſſit exiſtimare, non id propriũ eſſe Virginis, ſed commune cũ Ioſepho, cui etiã Ieſus obediebat, vt ait

Luca 2.

Euangeliſta, aliter tamen ſe res habet quia B. Virgo, titulo, & iure maternitatis, propter humanã ſubſtantiã, quã per verã generationem contulit filio, ſuperioritatem habebat in illũ, Ioſeph verò, non iure ſanguinis, ſed affinitatis tantùm, quatenus vir erat Virginis, & pater Chriſti dũtaxat putatiuus, hoceſt pater Chriſti non re, ſed ſecundum falſam hominum exiſtimationem, iuxta illud: *putabatur filius Ioſeph*. Luce 3.

Tertiò, quia, cũ Chriſtus Dominus ſubditus, & obediens eſſet Virgini, perfectiq; obedientis ſit, voluntatem ſuperioris in omnibus, quæ nõ deuiant à diuinis, & eccleſiaſticis legibus, tanquã regulã ſuarum actionum ſibi aſſumere: conſequens eſt, Chriſtũ Dñm, qui virtute obedientiæ omnes longè præcelluit, voluntatem Virginis ſibi propoſuiſſe, tãquam normam ſuarum actionũ. Quid autem quæſo ſublimius in commendationem eximiæ ſanctitatis, & excellentiæ B. Virginis dici poteſt, quã vt ille, qui eſt prima regula, & per eſſentiam indefectibilis, in ſuis actionibus, voluntatẽ Virginis, velùt carum regulã ſibi cõſtitueret, per quam, tanquam perfectiſſimus obediens, illas regularet? Hanc tantã Virginis celſitudinem, licèt alioquin ineffabilem, celebri tamen, ac memorando quodã Alexandri dicto poſſumus, quãquam non pro dignitate, in hunc modum illuſtrare; Plut. de Alex. fortuna, refert quòd cũ magnus hic Monarcha Diogenem quadã die viſitaret, obſeruans in eo loquelę prudentiã, probitatem, ac morum cõpoſitionẽ, in vultus modeſtiã, doctrinæ integritatẽ, vitæ ſummam admirationem raptus, obſtupuit cõtinuòq; in illa verba prorupit: *Niſi eſſem Alexander, Diogenes eſſe vellem*. Liceat mihi, fratres, prophana hæc in ſacra conuertere. Certè, cum diuinus Alexander, Chriſtus Dominus B. Virginem inuiſit, & per incarnationem, in vtero eius requieuit, inſignem eius modeſtiã, vultus verecundiam, inauditam prudentiam, totiuſq; interioris, & exterioris hominis miram compoſitionem, ac cœleſtis vitæ eximiam probitatem obſeruans, ſi ita fas eſt, dicere obſtupit, Virginis vita, & grauitate, potuiſſetq; dicere potiori iure, quàm Alexãder: niſi eſſem Deus, Maria eſſe vellem. Plutar.

Rurſus, ſicut nulla vnquam fuit filij erga matrem obedientia excellentior, ac perfectior illa, quam Chriſtus Dominus matri ſuæ præſtitit, ita, & gratitudo, quam ob be-

Digitized by Google

ob beneficia ab ea accepta, eidem exhibuit omnium filiorum gratitudinem erga Parentes longo interuallo ſuperauit Salomon Eccl. 7. monens filios gratos ſe exhibere Parentibus: *In toto* (inquit) *corde tuo honora Patrem tuũ, & gemitus matris tuæ ne obliuiſcaris; memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo illi tibi*, græcus interpres vertit; *& quid reddes illis, ſicut illi tibi?* Tyburtina verò lectio, & Pagninus transferunt: *& quid reddes eis pro eo, quòd de te ſunt meriti?* Quibus translationibus congruit id, quod iam quaſi in prouerbium abijt: illud Ariſtotelis 9. Ethycorum. *Dijs, Parentibus, & Magiſtris non poteſt reddi æquiualens*. In hoc ergo mirificè ſuperauit gratitudo Chriſti Domini erga genitricem ſuam, gratitudinem omnium filiorum erga proprias matres, quòd ij non valent eis rependere æquale, Chriſtus autem Dominus non ſolùm par pari, ſed maius quidpiam rependit Virgini, quia ipſe ſolus ad vnguem obſeruauit illud: *Retribue illis, quomodò & illi tibi*. Alij filij accipientes propriam ſubſtantiam, & vitam à matribus, non poſſunt eiuſdem ſubſtantiam, & vitam, qua matres ipſæ viuunt, conferre: Ieſus carnem, & vitam humanam à matre accepit, vt ait D. Matth. *de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus* ipſe autem, tãquam verus Virginis Creator, corpus, ſanguinem, & animam ei dedit, & teandem ſemper cõſeruabat. Vnde B. Virgo inquit: *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo:* & vbi noſtra vulgata Prou. 8. ait: *Dñs poſſedit me*, ſeptuaginta legunt: *Dominus condidit me*: immo, & D. Epyphan. vertit: *Dominus, inſtar pulli, excudit me*. Ecce quomodo filius retribuit matri, ſicut illa tribuit ei. Maria, inſtar pulli, excudit Chriſtum, infantem illũ pariendo, & Ieſus excudit inſtar pulli, matrem ſuam, illam creando, in qua ſanè anticipata retributione non ſolùm æquauit, ſed ſuperauit acceptum à matre: acceperat enim ab ea corpus, animam verò nõ fecerat ipſa; at ipſe contulit ei corpus, & animam, quam ipſe creauerat; Inſuper etiam Virgo dedit filio corpus mortale, & ingloriũ, ipſe verò donauit matri, in die aſſumptionis corpus immortale, & glorioſum. Ac tandem mater dedit filio eſſe naturale, filius verò matri eſſe ſupernaturale, & conſors

Eccl. 7. *Verſio græca.* *Tyburtina lectio. Pag.* *Ariſt.* *Matth. 1.* *Eccl. 24.* *Prou. 8.*

naturæ diuinæ; atque hinc arbitror, quòd licèt alioquin alij filij non poſſint parentibus reddere æquale, præuidens tamẽ Spiritus ſanctus filium Dei humanam carnẽ aſſumpturum, & veram matrem habiturum, ad illum pręcipue direxit illa verba: *retribue illis, quomodò & illi tibi*: quia ipſe ſolus poterat Parentibus ſuis Marię & Ioſepho reddere æquale, & retribuere illis, prout reuera retribuit, non ſolùm quomodo illi, ſed exuberantius multò, quàm ab ipſis fuerat ei tributum. Porrò iam ad mores noſtros componendos hęc omnia conuertens, D. Chryſ. D. Bonau. S. Aug. Beda, Euthym. Aym. Theophil. & alij ſuper c. 2. Lucæ, ab hoc Chriſti exemplo monent, filios parentibus obedientiam præſtare, & honorem impẽdere debere. Breuitatis tamen cauſa ſolius D. Aug. & Ambr. ex alijs locis mutuata teſtimonia in medium producam. In primis D. Auguſt. conc. 1. ſuper Pſal. 70. tom. 8. inſigne proponit obediẽtiæ exemplum in hæc verba: *Titulus huius pſalmi eſt: Ipſi Dauid filiorum Ionadab. Ionadab, homo fuit quidam commendatus nobis ex prophetia Ieremiæ, qui filijs ſuis pręceperat, vt vinum non biberent, neq; in domibus reſiderent, ſed in Tabernaculis habitarent. Præceptum autem Patris filij tenuerunt, & ſeruauerunt, & ex hoc benedici à Domino meruerunt; Dominus autem hoc nõ præceperat, ſed pater ipſorum: ipſi autem hoc acceperunt, tanquam præceptum à Domino Deo ſuo; quia, etſi Dominus non præceperat, vt vinum non biberent, præceperat, vt filij parentibus obedirent. In ea ergo re ſola filius non debet obedire patri ſuo, ſi quid pater ipſius iuſſerit contra dominum. Neq; enim debet iraſci pater, qñ ſic ei præponitur Deus; vbi enim hoc iubet pater, quod contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt, quomodò Deus; quia obedire patri, iuſſit Deus. Benedixit ergo Deus filios Ionadab propter obedientiam.* Atq; hùc facit illud, quod legitur, Pharaonem præcepiſſe obſtetricibus Hebræarum; *quando tempus partus aduenit ſi maſculus fuerit, interficite eum. Timuerunt autem obſtetrices Deũ, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Aegypti, ſed conſeruabant mares*. pluris fecerunt hæ gentiles mulieres mandatum Dei, quàm Regis, & magis timuerunt Deum, quàm damnum, quod illis Rex inferre poterat propter imperij transgreſſionẽ; econtrà certè video

D. Chryſ. D. Bonau. D. Aug. Beda. Euthym. Aymon. Theoph. *Ierem 35.* *Exod. 20.*

nunc factitari: præcipit Iudici ſeculari Eccleſia, vt dimittat clericũ, vel immunitatẽ aliam ſimilem ſeruet, excommunicationis iaculo eum ferit, pulſantut Campanæ, obmuteſcunt diuinæ laudes, Cruces nigro velo teguntur, & adhuc Iudex contumax eſt, & rebellis. ſed ecce à ſupremo aliquo ſeculari Senatu mandatum ei exhibetur, quo illi præcipitur, vt contumaciam deponat, & immunitatem Eccleſiæ ſeruet, & continuò obedit. Ecce iſte pluris facit mandatum hominis, quam Eccleſiæ: ad nutum obſecundat Senatui regio, præceptum autem Eccleſiæ deſpicit. Laudo primum, quia Poteſtatibus ſublimioribus obediendum eſt, vt præcepit Apoſtolus. Sed ſecundum valde vitupero, deteſtor multum, execror ſupra modum. Cum enim Chriſtus Dominus dixit: *Tollite iugum meum ſuper vos*, non ſolum ſignificare voluit, vt iugum diuinæ legis ſuper collum noſtrum imponamus, ſed vt illam taliter etiam veneremur, vt ſuper capita noſtra illam conſtituamus. Iudex autem, qui mandatis Principis obediens, eccleſiæ præcepta contemnit, hic iugum diuinæ legis non ponit ſupra ſe, ſed infra ſe: hic pedibus ſuis diuina mandata conculcat, humana ſuper caput extollit: hic conuincitur poſſeſſio eſſe diaboli, non Dei; nam, qui Dei poſſeſſio eſt, confidenter dicere poteſt, quod Dauid perfectiſſimus obediens dicebat Deo: *tuus ſum ego*. ſuper quem locum D. Auguſtinus in Commentario pſalmi 118. ſapienter dixit: *Non leuiter tranſeundum eſt, quod ait ſanctus Dauid: tuus ſum ego: quid non eſt Dei? Cum alibi ipſe dicat: Domini eſt Terra, & plenitudo eius. quid eſt ergo, quòd iſte ita quodam modo familiari ſe Deo commendandum putauit, vt diceret: tuus ſum ego, ſaluum me fac, niſi intelligi volens, quod malus malo ſuo ſuus eſſe voluerit? quòd eſt inobedientiæ primum, & maximum malum, & tanquam dicens: meus eſſe volui, & perditum me feci. Sed ſanctus Dauid: tuus ſum ego (inquit) ſaluum me fac; quia iuſtificationes tuas exquiſiui; non voluntates meas, quibus fui meus, ſed, iuſtificationes tuas, vt eſſem iam tuus.* Certè Deus non præcipuè noſtra, ſed nos vult, vt Paulus ad Corinthios ſcribens, docet, dicens: *Non quæ veſtra ſunt, ſed vos quærimus*. Quintus Fabius Maximus, Romanorum Imperator, cum ad eum auri, & argenti munera per Legatos ex quadam Prouincia ciues miſiſſent, vt illum placarent, reſpondit: Populus Romanus non aurum, ſed dominos, ac poſſeſſores auri ſub ſuo vult eſſe dominio; ſic vniuerſorum Imperator Deus, non noſtra, ſed nos quærit: *animas da mihi, cætera tolle tibi*. Sed proh dolor, quam pauci ſunt, qui verba illa Dauidis dicere poſſint Deo: *tuus ſum ego*. Expendit hoc egregiè Diuus Ambroſius in Commentario eiuſdem loci, dum inquit: *Facilis vox, & communis, hæc videtur: tuus ſum ego: ſed paucorum eſt, qui Deo dicere poſſit: tuus ſum ego: ille enim hoc dicit, qui adhæret Deo totis ſenſibus, qui aliud cogitare non nouit. ille hac voce vtitur, qui poteſt dicere: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Numquid hac voce vtitur auidus pecuniæ, honoris, poteſtatis? Multis non eſt ſatis, Deum ſcire, & quid pluribus? tanti Populi, tantæ Nationes, tanti diuites paupertatem putant Domino ſeruire, & qui ſupra omnes eſt illis exiguus, & anguſtus eſt: illis non ſatis eſt Dei filius, in quo ſunt omnia: ille diues, cui in Euangelio dictum eſt: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, Deum ſibi ſufficere non iudicauit. Siquidem (vt ait Sacer textus) contriſtatus eſt, quaſi plus eſſet, quod relinquere iuberetur, quàm quod præcipiebatur eligere. ille ergo ſolùm dicere poteſt: tuus ſum ego, qui dicere poteſt; ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Hæc verba Apoſtolorum ſunt, non tamen omnium Apoſtolorum; nam, & Iudas Apoſtolus fuit, & in conuiuio inter Apoſtolos Chriſti recumbebat, dicebat & ipſe: tuus ſum ego: ſed voce tantum, & non corde; venit enim, & intrauit in eum Sathanas, & cœpit dicere: non eſt iſte tuus, ò Ieſu, ſed meus; nam iſte, quæ mea ſunt, cogitat, quæ mea ſunt, pectore ſuo voluit, tecum epulatur, tecum bibit; & mihi tuum ſanguinem vendidit: tuus eſt Apoſtolus, & meus eſt mercenarius. non poteſt dicere ſecularis: tuus ſum, plures enim dominos habet. venit libido, & dicit: meus es, quia ea, quæ ſunt corporis concupiſcis, in illius adoleſcentulæ amore te mihi vendicaſti. Venit auaritia, & dicit: argentum, & aurum, quod habes, ſeruitutis tuæ precium eſt, poſſeſſio, quam tenes, ven-*

Marginal notes: Ad Rom. 13. — Matth. 11. — Pſal. 118. — 1. Cor. 12. — Quintus Fabius. — Pſ. 118. — D. Ambroſ.

nes, venditio libertatis tuæ eſt. venit gula, & dicit: meus es, quia vnius diei conuiſium precium vitæ tuæ eſt. Veniunt denique omnia vitia, & ſingula ei dicunt: meus es. Quem igitur tàm multi repetunt, vile mancipium eſt, quomodo ergo tu, qui huiuſmodi es, poteris Chriſto dicere: tuus ſum ego? reſpondebit ille: nolo habere ſeruum pluribus Dominis ſeruientem? Nam quomodo meus es, ſi verbis mihi dicas: tuus ſum, operibus autem meipſum neges? Non eſt meus, quem libido ſuccendit, quia mea Caſtitas eſt: non eſt meus, quem ſpoliandi minores deſiderium exagitat, quia mea eſt largitas: non eſt meus, quem aura mobilis inquietat, quia mea eſt, tranquillitas: non eſt Chiſti, niſi, qui alienus eſt à crimine; & ideo regius vates, vt oſtenderet, qua ratione quis dicere poteſt Chriſto Domino: tuus ſum ego, adiungit: iuſtificationes tuas exquiſiui: quaſi dicat: Ille verè tuus eſt, qui nihil aliud extra te quærit; ſolum quærit, iuſtificationes tuas, ideſt mandata tua perficere. hæc Beatus Ambroſius.

Ad extremum, ad honorem, & gratitudinem, quam filij ad imitationem Chriſti Domini, parentibus exhibere debent, accedamus. Ex Gentilibus, hæc pauca ſubiungam. Pytacus admonens cuiuſdam hominis filium ne cum patre in iudicio litigaret, dixit illi: *Si de patre iniquiora dixeris damnaberis; ſi æquiora, vel ob iſtud damnari dignus es*. Et ſapientiſſimus Plato cùm vidiſſet quendam erga Patrem ſuum faſtuoſius agere: *Non ſines*, inquit, *adoleſcens illud contemnere, cuius gratia altum ſapere vis?* Et Alexander ille magnus, vt refert Plutarchus in eius vita, tanti faciebat honorem, & obedientiam erga matrem, vt cum ei quidpiam graue nimis faciendum imperaret, non auſus eius imperio non acquieſcere ſolum ei dixit: *acerbam pro nouem menſium onere mercedem exigis*. Verum in hoc genere argumenti Diuus Ambroſius lib. 5. exameron, cap. 16. animantia ipſa nobis proponit, quæ congenita quadam pietate Parentibus ſuis obſequuntur, à quibus indignum eſſet, homines rationis compotes ſuperari. Verba illius hæc ſunt: *Quàm vero rationabilium excedat pietatē auis huius clementia, conſiderandum* (loquitur de Ciconia) *nam depoſiti Patris arctus per longæuum ſenectutis, plumarū tegmine, alarumq; remigio nudatos circumſtās ſoboles pennis proprijs fouet: quid dicam? collecto cibo paſcit; quando ipſa etiam reparat natura diſpendia, vt hinc, atque inde ſubleuantes ſenem fulcro alarum ſuarum ad volandum exerceant, & in priſtinos vſus diſſueta iam reuocent pij patris membra? quis noſtrum leuare ægrum non faſtidiat patrem? quis feſſum ſenem ſuis humeris imponat, quod in ipſa hiſtoria vix credibile habetur? quis, vt pius ſit, non hoc ſeruulis mandet obſequium? At verò auibus non eſt graue, quod pietatis eſt plenum: non eſt onerosum, quod ſoluitur naturæ debito: non recuſant aues paſcere patrem, quod etiam præſcripta neceſſitate ſub terrore pœnarum plerique hominum recuſarunt. Aues non ſcripta, ſed nata lex ſtringit: aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, ſed gratiæ naturalis officio: aues non erubeſcunt reuerendi ſenis membra portare, eſt enim victoria pietatis, quod eò uſque frequenti teſtificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis inueneris. Nam Romanorum vſu pia auis vocatur, & quod vix vni Imperatori conſulto Senatu delatum dicitur, hoc iſtæ Aues in commune meruerunt. Habent ergo aues iſtæ decreta patrum ad propriæ inſigne clementiæ; pios enim filios, patrum prius oportuit iudicio prædicari.* Hæc ille. Exemplum refert Valerius Maximus lib. 5. huic argumento ſatis accomodum. Sanguinis ingenui mulierem Prætor quidam ad Tribunal ſuum capitali crimine damnatam, Triumuiro in carcere necandam tradidit, quam receptam is, qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulauit, aditum quoque ad eam filiæ ſuæ, ſed diligenter excuſſæ, ne quid ibi inferret, exiſtimans futurum, vt inædia conſumeretur. Cum autem plures iam dies intercederent, ſecum ipſe quærens, quidnam eſſet, quod tandiu ſuſtentaretur, curioſius obſeruata filia, animaduertit illam vberum ſuorum lacte, matris famem lenire. quæ tā admirabilis ſpectaculi nouitas ab ipſo ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Iudices perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetrauit. Quò ergo non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere, ſeruandæ genitricis omni cibo deſtitutæ, nouam rationem inuenit? quid enim tam inuſitatum,

Valerius Maximus.

tum, quid taminauditum, quàm matrem vberibus natæ altam? putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, niſi diligere parentes, prima naturæ lex eſſet: exiſtimo autem, quod ſicut matris vitam ſua pietate produxit, proprio vbere illam lactans, & nutriens, ita Deus ex ſua liberalitate, vitam huius filiæ in præmium eximiæ illius pietatis in longum tempus prolongauit, implens iu hoc, quod olim Exod. 20. pollicitus fuerat: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram*: Et Eccleſiaſt. 3. *qui honorat patrem ſuum, vitam viuet longiorem*. Quòd ſi quiſpiam inquirat: quare longitudo vitæ promittitur in præmium pietatis, & honoris Parentibus exhibiti? reſpondet S. Th. 2.2. quæſt. 121. a. 3. quia gratus fuit beneficio vitæ, ideo promittitur ſibi longæuitas vitæ. E contra verò filij diſcoli inhonorãtes parẽtes grauiſſimo mortis ſupplicio puniuntur. *Viuit Deus: qui maledixerit Patri, vel matri, morte moriatur*. In cuius rei confirmationem non poſſum non hoc loco referre præclara multa, quæ B. Petrus Damianus Eccleſiæ Sanctæ Cardinalis, ſcripſit lib. 8. Epiſtolarum epiſt. 3. in qua carpit primùm, quendam nobilem virum, qui debitum honorem matri non exhibebat, deinde narrat, vt illum ab ea impietate deterreret, inſigne exemplum, quod Summus Pontifex Alexander Secũdus huius nominis ſibi commemorauerat. Præclara eius, atque erudita verba ſunt hæc. *Significatum eſt mihi, nobiliſſime vir, quia ſanctam matrem tuam, vxoris amore deſpicis, & contemnis, nullumq; ſibi dominij ius in domeſtica rei familiaris ordinatione concedis. In quo ſcilicet facto, quid aliud, quàm naturam ignis cerneris imitari? qui cum ex lignis prodeat, ligna conſumit, & in cinerem vertit; lapidem autem excoquit, & candidos reddidit: ligna, nempe, ex quibus egreditur, quaſi matrem naſcendo conſumit, lapides autem, à quibus extinguitur ad exhibendam calcis albedinem, candidos facit. Cùm igitur ignis in lignis ardeat, lapides coquat; contrarios habet in non contrarijs rebus effectus, nam etſi lapides, & ligna diuerſa ſint, contraria non ſunt, ſicut album, & nigrum, quorum in lapidibus vnum facit, alterum in lignis, clarus illos clarificans, hæc offuſcans; cùm in illis omnino deficeret, niſi in iſtis viueret. Vnde benè vir ſapiens ait: honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ non obliuiſcaris. perpende igitur, quanta crudelitatis ſit, illos, deſpiciendo, contemnere, per quos habes & ipſum eſſe, quanta te, dignum ſit, genitoribus tuis humilitate ſubmitti, quibus, & naturalis eſſentię ſubſtãtiam debes, & quod ab illis te, non ambigis, puerum percepiſſe, quantopere debeas nunc grata vice ſenibus reddere? Vnde ſcriptum eſt: fili, ſuſcipe ſenectam Patris tui, & ne contriſtes eum in vita illius, & ſi defecerit ſenſus, veniam da & ne ſpernas eum in tua virtute. Sed forte dices: Mater mea me frequenter exaſperat duris verbis: meum, & vxoris meæ corda perturbat, non poſſumus tot iniuriarum probra perferre, non valemus auſteritatis eius, & ſecuræ correptionis moleſtias tolerare. Sed in hoc tibi copioſior merces acquiritur, ſi, dum contumeliam ſuſcipis, gratiam reddis, & dum conuiciorum ſale conſpergeris, humilitate blandiris. Hinc enim ſcriptum eſt: eleemoſina Patris non erit in obliuione, nam pro peccato matris reſtituetur tibi bona fama. Cum igitur pro peccato matris bonum reſtituitur, cur ſæuiens, vel iniuſtè delinquens non æquanimiter perferatur. Terribile certè eſt, quod ſcriptura dicit: quàm mala fama eſt, qui relinquit patrem, & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat matrem. Porro qui parentes inhonorat, quoniam diuinitus abdicatur, numquid non & in hac vita confunditur? Sed audi ſcripturam? gloria (inquit) hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij, pater ſine honore. Sed dum veterum congerimus teſtimonia ſcripturarum, etiam noui caſus apponere non grauemur exemplum, vt ſaltem oſtenſa diuinæ iuſtitiæ vindicta perterreat, quos mãdatorum cæleſtium vincula non refrænant. Pridie nempè, poſt veſperam, ex ore ipſius Alexandri venerabilis Papæ, me contigit audire quod refero: Ardeuius (inquit) quidam Mediolanenſis vrbis indigena, dum, vxore ducta, celebraret nuptiale conuiuium conqueſtus eſt opipator conſperſum epulis defeciſſe pygmentum: cumque huius rei calumniam ſponſus in matrem non ſine quodam iurgij tumore deuolueret, & cur hanc pateretur inopiam iratus, & contumax inquiſiſſet; mater autem ſe ſufficienter exhibuiſſe miniſtris hanc ſpeciem econtrariò reſponderet, ille tandem iracundiæ felle permotus, manus inferre*

Exod. 20. Eccl. 3. S. Thom. Exod. 21. B. Pet. Dam. Eccl. 19. Eccl. 3. Alex. Pap. 2.

non

non timuit, eique proteruus, ac furiosè via ſaniens, alapam irreuerenter incuſſit. Sed o diuina iuſtitia, iracundiam noſtram vindicans, ſed non irata, in furentis animi rabiem ſæuiens, ſed quieta; vlciſcens impacatæ mentis inſaniam, ſed tranquilla? Vnde Salomon. Tu autem (inquit) dominator virtutis, cùm tranquillitate iudicas, & cùm magna reuerentia diſponis nos. Sap. 2. *Eandem ſanè percuſſoris maxillam, hoc eſt, ſiniſtram, repente languor inuaſit, eumque nimijs vexare doloribus cœpit. Cumque languor in dies pernicioſus ingraueſceret, acerrimis dolorum ſtimulis intolerabiliter fatigaret, mugitibus, ac ſtridoribus eiulare compelleret, tandem mater, quæ priuignum ſenſerat in percuſſura, recognouit filium in natura, & non duritiam (vt ille meruerat) nouercalæ, ſed maternorum exhibet viſcerum pietatem: Iam, nempe tumeſcentis mandibulæ caro turpiter computruerat, iam virus, ac ſanies per concauam vulneris fyſtulam diſtillabat. Cumquè miſerè hominem hinc inde peruelleret, & exhalantis corruptela putrediuis, & intimi vis doloris, pœnitebat connubij, & alterum fortè virum iam metuebat vxori, & quam cernebat nouiter nuptam, iam quodammodò, quaſi biuiram deputabat. Mater itaque periclitanti filio non iuſtitiæ talionem reddens; ſed religioſa potius pietate compatiens, ad Eccleſiam B. Nazarij Martyris properat, accumulat vota, offert munera, pauimento proſternitur, orat, obſecrat, anhelat, ac deliquenti filio veniam lacrymabiliter flagitat; maternis intereà precibus adeſt diuina miſericordia, & quam vt pro lædente depoſceret, inſpirauit, etiam & ægrotantē propritiaturus exigeret exaudiuit: paulò poſt, deniquè ſolutis, ac putrefactis vndique carnibus, os de mandibula cecidit, ac protinus omni dolore fugato cicutrix occulauit; ſicquè iam deſperatum hominem incolumitate priſtinæ, diuina pietas reparauit. Hoc itaque modò in vnius hominis facie, & diuinæ miſericordiæ, character exprimitnr, & humanæ culpæ ſignaculum retinetur; vt, dum exoſſata facies cernitur, & ſanata, euidenter eluceat, & quod filij ſæuientis immeruit, & quid ei apud uures diuinæ clementiæ materna pietas impetrauit: Hæc igitur, te (vir clariſſime) diuina virtus admoneat: hæc proſilientis in matrem, plaga perterreat; & non modo te, ſed & sereniſſimam vxorem tuam à ſocerina prorſus offenſione compeſcat, quatenùs, dum honoras parentem, quod, eſt primum in promiſſione mandatum, tranſmiſſo quandoque deſerto, cùm his, qui veri ſunt Iſrahelitæ, terram meraris intrare viuentium.* Exod. 20. Deuter. 5. & Matth. 15. Hactenus Card. Damianus.

Huic addere placet, quod Ceſarius ordinis Ciſtercienſis lib. 6. hiſtoriarum memorabilium, narrat. Cesar. Cum iuuenis quidam ſecularis nomine Henricus matrem ſimplicem, verbis quidem mellitis, ſed intentione venenata, tali modo circumuenit. Mater, inquit, peto, vt omnibus tuis bonis, feudis, ſcilicet & allodijs, ſoleniter renuncies, & me illa ſuſcipere ſinas, vt ſic eorum gratia vxorem ducere valeam honeſtiorem: omnia mea tua ſunt, & ego tibi honeſtius prouidebo. Mater in filio ſerpentis aſtutias non obſeruans, petitionibus eius annuit, omnium ſuorum vſufructu reſignato, immemor dicti ſapientis: *Melius eſt vt filij tui te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum.* Eccl. 33. Quid plura? ſponſa introducitur, & mater expellitur: quæ cum egeret, & quotidie plangeret, ille obturauit aures, ne gemitus matris audiret. Die quadam cum vxore in menſa ſedens, & oſtium pulſantis, vocem matris intelligens, ait; Ecce iterum diabolus clamat ibi: dixitq; puero ſuo; Vade, & pone pullum iſtum in ciſtam, donec recedat. Quod cum factum fuiſſet, & illa intromiſſa, dum filio ſupplicaſſet, vt ſui miſereretur, cum multo verborum turbidine expulſa eſt. Tunc ille ad puerum; Refer, inquit, nobis pullum. Puer verò, vt ciſtam aperuit, non in ſcutella pullum, ſed ſerpentem complicatum conſpexit, qui territus, rediens quid viderit, domino renuntiauit. Poſt quem miſſa ancilla, dixit ſe ſimilia vidiſſe. Ille ſibi putans illudi, ait cum iudignatione; etiam ſi diabolus fuerit, ego tollam eum. Et ſurgens de menſa, mox vt ſe in ciſtam ad leuandam ſcutillam inclinauit, ſerpens collo eius inſiliens, vt vitium duplicitatis congruè puniret, circa eius gutturi ſe colligendo duplicauit: cum comedenti comedit, & quotiens ei ſubtrahebantur cibaria, vel adhibebātur aliqua, quibus deponi deberet, inſtrumenta, ita collum hominis ſtrinxit, vt intumeſcente facie, oculi

de ſe-

de ſedibus ſuis mouerentur. Meritò autem videtur mihi punitus per ſerpentem, quia ſicut Diabolus per ſerpentem, Euam decepit, ita per iſtum mulierem ſimplicem circumuenit; additque Ceſarius hæc verba: *Tredecim anni ſunt elapſi, plus minus, ex quo iſta contigerunt. Nam ductus eſt idem Henricus in carruca per prouinciam noſtram, ad diuerſa ſanctorum limina, & viderunt eum multi, quem prædicta mater, pœna eius compatiens materno affectu ſequebatur*: deprecans quidem Deũ vt tanto malo mederetur. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

D E

DE SACRIS ARCANIS B. VIRGINIS,

CONVERSIONEM AQVAE IN VINVM A FILIO SVO POSTVLANTIS IN NVPTIIS CANAE GALILEAE.

LIBER VNDECIMVS.

Homilia Prima.

Ioan. 2. *In illa verba:* Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus, &c. *variæ cauſæ traduntur ex priſcorum Patrum doctrina, ob quas Chriſtus Dominus nuptijs intereſſe voluerit; illam tamen latius proſequimur, quæ matrimonij approbationem tangit, aduerſus Hereticos illud refellentes, cuius, & præclara documenta tam viris, quam vxoribus præbentur.*

CVM alienum valde ſit à vitis ſpirituali vitę addictis, & maxime ſacris initiatis, prophanis nuptijs, ſeù nubentium conuiuijs intereſſe; Vnde omnibus indiſcriminatim Eccleſ. cap. 7. (Eccl. 7.) ait: *Melius eſt, ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij*; merito ſancti Patres ſolliciti fuere in exquirendis rationibus, & cauſis, ob quas Chriſtus Dominus, omnis perfectionis archimagiſter nuptijs in Canæ Galilææ adeſſe non fuerit dedignatus. D. Aug. (D.Aug.) in comment. huius loci, eam tangit rationem, vt ſingularitatem fugeret; forſan enim eo tempore moris erat, viros etiam ſpirituales ad nuptias inuitari, vt ſua modeſtia, & temperantia conuiuarum luxum, ac intemperiem compeſcerent. Verba D. Auguſtini, hæc ſunt: (D. Auguſt.) *Quiſquis rebus prætereuntibus ſtrictius vtitur, quàm habeant mores eorum, cum quibus viuitur, aut intemperans, aut ſuperſtitioſus eſt. Sapientia autem iuſtificata, eſt à filijs ſuis.* Itaquè, quia Chriſtus Dominus, omnibus omnia factus, vt omnes lucriefaceret, voluit ex parte morem gerere his, cum quibus conuerſabatur, vt eos per familiaritatem ad ſe alliceret; D. Chryſo- (D.Chryſoſt.) ſtomus homil. 20. ſuper Ioannem. humilitatis cauſa factum putat, quòd idem ipſe non recuſauerit conuiuio illatum nuptiarum

rum inuitatus, adeſſe; ſic enim ait: *Qui non eſt dedignatus formam ſerui accipere, longè minus, ſeruorum ſuorum nuptijs intereſſe: qui cum publicanis, & peccatoribus conuerſabatur, multò minùs nuptias recuſaſſet.* D. Cyrillus, lib. 1. in Ioann. c. 22. propterea exiſtimat, inter alias cauſas, quas ibi adducit, Chriſtum Dominum nuptiatum conuiuio adfuiſſe, quia ſciebat, futurum eſſe, vt haberet occaſionem, inſigne illud miraculum patrandi conuerſionis aquæ in vinum, quo & potentiã ſuam oſtentaret, & miraculi virtute animos hominum ad ſe conuerteret. Verba D. Cyrilli accipe: *Honeſtæ celebritatis nuptijs tam mater, quàm ipſe cum diſcipulis, inuitatus, adeſt, miraculi potius, quod facturus erat, quàm conuiuij gratia profectus.* Seuerus Antiochænus orat. 119. vt refertur in Catena græcorum, viam aliam longè diuerſam ingreſſus, eam, myſticam magis, quàm literalem (vt mihi videtur) rationem tradit; quòd Chriſtus Dominus propterea ad nuptias ierit, vt ſignificaret, ſe de cœlo in terram, nuptiarum cauſa veniſſe, vt humanam naturam hypoſtaticæ vnionis indiſſolubili matrimonio ſibi copularet. D. Hier. in Matth. lib. 1. c. 9. vniuerſaliter loquitur. *Ibat Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occaſionem haberet docendi, & ſpirituales inuitatoribus ſuis præberet cibos.* Inuitatus quidem à Diuo Matthæo, illum eduxit de telonio, in quo multis erat peccatorum nexibus irretitus. In conuiuio Simonis, Magdalenæ peccata dimiſit, & inuitatori magni momenti documenta tradidit. In conuiuio Phariſæi, hydropicum ſanauit, & omnibus menſæ aſſidentibus egregiam humilitatis parabolam propoſuit. In conuiuio ſororum Mariæ & Marthæ, excellentiam vitæ contemplatiuæ ſupra actiuam luculenter docuit. Ecce, Chriſtus conuiuia non recuſabat, vt occaſionem haberet aliquid ſpiritualis fructus conuiuis impertiendi. Quod idem manifeſtè contigit in conuiuio nuptiarum, in Cana Galilæa celebrato, Ioanne dicente: *Manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius.* Ecce credulitas diſcipulorum fructus fuit, quem Chriſtus Dominus ex conuiuio illo collegit.

D. Cyrill. — Seuerus Ant. — D. Hier. — Matth. 9. — Luc. 7. — Luc. 14. — Luc. 14. — Luc 7. — Ioan. 2.

Omiſſis tamen his omnibus rationibus, ad eam accedo, quam multi ſancti Patres docuere, & quam nos proſequi polliciti ſumus. D. Cyrillus, D. Epyphanius, & D. Auguſtinus, aſſerunt, conſultò Chriſtum Dominum pariter cum matre, & diſcipulis ſuis nuptijs intereſſe voluiſſe, vt ſua præſentia nuptias, quas in ſtatu innocentiæ inſtituerat, approbaret, & Hereticorum inſaniam, quos præuidit illas impugnaturos, refelleret. D. Cyrillus lib. 2. in Ioann. cap. 22. ſic loquitur: *Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis ad melius reſtaurabat, non ſolùm natis iam hominibus benedicere, verùm etiam naſcituris gratiam præparare, & aditum illorum, ad hanc vitam auctoritate miraculi, & præſentia ſua ſanctum efficere. Præterea, in dolore paries filios, ad mulierem, propter peccatum, dictum fuit: quomodo igitur aliter, hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum ſanctimonia videretur, quàm Saluatoris præſentia? qui, quum ſit verum gaudium priſcum nuptiarum, mœrorem præſentia ſui depulit.* D. autem Epiphanius, hæreſi 7. hæc ſcripſit: *Eos, qui venerãdas nuptias contraxerunt, Deus elegit, vnumquemque enim in proprio ordine ſaluare ſolet; quomodò enim non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo, habentes Regnum Cœlorum, cùm vocatus ſit ipſe Saluator ad nuptias, vt nuptias benediceret? ſi quidem enim, recuſaſſet ad nuptias ingredi, profectò nuptiarum exolutor fuiſſet; vt qui non ſuſcipit vnumquemq; iuxtà debilitatis ipſius veniam. Venerandæ igitur ſunt nuptiæ, quoniam ipſe illas decreuit. Quare ad nuptias accedit, vt obturet ora eorum, qui loquuntur contra veritatem.* D. autem Auguſtinus tract. 9. in Ioannem hæc habet. *Quòd venerit ad nuptias, confirmare voluit, quòd ipſe eas fecit: futuri enim erant, de quibus Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. prohibentes nubere, & dicentes, quod malæ eſſent nuptiæ, & diabolus eas feciſſet.* Hæretici verò nuptias improbantes, imprimis fuere Simonis magi ſectatores, dicentes, non eſſe opus Dei, vt tradit D. Clemens Romanus conſtitut. Apoſtol. lib. 9. cap. 8. Saturninus docuit, nubere, & generare à Satana eſſe, vt refert Irenæus lib. 1. cap. 12. Seuerus, feminam à Satana factam, eoſq; qui cum fœmina concuberent, Satanæ opus adimplere fabulabatur; atque ea de cauſa nuptias diſſuadebat, vt tradit Nicætas. lib. 4. Orthod. fid. hæreſ. 17. Hydroparaſtæ

D. Cyril. — Gen. 3. — D. Epiph. — D. Auguſt. — 1. ad Tim. 4. — D. Clemens. — D. Irenæus. — Nicetas.

paraſtatæ,matrimonium, ſcortationem, appellant, & legitimam coniunctionem, diabolicam,nominant,vt auctor eſt Theodoretus lib. 1. hæret. fabul. Tatianus nuptias reijcit, eas à Satana eſſe dicens, vt tradunt Irænæus, & Epiphanius de Tatiano. Marcion,matrimonium, vt malum, & impudicitiæ negocium reprobat, vt aſſerit Tertullianus lib. 1. cont. Marcionem, & Clemens Alexandrinus - lib. 3. ſtromat. necnon Hieronymus cont. Iouinianum: Manichæi damnant nuptias, vt teſtantur Epyphanius, Auguſt. & Theodoretus de illorum hæreſib. Euſtachius ita nuptias damnauit, vt diceret, nullum eorum, qui ſunt in coniugio, in Deo ſpem habere; vt tradunt Concilium Gangrenſe, & Socrates lib. 2. cap. 33.

D. Theod. — Irenæus. — Tertull. — D. Cl. Alex. — D. Hier. — D. Epiph. — D. Aug. — D. Theod. — Conc. Gang. — Socrat.

Ceterùm, quantum hi omnes Hæreſiarchæ à fidei catholicæ veritate aberrent, varia matrimonij encomia, quæ paucis perſtringam, apertè indicabunt. In primis enim, ſi rem altius perpendamus, certe ſacri Religioſorum ordines non parùm commendantur ab eorum fundatorum dignitate, & ſanctitate, multò ergo magis, ex hoc capite ſacrum matrimonium commendari meretur; nam, ſi illi, fundatores habuerunt antiquos Patriarchas, Baſiliũ Benedictum, Auguſtinum, Dominicum, Franciſcum, & alios ſimiles magni nominis viros, Matrimonium habuit primum inſtitutorem, non creaturas, ſed Creatorem, vt Chriſtus Dominus luculenter teſtatus eſt, Matth. 19. dicens: *Qui fecit ab initio, maſculum, & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*. Quæ verba elucidans D. Paulus ad Eph. 5. aliud non contemnendum matrimonij præconium inſinuauit in ſignificatione eius fundamentum habens, dum aſſeruit: *Sacramentum hoc, magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Quibus verbis ſignificauit matrimonium primorum Parentum, typum fuiſſe, & imaginem archanorum magni momenti; latet enim in eo myſterium beatiſſimæ Trinitatis; nam ſicut Adam à nulla creatura factus, ita & Pater à nullo procedit; ſicut autem Eua ex coſta Adam ita & filius de ſubſtantia Patris; & ſicut Abel, non ab vno, ſed à duplici Parente, Adamo, & Eua proceſſit, ita Spiritus ſanctus non à Patre, nec à filio ſolo, ſed ab vtroq; originem ducit. Adumbrauit deinde matrimonium illud, vinculum, & vnionem hypoſtaticam humanæ carnis cũ perſona Verbi diuini, nuptias etiam diuini ſponſi cum eccleſia militante per gratiam necnon intimam coniunctionem cum animabus beatis in Eccleſia triumphanti per claram Dei viſionem. Quòd, ſi laudem matrimonij petere placet à ſtatu, clarè liquet eius excellentia, cùm in felici ſtatu innocentiæ, in quo nondum homo peccauerat, fuerit inſtitutum. Si ab antiquitate, manifeſtum eſt à primordio creationis mundi cœpiſſe, atque adeo ante omnia Sacramenta. Si à loco, quo Deus illud inſtituit, nemo ignorat, Paradyſum fuiſſe, vt ſacra Geneſis hyſtoria narrat; & quod mirabilius meritò videri poteſt, & ex quo nõ modicã laudem matrimoniũ ſibi conciliauit, illud certè eſt, quòd Deus in Paradyſo, vt Adamum ad matrimonium contrahendum melius diſponeret, immiſit ſoporem in illum, & tulit vnam de coſtis eius, ex qua formauit eius vxorem, vbi gloſa inquit: raptum fuiſſe tunc Adam in ſpiritu, & interfuiſſe Curiæ cœleſti, & ibi agnouiſſe virtutem magnam matrimonij, & cuius rei eſſet Sacramentum. & D. Auguſtinus in comment eiuſdem loci, inquit: *Ecſtaſis rectè intelligitur ad hoc immiſſa Adamo, vt mens eius particeps redderetur angelicæ Curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei, nouiſſima intelligeret. Vnde vigilans, ſpiritu prophetico ait: hoc nunc os de oſſibus meis*. Quid plura? non modica matrimonij laus cenſenda eſt, quod Deus ipſe velut Sacerdos, & proprius miniſter illius, Adamum cum Eua ſenſibiliter coniunxit, & nunc quoq; inuiſibiliter omnes coniuges, iuxta illud, *quos Deus coniunxit homo non ſeparet*. Ad hæc illud putauerim non leue matrimonij encomium, quod inter tot millia virorum, & feminarum omnes illi, quos ſeruauit Dominus tempore diluuij, erant matrimonij vinculo coniuncti: nempè Noè, & vxor eius, & tres eius filij, cum totidem eorum vxoribus, vt habetur Gen. 7. Quid quod matrimonium non ſolùm terram, ſed, & Cœlum replet, & ſedes vacuas ab Angelis, qui ciciderunt, deſertas implet. ferè enim Patriarchæ omnes, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines,

Matth. 19. — Ad Eph. 5. — Gen. 2. — Gloſ. ord. — D. Aug. — Gen. 7.

ac Sanctæ viduæ ex matrimonio prodierunt; & ipſe Dei filius carne indutus, ex eo prodiuit, quatenus matrem elegit virginem iam vxoratam, quod maiorem gloriam, ac ſplendorem matrimonio attulit. Vt enim dixit D. Auguſtinus de concept. & nupt. *noluit Dei filius carnem ſumere ex ea, donec fuit in matrimonio collocata*. Quare, mea ſententia, matrimonium Virginis fuit inſtar pallij, quo cœleſtem conceptum occultauit. Hæc, & ſimilia ſancti Patres contemplantes, multa in laudem matrimonij edixere; ſolius tamen Chriſoſtomi, & Lactantij egregia teſtimonia apponam.

D. Aug.

D.Chryſoſtomus igitur, homil. 23. in Geneſ. ait: *Placuit Enoch Deo, poſtquam genuit Mathuſalem. Si nuptiæ forent impedimentum virtutum, nequaquam nuptias in hanc vitam introduxiſſet Dominus; ſed nihil obſtant nuptiæ, ſi ſobrij eſſe voluerimus, immo magnam afferunt conſolationem, dum comprimunt inſanos naturæ mores, nec turbari, quaſi mare ſinunt, ſed quaſi ſcapha, feliciter faciunt in portum appellere. Ne dicas igitur non poſſum benè viuere propter nuptias: nonne Moyſes vxorem habuit, & tamen Cœlo manna deduxit? nonne, & mare aperuit? Petrus, Apoſtolorum caput, nonne vxorem habuit?* affinia habet iſtis homilia de verb. Iſaiæ: *Nihil* (inquit) *mali habent nuptiæ; mulier, ſi proba adiutorio tibi erit, ſi non fuerit commoda, ſed improba fac eam commodam. Vxor Iob, improba erat, & praua, ſed quid nocuit illi? ſuaſit eum blaſphemare, numquid labefactauit turrim, aut deiecit ad amantem, aut depulit militem? nihil horum illa impellebat, & arbor reddebatur ſtabilior; illa fluctus excidebat, & Naues non ſubmergebantur. Sed ais: è Paradyſo me expulit, ſed eadem in cœlum induxit: bona vxor, eſt ſolatio, mala, eſt patia. Abraham nonnè habuit vxorem? & tamen factus eſt, pater omnium gentium. Quid Macbabæorum mater? nōnè vxor fuit? nonnè ſeptem filios addidit ſanctorum choro?* Lactantium Chryſoſtomo addamus de off. Dei cap. 9. hæc ſcribentem. *Qui habet coniugem, nihil quærat extrinſecus ſed contentus ea ſola ſit; carnem caſtiget, & inuiolati cubilis Sacramenta cuſtodiat; adulter enim Deo eſt, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in ſeruam peregrina voluntate luxuriat.* Nunc ijs

D. Chryſ. ho. 23. in Gen.

Lactant.

iungamus & nos. Si vt ſup. dicebam matrimonij quærimus auctorem, non à Moyſe, aut Lycurgo, non à Solone, ſed ab ipſo rerum omnium ſummo opifice conditum, atque inſtitutum eſt, à Chriſto autem cohoneſtatum, conſecratumq; miraculorum ſuorum primitijs. Si leges à mortalibus inſtitutas, ſacroſanctas habemus, nonnè erit coniugij lex ſanctiſſima, quam ab eo accepimus, à quo & vitam? quam legem, vt confirmaret, ad nuptiale conuiuium cum matre lubens adfuit. Vetus lex adeò honorauit coniugij ſanctitatem, vt qui ſponſam duxiſſet, eodem anno à belli tumultibus remotus, non cogebatur exire militatum. Leges autem Romanæ ita honorarunt coniuges, vt eos, qui maſculos genuiſſent, ac ita Rempublicam auxiſſent, eis, tanquam benèmeritis, præmium è publico ſtatuerunt. Apud Hebræos ſteriles coniuges etiam à communibus aris arcebantur.

Deut. 20.

His tamen ſic prælibatis, ad ea documenta, quæ in matrimonio ſeruari debent tradenda, properemus. Primum, & principale eorum, verba hodierni ſacri Euangelij clarè indicant, dum ſacer Euangeliſta ait, acceſſitum fuiſſe Chriſtum Dominum ad nuptias, & eiſdem interfuiſſe: *Vocatus eſt autem, & Ieſus ad nuptias*. Sanè, cum Deus nubere voluit Adam cum Eua, priùs (vt ſup. dicebam) illum in cœleſtium ecſtaſim rapuit, id enim ſibi volunt verba illa Gen. *miſit Dominus ſoporem in Adam*, vt ibidem communi conſenſu Patres explicant; quò, non obſcure ſignificauit, mēte in Deum fixa, & in eius voluntatem vxorem eſſe accipiendam; & inſtar dormientis, oculos & ſenſus claudentis, ad ea, quæ libido, & cupiditas impellunt, propter debitum finem, ad matrimonium accedendum eſſe: etenim, qui explendæ libidis appetitu illud contrahunt, maledictum id incurrunt, quod Angelus Raphel Tobiæ, dixit cap. 6. *Qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum a ſe, & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: habet poteſtatem dæmonium ſuper eos*. Vnde ibidem ipſe Tobias narrauit, Saram datam fuiſſe in coniugem ſeptem viris, qui à dœmone occiſi fuerant, non propter aliā ſanè rationem, niſi, quia, non in timore Dñi, & amore filiorum, ſed magis libidine ducti

Ioan. 2.

Gen. 2.

Tob. 6.

D. Auguſt. duƈti ad eam acceſſerunt D. Aug. lib. 2. de peccato Orig. cap. 33. ad hoc documẽtum reſpiciens, dixit: *Non eſt nuptiarum bonum, morbus concupiſcentiæ, in quo vxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apoſtolus prohibet, ſed potius pudicitia coniugalis, quæ in bonos vſus ordinata, ad filios procreandi redigitur libido carnalis*: verba autem Apoſtoli hæc ſunt: *Vt ſciat vnuſquiſq; veſtrum, vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut, & gentes, quæ ignorant Deum.* D. Aug. Atquè hinc idem D. Auguſtin. ſerm. 244. de tempore, exhortatur viros, & vxores, diebus dominicis, & præcipuis feſtis ab vſu matrimonij ſe abſtinere, addito; rem mirabilem, nimirùm ex defectu huius abſtinentiæ in ſacris his diebus, filios quandoque prodire lepra, aut æpylepſi infectos, aut forſan à dæmone obſeſſos, didicitque conſilium hoc D. Auguſtinus à D. Paulo. 1. Corinth. 7. vbi monet coniugatos, vt ad inuicem conſentiant in abſtinendo ſe, quo facilius in Deum mentem eleuent. 1. Cor. 7. *Ex conſenſu ad tempus, & vacetis orationi*: Quod ſi, ad vacandum orationi volebat Apoſtolus coniugatos ab omni venere ſe abſtinere, quid quæſo diceret, ad recipiendum ſacratiſſimum Chriſti corpus? maximè, quòd nemo ignorat, in veteri lege, Exod. 19. Dominum dixiſſe, cum eſſet in montem deſcenſurus: Exod. 19. *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* & 1. Reg. 21. & refertur cap. ſciant fratres 33. q. 4. quod cùm milites Regis Dauid valde famelici, vellent panes propoſitionis comedere, Sacerdos Abymelech facultatem dedit, ea appoſita conditione: 1. Reg. 21. c. ſciant. *Si mundi ſunt pueri præſertim à mulieribus*; ac tãdem Exod. 20. in figura huius præuiæ abſtinentiæ ab omni libidine ad recipiendam ſanctam Synaxim; Exod. 20. Dominus præcepit, vt cum Paſcha comederent agnum, qui, typus erat immaculati Agni, qui in Euchariſtia, ſecundum propriam ſubſtãtiam verè adeſt, renes ſuos accingerent. *Renes veſtros accingetis.* Macrob. Memini Macrobium lib. 1. Saturna. cap. 23. narrare, Syrios ſolitos fuiſſe, vt cùm imaginem ſolis per publicas vias humeris ſuis geſtarent, prius capitibus raſis per longum tempus caſtitatem colerent. Non diſſimiliter, cum nos ſumentes Chriſtum Dominum in Euchariſtia, nõ imaginem ſolis, vt illi, ſed ipſum verum ſolem Iuſtitiæ ſuſcipiamus, & D. Paulus, 1. Corinth. 15. dicat: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cæleſtis.* 1. Cor. 15. Opus eſt, ne à Paganis vincamur, vt prius munditiam non ſolùm mentis, ſed & corporis colamus, iuxta illud 1. Corint. 6. 1. Cor. 6. *glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Atq; huic ſimile eſt illud, quod Ouidius lib. 10. Metamorphoſ. ſcribit, præuiã munditiam, & caſtitatem adhibitam fuiſſe olim in feſtis, quibus Cereri (quam Gentiles vocabant frumenti inuentricem) diuinum cultum deferebant, ad quod alludunt carmina illa. Ouidius.

Perquè nouem noctes Venerem, tactuſq; virorum.
In vetitis numerant.

ad eundem etiam modum eadem caſtitas in feſtis Bacchi vini authoris, vt delyrabant Poetæ, teſte eodem Ouid. lib. 1. faſtorum exigebatur.

Sic epulis functi, ſic dant ſua corpora ſomno.
Et poſitis iuxta ſe cubuere thoris.
Cauſa repertori vitis, quia ſacra parabãt
Quæ facerẽt purè, cum foret orta dies.

Sanè Beatam Virginem, diuinam Cererem, appellarim, non ſolùm, quia nauis fuit Inſtitoris, vt dixit ſapiens, de longè portans panem ſuum, ſed, quia ipſum cœleſtem panem vtero ſuo ipſa confecit; Prou. 2. immò & fœcunda terra fuit, ex qua prodijt frumentum electorum, & vinum germinans Virgines, vt dixit Zacharias. Zach. 9. Ad veſcendum ergo hoc cœleſti pane, ſi tam matrem, quam prolem colere deſideramus oportet prius, etiam vxoratos, per caſtitatem diſponi, ab vſu matrimonij, ob reuerentiam tanti ſacramenti, laſciuientẽ appetitum cõpeſcentes. Deinde, ſi Syllius Italicus lib. 7. introducit feminas nuptas à Iunone auxiliũ implorãtes, prius; ad eas preces fundendas, caſtitate ſe præmuniſſe; Syllius.

Huc ades, ò Regina Deum, gens caſta precamur.

quantò quæſò maiore munditia, & caſtitate opus erit ad preces fundendas non falſæ Deæ Cereri, ſed verò Deo; & ad immaculatum eius agnũ ſuſcipiendũm? Atq; hùc etiam conuenienter aptari arbitror illud Eccl. 3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Eccl. 3. Etenim licèt tempus antè aduentum Chriſti Domini,

eſſet aptum ad vacandum filiorũ procreationi propter propagationem generis humani;nunc autem poſt aduentum Chriſti, quamuis liceat in matrimonio generationi vacare, etiam ad tempus licet ſe abſtinere,idq;ſibi volunt præcitata verba:*tempus longè fieri ab amplexibus*. Ac tandem vt vno verbo multa complectat,antiquum illud prouerbium, quod Cicero lib. 2. de legib.tradit: *ad diuuos adeunto caſte*, ſatis
Cicero. vtiq; monet,matrimonio coniuctos, Deũ in Sacramento Euchariſtiæ, non aliter ſibi adeundum, quàm omnis immunditiæ expertes.

Secundum documentum apprimè neceſſarium, illud eſſe reor, vt vir & vxor mutuo amore non carnali, ſed in Chriſto ſe diligant;ad quod melius intelligendũ, explicare oportet, quid ſibi velint verba
1.Cor.7. D.Pauli. *Qui vxores habent,tanquam non habentes ſint.* exhortatur quidem illos, vt quoad fieri poſſit, ex conſenſu vtriuſq; ſe abſtinentes, non minus diuinis obſequijs vacent,quàm ſi vxorati non eſſent:etenim ibidem ait: *qui cum vxore eſt,cogitat quæ ſunt mundi,quomòdo placeat vxori*; e contrà verò, de cœlibem vitam agente ait; *qui ſine vxore eſt,ſollicitus eſt; quæ Domini ſunt,quomodo placeat Deo*. Cùm ergo ait D.Paulus,vt,qui vxores habent,tanquam non habentes ſint,exhortatur eos,vt perinde cogitent, quæ Domini ſunt, & illi placere curent, ac ſi vxores non accepiſ-
D. Aug.lib 1. de nupt. conc. cap 13. ſent,quæ verba explicans,D.Auguſtin.ait *Hoc facilius fit,quando vxores, tales ſunt, vt eis mariti non ideo placeant, quia diuites,quia ſublimes,quia genere nobiles,quia carne amabiles,ſed, quia fideles, quia religioſi,quia pudici, quia viri boni ſunt*. hæc ille. Quorum ea manifeſta ratio in promptu eſt; quia, ſi vir in vxore, & è contra vxor in viro ea ſolùm diligit, quæ Mundus in precio habet, conſequens fit, vt ad placendum ei,diligat,quæ ſunt Mundi: ſi verò e contrà vterq; in altero ea diligit, quæ chara,& grata ſunt Deo; conſequens etiam fit,vt mutuò ſibi placeant, cùm ſollicitam curam gerant eorũ,quæ Dei ſunt. Nihil ſanè gratius Deo in matrimonio præſtari poteſt, quàm mutuus hic vtriuſq; coniugis in bonum conſenſus; ob cuius defectum exiſtimo punitam fuiſſe Michol Regis Dauidis vxorem: vt enim legimus
2.Reg.7. lib.2.Reg.c.7. ludente Dauide coram arca, cum eius vxor debuiſſet pietatem viri ſui commendare,procul dubio illa probro vertit,dixitque ei,quaſi irridens: *quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael,diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum,& nudatus eſt, quaſi nudetur vnus de ſcurris*, ſanctus autem Rex verba vxoris deſpiciens contumelioſis verbis eam corripuit dicẽs: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me, potius quàm Patrem tuum, & quàm omnem domum eius*, &c. Sed quid inde ſubſecutum eſt? obſeruà, quod ſubiungit ſcriptura: *Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius, vſq; in diem mortis ſuæ.* Vide ſupplicium feminæ,quòd diſſenſerit à viro ſuo eo ꝙ coluiſſet Deum: non dubito,quin prolem ei cõceſſiſſet ſi id non feciſſet,Regni futurũ heredem. Igitur, quemadmodùm vmbra ſequitur ſemper corpus, & ſi vnum oculum aliquò conuertas,ſtatim, & alter oculus ibidem etiã tendit; ad eundem modum, quando alter coniugum perficit aliquod diuinum præceptum,debet,& alter,non ſolùm gaudere,& alacritate perfundi,ſed etiam vnà cum illo in idem pietatis, & actionis ſtudium incumbere; atq; hoc eſt propriè, vt ſuprà dicebam, mutuo ſe amore, in Chriſto redamare,& habentes vxores, tanquã non habentes ſe gerere:cum,illarum conſortium nihil eis impedimento ſit,quòminus,quæ Dei ſunt,ſollicitè curent. Atque hinc venit eorum amentia deteſtanda, qui pulchritudinem in vxore præcipue quæritant,vt ſuam libidinem ſatient,quos Iuuenalis Satyra 6.non vxores, ſed facies Iuuenalis.
earum amare his verſibus conuincit.

Cur deſiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non vxor amatur;
Tres rugæ ſubeãt,& ſe cutis arida laxet
Fiant obſcuri dentes,oculiq; minores,&c.

Eam namq; compellunt, vt immemor Dei,ſollicita ſit, quomodo placeat viro; quo ſcilicèt fuco,quo ornatù ardentius ad ſuum amorem eum alliciat: in quo ſanè maximè huius tempeſtatis feminæ excedunt. Sed audiant D. Cyprian. lib. de D. Cypr.
habitu Virg.vxoribus in hunc modum loquentẽ:*Feminas omnes etiam nuptas, puto admonendas,ꝙ opus Dei,& facturã eius,& plaſma adulterare, adhibito flauò colore,vel nigro puluere,vel rubore,nullo modo debeãt.* quibus nõ diſſimilia ſunt illa alia D.Amb.

lib.6.

lib.6.examer.cap. 8. vbi ait: *Si vultum tuum materiali candore oblinias, ſi acquiſito rubore perfundas, illa pictura vitij, non decoris eſt: pictura temporalis eſt, quæ aut pluuia, aut ſudore tergitur; illa pictura fallit, vt neque illi placeas, cui placere deſideras, qui intelligit, non tuum, ſed alienum eſſe, quo placeas, & tuo diſpliceas autori, qui videat, opus ſuum eſſe deletum.* Ne autem quiſpiam ſanctos Patres nimios in hoc, ſibi videri dicat, audiat quæſo, quæ gentiles homines edixere; Ouidius namq; lib.1. de remed.amoris; hæc carmina cecinit: *Ouidius.*

Tu quoque, compoſitis ſua cùm linit ora venenis,
Ad Dominæ vultum, nec pudor obſtet eas.
Pyxidas inuenies, & rerum mille colores,
Et fluere in tepidos æſopa lapſa ſinus.
Illa tuas redolent Phyneu medicamina menſas.
Non ſemel hinc ſtomacho nauſea facta meo.

Iuuenalis. Iuuenalis autem Satyra ſexta ſapienter hęc alia canit:

Sed, quæ mutatis inducitur, atq; fouetur.
Tot medicaminibus coctęq; ſiliginis offas
Accipit, & madida: facies dicetur, an vlcus?

Propertius. Accedant his, quæ Propertius ſcripſit lib. 2.ad Cynthiam, eleg. 19.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos.
Ludis, & externo tincta colore caput.
Vt natura dedit, ſic omnis recta figura
Turpis Romano, Belgicus ore color.

Tertium documentum ſit, vt viri defectus ſuarum vxorum patienter ſuſtineant, & earum fragilitatem virili ſua fortitudine ſuppleant. Hoc documentum deduco ex verbis D.Pauli dicentis: *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam dilexit.* Ad Eph.5. Videamus quæſo, quomodò Chriſtus ſe habuit erga ſponſam ſuam, Eccleſiam militantem. Notat D. Chryſoſt.homil. 20.ad Eph. quod quamquam eccleſia multis defectibus erat deturpata, nihilominus tamen Chriſtus Dominus non eſt dedignatus, illam ſpirituali coniugio ſibi copulare: Erat Eccleſia infirma: *Cum adhuc infirmi eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Erat libidini dedita. *Nos aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ.* Erat aliquando inſipiens, incredula, & errans: *Eramus, & nos, aliquando inſipientes, increduli, errantes,* ad Titum 3. Erat aliquando turpis, & nigra: *eratis aliquando tenebræ.* ad Eph.5. Erat aliquando malitiæ, & inuidiæ liuore affecta. *eramus in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem*; & nihilo ſecius tamen Chriſtus Dominus, vt ibidem ait Apoſtolus, virtute ſanguinis ſui, per lauacrum regenerationis, ab omnibus his iniquitatibus eam abluit. Ad imitationem ergò Saluatoris noſtri, debet vir (quãtùm à ſe præſtari poſſit) omnes vxoris defectus patienter ſupplere: ſatagat, illam, fortem, ſua patientia reddere, &, vt alter Adam ſuæ fortitudinis participem illam reddat, adeò, vt, ſicut Geneſ.2. dicitur: *hæc vocabitur, virago, quia de viro ſumpta eſt,* hoc eſt ex coſta oſſe fortiſſimo, ita vxor ex fortitudine viri fortitudinem mutuet. Atque huc etiam ſpectat, vt ſicut Chriſtus, non grauius ſponſam ſuam affligit, quàm diuina gratia ſuſtinere illa poſſit, Paulo di cēte.1.ad Cor.10. *fidelis eſt Deus, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis,* ita prudens maritus non debet onera grauia & importabilia vxori ſuæ imponere; ac tandem vir vxorem ſuam reddat caſtam, & pudicam, varijs beneficijs eam cumulans ad imitationem Chriſti Domini, qui per Ezechielem 16. ſponſæ ſuæ ait: *Ornaui te auro, & argento, & veſtiui te byſſo, & polymito, ſimilam, & mel, & oleum comediſti*, beneficia enim viri, cuſtodes ſunt caſtitatis feminæ.

Ad Eph.5. *D.Chryſ.* *Ad Rom.5.* *Ad Tit.3.* *Ad Eph.5.* *Ad Tit.3.* *1.Cor.10.* *Ezech.16.*

Quartum documentum vxoribus damus, vt quæ viderint in viris ſuis ſibi diſplicere, in ſilentio, & ſpe ſuſtineant; hac enim ratione omnem difficultaatem facilè vincent. Sæpè viri effræni libidine ducti, alijs fœminis adhærent, tunc autem quid faciendum eſt vxori? illud certè, quod Iſaias cap. 7. exhortatur: *Vide, & ſileas, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium.* D.Hieron. in commenr. huius loci docet, quòd cum vir ad feminam non ſuam diuertir, tunc illi ſunt, velut quidam inferni titiones libidine ardentes, & infamiam, ac prauum exemplum fumigantes: tunc autem prudens vxor ſileat, quia amicitia illa tandē diſſoluetur; hoc enim ſignificari aſſerit D.Hieronymus per metaphoram, *caudarū*

Iſaias 7. *D.Hieron.*

quæ,extremitates ſunt animalium.Solent
etiam viri inſoleſcere, & ardenti bilis paſ-
ſione inflammari; runc autem vxor (ſi
ſapit) non clamoribus,ſed ſilentio, & ſpe
furorem eius mirigabir: eodem Iſaia cap.
Iſaias. 30.dicente: *In ſilentio, & ſpe erit fortitu-
do veſtra.* Sunr tandem alij viri,ludi ama-
tores,ſubſtanriæ diſſiparores, familiæ cō-
moda deſpicientes; quibus omnibus non
aliter vxores occurrere debent, ſi pacem
diligunt,quàm ſilentij remedio, *Erit opus
iuſtitiæ pax,& cultus iuſtitiæ,ſilentium.* Ac
denique, vt vno verbo multa complectar,
oportet, vxorem manſuetudine præditam
eſſe; ad id enim ſignificandum, Nathan
propheta in parabola, quam propoſuit
2.Reg. 12. Dauid 2.Reg.12. vxorem Vriæ nuncupa-
uit: *ouem*,dicens,*nihil habebat omninò,præ-
ter vnam ouem paruulam*. quò apertè do-
cuir,vxorem,inſtar ouis, debere eſſe mitē,
ſilentij ſtudioſam,& mariro,veluti Paſtori
obedienrem, & quidem, vt ſapienter ad-
notauit D. Chryſoſtomus homil. 26. in
D.Chryſ. epiſt.1.ad Cor.*vxor,portus eſt mariti, por-
tum autem oportet eſſe tranquilliſſimum, ne
ille in portu faciat naufragium*.

Vltimum tandem documentum viris,
& vxoribus commune eſt, vt in eorum
marrimonio tria illa bona, quorum me-
D.Iſid. minere D.Iſidor.lib.de offic.c.19.necnon
D.Aug. D.Auguſtinus lib.5.conr.Iulianum.c.12.
minimè deſiderentur,nimirùm: *fides, pro-
les,Sacramentum*. In primis vterq; coniux
ſeruare debet fidem, hoc eſt, fidelitarem,
D.Aug. ne,vt air D.Aug. lib. 15. de Ciuitate Dei
c.23.præter vinculum coniugale, cum al-
tera, vel altero copuletur, adulterium cō-
mittens. Cuius ſanè vitij turpitudinem
D. Auguſt. definirio eius ſaris indicar, nam D. Aug.
lib.de bono coniugali, c.4. in hunc modū
illam deſcribir. *Adulterium eſt alieni pu-
Mag.Sent. doris expugnatio*. Magiſter verò ſenten-
tiarum,lib.5.diſt.41.inquit,*adulterium eſt
alieni vxoris violatio: vnde adulterium
dicitur quaſi alterius thori acceſſio*, quod
D. Thom. idem docuit D.Thom.2.2. diſt. 154. art.
Sext. Pomp. 8.ſexrus Pompeius lib. 1. de verb. ſignif.
dixit *adulter & adultera dicuntur, quia &
ille ad alteram & hæc ad alterum ſe confe-
D.Hieron. runt*. D. Hieron. in epiſt. ad Gaudenr vt
ab hoc virio maritos detterreret, dixit:
*Habens vxorem,vtatur vaſe ſuo in ſancti-
ficatione,& pudicitia, bibatque de fontibus
ſuis; non quærat ciſternas luparum diſſipa-
tas,quæ puriſſimas aquas pudicitiæ continε-
re non poſſunt*. Quam metaphoram planè
mihi viderur deſumpſiſſe D. Hieronymus
à Salomone.Prouerb. 5. vbi hæc verba le- Prou.5.
go: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta
putei tui: Deriuentur fontes tui foras, & in
plateis aquas tuas diuide. Habeto eas ſo-
lus, nec ſint alieni participes tui. Sit vena
tua benedicta,& lætare cum muliere adole-
ſcentiæ tuæ: Cerua cariſſima,& gratiſſimus
hynnulus,vbera eius inebrient te in omni,
tempore, in amore eius delectare iugiter*.
Ciſternam,& puteum,vxorem appellat,&
duo marrimonij officia commemorat; ſci-
mus enim, matrimonium inſtitutum in
remedium concupiſcentiæ,& ideo air: *Bi-
be aquam de ciſterna tua, & fluenta putei
tui*, ideſt; ſirim concupiſcentiæ extingue
aquis ruæ ciſternæ, *putei tui*, inquit non
alieni, tua vxore vtere, ad alienam ne
accede. Inſtitutum prætereà eſt matri-
monium in officium naturæ ad gignendos
liberos. vnde ait: *Deriuentur fontes tui fo-
ras,& aquas tuas in plateis diuide*. Fonres
& aquas, liberos appellar: quemadmo-
dùm enim è fontibus effluunt aquæ in pla
teas,ira ex vxore liberi emananr, qui Rei-
publicæ inſeruiunt, non ſolùm ſibi nari,
ſed & Patriæ. Quoniam verò non ſemel
contingir,liberos ſpurios naſci,inſuper ad-
monet,ne filios ſuſcipiat ex mererricibus,
& concubinis,quorum incertus eſt pater.
Habeto (vlterius,inquir) *aquas tuas*,ideſt
filios tuos *ſolus tu,ne ſint alieni, participes
tui*, ideſt; habeto filios, quorum ipſe ſis
parer. Deinde air: *Sit vena tua benedicta*, Prou.5.
hoc eſt,fons tuus, vxor tua, ex qua, velut
è vena,& fonte, puriſſimæ aquæ, ideſt, le-
gitimi filij emanent: Sir (inquam) bene-
dicta filiorum procreatione, iuxta illud,
Iob.6. *In ſemine Abrahæ benedictionem in* Iob 6.
filijs conſequaris, ſubiungit: *lætare, non
cum concubinis, & meretricibus, ſed cum
muliere adoleſcentiæ tuæ*. ideſt,cum vxore
quam adoleſcens cepiſti. *Sit tibi vxor,
Cerua Chariſſima, hynnulus gratiſſimus*,
hoc eſt,ſit ribi in delicijs,& mulrum ama-
bilis, & qua ſi chariſſimam Ceruam,hyn-
nulumq; ribi iucundiſſimum blandè illam
tracta,non aſperè. Ad hæc: *Vbera eius in-
ebrient te*,vel,vt originale hebræum habet
amores eius inebrient te,ideſt ſatient te, nè
aliam quæras. Denique,*in amore eius* (air)
delectare iugiter, hoc: eſt: fidelis eſto ei,
nè al-

Digitized by Google

nè alteri copuleris, ſciens Apoſtolum 1. Cor. 7. dixiſſe: *Mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir.* Cerrè adulterium, & infidelitatem, non ſolum ſacra eloquia, ſed, & ethnici homines ſolo lumine rationis ducti, vehementer damnarunt, & punierunt; vt ſatis indicant acerbiſſima ſupplicia, quibus hoc ſceleris genus mulctabant, etenim in veteri lege, vt teſtatur D. Ioannes cap. 8. adultera lapidibus percutiebatur: *lex autem præcepit nobis huiuſmodi lapidare.* Arbitror autem ſpeciali ratione adulteram, lapidationis ſupplicio puniri ſolitam, vt non vnum ſolum carnificem, ſed multos haberet, ſimul illam lapidantes; tùm ad ſignificandum, ſupplicium adulteræ nulla ratione differendum, ſed quàm citiùs infligendum; alia enim ferrea inſtrumenta, non ita facilè, ſicut lapides ad manus habentur: tum tandem, quia ſi adultera ſuſpenderetur, aut decollaretur, oporteret, ſæpè illam rangere; tanta autem eſt eius immunditia, vt omnes ab ea contingenda, etiam ad puniendum, ſe abſtinerent; & ideo ſaxis à longè iactis illam impetebant. Legimus etiam Num. 5. quod diuinitus ordinata erat potio quædam, ad quam bibendam cõpellebatur vxor ſuſpecta de adulterio, quæ quidem, ſi adulterium commiſiſſet, continuò femur eius, peccati illius certiſſimus reſtis, putreſiebat, & tumens vterus eius diſrumpebatur. *Ingrediantur* (ait) *aquæ maledictæ in ventrem tuum, & vtero tumeſcente putreſcat femur.* Obſeruatione autem dignum eſt, (vt id obiter dicam) quòd in ſaccrificio Zelotypiæ, vt præcitato loco habetur, præcipiebat Deus vt offerretur ordeum, oleum verò minimè aliungeretur; per primum enim ſignificari puto, adulreram indignam eſſe, cibo humano vti, ſed, vt brutum animal, tractandam: ordeum namq; cibus eſt animalium. Oleum autem prohibebatur adiungi in eo ſacrificio, ad ſignificandum, miſericordiæ oleo adulteram omnino deſtituendam? ſed pœnam illam in lege ſtatutam prorſus ſubituram abſque vlla diſpenſatione. Ab Abraham, deinde deſcendẽtes, combuſtionis pœna adulteram plectebant; vt facere tentauit Iudas contra Thamarem nurum ſuam, vt habetur Geneſ. 38. Quod ſi prophana monumenta euoluamus, pene innumera reperiemus

1. Corinth. 7. — *Ioan. 8.* — *Num. 5.* — *Ibidem.* — *Gen. 38.*

ſuppliciorum genera, quibus olim gentiles adulterij flagitium puniebant. Auguſtus Cæſar, vt habetur l. 1. ff. ad legem Iuliam de adulter. & refert Suetonius Tranquillus in Auguſto cap. 34. capitis pœna iuſſit adulteros affici. Cornelius Tacitus libro ſecundo hiſtoriæ Auguſtæ teſtatur, inter Romanos, adulteras ab Vrbe Romana relegari ſolitas in regiones per ſexcẽta milliaria, hoc eſt, ducentas leucas diſtantes; adulteros verò per plures. Dionyſius Alicarnaſſeus lib. 2. refert, Romulum primũ Romę fundatorẽ acrius adulterium puniuiſſe; præcepit enim, vt adulterã tam vir, quàm conſanguinei quocumq; necis genere ad libitum eorum, plectere poſſent. Lucianus in apolog. pro Dijs, refert Saletum principem Protonienſium, legem ſtatuiſſe, vt adulteri, viui comburerentur; & quod mirabilius eſt, cum ipſe in hoc criminis genus incidiſſet, ipſe, ſibi nulla ratione parcens, in ardentem rogum ſe coniecit, vt idem Lucianus cõmemorat. Cornelius Tacitus lib. 2. hiſt. auguſtæ, teſtatur inter Germanos moris fuiſſe, vt vir vxorem adulteram è propria domo foras mitteret, & à tergo eam inſequens, flagellis per publicas vias cæderet. Plutarch. in problem. c. 115. narrat, inter Cumæos ſolitum fuiſſe, vt fœmina adultera cuidam ſaxo, quod ſedes erat infamis, inſideret; deinde, per totam Ciuitatem duceretur ſummo rubore ſuffuſa: poſteaq; reuertebatur ad idem ſaxum, quibus ceremonijs in perpetuum manebat fama eius denigrata, & tanquàm turpis mulier ſemper habita. Aelianus lib. 12. var. hiſt. tradit. Corthinenſes, adulterorum capita lanea corona redimiſſe, quod tunc erat, ſingulare infamiæ genus, & vt authot eſt Iuuenalis Satyr. 10. Placiadæ, Græciæ Populi adulteros, palis per medium corpus transfigebant.

Secat ille cruentis
Verberibus quoſdam mœchos; & mugilis intrat.

Diodorus Siculus lib. 10. bibliothecæ cap. 4. ſcribit, quòd adulteri ab Aegyptijs mille flagris vapulabant, adulteræ verò naſus gladio amputabatur. Locrenſes, vt teſtatum reliquit Aelianus lib. 13. adulteris oculos eruebant, eamq; legem Zaleucus ſtatuerat, quam poſteà cum filius eius violaret, nè impunè tantum maneret

l. 1 ff. ad leg. Iuliam. — *Suetonius.* — *Cornel. Tacit.* — *Dyon. Alicar.* — *Lucianus.* — *Corn. Tacit.* — *Plutar.* — *Aelian.* — *Iuuenalis.* — *Diodorus Siculus.* — *Aelianus.*

neret crimen, oculus vnus erutus fuit filio alius ſibi. Demoſthenes contra Neæram affirmat inter Athenienſes cautum eſſe, ne adultera interficeretur, vt magis diuturna eſſet eius infamia; prohibebatur tamen templum ingredi, quod ſi ingredi auderet, omnibus impunè licebat indiſcriminatim, quocunq; ſupplicij genere, nece tamen excepta, illam afficere, maritus verò poterat adulterum interficere, vt ait Plutarch. in Solone. Iuſtinus lib. 4. aſſerit, Parthos in nullũ criminis genus acrius inuehi ſolitos, quàm in adulterium, non tamen aſſignat ſingularem punitionis modum, quo vtebantur. Ex Plutarco verò in Lycurgo to. 1. hæc accipe. Memoratur ſermo Geradæ cuiuſpiam vnius ex antiquiſſimis Spartanorum, qui interrogatus à quodam hoſpite, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri? reſpondit, nullum apud ipſos fieri adulterium, tum illo ſubijciente, quid autem ſi fieret? Taurum (inquit Geradas) perſoluet eius magnitudinis, vt capite ſupra Taygetum montem inclinato, Eurotam bibat. Rurſus mirante hoſpite, percunctanteq; quonam modo tantus bos naſci poſſet, Geradas ridens concluſit; eodem, quo Spartæ adulter exiſtere potuit. Nam, quo pacto Spartæ adulter, in qua diuitiæ, delitiæ, & corporis adſcititius cultus probro habentur, contra verecundia, modeſtia, ac obedientiæ Magiſtratibus debitæ obſeruatio decori laudiq; dantur? nunc proh dolor & pudor, *adulteris plena eſt terra*, vt ait Hierem 23. & vt conqueritur ipſe, *vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat: equi inſanientes in fœminas*, adeoq; hoc malum frequens erat, vt Oſeas diceret, *maledictum & adulterium inundauerunt*. Ac tandem idem Lycurgus, inſignis legumlator, vt Plutarchus commemorat inter eas, quas Lacedęmonijs tradidit, cum alijs criminibus pœnas appoſuiſſet, adulterij pœnam præterijt: Cum autem quidam Lacedæmon interrogatus, quare Lycurgus non ſtatuiſſet ſpecialem pœnam pro adulteris? Reſpondit, quia præſumebat, tantum ſcelus in ea benè morigerata Republica nunquam fore patrandum. Aduertere tamen oportet, quod (vt docet D. Auguſt. lib. 2. de adulterio c. 7.) mariti priuantur iure pœnam exigendi ab vxoribus adulterium committentibus, ſi ipſi etiam adulteri ſint, quia infidelitas vxoris viri infidelitate compenſatur. ad idque adducit verba illa, quę Chriſtus Dominus adulteræ accuſatoribus dixit: *Qui ex vobis ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat*. Maritus ergo ſi adulter eſt, cur lapidem mittere velit in adulteram, maximè, cum fragilioris naturæ ſit femina, quàm vir, difficiliuſq. poſſit, ratione ſuæ fragilitatis libidini reſiſtere? atque ad hoc mirificè faciunt verba Ariſt. lib. 1. œcon. cap. 4. dicentis: *Primum leges ſunt inter virum, & vxorem, vt iniuria ceſſet, & ſic nec ipſe iniuriam patietur*, quaſi dicat: Caueat vir, ne iniuriam infidelitatis inferat vxori, alioquin viciſſim ſimile iniuriæ genus vxor ei irrogare cupiet ſui veſtigia ſequens. Vnde Vlpianus Iuriſconſult. in l. ſi vxor, §. Iudex, ff. de adulter. docet, quòd quando vxor de adulterij crimine conuincitur, inquirendum, & explorandum eſt, an vir eius adulter ſit: periniquum enim eſſe videtur, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat; quam legem Antonini eſſe tradit D. Auguſtinus pręcitato loco, ex quo deſumptus eſt textus in cap. ſi dicturi 32. q. 6. vbi aurea hæc verba legimus: *Quales volumus vxores inuenire, & ipſæ nos inueniant; & ſi intactas volumus, intacti ſimus*. atque in hoc vidētur fundari verba Iob. 31. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, ſcortum alterius ſit, vxor mea*: videbatur enim illi, iuſtum eſſe ſupplicium, Deo id permittente, vt ſi ipſe libidine deceptus, ad alienam feminã accederet, vxor etiam propria, alienum virum agnoſceret. Vnde Deus per prophetam Oſeam c. 4. dixit, ſe non puniturum adulteria vxorum propter adulteria virorum: *Non viſitabo ſuper ſponſas veſtras, cùm fuerint fornicatæ, quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur*. Caueant ergo viri ſollicitè adulterium, ſi caueri illi volunt ab vxoribus. vt enim ingenioſè cecinit Ouidius libro 1. de arte amandi.

Tunc quoque tentanda eſt, cum pellice læſa dolebit,

Tunc facies, opera ne ſit inulta tua.

Secundum bonum matrimonij, proles eſt. *In prole* (inquit D. Auguſtinus loco citato) *attenditur, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, ac religioſè educetur*: hic finis eſt nuptiarum, liberos gignere, qui

Margin notes: Demoſthen. — Plutarch. Iuſtinus. — Plutar. — Hierem. 3. — Oſeas 4. — Plutarch. — D. Auguſt. — Ioann. 8. — Ariſt. — Vlpianus. — D. Auguſt. — cap. ſi dicturi 32. q. 6. — Iob. 31. — Oſeas. — Ouidius.

qui Deum colant, ament, venerentur.
Geneſ. 1. Geneſis 1. ait Deus: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Danda tamen
opera eſt ijs, qui matrimonio ſunt coniuncti, vt non ſolum filios generent, ſed ſpiritualiter regenerent. vt enim ſapienter
D. Auguſt. dixit Diuus Auguſtinus in pſal. 127. *Auſbus etiam dictum eſt: Creſcite, & multiplicamini. pro magno vis habere, quod auibus donatum eſt? magis cogita, quomodo nutrias, qui nati ſunt, quàm, vt naſcantur; non enim iam felicitas eſt, habere filios, ſed bonos habere*. hæc Auguſtinus. Quibus per-
Clem. Alex. ſimilia ſunt, quæ in hæc verba tradit Clemens Alexandrinus lib. 2. pædago. c. 10.
Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, ſcopus eſt, liberorum ſuſceptio: finis autem, vt boni ſint liberi, vt non ſolum terram, ſed Cælum quoque repleant. hoc eſt, vt ea educatione, ex qua Eccleſia ornamentum, & cæleſte Regnum accipiat incrementũ, illos alant; eſt enim matrimonium, tum Eccleſiæ, quæ in terris verſatur, tum illius, quæ in Cælo eſt, quoddam veluti ſeminarium: multum autem intereſt, hoc ſeminarium, bonum eſſe; quale enim eſt Seminarium, tales horti plantæ ſunt. Magni refert, quali lacte infans nutriatur, ſi ſanum lac ſuxerit, ſanus erit, ſi morbo infectum, morbo etiã ipſe inficietur. Eſt quoddam animi lac,
1. Petr. 2. quod Diuus Petrus epiſt. 1. cap. 2. rationabile vocat. *Sicut modo geniti infantes* (inquit) *rationabile, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem*. Rationabile lac animi, doctrina eſt, quæ ſi ſana, morum ſanitatem pueris parit: ſi vitioſa vitiorum peſtem fert. Lacte creſcit infans, ideoq. ait Diuus Petrus: *vt in eo creſcatis in ſalutem*. Si virtutis documenta puero tradas, virtute creſcet in ſalutem: ſi vitia doceas, iniquitate creſcet in damnatio-
D. Gregor. nem. Vnde Diuus Gregorius lib. 6. epiſt. 187. dixit: *Verba nutrientium, aut lac erunt, ſi bona ſunt, aut venenum, ſi mala: talia ergo nunc eis ſuggerant, quæ poſtmodum oſtendant, quàm bona fuerunt, quæ à nutritiorum ſuorum ore ſuxerunt*. & D.
D. Chryſoſt. Chryſoſt. tom. 1. in homil. de Anna, & Samuelis educatione, ait; Samuelem ab vberibus maternis ad vbera veniſſe ſpiritualia. Sic oportet filios ab vberibus carnis, protinus ad vbera ſpiritus transferre, vt rationali lacte ab incunabulis paſcan-
D. Chryſoſt. tur. Verba Diui Chryſoſtomi hæc ſunt. *Samuel ab ipſis iucunabulis ad virtutem tranſiliit: prima ſtatim pueritia ab vberibus matris venit ad vbera ſpiritualia*. Duas quidem habet filius partes, animum ſcilicet, & corpus: partem vtriuſque parentes curam diligenter gerere debent; animi tamen tantò maiorem, quantò maior, & precioſior eſt animus corpore. at (proh dolor) in corpus curam conferunt, quod genuerunt, animum verò à Deo procreatum negligunt. Hinc illa Diui Gregorij D.Greg. Naz.
Nazianzeni præclara carmina.

Non homo totum hominem, veluti de more loquuntur,
Progignit; verum craſſæ tantummodo carnis
Eſt pater, & calidi dat ſemina prima cruoris.
Quorum vtrumque graui corruptum morte peribit.
Eſt anima in corpus diuino condita flatu,
Immeat externè: nouit Rex ille ſupernus,
Quo primũ pacto flauit, terræq. iugauit
Auguſtam effigiem; porrò, ne dicere falſum
Cenſear, ipſa tuo locuples mihi teſtis amore
Eſſe potes; nec enim perfectus, & integer ille eſt:
Non etenim natorum animas, ſed corpora ſola
Diligis, & magno, cum ſunt malè ſana, dolore
Afficeris, rurſus gaudes florentibus illis.
Nam multò grauius mentes vtriuſque parentis
Excruciat, vel parua lues, quæ membra ſuorum
Inficiat; quàm magna animi labeſque, lueſque;
Cur? quia non animas illi, ſed corpora gigunt, &c.

Hinc etiam D. Chryſoſtomus, qua ſolitus eſt eloquentia, homilia 6. in Matthæum, acriter reprehendit Parentum ſegnitiem in rectè educandis filijs. lib. etiam tertio aduerſus vituperatores vitę monaſt. hæc ſcribit: *Nulla alia ex ratione peruerſi vt ſint liberi contingit, niſi quòd eorum Patres circa vita præſentis commoda æquo amplius incumbant: & ferè dixerim inſaniunt: Cùm enim illa ſolummodo inquirunt, nihilq. illis præferendum cenſent, &* D. Chryſoſt.

ſuam

ſuam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo Patres, parricidis ipſis immaniores dixerim; illi enim corpus ab anima ſeparant, iſti, & animam, & corpus æternis ignibus tradunt. Huc illud pertinet Cratis, qui (vt tradit Plutarchus in libro de liber. educand.) ſi licuiſſet, in altiſſimam Vrbis partem conſcendiſſet, & ſe inde vociferaturũ fuiſſe aiebat: *Quorſum ruitis homines, qui omne in comparandis pecunijs veſtrum ſtudium facitis, filiorum verò, quibus eas relinquitis, nullam ſanè curam ſuſcipitis?* addendum cenſet Plutar. quod *hi patres, non aliter faciunt, qui qui magnam calceorum ſedulitatem habent, cum interim pedem ipſum paruipendant: præpoſtera hæc cura eſt, etenim prius pedis, poſteà calceorum ratio habenda; prius de liberorum virtute, poſteà de corpore habenda cura. felicitas eſt, filios habere bonos; infelicitas magna, habere prauos.*

Plutarch.

Tertium tandem bonum matrimonij, eſt Sacramentum, quo contractus naturalis vtriuſque coniugis ad ſupernaturalium rerum ordinem eleuatur ex Chriſti Domini inſtitutione, in quo maximè diſcriminatur chriſtianorum matrimonium à matrimonio infidelium: hoc enim ſolum importat mutuum vtriuſque conſenſum, iſtud verò ſecum affert myſterium ſignificationis, tùm vnionis hypoſtaticæ humanæ carnis cum perſona Verbi diuini, tùm ſpiritualis connubij Chriſti cum Eccleſia, Apoſtolo dicente, ad Ephæſ. 5. *Sacramentum hoc, magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia:* Magnum certè vocat illud propter excellentiam rei ſignificatæ. quod autem ibidem ait Paulus de vxore loquens: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*; manifeſtum eſt, Chriſtum Dominum præſtitiſſe: etenim Patrem reliquit, non quòd à Patre receſſerit, ſed quoniam, in ea forma non apparuit, qua Patri eſt æqualis. reliquit Patrem (interpretatur D. Auguſtinus tract. 9. in Ioan.) quia *exiuaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens*; reliquit verò matrem, ideſt, Synagogam, ex qua ortus eſt, eodem Auguſtino interprete, adhæſit autem eccleſiæ per amorem, & charitatem, & ſunt duo in carne vna, quia Chriſtus humanam carnem habet, carne etiam conſtat Eccleſia, cuius ipſe caput

Ad Ephæſ.

D. Auguſt.

eſt. atque hinc eſt, quòd quemadmodum Verbum à carne Chriſti, nec ipſe Chriſtus ab Eccleſia vnquam ſeparatur, ſic, nec viro ab vxore ſeparari licet matrimonio conſummato, iuxta illud Pauli ad Rom. 7. *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt; ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri*. dixi: conſummato matrimonio: quia ante eius conſummationem licitum eſt viro, & ſimiliter vxori ſtatum religionis approbatæ aſſumere, & tunc per profeſſionem, quæ ſublimius, & excellentius matrimonij genus eſt, præcedens matrimonium diſſoluitur, vt ſacrum Concilium Tridentinum definiuit, & ſacrorum Canonum ſtatuta docent. Hinc etiam efficitur, vt, ſicut verbum, & caro, Chriſtus, & Eccleſia ardentiſſimi amoris vinculo ſunt coniuncti, ita vxor, & vir mutuo amore ſibi inuicem conſentientes eſſe debeât. Vnde Hugo Victorinus lib. 1. de Sacrament. par. 6. cap. 35. ſapienter dixit: *Facta eſt autem de latere viri; vt oſtenderetur, quia in conſortium creabatur dilectionis, ne forte, ſi fuiſſet de capite facta, præferenda videretur viro ad dominationem; aut ſi de pedibus, ſubijcienda ad ſeruitutem. Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, ſed ſocia, nec de capite, nec de pedibus, ſed de latere fuerat producenda, vt iuxta ſe ponendam cognoſceret, quam de iuxta ſe ſumptam didiciſſet.* hactenus ille. Antiqui, ad ſignificandum mutuum amorem, & beneuolentiam inter virum, & vxorem neceſſariam, proferebant in nuptijs duas faces ardentes; à quo non abhorret, quod Salomon ait, Cant. 8. dum ad ſignificandum amorem ſponſi, & ſponſæ, ait, *Lampades ignis, atque flammarum; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Quia tamen mutuus vtriuſque coniugis amor honeſti amoris terminos quandoque tranſilire ſolet, diligenter curandum eſt, ne ardens ille amor in libidinis amorem conuertatur. Vt enim legimus in capite origo. 32. q. 4. *Adulter eſt, in ſua vxore, amator ardentior, in aliena quippe, omnis amor turpis eſt; in ſua nimius; ſapiens ergo vir iudicio debet amare coniugem, non affectu, regendo impetus voluptatis, ne præceps feratur in coitum. nihil eſt fœdius, quam vxorem amare quaſi adulteram.* hæc ibi.

Rom. 7.

Hugo Vict.

Atque ex his omnibus, quæ hucuſque diximus,

diximus, colligo, quòd cùm matrimonium, non ſolum in quantum Sacramentum, ſed quatenus, quidam naturalis contractus eſt, ad filiorum procreationẽ ſit ordinatus, & mutuum amorem inter virum, & vxorem fouendum, multaq. bona ſecũ afferat: etiam in ſtatu innocentiæ vigeret, ſi Adam non peccaſſet; licet enim grauiſſimi Patres. Diuus Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum. Diuus Damaſcenus lib. 2. fidei, cap. 30. & lib. 4. cap. 25. Diuus Chryſoſtomus homil. 18. in Geneſ. Euthymius in Commentario huius loci, à ſtatu innocentiæ nuptias omnino excluſerint, quos ſecutus Barſepha Syrus in libro de Paradiſo par. 1. cap. 25. hæc verba habet: *Dicimus, humanum genus fuiſſe tunc multiplicandum, & quidem abſque concubitu; nam, & Angeli multi euaſerunt, ſed abſque nuptijs*. Ceterum, tantorum venia, celebres alios Eccleſiæ Patres ſequens, nulla ratione dubitari poſſe autumo, in ſtatu Innocentiæ, ſi perſeueraſſet, futuras eſſe nuptias, & per commixtionem maris, & feminæ filios eſſe progignendos: ita affirmat Diuus Gregorius in pſal. 50. dicens: *Primi parentes ſine peccato filios ederent, ſi in Paradiſo poſiti, in conditoris obedientia perſtitiſſent*. Idem docuit Diuus Auguſtinus lib. 9. ſuper Geneſ. ad literam, cap. 3. D. Thom. 1. par. q. 98. ar. 2. Hugo Victorinus lib. 1. de Sacrament. par. 6. cap. 24. & alij. Vnde communis eſt Theologorum ſententia, matrimonium ante peccatum in officium fuiſſe naturæ, hoc eſt, ad gignendos liberos inſtitutum; poſt peccatum verò, etiam in remedium concupiſcentiæ datum; quam doctrinam deſumpſerunt ex eodem Auguſtino libro 9. in Geneſ. ad literam cap. 7. dicente. *quod ſanis poſſit eſſe officium, ſit ægrotis remedium*. Sanos vocat exiſtentes in ſtatu Innocentiæ, ægrotos verò, genitos poſt peccatum. Ratione etiam duplici idipſum comprobo; tum, quia in ſtatu Innocentiæ duxit primus Parens vxorem, non ad aliud certè, quàm ad procreandos filios, vt apertiſſimè indicant verba ipſius Dei dicentis: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*. Geneſ. 2. hoc autem adiutorium (vt ibi adnotat Diuus Auguſtinus) erat ad generationem filiorum ordinatum: *Si enim* (inquit) *ad adiutorium gignendi filios, non eſt facta mulier, ad quod ergo facta eſt?* tum quia in ſtatu Innocentiæ Adamo, & Euæ dictum eſt à Domino: *Creſcite, & multiplicamini*. huiuſmodi autem multiplicatio non erat ſolo nutu Dei facienda, ſed viro, & femina cooperantibus: ad Dei enim prouidentiam pertinebat, vt ſicut, quia Angeli non poſſunt alij ex alijs generari, ipſe per ſe ſolum illos crearet; ita ad ſuauitatem eiuſdem prouidentiæ ſpectabat, vt, quia homines ab hominibus naſci poſſunt, non niſi media generatione, viro, & femina concurrentibus, procreatentur. Eſſet igitur in ſtatu Innocentiæ ſine dubio, nuptiarum, & matrimonij vſus. Illud tamen ſummum intereſſet diſcrimen, quod, nunc extincto illo felici Innocentiæ ſtatu, defecit, ac originalis iuſtitiæ fræno abiecto, concupiſcentia, inſtar indomiti equi, ferocijt; nuptiarum vinum defecit, frigida relinquitur aqua, atque inſipida; cum ardore libidinis filij generantur, cum tœdio, ventre portantur, cum dolore in lucem eduntur, cum labore educantur: paupertas non ſemel coniuges affligit, Zelotypia vexat, rixæ incendunt, mœror torquet, curæ premunt, matrimonij pondus obruit, mors denique ſeparat; à cantu nuptiæ incipiunt, in luctum deſinunt. E contra verò in ſtatu illo Innocentiæ, nullus fuiſſet libidinis ardor (vt docuit Diuus Auguſtinus in cap. 3. Geneſ. *non video*, (inquit) *quod prohibere potuerit, vt eſſent eis etiam in Paradiſo honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus; hoc præſtante Deo, vt ſine vllo inquieto ardore libidinis, fœtus gigneretur*. Præterea caruiſſent nobiles illæ nuptiæ pariendi doloribus; teſte ibidem eodem Auguſtino, nam partus dolores feminis attulit peccatum, iuxta illud Geneſis 3. *in dolore paries filios tuos*. Tertiò nulla in illis fuiſſet diſcordia, nullæ mariti, & vxoris rixæ, ſed mutua, ſummaq. charithas: non enim capax erat ſtatus ille rixarum. Quarto, nullus mœror, nullus in illis nuptijs fuiſſet labor. Quinto, nullum fuiſſet adulterium, nulla zelotypia. Sexto, ſuauiſſima fuiſſet liberorum educatio. Septimo, neque mariti mors vxorem, neque vxoris mors maritum mæſtitia affeciſſet. Octauo ſumma fuiſſet vxoris erga virum obedientia, ſummus viri erga vxorem amor, ac tandem nulla eſſet paupertas, nulla matrimonij onera; ſed magna in Deo

D. Hieron. D. Damaſc. D. Chryſoſt. Euthym. Barſepha Syrus. D. Greg. D. Auguſt. D. Thom. D. Auguſt. Gen. 2. D. Auguſt.

Deo voluptate fruerentur: Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia II.

Matrimonium ex ea præcipuè cauſa diſſuadetur, quòd valde difficile ſit, probam inuenire uxorem: ſi tamen nubendum ſit, mutuus inter coniuges oportet vigeat amor, vt fœlix ſit connubium, in eadem verba: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ.

QVAMVIS non diffitear, bonum, ac laudabile eſſe matrimonium, Apoſtolo dicente: *Honorabile connubium, & thorus immaculatus*; nemo tamen catholicus mihi inficiabitur, laudabilius eſſe, non nubere, eodem Apoſtolo id atteſtante. 1. Cor. 7. *Bonum eſt homini, mulierem non tangere.* Omiſſis autem permultis rationibus, quibus ad id ſuadendum vti potuiſſem, eam ſolùm in medium producam, quam quidam Philoſophorum dixit; quia *rara Phœnix, mulier bona*, cui conſonat illud D. Hieronymi. *optima femina, rarior eſt Phœnice*. Vnde, qui nubet, ſi hanc Phœnicem non inueniat, magno periculo ſe committit, ac ingenti illi malo ſe inuoluit, ne pro Sara, Agaram, & pro Rachele, Lyam, & pro proba, improbam ducat: nulla enim truculentior, & inhumanior bellua, quàm mulier mala. Quid inter quadrupedia animalia Leone ſæuius? ſed nihil ad hanc: aut in ſerpentibus, quid Dracone atrocius? Sed hic quidem cum muliere mala, & linguoſa conferri non poteſt: nam, & Leo, & Draco in malo inferiores ſunt, vt Salomon dixit: *Cohabitare Leoni, & Draconi melius eſt, quàm cum muliere mala, & linguoſa.* Et ne putes prophetam per ironiam hoc dixiſſe, ex ipſis rebus diſce manifeſtius. Danielem in lacu, Leones reueriti ſunt, iuſtum verò illum Nabothem, Iezabel interfecit. Cœtus in ventre Ionam cuſtodiuit; Dalyda autem Sampſonem circumuentum illecebris, raſo etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones, & aſpides, Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem ſubdita virtute timuerunt, Herodias verò ei item caput abſcidit. Heliam in monte Corui pauerunt, & Iezabel poſt illam redditæ per ipſum terris pluuiæ gratiam, eundem perſequebatur: timuit Helias, & abijt in deſertum, qui totius mundi ſtatum, & Cœli pluuiam linguæ poteſtate portauerat, qui ignem è Cœlo eduxerat, qui mortuos ſuſcitauerat, hic timuit mulierem; non eſt quidem malitia ſuper malitiam mulieris. Per mulierem Adamum Satan in paradyſo proſtrauit, & de paradyſo exterminauit. Per mulierem mitiſſimum Dauid in homicidium Vriæ armauit. Per mulierem, ſapientiſſimum Salomonem in præuaricationis ſacrilegiũ præcipitauit. Per mulierem, fortiſſimum Sampſonem ligauit, eneruauit excœcauit, & in manus hoſtibus tradidit. Per mulierem, caſtiſſimum Ioſeph vinculis alligatum detruſit in carcerem. Per mulierem diluuium in totum orbem induxit, & vix ſeptem animas propagando generi reliquit. Propter mulierem Madianitidem, populum Iſraeliticũ fornicatione, & idololatria commaculauit, & in Dei odium adduxit. Per mulierem Sychimitas olim deleuit, & Patriarchã Iacob exoſum Cananæis fecit. Propter mulierem, Tribum Beniamin integram ferè ad internecionem cecidit. Per mulierem tandem cuncta proſternit, & iugulat, innumeros interficit; totidem elidit repletos ignominia, & honore vacuatos. Mulier enim impudens nemini parcit, non Leuitam honorat, non Sacerdotem reueretur, non prophetæ defert. Malum omni malo peius, mulier impia. Scio ego, & Aſpides blandimentis incantantium mitigari, & Leones, & Tygres, & Pardos domita feritate, manſueſcere; mulier mala, nunquam placatur, timore enim Dei neſcit frænare linguam; vnde, nec in futurum iudicium proſpicit, neque ad Deum attendit, nec amicitiæ iura ſeruare, nec Religionis fidem nouit vereri. Nihil eſt ei, virum ſuum tradere ad mortem. Volebat iuſtum illum Iob, mulier ad mortem dare. *Benedic* (inquit) *Deo,*

1. Cor. 13.
1. Cor. 7.
D. Hieron.
Eccl. 25.
Daniel 14.
3. Reg. 21.
Ionæ 2.
Iud. 16.
Matth. 14.
3. Reg. 17.
3. Reg. 19.
Iob 2.

Deo, & morere. O exſecranda malignitas? non eſt miſerta viro ſuo,cùm videret omnia eius membra, vlceribus ignitis ardentia: non eſt inflexa ad miſericordiam, cum aſpiceret eum doloribus inuolui, & duris cruciatibus conſtrictum in agone funereo conflictari: non eſt mitigata affectu vxoris, cùm illum, quem regali quondam purpura amictum viderat, tunc in aggere ſtercoris, mutato corpore, iacentē videret: non eſt recordata priſtinæ conſuetudinis ſuæ cum eo, neq; quanta per ipſum gloria in diuitijs, & honoribus floruiſſet, ſed oblita omnium bonorum, quid ait? *Benedic Deo, & morere*. O gratia coniugalis, o malagma doloribus leniendis accomodatum.

Iob 2.

Vis videre & aliam in malitia ſuppatē? Da mihi Dalydam: nam, vt ſupra dicere cæpi, ipſa fortiſſimum illum Sampſonem virum ſuum nouacula raſum, & vinctum Allophilis hoſtibus, in prædam, & ludibrium tradidit: illum cubilis ſui coniugem. cui molliſſimè blandiebatur, & quē, ſe ipſa chariorem, habere exiſtimabatur: & quibus odiorum cauſis diſplicuerat vxori? fortè non erat ſpecioſus? & quis, eo pulchrior illo tempore videbatur? qui ſeptem crines ſacrato vertice in ſeptiformis gratiæ imaginem præferebat? An verò, non erat fortis, & contemptu ignauiæ ſpernebatur? & quis illo fortior, qui Leonem terribilem venientem ſibi obuium, ſolus, & inermis iniectis manibus ſtrangulauit, & ſicut hædum caprarum diſcerpſit? quis illo robuſtior, qui vna die vetuſtis oſſibus aſini mille Phyliſtæos proſtrauit? ſed præterea, & ſanctus erat, atq; in tantùm ſanctus, vt, cùm ſitiſſet poſt laborem pugnæ in loco ſicco, deprecatus in defectu animæ ſuæ dominum, ſtatim ex ipſa maxilla, quā in manu tenebat, erumpentem aquam biberit: atque inde ſitis æſtum ex eodem mortui pecoris oſſe, quo vicerat, refectus extirerit: & hunc talem, & tantum virum, & pulchritudine, & virtute, & ſanctitate vxor ſua ſicut inimicum deſpiciens, alligans Allophilis tradidit. Vnde illi forti viro præualuit? vnde? niſi ingenita malignitate; namque ſubdola irrepſit in præcordia mariti ſimplicis, & importunis obſecrationibus, atq; illecebroſis blanditijs fatigatum, arcano illo virtutis ſuæ martyrio ſpoliauit, atque ita deraſis crinibus, virtute nudatum funditus euertit, vt quem multa millia hoſtium armata non vicerant, & ab inermi proſtrata corruerant, hunc vxor propria ſine armis, dolo malitiæ armata conuicerit. Dic mihi, quæ beſtia contra maſculum ſuum talia aliquando meditata eſt? quæ Dracena vult maſculum perdere? quæ Leæna marem ſuum iugulandum tradidit? Vides ergo, quam aptè dixit ſapiens: *Quoniam non eſt caput, ſuper caput ſerpentis, & non eſt malitia ſuper malitiam mulieris*.

Iud. 16.

Iud. 15.

Eccl. 25.

Subeant iſtud theatrum malitiæ mulieбris, & aliæ, ne morbo inuidiæ tabeſcant, quod præ illis famoſis, nihil ex hac gloria populari decerpere, ſi illas ſilentio obuoluerem, potuerint. Veni tu, Clytemneſtra, & auxiliante Aegyſto, quo cum ſtupri cōſuetudinem habuiſti, Agamenonem maritum interfice. Succedat Semyramis, quæ cum à marito Nino impetraſſet, vt diem vnum, modò in regio ſederet tribunali, obiretq; munus regium, iuridicendo, faciendoque quæ viderentur, exploratis ſatellium animis, Ninum ipſum apprehendi iuſſit, & in vincula conijci, ac poſtremò interimi. Hoc celebrius factum, quod ſequitur: Danaus Beli filius quinquaginta habuit filias, quæ totidem Aegypti filijs nupſerunt; factaque ſimul coniuratione omnes maritos nocte vna interfecerunt, præter Hypermneſtram, quę Lino viro ſuo pepercit. Amphyaraus vates, quum præuidiſſet, ſe periturum Thebis, ſi eò ad bellum proficiſceretur, coniecit ſe in latebras, & occultauit; eum tamē prodidit vxor Eryphile ſpe habendi monilis aurei, quod gerebat Polynices: itaq; vxoris fraude coactus ire Thebas, hiatu terræ abſorptus dicitur. Fabia mulier Fabium Fabricianum interfecit, vt liberius poſſet laſciuire cum Petronio Valentiniano liberali forma adoleſcentulo, quocum adulterij conſuetudinem habebat. Liuia Cæſaris Auguſti vxor verita, ne Agrippam filium Agrippæ in vrbem reuocaret Auguſtus ad imperium ei relinquendum, ficus adhuc pendentes in arbore, quas Octauius manu ſua decerpere conſueuerat, illiuit veneno, cumq; ipſa comederet eas, quę illitæ non erant, ei venenatas offerebat. Vnde cum profectus in Campaniam, ludos apud Neapolim faceret, Nolæ extinctus eſt. Scribit Volaterranus, Albinam quandam Syriæ Regis filiā *Volater.*

duas,& triginta habuiſſe ſorores, quæ totidem maritos interfecerunt, expulſaſque propterea à Patre, veniſſe in Britanniam, & à nomine, Albinæ, Inſulam vocaſſe: *Albionem*. In hoc ordine lego Circem veneficam, quę Sarmatarum Regem, cui nupſerat, veneno nocauit. Lego Helenam, quæ Deiphobum, cui, poſt Paridem adiuncta erat, toto corpore inhoneſtis plagis deformata, ex inſidijs occidit. Lego Candaulem Lydorum Regis coniugem, quæ cum Gyge ſatellite contra maritum conſpirauit. Lego Thebem Alexandri Pherei vxorem, quæ ipſum dormiẽtem iugulauit. Lego Lucillam Druſi cõſortem, quæ cum Seiano adulrero in mariti mortem conſilium iniuit, ſuamq; operam adhibuit, vt ille veneno interficeretur. Lego Agripinam Tiberij Claudij, maritum veneno ſuſtuliſſe: Lego Gandulphum pro fide Chriſti martyrem ab vxore interemptum eſſe; & quis alias numeraret Locuſtas, Lucilas, Coſimũdas, Ioannas, fridegundas, Elizabellas, quę maritis exitio fuerunt, hocq; nomine famam poſteritati reliquerunt? Inſcribamus itaque hæc elogia aræ muliebri: *Rara Phœnix in mundo, bona mulier*, & melius eſt, cohabitari Leoni, & draconi, quàm mulieri malæ, & quatuor; M, M, M, M, *Mulier, Mala, Mors Mariti*. Benè, benè dixerunt ante nos alij.

Tibul. lib. 3. eleg 4. *Ah! crudele genus: nec fidem fœmina nomen.*
Ah! pereat, didicit fallere, ſi qua virum.

Secundus Philoſophus, quid eſſet mulier mala? reſpondit: *viri naufragium, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, volũtaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua conuiua, ſollicitudo conſidens, Leæna complectens, exornata Scylla, animal malitioſum, malum neceſſarium*. O ſi iſta ego ſingillatim deducerem, quàm gratiam à vobis, innupti, haberem, ne in hanc Scyllam incidaris? *Viri naufragium*, inquit, eſt mulier; nam illud vulgare diſtichum, ex tripode, contemnendum non eſt.

Adam, Sampſonem, Petrum, Dauidem, Salomonem.
Decepit mulier: quis modò tutus erit?

Quid plura? Certè Pythagoras interrogatus, qua de cauſa infeſtiſſimo ſuo hoſti filiam in vxorem dediſſet? reſpondit, *quia nihil ei dare poterat deterius*. Democritus etiam Philoſophus cum corpore magnus eſſet, & paruam duxiſſet vxorem, cuidam cauſam interroganti reſpondiſſe fertur: *ego in eligendo malo, quod minimum erat, elegi*; ſed melius Ariſtippus, qui mulierem paruam, ſed pulchram conſpicatus, dixit: *paruum quidem pulchrum, magnum autem malum*. Ac demùm facetè magis videtur mihi locutus Diogenes, qui videns mulieres ex oliua pendere laqueo præfocatas, continuò dixit: *Vtinam, & cetera arbores ſimiles ferrent fructus*. Pythag. Democr. Ariſtip. Diogen.

Sed audiamus iam præclara multa, quæ in hoc genere argumenti Diuus Hieronymus matrimonium diſſuadens, eruditè ſcripſit; etenim lib. 1. aduerſ. Iouinianum tom. 2. adducens verba illa diui Pauli, 1. ad Corinth 7. *Nolite fraudari inuicem, niſi fortè ad tempus*. continuò ſubiungit: *oro te, quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quòd corpus Chriſti accipi non permittit; quamdiù impleo mariti officium, non impleo chriſtiani*: Per quæ vltima verba, non eſt intelligendum, diuum Hieronymum exiſtimaſſe, matrimonium non decere chriſtianum hominem, ſed ſolùm velle, quòd, cum eſſe maritum, commune ſit gẽtili, & chriſtiano, per hoc quòd exerceatur officium mariti præcisè, non exercetur officium Chriſtiani. Deinde ibidem idem ſanctus Doctor hæc præclara ſubiungit. *Martia Catonis filia minor cum quæreretur ab eo, cur, poſt amiſſum maritum, denuò non nuberet? reſpondit, non ſe inuenire virum, qui ſe magis vellet, quam ſua.* quo dicto oſtendit, diuitias magis in vxoribus eligi ſolitum, quam pudicitiam, & multos non oculis, ſed digitis vxores ducere. optima ſane res, quam auaritia conciliat. Eadem cum lugeret virum, & matronæ ab ea quærerent, quem diem haberet luctus vltimum? ait: *quem, & vitæ*. Anniam cum propinquus moneret, vt alteri viro nuberet; eſſe enim ei, & ætatem integram, & faciem bonam: *nequaquam* (inquit) *hoc faciam, ſi enim bonum virum inuenero, nolo timere, ne perdam; ſi malum, quid neceſſe eſt, poſt bonum, peſſimum ſuſtinere?* Valeria Meſſalorum ſoror, amiſſo Seruio viro, nulli volebat D. Hier. lib. 1. adu. Iou. tom. 2. D. Paul.

bat nubere, quæ interrogata, cur hoc faceret? ait: *ſibi ſemper maritum Seruium viuere*. Fertur aureus Theophraſti liber, de nuptijs in quo quærit, an vir ſapiens ducat vxorem? & cùm definiſſet, ſi pulcra eſſet, ſi benè morata, ſi honeſtis parentibus, ſi ipſe ſanus, ac diues, ſic ſapientem aliquando inire matrimonium, ſtatim intulit: *Hæc autem in nuptijs raro vniuerſa concordāt: non eſt ergo vxor ducenda ſapienti*. Primùm enim impediri aiebat ſtudia Philoſophiæ, nec poſſe quempiam libris, & vxori pariter inſeruire. Multa eſſe, quæ matronarum vſibus neceſſaria ſunt, pretioſæ veſtes, aurum gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſuppellex varia, lectica. Ac tandem eodem loco inter alia obſeruatione digna, hæc habet. *Cicero rogatus ab Hircio, vt poſt repudium Terentiæ, ſororem eius duceret, omnino facere ſuperſedit, dicens: non poſſe ſe, vxori, & Philoſophiæ pariter operā dare*. Deinde ſubdit. *Legimus, quendam apud Romanos nobilem, cum eum amici arguerent, quare vxorem formoſam, & caſtam & diuitem repudiaſſet? protendiſſe pedem, & dixiſſe eis: & hic ſoccus, quem cernitis videtur vobis nouus, & elegans, ſed nemo ſcit præter me, vbi me primat*. Epycurus voluptatis aſſertor, raro dicit, ſapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta ſunt nuptijs, graue autem aiebat eſſe, viro ſapienti venire in dubium, vtrum bonam, an malam ducturus ſit? Idem in epiſtola Valerij ad Ruffinum tomo 9. ſic ait: *Phoroneus Rex, qui legum theſauros populis prædicare non inuidit, ſed is primus Græcorum ſtudia deaurauit, die, qua viam vniuerſitatis ingreſſus, ait Leontio fratri ſuo: ad ſummam fælicitatem nihil mihi defuiſſet, ſi vxor mihi ſemper defuiſſet. Cui Leōtius, & quomodo vxor obſtat? at ille: mariti omnes ſciunt. Amice, vtinam tu ſemel maritus fueris, & non ſis, vt ſcias quid fælicitatem impediat*: & infrà: *Pacuuius flens ait Arrio vicino ſuo, amice, arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima vxor mea ſe ſuſpendit, poſtmodum ſecunda, iam nunc tertia. Cui Arrius: miror te in tot proſperis ſucceſſibus lachrymas inueniſſe: Dij boni, quot iterum tibi diſpendia arbor illa ſuſpendit; amice, da & mihi de illa arbore ſurculos, quos feram: amice, timeo ne te oporteat arboris illius ſurculos mendicare, cum iam inueniri non poterunt*.

Theoph.

His omnibus non poſſum non adnectere egregia quædam quæ D. Ambroſ. tradit lib. 1. de Virginibus tomo 4. vbi hæc lego: *Conferamus, ſi placet, bona mulierum nuptarum cum vltimis Virginum: iactet licet fæcundo ſe mulier nobilis partu, quo plures generauit, plus laborat, numerat ſolatia filiorum, ſed numerat pariter, & moleſtias; nubit, & plorat, qualia ſunt vota, quæ flentur? concipit, & graueſcit. Priùs vtiquè impedimentum fæcunditas incipit afferre, quàm fructum parturit, & ægrotat: quàm dulce pignus, quòd à periculo incipit, & in periculis deſinit, prius dolori futurum, quàm voluptati: periculum emitur, nec pro arbitrio poſſidetur. Quid recenſeam nutriendi moleſtias, & inſtituendi, & copulandi? felicium ſunt iſtæ miſeriæ. Habet mater hæredes, ſed auget dolores; nam de aduerſis non oportet dicere, ne ſanctiſſimorum parentum animi contremiſcant. Vide, mea ſoror, quàm graue ſit pati, quod non oportet audiri, & hac in præſenti ſæculo. Venient autem dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt. Quid ergo famulatus graues, & addicta viris ſeruitia replicem fæminarum, quas antè iuſſit Deus ſeruire, quàm ſeruos? quibus hoc ſi probæ ſunt merces eſt charitatis, ſi improbæ, pœna delicti*.

D. Ambr.

Cœterùm, quia, nec rationi conſentaneum eſt, nec omnibus, & ſingulis expediens, à matrimonio ſe abſtinere, cum, & filiorum procreatio neceſſaria ſit ad conſeruationem generis humani, & multi, velut ſuæ concupiſcentiæ antydoto, matrimonio indigeant, illud vnum documentum, quod inſtar mille eſſe arbitror, nubētibus omnibus præbet D. Paulus omni acceptione dignum: *Viri, diligite vxores veſtras*. Quo etiam inuolutè monet mulieres vt diligant viros ſuos; hæc enim mutua dilectio adeò pergrata Deo eſſe perhibetur, vt Salomon inter tria, quæ mirum in modum Deo placita recenſet, tertio loco apponat. *vir, & mulier benè ſibi cō ſentientes*. Reuocate quæſo in memoriam Pythagoricum illud ſymbolum: *Panem ne frangito*, quo minimè prohibet fractionem panis ad comedendum: hæc enim, ſi non fieret, quàm inurbanum eſſet, nemo eſt,

Ad Eph. 5.

Ibidem.

Pithag.

qui non videat. Sublimius ergo quidpiam aliud inſinuauit philoſophus. Etenim panis, ſymbolum eſt amicitiæ. Vnde apud priſcos in more poſitum fuit, & nunc etiam apud Polonos viget, amicitiam pane conciliari: idq; in eo fundari arbitror, tum quod panis ex multis granis in vnum collectis conficitur; tum quia, ſicut præcipuum hominis alimentum, eſt panis, ita & potiſſimum vnionis, & amicitiæ nutrimẽtum, eſt amor. Cum igitur Pythagoras: *panem ne frangito:* dicat, iubet amicitiam & vnionem non eſſe frangendam, quæ procul dubio, ſi inter alios, maximè tamen inter coniuges, conſtans, ac firma eſſe debet; vt pote, quibus caro vna, fides vna, proles communis, & Sacramentum indiuiſum eſt; hac enim ratione & ad inuicem fidem ſeruabunt, filios honeſtè inſtituent, & Sacramenti ſanctimoniam religioſè colent, ſicque benè ſibi conſentientes, Dei ſpiritum recreabunt. Hùc etiam facit, quod olim veteres illi Venerem iuxta Mercurium collocabant, eandemque Venerem pede Polypum prementem depingebant, vt docerent, coniuges, quæ ad inuicem ſibi poſtulaſſent, non rixando, ſed perſuadendo, inſtar e loquentis Mercurij, impetrare debere: tùm, vt inſinuarent, conformationem in amore reciproco, ſub Veneris pede apponebant Polypum, ſi quidem natura ſua recipit rerum vicinarum colores, ſeque in eos quodammodo transformat; ſic boni coniuges ſuos ad inuicem bonos mores, & affectus in omnibus ſibi benè conſentientes conformare debent.

Huius autem mutuæ conſenſionis, & coniugalis amoris heroica quædam exempla referam, vt eorum vos doctrina inſtructi, ad mutuam dilectionem, vel ſeruandam, vel ſuſcitandam, vel certè fouendam aſſurgatis, quæ omnia commemorat, per quameruditus auctor Abraham Bzouius tomo primo, Domin. 2. poſt Epyphaniam concione 3. Inter viros prodeat Dominicus Catalufius, qui Lesbi rerum potiebatur, qui ſingulari memoria amorem dignum erga vxorem oſtendit, quæ cum in lepram incidiſſet, vir minimè veritus à contagione ſe infici poſſe, haud aſpectus horrorem auertit (etenim illuuies, magis, quàm viuum corpus videri poterat) neque tetro odore, quem vlcera mittebant, nunquam, aut menſa, aut lecto communi eam prohibuit: coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrumque conſpectum, odoremque in ſecuritatem, voluptatemq; verterat, quòd eam, iuxta Dei verbum, eandem carnem, ſecum eſſe arbitrabatur. Publius Rubrius Celer vixit cum Caia Ennia vxore ſua annos quadraginta tres, & menſes octo ſine vlla quærimonia mutua. Sed nobilius eſt illud, quod Tiberius Graccus fecit. Is anguibus domi ſuæ mare, & femina apprehenſis, certior factus ab auſpice mare demiſſo vxori eius, femina ſibi celerem obitum inſtare: ſalutarem coniugij potius, quàm ſibi partem ſecutus augurij, marem necari, & feminam dimitti iuſſit, ſuſtinuitque in conſpectu ſuo ſeipſum in interitu ſerpentis occidi, vt ſuperſtitem Corneliam vxorem chariſſimam poſt ſe relinqueret.

Abr. Bzou.

Inter vxores, offert ſe Abigayl, quę Nabalem ſortita virum, licèt ſtolidum, & peruicacem, coluit tamen eum inſigni charitate; cui cum Dauidem iratum cognouiſſet, & ad illius exitium cum armatis appropinquare cerneret, obuiam prudens mulier cum magnis muneribus illi facta eſt; adeoque præferocis, & irati iuuenis animum circumegit, vt ex inimico confeſtim amicus Dauid illi, & ex hoſte hoſpes factus ſit. Hipſicratea Regina Mithridatem coniugem ſuum effuſis charitatis habenis amauit, propter quem, præcipuum formæ ſuæ decorem in habitum virilem conuertere, voluptatis loco habuit; tonſis enim capillis, equo ſe, & armis aſſuefecit, quò facilius laboribus, & periculis eius intereſſet; quin etiam victum à Cn. Pompeio, per efferatas gentes fugientem, animo pariter, & corpore infatigabili ſecuta eſt, cuius tanta fides aſperarum, ac difficilium rerum Mithridati maximum ſolatium, & iucundiſſimum lenimentum fuit, domo enim, & penatibus vagari ſe credidit, vxore ſimul exulante. Verùm non minus magnum coniugalis amoris, illud ſignum fuit, in Iuſtiniani Veneti vxore, dignum certè, quod coniugibus in exemplum beneuolentiæ erga viros ſuos ſtatuatur. Bernardus Iuſtinianus Senior ex Quirina familia *1. Reg. 25.*

vxorem

vxorem longè pulcherrimam, animiquè dotibus prætereà inſignem ita ſibi iunxerat, vt feliciſſimum illud coniugium paſſim omnes ominarentur. Si quidem ex ea tres liberos ſuſcepit, Leonardum videlicet; poſteà D. Marci procuratorem, quæ dignitas apud Venetos poſt decem, eſt prima; & Marcum, qui primus Bergomo de Philippi Mediolanenſis Ducis manibus à Venetis extorto, Prætor deſignatus præfuit, cum tanta nominis ſui dignitate, vt etiam hodie eius memoria celebris ſit; & Laurentium poſtremò, qui à primis annis Religionem ingreſſus, qua iam tum puer imbutus erat, Venetijs poſtea Oliuolenſis antiſtes declaratus, moxq; etiam Patriarchæ dignitate inſignitus, moriens poſtrèmo inter Diuos relatus eſt. Sed, vt ad id, quod eſt operis, redeamus. Quum Bernardus ipſe iuuenis adhuc vita exceſſerit, relicta vxore, quæ quartum, & vigeſimum vitæ annum nondum expleuerat, vt interea vitam ſæpe deſpondere tẽtauerit, maritumq. ſequi, niſi affines illam, & cognati diligenter obſeruaſſent. Quare conuerſa ad filios tres, ſub quorum ſpecie eminebat pater, ſic educare eos, & alere cœpit, vt chriſtiana pietate dignos eos redderet. Qua ex re vigilijs, & ieiunijs quotidianis vacans, pauperumquè cultui aſſiduè inſeruiens, ſpectantibus ſingula quotidie liberis, cilicia veſte pro interula tunica vtens, lumboſque ſuos catena ænea cingens, ſic diſciplina, ſua pignora inſtruxit, vt tria Ciuitatis Venetæ numina enixa videri potuerit. Coronidis loco addam amorem Alceſtis erga Admetum maritum Theſſaliæ Regem. Is, cum, morbo laboraret, conſultaque oracula reſpondiſſent, futurum eum incolumem, ſi quis amicorum pro eo mori vellet, ſola vxor (recuſantibus pietatem illam ceteris amicis) pro viri ſalute morte ſe deuouerit. Vnde Poetæ fabulati ſunt; reuiuiſcendi munus ei à Dijs conceſſum.

Ad extremum, nonnullos ex antiquis Patribus conſulamus, qui de neceſſitate vnionis, & concordiæ inter virum, & vxorem vtilia multa docuere. D. Baſilius lib. de vera virginitate ad Melitenſem Epiſcopum, tomo ſecundo, illud incommodum ante oculos ponit Virginibus, ſi nubant; *Si quidem virum bonum, blandumque nacta fuerit, perpetuo ne moriatur metu, viduitatis incommoda, cruciatuſquè iam ſuſtinet, diram quandam, & imminentem curam, & præſente illo, & abſente propter inſperatos caſus, animo indeſinenter excipiens. Si verò contra duro, & immiti fuerit coniuncta, tota quidem vita illi cruciatus eſt, & cum pudicitiæ ratione, neutrum queat eligere, ideſt, nec viri mortem, propter viduitatis anguſtias, nec* [illegible] *moleſtiam, incommodumque conuictus, ancipiti, atque ineuitabili malo, acerrimiſquè doloribus ſemper atteritur.* D. Chryſoſtomus homil. 38. in Geneſim inter pleraq; alia, quibus viros ad amorem, & concordiam cum vxoribus habendam hortatur, hæc, obſeruatione maximè digna ſcripſit: *Audiant viri, & imitentur iuſti lenitatem, & tantum honorem, ac reuerentiam mulieribus tribuant, vt, & imbecilli vaſculo parcant, & concordiæ vinculum creſcat. Illæ enim veræ ſunt diuitiæ, illæ maximæ ſunt facultates, ſi vir cum muliere non diſcordet, ſed coniuncti ſint, vt corpus vnum. Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Tales, etſi in paupertate ſint, etſi in vilitate, omnium ſunt beatiſſimi; veram percipiunt voluptatem, & in continua conſiſtuut tranquillitate. Sicut contra, qui hac non fruuntur, ſed zelotypia laborant, & bonum pacis amittunt, etiamſi magnis affluant diuitijs, etiamſi ſumptuoſas habeant menſas, etiamſi clari fuerint, ac nobiles, miſerrimi omnium ſunt: turbelas, & fluctus ſibi quotidie excogitant, nullamque voluptatem habere poſſunt, interno bello omnia confundente, multamquè eis amaritudinem inuehente.* Idem etiam Sanctus Chryſoſtomus homil. 26. in primam epiſtolam Pauli ad Corinthios, tom. 4. quædam magni momenti documenta coniugibus præbet ad mutuum amorem, & concordiam fouendam; ſic enim loquitur: *Cùm virum tuum admoneo, vt te amet, & colat, non permitto, vt legem mulieri poſitam ipſe in medium adducat, ſed quæ ipſi viro ſcripta eſt, exigo. Tu igitur, quæ decent, optato dumtaxat, & exhibe te viro facilem, vel potius; ſi propter Deum, viro parueris; noli mihi proponere, quæ ab eo fieri deceant; ſed ea quibus te legislator fecit obnoxiam, diligenter exequere. Hoc enim eſt maximè Deo parere, ſi aduerſa etiam patiens,*

D. Baſil. lib de ver. Virg. ad melit. epiſ. tom. 2.

D. Chryſ. ho. 38. in Gen.

S. Chryſ. ho. 26 in 1. epiſt. Pauli ad Cor. tom 4.

Digitized by Google

legem non præuaricerís. Propterea qui amicum amat, nihil ſibi magnum facere videtur: qui verò exoſum colit, hic maximè coronatur. Eodem & tu modo conſidera, quòd ſi modeſtum virum pertuleris, & mãſuetum, quodnam tibi præmium Deus dabit? Si autem immodeſtum, clariſſimam coronam accipies. Hæc autem dico, non vt viros in mulieres exaſperari admoneam ſed ſuadeo mulieribus, vt viros etiam aſperiores perferant. Quando enim vterquè ſuum nititur implere officium, etiam proximi vtilitas ſequitur: vt exempli gratia, quando mulier aſperiorem virum perferre parata eſt, & vir moleſtiorem etiam mulierem contumelio non afficit, tunc omnia quieta ſunt, & portus ibi tranquilliſſimus patet. Ita priſcis fiebat temporibus: ſuum vnuſquiſque officium implebat, non quod proximum deceret, tequirebat. Conſidera quæſo: Accepit fratris filium Abraham, ſcilicet Loth in domum ſuam, non accuſauit vxor: iuſſit, vt longum iter faceret, nõ contradixit, ſed mandatum ſecuta eſt. Itẽ, poſt multas illas miſerias, ſudores, & labores, omnium dominus factus, ceſſit ipſi

Gen. 12.13.

Loth Abtaham prælatione illa, & non ſolùm non ægrè tulit Sara, nequè quidquam tale locuta eſt, quemadmodum multę hoc tempore mulieres aſſolent, cùm in huiuſmodi parte viros ſuos inferiores videant, & maximè minoribus comparatos eſſe, ſtultos eos, dormientes, effœminatos, proditores, ſtupidos, exprobrando appellant. At Sara non modò tale quidquam non dixit, ſed nec cogitauit quidem. Cùmq; vir eius multa vellet aggredi difficilia, propterea, vt Loth conſobtinum ſuum ab hoſtibus liberaret, illa tacuit, nec viri contradixit voluntati. Sed animaduerte; quomodo vterq; decorem ſeruat, nequè Abraham Saram, tanquam ſterilem contempſit, neq; quidquam tale exprobrauit.

D. Chryſ.

Ac tandem idem D. Chryſoſtomus ibidem, virorum excuſationem in proprias vxores excandeſcentium, dum dicunt, ab eis ad iracundiam irritari, in hæc verba confutat: *Sed incitat mulier, inquis: Verùm conſidera mulierem, debile vas eſſe; tu autem vir propterea princeps factus es, & capitis loco datus, vt ſubditæ feras imbecillitatem. Velis igitur tuum illuſtrare principatum, quod facies, ſi ſubditæ non inſultaueris; & quemadmodùm Rex tantò clarior apparet, quanto præfectum ſuum clariorem oſtendit; quem ſi inhonoraret, & contumelia illius dignitatis magnitudinem afficeret, non paruam gloriæ ſuæ partem auferret. Itidem, & tu, ſi illam, quæ poſt te ſecundum obtinet locum, contumelia afficis, non parùm tui principatus honori derogas. Hæc igitur omnia tecum reputa, & modeſtus ſis, & cum hit illius noctis recordare, qua aduocato te ad ſe pater, tanquam depoſitum quoddam filiam dedit tibi, & omnibus relictis, matre, domo, & ſeipſo, omnem eius curam tuæ dexteræ commiſit. Portus eſt mulier, & maximum ſecuritatis remedium; quòd ſi ventis, & fluctibus portum liberaueris, ex foro reuerſus, tranquillè viues: quòd ſi perturbatione, & tumultu impleueris, tibi ipſi longe grauius ſtrues naufragium. Quotieſcumq; ergo aliquid moleſti domi contigerit, ſi quid vxor peccauit, cõſolare, & noli mærorem augere, licet enim omnia proijcias, nihil moleſtius continget, quàm non habere domi beneuolam vxorem, licet quodcunq; dixeris peccatum, nullum magis dolendum inueneris, quàm cum vxore ſeditionem habere. Quòd ſi inuicem onera ferenda ſunt, multò magis vxoris: etſi pauper ſit, noli exprobrare: etſi ſtulta, noli ei inſultare, ſed eſto modeſtior. Etenim caro vna facti eſtis, ſed ſtulta eſt, ebria, iracunda: igitur dolendum eſt, non iraſcendum; & Deo ſupplicandum eſt, & ipſa admonenda, & adiuuanda conſilio, & omni conatu adnitendum, vt illis liberetur affectibus:* hæc D. Chryſoſt. Quibus ſolùm adiungam D. Chryſ.
verba D. Ambroſ. lib. 1. de Virginibus, tomo quarto; monentis vxores adhibito viperæ exemplo, vt omne iracundiæ venenum longè à ſe eijciant: D. Ambr.
Vipera abſentem requirit, abſentem vocat, & blando proclamat ſybilo, atque vbi aduentare comparem ſenſerit, venenum euomit: reuerentiam marito exhibens, verecundata nuptialem gratiam. Tu mulier aduenientem de longinquo maritum contumelijs repellis; tu litium moues venenum, non reijcis, tu coniugalis amplexus tempore dirum virum exæſtuas, nec erubeſcis nuptias, nec revereris maritum. Sed etiam tu vir, depone tumorem cordis, & aſperitatem morum; cum ſedula tibi vxor occurrit, propelle indignationem, cum blanda coniux ad charitatem prouocat; nõ es

domi-

dominus, ſed maritus, non ancillam ſortitus es, ſed vxorem, gubernatorem te Deus voluit eſſe ſexus inferioris, non præpotentem redde ſtudio vicem, redde amori gratiam, vt diuinam in hac vita conſequaris, quam nobis donare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia III.

Ioan. 2. *De triplici ſpiritualium nuptiarum genere diſſeritur in illa eadem verba:* Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.

AD tria potiſſimùm capita non ineptè (vt arbitror.) reuocari poſſe cēſeo omnes ſpirituales nuptias: nimirùm ad eas, quæ ſemel celebratæ fuerūt inter Verbum diuinum, & naturam Chriſti humanam: ad illas, quæ quotidie per iuſtificationem inter Deum, & animam contrahi credimus, ac tandem ad execrabiles illam, quæ inter diabolum, & miſeram animam frequenter (proh dolor) ineuntur. Et quidē vt ab illis nuptijs exordiar, de quibus dictum eſt, *fecit Rex nu-*
Mat. 22. *ptias filio ſuo*, videor mihi audire eum, qui ſolum ſapit, quæ carnis ſunt, dicentem: vbi ſponſus, vbi ſponſa, vbi nuptiarum locus? vbi conuiuia, vbi dapes, vbi cantus? & ſimilia in nuptijs frequenter adhiberi ſolita? cùm enim ille carnales non viderit epulas, ſymphonias, & muſicorum non audierit ſonitus, nec choreas ducentium ſenſerit tumultus, delyramenta eſſe putabit, quod Prophetarum vocibus Spiritus ſanctus proloquitur; & præter id, quod ſenſibus ſubiacet, nil eſſe arbitrabitur. At quiſquis ſpiritu viuit, & ſpiritu ambulat, qui Prophetarum oraculis credit, fideliter hæc omnia confitetur, veneratur, & colit, vtriuſque namque teſtamenti edoctus eloquijs, quod didicit, fatur, & quod expertus eſt, non veretur aſſerere, Prophetam audit dicen-
Iſa. 61. tem: *quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis;* & eundem iterum: *& gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus;* alium quoquè Prophetam, & pluſquàm Prophetam, quo *nullus inter natos mulie-* Ioan. 6.
rum ſurrexit maior, audit loquentem ſic: *qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* ſub hoc quidem, ſponſi, ac ſponſæ vocabulo ſanctus Spiritus, diuinam ob hominum genus, voluit commendare charitatem, & Verbi ad animam ſpiritus vnitatem. Si enim relinquens homo patrem, & matrem, & vxori adhærens, fit vnum cum ea, & ſic efficiuntur duo in carne vna, quantò magis humana diuinæ adhærendo naturæ in vnitate perſonali vnum fient? ſed, & ſi quis adhærens meretrici, vnum efficitur corpus, nonne amplius ſi Eccleſia adhæret Corinth. 6.
Chriſto, vnum corpus ſunt? Sacramenta magna hæc ſunt, profunda myſteria, ſpirituales nuptiæ, & ſpiritualiter perſcrutandæ: ſponſus namquè verbum eſt, ſponſa humana natura, ſponſa ſancta Eccleſia, ſponſa fidelis anima. Erat quidem Beata Virgo thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, & omni præditus ſanctitate, floribus aſperſus, virtutibus decoratus, fragrans caſtitatis odore, charitate feruens, virginitate redolens, pollens humilitate: ipſa eſt, glorioſa domina, & beata femina: innupta, & fœcunda: mater, & virgo: ancilla, & genitrix: quæ culpam abſtulit, & dedit gratiam: quæ contulit mundo pacem, hominibus Deum, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Ipſa eſt, quæ ſuſcepit verbum, concepit filium, & peperit Chriſtum: ipſa effecta eſt porta Cœli, Paradiſi ianua, ſtella maris, ſolatium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, deſperanti ſalus, Mundi interuentrix, interemptrix peccati, diaboli terror, & ſpiritualibus nequitijs pauor. Ipſa eſt tabernaculum teſtamenti, Arca fœderis, Templi propitiatorium, Thronus Dei, Virga florida, nubecula leuis, hortus concluſus, ſignatus fons, porta clauſa, columba immaculata, roſa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliua virens, vitis fructificans, cupreſſus ſe attollens, palma frondens, terebinthus ſe expandens, campus

ger-

germinans, terra pullulans. Eſt etiam ipſa glorioſa aurora ſurgens, Lucifer rutilans, Luna pulchrior, Sole ſplendidior, auro purior, gemmis precioſior, balſamo ſuauior, margaritis carior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior. Hæc eſt virgo pudiciſſima, quæ chyrographum aboleuit decreti, & protoparentum abſtulit opprobrium, querenti ſeculo ſtillicidia gratiæ irrorauit, & ipſum fœcunda ditauit fruge, quæ pereunti Mundo, & aquarum diluuio inũdanti portum ſalutis aperuit. Hæc nempe eſt Virgo ſanctiſſima, quæ virtutum omnium ornata decore, & gratiarum plenitudine, atque donorum cœleſtium irradiata fulgore, Cœlorum Regem ſuo ad ſe traxit odore: eximio nãquè innocentiæ, ac virginitatis reſperſa candore, tanquam præ ceteris ſanctior, Dei mater efficitur. Hæc quidem propter humilitatis meritum, & feruentiſſimum charitatis affectum ab Altiſſimo adamatur, eligitur à Verbo, fœcundatur ſpiritu, diuina prole ditatur, in ſcripturis præfiguratur, à Prophetis prænunciatur, præponitur Archangelis, cœleſti, omniquè præfertur militiæ; quem enim Cœli capere nequeunt, & omnis natura miratur, Maria mente concepit; concepit in ventre, geſtauit in vtero, nutriuit lacte, fouit gremio, brachijs amplexata eſt. Dignum quippe fuit, vt talis eſſet mater vnigeniti Dei plaſmatoris omnium, conditoris ſæculorum. Quicquid honoris, quicquid dignitatis, quicquid meriti, quicquid gratiæ, quicquid eſt gloriæ, totum fuit in Maria: magna quum naſcitur, maior, quum concipit: vbiquè ſancta, vbiquè plena, vbiquè immaculata: ſancta quidem mente, & corpore: plena gratia, ac virtute: immaculata verbo, & ſponſo. Verumtamen ſi tanta donorum prærogatiua Beatæ Virgini collata eſt, vt genitrix fieret Domini, quantam putandum eſt, prærogatam eſſe homini Deo? ſi innumerabiliũ ornamẽtis meritorum nouimus præditum thalamum nuptialem, qualia æſtimanda ſunt ſponſæ monilia? quantũ à Solis ſplendore Lunæ diſtat claritas, aut ſtellarum, tantùm munera Chriſti, à matris muneribus. Nulla hominis facundia, nullus humanus explicat ſermo excellẽtiam vnionis diuinæ, humanæquè naturæ. Itaq; cùm ad intelligẽdum huiuſmodi Sacramẽtum mens accedit humana, abigat omninò à ſe terrenarum caliginem rationum, & ab illuminatæ fidei oculis mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat: Ratio cedat Dei ſapientiæ, & diuina fidei luce prælucente contenta ſit mens noſtra firmiter credere Verbum, quod in ſinu Patris erat, abſquè viri opera, diuino ſpiramine cooperante, humanam carnem induiſſe, & ad vnitatẽ ſuæ perſonæ, conſubſtantiali vnionis articulo, illam ſibi copulaſſe. Pancis tamẽ (vt ad ſecundas nuptias ſermonẽ conuertam) indiſſolubile hoc vinculum Verbi diuini cum humanitate per compendium explicabo. Fuit hoc matrimonium de futuro celebratum in Prophetarum oraculis incarnationem filij Dei prædicentibus: de præſenti autem contractum eſt in Chriſti conceptione: diuulgatum ab Angelis in eius natiuitate: ratificatum in portentis, & miraculis, præſertim tamen in prodigioſa Euchariſtiæ inſtitutione: conſumatum in acerba eius paſſione, illo dicente, vt refert D. Ioannes cap. 19. *Conſummatum eſt*; ac tandem manifeſtatum ab hominibus in Apoſtolorum prædicatione. D. Ioan. cap. 19.

Ceterum iam ad ſecundum genus nuptiarum, quas Verbum diuinum cum ſingulis iuſtorum animabus ſpiritualiter con trahit, deueniamus: Certè diuina opera, atque ſapientia ipſius profunda myſteria, quo diligentius conſiderantur, eò amplius contemplantis animum admiratione replent, & gaudio. Admiratione quippè propter altitudinẽ ſapientiæ, gaudio propter claritatem veritatis agnitæ. Quis verò non miretur, & gaudeat, ſi ad naturæ innumerabilia opera mentis oculum figere voluerit, atque cogitando penetrare? in quocunque elemento, infinita ſunt veneratione digna: quum enim prata rident, & flores vernantis, varijquè coloris circumquaquè ſparguntur, quis non exultet ſpiritu in opificis laudibus ad odorem, decoremquè florum, & terræ fœcunditatem? de eodem ſolo, exiguo in loco, vnde tanta ſpecies, tàm diuerſæ formæ, tàm multicolores? nemo de hoc terræ elemento, quanta germinent ſufficit enarrare, auri fulgor, argenti nitor, ſonoritas æris, ceterorumquè metallorum varia genera, carbunculus, ſmaragdus, ſapphyrus, chryſolithus, topazius, adamas, & aliæ quamplurimæ gemmatum qualitates;

tates; balſamum, cynnamomum, fyſtula, nardus, crocus, piper, cyminum, multaquè alia odoramentorum genera; Cupreſſus, Cedrus, palma, oliua, abies, pinus, arbores quoque aliæ, & fruteta quaſi innumerabilia de ipſo terræ elemento procreari noſcuntur, quin etiam ipſum homi nem his omnibus præſtantiorem de eadẽ principium habuiſſe perſpicuum eſt: ſic namquè diuina teſtantur eloquia: *formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.*
Gen. 2.
Cuncta hæc, quæ memorata ſunt, ſenſibus patent carnis, longè autem meliora ſunt, quæ latent in ijs, quæ gignuntur de ventre terræ, & nota ſunt, vel eſſe poſſunt rationi mentis, videlicet de virtutibus herbarum, de proprietatibus rerum. Multi quidem horum tractatores fuerunt, qui non omnia, ſed de plurimis aliqua inueſtigando dixerunt. Quod autem de ijs, quæ ex terra producuntur, hoc de reliquis elementis dici poſſet. Cuncta iſta breuitatis cauſa reticẽda cenſeo miranda equidem ſunt, quæ naturaliter diuina operatur Maieſtas, ſed multò mirabiliora exiſtunt opera gratiæ; talium namquè ratio inuenitur, licet difficillimè. Qui autem curioſus fuerit explorator gratiæ Dei tanquam cœcus in parietem impinget: quare hunc eligat, & hunc reprobet, humanus non capit intellectus: cur iſtum donis ditet ſpiritualibus, illum in ſua relinquat paupertate, non querat, qui errare non vult. Legimus in diuinis hiſtorijs,
1. Reg. 10.
Saul à Deo in Regem electum, à Propheta vnctum, & à populo confirmatum, tandem fuiſſe reprobatum,
1. Reg. 16.
Dauidem autem paſtorem ouium ad Regnifaſtigium honorabiliter ſublimatum. Quis non miretur
Act. 22.
Saulum tanto cum furore Eccleſiam dilaniantem, per Synagogas Sanctos trahentem, ligantem, percutientem, carceribus mancipantem, rabido latrantem ore, repentè mutatum in Paulum, Eccleſiarum omnium ſollicitudinem gerentem, à Iudæis perſequutionem patientem, vincula ſuſtinentem, verberum virgas tolerãtem, carceres, ſeditioneſquè alacriter perferẽtem, Dominum Chriſtum coram Regibus, & ſeculi Principibus, atque vniuerſo orbe magnificè prædicantem? Publicanus
Matth. 9.
Matthæus, qui telonei lucra publicè, turpiterquè querebat, eligitur, & Iudas in
Matth 10.
Apoſtolatus apice ſedens relinquitur ſe funeſto ſuſpendens laqueo. Quotidie videmus nefandos homines nequiter viuentes, diripientes aliena, peccantes publicè, & impudicè, mutari in melius, cœlibem ducere vitã, & meritis tranſcendere multos, qui longo tempore diuinis fuerant mancipati obſequijs; e diuerſo quoſdam, qui Sanctorum videbantur per omnia ſectari veſtigia, & nubium celſitudinem contemplatione peruolare, conſpicimus miſerabiliter corruiſſe, & in obſcœnis operibus volutari. Hæc veneranda ſunt non inquirẽda; per hæc enim occulta, & iuſta Dei iudicia, eruditur peccator, ne deſperet, iuſtus ne præſumat: nam pœnitenti parata eſt venia, peccanti verò iuſtitia. Peccator quidem vigilet, quomodo ad libertatis gratiam aſcendat, & veniam cõſequatur; iuſtus autem, qualiter de virtute in virtutem proficiat, & dona potiora ſortiatur. Peccator denique, vt iuſtus ſit, iuſtus verò perfectus, peccator nullã ſibi tribuat quiẽ, donec amicus verus efficiatur Dei, iuſtus autẽ donec fiat eius anima legitima ſponſa verbi. Ad hunc quidem obtinendũ gradum, maxima in ſpirituali exercitio diligentia adhibenda eſt. Sublimis gradus excelſa virtutum exigit ſtudia. Rarus reperitur, qui iure ſponſæ nomine nuncupetur; nonniſi præuijs multis tribulationibus, & laboribus ad id attingitur. Ne autem ſeducantur, aut ſe legentes ſeducant, arbitrantes ſe eſſe, quod non ſunt, præſenti hoc eloquio qualis eſſe debeat anima, quæ ſponſæ vocabulo, & merito, digna ſit, deſcribendum eſt, nec ab re; nam ſæpè ſpeculi claritas ignotam notificat deformitatem, & aperit oculos, quos priuatus amor obſtruxerat.

Conſuetudo fuit olim, vt virgines, quæ debebant Regibus copulari per aliquod tempus cultibus Regijs ornarentur, ſicquè ornatæ in thalamum Regis ducerentur, quæ oculis ipſius magis placuiſſet: vt palàm tradit ſacra Heſter hyſtoria: vbi cap. Heſter 2.
2. legimus, quod poſtquam Vaſthi, propter ſuperbiam fuiſſet abiecta, factum eſt Regis præceptum, vt de omni Regno ſuo congregarentur puellæ ſpecioſæ, & virgines, & adducerentur ad Ciuitatem Suſan, & traderentur in domum feminarum ſub manu Egæi Eunuchi, qui erat præpoſitus, & cuſtos feminarum, vt ibi acciperent mundum muliebrem, & reliqua ad cultum neceſſaria. Deinde per ſex menſes

ſes oleo myrthino vngerētur, & per alios ſex quibuſdam pigmentis vterentur: & ſic decenter compoſitæ, de triclinio feminarum ad Regis cubiculum tranſirēt; vt quæ ex omnibus, magis oculis Regis placuiſſet, illa pro Vaſthi in illo ſolio Regio ſedere debuiſſet. Aſſuerus, qui interpretatur, beatus, ſignificat Chriſtum ſummi Regis filium, qui in hunc mundum venit, vt eam ſponſam acciperet ſuam, quam Regalibus nuptijs dignam iudicaret. Tūc autem Iudæa, quæ ſignificatur per Reginam Vaſthi, quia Regis Chriſti mandatum contempſit, abiecta eſt, & miſſi ſunt miniſtri Regis, ſcilicet Apoſtoli, per vniuerſum Mundum, congregare animas, quæ cœleſti pulchritudine exornatæ, cœleſti ſponſo copulentur. Decet ergo, Verbi ſponſam, decoram eſſe facie, vt ſuo placeat ſponſo; nam ſi deformis ſit, ſponſæ nomine, quia re caret, digna non eſt. Quemadmodum igitur corporis facies quatuor decoratur ſenſibus, ita & eiſdem animæ aſpectus, ac vultus ornari debet. Primò omnium expedit, vt ignara non ſit cœleſtium inſpirationum, ſuper hoc plurimum vigilare eam oportet, alioquin ſeductorios multimodè admittet ſpiritus, & ſæpè ſponſi reſiſtet aduentui. Amant quidem nequam ſpiritus mentis irrumpere domicilium, pacem euertere animi, omnemquè cordis intentionem maculare, quod quum apertè nequeant, fraudolenter id agere conātur, alienam ſpeciem ſumunt, claritatem cœleſtium Angelorum ſe habere fingunt, vt facilius ſuadeant, quod volunt. Ad ipſorum verò detegendas inſidias expedit, vt qualecunque internarum verbi ſponſa habeat notitiam inſpirationum, quatenus ex infuſa ſapientia, ſeu ex indocta experientia ſciat ſuſcipere Angelum, & propulſare inimicum. Ambo quidem decertant, vt trahant animam ad ſe, diſſimiliter tamen. Inimicus agit, vt furetur, mactet, & perdat: Angelus, vt conſeruet, illuminet, & ſponſo habitaculum paret. Vterque ſuadent, vterque audiri volunt, vt aperiatur illis. Habet namque Angelus immiſſiones ſuas bonas, quum inuitet ſemper ad bonum, aut docendo, aut corrigendo, aut accendendo. Habet etiam ſuas apoſtata Angelus, ſicut de Domini proditore dicitur: *miſit diabolus in cor, vt traderet eum* (Ioan. 19.) *Iudas*. non autem dubium eſt, quin ſuas habeat ſponſus immiſſiones: *Sto* (inquit) *ad oſtium, & pulſo*. (Apocal. 3.) quoties prouocat ad dilectionem, ad virtutes, toties pulſat, vt aperiatur. Inſpirationes ſanctæ vtique sūt verba interna ſpiritualia, & ſponſi voces, quas ignorare non expedit, neque negligere: quàm ſit hæc deteſtabilis ignorantia, qui amat nouit. Debet ſēper ſponſa, vt has internas intelligere valeat voces, ſuper ſui vigilare cuſtodia, omni ſpiritui facilè non accommodare fidem, humiliter vnde quo, qualiuè ſint, quæ ſētit in ſe perſcrutari. Non ſecus Mariam egiſſe legitur, quum ab Angelo officioſiſſimè ſalutaretur: prius namque intelligendę ſunt, quàm perficiendæ ſpirituales immiſſiones. Sicut autem reprehenſione digni ſūt, qui deſideria ſancta intelligentes, implere negligunt, ita qui non intelligendo, eadem opere conantur perficere. Primi ignauiæ morbo languent, ſecundi imprudentia obuoluuntur. Non autem ſic, quæ ſponſa eſt: habet quidem pro ornamento interni, ac ſpiritualis auditus intelligentiam, & obedientiam. Hæ quippe ſunt animæ aures, quæ mentis faciem venuſtant: intelligentia tunc vera eſt, quum operatur, quod intelligit. Teſtimonijs ſcripturarum vtrumque probatur: quod enim ad auditum ſpectet intelligentia, Propheta inſinuat, cum deprecatur in Pſalmo Dominum dicens: *Intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ*. (Pſal. 5.) præmiſerat enim: *verba mea auribus percipe Domine*. Quòd aūt obedientia & ipſa ad auditum pertineat, idem memoratus ait Propheta: *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi*. O quam commendabilis anima eſt, quæ nec fallacijs ſeducitur, nec corpore deprimitur, quæ intelligendo, & operando diuinam ſine intermiſſione exequitur voluntatem: quæ aurium ſpiritualium ornata decore, corde veraciter ait Domino: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus*. (1. Reg. 3.) Hæc de auribus ſponſæ, de oculis verò quid? nunquid audit, nec videt? poteſt nè carere oculis, & placere ſponſo? abſit, vt vel in modico maculata ſit: Sponſa potiſſimum in ea parte, quæ præſtantior eſt, habet aures, habet oculos, per quos ob ipſorum ſpeciem, ad ſe ſponſum attrahit; de ipſius ſponſi voce in Canticis

dicitur:

Digitized by Google

Cant. 6. dicitur: *Auerte oculos tuos: ipſi me auolare fecerunt*. Ecce quàm fulgidi, quàm perſpicui, quàm decori ſunt, qui ſic ſponſum alliciunt, vt non accedere, ſed ipſum faciant auolare. Vno quippe oculo, ſcientiæ luce perfunditur, vt cognoſcat præſentia, alio ſapientiæ ſplendore clareſcit, vt futura contempletur: per ſcientiam, mala qualiter vitare debeat, intelligit, quid ſit à quo ſit, & ad quid ſit, nouit: proximorum neceſſitatibus ſubuenit, temporalia prouidè miniſtrat, pericula cauet, timet ne cadat, aduerſa æquanimiter tolerat, ſic præſentibus vtitur, vt non priuetur æternis. Sapientiæ verò oculo, quanta ſint electis repoſita bona ruminat, Dei præſentiam cunctis intuetur horis, iuxta Prophe-
Pſal. 15. tæ vocem dicentis: ***Prouidebam Domino in conſpectu meo ſemper***: de dilectione Dei alta percipit, interdum Beatorum perluſtrat agmina, & ſupra ſe attollens, diuinam miratur omnipotentis maieſtatem. De hoc intimæ lucis ſplendore, aie-
Iſai. 33. bat Propheta: ***Videbunt oculi tui Regem in decore ſuo***. hi nempè ſunt ſpirituales ſpōſæ oculi, per quos peregrinationis huius graditur ſemitas, nec aduerſis frangitur, nec proſperis eleuatur: ipſorum ne obtenebretur lux, vniuerſa fugit lumina contraria, nec quidem ad momentum patitur ſe hac luce priuari, magno namque cum ſtudio carnales cohibet motus, carnis reprimit paſſiones, valde etenim mentis oculis carnis inimicantur deſideria, & niſi viriliter conterantur, internæ ſe aciei opponunt, & tanquam depreſſionis paries oculos grauant, ne ſupernam valeant cōtemplari claritatem: nunc ſuggerunt neceſſaria, nunc ſuadent blanda, nunc aduerſa minantur, ſuiſquè ſuaſionibus adeò infeſti ſunt, vt nullo ſinant pacto animum quieſcere, nullaquè tranquillitate potiri. Amouet itaque ſollicitè à ſe obicem carnalium voluptatum, detergit non minus vigilāter ab oculis puluerem terrenarum actionum: vehementer quidem temporalium implicatio mentem obnubilat, ne lucis internæ dulcedine paſcatur: rapiunt extra ſe animum terrena negocia: huc, illucque captiuam ducunt animam, nunc iſta cogitare compellunt, nunc illa: rixas commouent, iurgia fabricant, deiecta ædificant, collapſa erigunt. qualiter amiſſa, & diſtracta, colligi, cuſtodiri habita, & non habita congregari debeant, prudēter erudiunt. Quumque in his omnibus captiuatur animus, per maximos curatum dilaniantur anfractus, inſenſibilis namque effectus, & lumine priuatus, tota die molere, & per circuitus deambulare compellitur: nunquam qualis maneat apud ſe percipit, niſi quum ab exterioribus vacās ad ſe redire voluerit: tunc tenebras interiores, tunc cœcitatem ſuam intelligens, quas paſſus ſit inſidias recogitando cognoſcit. Innumerabilem phantaſmatum in domicilio ſuo ſentit exercitum, videt ſe repelli à ſe, & quam longè fuerit à ſe lacrymabiliter intuetur; meritoque hæc ſe pati conſiderat, quia magis alienis à ſe quàm ſibi intendere ſtuduit. hanc ſui erroris mercedem iuſtè ſe percepiſſe dijudicat quum inordinatè exterioribus vacando, & negligendo interiora ſua ad hoc deuenerit, vt ad ſe reuerti, ſecumque habitare non liceat. Damno igitur ſponſa erudita alieno, quotidianis edocta exemplis, ſuaque facta prudens experientia, mauult eſſe ſpecioſa, & ſterilis, quam lippa, & fęcunda. Si ocij condemnatur, æquo fert animo, meminitque Dominum dixiſſe: ***Martha, Martha, turbaris erga plurima: Mariam optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea***. Luca 10 hinc eſt, quod ſponſi roborata ſententia, quantum fas illi eſt, terrenis refugit ingeri actionibus, nè fœdetur: animi quoque reſiſtit paſſionibus, nè turbetur. non quidem mediocriter furor, mentis oculum offuſcare conſueuit. Ideoque Propheta hoc in ſe patiens dicebat: *Turbatus eſt à furore oculus meus*. Pſal. 6.
Nil prorſus ſic mentis ſtatum euertit, velut conturbans furor: eſt ſiquidem animi paſſio ſubuerſio naturæ, dehoneſtatio hominis, opprobrium ſeruorum Chriſti, repulſio gratiæ, fraternitatis diſſipator, dęmoniaca imitatio, fugator paracleri, omniſque ſanctitatis inimicus. Nullū ſanum conſilium, nulla matura poteſt eſſe deliberatio, vbi iræ paſſio dominatur: periclitatur ratio, inebriatur cor, incompoſita verba proſiliunt, immutatur facies, lumen oculorum præſente furore caligat. Propterea ſponſa, nè in illo tyrāni huius peſſimi detrimentum patiatur, in patientiæ, & comitatis arce ſe collocat, rimoris, ac ſilentij ſeris ſe obſtruens, deſuperque proſpectans, cunctas animi commotiones,

Digitized by Google

mox vt leniter flauerint, tranquillitatis, ac pacis gladio trucidat: perſeuerat quieta in ſe ſpirituali quadam claritate perfuſa, oculos mentis apertos tenet in diuini contemplatione luminis; & quamuis pro veritatis agnitione ſit læta, nunquam tamen valet eſſe ſecura; oportet enim ipſam omnino non dormitare. Quanquam autem carnalium parietem cupiditatum valenter repulerit, quamuis terrenarum puluerem actionum prudenter exterſerit, licet inſani motus furoris ſub rationis dominio fortiter ſubegerit, reſtat adhuc, vt elationem cordis humilitatis vinculis ligatam teneat. Præ ceteris mentis tumor, ſcientiæ, ac ſapientiæ lumen obnubilat,& à veritatis tramite ſeducit. Simul præſumptio, & ſapientia nequeunt habitare, ſic namque in ſapientiæ legitur libro: *In maleuolam animam non introibit ſapientia*. Humilitas ſapientiam, & ſuperbia ignorantiam generat. Qui in ſapientiæ ſpeculo præſentia diſponere, & futura cupit veraciter intueri, elationis maculam de mentis oculis amouere non negligat. Sicut enim albugo in oculo naſcitur, & oculi lucem perdit, ſic elatio plerumque de lumine oritur intelligentiæ, & veritatis lumen caligat. Siquidem, qui plura nouit,& ſe ſub tegmine alarum humilitatis nequaquam cuſtodit, quò amplius ſapit, eo tumore cęcatus, miſerabilius deſipiendo tuit. Hoc Propheta ſanctuş expreſſit, quum gloriam, caſumque Luciferi deſcripſit dicens: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore in delicijs Paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis precioſus, operimentum tuum, ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolythus, & onyx, & beryllus, ſapphyrus, & carbunculus, & ſmaragdus, aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te*. Hæc quippe ſponſa verbi erudita magiſterio non ignorans,tota ſatagit in humilitatis latere laribulo: non minus in humilitate ſtudet proficere,quàm in cognitione ſapientiæ:iugiter memorabile illud reuoluit animo, quod in Canticorum Canticis ſponſi voce ad ſponſam dicitur: *Si ignoras te (ò pulcherrima inter mulieres) egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum*. Ob hoc tàm ſedulo virtutum exercitio vniuerſa, quæ interiori aduerſantur lumini de cordis habitaculo eliminare non deſinit,ſicque fit, vt quanto magis timet, ac timendo reſiſtit vitijs, tantò amplius videat, & videndo ſcientiam,& oculos ſapientiæ lucidiori puritate cuſtodiat. Veruntamen ſicut obedientiæ addidit ſapientiam, ita & ſapientiæ aſſociat fidem. Nouit enim ſcriptum eſſe: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Eſt quidem fides ſpiritualis animæ ſenſus illi diuinitus accommodatus, ad inuiſibilia, & æterna percipienda. Sic ipſam deſcribit Apoſtolus: *Fides* (inquit) *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium;* quod intelligibiliter percipit obedientiæ auris, quod ſcientiæ, & ſapientiæ contemplatur oculus. Hoc Dei olfactus diſcernit, occulta penetrat,remota rimatur, ſempiterna deguſtat, agit magna, aggreditur ardua,impoſſibilia credit,futura nouit, vêtura prędicit, æterna querit, non pauet tormenta, mortem non veretur, & cœleſtia ſperat. Iſtiuſmodi fragrantiſsimo odore ſancti, noui, ac veteris teſtamenti Patres reſperſi veram, & viuentium ſupernam repromiſſionis terram à longè adorantes, aſpicientes, ſalutantes, confitenteſque, ſe hoſpites eſſe, atque peregrinos in hoc ſæculo fatebantur. Vnde ipſa quoque Verbi legitima, & dilecta ſponſa, ne præſentis vitæ corrumpatur lænocinijs, ne irretiatur voluptatibus, ne honoribus extollatur, formatæ fidei refouetur ardore, per quem facilè viſibilia ſpernit, temporalia deſerit amore æternorum. Vt igitur animæ ipſius facies ſuo placeat, cui viuit ſpōſo, exteriorem auditum,& corporis aures obturat detractionibus, vaniloquijs, & ſcurrilibus verbis: quatenus ſpirituales valeat intelligere immiſſiones, vnde veniūt, vel quo vadunt. Carnis oculos diligenter cuſtodit,ne videant vanitates, & inſanias falſas, vt liberius quàm antea intueatur incerta, & occulta diuinæ ſapientiæ, atque ſcientiæ verbi. Odorem ſuum ab his auertit viſibilibus, & labentibus cunctis, vt per lumen, & formatæ fidei delectationem vſque ad Dei inuiſibilia ſe queat erigere. Os quoque, & linguam carnis refręnat à pernicioſis murmurijs, & ocioſis ſermo-

Sap. 1.

Ezech. 28.

Cant. 1.

Ad Heb. 11.

Ad Heb. 11.

ſermonibus, quatenus magis quietè, ac prudenter ſciat, quod loqui Deo, quando, aut qualiter debeat loqui proximo. Nemo quidem, quomodo Deo, quid proximo dicat, ſcire ſufficienter meretur, niſi prius didicerit ori ſuo ponere ſilentium. Oportet vt aſſueſcat lingua taciturnitati, deinde ſermocinationi. *Sit* (inquit Diuus Iacobus) *omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*; os namque, quod ſilere nouit, facilè fari prudenter, diſcet; quod autem incontinens eſt, multa profert præter voluntatem; & non à noxijs tantum, verum etiam ab vtilibus interdum linguam cohiberi ſermonibus oportet. *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*; (ait Cytharædus ſanctus) *& dolor meus renouatus eſt; concaluit cor meum intra me.* Pronus eſt ſemper ad malum, ac ruinæ propinquus, qui linguoſus eſt; qui autem eruditam poſſidet linguam, tanquam turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille quippe clypei pendentes ex ea, omnis armatura fortium. In cunctis itaque ſponſa ſufficienter instructa, tempus nouit eſſe ſilentij, & tempus eloquij: propterea, quum opportunum eſſe arbitratur, hominum declinans conſortium, & linguam inter clauſtra reprimens, atque corde clamans, ſponſum ad ſe aduocare non ceſſat. Si enim abeſt, lacrymis, gemitibus, deſideriorumque vocibus ipſum inſequitur, & humiliter, vt reuertatur, exorat. Si autem præſens eſt, nunc blandis illum affatur ſermonibus, nunc amatoria profert verba, nunc ignitis prorumpit in laudibus; talibus namque ſagittis ſponſi cor vulnerat; ita vt & ipſe amore languens dicat: *Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua. Hortus conclusus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* His nempè ſpiritualibus, ac mutuis verbi, ſponſæque allocutionibus, ferueſcente charitate, nihil dulcius deguſtatur. Ex ſui quidem excellentia, ſicut in cor inexperti non aſcendunt, ita nec ab expertis manifeſtari licet, quoniam arcana ſunt. quiſquis qualia ſint noſcere cupit, creſcat, vt capiat: proficiat, vt ſponſa. Propalatio namque

Iacob. 1.

Pſal. 38.

Cant. 4.

1. Cor. 25.

pulchritudinis illius cunctis ſit forma proficiendi: non enim gratis accepit, vt fieret ſponſa, ſed gratia efficaciter præmouente, & ſecum cooperante hoc meruit. Quemadmodum ergo decet ſponſam ſpecioſam eſſe facie, ita & amore pudicam, nullum præter dilectum, diligit: nullũ ſcire deſiderat, ne polluto amore fœdatur. Totam ſe illi tradit, quem totum complectitur viſceribus charitatis: ipſum præcipuè, & omnia in ipſo diligit. Sicut nihil reliquit de ſe, quod non daret ſponſo; ſic nihil habet extra ſe, quod ſine ipſo diligat; vt alteri nihil ſui impertiatur amoris, diligit iuxta humanæ modulum fragilitatis ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Si quid in corde verſatur, aut de illo, vel propter illum eſt. Si quid agere intendit ipſum ſibi prius proponit, quatenus intentionem dirigat ad futurum opus, & intentio actionem perficiat. Sit namque omne, quod fit, ſi non fiat in charitate, & ex charitate, ſitque reflexibile charitati, ſponſo placere non poſſe: ideò ſicut caſtè, ita ſanctè diligit. Quum enim eſſet paruula, de ſponſo carnaliter ſapiebat, vt paruula cogitabat, vt paruula diligebat; vt paruula. Quum autem ſponſa effecta eſt, vtique euacuauit, quæ erant paruulæ. Vnde ſpiritualiter diligens, cum Apoſtolo fiducialiter dicit: *Et ſi agnouimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus.* Antequam de verbi altitudine haberet notitiam, carnem Verbi ſolam diligebat: at vbi de diuinitate Verbi hauſit dulcedinem, vbi verbum propter nos carnem factum eſſe credidit, cognouit, guſtauit; tota in amore ipſius, charitate reſoluta eſt; præcipuè quum ſe, non vt amicam, non vt filiam, ſed vt ſponſam ſentit diligit. Hinc ne dum ſanctè, ſed etiam ardenter diligit: quatenus ad operandum ſit valida, ſedula ad inquirendum, & ad poſſidendum tenax: non debilitatur aduerſis, ſed roboratur: non tentationibus ſuperatur, ſed creſcit: quo vehementius ipſius flamma ventilatur amoris, eò amplius inardeſcit: ſi caret ſponſi præſentia, ne tepeſcat, & tanquam indigna repudietur, laborat exterius, intus vociferatur, ſuaque vi, quod amiſiſſe videbatur, multiplicatum recipit. Ideò

Ad Epheſ. 4.

2. Cor. 5.

Pſal. 93.

ait Propheta: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Si verò præſentia potitur, tunc ardentius diligit: nam ferrum ferro accitur, ignis igne nutritur, & amor amore augetur: voto ſuo, ſed non ad votum, vtitur: quem quæſiuit, intuetur; quem diligit tenet, non tamen qualem, vel quantum concupiſcit. Differtur, vt perficiatur, non quidem in hac peregrinatione, ſed in patria. quouſque in hac mortali ſponſa includitur carne, ſatiari nequit, eoque minus, quo amplius, ac perfectius diligit, quum igni ſuperponuntur ligna, lignorum magis fit capax, nec aliter de vera charitate intelligendum eſt: Quanto ignis eſt vehementior, tanto ſuum latius diffundit ſplendorem, pariter & calorem. ſic quæ verbi legitima eſt ſponſa, profuſius alijs ſuæ ſanctitatis ſpargit calorem, & morum ſplendorem. Ex ipſius quidem virtutum perfectione ſecernitur à ceteris, ac præ ceteris commemorabilior iudicatur; eſt namque in moribus circumſpecta, in verbis grauis, in agendis prouida, in facie hilaris, in exhortando humilis, in corripiendu recta, in perferendis malis læta, in proſperis ſuſpicioſa, in orationibus crebra, in vigilijs aſſidua, in diuinis laudibus iucunda, in compaſſione procliuis, in dilectione ſingularis, in animo ſerena, in conſilijs matura, in humanis placida, in diuinis ſuſpenſa. In corpore, veluti in carcere detinetur, in Cœlo mente, ac deſiderio conuerſatur. Talis eſt Verbi ſponſa, & huiuſmodi virtutum ſplendoribus rutilat amica ſponſæ, ò filiæ Hyeruſalem. Non fruſtra ſponſæ nomen ſortita eſt, neque ſine cauſa talem vnigenitus Dei adamauit animam: eſt quidem facie ſpecioſa, dilectione feruens, & morum probitate venuſta. Si autem harum nuptiarum progreſſum noſſe deſideras, ſcito initiatas & contractas fuiſſe in ſacro Baptiſmatis lauacro, iuxta illud Oſeæ 2. *Et ſponſabo te*

Oſee 2.

mihi in fide: ratificatas in ſancta operatione, quia per hanc anima roboratur, & inexpugnabilior redditur, iuxta illud

Pſal. 14.

Pſalmi decimiquarti: *Qui facit hæc non commouebitur in æternum*. Conſummatas autem in morte, morte (inquam) de qua dictum eſt: *Precioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*. Felix igitur anima, quæ eius ſponſa meruit eſſe, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur: fœlix, quæ nupſit ei, in quem Angeli deſiderant proſpicere: fœlix, quæ meruit eſſe ſocia menſæ Regiæ, ſocia Regni, conſors diuini thalami, in quem introduxit eam Rex Regum, & dominus dominantium. Talis ſponſa cum Regio Vate intonet: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Ceterum quamuis omnis cuiuſque iuſti anima per iuſtificantem gratiam ſponſa Dei fiat; digniorem tamen præ cæteris ſponſæ nomine cenſeo animam religioſam, & Monaſticam vitam agentem. In ea enim coniunctione, qua Deo per ſolemnem profeſſionem cohæret, omnia coniugij propria, non per ſimilitudinem tantum, ſed ſi æqui cenſores eſſe velimus, etiam per proprietatem, veriſſimè elucent. In coniugio quippè naturali, præmiſſa habilitate perſonarum, hæc ferè intercedunt. Primum; vinculum inſolubile, vtramque perſonam vinciens, atque connectens, quo vnum quid, vnum nimirum principium, & vna caro ad finem carnalis procreationis fiũt, mutuamque ſibi faciunt ſui ipſorum poteſtatem; & hæc eſt coniugij ſubſtantia, atque natura. Deinde, conſenſus amborum mutuus, hunc nexum naturalem, vinculumque conficiens. Præterea communis habitatio, vitæque conſuetudo; qua ſe inuicem iuuant, & ſui ſtatus onera portant; Rurſus, fides, quam alter coniugum alteri ſeruat; vt ſit: *honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Tandem procreatio filiorum coniugibus, non ſolum iucunditatem, ſed etiam vtilitatem afferens. Nihil iſtorum noſtro coniugio deeſt, nihil iſtorum in eo deſideratur. Perſonæ namque habiles ſunt, Deus; & anima ad ad hoc fœdus ineundum: ille, vt puriſſimè generet, iſta vt concipiat. Ille quidem, vt generet. Nam per Iſaias dicit: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? ego, qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero?* His verbis oſtendens ſe, & rebus naturalibus vim

Hebr. 13.

Iſai. 66. 9.

ad

ad procreandum ſibi ſimiles tribuiſſe, & ſpiritualium filiorum eſſe principium, quos ſuas imagines faciens, & ſimilitudinem ſuæ ſanctitatis illis impertiẽs, teſtimonium perhibet, quia ſibi virtus generandi non deeſt. Quod, & Propheta Regius, ſpiritu ipſius Domini edoctus, euidenter affirmat, dum ipſum alloquens, ait: *Vxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ*. Qui enim vxorem à te tam mirificè fœcundatam habet, & tot filijs, & tam pulchris abundat, non dubium quin aptus ſit, vt animam ducat vxorem, & ſibi vinculo ſpiritualis matrimonij coniungat. Hæc verò apta eſt, vt ex illo concipiat. Quod ſpiritu Dei edocta per os Iſaiæ palam confitetur, ſe cum muliere comparans, ad partum appropinquare: *Sic* (inquit) *facti ſumus, à facie tua Domine, concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.* O fœlix partus, in quo (vt ait Hieronymus) peperimus non carnis liberos, ſed ſpiritus, vt tota in Deo mente credamus. Concipit ex Deo anima, cum ſanctitatis deſideria percipit, quæ in oratione poſita, non ſine puriſſima voluptate ſpiritus ſibi ſentit immitti. Parturit cum non ſine ingenti dolore aliquando ſenſuum, & affectuum mortificationem in effectum producit. Filios verò edit, & ſuſcipit, cum fructus partus, nimirum ſuauitatem veræ virtutis experitur. Iſti ſunt filij ſpiritus, quos nõ caro, corruptionis ſeminarium gignit, ſed virtus ſancti Spiritus procreat. Iſti etiam filij ſpiritus ſalutis, qui animæ concipienti, & parienti illos, in hac vita ſalutem ſpiritualem afferunt, & in futura ſalutem gloriæ, nunquam perituram attribuunt. Sicut etiam Deus, & Anima vinculo inſolubili copulati; nam ſolemnis profeſſio, ita animam Deo, Deumque animæ aſtringit, vt nulla ſit humana poteſtas, quæ vinculum iſtud diſrumpat, atque diſſoluat. In ipſum enim illa quoque lex Domini quadrat, quam pro naturali coniugio ſanciuit: quia, *Quos Deus coniuxit, homo non ſeparet*. Vnde Innocentius Tertius in cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monacorum, expreſſe aſſerit abdicationem proprietatis, ſicut & cuſtodiam caſtitatis, adeò eſſe annexam regulæ Monacali, vt contra eam, nec

Pſal. 127. 3.

Iſai. 26. 18.

Hieron. lib. 8. in Iſa. ad cap. 26.

Matth. 19.

Summus Pontifex valet facultatem indulgere. Quod ſi aliquando Summus Pontifex in ſolemni voto profeſſionis religioſæ diſpenſauit non id humana poteſtate, ſicut in ciuilibus legibus fecit, ſed planè diuina, è Cœloque delapſa. Sicut enim vinculum naturalis coniugij ſola morte diſſoluitur, dicente Paulo: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormiuerit vir eius liberata eſt*: ita, & profeſſionis ſolemnis nexus ſola diuina poteſtate, quæ ipſa morte multo potentior eſt, vtpotè habens vitæ, & mortis imperium diſſolui poteſt. Deinde per hoc ſpirituale connubium Chriſtus, & anima mutuam ſui ipſorum faciunt poteſtatem. Sponſam quidem totam eſſe ipſius Dei, ſatis indicant verba illa: *Columba mea, amica mea, ſpecioſa mea*. Quòd autem totus Deus ſit ipſius ſponſæ, illa alia Oſeæ ſecundo, apertè conteſtantur: *Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me: Vir meus: & non vocabit me vltra, Baali*; id eſt Dominum. Ne autem quia multæ ſunt ſponſæ, quiſpiam arbitretur diuinum ſponſum minorem erga ſingulos habiturum amorem, vtpotè in plures diuiſum; audiat quæſo Diuum Bernardum ſermone ſexageſimonono, in Cantica, in hunc modum loquentem: *Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diuerſitatem diuerſus, nec reſtrictus ad vnum, nec anxius ad curas, nec perturbatus, ſeu turbulentus ad ſolicitudines. Sit ſanè vni intentus, vt non detentus: ſic pluribus, vt non diſtentus*: adeſt, & in hoc ſpirituali coniugio mutuus conſenſus Dei, & animæ. Anima enim religioſa per integrum anni ſpatium ſibi ad deliberandum deſignatum, nulla vi compulſa, nullo timore coacta, ſed matura conſideratione, libens, & volens, profeſſionis vinculis ſe ligat, & ſpretis omnibus rebus caducis, liberè ait: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Quod enim antiquitus in more poſitum erat, vt profeſſionem emittentis voluntas prius exploraretur, quam ſpontaneè abrenuntiaret Mundo, vt Auctor eſt Diuus Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, capite ſexto; quod quidem facere con-

Oſeæ 2.

D. Bernar.

Pſal. 72.

D. Dion.

Caſſianus. ſueuiſſe antiquos Cœnobitas in Heremo degentes, tradit Caſſianus libro quarto, de inſtruct. cap. tertio. Id ipſum autem quod ſeruauit Antiquitas, nunc Religio bene inſtituta cuſtodit, nullum coactum ad Monaſticam vitam admittens. Quod ſanè egregiè delineatum mihi videtur, *Geneſ. 24.* Geneſis vigeſimoquarto. Cum enim ſeruus ille Abrahæ, à matre, ac fratribus Virginis, ad coniugium Iſaac eam inſtantiſſimè poſtularet, dixerunt ei: *Vocemus puellam, & quæremus ipſius voluntatem. Cumque vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt: Vis ire cum homine iſto? quæ ait: Vadam. Dimiſerunt ergo eam:* Sic & iſti propoſito, animæ ad religioſam vitam accedenti, Chriſti ſeruatoris decore, dicunt ei: Vis ire cum homine iſto? Vis eum in ſponſum accipere? Quæ continuo hilari animo, interni conſenſus argumenta, votorum formula prolata prodit, & ad Deum conuerſa *Hier. 3.* ait: *Pater meus, & Dux virginitatis meæ tu es.* Diuinus etiam ſponſus ſimiliter ſuum conſenſum adhibet, imò prius quam ſponſa illum præbet, ipſo dicente *Ioan. 15.* Ioann. quintodecimo: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis.* Eſt autem adeò diues ſacer hic ſponſus, vt in arrham ſponſæ ſuæ omnia ſua bona in manus eius tradat, vt his verbis planè teſtatur Apo- *1. Cor. 3.* ſtolus primo Corinthiorum tertio. *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollus, ſiue Cephas, ſiue Mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia enim veſtra ſunt: Vos autem Chriſti.* Verum non hanc ſolum arrham ei donat, ſed aliam longè precioſiorem, efficiens cum anima, quod in Deutero- *Deuter. 21.* nomio cap. vigeſimo primo, faciendum victori præcipitur, cum virginem bello captam adamauerit, & ſibi in ſponſam copulare voluerit. *Si egreſſus* (inquit) *fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua; captiuoſque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem; introduces eam in domum tuam: quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt: ſedenſque in domo tua, flebit patrem, & matrem ſuam, vno menſe: & poſtea intrabis ad eam, dormieſque cum illa, & erit vxor tua.* Certè nemini melius competit eſſe egreſſum ad pugnam, quam Chriſto Saluatori noſtro, de quo per *Gen. 49. 9.* myſterium dictum eſt: *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?* Quem namque deſignat iſte Leonis Catulus, niſi Redemptorem noſtrum Ieſum (vt Gregorius ait) *Greg. in Pſal. pen. Apocal.* de quo in Apocalypſi legimus: *Vicit Leo de tribu Iuda?* Hic ſanè ad prædam aſcendit, cum in Mundum ingreſſus eſt, vt cum peccatis pugnaret, & Diabolum in nos tyrannidem agentem, debellaret. Accubuit autem vt Leo, quia mortem non coactus, ſed libens, voluntariuſque ſubiuit, & nullum eum ſuſcitauit, ſed per virtutem diuinitatis ſuæ à mortuis ipſe reſurrexit. Illi tradidit Dominus hoſtes in manibus ſuis, quia coram illo Infernum proſtrauit, infidelitatis cæcitatem deiecit, & omnia per ſuum ſanguinem peccata deleuit. Captiuos verò duxit, cum homines captiuos Diaboli, captiuos veritatis fecit, & ſecum captiuam hanc captiuitatem, ad fidei lucem, & vitæ puritatem euexit, non pœnarum vinculis compediuit. Tunc igitur inuictiſſimus hic dux, inter captiuos mulierem pulchram videt: videndo adamat, adamando in vxorem acceptare diſponit, cum animam in ſæculo commorantem, oculis miſerationis aſpicit, & aſpiciendo, tenerrima dilectione proſequitur, & diligendo ad ſpirituale coniugium, quod in Religioſa profeſſione fit, efferre conſtituit. Sed antequam animam in ſponſam accipiat, legem hanc à ſe ipſe per Moſen latam, perfectiſſimè ſeruat, hoc ipſo do- *Matth. 5. 18.* cens: quia, *non veni legem ſoluere, ſed adimplere.* Nam primùm introducit eam in domum ſuam, & in Monaſterium, aut Religioſam Societatem admittit, quæ ſpeciali ratione domus eius vocata eſt, qui *Iſai. 66. 1.* dicit: *Cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum,* quoniam inter Religioſos viros virtutum decore, & ſanctitatis ſplendore pollentes, clarius ac ex corde illum diligentes ſeipſum manifeſtat, & frequentius libenter conquieſcit. Deinde cæſariē animæ radi præcipit, quando vniuerſa-

tem-

temporalia abijci iubet, & curas ſæculi, quæ mentem excæcabant, & ab vtilibus cogitationibus abſtrahebant, abſcindit.

Rom. 13.

Poſtea monet, vt circumcidat vngues, id-eſt, ne curam carnis faciat in deſiderijs, ſed rebus ad naturam ſuſtentandam neceſſarijs contenta, ſpiritualia, & cœleſtia concupiſcat. Ad hæc hortatur, vt deponat veſtem, in qua capta eſt; non tàm eam externam, quæ habitus religioſi ſuſceptione deponitur, quam internam immunditiæ, & arrogantiæ, & ſæcularis conuerſationis à primo nobis parente conceſſam.

S. Ephrem de vita ſpirit. num. 58.

Nàm, vt egregiè dixit Ephrem: *Monachum non tonſura commendat, nec habitus, ſed cœleſte deſiderium, diuinumque viuendi inſtitutum. Quibus optima declaratur vita.* Tandem Dominus fletum, ac luctum, cauſa parentum animæ indidit; vt ſcilicet lugeat, quod patrem diabolum ſecuta ſit, & matrem impiorum congregationem audiuerit. Quibus toto tempore probationis diligentiſſimè præſtitis, iam per profeſſionem ſibi copulat, & in chariſſimam ſponſam aſciſcit.

Ad extremum venio iam ad deteſtandas nuptias inter diabolum, & animam peccatricem. Hæ initiantur in ſuggeſtione, quæ delectat: contrahuntur in conſenſu, qui acceptat: ratificantur in opere, quod confirmat: ac tandem conſummantur in peccati conſuetudine, quæ vſque ad contemptum pertrahit, Salomone dicente: *Peccator cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* In his maledictis, ac execrandis nuptijs propinat diabolus ſponſis ſuis vinum carnalis voluptatis, quæ videtur amatoribus Mundi bonum: ſed in fine porrigit illud, quod deterius eſt, amariſſimum, turbulentiſſimum, ac mortiferum. Appellat illud amariſſimum Hieremias cap. 23.

Hier. cap 23.

Ecce ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle. Turbulentiſſimum vocat Dauit:

Pſal. 106.

Turbati ſunt, moti ſunt, ſicut ebrius. Mortiferum denique eſſe ſatis illa verba indicant, Hierem. 51.

Deuter. 32.

In clamore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt ſopiantur. & dormiant ſemper ſomnum ſempiternum. Quæ omnia vini genera in eo certè conueniunt, quod potus illorum inſipidus, ingratus, ac mirum in modum moleſtus eſſe perhibetur bibentibus ea, Iſaia dicente:

Iſai. cap. 24.

Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam. Quæ verba quidam Doctores de Idumæis, & de eorum euerſione enucleant. Diuus Hieronymus de vniuerſali Mundi ruina, ea interpretatur. Theodoretus, & Euſebius, locum iſtũ de ſupplicio, quo Dominus poſt mortem ſuam Iudæos oppreſſit, intelligunt, & hinc germanus ſenſus erit: *Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam.* hoc eſt, quando Romani debellabunt illos, quoſdam flagellis cędentes, alios in captiuitatem redigentes, & omni ignominia notantes, tunc omnis lætitia, omnia gaudia, omnia denique cantilena lætabunda, quæ nonnunquam abundantia excellentiſſimi vini Palæſtinæ excitabat, finientur. Et ita Septuaginta Interpretes vertunt: *Erubuerunt, non biberunt vinum.* & vbi nos legimus: *Amara erit potio bibentibus illam*: transferunt Septuaginta: *Amara facta eſt ſyccera bibentibus*, quaſi dicat: per quadraginta annorum ſpatium Dominus eos ad pœnitentiam præſtolatus eſt, teſte Ioſepho.

Ioſeph. c. 24.

Ipſi autem voluptatibus indulgentes, noluerunt reſipiſcere, & ad Deum ſuũ conuerti. Alij tandẽ exponunt, per illa verba ſignificari vinũ delectationis defuturũ fore peccatoribus, quod lætitiæ materiã ſubminiſtrabat; itaut quicquid biberint, abſynthium ſibi videatur. Vt tamen malitia mortiferi vini, quod diabolus ſuæ ſponſæ propinat, magis innoteſcat, tria quæſo conſiderate, quæ boni potatores in vino obſeruare ſolent: nempè colorem, odorem, & ſaporem; quartum interim, quod præcipuum eſſe deberet negligentes; num videlicet ſit vtile, & ſanitati conducat? ſed hæc eſt Mundi, & amatorum eius conſuetudo, vera bona negligere, apparentia ſectari. O miſeria, ò cœcitas! Verum videamus ex ipſa Scriptura, qualia nam ſint hæc tria in vino hoc, de quo agimus, vt ſaltem regula veſtra conuicti ab eo abſtineatis: faxit omnipotens. Quod ergo ad colorem attinet, vinum hoc atre, flauum, ſpurcum, turbidumque eſt. Odor eius ſordibus fœdatus, graue olens, guſtus verò amariſſimus, & teterrimus nauſeam, vel ipſo auditui prouocãs. Hæc omnia duobus verſiculis, mira, & breuitate, & dexteritate mihi complexus eſſe videtur Moyſes, cũ

Digitized by Google

inquit in Cantico: *De vinea Sodomorum;*
Deut. 32. 33. *vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum, vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Immò, vt videtis, addidit & aliud quartum, quod ebrioſi conſiderare negligunt, fructum videlicet, & effectus peſſimos; ſed priora inſpiclamus: Omne fel turbidum, & ſpurcum, flauum eſſe, neminem veſtrum laret; quanto magis fel draconis impurum, ſordidum, & inſupèr atrum erit? neque vero hoc a data per Moyſen ſimilitudine abhorret, immò quadrat ei plurimum; videturq; Moyſes eam notaſſe: dixit enim (vt audiuiſtis) inter alia, vuas, vnde illud vinum exprimitur eſſe de vinea Sodomorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ. Ioſephus verò hi-
Ioſeph. de bello Iud. c. 5. ſtoricus Iudæorum celeberrimus, aſſerit ad litus loci illius fœtidi, vbi olim Sodoma, & Gomorrha erat, ſolitũ fuiſſe excreſcere poma, alioſq; fructus aſpectu quidẽ pulchros, ſed intus, nonniſi cinere, fauillaque plenos. Tale eſt omne peccatum, cuius finis in corpore cinis, in anima vermis, in vtroque poſtmodum ignis, & fumus. Id, quod, vt manifeſtius fiat, placet rem memorandam valde referre, quam
Lib. Viridar. lego in libro Viridarius nuncupato, eamque cõmemorat nobilis Auctor Meffreth
Meffreth. Domin. 2. poſt Epiphaniam. Quidam nobilis erat Mũdi amator, & pauperum oppreſſor: hic dum quieſceret in lecto, Camerarius eius iaceus ante cameram rapitur in viſione ante Tribunal Dei, vbi accuſatus eſt dominus eius de omnibus, quę geſſerat. Pro quibus accepit ſententiam æternæ damnationis: vnde cum magno tripudio ductus eſt ante Luciferum, qui dedit ei oſculum dicens: Non ſit tibi pax in ſæcula ſæculorum: & rurſus ait: ipſe nõ conſueuit balneari? ducite ergo eũ ad balneum. Tunc dœmones vnguibus eum dilacerantes, in ardentes flammas illum proiecerunt: alij verò ignem ſuper ipſum effuderunt, tàm diris eum ſupplicijs afficientes, vt in eo adamuſſim videretur im-
Iſai. 14. pletum illud Iſaiæ 14. *Subter te ſternetur tinea, &c.* Deinde dixit Lucifer: Date ei de calice iræ Dei, & propinatus eſt ei ſulphur ignitus, quæ pars eſt calicis eorum. Cum autem ipſe clamaret: ſufficit, ſufficit, ſubiunxit Lucifer: audire conſueuit dulces ſymphonias, ſurgant Symphoniaci, & ecce duo horribiles dœmones cum tubis igneis ignem in eum inſufflantes, Ita vt ab oculis, naribus, & ore voraces flammæ proſilirenr. Tunc Lucifer adducite, inquit, eum ad me; & adducto eo, dixit: canta mihi canticum vnum; & ille: quid cantabo, niſi maledictionem? maledictus dies, in quo natus ſum. Et Lucifer: Canta meliorem: quid (inquit) cantabo? niſi: maledicta ſir hora, in qua mater me genuit? & ille, canra adhuc meliorem; & miſer dixit: quid cantabo, niſi: quòd ipſe Deus ſit maledictus, qui me naſci permiſit? hoc eſt (ait Lucifer) cantus, quem à te audire deſiderabam. Locate igitur eum in ſede, quam meruit, qui continuò proiectus eſt in profundiſſimum puteum, adeòque vehemens factus eſt ſtrepitus, vt tota Mundi machina diſſolui, & cadere videretur. Atque ad hunc ſtrepitum euigilans Camerarius, accurrit ad cubile domini ſui, quem iam vita functum inuenir. Deinde verò narrata viſione ad meliorem frugem confugiens ſpretis Mundi oblectamentis, Monachus factus eſt. Ecce quomodo, diabolus primo ponit bonum vinum voluptatum, & poſtquàm inebriati fuerint, tunc propinat illud, quod deterius eſt, vt nos à ſummo bono diuellar, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia IV.

Beatæ Virginis verba: fili vinum non habent. *necnon illa Chriſti Domini:*quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea, *multiplici priſcorum Patrum expoſitione illuſtrantur, & à multis hæreticorũ calumnijs Deipara vindicatur.*

QVemadmodum ex floribus, ex quibus argumẽtoſæ apes, dulcem mellis fauum eliciunt, fœtidæ araneæ venenum conficiunt; ita Hæretici ex verbis ſacræ Scripturæ, ex quibus catholici dulciſſimum veritatis mel decerpunt, ipſi erroris, & impietatis virus inſaniſſimè hauriunt. Hoc palam videre eſt hodierni Euangelij lectione: nam ex propoſitis verbis: *Vinum non habent*; necnon ex illis: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* ex quibus nos Catholici, fidei lumine illuſtrati miras Virginis laudes deducimus: hæretici multas aduerſus Virginem contumelias colligunt. Manichæi, & Valentiniani (vt tradunt Origenes in catena græca, & D. Auguſtinus tract. in Ioannem 8.) ex illis verbis confirmabant execrandum illum errorem, quòd beata Virgo non eſſet vera mater Chriſti; dicebant enim, perinde fuiſſe Chriſtum Dominum proruliſſe illa verba: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* ac ſi dixiſſet: nihil tecum commune habeo, non agnoſco te pro matre. Verùm in hac calumnia apertiſſimè detegitur horum hæreticorum impietas, & proteruia; nam eodem loco ſacer Euangeliſta, ne quis ex reſponſo Domini ſuſpicaretur, Mariam eius matrem non fuiſſe, idcircò conſultò bis vocat Virginem expreſsè *matrem Chriſti*: ſemel enim ait: *& erat mater Ieſu ibi*, & rurſus: *dicit mater Ieſu ad eum*: Ecce plus potuit apud impios, hos Hæreſiarcas, *quid mihi, & tibi?* quod nulla ratione facit ad excludendam maternitatem, & quod, vt minimum, erat verbum obſcurum, varioſq; poterat recipere ſenſus; quam verbum illud expreſſum, & bis repetitum: *erat mater Ieſu.* Alij Hæretici, vt Lutherus in capit.4.epiſt. ad Galat. & Melanchthon in annotat. circa Euangel. Ioann.cap. 2.temerè effutierunt, Beatam Virginem, tam à Chriſto quàm à Paulo per contumeliam, mulierem ſolitariè appellari. Immo nonnulli alij, vt Origenes, & Hieronymus ad Galat.4. obſeruarunt, ex, *mulieris*, nuncupatione deduxerunt, Mariam poſt partum non fuiſſe Virginem. Sed toto cœlo errant, quia ex vſu ſacræ ſcripturæ, *mulier*, commune vtriuſque ſexus eſt vocabulum; nec minus, ad Virginem, quam ad vitiatam, vel nuptam pertinet. Probat hoc D. Auguſt. lib. de fide, cont. Manich. cap. 32. & de verb. Domini ſerm.63.& l.2.de conſenſ.euang. cap.28.probat (inquam) id ex Gen.3.vbi Eua, necdum à viro cognita dicta eſt mulier. *Vidit* (inquit) *mulier, quòd lignum eſſet bonum*, & rurſum, *dixit ſerpens ad mulierem*, & poſteà: *mulier, quam dediſti mihi*. Ac tandem octies in eodem cap. antequàm ab Adam cognoſceretur, *mulier*, nuncupatur, & cap.24.eiuſdem Geneſ. famulus miſſus ab Abraham, vt quæreret ſponſam virginem filio ſuo Iſaac, ipſe dixit: *Si mulier noluerit venire mecum in terram hanc*, &c. Ecce Virginem, nomine, mulieris, nuncupat. Probat etiam id Orig. ex vulgari vſu loquendi, in hunc modũ ratiocinans: *Si rectè dicitur, vir, ille pro ſola temporis ætate, qui nullius admixtionem feminæ nouerit; quomodo non eadem conſequentia etiam virgo, quæ intemerata permanſit pro ſola ætatis maturitate, mulier, nominabitur?* In eodem ſenſu tract. 2. de lectio. euangel. Gaudentius id docet, ac Mariam hìc à Chriſto vocari aſſerit mulierem, veritate ſexus, non detrimento integritatis, quoniam diuino partu ſic cœperit eſſe mater, vt virgo ſacratior permaneret. Quanquàm hoc rarò inuenias, & bis quidem duntaxàt in Euangelio, vt, *mulier*, Maria dicatur, octies verò poſt partum, vt ſup. dicebã matrem Ieſu vocari legim⁹, vt etiã Metaph. animaduertit in ora. de vita, & dorm. Mariæ. Nec deſunt qui ad ſingularem Mariæ laudem referant, quòd Chri-

Orig. Manichæi, & Valētiani declarāt.

Luther, & Melanchth. infamant.

Origin.

D. Hieron.

D. Auguſt.

Gen. 3.

Geneſ. 24.

Orig.

Gaud.

Metaph.

Chriſtus eam nuſquam, niſi hoc nomine; *mulier*, vocauerit; idque præſtantius eſſe eſſe putant, quàm ſi Virgo fuiſſet vocata, tum, quod apud Iudæos eo tempore non expediret: tum quia quemadmodum Chriſtus inter viros primatum tenet, ac, viri,nomen maximè promeretur; ſic Maria,inter mulieres omnes,principatum obtinens, mulieris,nomine per anthonomaſiam meritò nuncupatur; cùm ſit rara illa mulier,quam ardenti deſiderio Salomon, Eccl.16. in ſpiritu quærebat, cùm diceret:
Eccl. 16. *mulierem fortem quis inueniet?* Sed, &
Ad Gal. 4. Paulus ad Galat.4.non ignorans Chriſtum ex Virgine natum,filij Dei matrem, nonniſi,mulierem vocat; ex qua,illum eſſe factum,legiq; ſubiectum dicit,vt eos, qui ſub lege erant, redimeret. Quòd, ſi humanas literas conſulamus, apertè repetiemus,appellatione,*mulieris*, virginem
Vlpianus. intelligi; licet enim Vlpianus Iuriſconſultus in l.alioquin, ff.de contrah. empt. nomine *mulieris*, intelligat feminam violatam dicens: *quòd ſi ego,me Virginem emere putarim,cum eſſet mulier, emptio non valebit*; ipſe tamen alibi indifferenter ac-
Idem Vlp. cipit appellationem mulieris pro Virgine, vel non Virgine; nam in l.quæritur, ff. de ædilitio ædicto ait: *mulierem ita arctam, vt mulier fieri non poſſit, ſanam non videri*
Caius. *conſtat*,& Iuriſconſult. Caius in l.13.de verb. ſignif. expreſsè inquit, *mulieris appelatione, etiam Virgo viri potens continetur*.

His iàm exploſis erroribus, veniamus ad quoſdam Catholicos Doctores, quibus quia obiurgatam putant B. Virginem à fi-
D. Athan. lio,non poſſum non refragari. D.Athanaſ.
D. Auguſt. ſerm. 4.cont. Arianos,& D.Auguſt.lib. 2. de ſymb. ad Cathecumenos, verba illa: *quid mihi, & tibi?* increpationis,& reprehenſionis fuiſſe iudicant. Et quamuis Athanaſius rationem increpationis præte-
Greg. Niſſ. rierit, eam tamen D. Auguſtinus appoſuit,quam,& acceptat Greg. Niſſ. orat. in illud Apoſtoli: *tunc erit, & ille ſubiectus*; nimirum quòd Virgo miraculum vini poſtulaſſet, exiſtimans, ſe iure maternitatis id poſſe filio præcipere. Sed certè cùm ſacer Euangeliſta ſimplici illo vſus ſit verbo: *dicit mater Ieſu ad eum:* nulla prorſus ex eo anſa ſumi poteſt,ad iudicandum,iure materno præcepiſſe miraculum; immò verbum illud non eſt præcipientis, ſed deprecantis potius. Quod conſultò fecit B. Virgo, ne videretur, ſe obligare velle filiũ ad miraculum patrandum. Vnde D. Cy- D. Cyrill.
rillus. lib.2.in Ioannem cap.23.& D.Am- D. Ambr.
broſius ſermo. 16.in Pſal. 118.& D. Hy- D. Hylar.
larius 3. de Trinitate, verba illa: *vinum non habent*: clarè dicunt fuiſſe rogantis. Quis autem vitio vertat,& non potius laudi, quòd B. Virgo preces fuderit filio pro ſubleuanda inopia illius conuiuij? Confirmat idipſum Metaphraſtes in orat.de
vita B. Virginis, dicens: *Vide autem, hic* Metaph.
quoque Dei matris inſignem moderationem & prudentiam: nec enim iubet audacter, tanquàm mater filio vt faciat miraculum, ſed eum ſolùmmodo admonet, idque cum magna quadam reuerentia, & ſubmiſſione: Vinum non habent; nam, etſi ea, illum eſſe ſuum cognoſcebat filium, non tamen ignorabat,eſſe ſuum quoq; Creatorem. Deinde, a ſapientiſſima Virgine alienum prorſus erat,tanta ignorantia laborare, vt quoad opera diuinitatis,& miraculorum poteſta-
tem,putaret Chriſtum, ſibi ſubiectum. D. D. Chryſ.
autem Chryſoſtomus homil. 20. putans, verba illa: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* indignationem continere aduerſus matrem, duplicem aliam rationem illius indignationis ſubiungit,nimirum: vel,quòd fortaſſe aliquo humano vanæ gloriæ affectu mota, per opera filij apud alios pro-
priam gloriam quærebat,vt etiam Euthy- Euthym.
mius cenſuit in c.2.Ioan. vel quòd intempeſtiuè miraculum poſtulauit; nondum enim erat tempus,quandiu vini defectus, non erat omnibus notus, vt tali miraculo Chriſtus manifeſtaretur; ſicut, & Irenæus etiam adnotauit lib.3.c.18.Sed, bona venia tantorum Patrum vtraq; hæc imperfectio longè à Dei genitrice abfuit. Nam, quod attinet ad effectum vanæ gloriæ, falſo ei imponitur,cum ſacrum Concilium Conc. Trid.
Claramontanum ſub Vrbano Secundo, & Tridentinum ſeſſione 6.can.23.definierit, nullum peccatum actuale, etiam veniale in B. Virginem irrepſiſſe. Quod vero aſſeritur de intempeſtiua petitione, nullius prorſus momenti videtur eſſe, vt ſapienter
obſeruauit Cardinalis Toletus in caput Toletus.
ſecundum Lucæ. Quomodo enim Virginem id intempeſtiuè petijſſe iudicabimus quæ non ſtatim miraculum fieri,ſed ſolam ſubuentionem petijt à filio,quando autem & quomodo, non præſcripſit? Secundò, quia

Digitized by Google

quia etiamſi tunc petijſſet, vt ſubueniret, non erat vitioſa petitio: ipſa enim non ſciebat, nec ſcire tenebatur tempus diuina voluntate ſtatutum: ſatis ei erat, rem iuſtam,& dignam tali filio petijſſe. Paulus
2.Cor.12. ſibi carnis ſtimulum rogabat auferri, & rem, quæ non ſecundùm voluntatem diuinam erat petebat; tamen petitio eius laude fuit digna, & reſponſum obtinuit à Deo: *Sufficit tibi gratia mea*. Licet enim petamus aliquando ea bona, quæ reuera non ſunt ſecundùm diuinam voluntatem, non ſequitur, petitionem ipſam eſſe vitioſam, quia Deus petere nos vult, quæ honeſta, & iuſta ſunt; diuino autem ſuo relinquit conſilio, an ſint concedenda necne? propterea Rom. 8. dicebat idem Paulus: *quid oremus, ſicut oportet neſcimus*, non tamen oratio ob id vitioſa ſit; multò ergo minus in hac petitione eſt, quod ſuggerat cauſam reprehendendi, quandoquidem,& quod petitur, ſit à Chriſto, & conceditur, quod rogatur. Itaque ſi culpa fuiſſet ex parte Virginis, miraculum poſtulare, vtiq; Chriſtus miraculum non feciſſet, ne culpã ipſam videretur miraculo confirmare; nec vnquam legimus, illũ vel curioſè tantùm, cuiuſquam rogatu miraculum feciſſe vllum. Cupiebat curioſè Herodes ſignum aliquod videre noluit facere. Petierunt aliquãdo ab eo curioſè Iudæi ſignum, reſpondit: *Generatio mala,& adultera, ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignũ Ionæ prophetæ*. Matt. 12. Hinc ſequitur, Mariam hoc loco non fuiſſe reprehenſam; nec enim potuit Chriſtus, tam æquus, tam ſapiens Iudex, ac pariter eius filius, eam ſine culpa reprehendere; nec mater ſi reprehenſa fuiſſet, perrexiſſet dicere miniſtris, vt filio ſuo parerent, priorem enim culpam culpa maiore pertinaciæ cumulaſſet. Vnde, quod diuus Gregorius Niſſenus, & Iræneus præcitatis locis opinati ſunt, B. ſcilicet Virginem repulſam ſuſtinuiſſe à filio, nulla ratione admitto. Tum quia Chriſtus Dominus dedit illi ſpem faciendi quod petebat hora a ſe præfixa: ergo manifeſtum eſt, non accepiſſe repulſam: tum etiam, quia D. Cyrillus lib. 2. cap. 23. & D. Ambroſ. ſerm. 16. in Pſal. 118. & D. Chryſoſt. homil. 21. affirmant, ob interceſſionem Virginis Chriſtũ Dominum miraculum illud citius patraſſe quàm alioquin facturus eſſet; præuidens enim futuram matris ſuæ interceſſionem, citius quàm ſi illa defuiſſet, miraculum illud facere ab æterno decreuerat.

Ad Rom. 8. — Luc. 23. — Matth. 12. — D. Greg. Niſſ. D. Iræneus. — D. Cyrillus. D. Ambr. D. Chryſ.

Ceterùm, vt gradum faciamus ad expoſitiones alias, quæ nihil ſiniſtrum, vt decet, de B. Virgine admittunt, liceat mihi prius Chriſtum interrogare: quomodo, cum filius Virginis ſis, ad eam ais: *quid mihi, & tibi mulier?* etenim modus iſte loquendi idem ſignificat in ſacra Scriptura, quod latinè: quid mihi tecum, in quo ſenſu 2. Reg. 16. legimus, *quid mihi, & vobis filij Saruiæ?* & Ioel 3. *quid mihi, & vobis, Tyrus, & Sydon?* & Matth. 8. *quid nobis, & tibi Ieſu, fili Dei?* ac tandem Lucæ 8. *quid mihi, & tibi Ieſu, fili Dei altiſſimi?* hoc igitur, cùm ita ſit, quomodò, bone Ieſu, matri ais, *quid mihi, & tibi?* immo, multum per omnem modum tibi, & illi; nàm quo pacto nihil tibi cùm illa, quæ conſentiens tuæ petitioni, vtero ſuo te concepit: corpus hoc, quod geris, ab ea per veram generationem accepiſti, & ad cuius efformationem puriſſimum ſuum ſanguinem, ipſa tanquàm eius materiam ſubminiſtrauit? Quomòdo nihil tibi cum illa, quæ te intrà viſcera ſua per nouem menſium ſpatium geſtauit, quæ te peperit in Bethlehem, & in hanc lucem edidit? quæ te pannis inuoluit? quæ te reclinauit in Præſepio? quæ te octauo die circuncidit? quæ te in Templo obtulit, & Syclis quinque redemit? quæ te in Aegyptum duxit, & reduxit? quæ te, profuſis lachrymis multo dolore quæſiuit? ac tertio die in Templo inuenit? quæ te tandem per multos annos aluit, & varijs obſequijs proſecuta fuit? Hanc eandem interrogationem diuus Bernardus ſerm. 2. poſt octauam Epiph. his mellifluis verbis (vt aſſolet) proponit,& ſoluit *Quid tibi, & illi, Domine? nonne quod filio, & matri, quod ad illũ pertinet, quæris? cum tu ſis benedictus fructus ventris eius immaculati? non ipſa eſt, in cuius vtero nouem menſibus moratus es? cuius virgineis vberibus lactatus, cum qua iàm duodecim annorum factus, de Ieruſalem deſcendiſti, & eras ſubditus illis? nunc ergo Domine, quid moleſtus es illi, dicens: quid mihi, & tibi?* Hanc interrogationem in hunc modum ſoluit D. Bernardus (& hæc ſit expoſitio prima illorum verborum: *Sed manifeſtum video, quòd non velut indignans, aut confundere volens Virginis*

2. Reg. 16. Ioel. 3. Matth. 8. Luca 8. — D. Bern.

nis matris teneram verecundiam, dixeris: quid mihi, & tibi? cum, venientibus ad te, iuxta præceptum matris, miniſtris, nil cunctatus, facis, quod illa ſuggeſſit. vt quid ergo fratres? vt quid ſic reſpondebat? vtiq; propter nos, vt conuerſos ad Deum, iam non ſollicitet cura carnalium parentum, & neceſſitudinis illæ non impediãt exercitium ſpirituale. Quandiu enim in mũdo ſumus, debitores conſtat nos eſſe parẽtibus; at poſtquàm reliquimus noſmetipſos, multò magis ab eorum ſollicitudine liberi ſumus. hæc ille.

Secundam expoſitionẽ affero ex D. Iuſtino in lib. quæſtion. quæſt. 136. vbi interrogans, an liceat aliquando parentes ſper- *S. Iuſtin mar.* nari? reſpondet, omnino non licere. Sed obijcit: *Videtur Chriſtus aſpernari, cùm dicit: quid mihi & tibi?* reſpondet: *ſenſus eſt: noſtræ curæ non eſt, nec ad me, vel ad te pertinet, ſi vinum deficiat. Si tamen ex ſingulari tua charitate vis, ne deficiat vinum, dic miniſtris, vt, quæ dixero, faciant. Non igitur verbis matrem increpuit, quam operibus cohoneſtauit.* hæc Iuſtinus.

D. Greg. Mag Tertiam expoſitionem adhibet D. Gregorius lib. 8. epiſt. cap. 42. quam etiam ſequitur D. Aug. tract. in Ioann. 8. Dicunt hi Patres, quædam opera efficere Chriſtum Dominum, tanquam Deum, alia tanquam hominem, Beatam autem Virginem opus ab eo poſtulaſſe, quod non ſecundum humanam naturam, in qua Chriſtus matrem, ſed ſecundum diuinam, in qua Patrem tantum habebat, faciendum erat, & ideo reſpondiſſe, *quid mihi, & tibi?* ideſt, petis opus, quod non vt homo, in quo tecum mihi commune aliquid eſt, quia filius tuus ſum, ſed vt Deus, in quo matrem te non cognoſco, facturus ſum; nihil mihi tecum in hoc. Id tamen, aiunt, non exiſtimandum eſt, Chriſtum Dominum, dixiſſe ad increpandam Virginem, ſed inſtructionis gratia propter circumſtantes, tum, vt non ſolùm hominem, ſed pariter, Deum eſſe demonſtraret; tùm, vt intelligeremus, in his, quæ Patris ſui erant, non humanos carnis, aut ſanguinis reſpectus ſeruaſſe, ſed prout à Patre accepit facienda, illa eadem exequi. Potuiſſent enim circumſtantes ſuſpicari, obſequio matris, & iure ſanguinis permotum filium, opus, quod poſtea diuinè operatus eſt, patraſſe, atque in hoc, ſimilibuſq; prodigijs humanas preces & iura hominum obſeruaſſe. Simile quid habemus. Matth. 12. volentibus enim *Matth. 12.* eum quibuſdam à prædicatione abducere, eaquè de cauſa dicentibus: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te;* reſpondit: *quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* ac ſi dixiſſet: In his operibus, quæ ad Deum ſpectant, & quæ manifeſtationis meæ, & humanæ ſalutis ſunt, propter quam veni, non hominum voluntates, aut humana obſequia, ſed Dei reſpicio decretum, & beneplacitum. Quæ verba, non propter matrem, ſed propter illos, qui tunc aderant, protulit. Vnde Ioann. 11. *Ioan. 11.* dixit: *Pater gratias tibi ago, quia audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: vt credant, quia tu me miſiſti:* & Ioan. *Ioan. 12.* 12. cum vox Patris ad eum facta eſſet, *& clarificaui, & iterum clarificabo,* dixit Chriſtus: *non propter me venit hæc vox;* Sic in præſenti, hæc verba, *quid mihi, & tibi?* non propter eam, ſed propter adſtantes, & eos, qui audituri erant, dicta ſunt; vt iam his verbis ſe Dei filium incipiat declarare. Aſtruunt mirificè omnia, quæ in hac expoſitione hucuſq; diximus, egregia verba Richerij, viri ſua ætate inſignis *Richerius.* lib. 3. de Laudib. Virg. cap. 19. vbi ait: *Increpata Maria non eſt, quia omnis expers culpæ, quod filius manifeſtauit, faciens quod petijt. Nec enim faceret, ſi malè peteretur; ſed propter nos reſponſio illa data eſt, inſtruendos. Primum, non à matre accepiſſe, vnde miraculum faceret ſed à Patre, vnde ſe Deum oſtendit. Secundùm; ne ſpiritualibus agendis Parentum curam geramus; nec ad ad eos nimium afficiamur, ſed ſolùm Dei ſpectemus gloriam.* hæc ille.

Quartam expoſitionem docuit me D. *D. Thom.* Thomas 3. p. q. 27. art. 4. vbi aſſerit Chriſtum Dominum in Virgine matre, non cohibuiſſe inordinatum aliquem inanis gloriæ motum, quantùm ad ipſam, ſed tantùm ſecundùm id, quod ab alijs poſſet exiſtimari; neq; aliud ſenſiſſe Patres, qui huiuſmodi vanam gloriam ei tribuere videntur. In qua etiam ſententia videtur eſſe Theophylactus, in Io. 2. dum ait: *Vt* *Theoph.* *monſtretur, quòd non infirmitatis fuerit repulſa, ſed, ne videretur accurrere, & feſtinare ad miraculorum operationẽ propter oſtentationem, & vanam gloriam.*

Quintam explicationem adhibent alij Doctores, quibus non pauci applaudunt; nimi-

Digitized by Google

nimirùm, quod verba illa: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* perinde ſint, ac ſi dixiſſet: nos ſumus inuitati, prouidere autem de vino neceſſario in conuiuio, pertinet ad inuitantes, non ad inuitatos. Ita exponunt D. Epyphanius hæreſ. 51. & 79. Euthymius in Comment. huius loci, Cardin. Tolet. cap. 2. in Ioannem annot. 6. Vnde, iuxtà hanc expoſitionem, ſenſus horum verborum eſt; *Quid mihi, & tibi?* non eſt meæ, nec tuæ curæ prouidere: non nobis iure incumbit hæc cura, quaſi diceret: adhuc tempus non eſt mihi oportunum, quia nondùm eſt manifeſtus defectus; eorum eſt modò prouidere, qui inuitarunt: at quando mea fuerit oportunitas, non deero. Proindeq; addit: *nondùm venit hora mea;* quibus verbis matrem plurimùm honorat. *Quid mihi, & tibi?* ac ſi diceret: Si mihi, aut tibi cura iure incumberet, iam iam prouiderem, & defectum ſupplerem; quando adhuc reliquos latet. Sed, quia, nec mihi, nec tibi incumbit, expectanda eſt oportunitas alia, & hæc erit quidem, ſed modò non eſt. Quòd ſi obijcias: Chriſtus, erat fons pietatis, & Virgo, miſericordiæ mater; multùm ergo ad illos attinebat, ſubleuare miſeriam illorum pauperum: hic enim eſt proprius miſericordiæ ſcopus; dicendum reor, quòd ad miſericordiam non pertinet, illam exhibere per media portentoſa, & miraculoſa, ſed, per communia, & ordinaria; & hoc pacto, nec ad Chriſtum, nec ad Virginem pertinebat prouidere de vino, cum id proprium eſſet inuitantium, non inuitatorum, quantumuis ipſi valde miſericordes eſſent.

D. Epiph. Euthym. Toletus.

Sextam expoſitionem tradit nobis doctiſſimus Maldonatus in cap. 2. Ioann. dicens in verbis Chriſti: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* ſimulatam eſſe reprehenſionem, non veram; dupliciq. exemplo probat, Chriſtum Dominum, vſum fuiſſe hoc genere, ſimulatæ reprehenſionis: ſic enim ait: *Certè verba illa, quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? ſpeciem habent reprehenſionis, ſed ſimulata, non vera eſt reprehenſio, non enim parentes reprehendit, quòd ſe quæſiuiſſent, quod charitatis, pietatiſq; fuerat officium, ſed ſimulat, ſe reprehendere, vt qui audiunt, intelligant, alium ipſum habere Patrem, cui magis, quam illis parere debeat. reprenſio videtur eſſe, quæ eſt mater mea; & qui ſunt fratres mei? Matth. 12. Sed ſimulatio potius eſt reprehenſionis, vt doceat, nos etiam poſſe, matrem, & fratres eius eſſe, ſi voluntatem Patris eius faciamus. Similiter, hoc loco ſimulauit, ſe matrem reprehendere, cum minimè reprehenderet, vt oſtenderet, ſe non humano ſanguinis reſpectu, ſed ſola charitate, & vt ſeſe quis ſit, declaret, miraculum facere. Quemadmodùm Iudex illi, quem vult abſoluere, ſæpè aſperè reſpondet, ne eum gratia abſoluiſſe videatur.* hactenus ille.

Mald. Luc. 2. Matth. 12.

Vltimam tandem expoſitionem accipe. Demus gratis, (nunquam tamen vltrò concedentes) Mariam hìc durè tractatam & a filio repreheuſam, id in maximè nobis commendandum myſterium cedit; quod videlicet tanta ſit in nos Mariæ charitas, & beneuolentia, vt permiſerit, ſe reprehenſione indignam, propter noſtram vtilitatem, reprehenſione dignam videri. Certè Deum à ſanctis hoc modo reprehenſum propter ineffabilem in peccatores miſericordiam, ſæpè legimus in ſacra Scriptura; nam præterquàm diuina miſericordia, *exceſſus* dicitur, *Propter nimiam caritatem ſuam,* iam *multus ad miſerendum:* iam, *vino inebriatus,* iam obiurgant illum, Prophetæ, vt Ionas, Habacuch 2. *Quare non deſpicis contemptores impios iuſtorum?* & Pſal. 93. *Vſquequò peccatores Domine?* iam murmurant, qui prima hora venerũt: iam filius ſenior iraſcitur. Ad quid hæc omnia in ſcriptura inducuntur? nùm in Deo culpa? numquid reprehenſione dignum putabimus? abſit. Sed, vt tanta ſignificetur miſericordia, vt limites excedat humani iudicij, & ſuperabundãs videatur. Vt ergo eius miſericordiæ magnitudo declaretur, conſulto de ea, vt reprehenſibili, ſolet loqui ſcriptura. Simile hodie Mariæ contigiſſe videtur, tanta eius in inuitatores miſericordia, cura, caritaſq; viguit, vt oraret pro illis etiam ad eam non pertinentibus: cui Chriſtus: quid ad te, & ad me, de his? quaſi eam reprehendit, non quòd reprehenſibile quidpiam illa præſtiterit; ſed vt maxima, & ſuperabundans eius in nos cura demoſtraretur, quia hæc eſt illa ſponſa Iſaach, quæ non ſolùm homini, ſed & Camelis potum tribuit, & in hoc dignoſcitur vera Dei ſponſa, ſi peccatores omnes recipiat, ſi etiam eos, qui longe ſunt, trahat.

Ad Eph. 2. Pſal 93. Matth. 20. Luca 15. Gen. 24.

Atque

Digitized by Google

Atque, ex omnibus dictis in hoc diſcurſu, colligo, non ſolùm B. Virginem non meruiſſe propter petitionem illam: *Vinum non habent*, increpationem aliquã; ſed ex multiplici capite magna laude digniſſimam, ſe præſtitiſſe. Breuia illa verba fuere, ſed myſterijs vberrima, ſi introrſum reſpiciantur. Sicut enim granum ſynapis paruum eſt, & prima fronte vile, atq; deſpectum, nullum ſaporem conferens, nullum odorem emittens; vbi tamen conteri cœperit continuò acrimoniam ſuam oſtendit, & latentis caloris inditia prodit; ſic pauca hæc mariana verba exteriùs inſpecta, nullam excellentiam præ ſe ferũt, aut magnam aliquam Virginis laudem portendunt; ſi tamen cogitatione conterantur, tunc multiplex virtus, multiplexq; Virginis laus in eis delteſcens detegetur. Enitet in primis inconcuſſa fides, vt his verbis diſſeruit D. Bernardus de gradib. humilit. grad. 12. *Diſce, & in matre Domini magnam, & in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundia decorare fidẽ, reprimere præſumptionem. Vinum (inquit) nõ habent: quàm breuiter, quàm reuerenter ſuggeſſit, vnde piè fuit ſollicita; & vt diſcas in huiuſmodi magis piè gemere, quàm petere præſumptuosè, æſtum pudoris temperans vmbra, conceptam precibus fiduciam verecundiæ ſuppreſſit, non frontosè acceſſit, non palam locuta eſt, vt audacter coràm omnibus diceret: obſecro fili, deficit vinum, triſtantur conuiuæ, confunditur ſponſus, oſtende quid poſſis. Sed licet hæc, aut multa plura pectus æſtuans, feruens loqueretur affectus, priuatim tamen filium pia mater adijt, non potentiam tentans, ſed voluntatem explorãs vinum (inquit) non habent, quid modeſtius? quid fidelius? non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto.* hæc ille. — D.Bern.

Effulget deinde in illis verbis inſignis fiducia, & ſpes B. Virginis, dum rem magnam, quam poſtulabat a filio, non multis precibus vrgere voluit, ſed ſimplici verbo; eam indicauit: quod, manifeſtum indiciũ eſt, certiſſimam extitiſſe, penuriam vini ad eius preces, ſupplendam fore à Chriſto. Vnde hac ſpe, tanquam firmiſſima anchora roborata B. Virgo, confidenter dixit Miniſtris: *quodcunq; dixerit vobis, facite.* — Luc. 2. Quid de caritate dicam, quæ in illis verbis palàm oſtenditur, cum, nec monita, nec rogata ſponſo, & ſponſæ cõdolet, inopiam eorum ſubleuare ſatagit, aduocatę officiũ exercere incipit: ac interceſſione ſua a Chriſto beneficium impetrat, & facto miraculo, præſentibus amicis, & conuiuis in caritate non ficta congaudet. Pietatẽ præterea Virginis quis non videat? Vidit quidem, & eleganter expendit in Comment. illorum verborum D. Bern. dum dixit: *B. Virgo compaſſa eſt verecundiæ nouorũ coniugum, ſicut miſericordem, & benigniſſimã decuit. Quid enim de fonte pietatis profluerer, niſi pietas? quid mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? nonnè, qui pomum in manu tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem? quantùm igitur virtus pietatis efficit, in quibus nouem menſibus quieuit, & quãuis receſſit ab vtero Chriſtus, non tamen receſſit ab animo.* — D.Bern.

Accedit his, ſancta iubilatio, quã, nihil dubium, quin Spiritus ſanctus in eius pectore excitauerit, cũ ſuæ petitionis tam felicem effectũ Virgo cerneret: Rurſus, quis non agnoſcat grauitatem, & modeſtiam, quam B. Virgo in illis verbis manifeſtauit? nec enim imperiosè dixit; fili da eis viniũ, oſtende potentiam tuam, Meſſiæ virtutem & gloriam omnibus pande, manifeſta te Mundo, diu ſatis domi latuiſti. Nihil certè tale modeſtiſſima Virgo, & grauiſſima mater totiuſq; honeſtatis ſpeculum, protulit, ſed contrà muliebrem morem, ab omni garrulitate aliena, paucitate verborum contenta ſolùm ei dicit: *Vinum non habent*. — Luca 2. Ac tandem mira in eiſdem plendet Virginis prudentia; dùm tam paucis verbis permulta perſtrinxit, quia dicere: *vinum non habent*, perinde fuit, ac ſi illi in hunc modum loqueretur: Nihil eſt opus à me ſapientiſſimum admoneri: vides ipſe, fili, & intelligis, vinum, ad ignominiam ſpõſi, ac ſponſæ depellendam, atq; ad conſolationem hoſpitibus exhibendam, deſiderari. Quibus verò modis vtriq; parti conſulendum ſit, tuæ, & potentiæ, & caritati commendatum volo, nihil ambigens, te, nec meæ poſtulationi, nec illorum vtilitati defuturũ. Meum erat, hoc fidei erga te, & caritatis erga illos, officiũ verbo præſtare. Porrò, vt quod polliciti ſumus impleamus ſolũ explicare reſtat, quid ſibi velint verba illa *Nondum venit hora mea*, D. Athan. in apolog. de fuga ſua, D. Aug. in Ioann. D. Greg. affirmant, Chriſtum Dominũ feciſſe — D. Athan. D. Auguſt. D. Greg. Ioan. 7.

ciſſe

ciſſe alluſionem in his verbis, ad tempus ſuæ Paſſionis, hoc enim nō ſemel in ſacris
Ioan. 7. eloquijs, hora eius dicitur, Ioan. 7. *nemo miſit in eum manus, quia nondum venerat hora eius*. & Ioann. 13. *Sciens, quia venit*
Ioan. 13. Ioan. 17. *hora eius*, & Ioan. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*. Erit ergo ſenſus: quid mihi, & tibi? hoc opus, quod petis, diuinitatis meæ eſt: in hoc non te cognoſco matrem. Nondum venit hora paſſionis meæ, quando patiar in ea natura, quam à te accepi: tunc, te matrem recognoſcam. At
D. Greg. Niſ. D. Greg. Niſſænus oratione in illa verba Pauli, *tunc, & ipſe ſubiectus erit*, non legit hæc verba, affirmatiuè, vt præcedentes Patres, ſed interrogatiuè, vt ſenſus ſit: adhuc mihi imperare, vt mater vis? nondum venit hora, quando mei iuris ero? Exiſtimat enim ille Virginem hoc miraculum Chriſto imperare voluiſſe, cui Chriſtus reſpondit, ſe obedire illi minimè teneri: *quid mihi, & tibi*? adhuc mihi imperas? nondum tibi videtur hora veniſſe, quando mei iuris erò: venit iam hora hæc. Conſen-
Seu. Antioch. tit eidem Seuerus Antiochænus in catena græca. Verū vtraq; hæc expoſitio ea ratione mihi nō probatur, quia vtraq; ſupponit verba Chriſti Domini eſſe increpatoria, & reprehenſiua; iſta autem increpatio, & reprehenſio in Virginem in quam culpa nūquam irrepſit, minimè cadere poterat, vt ſup. oſtendi. Quare vera, & germana intelligentia horum verborum eſt, quam his
D. Irenæus. verbis tradit D. Iræn. l. 3. c. 18. *Dum ait: Nondum venit hora mea, dixit, expectans eam horā, quæ præcognita eſt à Patre*. Aſtipulatur huic expoſitioni D. Cyrill. lib. 2.
D. Cyrill. D. Ambr. D. Chryſ. Toletus. Maldonat. c. 23. D. Ambr. ſer. 16. in Pſ. 118. D. Chryſ. hom. 21. Card. Toletus, Mald. & moderniores alij in c. 2. Ioann. qui omnes affirmant, planum ſenſum eſſe: nondùm venit tempus faciendi miraculum, quòd à me poſtulas. Expectabat enim (vt adnotant
Theoph. Euthym. Chryſoſt. Theophyl. & Euthym.) quòd omnes, qui aderant cognouiſſent, vinum defeciſſe, vt clarius miraculum eſſet. D.
D. Aug. autem Auguſt. affirmat, tunc, cùm mater petiuit, nondum vinum penitus defeciſſe; voluiſſe autem Chriſtum expectare, quoad nihil omninò vini eſſet; vt mirabilius ab omnibus, opus eius iudicaretur, dū non ex vino, vinum, ſed ex non vino, vinum conficeret. Verba igitur hæc, *nondùm venit hora mea*, multa magnalia continent; ſunt enim verba poteſtatis diuinæ, quia Dominus temporum eligere potuit, quæ voluit. Verba ſunt prudentiæ, quia ab æterno diſpoſuit, quæ fecit in carne. Verba ſunt prouidentiæ, & ſapientiæ, quia conueniētia ſuis quæq; finibus ſuorum operum elegit momenta. Verba ſunt miſericordiæ, quia ſpem ſubueniendi dedit. Verba ſunt liberalitatis, & magnificentiæ, quia hydrias precioſiſſimo vino plenas conuiuis tradidit. Verba ſunt reuerentiæ, quia honorauit matrem, preces acceptando oportuno tempore exaudiendas. Verba ſunt inſtructionis, quia omnia ex conſilio, & voluntate Dei Patris ſe facere docuit. Cui cum filio ipſo, & Spiritu ſancto, ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia V.

Proſequimur idem intentum, ſingularia quædam dubia, quæ ex marianis verbis: Vinum non habent, *emergunt, in defenſionem B. Virginis vtiliter enodantes, ac nōnulla alia, quæ occurrunt, elucidantes.*

TANTI facio, Beatiſſimam Virginem ab omnibus calumnijs vindicare, vt non contentus Hæreticorum tela infrinxiſſe, nunc denuò, ad quædam alia propulſanda accingar, quæ religioſam eius petitionem, dum filio ſuo dixit: *vinum non habent*, quodamodo labefactare videntur. Etenim in primis ſacra eloquia tradunt, filijs Iſrael dediſſe Exod. 16.
Dominum panes, & carnem ad ſaturitatē: *Veſpere comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus*; idq; non ſemel Deus præſtitit, nam iterum tanta coturnicum copia eos cibauit, vt in nauſeam eis verterentur; vinum tamen nuſquam legimus eis dediſſe. Similiter etiam 3. Reg. 18. di- 3. Reg. 18.
uinitus Coruus panem, & carnem afferebat Heliæ prophetæ, potus tamen eius nō erat, niſi aqua de torrente Carith, vt ibi-

dem dicitur. Immo,cùm torrens ille prorſus exſiccaretur, non prouidit illi vinum. Et,vt ad recentiora veniamus, cùm Chri-

Ioan. 6. ſtus Dominus conuiuium feciſſet turbis in deſerto,multiplicatione quinq; panum, & duorum piſcium, vino tamen, minimè conuiuas potauit quia agnoſcebat,vinum

Ad Epheſ. 5. non ſemel libidinis fomentum eſſe. Vnde D.Paulus dixit: *Nolite inebriari vino, in*

Ad Rom. 14. *in quo eſt Luxuria*,& ad Rom.14.ſcribens ait: *vino abſtinere, bonum eſt,non manducare carnem, & non bibere vinum*. Quid ergo eſt,quòd caſtiſſima Virgo filium orat pro vino,quod & Luxurię incentiuum eſt, & de quo in miraculoſis etiam conuiuijs, quæ Deus vſq; ad illud tempus fecit,nunquam prouidiſſe legitur? Addo, quòd vinum factum per miraculum non poterat non eſſe optimum: quia ſicut, cùm Deus miraculoſè confert alicui ſanitatem, ſanior ille reditur,quàm anteà erat, & quoties miraculoſè aliquos cibauit, cibi illi erant ſuauiſſimi; ita ſine dubio vinum mi- *Sap 16.* raculoſe ab eo factum,perfectiſſimum ſuper omnia naturalia vina fuiſſe cenſendū eſt, vt adnotauit, D. Chryſ.hic homil.2. Vnde Architiclinus (vt refert D.Ioannes, *Ioan 2.* cap. 2. & obſeruauit ad id probandum S. Chryſoſt.ibidem) excellentiam miracu- *S. Chryſoſt.* loſi illius vini animaduertens,dixit:*Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebrietati fuerint,tunc id,quod deterius eſt Tu vero ſeru ſti bonum vinum vſq; adhuc.* Architiclinus autem,non erat vulgaris,& infimi nominis perſona, ſed vir ſapiens ex ſacerdotali ordine ad regendas nuptias deputatus, vt teſtatur D. Gaudentius. *D. Gaud. trac 9.* Quis autem non videat,quòd quantò ſuauius erat illud vinum,tantò erat periculoſius ad intemperantiam? non ergo ſollicitam ſe debuiſſet Virgo exhibere de ſubminiſtrando vino, quod multis ruinæ occaſionem præbere poſſet.

Verùm hæc omnia facilè euaneſcunt: nam in illis antiquis cibationibus, intentum Dei ſolum erat,Hæbreos, Heliam, & Turbas ſufficienter ſuſtentare, ne fame perirent; ad quod ſatis erat, de ſolo pane, & aqua eis prouidere, Eccleſiaſt. dicente *Eccl. 29.* cap. 29. *Initium vitæ hominis, panis, & aqua* In his vero nuptijs,ad quas Chriſtus cum Virgine, & Diſcipulis fuit inuitatus, non ſolùm opus erat ſufficienti victu ad ſuſtentationem; ſed, & quadam decenti opulentia, & perfectione conuiuij, quæ abſque vino minimè ſubſiſtere poſſet;cùm nihil tàm coniunctum cum nuptijs, quàm hilaritas, & lætitia,Eccleſiaſt.dicente:*Vi-* *Eccl. 31.*
num in iucunditatem creatum eſt, non inebrietatem. Ex quibus verbis ſatis etiam patet, vinum ex ſe, malum non eſſe, ſed ex ſua natura indifferens, vt eo benè, & malè vtamur;ſicut gladio Iudex vtitur ad iuſtam vindictam malorum; priuatus vero homo, ad iniuſtam occiſionem ſui hoſtis. Quare licet vinum intemperate ſumptum noceat, Salomone dicente: *Vinum* *Ibidem.*
multum potatum,& irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Etenim venter mero æſtuans, facilè deſpumat in libidinem, & rixas;temperatè autem ſumptum, vtile eſt,eodem Salomone,id atteſtante: *Aqua* *Ibidem.*
vitæ hominibus,vinum in ſobrietate,& paucis interiectis: *Exultatio animæ, & cordis,* *Ibidem.*
vinum moderatè potatum.Vnde & Paulus monet: *Modico vino vtere, propter ſtoma-* *1. Thim. 5.*
chum. Quare cum alibi conſiliatur, à vino ſe abſtinere,id dixit quando periculum offendiculi, ſeu ſcandali alicuius imminet Virgo igitur caſtiſſima poſtulauit vinum à filio ad vſum, non ad abuſum, prudenterque præſumere poterat, ſolam præſentiam Chriſti in eo conuiuio, ſufficiens antydotum fore ad conuiuarum intemperantiam coercendam. Ac tandem poſtulans à Chriſto vinum ad vſum conuiuarum, hæreſiarchæ Seueri ſingularem hæreſim damnauit, qui (vt referunt D. Auguſt.& D.Epiph.) affirmabat,vino non *D. Aug. lib. de hæreſ. c. 24.*
eſſe vtendum, quia ſoboles diaboli erat, *D. Epiph.*
qui in ſerpentem conuerſus,terræ ſe commiſcuit. Eandem hæreſim D. Hieronym. *D. Hieron.*
Amoſ.1. Teſſiano aſcribit. Credo tamen, eam pauciſſimos habuiſſe ſequaces: ſatis autem ex eo expugnatur,quòd Virgo ſanctiſſima à filio ſuo miraculum conuerſionis aquæ in vinum petierit, vt conuiuis propinaretur, cuius petitioni annuens, conuerſionem ille fecit, & ex vino ipſe bibit.

Notanter autem (ſi benè meminiſtis) in principio præſentis homiliæ, petitionem Virginis: *Vinum non habent*; religioſam nuncupaui, quia licet piam, & miſericordem appellare potuiſſem, cum per eam intenderet, inopiam vini miſericorditer ſupplere; quia tamen in ea religio magis effulget, religioſam eam

voca-

vocaui. Etenim Maria Ieſu deitatem omnibus colendam, palàm fieri præcipuè intendebat. Tribus ſanè potiſſimum modis Chriſti diuinitas manifeſtari, & probari tunc poterat. Primus per ſacram ſcripturam, vt docuit Chriſtus Dominus. Ioan. 5. *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. Secundus, per teſtimonium Ioannis viri ſanctiſſimi omni exceptione maius, iuxta illud Chriſti Domini, Ioan. 5. *vos miſiſtis ad Ioannem, & teſtimonium perhibuit veritati*. Tertius eſt, per miracula à Chriſto patrata. Vnde ibidem ait: *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me*. Ex triplici autem hoc probationis genere, efficaciſſimum, & vniuerſaliſſimum omnium erat miraculorum patratio; nam licet ſcriptura, & teſtimonium Ioannis maximæ eſſent autoritatis, hoc ſolùm erat apud Hebræos, miraculorum autem comprobatio ad omnes tàm gentiles, quàm hæbreos extendebatur. Vnde, & ipſe, vt legimus Ioan. 5. dixit: *ego autem habeo teſtimonium maius Ioanne*: quod eà propter dicebat, (vt Interpretes ibi adnotant) quia miracula, quæ faciebat, efficaciora erant ad Deitatem eius probandam, quàm teſtimonium Ioannis. Et licet verum ſit, antiquos Patres, vt Moyſem, Heliam, & Heliſæum, & ſimiles alios illuſtriſſima miracula feciſſe, immo, & Apoſtolos, tàm mirabilia portenta præſtaſſe, vt Chriſtus Dominus diceret: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiorà horũ faciet*; tamen nullùs ex illis propter virtutẽ illam miracula patrandi, probabatur eſſe Deus, Chriſti tamen Domini miracula apertè conuincebãt eius deitatẽ, quia illa faciebat in confirmationem huius veritatis, quòd filius Dei naturalis eſſet. Itaq; cũ Chriſtus Dominus publicè prædicaret, ſe eſſe Deum, & ad id probandum, miracula patraret, & miraculum ſit operatio diuina & Deus nequeat eſſe teſtis falſitatis, aut portentum aliquod facere in atteſtationẽ, & confirmationem illius, quia ſumma veritas eſt, conſequens fit, Chriſtum Dominum manifeſtius per miracula, quàm per quodcumq; aliud teſtimonium diuinitatẽ ſuam comprobaſſe. Non ignara igitur B. Virgo, quàm hoc genus probationis efficax eſſet ad manifeſtandam gloriã deitatis filij ſui, illius ipſa auidiſſima, religioſa petitione ab eo poſtulauit ingens illud miraculum conuerſionis aquæ in vinum, dicendo: *Vinum non habent*.

Verùm, vt ad id, vnde digreſſus ſum redeã, illud petitionẽ hanc. *Vinũ non habent* dãnare etiam videtur, quòd ſollicita fuerit in nuptijs rei, cuius ſollicitudinẽ Chriſtus Dominus, Matth. 6. lõgè abijciendam monuit, dicens: *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt*. Ecce, Virgo ſollicita eſſe voluit, de quo filius, ſuos ſollicitos eſſe noluit. Sed neq; hoc cauillum quidquàm nocet Virgini, quia Chriſtus Dominus in illis verbis minimè gentium damnat debitam ſollicitudinem in quærẽdis rebus neceſſarijs vitæ humanæ, alioquin illam non habuiſſet D. Paulus, qui tamen, vt legimus 2. Theſſ. 3. dicebat: *Neq; gratis panem manducauimus, ſed in labore, & fatigatione, nocte, & die operantes*. Quis autem non videat, diurnam, & nocturnam defatigationem, ſollicitudinem eſſe? & Actor. 20. *Ipſi, inquit, ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ*. Solùm ergò prohibet, Chriſtus Dominus immoderatam curam cibi, & potus, & veſtitus, eò quod principalius hæc quærimus, quàm Regnum Dei. Vnde, poſtquàm dixerat: *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur*, continuò ſubiungit: *quærite ergo primùm Regnum Dei, & Iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Quibus verbis apertè oſtendere voluit, vtrumq; eſſe quærendum Regnũ Dei principaliter, acceſſoriè verò, & minus principaliter, quod ad vitæ alimoniã opus eſt. Vndè liquido fit, quòd, cũ Deipara Virgo ſollicitam ſe exhibuit ad ſupplendum vini defectum in nuptijs Canę Galilęæ, nihil prorſus fecit contra id, quod poſteà Chriſtus, filius eius docuit, quia principalitet ipſa intendebat, per miraculum, quòd à filio poſtulabat, gloriam, & diuinitatẽ Chriſti manifeſtari, inſigne illud miraculum aquæ in vinũ conuerſionis patrando. Deinde acceſſoriè, & minus principaliter vini penuriæ, miſericordia mota, ſubuenire ſat, agebat. Tàm igitur fuit B. Virgo omnis perfectionis præcellens archimagiſtra, vt antequam Chriſtus conſiliũ illud dediſſet iam ipſa cumulatiſſimè illud obſeruarat quærens in miraculo gloriam Dei prima-

Ioan. 5.
Ibidem.
Ibidem.
Matth. 9.
2 Theſſ. 3.
Actor. 20.
Matth. 6.
Ibidem.

tiò,& vtilitatem proximè ſecundariò.

Ad hæc, ex eo etiã reprehenſibilis Virginis petitio videtur; *Vinũ non habẽt*, quia miraculum conuerſionis aquæ in vinum, intempeſtiuè, ſeù extrà tempus poſtulauit D. autem Paulus, qui 2. Timoth. 4. ad inſtandum etiam *importunè* monebat Tymothæum, ſimul etiam, *opportunè* id facere docuit dicens: *Inſta opportunè importunè.* in cuius loci Comment. D. Anſelmus ſapienter dixit, *oportunè importunè, ideſt: oportunè importunitatem exhibe, quia apud auditoris mentem ipſe ſua vtilitate deſtruit ſe, ſi habere importunitas opportunitatẽ neſcit.* Hac autem oportunitate caruiſſe petitionem Virginis ex duplici capite deprehendi poſſe videtur. Primò, ex reſponſo Chriſti Domini, quia cum ei dixit: *nondum venit hora mea*, vtiq; extra debitam horã petitionem factã fuiſſe perhibetur; maximè, ſi alluſit ad horam illam, de qua Ioan. dixit: *Sciens Ieſus, quia venit hora eius.* Tũc enim ſenſus erit: Ego nunc ſum inuitatus, & ideò ad me non pertinet, de vino prouidere; quando venerit hora in vltima cœna in qua ego alios inuitauero, prouidebo de vino ſanguinis mei, conuertendo vinum, in illum. Neq; extorta mihi videtur hæc expoſitio, cum ex ſententia multorum interpretum in c. 2. Ioannis, miraculoſa illa cõuerſio aquæ in vinum, typus fuerit, & velut præludium quoddam ad portentoſam illam conuerſionem panis, & vini in carnem, & ſanguinem Chriſti. Secundò, videtur ea Virginis petitio non oportunè facta; quia Chriſti miracula ordinabantur ad confirmandam eius doctrinam, & quaſi ſigillis quibuſdam magnæ autoritatis illam conſtabiliendam; tunc autem nondùm cœperat prædicare, ac doctrinam ſuã diſſeminare; hæc verò antecedere debebat miraculorum patrationem. Vnde, apud Matth. 4. dicitur: *circuibat Ieſus totã Galilæam, docẽs in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & ſanans omnẽ languorem, & infirmitatem omnẽ in Populo.* Eccè prius publicè docebat, & poſteà doctrinam miraculis confirmabat. Virgo tamen è contra, antequàm Chriſtus docere cœpiſſet, miraculum ab eo petijt: erat autem hic ordo præpoſter; cùm enim quis aliquid docet, & in illius teſtimonium miraculum facit, iam Deus ipſius doctrinã miraculo ſuo atteſtatur; cum verò antecedit miraculum, & deinde ſubſequitur doctrina, non ita innoteſcit, miraculũ factum eſſe in atteſtationem illius doctrinę. Vnde Deus, Deut. 13. videns in hoc ordine præcedentiæ miraculi ad doctrinã latere poſſe fraudem, monuit, ne crederetur prophetæ aliquid dicenti, cuius miraculũ præcederet, non ſubſequeretur eius doctrinam. *Si ſurrexit in medio tui Prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, atq; portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis: non audies verba propheta illius.* Poſtulans ergo Virgo miraculum à Chriſto Domino, antequam Euangelicæ ſuæ doctrinæ fontem aperire cœpiſſet, importunè, & intempeſtiuè fieri poſtulauit.

Ceterùm, nec hæc calũnia alicuius momenti eſt: quia, cum Chriſtus Dñs Virginis petitioni reipſa annuens, miraculum ab ea poſtulatum antè finitum nuptiarum conuiuium patrauerit, manifeſtè conuincitur, non indebito tempore patrandum poſtulaſſe. Tum etiã, quia ſatis conueniens erat vt nonnulla etiã miracula, Chriſti prædicationem præcederent, vt per illa, talem ſibi opinionem apud plebem conciliaret, vt poſteà quando prædicaret, facilius, & promptius crederetur, maximè quòd etiam Chriſtus Dominus, tunc pauciſſimos cùm haberet diſcipulos, non parùm intererat, ad alios plures ſibi aggregandos, virtutem miracula faciendi oſtentare; cùm nec per eximiam vitæ auſteritatem, inſtar Ioannis deſertum incolentis, nec per eius prędicationem, quam tunc nondum incohauerat, eos ad ſe allicere poſſet. Vnde cum Chriſtus Dominus portenta multa feciſſet, antequã publicè prędicare cœpiſſet, D. Ioan. c. 2. ait: *Multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius, quæ faciebat*, & Nicod. propter illa ſtupefactus, Ioan. 3. dixit; *Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis niſi fuerit Deus cum eo.* B. igitur Virgo honoris filij ſui cupidiſſima, oportune ſatis, voluit miraculum cõuerſionis aquæ in vinum ab ante prædicationem eius patrari.

Denique iam ad alia, quæ occurrunt dubia circà propoſita verba: *vinum non habent*, elucidanda properemus. Certè B. Virgo ſpiritu prophetico filij voluntatem prænouit de faciendo miraculo vini, vt expreſsè docet D. Maxim. hom. 1. pro feſto Epyph. Vnde Euſeb. Emyſſ. ead. hom. de matre, & filio loquens, dixit: *Ipſi ſe intelligebant*

Marginal notes: 2. Thim. 4. — D. Anſel. — Ioan. 19. — Ioan. 2. — Matth. 4. — Deut. 13. — Ioan. 2. — Ioan. 3. — D. Max. Euſeb. emyſſ.

gebant ipſi ſua ſecreta nouerant,& quid poſteà futurū erat faciebant.Igitur,cū B.Virgo præcognoſceret, quid facere vellet filius, in ea occaſione,ſola mentis loquela abſq; externis verbis, potuiſſet filium rogare, illud
Pſal. 37. *Dauidis ſibi vſurpans : Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à*
1.Cor. 14. *te non abſconditus.* Vnde Apoſt. 1. Corint. 14. dicebat: *orabo ſpiritu,orabo, & mente*. immo, & ipſe Chriſtus Dominus apud Ioannem dixit: *Spiritus, eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Nec iuuat quidquam reſpondere,Mariam in Spiritu præuidiſſe, quòd filius eius erat ei vinum miraculosè conceſſurus, dummòdo tamen ipſa pro illo preces ad eum funderet; nam æquè benè id facere potuiſſet ſola mente, & ſpiritu,abſq; verborum ſtrepitu. Arbitror tamen,ex multiplici capite, cum ratione magis coniunctum fuiſſe,vt B. Virgo non ſolùm mente, ſed voce externa, vinum à filio poſtulaſſet; tùm,vt ea ratione, & illis conuiuis,& nobis pius, ac miſericors beatæ Virginis affectus in neceſſitatibus, miſeris ſuccurrendi,planius innoteſceret; tū, vt inde maior gloria in Deum redundaret;Chriſto Domino dicente,Matth.5.
Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum,qui in cœlis eſt.* tum,vt reipſa profiteretur eum verum Deum, & hominem,qui auribus poſſet ſenſibiliter percipere articulatam eius vocem. tùm tandem, quia B. Virgo voluit perfectiſſimo modo tunc orare. Omne autem,quod mēte,& voce perficitur, perfectius eſt ceteris paribus,eo quod mēte tenùs fit, tunc enim colitur Deus non ſolum ſpiritu,ſed corpore,non ſolùm mente,ſed ſenſu, non ſolùm interius,ſed exteriùs. Vnde, quemadmodum cytharæ ſonus ſuauior eſt, cùm omnes cordæ,quàm cùm vna ſolum pulſatur; ita diuinis auribus ſuauior eſt oratio, corde, & ore, quàm mente ſolum prolata; maximè, quòd cum voce Deum oramus, pium affectum in Auditoribus excitamus, & vocis noſtræ dulcore allecti, ad orationis exercitiū illos mouemus,& quodammodo compellimus. Prudenter igitur B. Virgo,& religiosè ſatis,non ſolùm mente, ſed & ore miraculū à Chriſto expoſtulauit,verbis illis vtens: *vinum non habent*.

Ad extremùm illorum quæſtioni ſatis oportet, qui interrogant, quare Chriſtus Dominus, cùm facile potuiſſet, vinum ex nihilo creare, voluerit illud ex aqua facere? amplius enim videretur, honoraſſe matrem, vinum creando, creatio enim opus excellentius eſſe iudicatur,quā conuerſio;cùm hęc ex aliquo,illa ex nihilo rem producat, & licet vtraq; infinitam operantis potentiam manifeſtet, clariùs creatio illam oſtentat; cùm nihil præſupponatur ex parte materiæ ad rem efficiendam. Huius facti plures cauſas apponam, quibus plenè propoſitæ dubitationi ſatiſfaciam. Primam cauſam tradidit D. Iren. D. Iren.
lib.3.cap.11.in hæc verba: *Quamuis enim poſſet Dominus ex nullo ſubiacente præbere epulantibus vinum, & ex eo complerè eſurientes, hoc tamen non fecit. Accipiens autem eos,qui à terra eſſent panes,& iterum, aquam,faciens vinum,ſaturauit eos,qui recumbebant,& potauit eos,qui inuitati erant ad nuptias;oſtendens,quoniam Deus,qui fecit Cœlum,& Terram,& iuſſit eam fructus facere, & conſtituit aquas, & dedit fontes; hic, & benedictionem eſcæ, & gratiam potus in nouiſſimis temporibus per filium ſuum donat humano generi*. hæc Iræneus.

D.Chryſoſtomus homil.26. voluiſſe ait D.Cyrill.
Chriſtum aquam in vinum conuertere, vt oſtenderet ſuarum creaturarum plenè dominium habere, dum quaſdam in alias pro ſuo tranſmutaret arbitrio, & ad quē ſibi placebat vſum illis vteretur,abſq; vlla earum renitentia. Idem etiam Chryſoſt. D.Chryſ.
necnon,& Theophyl.& Card. Tolet. in Theoph. Tolet.
cap. ſecundum Ioannis affirmant, Chriſtum Dominum conſultò ex aqua vinum feciſſe,& non ex nihilo;vt certiùs, & manifeſtius appareret miraculum, & miniſtros ipſos,qui proprijs manibus impleuerant hydrias aqua, ipſius teſtes haberet. Etenim (vt obſeruauit Theophyl.) ſi ex Theoph.
nihilo vinum feciſſet, phantaſma forſan viſum fuiſſet; cùm autem omnes miniſtri ad oculum viderunt, illam eandem aquā, quam ipſi in vaſa miſerant, in vinum verſam, nulla tergiuerſatione miraculum inficiari poterant. Eademq; de cauſa egregiè obſeruauit Euthym.in Comment.hu- Euthym.
ius loci, non voluiſſe Chriſtum per ſeipſum, ſed per miniſtros hydrias aqua impleri. Ad idem D.Chryſoſt.precitato loco D. Chryſoſt.
ſcitè adnotauit, quòd, ne vlli calumniæ locus pateret, Chriſtus aqua vſq; ad ſum-

fuit merè ſupernaturalis, atq; adeò non poterat cognoſci in conſtellatione aliqua cum illa ſit cauſa merè naturalis, à qua nulla ratione pendent, quæ ſunt ordinis diuini, & ſupernaturalis.

Ceterum, quia falſiſſimum arbitror fundamentum iſtorum hæreticorum, dum ſupponunt, per Aſtrologiam iudiciariam certo, & in particulari cognoſci poſſe ex Cœlorum conſtellatione futuros effectus à libera voluntate dependentes, opportunam hanc occaſionem nactus, præſentem errorem expugnandi, minimè prætereibo, eò vel maximè, quia video inſtar ſimulatæ peſtis per multas Eccleſiæ plagas graſſari, & ad modum canchri per membra Chriſtiani corporis magis, ac magis in dies ſerpere; tantoque in hoc genere argumenti acrius inſiſtendum puto, quanto tenacius multos aſtrologiæ iudiciarię falſitati addictiſſimos cerno; ac tanto impenſius pro veritate pugnandum, quanto plures illa cognoſcitur habere oppugnatores: ſiquidem quemadmodum prodeſſe omnibus, ita placere tantummodo bonis deſideramus; nec iudicium multitudinis quidpiam fidei habet, vbi conſtans ratio, & Doctorum vnanimis conſenſus partes noſtras agunt; nec nos auram ſpectamus popularem, ſed lucem veritatis, & publicam vtilitatem. Illud verò lectori aduerto, longè a me abeſſe impugnationem aſtrologiæ, quæ ſyderum moles, & motus mathematica ratione metitur. Hanc enim artem certam, & nobilem, & ſuis meritis honeſtiſſimam, auctoritateque hominum doctiſſimorum, maximè comprobatam non diffiteor. Solum igitur vanitatem aſtrologiæ iudiciariæ, quæ venturos effectus à libera voluntate dependentes, certo præcognoſcere gloriatur, non ego ſolus, ſed diuina vtriuſque teſtamenti eloquia, Sacra Concilia, Summorum Pontificum Canones, Imperatores, Reges, Eccleſiæ Catholicæ Doctores, nec non Philoſophi antiqui ſolo rationis lumine illuſtrati, ac tandem neruoſiſſimæ rationes damnant, flocci-pendunt, & execrantur; vt ex his, quæ ſtatim ſubijciam palam fiet.

Aſtrologia iudiciaria, quæ de futuris euentibus in particulari à libera voluntate dependentibus, certam præcognitionem venditat, impugnatur ex ſacris eloquijs, tam veteris, quàm noui teſtamenti. §. I.

IN huius rei probationem Leuit. cap. 9. *Leuit. 9.* hæc verba lego: *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos.* Vbi nomine Magorum, Aſtrologi diuinatores intelligũtur, à quibus ſciſcitari prohibentur, quia par eſt vanitas in interrogationibus vtriſque factis, quas Deus ibi fieri prohibet. Libro etiam *Deuter. 18.* Deuteronomij capit. 18. hæc habentur: *Gentes iſtæ, augures, & diuinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Supra enim dixerat populo ſuo Deus: *nec inueniatur in te, qui luſtret filium, aut filiam, aut qui Ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, &c.* ibi enim, vt rectè adnotauit Hamærus in *Hamærus.* id Geneſ. 1. *vt ſint in ſigna, &c.* pro, *au-* *Gen. 1.* *gures,* habetur verbum quoddam hebræũ, quod ſignificat eum, qui ex nubibus, vel aſtris reſponſa dat, & dicit hunc vel illum diem cauendum ad has, vel illas electiones, putà ſi vxorem duxeris, aut domus fundamenta ieceris ſub illa conſtellatione, inauſpicaciſſimã feceris rem. Et Achymas *Achymas.* maximus Doctor Hebræorum illud verbum ait, ſignificare eos, qui tempora ſupputant, & felices horas, atque infelices obſeruant: deriuatur enim a verbo, *horam,* ſignificante, Iob cap. 38. *nunquid* *Iob 38.* *noſti ordinem Cæli, aut pones rationem eius in terra?* & infra. *quis enarrabit Cælorum rationem.* Quibus verbis ſatis vtique manifeſtè indicat motus Cœlorum, aſtrorum figuras, aſpectus, ac poſitiones; quibus ducuntur Aſtrologi ad ſuas diuinationes, illis eſſe ignotas. Facit idem illud Salomonis Prouerb. 27. *Ignoratis, quid ſuperuentura pariat dies.* *Prouer. 27.* Et cap. 8. *Homo ignorat* *Ibid. c. 8.* *præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio?* *Ibid. c. 10.* Et cap. 10. *Ignorat homo, quid ante ſe fuerit, & quid poſt ſe futurum ſit, quis poterit indicare?* Et cap. 34. *Diuinatio erro-* *Ibid. c. 34.*

ris,

Digitized by Google

ris, & auguria mendacia. In Prophetis multa reperio: (*Iſai. 4.*) nam Iſaias cap. 41. *Annunciate* (inquit) *quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos*. Si ergo Aſtrologi futuros euentus à libera voluntate dependentes verè vaticinantur, nihil reſtat, niſi, vt credantur, iuxta verba Iſaiæ, dij eſſe. (*Iſai. 45.*) Idem etiam cap. 44. in perſona Dei ait: *Ego ſum Dominus, irrita faciens ſigna diuinorum, & Ariolos in furorem vertens: Conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens*. (*Iſai. 47.*) Et capit. 47. ad Babylonem loquens, ait: *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum; ſtent, & ſaluēt te augures Cæli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt, quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos; non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.* Poteratnè Deus apertius artem iſtam prohibere, qua tota etiam decepta eſt Babylonia? per augures autē, non ſolum doctiſſimus (*Echius.*) Echius Domin. 2. poſt Epiphaniam Homil. 3. ſed & ſeptuaginta Interpretes, & (*D. Hieron.*) Hieronymus, Aſtrologos intellexerunt; (*Hamerus.*) & meritò: nam verbum Hebræum, vt Hamerus docet, prognoſticatores, & contēplatores aſtrorum ſignificat. *Nec mirum* (*Ibidem.*) inquit idem Hamerus, *alicui videri debet, ſi Aſtrologi, augures etiam nuncupentur, & varias varijs temporibus ſuperſtitio iſta appellationes ſortita eſt. Olim enim Chaldæi, & Genethliaci Auguſtini temporibus Mathematici, & Planetarij, nunc Aſtrologi paſſim vocitantur.* Idem etiam Propheta, (*Iſai. 47.*) eodem in cap. ait ad Aſtrologos: *Sapientia, & ſcientia tua hæc decepit te. Venit ſuper te malum, & neſcies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare.* Super quæ verba Picus Mirandulanus Tract. aduerſus Aſtrologos, hæc ait: *Veniet igitur malum, cuius neſcies ortum, hoc eſt, quod tibi Mars, nec Saturni frigida ſtella præſignificauerit. Tūc nec irruentem calamitatem poteris expiare, hoc eſt, horarum electionibus, & Aſtrologicis imaginibus, aut ſuperſtitioſis alijs machinamentis à te propellere.* (*Hierem. 10*) Prophetæ iam Hieremiæ teſtimonium omni exceptione maius produco, qui cap. 10. dixit: *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt, dicit Dominus Deus.* Quem locum non poſſum non mirari, quomodo quidam Aſtrologi pro ſe adducant, cum adeò manifeſtè illos expugnet. Nam ſi in Cœlis, vt ipſi contendunt, eſſent ſigna manifeſta futurorum euētuum, meritò à ſignis illis timendum eſſet ſaltem gentibus, quibus tot mala imminebant, & nihilominus Deus ipſe expreſsè vanos hos gentium timores eſſe docet.

Accedit manifeſtus locus D. Pauli ad (*Ad Gal. 4.*) ad Galat. 4. dicentis: *Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis.* & ad (*Ad Col. 2.*) Coloſſenſes 2. monet, ne ſequamur vanitates Philoſophorum ſecundum elementa Vniuerſi. Quod de aſtrologia intellexit ibi Diuus Athanaſius; (*D. Athanaſ. Actor. 1.*) quam doctrinā mihi videtur D. Paul. mutuaſſe ab ea, quam Chriſtus Dominus tradidit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* (*Actor. 19.*) Ac tandem Act. 19. legimus propter prædicationem Apoſtolorum, multos, qui fuerant curioſa ſectati, contuliſſe libros, & coram omnibus eos combuſſiſſe. Hos autem libros fuiſſe aſtrologiæ iudiciariæ, expreſsè conteſtantur (*D. Aug.*) D. Auguſt. in appendice ad (*D. Chryſoſt.*) Pſalm. 61. D. Chryſoſtomus, & Beda ſuper cap. 19. Matth.

Ex ſacris Canonibus, quæ in iure extant. §. II.

A Sacris Canonibus aſtrologos iudiciarios video grauiter damnari, (*26. quæſt. 2. cap. ſors.*) nā 26. quæſt. 2. cap. ſors dicitur, *Quibuſdam conſtellationes, & futurorum ſigna cuſtodientibus, Apoſtolus ait: dies obſeruatis,* &c. & Diuus Auguſtinus (*D. Aug.*) de doctr. Chriſtiana capit. 21. relatus eadem cauſa, & quæſt. cap. *illud*; poſtquàm retulit varias ſuperſtitiones, ſubiungit: *Neque ab hoc genere ſuperſtitionis pernicioſæ ſegregandi ſunt, qui olim Genethliaci, propter naturalium conſiderationes dierum, nunc autem Mathematici vocantur. Nam & ipſi, quamuis veram Stellarum poſitionem, cùm quiſque naſcitur, conſequantur, & aliquando perueſtigent; tamen quia inde conantur actiones noſtras, vel actionū euentus prædicere*

dicere, nimis errant, & eadem cauſ. q. 3. cap. igitur refertur Auguſtinus libro de Dœmonum diuinatione dicens: *Aſtrologi dicti ſunt eò, quod in aſtris augurantur. Gĕtiliaci appellati ſunt propter natalitiorum conſiderationes dierum: geneſes enim per duodecim Cœli ſigna deſcribunt, ſyderumque curſus naſcentiũ mores, actus, & euentus prædicere conantur, ideſt, quis quali ſigno fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui naſcitur interpretantur. Hi ſunt, qui vulgo Mathematici vocantur; cuius ſuperſtitionis genus, conſtellationes, Latini vocant, ideſt, notatio ſyderum, quomodo ſe habent, cum quiſque naſcitur. Primum autem genus, ideſt, ſtellarum Interpretes, Magi nuncupabantur, ſicut de his legitur in Euangelio, qui natum Chriſtum annunciauerunt. Poſtea hoc nomine ſoli Mathematici dicti ſunt. Horoſcopi verò, quod horas natiuitatis hominum ſpeculentur diſſimili, & diuerſo fato*. Hæc ibi ex Auguſtino, vel vt verius puto, ex Iſydoro, cum in eo libro nihil tale apud Auguſtinum reperiatur, ſed apud Iſydorum 8. Ethy. cap. 9. qui cum ibidem ait, hãc aſtrologiam ante aduentum Chriſti conceſſam fuiſſe, ſolum vult, fuiſſe permiſſam, ſeu non prohibitã gentilibus aliquo poſitiuo præcepto.

26. q. 3. cap. igitur. *D. Auguſt.*

Alexander Tertius cap. exterorum, de ſortilegijs, quod eſt 2. Sacerdotem quendam, qui imprudẽtia magis quàm impietate, & dolo, per aſtrolabium conſtellationem obſeruauit, eo animo vt deprehenderet auctorem furti, à quo res è templo quodam fuerat ablata (nam hoc etiam Planetarij ſe ſcire inquiunt, vt patet ex ijs quæ tradit Hali Iudiciarius in explicatione 4. domus, cap. 36. quod inſcribitur de theſauris, & rebus terra occultatis; eum (inquam) Sacerdotem pœna mulctauit, ne per annum integrum celebraret, monens id factum cum grauiſſimo ſcelere eſſe coniunctum. Deinde 16. quæſt. 2. cap. ſed ad illud, ex D. Hieronymo hæc habentur. *Eſt & illud opprobrium Aegypti, obſeruare auguria inquirere ſtellarum curſus, & euentus ex ijs futurorum rimari, ceteriſque huiuſmodi ſuperſtitionibus implicari: Idololatriæ namque mater eſt Aegyptus, ex qua certum eſt, opprobria huiuſmodi pullulare.*

C. exterorum, de ſortileg. *Hali.* *16. q. 2. c ſed & illud.*

Rurſus in Indice librorum prohibitorum, qui iuſſu Tridentinæ Synodi Seſſione 25. cap. Sacroſancta factus, edituſque eſt, ſic habet noua regula, vt etiam refert Sixtus libro 6. annot. 10. *Epiſcopi diligenter prouideant, ne aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, ſeu Indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid euenturum affirmare audent*. Quo decreto non prohibetur formidoloſa, & dubia aſſertio, ſed certa, & firma; ſecus tamen in decreto Sixti Quinti, vbi incerta quoque, & dubia aſſertio interdicitur, vt ex ſequentibus Sixti verbis patebit.

Conc. Trid.

Ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum, & ex Sacris Concilijs §. III.

SVmmus Pontifex tandem Sixtus V. in Conſtitutione edita anno 1586. Pontificatus ſui primo, hæc verba aduerſus Aſtrologos iudiciarios ſcribit: *Hac perpetuò valitura conſtitutione Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ iudiciariæ aſtrologiæ artem, præter quam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam in poſterum exercentes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiamſi id non certo aſſerant, aut proteſtentur, quam contra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt; quiuè huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, & alij Ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiam ſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos ſeuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.* hactenus Sixtus Quintus.

Sixtus V.

Con-

Conc. Brach. Conc. Tolet.

Concilia etiam multa id tradunt contra Aſtrologos iudiciarios, præſertim tamen Concilium Bracharenſe 1. cap. 9. & 10. & Toletanum 1. circa finem, vbi hæc verba habentur: *Si quis Aſtrologiæ, vel matheſi exiſtimat eſſe credendum anathema ſit.*

Ex Sanctis Patribus, tàm Græcis, quàm Latinis. §. IV.

D. Epiphan.

PORro iam ex Sanctis Patribus in mediũ proferamus, quæ aduerſus aſtrologiam iudiciariam ſcripſerunt. D. Epiph. libro de ponderibus, & menſuris ſcribit, Aquilam primum diuinæ Scripturæ interpretem, non alia de cauſa fuiſſe a Patribus Eccleſia pulſum, niſi quod geniturarum inſpectionibus, & natiuitatum horoſcopis, ſeu aſtrologiæ diuinanti vacaret.

D. Ambr.

D. Ambroſ. 5. examer. cap. 4. *Nonnulli* (inquit) *natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit vnuſquiſque, qui natus ſit; cum hoc non ſolum vanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus, impoſſibile promittentibus*, Probat hoc multis exemplis inter alia dicit: *Redẽpti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus nõ vbique natiuitatis ſuæ hora, ſed Chriſtus eos ſanctificauit, & redemit à morte. Demum ſapientia Aſtronomorum telæ araneæ comparant alij, in quam ſi culex, aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt; ſi verò validiorum animantium vllum genus incurriſſe viſum eſt, pertranſibit, & caſſes rumpet infirmos, atque inanes laqueos diſſipabit. Talia ſunt retia Chaldæorum, vt in his infirmi hæreant, validiores ſenſu offenſionem habere non poſſint. Itaque vos, qui validiores eſtis, cum videritis Mathematicos, dicite: telam araneæ texunt, quæ nec vſum aliquem poteſt habere, nec vincula, ſi non tu quaſi culex, & muſca lapſu tuæ infirmitatis incurras; ſed quaſi paſſer, aut columba caſſes inualidos laqueoſque tui volatus celeritate diſſoluas.*

D. Baſil.

Hoc Diuus Ambroſius videtur ſumpſiſſe ex Baſilio, homil. 6. dicente: *Quemadmodum aranearum tela culices, & muſcas, ita ipſi indoctos, & imperitos aucupantur.*

D. Greg. Nazianz.

Vnde & D. Gregorius Nazianzenus, oratione in laudem Baſilij ait; *Aſtronomiam, Geometriã, numerorumque proportiones hactenus didiciſſe contentus, ne ab illis, qui harum artium gloria ſibi placẽt commoueretur: quicquid ſupererat, vel pietatis cultoribus infrugiferum contempſit, adeò, vt quod elegit magis admirari, & prædicare liceat, quàm quod reliquit, & rurſus id, quod reliquit maiore laude efferre, quàm id, quod elegit.*

Nicetas.

Quod explicans Nicetas ibi Scholio 42. ait: *Aſtrorum enim nexus, & mutuas comparationes, quibus prouidentia tollitur; & ſyderis natalitij indagationem, & fatum, & geniturarum effectus, itemque certis aſtris ea, quæ ſunt, & fiunt aſſignare, omnem, inquam, huiuſmodi rerum cognitionem aſpernatus eſt.*

D. Hieron.

Diuus Hieronymus in locum Iſaiæ 47. citatum ait: *Iſti, qui ſupputant menſes, annoſque dinumerant, horarumque momenta librantes, futurorum ſcientiam pollicentur, dicant tibi, quid ſuper te Babylon Dominus cogitauerit, illiſque tacentibus quid venturum ſit prophetauerit: Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis deuorauit eos: qui ſalutem alijs promittebant, ſua ignorabant ſupplicia;*

Ibidem.

& ſuper c. 1. Sophoniæ: hanc ſcientiam fictitiam, erroremque appellat, quæ nec veritatis aliquid habeat, nec ſolidum fundamentum:

S. Sebaſ. Mar. in eius vita.

& Sanctiſſimus Martyr Sebaſtianus coram Cromatio Præfecto Romæ, vanam illam Planetariorum ſcientiam validiſſime confutauit; illumque ſanare noluit, niſi confracto aſtrolabio indicaret, quam eſſet ars iſta incertiſſima, aduerſa Deo, planeque contraria.

D. Auguſt.

Diuus Auguſtinus 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 11. ſic loquitur: *Gentiliaci, quamuis veram ſtellarum poſitionem cùm quis naſcitur, conſectentur, & aliquando etiam perueſtigent, tamen quod inde conantur, vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant.*

Ibidem.

& cap. 22. *ex hac notatione velle naſcentium mores, & actus euenta prædicere; magnus error, & magna dementia eſt.* cap. verò 23. ſic habet: *omnes huiuſmodi artes, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitiones ex quadam peſtifera ſocietate hominum quaſi pacta infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta, penitus ſunt repudianda, & fugienda Chriſtiano.*

Ibidem.

Idem quoque in homilia ſexta de Epiphania; vocat hanc artem ſtultàm, ſacrilegam, & indoctam, in qua vani homines de genituris hominum quidquid opinantur, loquuntur.

Ibidem.

Et libro de quæſtionibus noui, & veteris teſtamenti inquit: *Nihil tam contra*

Chri-

Digitized by Google

Chriſti.anos, quàm ſi arti matheſeos adhibeant curam; hac enim inimica dignoſcitur legi Dei; hanc ipſam aſtutia, & ſubtilitas inuenit diaboli. Deinde hortatur omnes cauere ſibi, ne huic arti ſe dedant, quæ eos ſollicitos tantùm facit, ſuſpenſoſque tenet, vt quæ ſunt incerta, expectent. Sed

D. Auguſt. toto libro 1. de Ciuitate Dei, & libro 2. ſuper Geneſ. & libro 7. confeſſionum, cap. 6. eandem reijcit, nec non 2. Geneſ. ad literam, cap. 16. & 17. & ſerm. 18. de verb. Dom. & lib. de hæreſibus, cap. 70. ait: *Aſſerunt etiam fatalibus ſtellis homines colligatos, ipſumque corpus noſtrum ſecundum duodecim ſigna Cœli eſſe compoſitum, ſicut hi, qui, qui mathematici, vulgo appellantur, geminos humeris, cancrum pectori, & inde cetera nominatim ſigna percurrentes, ad plantas vſque perueniunt, quas piſcibus tribuunt; quod, vltimum ſignum ab Aſtrologis nuncupatur. Hæc, & alia fabuloſa vana, & ſacrilega, quæ proſequi nimis longum eſſet hæreſis iſta cõtexit*.

B. Petr. Chriſ. Beatus Petrus Chryſologus ſermon. 156. de Epiphania, & magis, Chadæos ſyderum ſcrutatores, & Magos docet per aſtra errare, & Cœli negocia in tenebris perquirere: moriendi cauſas ſtellarum curſibus aſcribere: bona, malauè hominum de arbitrio luminarium affirmare, & ſua arte fallere. Et ſermone ſequen. de eiſdẽ quærit: *quare ſtella apparuit magis?* & reſpondet: *vt per Chriſtum materia erroris fuerit ſalutis occaſio, quemadmodum per Chriſtum mortis cauſa, cauſa facta eſt vitæ. Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis. Apud Magos in culpa erat ignorantia, non voluntas, & erat*

D. Clem. Pap. *in crimine non ſtudium, ſed error*. Clemẽs libro 9. recog. par. 4. in hunc modum loquitur: *Igitur Aſtrologi ignorantes huiuſmodi myſteria putãt ſtellarum curſibus iſta contingere; vnde & his, qui accedunt ad eos, vt de futuris aliquid conſulant reſpondentes falluntur in plurimis. Nec mirum, non enim ſunt Prophetæ, ſed vſu multi tẽporis auctores eorum, perfugium quoddam in his, quibus decipiebantur, inueniunt, & clymacteras quaſdam introducunt, vt de rebus incertis ſcientiam fingant. Clymacteras enim dicunt, quaſi periculi tempus, in quo interdum non perimatur, ignorantes, quod non ſtellarum curſus gerit hęc, ſed dæmonum operatio, qui ad aſtrologia errorem confirmandum deſeruientes calculis matheſis decipiunt homines ad peccandum.*

Similia multa aduerſus Aſtrologos iudiciarios ſcripſere alij Patres, Diuus Baſilius homil. 4. & 6. Examer. Chryſoſtom. homil. 6. in Matth. D. Iſidor. lib. 8. Ethymol. cap. 9. D. Damaſc. 2. fide. cap. 7. Gregorius Neocæſarienſ. Eccleſiaſt. 11. D. Gregorius Magnus homil. de Epiphan. & homil. 10. in Euangelia. Diuus Thom. 2. 2. quæſt. 95. artic. 5. & opuſc. 26. ad Reginaldum. D. Bonauentura in Centiloquio. D. Antonin. 2. par. tit. 12. cap. 1. §. 6. Euſebius lib. 14. cap. 41. Lactant. 2. de inſtitut. cap. 16. Tertull. lib. de Idolat.

D. Baſil. D. Chryſ. D. Iſidor. D. Damaſ. D. Greg. Neocæſ. D. Greg. Mag. D. Thom. D. Bonauent. D. Anton. Euſebius. Lactantius. Tertullianus.

Ex Iuriſconſultorum, & Imperatorum legibus, nec non ex Decretis Reipublicæ Romanæ, & Alexandrinæ.
§. V.

IN primis Vlpianum profero, qui l. itẽ apud Labeonem. §. ſi quis Aſtrologus, ff. de iniurijs, & famoſo libello ait: *Si quis Aſtrologus, vel qui illicitam aliquam diuinationẽ pollicetur, conſultus aliquẽ furem dixiſſet, qui non erat, iniuriarum cũ eo agi non poteſt, ſed conſtitutiones eos tenent iniuriarũ, quæ ex cõuicio naſcuntur*. In Codice Iuſtin. lib. 9. tit. 5. de malef. & mathem. multæ leges conditæ ſunt aduerſus aſtrologiam iudiciariam, in l. namque nemo. quæſt. 5. Conſtantinus ait: *Nemo aruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo ariolum, augurem, & vatem praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac Magi, & ceteri, quos maleficos, ob facinorum magnitudinem, vulgus appellat; nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas, etenim ſupplicio capitis feriet gladio vltore proſtratus, quicunque noſtris iuſſis obſequium derogauerit*. & Diocletianus, & Maximianus, l. artem, quæ eſt 2. eodem titulo dicunt: *Ars autem mathematica damnabilis eſt, & interdicta omnino:* Loquuntur autem de aſtrologia iudiciaria: & Conſtantinus iterum ibidẽ in l. etſi excepta ait: *Si mathematicus in comitatu meo, vel Cæſaris fuerit deprehenſus, præſidio dignitatis exutus, cruciatus, & tormenta non fugiat. Si verò conuictus fuerit, & proprium facinus detegentibus repugna-*

Vlpianus. Iuſtinus. Conſtantin. Diocletianus. Maximian. Conſtantin.

Digitized by Google

pugnauerit pernegando, ſit equleo deditus, vngulíſque ſulcantibus latera, perferat pœnas proprio dignas facinore. & l.mathematicos, C.de epiſ. audientia. Libri mathematicorum iubentur Epiſcopo vidente comburi, & Mathematici expelli de ſacro Imperio. Deinde quàm multum fuerint odio habiti Aſtrologi iudiciarij Alphonſo Regi Aragoniæ, refert Aeneas Syluius, qui poſtea fuit Pius Papa 2. lib. 4. de reb. geſt. Alphonſi.

Rex Alphonſ. Eneas Silu.

Ad hæc Reſpublica Romana, quæ alioquin omnium penè gentium ſuperſtitiones ſibi aſſumpſerat, diuinatricem aſtrologiam olim damnauit, Aſtrologoſque ex omnibus Italiæ finibus exire præcepit ſub Conſulibus, Fauſto, Syluio, & Syluio Othone, vt refert Cornelius Tacitus lib. 2. 12. & 18. Annalium. Auguſtus Cæſar eos è Roma expulit, vt refert Dio. Caſſius lib. 49. & ſæpè aliàs a Romanis damnati ſunt, vt refert Tirus Liuius, lib. 29.

Cornel. Tac. Auguſt. Caſ. Dio.

Similiter etiam Alexandrina Reſpublica Aſtrologos, non admittebat, niſi obnoxios certo tributo ſoluendo in ſignum infamiæ; quod tributum: *blacenominum*: dicebatur; vt ex Suyda refert Oroſius 2. de vera, & falſ. prophet. cap. 29. quia hoc nomen ſtultitiam ſignificat, & hoc tributum Aſtrologis colligebatur ex pecunia, quam ſtulti Aſtroſogis dabant.

Oroſius.

Ex varijs Phjloſophis antiquis, & alijs Doctoribus grauiſsimis, Aſtrologos iudiciarios irridentibus. §. VI.

Euſebius.

DE magno Philoſopho Socrate Euſebius 14. præparationis, cap. 4. ex Xenophonte lib. 1. de dictis Socraris ita ſcribit: *Aſtronomiam diſcendam conſulebat vt dies, ac noctes, horas, & annos rectius percipiamus, quæ res ad iter agendum, & nauigationes, atque cuſtodias, multaque alia, quæ in die, aut in nocte, aut in menſe, aut in anno peraguntur, perutilis eſt. Eo vſque autem aſtronomiam diſcere, quouſque Planetarum motus, & diſtantias eorum à terra comprehendas vehementer improbat. Nullam etiam vtilitatem in hac re videre dicebat, nec erat expers omnium iſtorum: ſed cùm longa temporum ſpacia deſiderent, non conferre arbitrabatur, vtiliora relinquere, & in his vitam conterere. Omnino autem non eſſe curandum homini dicebat, vt per cæleſtia corpora futurorum, quæ in poteſtate diuina ſunt, cognitionem perquirat; nec enim poſſe homines illa cognoſcere, nec Dijs gratum eſſe; ſi quæ illi occultarunt, & tu diligenter inquiras, poſſeque facilè ira Deorum in inſaniam Anaxagoræ cadere, qui cum cæleſtium ſcientiam profiteretur, in id amentiæ incidit, vt Solem ignem penitus putaret.*

Plinius lib. 2. cap. 7. irridet Aſtrologos, qui euentus hominum aſtris, & legibus naſcendi tribuunt. Ridet etiam lib. 7. cap. 50. illos, qui ſtatuta vitæ ſpacia ſtellis tribuunt, Aeſculapium ſecuti; & multi magis eos, qui humanos euentus aſtris tribuunt, & lib. 2. cap. 12. ridet eos, qui ex eclypſibus Solis, & Lunæ mortes timent. Seneca lib. 2. naturalium queſtionum, cap. 32. Aſtrologos reijcit, & inutilem, immò, & inanem eorum ſcientiam eſſe teſtatur. lib 13. epiſt. 89. Porphyr. etiā lib. de oraculis cōfeſſus eſt exquiſitā rerū futurarum ſcientiā ex inſpectione ſyderū, non tantū hominibus, ſed multis etiā ſuorum Deorum incomprehenſibilem eſſe.

Plinius. Seneca. Porphirius.

Pyndarus Poeta apud Volateranum, lib. 3. Phylogiæ: *Quam cæca* (inquit) *ſunt futurorum prædictiones*. Alciat. Emblem. 103. comparat Aſtrologos Icaro: quia volare ad aſtra eum Icaro fruſtra contendunt; ſed reſolutis cereis pennis, in vaſtum mare præcipitantur, vt de Icaro canit Ouid. 8. Met. & 2. de arte amandi.

Pindarus. Alciatus. Ouidius.

Hamerus in capit. 1. Geneſ. elucidans illa verba: *Vt ſint in ſigna, &c.* hæc eruditè ſcripſit: *Accedunt huc quoque Philoſophi ipſi, quorum eo grauior auctoritas eſſe debet, quòd cum in alijs ſæpè à veritatis luce alieni fuerunt, in hac tamen aſtrologiæ confutatione, optimè ſenſiſſe viſi ſunt. Plato, & Ariſtoteles aſtrologiam indignam putauerunt, de qua verbum aliquando facerent, plus eam ſilendo, quàm voce, ſcriptiſuè condemnantes. Plato in Timæo, aſtrologiæ diuinatricis nuſquam meminit. Ariſtoteles libros ſuos de Cælo ieiunos ſanè reliquit, vbi tam multa, & præclara de aſtrologia dicere potuiſſet, ſi eam, tanquam ſcientiam iudicaſſet, ſed contra perpetua obliuione, tanquam incertam, & circumlocutoriam eam damnauit. Pythagoram aſtrologia*

Hamerus. Plato. Ariſtot. Plato. Ariſtot. Pythag.

Digitized by Google

giæ fidem non præſtitiſſe, tum Auctor eſt Pythagoras. Theodoretus. Plutarch. *Theodoretus, tum Laertius, & Plutarchus indicarunt. De Democrate illud fertur: quod ante pedes nemo ſpectat, Cæli ſcrutantur plagas.* Phauorinus. Panatius. *Phauorinus Academicus, & Panatius Stoycus ipſam ſpreuerunt. Ridetur eadem à Seneca, confutatur à Cicerone ſecundo de diuinatione, & cui nec multa delyrans aſſentiri potuit Epicuræus. Iis tot ſapientiſſimorum hominum præiudicijs, & ipſa ratione freti Romani, gens toto Terrarum orbe præſtantiſſima, non ſemel de Mathematicis Vrbe ex tota Italia pellendis ſerio cogitauit; quorum e numero, vel Petranius Saxo deiectus eſt, Furius Scribonianus in exilium agitur, quaſi finem Principis per Chaldæos ſcrutaretur. Tyberius, Auctore in* Suetonius. *eius vita Suetonio, Mathematicos expulit, ſed deprecantibus, ac ſe artem deſi-* Vitellius. *turos promittentibus, veniam dedit. Vitellius, nulla alia re bona clarus, niſi in hac vna, quod Mathematicis fuerit infenſus. In ſequentibus quoque temporibus ſub Diocletiano, ſub Conſtantino, ſub Gratiano, ſub Valentino, ſub Theodoſio Aſtrologi, vel deſerere profeſſionem, vel pœnas dare profeſſionis coacti ſunt. Ipſe* Iuſtinianus. *fœliciſſimus Iuſtinianus, ita hoc genus hominum horrebat, vt ſi quis in eius comitatu deprehenderetur Mathematicus, ſummis ad equuleum vſque tormentis temeritatis ſuæ lueret pœnas. Tum demum de hac ſuperſtitione loquens, pronunciat Imperator, eiuſdem eſſe culpæ affines, & qui docent iſta, & qui addiſcunt.*

Marſil. Fic. Marſilius Ficinus Epiſtola quadam ad Angelum Politianum, quæ habetur inter Epiſtolas Politiani, libro nono, inter alia, quæ ſcribit contra multos Aſtrologos, hæc verba habet: *More gygantum eripere Cælum Ioui, tam fruſtra, quàm impiè moliuntur, meritò, & Picus Alumnus Palladis, & tu miles Herculeus ſæpè, fœliciterque certaſtis.* Et infra aſſerit, ſe neque imaginibus cœleſtibus fidem adhibere, neque arte factis confidere, & aſtrologica portenta fuiſſe à Pico ſingulariter confutata: *Quæ enim* (inquit) *ego nuſquam affirmo, immo, & cum Plotino derideo, explodi à Myrandula gaudeo. Superſtitioſam præterea vanitatem ab illo, tanquam à Phœbo Pythonicum virus, tecum Politiane congratulor: tu enim ſemper hac in cauſa, vt vbique ſoles te Herculem præſtitiſti. Soles profectò iamdiù, hæc Aſtrologorum prodigia, vt alia monſtra paſſim acriter inſequi.*

Quid plura? non poſſum non referre quædam Sapientum virorum dicta, quibus aſtrologiam iudiciariam ludibrio habendam cenſent: ſed prius commemorabo, quæ vetula illa domeſtica cum Thalete agens dixit: Hic Philoſophus, vt refert Diogenes Laertius, libro primo, in Diog. Laert. vita eiuſdem, cum nimium Cœlum proſpiceret futurorũ rationes inde colligens, & die quodã domo egreſſus contemplandorum ſyderum cauſa, in ſubiectam foſſam incidiſſet, illa petulanti probro dixit: *qua ratione, quæ in Cœlis ſunt comprehenſurum te arbitraris, qui ea, quæ ſunt* Michael Me. *ante oculos videre non vales?* Michael Medina 2. de recta in Deum fide. *Narrant* (inquit) *de quodam Alphonſo Regis Neapolis Aſtrologo, quòd cùm inter ceteros, quos multos Rex habebat, frequentius veritatem attingeret, rogatuſque à Rege cauſam. Primo quidem ne mercedis aſtrologiæ iacturam faceret, reſiſtere; deinde tandem Reginæ magnificentia fretum rem prodidiſſe; faſſumque fuiſſe ingenuè, ſe nunquam aſtrologiæ operam nauaſſe; ſed hanc tantum vaticinandi regulam ſibi præfixiſſe, vt prorſus eorum, quæ Rex Aſtrologorum augurarętur, contraria prædiceret; Regemque* Crinitus. *continuò ea ſuperſtitione liberatum.* Crinitus lib. 8. de honeſt. diſcipl. refert, Phauorinum Philoſophum, hæc de Aſtrologis iudiciarijs dixiſſe: *Si proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando. Si aduerſa dicant, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo.* & poſt pauca: *Tunc planè duo erunt incommoda; & expectatio te ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit.* Stobæus. Stobęus ſerm. 87. refert de Diogene, quòd cùm Aſtrologus quidam in foro ſtellas in tabella quadam depictas monſtraret, atque diceret: en tibi hic ſtellas errantes; audiens Diogenes: *Ne mentiaris* (inquit) *bone vir: ſtellæ enim non errant, ſed illi, oſtenſis, qui aſſidebant, qui Aſtrologi erant.* Ludouicus Viues, qui in Dia- Ludou. Viu. logo, qui *Sapientis inquiſitio*, inſcribitur poſt medium, cum Aſtrologus dixiſſet: *Cum Luna, & caput Draconis Ioui coniungitur, quidlibet petas, licet à Deo con-*

ſequi, petas diuitias, petas ſapientiam, petas celebres nuptias, ſubiungit: *hac populo mendacia audes venditare, vt vel teruntium habeas? cur illa hora non precaris fieri locupletior, ne toties mentiri te cogat egeſtas?*

Guliel. Peral. Ad extremum inſignis Theologus Guilelmus Peraldus, inter varia genera diuinationis, omninò execranda, connumerat aſtrologiam iudiciariam, vnde Tomo ſecundo, ſummæ de ſuperbia, capit. 16. hæc ait: *Diuini dicuntur quaſi Deo pleni: iſti ſibi attribuunt, quod Dei eſt; præſumunt enim prædicere futura, & reuelare occulta, quæ duo ad Deum ſpecialiter pertinent. Sunt autem multæ ſpecies diuinationis, ex quibus quatuordecim numerare ſufficiat, licet ſint multo plures. Prima fit in igne, & vocatur Pyromantia: alia fit in aere, quæ vocatur, Aeromantia. Tertia in aqua, & vocatur, Hydromantia. Quarta fit in terra, quæ vocatur Geomantia. Quinta fit per Pytones, in quibus ſpiritus malignus loquitur. Sexta fit per mortuos ſuſcitatos, quæ Necromantia dicitur. Septima eſt, augurium, quæ attenditur in geſtu, & cantu, & volatu auium. Octaua attenditur circa ſternutationes. Nona, circa ſomnia. Decima circa ſortes. Vndecima circa variam inſpectionem Pſalterij, Euangeliorum, & aliarum ſcripturarum. Duodecima eſt Mathematicorum, qui conſtellationes conſiderant, qui etiam dicuntur Magi. Tertiadecima, eſt eorum, qui Arioli dicuntur, qui in aris Idolorum, Dæmonum reſponſa recipiunt. Quartadecima eſt eorum, qui vocantur Aruſpices, quaſi horarum, vel auræ ſpectatores, qui dies, & horas in operibus agendis cuſtodiunt. Regulariter autem tenendum eſt, quod omnis diuinatio, quocunque modorum prædictorum fiat, vel alio ſimili prohibita eſt, maledicta à Deo, & ſancta Eccleſia. Et ſunt multa, quæ deberent homines cobibere ab hoc peccato. Primum eſt, quod hoc diabolicum munus eſt; Diuini enim ad modum Luciferi, ſimiles eſſe volunt Altiſſimo, dum prædicere audet futura, quod ad Deum ſpecialiter pertinet. Secundum, deberet homines cohibere ab iſto peccato, hoc quod ſacra Scriptura ita diſſuadet illud. Vnde Leuit. 19. non declinetis ad Magos, &c. Tertium deberet homines cobibere ab hoc peccato multiplex pœna, quæ legitur Dominus puniuiſſe hoc peccatum, & pœna, quæ in lege diuina, & iure poſitiuo huic peccato taxatur, &c.*

Neruoſiſsimis rationibus iudiciariæ Aſtrologiæ mendacium confutatur, quæ futuros euentus in particulari à libera voluntate dependentes, prædicere præſumit. §. VII.

PRima ratio eſt: quia humanæ inclinationes, quæ à certa corporis complexione originem ducunt, non proueniunt, vt à ſola, & adæquata cauſa ab influxu ſyderum; ſed à pluribus alijs, vt à genitoribus, à loci temperie, non ſolum quæ generatim Prouincijs, aut Oppidis ineſt, ſed quæ ſpeciatim ei loco proximo, in quo homo naſcitur, ab alijſque circumſtantijs, quæ omnes cùm proximiores cauſæ ſint, & particulares, efficaciores ſunt multò ad compoſitionem, & ſtructuram corporis humani, & ad imprimendas ſingulares, & determinatas qualitates, quam influxus corporum cœleſtium, quæ remotiores cauſæ ſunt, & vniuerſaliores, ac tales, vt à cauſis proximis facilè impediri poſſint, & neceſſario determinari, & modificari debeant. Quomodo ergò poſſunt Aſtrologi ex ſola ſyderum conſideratione certum, & infallibile aliquid pronunciare de complexione hominis, & inclinationibus, deſcendendo ad particulares euentus dependentes à libera voluntate? nam ab eis ſumere argumentum iudicij ſui, eſt arguere ab vna ſola cauſa omiſſis multis alijs, quæ efficaciores ſunt, quas penitus ignorant, & per quas effectus illi impediri poterunt.

Secunda: nam quæro ab Aſtrologis, vnde certò cognitas, & exploratas habeant ſyderum naturas, & virtutes, & proprietates eorum? Certè id non acceperunt ex diuina reuelatione, vt per ſe notum eſt, nec etiam ab experientia, ad quam ipſi omnem aſtrologicæ facultatis vim reducunt: quia experientia hæc ex eo impoſſibilis eſſe perhibetur, quia poſtulat longiorem vitam, quàm ea, quæ homines

mines fruuntur. Requirit etiam nimis aſſiduam obſeruationem, non vnius tantum, ſed plurium in idem conſentientium. Scio reſpondere nonnullos (vt refert Horontius in ſua margarita, libro ſeptimo, titulo 2. capit. 7.) Deum conſulto in exordio Mundi longiſſimam vitam dediſſe hominibus, vt longa experientia aſtrologiam diſcerent, & illam ſucceſſores docerent, & Abrahamum illam docuiſſe filios ſuos. Sed licet id verum eſſet, quod valde dubium eſt, & multi falſum cenſent, id deberet intelligi de aſtrologia, quæ Cœlorum motus, & planetarum poſitiones conſiderat, non de aſtrologia futura contingentia ex libera voluntate dependentia diuinante. Deinde, quicquid ſit de hoc, cum hic tota ratio ſit experientia, & hæc non poſſit haberi, niſi rebus tàm cœleſtibus, quàm terreſtribus eodem modo ſe habentibus, nunquam tamen, vel rarò ſit eadem omninò habitudo, & diſpoſitio rerum, non poterunt futura contingentia ex humana voluntate dependentia per hanc experientiam prædici: licet enim demus ſub ſimili conſtellatione, Petrum nunc natum, atque in illa, in qua facta eſt obſeruatio, quia tamen ignorat Aſtrologus alias cauſas, quæ cum illis aſtris concurrunt, per quas effectus illi variari poſſunt, impoſſibile ſit, vt futuros euentus in particulari certò vaticinari poſſit.

Horontius.

Tertia: quia Aſtrologi attentiſſimè conſiderant natiuitatis horam, & ex conſtellatione tunc vigente futuros prolis euentus vaticinari ſatagunt, cùm potius obſeruare deberent conceptionis tempus, & non ortus: quia cùm homo concipitur, & formatur, tunc acqnirit proprium, & ſubſtantiale eſſe, & natiuum temperamentum, quod cum à materno vtero progreditur, ſecum affert: potius igitur deberet obſeruari hora conceptionis, cùm fœtus accipit propriam ſubſtantiam, quàm cum ſuſcipit ſolum motum localem per egreſſum ab vtero matris in hãc lucẽ. Sed in hunc modum argumẽtum hoc ſoluere conantur Aſtrologi: aiunt enim, ex tempore natiuitatis deduci tempus cõceptionis, & ſimul ab vtroque tempore ſumi iudicium. Sed in primis huic ſolutioni obſtat, quod impoſſibile eſt, ex tempore natiuitatis, tempus conceptionis, quo anima corpori vnitur, certò deduci; nam tempus, quo fœtus à conceptione ad partum in vtero exiſtit, non eſt mathematicè vniforme, & ſemper idem, ſed non parum habens latitudinis, & varietatis. Secundò deficit ſolutio, quia formatio corporis humani non pendet ex ſolo puncto conceptionis, ſed fit toto tempore, quo proles in vtero fouetur; præſertim vſque ad animæ infuſionem, in quo aſpectus, & figuræ aſtrorum ſæpiùs variantur. Ac tandem ex hac ſolutione apertè ſatis dãnantur penè infiniti Aſtrologi, vt experientia ipſa patet: quia nihil curantes de conceptione, natiuitatis ſolum horam obſeruant, & ex illa multa futura contingentia temerè prædicunt.

Quarta ratio ſit illa, qua vtuntur Auguſtinus 7. confeſſio. in cap. 62. Geneſ. ad literam, cap. 17. & 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 22. ſup. Ciuit. cap. 1. Greg. homil. 10. in Euangel. Cicero 2. de diuinatione, & Clemens 9. recognit. Plinius lib. 7. cap. 50. Myrandul. lib. 9. contra Aſtrolog. cap. 2. Conimbricenſ. Echius. Pererius ſuper cap. 3. & Aulus Gellius libro 14. cap. 1. Ratio ergo eſt huiuſmodi: quia compertum eſt, multos eodem conceptos tempore, & ſub eodem aſpectu ſyderum, ac Cœli inclinatione natos, de quorum genitura idem Cœli thema deſcribere, eadem denunciare debet Aſtrologus, nihilominus conſtat non eadem accepiſſe fata, ſed alios fuiſſe piſcatores, alios Reges, alios nautas, alios ſolerti ingenio, & diſſimiles prorſus vitæ exitus, ſucceſſusq; rerũ ſortiri. Quod Cicero, ibi, illuſtrat exẽplo, Euriſtẽſis, & Procli geminorum. Et quidem Iacob, & Eſau, quibus conſtat, tam diuerſa vitæ ſtudia, & mores fuiſſe, non ſolum eodem tempore nati, ſed eodẽ concubitu ſati ſunt, vt dicitur Rom. 9. poſſe autem eodẽ coitu geminos gigni, & non ſemper ita contingere ſuper fœtatione cõtra Eriſtratum, docent Hyppon, Empedocles, Aſclepiades, & alij apud Viues 5. de Ciuit. cap. 6. Huic argumento occurrunt Planetarij, breuiſſimam illam moram, quæ inter geminorum ortus cadit, & ſi apud nos perexigua iudicetur, tamen in cœleſti Mundo ob eius magnitudinem, rapidiſſimamque vertiginem, inſignem eſſe, variumque habere motum ad varietatem rerum.

D. Auguſt. D. Greg. Cicero. D. Clemens. Plinius. Mirandul. Conimbricen. Echius. Pererius. Aul. Gel. Cicero. Ludou. Viu.

D. Auguſt. Huiuſmodi refugium euertit Auguſtinus 5. de Ciuit. cap. 1. & 2. in Geneſ. ad literam, dum ait: *Quia Iacob proximè natus eſt poſt Eſau, manu plantam pedis eius tenens, perinde quaſi vnus infans inſtar duorum, vel vnus longior naſceretur; in diuiſis diuerſis autem partibus non adeò diuerſa ſunt temperamenta, ergo nec in geminis.* Eandem ſolutionem his verbis impugnat Diuus Gregorius homil. 10. in Euangelia: *Si propterea Iacob, & Eſau non cenſentur nati ſub eadem conſtellatione, quod nòn ſimul nati ſunt, ſed vnus poſt alterum, ob eandem cauſam iudicandum erit, nullum hominem ſub eadem conſtellatione totum naſci, non enim totum ſimul ex vtero procedit, ſed particulatim & membratim. Quare ſingulis membris ſingula erunt fata, quod ridiculum eſt.* hæc ille. Quæ ex eo apertè confirmantur, quia conſtat, penè innumeros in toto orbe terrarum in eadem conſtellatione, & in eadem prorſus ſyderum poſitione naſci, quibus omninò contraria in vita contingunt, cùm quidam illorum naſcantur ſerui, alij domini, alij deueniant ſapientes, & literati, alij omnium ſcientiarum ignari, quidam pauperes, alij diuitijs affluentes. Aliæ ergo cauſæ, quam aſtra ſunt quærendæ, à quibus tanta hæc diuerſitas proueniat, quas cum explorare non poſſint ad vuguem Aſtrologi, impoſſibile eſt de futuris contingentibus certum ferre iudicium. (D. Gregor.)

Quinta ratio: quia aſtra cœleſtia non agunt immediatè, & directè in voluntatate, vt communiter tradunt Doctores Theologi, Diuus Thomas 3. cont. gent. à capit. 84. & 85. prima parte, quæſtione 115. prima ſecundæ, quæſt. 9. artic. 5. ſecunda ſecundæ, quæſt. 95. artic. quinquito, & opuſcul. 26. ad Fratrem Regynaldum de virtutibus aſtrorum. Et reliqui Doctores 2. diſtinct. 15. Picus ſupra, Conimbricen. 2. Cœli, capite tertio, quæſt. octaua, articulo ſecundo, & quęſtione 9. art. 2. Azor Tomo 1. libro 1. capit. 20. quæſt. 10. Camaracenſ. Tractatu ſuo de lege, & ſectis. Guilelm. Pariſ. de fide & legibus. & licet influerent, non poſſent voluntatem determinare ad alteram partem, vt definitum eſt in Concilio primo Bracharen. contra Priſcill. hæret. & docet expreſsè Diuus Damaſcenus 2. de fide; capit. 7. Itaque ſiue mediate, ſiue immediate aſtra cœleſtia influant in voluntatem, inclinando illam, non tamen poſſunt Aſtrologi prædicere actus ipſius voluntatis, & conſequenter, nec euentus ab illis dependentes: nam cum aſtrorum motio, ſeu influxus ſolum inclinet voluntatem, & non determinet illam, fieri poterit, vt voluntas, vel non operetur, vel aliter operetur: ad eum certè modum, quo ſæpè contingit, vt Deo inſpirante voluntatem, illa reſpuat, & nunquam obtemperet diuinæ inſpirationi, atque ob hanc cauſam Ptolemæus dixit: *Sapiens dominabitur aſtris*, quod Gilbertus Centur. 3. adag. 298. & omnes Chriſtiani Aſtrologi ex eodem Ptotemęo paſſim vſurpant, & conſonat ſcripturæ, Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quem locum rectè expendit Bernardus ſermone quinto, de Ieiunio Quadrageſimæ, vt intelligamus dœmonem, & carnem tentare nos poſſe, in noſtra tamen eſſe poteſtate illi reſiſtere. (D. Thom. — Picus Miran. — Conymbricen. — Azor. — Camarac. — Guilel. Pariſ. — Concil. Brac. — D. Damaſ. — Ptolemæus. — Gilbertus. — Geneſ. 4. — D. Bernar.)

Sexta ratio: quia, quì fieri poteſt, etiam ſi aſtra influant in corpus humanum, & in ipſum appetitum ſenſitiuum, immò, & in ipſam voluntatem directè, vel indirectè, vt per cognitionem illorum aſtrorum, quæ Aſtrologi vigere obſeruant, in hora natiuitatis, vaticinentur, hunc futurum Epiſcopum, Cardinalem, vel Summum Pontificem, cum ad huiuſmodi dignitates aſcendere non dependeat ex ſola voluntate ipſius naſcentis, qui illas oblatas admittet, vt ipſi prędicunt, ſed etiam à libera voluntate eligentium. Oporteret ergo ad id prædicendum conſulere electorum omnium natiuitates, & conſtellationes, vt ab illis deducerent Aſtrologi, an futurum eſſet, vt vellent eligere illum, vel non, quod tamen nec faciunt, nec efficere poſſunt, cum prorſus ignotum ſibi ſit, quorum ſuffragijs in futurum Summus Pontifex ſit eligendus. Quare ſi verum eſt, quod in Auguſto narrat Suetonius, Nigidium Figulum in Aſtrologia apud Romanos nobiliſſimum, accepta hora ortus Auguſti, & natalitijs eius aſtris obſeruatis, exclamaſſe dominum orbis natum, exiſtimo, non ſcienter, nec certa ratione, ſed temerè dixiſſe, caſuque & for- (Suetonius de Auguſto.)

Digitized by Google

& fortuito quod dixit contigiſſe, vel certè Deum occulto ſuo iudicio locutum per illum, ſicut per gentiles ſyllabas multa verè prædixit.

Septima ratio: quia non ſolum inter Aſtrologos iudiciarios, ſed etiam inter meros Philoſophos de Cœlorum, & Vrbium numero, magnitudine, ſitu, poſitione, & motibus penè infinitæ, & incertiſſimæ circumferuntur opiniones, magiſque proinde incertæ erunt de influxibus ſyderum, qui difficiliores ſunt cognitu tã ſenſui, quàm rationi. Quam autem magna ſit opinionum diſcrepantia, immò, & manifeſta contrarietas, ex eo apertiſſimè patet, quod Thymothæus, Plato, Ariſtoteles, Eudoxius, Genadius Platonis diſcipulus, Proculus Platonicus, Auerroes, & ipſæ aſtrologiæ, quæ nunc floret, parens Ptolemæus Peluſienſis, ac demum omnes tùm Græci, tùm Latini ante Alphonſi Regis Caſtellæ tempora ſatis ſe naturæ, ac cœleſtibus omnibus, quæ apparebant, motionibus octo orbibus prouidiſſe putabant. Contra Babylonij Hermetem ſecuti, quorum ſententiam etiam Rabbi Iſaac Alpetragio, Azarcheli Thebit, & quibuſdam alijs probatur, nouem poſuere. Alphonſus Rex Caſtellæ, cum primitus autem Rabbi Iſaac cognomento, Bazayn eam opinionem ſecutus, nonum tanquam certum poſuiſſet, poſtea ad octonarium numerum ſeſe reuocauit in ſuarum tabularum correctione. Abeazen, atque Albategni Saracænorum ſententiã ſequentes, eundemque numerum Rabbi Abraham Auenezza, Rabbi Abraham Zacutus, & Rabbi Leui comprobarunt; contra quos vniuerſos communis Philoſophia, & Aſtrologia decimum orbem mobilem cogitauit. Neque verò hi poſterioribus ſæculis inueniẽdi alios orbes, metam præfixere. Alij tres orbes ad ſalnandas omnes apparentias ſatis eſſe putant, neque ab ea ſententia Paulum abhorrere credunt, cum ſe raptum narrat vſque ad tertium Cœlum. Alij vnicum Cœlum cit culis tamen quibuſdam diſtinctum planetarum omnium motionibus ſatisfacere putant: ſunt enim qui negent excentricos orbes, & epicyclos, quos alij neceſſarios putant: ſunt qui nullum Cœlum agnoſcant, niſi aereum, in quo planetæ, & aſtra omnia exiſtant. Deinde Chaldæi, & Aegyptij, Alpetragius, & Alexander aquilinas octauum Cœlum, vna tantum latione ferri autumarunt. Contra Hypparcus, & ceteri multiplicem tribuunt, nec tamen in aſſignando numero ſatis conueniunt: nam cum Iudæi illi Cœlo duplicem motum aſſignent, contra Azarcheles Tebith, & Ioannes à monte Regio, motum, quem dicunt trepidationis, ſeu acceſſus, & receſſus ſuper paruis circulis, ad capita Arietis, & Libræ addiderunt; hoc tamen inter ſe differentes, quòd Azarcheles ait, caput mobile à fixo non plus decem gradibus diſtare poſſe. Thebith autem non pluribus, quàm quatuor gradibus, & decem & nouem fermè minutis: contra Ioannes à monte Regio non plus gradibus octo; & idem non ſemper ſtellas fixas ad eandem Mundi partem vergere, ſed quandoque reuerti, vnde cæperunt. Contra Ptolemæus, Albategni Rabbi Leui, Rabbi Abraham Abener, Abraham Zacutus, Panlus Florentinus, Auguſtinus Riccius Neapolitanus ſtellas iuxta ſignorum ſucceſſiones ſemper continuò moueri conſtanter affirmant, & qui trepidationis motum admittunt, illum a ſuperiori ſphera fieri volunt. Alij motũ raptus non a ſuperiori ſphera, ſed à toto Cœlo fieri putãt, vt Albategni, Albuazen, Alphagragius, Auerroes, Rabbi Leui, Rabbi Abraham Zacutus, Auguſtinus Riccius, & alij. Arbitratur Ptolemæus ſtellas fixas e entum annorum ſpatio, vno tantum gradu moueri. Albategni, ſexaginta annis, cuius ſententiam Rabbi Leui, Rabbi Zacutus, & Alphonſus Rex Caſtellæ, in correctione ſuarum Tabularum approbauit. Azarchelus verò Maurus in 75. Hipparcus Nicenſis Philoſophus in 78. Rabbi Ioſue, Rabbi Moyſes, Maymonis filius, Rabbi Abraham, Abenezra Toletanus, & alij. Benrodan. in 70. Rabbi Abraham Zacutus, vt teſtatur Auguſtinus Riccius, libro de motu octauæ ſpheræ ex Indorum traditione teſtatur in Cœlo eſſe duas ſtellas diametraliter oppoſitas, quæ curſum ſuum contra ſignorum ordinem non niſi centum quadraginta quatuor annis abſoluunt. Alpetragius multos eſſe motus in Cœlo hominibns incognitos arbitratur, Martis motũ toti aſtrologiæ incognitum Ioannes a monte Regio conqueritur, eiuſ-

Margin notes: Thimot. Plato. Ariſtot. Eudoxius. Genad. Proculus. Auerroes. Ptolem. — Iſaac. Azarch. — Bazayn. — Abraham Auenaza. — 2. Cor. 11. — Alpetragius. Alexander. Hypparcus. — Azarcheles. Ioan. a monte Regio. — Ptolemaus. Rabbi Leui. Abrahã Abn. Abrahã Zac. Paul. Florent. Auguſt. Ric. — Albategni. Albuaz. Alphagrag. Auerroes. — Alphonſ. Rex. — Azarchelus. Hipparcus. Rabbi Ioſue. Rab. Moyſes. Abrahã Abe. Toletan. Benrodan. Abrahã Zac. Auguſt. Ric. — Ioan a monte Regio.

eiuſdem motus errore, Gulielmus à Sancto Clodoaldo inſignis Aſtrologus in ſuis obſeruationibus epiſt. quadam ad Blanchinum, ante ducētos annos ſcriptum reliquit. Solis ingreſſum in puncto æquinoctiali inueniri non poſſe multis, & magnis rationibus comprobat Rabbi Leui. Imagines Cœli, ac ſtellarum fixarum figuras aliter Indi, aliter Chaldęi, aliter Aegyptij, aliter Arabes, aliter Hebræi, aliter Tymorhæus, aliter Hypparcus, aliter Ptolemæus, aliter recentiores tradiderunt; quæ tamen magis, quàm cetera omnia, viſui erant expoſita. Aegyptij, Pythagoras, Thymæus, Plato, Ariſtoteles, Eudoxius, & Theon Ptolemæi commentator, ac pœnè omnes Græci Philoſophi Solem in ſecunda ſphera collocarunt. Anaximander, Metrodorus Chius, Crates, Thebanus, eum ſupremum omnium Planetarum conſtituunt. Chaldæi, Archimedes, & Ptolemæus, & communis quartum collocāt. Xenocrates omnes planetas, & cetera aſtra, vna eademque Cœli ſuperficie moueri, neque apparitionibus, neque Philoſophiæ contrarium exiſtimat. Nicolaus Copernicus Solem in Mundi centro collocat; terram moueri, Cœlum quieſcere putat, & terram à Mundi medio protendens, Cœlis quaſi aſtrum intorquet; quæ de motu terræ ſententia antiquis nonnullis, & Cœlio Calcagnino placuit. Omitto maximam Solis declinationem, anni menſuram, dextrum, & ſiniſtrum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum, motum augis Solis, & alia multa, circa quæ maximæ ſunt Aſtrologorum pugnæ, & diſcrepantes ſententiæ. Verum, & id mirabile eſt, quòd tametſi omnimoda eſſet inter Aſtrologos conſenſio, nihil tamen omninò certum, & infallibile ex aſtrorum poſitione poſsūt ipſi prædicere, tum propter innumeras cooperantes cum Cœlo cauſas, quas ſimul attendere oporteret: tùm quia obſtant illis, vt ait Princeps eorum Ptolemæus, occaſiones quamplurimæ, vt conſuetudines, mores, educatio, pudor, imperium, locus, genitura, ſanguis, cibus, diſciplinæ, & præcipue humani arbitrij libertas, & vt minimum ipſi Aſtrologi concedunt, quod adhuc reſtant multæ ſtellæ, quarum influentiæ ipſis ſunt incognitæ. Vnde neceſſe efficitur, vt dum illi iudicium ex ſtella aliqua ſibi colligunt, cum alioquin ignorent, an influxus ille per aliud ſignum, vel aſtrum queat impediri, incerta omninò prædicant; quare experientia ipſa compertum eſt, vt plurimum falli, cum de futuris contingentibus ab humana libertate dependentibus iudicium ferre temerè tentant. Nec iuuat quidquam reſpondere; quod quidam Aſtrologi dicunt, ſe non prædicere huiuſmodi futura, quia ea colligant ex ſtellis, tanquam ex cauſis influentibus in voluntatem, ſed tanquam ex ſignis non ipſorũ actuum voluntatis, ſed aliorum affectuum externorum ab illa dependentium: quia præterquàm omnia à me ſuperius adducta ex ſacra Scriptura, ſanctiſſimis Pontificibus, ſacris Concilijs, Imperatorum legibus, Sanctorum Patrum, & aliorum doctrina, plenè hanc ſolutionem confutant; certè aſſerere aſtra eſſe ſigna euentuum humanorum, pugnat cum ratione ipſa Theologica, qua docemur nullum ſignum naturale habere neceſſariam connexionem cum actibus humanis liberis, ſiue elicitis, ſiue imperatis à voluntate alioqui liberi non eſſent, ſi ex huiuſmodi ſigni aſpectu determinaretur Creatura rationalis ad operationem præſignatam per illum, & ſic non eſſet libera. Nec eſt eadem ratio de prædeterminatione, qua Deus prędeterminat voluntatem ad actũ à ſe prædefinitum: quia Deus ob infinitā eius ſapientiam, & potentiam nouit, & poteſt determinare voluntatem, vt liberè operetur; ſecus autem illud ſignum cœleſte, cum eſſet merum ſignum naturale neſciens voluntatem gubernare iuxta exigentiam eius. Deinde, quia ſi ſydera, & conſtellationes eſſent ſigna naturalia humanorum actuum, certè Angeli, cùm comprehendant omnia cœleſtia aſtra, per illa tanquam per ſigna poſſent facilè cognoſcere omnia futura contingentia dependentia ab humana voluntate, quod vniuerſi Theologi dānant. Nec refert, ſi quiſpiam mihi objiciat, quod Cœlum eſt, velut quidam liber, in quo ſcripta ſunt, quæ progreſſu temporis eueniunt; de hoc enim libro Iſai. 30. dicitur: *Complicabuntur ſicut liber Cæli.* & Apocal. 6. *Cœlum receſſit ſicut liber inuolutus;* in hoc autem libro aſtra ipſa ſunt characteres, quia, vt habetur Geneſ. 1. *Facta ſunt, vt ſint in ſigna, & tempora, & dies.* Vnde, & Iudic. 5. legitur

Margin notes: Gulielm. à S. Clodoal. — Rabbi Leui. — Hipparcus. Ptolomæus. — Pythagor. Plato. Ariſtot. Thymæus. Eudoxius. Metrodor. Chius. Crates Theb. — Nicol. Coper. — Cæl. Calcag. — Iſai. 3. — Apoc. 6. — Geneſ. 1. Iud. 5.

Digitized by Google

gitur: *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Syſaram pugnauerunt:* dicitur autem pugnaſſe contra Syſaram, quia cõcurſus ille aſtrorum fauſtus fuit Iudęis, infauſtus verò Syſaræ. Sæpè etiam, vt experientia conſtat, apparent Cometæ ſanguinolentæ, quæ Principum mortis ſigna eſſe, experientia ipſa vbique gentium monſtrauit. Hæc (inquam) nihil proſunt, quia ſenſus illius loci Iſaiæ eſt (vt exponunt Interpretes illius) quòd Aſtrologi iudiciarij non exercebunt vltra, aduenięte die iudicij, aſtrologiam iudiciariam ex aſtris futura prædicentes: vel ſenſus eſt, quòd eatenùs dicantur Cœli complicari, vt liber, quia poſt diem iudicij non patebit amplius introitus in Cœlos, ſed clauſa erit ianua cœleſtis. Vel certè ſenſus eſt, quòd Cœli ceſſabunt à motu ſuo, & ab impreſſionibus in hæc inferiora. Apocalypſis deinde locus adductus ſimilem habet expoſitionem: in die enim Iudicij Cœlum adeò tenebris obducetur, vt quemadmodum literæ in libro inuoluto non videntur, ita tunc cœleſtia aſtra videri nequeant. Quod autem Geneſ. 1. dicitur, luminaria facta eſſe, vt ſint in ſigna, non eſt intelligẽdum eſſe in ſigna actuum humanorum in particulari, ſed aliarum rerum, quæ pendent ab ipſis aſtris, vel certè ipſorum temporum, vt explicant ſuper illum locum, Beda, & Eucherius; ſolent enim eſſe ſigna imbrium, tempeſtatum, & aliarum aeris mutationum. Quod tandem dicitur, ſtellas contra Syſaram pugnaſſe, Cardinalis Caietanus in Commẽtario illius loci, rectè interpretatur tantũ dici contra ipſum pugnaſſe, quatenus aer ceteraque elemẽta populo Dei fauerunt, & aſtra cœleſtia imbres contra Syſaram miſerunt. Vel certè dicendum, vt Procopius exponit ibidem, per ſtellas intelligi Angelos, ad eum modum, quo Apoc. 12. dicitur, caudam draconis traxiſſe ad ſe tertiam partem ſtellarum. Quare ſenſus erit, de Cœlo dimicatum fuiſſe contra Syſarã, quatenus Angeli hyerarchico ordine ſeruato, pugnauerunt contra illum. Quod autem adducitur de Cometis, nullius momenti eſt, quia Cometæ illæ non ſunt ſigna naturalia, ſed ex Dei impoſitione aliquando mortem Principis præſignant, vel quid ſimile, vt tradit D. Ioan. Damaſc. lib. 2. cap. 7.

Beda. Eucheri. *Caietan.* *Procop.* *Apocal. 12.* *D. Ioan. Damaſc.*

Quomodo Aſtrologi multa vera ex futuris contingentibus à voluntate dependentibus, quandoque prædicant, explicatur. §. VIII.

CVm igitur ex omnibus hucuſque dictis, certum ſit, Aſtrologos Iudiciarios futura contingentia ex humana libertate pendentia, certo prædicere non poſſe, aliàs ſapientiores eſſent ipſis Angelis; compellor cauſam, & rationem reddere, quare vt experientia ipſa compertum eſt, multa vera prædicunt, quæ reuera eueniunt, ſicut ab ipſis prænunciata fuere? Quintuplex huius cauſa occurrit: Prima: quia homines, quibus proſpera nunciantur, in ſpem vaticinij erecti, conantur ea aſſequi, quæ prædicta ſunt, & voti compotes ſæpè euadunt, dignitates, victorias, vel diuitias comparantes. Contra verò, quibus aduerſa nunciantur timidi, & negligentes a bonorum proſequutione deſiſtunt. Luculenta huius exempla reperimus in Romanorum exercitu, cui, vt ſcribit Liuius, cum augutia, & auſpicia ſecreto inſpecta infauſtum belli exitum minarentur, auſpices, & Duces, ne militem In arma euntem funeſto nuncio conſternarent, verſis in contrariam partem auſpicijs, omnia fauſta, & triumphalia portendi, à Dijſque promitti mentiti ſunt. Quo mendacio vtiliter decepti milites, alacriter prælium inierunt, fortiter pugnarunt, & hoſtes, quos auguria victores fore præmonſtrabant, feliciter vicerunt. Contra verò Nycias Dux Claſſis Athenienſium Lunaris eclypſis cauſas ignorans ex ea Claſſis naufragium augurans, ſi ea nocte portum egrederetur, cùm ſtulto metu occupatus, oppreſſuſque diſceſſum differt, à Syracuſanis cum tota Claſſe captus eſt. *Liuius.*

Secunda cauſa. Quia cum huiuſmodi Aſtrologi permulta pronuncient, aliquid illorum caſu veritatis ſcopum attingit; nam, vt Hyſpanum habet prouerbium: *quien mucho habla, en algo acierta.* Obſeruauit hoc præter alios Phauorinus apud Gellium, lib. 14. cap. 1. aiens, Aſtrologos cum comprehenſa, neque per præcepta dicere, ſed lubrica cognitione innixos, & quaſi *Phauorin.*

Google

quaſi per tenebras ingredientes, nonnunquam in veritatem imprudenter, ac tardò admodum incidere: ita, vt omnia, quæ temere, aut aſturè vera dicunt, præ ceteris, quæ mentiuntur, pars milleſima non ſit. Quoniam autem quæ falſo dicunt, plerumq; ſilentio inuoluuntur, quæ autē verè, licèt caſu, in vulgus, hominumq; ſermonem dimanant, inde fit, vt apud vulgus diuinare exiſtimentur, vt latè etiam proſequitur D. Aug. lib. 83. q. 45. *D. Aug.*

Tertia cauſa, eſt occulta diuinæ prouidentiæ permiſſio, aut diſpoſitio, quæ, vt *Ibidem.* Auguſt. 4. confeſſionum, ignoto quodam inſtinctu ſic agit, vt neſcientes proferant, quæ conſulentes, vel ex eorum meritis, vel ex abyſſo iuſti iudicij Dei oporteat audire. Quo etiam modo fortunę ſortes, quas Ethnyci vſurpant, in quibus nullam fidem ineſſe conſtat, interdùm aliquam dabant futurorum ſignificationem. Sic *Lamprid.* Alexandro Seuero (refert id Lampridius in eius vita) cùm adhuc eſſet adoleſcens, & nihil minus, quàm Imperium meditaretur, dum Virgilianas ſortes puerorum more ſcrutatur, (nam quia Poetas diuino numine afflatos, verſus canere ſibi Ethnyci perſuadebant, ex eiſdem verſibus ſortitò multa vaticinia erui poſſe exiſtimabant) Seuero igitur carmina illa ex 6. Aeneydos obtigere, quæ futurum illi imperium protenderent.

Tu regere Imperio Populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciſq; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Neque mirum, ita euenire Deo volente, ideoque mentem mouente linguam moderante, ſortes mittente, ac temperante; qui non ſolùm ex ore Balam arioli, & falſi vatis, ſed etiam ex ore aſinæ, qua vehebatur, veriſſima futurorum edidit mi- *Num. 23. & 24.* racula, Numer. 23. & 24. vbi Auguſt. ait, *D. Auguſt.* interdùm vſu euenire, vt homines hiſce dediti ſuperſtitionibus vera prænuncient, permittente Deo in ſcelerum pœnam, hinc eis dari occaſionem ſeſe magis, magiſq; inferendi multiplicibus laqueis perniciosiſſimi erroris. De ſortibus lege Diuum Thomam, 2. 2. q. 95. art. 8. ſed non *D. Io. Dam.* minus ad rem eſt, quod Damaſcænus in hiſtoria Ioſaphat circa principium refert. Cùm pater in gratiarum actionem pro natiuitate filij ſolemne ſacrificium instituerer, multiq; Aſtrologi conuenirent, hos propius accerſitos ad ſe, Rex rogabat, edicere ſingulos, quid futurus eſſet puer, qui ſibi natus erat? illi verò plurima perſcrutantes dicebant, illum magnum eſſe futurum in diuitijs, & potentia, & ſupergreſſurum omnes, qui ante eum, fuerunt Reges: vnus autem de Aſtrologis excellentior cunctis, ait: *Sicut ex his, quos me docuerunt, aſtrorum curſibus, valeo conijcere, ò Rex, pueri huius profectus, qui nunc natus eſt tibi, non in tuo erit Regno, ſed in alio meliore, & incomparabiliter eminentiore. Exiſtimo verò, illam, quam tu perſequeris, chriſtianorum religionem eſſe ſuſcepturum, nec puto, quòd ſua ſpe priuetur ipſe;* ſubijcitque Damaſcenus: *Hæc quidem Aſtrologus dixit, ſicut olim Balaham, aſtrologia non vera pronunciante, ſed Deo per aduerſarios ea, quæ ſunt veritatis ſignificante, vt omnem ipſis excuſationem adimeret.* Vide etiam eundem 2. fidei, c. 4. Auguſt. *D. Damaſ.* 2. Geneſ. ad literam c. 17. & 2. de doctrina *D. Aug.* Chriſtiana. c. 22. & 25. & 2. ad Simplicianum. q. 3. D. Tho. 2. 2. q. 172. art. 6. qui do- *D. Thom.* cent, nonnunquam dœmones futura quędam contingentia vera prænunciare, non propriæ naturæ vi, ſed diuina reuelatione ſibi per ſanctos Angelos communicatam, ita Deo iubente, vel diſponente ex occulto ſuæ ſapientiæ ordine. Sic Aſcletarion *Aſclet.* de ſe dixit, viuum à canibus lacerandum: quod impletum eſſe narrat Suetonius in *Suetonius;* Domitiano, & notat Antonius Rius: Vnde *Antonius del Rio in Mag. diſcurſ.* manifeſtè conſtat, tum dœmones nequaquam ſcire ex ſe futura contingentia, tum aſtrologiam diuinatricem non eſſe veram ſcientiam.

Quarta cauſa ſit: quia ſæpe Aſtrologi (vt author eſt D. Auguſt. 5. de Ciuit. Dei c. 7.) ea prædicunt, quæ dœmon ex pacto expreſſo cum illis, vel tacito cum alijs, quos ipſi ignorant, ex occulto inſtinctu, ſuggerit. Verba tanti Patris ſunt hæc: *Non immeritò creditur, cùm Aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent, occulto inſtinctu fieri ſpirituum non bonorum, quorum cura eſt, has falſas & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atquè firmare, non horoſcopi notati, atq; inſpecti arte, quæ nulla eſt.* Sic Thraſyllus, qui mortem ſibi inſtare, miranti Tiberio dixit: quam ſecreto Tyberius ei re cum

Digitized by Google

nullo communicata, moliebatur, ex dæmone eam didicit; ait enim Dio lib. 55. ſolitum affirmare quæ nuncia longinquis e regionibus afferentur. Itaque multa prędicunt vera Aſtrologi ex pacto expreſſo, vel implicito cum dæmone. Quòd ſi obijcias id fieri non poſſe quia nec futura contingentia libera præcognoſcunt Dæmones, nam ſupra dixi, aliquando ex reuelatione Dei per bonos Angelos facta illa præcognoſcere. Solet etiam Dæmon prænuntiare homini futura, quæ ipſemet poſtea facturus eſt. Solet ob incomparabilem ſui motus celeritatem, quæ in longinquis locis, remotiſq; mundi regionibus geruntur, ad homines, qui longiſſimè abſunt deferre. Item ex clandeſtinis conſilijs, verbis, ſcriptis, ac ſignis, quæ in corpore tàm exterius, quam interius apparent, occultas hominum cogitationes & deliberationes præſentes, & futuras ſolertiſſime coniectando deprehendere. Poteſt multa etiam ex præparatione cauſarum conijcere ob incredibilẽ ſubtilitatem, & ſolertiam mentis, ob experientiam longiſſimam, & rerum naturalium abſolutam perfectamq; cognitionem. lege Aug. 2. Gen. ad lit. cap. 27. vbi inter alia ſapienter monet magis cauendum eſſe ab Aſtrologis, qui vera dicunt, quam qui falſa: hi enim vanitatem ſuam produnt, illi initi cum Dæmone fœderis ſuſpicionem dant. Vide D.Tho. 2. 2.q.95.art. 2.

Quinta cauſa eſt: quia non pauci Aſtrologi diuinant non tam peritia artis, quam ſingulari quadam ſagacis ingenij ſolertia, & multiplici humanarum rerum peritia, vſuq; & ex quæſita eorum hominum, quibus diuinatum ſit, morum, & ſtudiorum, & ingeniorum obſeruatione, atq; notitia. Ad hoc genus diuinationis pertinet, ſi quis Principem tyrannicè tractantem ciues, & crudeli dominatu prementem, à ſuis eum occiſum iri prædixerit; & ſic de alijs. Hoc genere diuinationis vſus eſt Annibal, qui perſpecta imperitia, atque temeritate Terentij Varonis, & C. Flaminij Roman. Conſulum, & Imperatorum, Aphris victoriam, Romanis inſignem cladem prædixerit; quæ reipſa conſecuta eſt. Quæ autem poſſint periti Aſtrologi tuta conſcientia prænunciare, breuiter edocebor. S. ſequenti.

Quæ poſſint Aſtrologi prædicere tuta conſcientia. §. IX.

PRimò aſſero, poſſe Aſtrologos ex ſyderibus prædicere morbos, frigora, tempeſtates, ſterilitatem, pluuias, ſiccitatem, terræmotus, & ſimiles alios effectus naturales. Ita docet D. Auguſtinus 5. de *D. Aug.* Ciuit. cap. 6. & D.Tho. 1. 2. q. 9. ar. 3. & 1. *D. Thom.* p.q. 115. ar. 4. & 3. contr. gent. c. 84. & 85. & opuſculo 25. c. 4. & 5. necnon opuſculo 26. Ratio eſt, quia in Cœlo ſunt plurimæ ſtellæ varias virtutes, & proprietates habentes, vt indicant verba Dauidis. *Qui* *Pſal. 146.* *numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Eſt autem manifeſtum propria nomina à Deo imponi iuxtà ſingulorum proprietates, & innatas virtutes. Si igitur peritus Aſtrologus percalleat conſtellationem, ex qua prædicta furura, tanquam effectus a ſua cauſa, oriri debent, vtiq; poterit illa prædicere. Scio quoſdam proteruos, vt id etiam denegent Aſtrologis, non admittere aliam vim influendi in cœleſtibus aſtris, quàm lucem, per quam illuminant, & calefaciunt. Verùm hoc abſurdè dici permulta manifeſtant: nam Sol non ſolùm illuminat, & calefacit, alioſq; effectus cauſat, qui ex calore oriuntur, ſed etiam, ſolſequium, quod vulgo (Gygantæa), græcè, *Chalyotropium*: appellatur, in ſuum, quaſi aſpectum, trahit: ortu etiam ſuo flores aliquos explicat, qui eius occaſu contrahuntur, vt flos, qui hyſpanè, *marabillia:* vocatur. Lupini non diſſimiliter ſolem verſus aſpiciunt, ſuoq; circum actu Agricolis horas oſtendunt, & Hælyonotropiũ, Lunã aſpicit, non ſecus ac Hælyotropium ſolẽ. In Arari etiam Galliæ fluuio naſcitur magnus quidam piſcis, *Clupea*, dictus ab Incolis, qui creſcente Luna, albus eſt, decreſcente totus nigreſcit, vt refert Sto- *Stobæus. Plinius.* bæus ſerm. 98. de morbis. Plinius autem lib. 36. de natur. hiſt. agens de lapide Selenite, hæc ait: *Selenites ex candido tranſlucet miro fulgore, imaginem Lunæ continens, redditq; eam in dies ſingulos creſcentis, minuentiſq; numero, naſciq; putatur in Arabia.* Ad motum etiam Lunæ, ſecreta eius virtus cauſat fluxum, & refluxum Oceani. Ad augmentum luminis eius augentur herbarum ſucci, animaliumq; medullæ

Digitized by Google

dullæ: Saturnus, quia octauo menſe præeſt partum octimeſtrem enecat. Canicula cum Sole oriens vehementem calorem cauſat, & malignè influit, vnde tempore, vel coniunctionis Lunæ, cum Sole, aphœbotomia, & purgantibus medicamentis abſtinent experti, & periti medici, illoſq; dies, vocant *criticos*: quare Galænus integrum volumen compoſuit de diebus criticis, ſeu decretorijs. Quamobrem tuta conſcientia poterit quiſpiam, iuxta Cœli Lunæq; motum, obſeruare tempus aptius ad proſcindendos agros, ligna ſecanda, ad domos ædificandas, ad medicinas miniſtrandas, ad incidendam venam, ad infecta membra reſecanda, ad calculum curandum, ad arbores plantandas, ad vites amputandas, & ſimilia. Immo, & nauta ex longa obſeruatione ventorum, & paſtores ex certis notis, necnon & agricolæ ex varijs ſignis cœleſtibus ab eis obſeruatis ſæpè vaticinantur futuram aeris inclementiam, vel imminentem futuræ hyemis intemperiem. Ad quod arbitror Chri-
Matth. 16. ſtum Dominum alluſiſſe, cùm Matth. 16. dixit: *Facto veſpere, dicitis: ſerenum erit: rubicundum eſt enim Cœlum, & mane. hodiè tempeſtas rutilat; nam triſte Cœlum;* Vnde, & Diuus Auguſtinus epiſtola ad
D. Auguſt. Ianuarium, ait: *Non quiſquam ſapiens arbitretur obſeruatores temporum reprehendendos, qui dicunt: non proficiſcar hodie, quia tempeſtas exorta eſt; vel ſi qui fortè alij naturales effectus circa motum aeris, & humoris ad variandas temporum qualitates ex ſyderum ordinatiſſima conuerſione notati ſunt, de quibus dictum eſt, cùm conderentur, vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.* hactenus D. Auguſtinus. Non tamen diffiteor, Aſtrologos, hos naturales effectus futuros, omninò certò prædicere non poſſe; quod ratione a priori, & à poſteriori petita comprobabo. A priori quidem: nam, vt auctor eſt Aui-
Auicen. cenna in ſua Metaph. lib. vlt. ad huiuſmodi effectuum cognitionē, nō ſufficit Aſtrologo Cœlum inſpicere, ſed oportet, inferioris Mundi naturam, diuerſos terrarum ſitus, ac deniq; omnes proximas cauſas, quæ ad promouendum, vel impediendum Cœli concurſum aliquid momenti habēt, exploratas habere. Quare neceſſe erit, in his etiam naturalibus effectibus, non omninò certum, ſed quandoq; fallax eſſe iudicium. A poſteriori verò idipſum patet: quia ſi horum futurorum naturalium omninò certa, & infallibilis notitia haberi poſſet per aſtrorum cognitionem, facilè Aſtrologi diuites fieri potuiſſent; præuidētes enim ſegetum abundantiam, vel penuriam, vt olim Ioſeph, annis felicibus ad infelices, ſeruare poſſent frumentum, vinum, oleum, &c. At videmus, illos miſerrimè vitam agere, niſi inſtar hæderæ, diuitibus, & potentibus adhæſerint. Signum ergo eſt, hanc notitiam apud eos certam non eſſe, vnde Ennius eleganter ce- Ennius.
cinit.

Non Vicarios, Aruſpices, non de circo Aſtrologos
Non Iſyacos coniectores: non Interpretes ſomniorum:
Non enim ſunt ij, aut ſcientia, aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi Vates, imprudenteſq; arioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam ipſi petunt.

Secundò aſſero, Aſtrologos iudiciarios ex cognitione aſtrorum, in quorum poſitione quiſpiam conceptus, & natus eſt, multa futura contingentia prædicere poſſe in communi, quæ ſepè, ſed non infallibiliter ita euenient; vt quòd quis habiturus ſit bonam, vel malam valetudinem, pacem, aut litigium, longam, & breuem vitam, vel certè futurum eſſe benè, vel malè fortunatum in diuitijs, in honoribus, & dignitatibus, & ſimilibus. hæc mihi perſuadent: Primò, quia ſæpè ita do-
cuit angelicus Doctor D. Thomas, nam D.Thom.
1.p.q. 115. art. 4. ad tertium ait: *Plures homines ſequuntur paſſiones, quæ ſunt motus ſenſitiui appetitus, ad quas cooperari poſſunt corpora cœleſtia: pauci autem ſunt ſapientes, qui huiuſmodi paſſionibus reſi-*
ſtant; & ideo Aſtrologi, vt in pluribus, ve-
ra poſſunt prædicere, & 1.2. q.9. ar. 5. ad 3. D.Thom.
Nihil prohibet, ex impreſſione corporum cœleſtium, aliquos eſſe habiles ad iraſcendum, vel concupiſcendum, vel aliquam huiuſmodi paſſionem; ſicut ex complexione naturali, plures hominum ſequuntur paſſiones, quibus ſoli ſapientes reſiſtunt, & ideo,

vt in

Digitized by Google

vt in pluribus, verificantur, quæ pronunciantur de actibus hominum ſecundùm conſiderationem cœleſtium corporum. & lib. 2. de generat. tex. 58. in fine, hæc ſcribit: *Planetæ in circulo peryodali poſiti, quando ſunt fortiores, dant plures annos vitæ, & quando ſunt debiliores, dant pauciores. Hoc etiam modo innoteſcit, quòd qui ſciret virtutes ſignorum, & ſtellarum in eis poſitarum, dum naſcitur res aliqua, cognoſceret, quantum eſt de influentia cœleſti, & poſſet prognoſticari de tota vita rei generatæ.* & lib. 3. cont. gentiles cap. 85. ait. *Manifeſtum eſt autem, & experimento cognitum, quòd tales occaſiones, ſiuè motus paſſionum, ſiuè ſint exteriores, ſiue interiores, non ſunt cauſa neceſſaria electionis, cum homo per rationem poſſit eis reſiſtere, vel obedire, ſed plures ſunt, qui impetus tamen naturales ſequuntur, pauciores autem, idest, ſoli ſapientes, qui occaſiones malè agendi, & naturales impetus non ſequuntur.* & cap. 92. hæc habet: *Licet Deus voluntatem noſtram moueat, & angelus illuminet, Cœlum ad benè, vel malè agendum inclinet; tamen, cum aliquis fœlix eſt, quoad Deum dicitur benè tutus, quoad Angelum benè cuſtoditus, quoad Cœlum benè natus*, & ibidem c. 92. *Quamuis autem ſolus Deus directè ad electionem hominis per modum perſuadentis: actio verò corporis cœleſtis, per modum diſponentis, in quantum corporales cœleſtium corporum impreſſiones in corpora noſtra, diſponunt nos ad aliquas actiones*, & paulò inferius: *Impreſſiones corporum cœleſtium in corpora noſtra, cauſant in nobis naturales corporum diſpoſitiones; & ideò ex diſpoſitione relicta ex corpore cæleſti in corpore noſtro, dicitur aliquis non ſolum bene fortunatus, aut malè, ſed etiam benè natus, aut malè*, & infrà: *Omnis diſpoſitio ad electionem, quæ eſt ex corporibus cœleſtibus, eſt per modum alicuius paſſionis. Sicut cùm quis inducitur ad aliquid eligendum per odium, vel amorem, vel iram, vel quid huiuſmodi.* Deinde ad idem moueor hac ratione ex doctrina eiuſdem D. Thomæ in præcitatis à me teſtimonijs: Aſtrologi iudiciarij obſeruare poſſunt, cognita hora conceptionis, in quo quiſque ſydere, quo cœleſti ſtatu conceptus fuerit, in quo etiam natus horoſcopo & inde eius temperamentum elicere: ſi quidem Martis aſpectus dicitur efficere bellicoſos, ac feruidos, Saturni ſydus, melancholycos, & tetricos, ceteraq; ſimiliter. Quare cum mores animi corporis temperaturum ſequantur, vt Galænus vno libro in hanc ſententiam conſcripto, & Ariſtot. initio lib. de Phyſiognomia docet, cumq; rurſus magna ex parte homines appetitui, & natiuæ inclinationi, quę humorum quaſi alumna habetur, obtemperent, conſequens erit, vt Aſtrologi ex prædictorum obſeruatione futuros mores deprehendant probabili ſatis ratione, non tamen certò, & infallibiliter. Tum quia ad perfectam cognitionem temperamenti alicuius, multi putant, non ſufficere cognitionem aſtrorum, quia illa non ſunt eius integra cauſa; ſed opus eſſe etiam cognoſcere materiæ diſpoſitionem, & virtutem patris, & matris. Tum quia vt Ptolomæus dixit in centiloquio, & adducit D. Tho. ex illo lib. 3. contr. gentiles cap. 85. & 1. 2. q. 9. ar. 5. ad 3. *Sapiens dominabitur aſtris*; cui conſonat illud Geneſeos: *ſubter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Etenim ſemper vera, & inconcuſſa maneré debet irrefragabilis veritas catholicæ fidei: *aſtra inclinant, ſed non cogunt*: Vnde rectè quidam Poetarum dixit:

Quam falsò accuſant ſuperos, ſtultique queruntur.
Mortales: etenim noſtrorum cauſa malorum
Nos ſumus; & ſua quemque magis væcordia lædit.
Aſtra caue ſpernas, vitam qui ducis ab aſtris,
Aſtra regunt homines, ſed Deus aſtra regit.

Quare, cauſa, ob quam peritiſſimi Aſtrologi iudiciarij multa futura contingentia mores hominum concernentia, licèt alioquin ex libero arbitrio dependeant, veraciter prædicunt, ea eſt, quam tangit D. Th. 1. 2. q. 9. ar. 5. ad tertium: quia ex diſpoſitione corporum cœleſtium cognoſci poſſunt inclinationes appetitus ſenſitiui, cùm ſit potentia corporalis in organo corporeo, & idcircò prædici etiam probabiliter actus voluntarij, eò quòd perſæpè homines ſequūtur inclinationes appetitus ſenſitiui, quamuis alioquin poſſint etiam in ſenſu compoſito ex diuino auxilio eis reſiſtere, & conſequenter fruſtrare omnes Aſtrologorum prædictiones. Quia tamen illud in hac ſententia difficultatem ingerit,

Margin notes: D. Tho. — D. Tho. — S. Thom. — D. Thom. — D. Thom. — D. Thom. — Galenus. — Ariſt. — Ptolom. — D. Tho. — D. Thom.

rit, quomodo ex cognitione temperamenti habita per aſtra poſſit Aſtrologus prædicere, hunc futurum eſſe fortunatum circà honores, & dignitates, quæ à libera aliorum voluntate dependent, quorum temperamentum ipſi non explorant; ideò ad hoc explicandam, obſeruare conſulo

D.Thom.

verba D.Tho.3.cont. gentes. cap. 92. vbi hæc ſcribit: *Dictum eſt enim, quòd ad hoc, quòd homini aliquando benè contingat, vel malè ſecundum fortunam, & ex Deo eſſe, & à corpore cœleſti eſſe poſſe; in quantum homo à Deo inclinatur ad eligendum aliquid, cui coniunctum eſt aliquod commodum, vel incommodum, quod eligens non præconſiderat & in quantum à corpore cœleſti ad tale aliquid eligendũ ſic diſponitur.* hactenus verba D.Th. Quæ ita planè mihi videtur clara, vt explicatione non indigeant, & propoſitæ difficultatis nodum mirifice ſoluant; aduertenter tamen, & conſultò in mea aſſertione dixi, prædicta omnia futura prædici poſſe probabiliter ab Aſtrologis in communi, quia in particulari non debent illa prædicere, vt his verbis expreſsè docuit idem D.Tho.3.contr. gent.c.89. *Aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed vniuerſaliter, quia ſcilicet, impreſſio ſtellarum in pluribus ſortitur effectum, qui non reſiſtunt inclinationi, quæ eſt ex corpore, non autem ſemper in hoc, vel illo, qui forte per rationem naturali inclinationi reſiſtit.* Quare autem non debeat Aſtrologus huiuſmodi futura contingentia in particulari certò, nec probabiliter prædicere, ſed ſolùm in communi, ea certè cauſa eſt, quia exponit ſe periculo decipiendi eos, quorum natiuitates obſeruat, erigendo illos vel in vanam ſpem, vel deprimendo illos in vanum timorem ob felices, vel infelices euentus ſibi in particulari prænunciatos. Atq; ex hac doctrina, quæ tota eſt Diui Thomæ, colligo germanum ſenſum, & intelligentiam conſtitutionis Sixti V. felicis

Sixtus V.

recordationis, editæ anno 1586. in qua prohibet, ne quiſpiam Aſtrologus deinceps natiuitatem alicuius explorans, audeat de futuris contingentibus ab humana voluntate pendentibus aliquid prædicere, etiamſi ſe non certò id affirmare aſſerat. Loquitur quidem Pontifex ibi de prædictione futurorum contingentium in particulari, quæ pendent ab humana voluntate; à qua prædictione D. Thomas docuit præcitato loco debere illum ſe abſtinere propter rationem nuper dictam. Summus ergo Pontifex in eo decreto ſolum prohibuit, & puniri mandauit ab Inquiſitoribus, quod alioquin abſq; eius prohibitione malum erat, & punibile. Quare illa prædicere, quæ D. Thom. in locis à me præallegatis, licitè prædici poſſe ab Aſtrologis, autumat, minimè cenſendum eſt, prohibita eſſe à Sixto Quinto, aut aliquo modo cum eius Conſtitutione pugnare; cum reuera omnia, quæ ibi interdicit, non ſint mala, quia prohibita, ſed potius ab eo prohibita, quia mala; cuius euidens ſignum eſt, quod poſtquàm illa commemorauerat, vocat ea, *deteſtanda ſcelera, & delicta.* An autem aſtronomicæ imagines, quas periti Aſtrologi conficiunt, ad certos, & bonos effectus naturales licitæ ſint, ſententiam Car. Caietani apponam, quam ipſe iudicat, eſſe Diui Thomæ, 2. 2. quæſt. 96. artic. 2. verba Caietani hæc ſunt: *Ad primum*

Caiet.

dubium ſimpliciter videtur mihi, ſaluo meliore iudicio, quòd imagines aſtronomicæ abſq; characteribus, vt corpora artificialia non ſunt, ſed vt effectus ſunt cœleſtis ſyderis (licet miniſterio humano) non ſint damnandæ; & ratio me mouens, eſt, quia impreſſio, verbi gratia, figuræ Leoninæ in auro ſub tali ſydere, opus eſt corporale, ſubiectum Cœlo ſuppoſita executione, & conſtitutio illius imaginis poteſt influxum cœleſtem ſuſcipere, ſicut aggreſſio bellica, quæ voluntaria eſt, & in noſtris conſiſtit actibus, robur ex cœleſti ſydere ſuſcipit in tali tempore. Vnde de Guidone Bonacto Foroliuienſi legitur, quod capta hora ſecundùm aſtrologiam, impetum fecit in hoſtes, & liberauit Patriam; & licèt figura, vt in litera dicitur & benè, nullius appareat naturalis actionis principium, & propterea faciens figuratum, non facit actiuum; quia tamen figura eſt actionis naturalis comprincipium, & diſpoſitio ad formam, quæ eſt naturalis actionis principium; nam ſicut figura hominis eſt conſequens formam hominis, ita ſimilis figura, eſt diſpoſitio in materia ad ſuſcipiendam formam hominis, & figuram cuiuſcumque organi naturalis, putà, cordis, æpatis, manus & interdiſpoſitiones ſunt ad formas organicas, &c. ad operationes, non quatenùs figuræ, ſed quatenus terminationes quædam corporum naturalium. Idea nihil pro-

hil pro-

hil probibere videtur, quin figura, quæ humano miniſterio terminare ponitur tale corpus ſub tali ſydere, ſit velut quædam ſecunda ſtella propter conformitatem ad tale ſydus. Non enim negari poteſt, quin figuræ quædam Cælo approprientur, & quin occulti valde ſint nobis modi cæleſtis influxus. Signum quoque cæleſtis conformitatis eſt; quod aiunt, imaginem, ſub Leone factam prodeſſe non omnibus hominibus, ſed leoninis, & ſic de alijs, tanquam oporteat actiones fieri in patiente proportionato. hactenus Caietanus; cuius ſententiam pariter eſſe D. Thomæ, ex eo liquet, tùm quia l. 3. c. 108. contrà gentiles id expreſſè aſſeruit in hæc verba: *Quia verò figuræ in artificialibus ſunt, quaſi formæ ſpecificæ, poteſt aliquis dicere, quod nihil prohibet, quin conſtitutionem figuræ, quæ ad ſpeciem imagini conſequatur aliqua virtus ex influentia cæleſti, non ſecundùm, quod figura eſt, ſed ſecũdum quod cauſat ſpeciem artificiati, quod adipiſcitur virtutem ex ſtellis.* hæc ille. Tum etiam, quia figuræ, & imagines aſtronomicæ, quas damnat S. Thomas 2. 2. q. 96. art. 2. ad ſecundum, non ſunt illæ, quæ ſolùm habent imaginem, ſed quæ quibuſdam characteribus inſcribuntur; ibidem enim ait: *Vnde etiam imagines, quas aſtronomicas, vocant, ex operatione dæmonum habent effectum, cuius ſignum eſt, quod neceſſe eſt, eis inſcribi quoſdam characteres, qui naturaliter nihil operantur.* Vnde ipſe Caietanus in commentario illius loci, ait de diuo Thoma: *hoc in loco damnare volens author imagines aſtronomicas, non audet eas damnare ſine ſigno ſumpto ex characteribus.* & paulò inferius ſubdit de verbis D. Thomæ loquens: *Quocunque modo hæc verba applicentur, ſat eſt propoſitio, quòd imagines aſtronomicæ non apparent hic damnandæ, niſi per figurarum, & characterum ſigna.* Duo tamen in hac ſententia difficultatem faciunt. Primum eſt, quòd fictitium ſit, & merum commentum, dicere quòd in cœlo ſit figura Leonis, piſcis aut ſimilium animalium: nulla enim ſtella eſt, quæ non habeat figuram ſtellæ: ſtellæ autem figura nihil commune habet cum figura Leonis. Sed hoc parui momenti eſt: quia licet verum ſit nullam ſtellam, leoninam figuram portendere, ex multis tamen ob diuerſitatem ſitus tali modo diſpoſitis reſultat figura Leonis, ſicut ex ſtellis tali modo diſpoſitis videmus in cœlo fieri figuram currus. Secundum alijs difficultatẽ ingerens in eadem ſententia eſt, quod videtur imago, cum ſit quædam figura, non habere naturalem virtutem ad agendum. Sed nec hoc vrget, quia licèt figura non ſit principium per ſe ſola, actionis naturalis, benè tamen poteſt eſſe comprincipium illius, vt patet tum in motu grauium: ferrum enim, ſi lata ſit figuræ, natat in aqua, ſi acutæ ſubmergitur: ecce figuram, quæ coefficit naturalem motum. Tum etiam id clarè patet in inſtrumentis aciem habentibus: figuram enim ſerræ multum quidem valet, multumque operatur ad ſcindenda ligna. Atq; hæc omnia dixerim tantum referens ſententiam Card. Caiet. iudicantis D. Tho. ſecum in eam ſententiã conſentire. Ego verò ſolùm id certò aſſero cum angelico doctore præcitata quæſtione, & articulo in corpore, quòd *in his, quæ fiunt ad aliquos effectus inducendos conſiderandum eſt vtrum naturaliter videantur poſſe tales effectus cauſare, ſic enim non erit illicitum, licet enim cauſas naturales adhibere ad proprios effectus. Vnde ſi naturaliter non videantur poſſe tales effectus cauſare, conſequens eſt, quod nec adhibeantur ad hos effectus cauſandos, tanquam cauſæ, ſed ſolùm quaſi ſigna, & ſic pertinent ad pacta ſignificationum cum dæmonibus inita.* Hæc Diuus Thomas.

D.Thom. | D.Thom. | Caiet. | Caiet. | D.Thom.

Vltimò aſſero, interrogationes, quibus reſpondere ſolent Aſtrologi circa futura contingentia dependentia ab humana voluntate, à theologis reprobari, & meritò: tùm quia id eſt vaticinari ſingularia futura contingentia in particulari, depẽdentia ab humana voluntate, quod illicitum eſt, & à Sixto V. prohibitum vt ſuprà diximus. Tùm quia Aſtrologi dicũt, ad reſpõdendum his interrogationibus, obſeruãdam eſſe conſtellationem temporis, quo interrogans habuit animum interrogandi Aſtrologum; vel certè illud, in quo ſit interrogatio; quia illa cogitatio, & propoſitio interrogandi eſt quædam conceptio: externa vero interrogatio quædam velut natiuitas. Quis autem non videat, quòd de eodem prorſus futuro contingen-

Digitized by Google

ti poſſunt ab eodem in diuerſiſſimis tamẽ temporibus interrogari diuerſi Aſtrologi, in quibus ſanè non erit ſemper eadem ſtellarum poſitio, nec eadem Cœli conſtitutio; vnde neceſſe erit multùm inter ſe variare reſponſiones, & contrariari ſæpè ex contraria Cœli conſtitutione, quam hic Aſtrologus obſeruauit, & non alius? Hinc infero etiam, interrogationes, & reſponſiones Aſtrologorum circa furta, eſſe illicita (vt ſup. dixi) nam in c. ex tuatum de ſortileg. Alexander Tertius ſic ait: *Accepimus, quod presbyter quidam cum quodam infami ad priuatum locum acceſſit, non ea intentione, vt vocaret dæmonium, ſed vt inſpectione aſtrolabij furtum cuiuſdam Eccleſiæ poſſet recuperare. Verum licet hoc ex bono zelo, & ſimplicitate ſe feciſſe proponat, id tamen grauiſſimum ſcelus fuit, & non modicam inde peccati maculam contraxit.* Quare Aſtrologi, qui reſponſa ſua ad has interrogationes vendunt, non poſſunt tuta conſcientia precium retinere, vt docet Gratianus in cap. qui habetis 14. quæſt. 5. dicens: *Ex malo acquiritur, quod ex cauſa turpi poſſidetur: veluti cum Mathematicus ex arte, quam docet, vel ex futuris quæ prænunciat, nonnulla lucratur.* Atque hæc ſufficiant de hac longa digreſſione, &c. *Grat.*

Homilia VII.

Verba Virginis: quodcunque dixerit vobis facite, *explicare incipimus, varia, quæ in illis latent, arcana detegentes.*

MARIANA hæc verba *quodcunque dixerit vobis, facite*, habent ſe inſtar margaritarum, & gemmarũ, quæ ſub exigua quantitate ingentem valorem continent. Breue quidem fuit hoc eloquium, ſed in eo pleraque latent arcana, & documenta Dei Genitricis ſupremo magiſterio digna. Vnde Albertus Magnus ſuper miſſus cap. 117. *Albert. Mag.* inter alia multa argumenta, quibus comprobat, Sanctiſſimæ Virgini deberi excellentiorem aureolam, quàm reliquis omnibus Doctoribus, & magiſtris, hoc ſingulare adducit in hæc verba: *Doctrina prudentum facilior eſt (vt ait Salomon,)* *Prou. 14.* *Sed Beatiſſima Virgo breuiſſimè, & luculentiſſimè omnia prædicabilia vno verbo prædicauit, quando dixit in nuptijs: quodcunque dixerit vobis, facite, qui enim facit, quæcunque filius Dei dixerit, omnia prædicabilia implet; ergo beata Virgo omnia vno verbo prædixit.* In primis namque Sanctiſſima Virgo ſatagebat, per hæc verba: *quodcunque dixerit vobis facite*, ad fidem, *Luca 2.* & fiduciam animos miniſtrorum excitare, nè quidquam de conuerſione aquæ in vinum hæſitarent. Sicut enim ipſa Virgo audiens verba illa: *quid mihi, & tibi eſt mulier?* *Ioann. 2.* de miraculo non deſperauit, nec animo cecidit, quin potius miniſtros admonuit facere, quod Chriſtus eis præciperet, vnde Diuus Bernardus de gra- *D. Bern.* dib. ſuperb. gradu 12. dixit: *Diſce matrem Domini, magnam in mirabilibus fidem habere: non defuit pietati fides, efficacia voto;* ita illa eandem fidem, & fiduciam, quã in ſe habebat, in miniſtrorum animis gignere ſollicitè curauit, vt his verbis perdoctè diſſerit Rupertus Abbas lib. 3. in *Rupert.* Ioannem. *Voluntatis eius conſcia, & de potentia eius non dubitans, oportuna commonitione miniſtrorum animos præparat; videlicet, ne id quod præcepturus erat, amẽtiæ reputarent, nondùm veram eius experti virtutem. Nam & propinqui eius, cum Apoſtolos eligeret, & omnia quibuſdam mutata imponeret, exierunt (inquit Marcus Euangeliſta) vt tenerent eum, dicentes: quia in furorem verſus eſt. Itaque ſollicita præmonet, vt non diffidentes, aut etiam irridentes indigni fierent gratia miraculi; ſed præcepto parentis viam facerent manifeſtandæ gloriæ Dei.* hæc Rupertus. Non ignorabat quidem Beata Virgo magni momenti eſſe fidem, ad hoc, vt Chriſtus Dominus miracula patraret. Vnde D. Mar- *Marc. 6.* cus cap. 6. refert, nullam virtutem facere potuiſſe in Patria, exceptis quibuſdam infirmo-

Digitized by Google

firmorum curationibus, propter incredulitatem habitantium, & c. 9. narrat, quòd (*Marc.* 9.) cum pater ille, qui filium habebat arreptitium, Chriſto diceret: *ſi quid potes, adiuua uos, miſertus noſtri*, Dominus ei reſpondit: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*: & Matth. 15. legimus dixiſſe (*Matth.* 14.) Chananææ: *mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi, ſicut petiſti*. Agnoſcens igitur Deipara Virgo optimam diſpoſitionem eſſe fidem indigentium, ad hoc, vt Chriſtus Dominus miraculosè eis ſubueniret, idcircò fidem ſuadebat miniſtris; vt egregie adnotauit D. Aug. ſerm. 2. Dominicæ (*D. Aug.*) 2. poſt octauam Epiph. qui eſt quadrageſimus primus de tempore. *Quàm benè* (inquit) *mater Domini credulitate ſuadet miniſtris, vt non deſint vina prandentibus*. Etenim licet in miraculis, quæ totaliter ordinantur ad manifeſtandam gloriam Dei, non ſoleat Dominus exigere fidem ab hominibus, immò ipſis inuitis illa patrare aſſueſcat, vt apertè conſtat ex illo Iſaiæ: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, ſiue in profundum inferni, ſiuè in excelſum ſupra*, quod quia Achaz petere renuit dixit Iſaias, Achaz moleſtum eſſe Deo: *vt quid moleſti eſtis Deo meo?* Hoc autem ideo erat, quia Deus tunc volebat facere miraculum ad oſtenſionem gloriæ ſuæ, Achaz autem id renuebat. Vnde ſubditur ab ipſo propheta; *propter hoc ipſe Dominus dabit vobis ſignum*. hoc eſt, quia vos non vultis petere ab eo, ipſe ſe ingeret, & dabit vobis illud, etiam nolentibus recipere. In miraculis autem, quæ Chriſtus Dominus patrabat in hominum vtilitatem, ſemper vel vt in plurimum, præuiã fidem ab eis exigebat, ne de rei euentu quidquam diffiderent. Beata igitur Virgo volens à cordibus miniſtrorum omnem hæſitationem, aut dubitationem remouere, monuit illos: dicens: *quodcumq; dixerit* (*Luca* 2.) *vobis facite*: ac ſi apertius diceret: licèt vobis videatur impoſſibile, vt ex aqua miſſa in hydrias hauriri poſſit vinum, obedite ei, & fiduciam habete, & fiet vobis.

Intendit etiam B. Virgo per hæc verba: *quodcumq; dixerit, vobis facite*, miniſtris obedientiam ſuadere. Non enim in hoc, vel in illo, ſed in omnibus indiſcriminatim. Dæmonis ingenium illud eſſe nouimus, vt de mandatis Dei ſemper aliquid detrahat; beata autem Virgo nihil detrahendum monet. Experta eſt Eua huius nequiſſimi hoſtis artem: nam cùm diabolo ſub forma ſerpentis eam interroganti: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno?* (*Gen* 3.) illa reſpondente: *ne fortè moriamur*, continuò ipſe dixit: *nequaquam morte moriemini*. Ecce à præcepto abſtulit pœnam tranſgreſſionis à Deo præſcriptam, nempè mortem. E contrà verò agnoſcens B. Virgo mortem, ingreſſam in orbem terrarum per detractionem diuini præcepti, ipſa vitam introducere ſatagens, perfectam in omnibus diuinorum mandatorum obedientiam monet; dicens: *quodcumq; dixerit vobis, facite*. (*Luca* 2.) Oportet quidem in mandatis Dei exequendis, nec per exceſſum, nec per defectũ Dei voluntatem tranſgredi. Facultatẽ fecit Dominus Adæ, vt ex omni ligno Paradyſi comedere poſſet, excepto arbore ſciẽtiæ boni, & mali; Adam verò ampliauit, & (*Gen.* 2.) extendit facultatem illam ad omnẽ arborem abſq; vlla exceptione: ecce exceſſum. E contra verò iubente Deo Sauli: *pereute* (1. *Reg.* 15.) *Amalech, & demolire vniuerſa eius, nõ parcas ei, ſed interfice à viro, vſq; ad mulierem & paruulum, atq; lactentem, bouem, & ouẽ, camælum, & aſinum*; ipſe quidem non quodcumq; Dominus illi dixit, fecit, ſed multò minus: pepercit enim Regi Amalech, & optimis gregibus ouium. Ecce inobedientiam per defectum, in cuius pœnam proiectus fuit, ne vltrà regnaret; quia minus fecit, quàm Dominus præceperat. Rurſus, opinor quoq; B. Virginem per hęc verba, ſignificare nobis voluiſſe, illud latum eſſe diſcrimen inter obedientiam Deo debitam, & eam quæ exhiberi debet hominibus: quod ijs, cum ea, quæ lege diuina prohibita ſunt, præcipiunt, minimè obtemperandum eſt, quia, vt dixit D. Petrus: *Obedire oportet Deo magis, quam* (*Act.* 5.) *hominibus*. & D. Paulus inquit: *omnis po-* (*Ad Rom.* 3.) *teſtas à Deo eſt, & ordinata eſt*; manifeſtum autem relinquitur, quod poteſtas, quæ per diuinam legem vetita, fieri iubet, inordinatiſſima eſt, atque adeò nulla ratione ei parendum. Quare cum idem D. Paulus ad Coloſſ. 3. ait: *obedite paren-* (*Coloſſ* 3.) *tibus per omnia*, amplum hoc verbum: *per omnia*, intelligendum eſt iuxtà expoſitionem Diui Anſelmi, quòd *filij debent* (*D. Anſelm.*) *obedire parentibus per omnia in Domino*. Si

 autem

autem facerent, quæ ſunt diuinæ legi aduerſa, ſatis liquet, quòd non obedirent in Domino, ſed, contra Dominum. Verum tamen eſt, quòd cùm ea, quæ præcipiuntur à Prælatis, dubia ſunt, bona ne, an mala ſint, etiamſi ſubditus magis propendeat in eam opinionem, quòd mala ſint, Prælato parere debet; etenim autoritas Prælati vices Dei gerentis tanti ponderis eſt, vt licèt alioquin, ſi quiſpiam dubitans aliquid bonum, vel malum eſſe ſuſpicans potius malum, quàm bonũ, illud amplecteretur, ſine dubio peccaret, quia exponeret ſe periculo faciendi malum: præcipiente tamen Prælato illud, quod dubium eſt facere, etiamſi ſubditus magis ſibi perſuadeat, malum eſſe, quam bonum, non ſolùm non peccat, ſed obediendo rem gratam Deo facit. Atq; propter hanc rationem exiſtimo, Ioab, qui (vt habetur 1. Paralyp. 21.) ex Regis Dauid mandato populum numerauit, non peccaſſe, quia quãuis Dauid illi præcepiſſet, quod dubiũ erat bonum ne, vel malum eſſet, immò magis exiſtimaretur eſſe malum, quia nulla apparebat cauſa id faciendi; tamen quia propter regiam Dauidis autoritatem in tali dubio Ioab ei obedire debebat, merito à peccato excuſatur, Ea tamen eſt ſuprema Dei optimi maximi autoritas, vt etiamſi ea, quæ tanquam mala omnium conſenſu iudicantur præcipiat, omnino ei parẽdum eſt: etenim cùm ſit fons totius bonitatis, ſuo præcepto, quæ alioquin mala eſſent, bona facit. Præcepit olim Deus Abrahæ vt proprium filium ſibi immolaret: nihil fanè, & crudelius, & facinoroſius, quàm Patrem proprij filij occiſorem fieri. Abraham verò ſummæ obedientiæ vir manum extendit ad occidẽdum illum, quod adeò placuit Deo, vt continuò audiret: *nunc cognoui, quòd timeas Deum*, multiſq; beneficijs obedientiam eius remuneraret. Similiter etiam, cùm Dominus iuberet Oſeæ, vt accederet ad mulierem fornicariam, & faceret filios fornicationis, licèt alioquin id, ſi ab homine præciperetur, turpe fuiſſet, & nulla ratione exequutioni mandandum: diuina tamen iuſſione bonum, & licitum factum eſt; quare Oſæas diuino obediens præcepto meritum habuit apud Dominum, nihilq; inhoneſtum commiſit. Vnde Rupertus Abbas lib. 1. Comment. in Oſæam, eleganter, & ſapienter dixit: *Non ſua libidini, ſed ſuperno imperio ſeruiuit, quo iubente etiam eorum, quæ turpia ſunt, vel inhoneſta, nihil fieri turpe, aut inhoneſtum eſt*, & infra ſubiungit: *Non culpandus eſt propheta, ſi meretricem conuertit ad pudicitiam, ſed potius laudandus: etenim ſicut ceruus venenum ex antro trahens halitu ſuo illud purgat; ſic ſanctus propheta Oſaas ſua conuerſatione mulierem fornicariam à libidine detraxit:* quia vt dixit D. Thomas 1. 2. q. 100. ar. 8. *acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundùm mandatum diuinum.* Atq; huc etiam facit, quod in Geneſi legimus, filios Iſrael ex Aegyptiorum diuitijs multa precioſa pignora, & ſpolia ſecum tuliſſe, in quo nullum commiſerunt furtum, aut rapinam, quia diuina iuſſione hæc fecerunt. Etenim, cùm Deus Optimus Maximus habeat, iure creationis ſupremũ omnium dominium ſuper omnes creaturas, liberè poterat auferre vitam Iſaacho, & mulierem alienam, facere propriam Oſeæ, & diuitias Aegyptiorum, ab eis auferre.

1. Paral. 21.

Gen. 22.

Ibidem.

Oſea 1.

Rupert.

D. Thom.

Ad hæc B. Virgo, magiſterium filij ſui cupiens omnibus manifeſtari, vt ex doctrinæ eius fluentis arida infidelium corda irrigarentur, voluit vt Chriſtus Dominus, qui teſtimonium Patris, voce illa cœlitus delapſa, habiturus erat: *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite*, haberet etiam teſtimonium matris miniſtris dicentis: *quodcumq; dixerit vobis facite*. Vnde, ſicut ea tunc æterni Patris intentio erat, palam omnibus facere diuinitatem filij ſui, & ad illum audiendum eorum animos allicere, ſic matris à Patre minimè degenerantis, ea in illis verbis intentio fuit, vt filij omnipotentiam manifeſtaret, & ad eius magiſteriũ, & imperium gratanter ſuſcipiendum, miniſtros illos, & nos omnes prouocaret. Itaq; ſicut æternus Pater illis verbis: *hic eſt filius meus dilectus, in quò mihi benè complacui, ipſum audite*, quaſi ſigillauit Chriſtũ, tanquam verũ Meſſiam: vbi enim noſtra vulgata, Ioann. 6. ait: *hunc Pater ſignauit*: græcus interpretes vertit: *hunc Pater ſigillo notauit*; ita, & Virgo illis verbis: *quodcumque dixerit vobis facite*, teſtimonio ſuo, licet aliòquin materno, omni tamen exceptione maiore propter notiſſimam eius ſanctitatem, Chriſtum Dominũ ſignauit, & ſigillauit, tanquam verum Meſſiam

Matth. 17.

Luca 2.

Ioan. 6.

Meſſiam,cui in omnibus,quæcumq; dixiſſet incunctanter obediendum erat.

Quid plura? Sanè B.Virgo his verbis: *quodcunq; dixerit vobis facite*, hunc ſcopum reſpexit, vt miraculum Chriſti Domini manifeſtius omnibus appareret, & abſq; vlla tergiuerſatione ſuſciperetur: etenim arbitror ipſam præuidiſſe Chriſtũ Dominum non aliter facturum cum miniſtris,quàm olim Deus fecerat cum Moy- Exod.4. ſe. Voluit quondam Deus ſuam virtutem Moyſi manifeſtare,& cùm ipſi Moyſes virgam manu teneret, tunc Deus ſic incœpit illum interrogare: Ibid. *quid eſt, quod tenes in manu tua? reſpondit: Virga*. Non latebat Deum,quòd virga erat illud, quod Moyſes manu tenebat, voluit tamen ſic illum interrogare, vt ſibi clarè conſtaret, virgã eſſe, & ſic deinde miraculum in virga factum melius cognoſceret. Vnde poſteà dixit Moyſi: Ibid. *projice eam in terram; proiecit, & verſa eſt in colubrum*. Moyſes autem vidẽs virgam,quam tenebat manu, colubrũ factam,ita admiratus,ac timore affectus fuit vt fugeret. Non diſſimiliter videtur Chriſtus ſe geſſiſſe in his nuptijs,cùm illarum miniſtris,dum iuſſit illos hydrias aqua implere, quia hac ratione certi facti aqueo liquore eas eſſe plenas, cum ipſi manibus ſuis aquam infudiſſent, eaſq; vſq; ad ſummum impleſſent,clarius & manifeſtius eis pateret ſtupendum conuerſionis portentũ. Atq; ad hunc eundem ſcopum (vt nuper dicebam) B. Virgo reſpiciens,vt erat gloriæ filij ſui auidiſſima, monebat miniſtros ſub illis verbis: *quodcunq; dixerit vobis, facite:* vt cum iuberentur à Chriſto hydrias aqua implere, continuò id executioni mandarent, vt ſic manifeſtius miraculum conuerſionis aquæ in vinum omnibus innoteſceret. Etenim inter multa,quæ Chriſtum Dominum apud homines glorioſum reddiderunt, miracula magni momenti ſemper fuerunt, & ideò in ſacris literis, *ſigna*, dici conſueuere, quibus Pater Chriſtum ſignauit, Meſſiamq; & Deum verum eſſe mundo oſtẽdit. Vnde Nicodemus his ſignis videns Chriſtum Dominum ſignatũ Ioan.3. à Deo miſſum intellexit. *Scimus* (inquit) *quia à Deo veniſti magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo*. atq; ad id mirificè faciunt Cant.5. verba ſponſæ, Cant. 5. Meſſiæ manus ſic deſcribentis: *Manus eius, tornatiles aureæ plenæ hiacynthis*. manus Chriſti, torno affabrefactas dicit, quia opera eius perfectiſſima erant: aureas verò,illas nuncupat, quia theandricæ erant, hoc eſt, non ſolum hominis, ſed diuini ſuppoſiti,per aurum ſignificati, ex illo namq; & humanitatis argento (quæ duo metalla, omnia alia ſuperant) diuinum illud electrum, Chriſtus ſcilicèt Dominus conflabatur. Plenas, deinde hiacynthis,illas appellat,hoc eſt an nulis,quib⁹ hiacynthi precioſi lapides,coloris cœleſtis includebantur; hos autẽ annulos arbitror eſſe miracula, quibus manus eius fulgebant, inſtar hiacynthi cœleſtem colorẽ habentis; quoniam Cœlorum indicabãt Regem in terris verſantem, qui non extrinſecùs emendicata, ſed propria virtute miracula edebat. Olim ingreſſus eſt Aegyptum Moyſes, miraculaq; multa in ea patrauit,non tamen propria,ſed aliena, Dei nempe virtute. At Chriſtus ingreſſus eſt mundum, & in eo multò plura fecit ſigna non alienæ, ſed ſuæ potentiæ virtute. Moſes virgam à Deo acceptam ferebat, per quam miracula faceret,iuxta illud, Exod.4. *Virgam hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna*; Exod.4. Chriſtus virgã non ferebat,nihil enim ei opus erat; quippè qui ad facienda ſigna poteſtatem excellentiæ haberet. Moſis miracula Aegyptijs exitium,Chriſti miracula mundo ſalutem attulerunt. Moſes Aegypti primogenita occidit,Chriſtus mortuos in vitam reuocauit. Moſes Aegyptum tenebris cõpleuit, Chriſtus doctrinæ ſuæ ſplendore Mundum illuſtrauit. Moſes ranas,& cyniphes Aegypto inuexit,Chriſtus dœmones expulit. Moſes peſte animantia confecit, Chriſtus ſanitatem hominibus contulit. Primum Moſis miraculum,poſtquam in Aegyptum ingreſſus eſt, conuerſio quædã fuit: fuit etiam primum Chriſti miraculũ publicè patratum,alia conuerſio, ſed Moſis conuerſio, Aegyptijs fuit pernicioſa, Chriſti verò conuerſio, conuiuis fuit vtiliſſima. Moſes aquã fluuij Nyli in ſanguinem conuertit, nè potari poſſet, Chriſtus aquam in vinum commutauit, vt ſuauius ad potum deſeruiret. Conſueuit autem Chriſtus Dominus frequenter miracula facere,non ſolùm ad oſtentandã ſuam potentiam,ſed etiam, vt nouitate portentorum, ad fidem videntes illa conuerteret. Vt enim dixit D. Greg. *ad hoc viſibilia* D.Greg.

 mira-

miracula coruſcant, vt corda videntium, ad fidem inuiſibilium pertrahant. Miſit quidem Deus olim Moſem, vt ſuprà dixi,in Aegyptum,vt Iſraelitas a ſeruitute liberaret; at ille,Exod.4.reſpondit: *Non credent mihi, neq; audient vocem meam, ſed dicent:non apparuit tibi Dominus,* Dominus verò ad fidem Populi conciliandam,miracula edere iuſſit, primùm quidem,virga in colubrum verſa eſt, *vt credant* (inquit Deus) *quod apparuit tibi Dominus:* Deindè manus in ſinum miſſa lepram contraxit,quæ poſteà ſanitati ſubitò eſt reddita,& aqua fluminis in ſanguinem tranſmutata. *Si non crediderint* (inquit) *tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris,credent verbo ſigni ſequentis. Quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis, & effunde eam ſuper aridam, & quicquid hauſeris de fluuio,vertetur in ſanguinem.* Ecce per multa miracula faciebat Dominus ad fidem conciliandam. Atq; hinc eſt, quòd D.Auguſtinus acutè adnotauit ſerm.41.de verb.Domini, Chriſtum Dominum non annuiſſe petitioni diaboli ab eo poſtulantis conuerſionem lapidum in panes,quia non ſperabat ab eo fructum fidei. Verba eius ſunt hæc: *Non fecit Chriſtus de lapidibus panes, qui vtique ſic potuit facere,ſic vt de aqua vinum,eiuſdem enim potētiæ eſt,facere de lapidibus panem, ſed non fecit, vt voluntatem contemneret tentatoris. Aliter enim tentator non vincitur,niſi contemnatur;qui ergo tantum poterat,quare illud nō fecit,& hoc facit? recole,quando fecit de aqua vinum,quid addidit Euangeliſta: & crediderunt in eum Diſcipuli eius, nunc quid tunc Diabolus fuerat crediturus?* hæc ille.

Exod. 14.

D. Aug.

Quare autem Chriſtus Dominus pauciſſima nunc miracula edat glorioſus in Cœlo, mortali tamen carne indutus, innumera tunc portenta patrabat? rationem reddit egregiam D. Chryſoſt. homilia quartadecima ſuper Matthæum, in hæc præclara verba: *Ingreſſus Chriſtus in ſynagogas, non modò prædicabat, verùm etiam ſigna edebat; quando enim nouum fit aliquid,& inopinatum, ac politia cuiuſdam introductio, ſigna Deus facere conſueuit præſtans quædam pignora potentiæ ſuæ ijs, qui legem eius accepturi ſunt. Iudæis cùm legem eſſet daturus,prius mirabilia illa, & prodigia magna oſtendit, ac tùm demum eis præcepta legis impoſuit. Ita hic quoq; cùm ſublimem quandam viuendi introducturus eſſet diſciplinam, & quæ nunquam ab illis fuiſſent audita, authoritatem mandatis ſuis perſtruxit claritate ſignorum.* Cui ſit honor, & gloria, &c.

D.Chryſ.

Homilia VIII.

Illa eadem verba Deiparæ Virginis, quodcumque dixerit vobis facite, *quibus Chriſto obediendum conſuluit, elucidantur, multaque obedientiæ, præcipuè tàmen cœnobiticæ præconia, & vtilitates proponuntur.*

MVLTA certe,eaq; præclara Deiparæ Virginis præconia in propoſitis verbis, *quodcumq; dixerit vobis,facite,* mihi deteguntur, fides quidem inconcuſſa, quia vt rectè aduertit Cyrill. lib. 2.in Ioannem cap. 22. omnia credidit filio poſſibilia, non vt pecunias ad emendum erogeet, non vt ſponſo, & conuiuis tœdium, quo ob vini defectum, affici poterant,verbis conſolatorijs eximar,vt ineptè aliqui hæretici commentantur; ſed vt ſua potentia,qui filius Dei eſt, ſit ſubſidio precatur;ſed nec minor fuit prudētia,quā verbis Bernardi ſuper Cantic. ſerm. 46. explicare poſſumus: *Vinum* (inquit) *non habent,non precatur Dominum, non imperat filio, defectum vini tantum nunciaſſe contenta, cùm ita ſit agendum cùm beneficis,& ad liberalitatem propenſis; non enim gratia violenter exprimenda,ſed proponenda occaſio: nec nunciat, vt ignaro; quem enim filium Dei credebat, omnia ei nota eſſe,non dubitabat; ſed ſimul, dum nunciat, tacitè ſuam interponit interceſſionem.*Simile quid Ioann. 11. de illis ſororibus legitur; *Ecce, quem amas, infirmatur.* Quid quod ſingularem ſuam miſericordiam oſtentauit, dum defectus vini miſeriam ſuble-

Lucæ 2.

D. Cyrill.

D. Bern.

Ioann. 11.

ſubleuare ſatagit. Deinde fiduciam magnam Virginis quis non agnoſcat, dum Chriſto ſibi reſpondente: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* quibus repulſam ei dare videbatur, ipſa firmiſſime ſperauit Chriſti Domini animum eius precibus inclinatum? Vnde Diuus Chryſoſtomus, Cyrillus, Theopbylactus, & Eutymius obſeruarunt Beatam Virginem ex reſponſo Chriſti intellexiſſe, eum minimè ſignificaſſe nolle ſe facere miraculum, ſed potius facturum eſſe. Vnde, & Iuuencus cecinit, lib. 2. Euangelicæ hiſtoriæ.

D. Chryſoſt. D. Cyrillus. Theophil. Euthym.

Iuuencus.

Menſarum hinc inde vocat lætata miniſtros.

Ecce lætatam ait Virginem, ob Chriſti reſponſum, quia cognouit annuere eius petitioni. Quod ſi vt Venerabilis Beda opinatur, Deipara putaſſet, tunc Chriſtum Dominum recuſaſſe eius preces, adhuc eadem Virginis fiducia magis effulſit, quia ſperauit in ſpe contra ſpem; ſciens enim illum miſericordem, ac benignum perſeuerauit, ſperans commiſeratione tandem flectendum. Oſtendit deinde Beatiſſima Virgo in prædictis verbis ſe excellenti dono prophetiæ præditam eſſe, manifeſtè enim præcognouit Chriſtum Dominum facturum eſſe miraculum de vino conuiuis prouidendo; ſed & modum, quo facturus illud erat, per conuerſionē, ſcilicet aquæ in vinum minimè ignorauit. Quorſum enim illa Miniſtris diceret: *Quodcunque dixerit vobis facite*, niſi quia ſciebat fore, vt filius eius iuberet illos hydrias implere aqua: rectè enim poterat, taliter miraculum patrare, vt Miniſtrorum opera non deſideraretur. Quare licet non defuerint, qui in eam abierint ſententiam, vt putarent inter Chriſtum, & Virginem patrandum miraculum fuiſſe communicatum, & Chriſtum Dominum ei dixiſſe, vt illud ab eo expoſceret; doctiſſimi tamen Maldonati, & aliorum Doctorum, in cap. 2. Ioan. mibi magis arridet ſententia, aſſerentium Beatam Virginem ſpiritu prophetico id cognouiſſe. Ac tandem, vt Auctor eſt Cardinalis Toletus in Commentario huius loci, Beatiſſima Virgo manifeſtauit in illis verbis mirabile donum intellectus, quod à Spiritu ſancto eius ſponſo cumulatiſſimè acceperat, ex quo, & aſſidua ſacrarum Scripturarum lectione nouerat, Deum olim

Beda hic.

Maldonat.

Toletus.

in miraculis, & operibus ſuæ potentiæ faciendis, aliquid, quod humano iudicio repugnabat, admiſcuiſſe. Vt enim aquas, ſanas faceret, ſalem iuſſit infundi. 4. Reg. 2. Vt ferrum etiam ex aquis extraheret, lignum aquis iuſſit iniici, quo magis videbatur in profundum ferendum. 4. Reg. 6. Vt aquas amaras dulces redderet, lignum præcepit immitti, quo alioquin dulces amaricantur. Exod. 12. Similiter vulnus Ezechiæ (vt habetur Iſai. 38.) ex ficis cataplaſmate confecto ſanauit: ficus autem potius nocet vulneribus. Ac tandem Ioan. 9. luto, quod ad excœcandos oculos valet, ad illuminandos illos vſus eſt. Ecce quæ contra rem faciebant, apponi videbat, vt in eo virtus diuina, magis Innoteſceret, quod & in enarratis, & multis alijs exemplis factum ſcriptura commemorat. Coellegit ergo Beata Virgo diuino lumine edocta, aliquid ſimile nunc faciendum, vt ſe eundem Deum, qui illa fecerat, palàm demonſtraret, & ideò diſpoſuit homines, ne qui Chriſti virtutem nō nouerant, audientes, quæ rei parùm commoda videbantur, fortaſſe iuſſa eius aſpernarentur. Rurſus cùm per Miniſtros vinum eſſet diſtribuendū, & munus ipſorum hoc eſſet, ad eos Ieſum ſe cōuertēdum non dubitauit, vt factum eſt in vtroque; nam Miniſtris Chriſtus imperauit, & rem, quæ ridicula, & non neceſſaria videbatur, iniunxit. Cur enim vino cum indigerēt, aqua hydrias vſque ad ſummum iubet impleri? certè quia non aliter virtus diuina manifeſtanda erat. Habemus huius rei exemplum, quanquam imperfectum, 4. Reg. 5. Venit Naaman leproſus ad Heliſeum, vt ſanaretur à lepra: Propheta rem, quæ videbatur inutilis, homini impoſuit, nimirum, vt ſepties lauaretur in Iordane, quod ille contemnens ſanitatem non eſt conſequutus. Accedunt ſerui eius, & vt faciat iuſſa, exhortantur, dicentes: *Pater, & ſi tibi rem grandem Propheta dixiſſet facere debueras.* Obediuit ille, & diuina mundatus eſt virtute. Beata Virgo longè ſapientior his ſeruis præuenit, nec vt iubeatur expectat, ſed iuſſa anteuertens, hortatur, & dicit: *Quodcunque vobis dixerit, facite*, quaſi diceret, quodcunque vobis graue, quodcunque licet inutile viſum fuerit, facere non recuſetis. hæc eſt eximia, & prudens miſeri-

4. Reg. 2.

4. Reg. 6.

Exod. 15.

Iſai. 38.

Ioan. 9.

4. Reg. 5.

Ioan. 2.

Digitized by Google

ſericordia, quæ ne homo in malum incidat, præuenire nouit. Quod autem, quæſo vtilius conſilium vobis Auditores, dare potuit Beatiſſima Mater, & Virgo, quam iſtud: *Quodcunque dixerit vobis facite?* quaſi dicat: non tantum credite, ſed facite, eius mandatis obtemperantes. Etenim nihil eſt, quod in omni benè adminiſtrata Republica, & in quacunque hominum cœtu, æquè neceſſarium ſit, vt & virtus effloreſcat, pax vigeat, & charitas in dies creſcat, quàm præſtita Magiſtratibus obedientia. Hanc in militibus duarum Tribuum, & dimidio expertus Ioſue longo tempore ampliſſimis eos condecorauit laudibus: *Feciſtis* (inquit) *omnia, quæ præcepit vobis Moyſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis*. Magis deinde donatos muneribus, & bonis precationibus ſalutatos in terram ſortis ſuæ trans Iordanem eos ire iubet: id enim illa verba ſignificant: *Benedixitque eis Ioſue, & dimiſit eos*.

Ioſue 1.

Hinc facilè erit perſpicere, quàm vtilis ne dum neceſſaria ſit obedientia ijs, qui ſub Chriſto militant, cuius iuſſa nihil æquitati, aut veritati contrarium continent, immò ad cœleſtem nos promouent beatitudinem. In obſequio tanti Principis, qui viuunt, non trans Iordanem mittentur, vbi mors graſſatur, & omnia corruptioni ſubiecta ſunt, ſed ad beatas illas ædes, vbi nullæ ſunt viciſſitudines, nulla rerum delectabilium permutatio, ſed æterna, & immortalis fœlicitas. Hanc virtutem obedientiæ, Chriſtiano ſenſu philoſophantes, multiplici ex capite efferunt, & extollunt; ego autem ab illo Pſal. 39. loco à Patribus multum decantato, primum eius laudes, & vtilitates petendas cenſui: *Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. In eo, quod audis: *Aures autem perfeciſti mihi*: aut iuxta translationem D. Hieronymi, *Fodiſti, vel perforaſti*. perfectæ obedientiæ vis exprimitur, ſicut & in illis verbis: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autē non contradico, retrorſum non abij*, perfectæ ſeruitutis indicium, aut ornamentum ſignificatur. Auris namque ſeruorum, qui ſe Dominorum ſeruituti perpetuæ vltrò mancipabant, ſubula in lege profodiebatur; ſic iuſti hoc ipſum præſtant, dum ſempiterna ſeruitute ſponte ſe Deo mancipāt.

Pſal. 39.

Iſai. 30. 53.

Secundo, obedientiæ non modicam laudem continere mihi videntur verba illa, 1. Reg. cap. 15. *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? melior eſt obedientia, quam victimæ; & auſcultare, magis quàm offerre adipem arietum*: Scio verba hæc hunc ſenſum ſuſtinere, nimirum melius eſſe, omiſſis victimis non demandatis, facere quod Deus præcepit, quam omiſſo diuino præcepto, offerre victimas neceſſarias, aut etiam prohibitas, ſicut fecit Saul. Sed Diuus Gregorius libro 3. Moral. cap. 10. aliam intelligentiam adhibet, in eo principio fundatam, quod oblationis dignitas multum ex rei oblatæ dignitate penſanda eſt. Vnde quia per obedientiam iuſtus ſeipſum totum Deo immolat, per victimas verò carnes animalium offert, ideò melius eſt obedientia, quàm victima. Verba D. Gregorij hæc ſunt: *Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quiſque Deum citius placat, quantò ante eius oculos repreſſa arbitrij ſui ſuperbia gladio præcepti ſe immolat*. Sapienter ſanè D. Gregorius totum hominem per obedientiam Deo immolari docet; quia dum quis voluntatem ſuam; Reginam virium reliquarum, & membris omnibus imperantem, immolat; nihil non Deo ſubiectum ſibi reſeruat: nec me latet, victimarum oblationem ad virtutē Religionis pertinere, quæ omnium virtutum moralium eſt præſtantiſſima; ſed tamen negari non poteſt, quin & obedientia voto firmata, præclarum ſit Religionis opus, quæ cum ex alia parte rem potiorem victimis offerat, non mirum ſi Dominus eam excellentiorem victimis cenſeat. Quod ſi ad alias virtutes morales obedientia comparetur, ſine dubio reliquarum omnium victimas in eo præcellit, quòd illi offerunt ſacrificia, obedientia verò holocauſtum, quia nihil non Deo conſecratum relinquit. Paupertas, opes immolat, caſtitas carnem mactat; obedientia verò corpus hominis, & appetitiones eius, & voluntatem, & iudicium, & bre-

1. Reg. 15.

D. Greg.

breuiter Deo omnia hominis bona ſubmittit. Quapropter veriſſimè Anſelmus bonum ſæculare homini comparat, Domino ſuo fructus cuiuſdam arboris offerenti; Religioſum verò non tantum fructus, ſed & arborem ipſam donanti, ille dicit: En Domine fructus vitæ meæ tibi trado: hic verò ait: & ego non tantum opera,ſed & me ipſum totum tibi committo, vel dicit, (vt verba huius Doctoris in medium proferam:) *Domine mea hactenus poteſtatis eram, quodque mihi libebat, bonum, malumuè faciebam. Verum quia tuus omninò debeo eſſe, tibique ſoli tantum bona opera fructificare, me totum tuæ trado poteſtati, vt amodò tibi fructificem. Quod vt melius tibi facere valeam, me vni ex Eccleſiæ tuæ Prælatis libenter ſubdam, qui me cuſtodiens, ea tantùm opera doceat agere, quæ tibi nouerit magis placare*. Illius ergo meritum, quaſi ſacrificium eſt, iſtius verò labor,quaſi holocauſtum exiſtit. Cui profectò illud congruit, quod Eccleſiaſticus de Regio Vate ſcripſit: *Quaſi adeps ſeparatus à carne,ſic Dauid à filijs Iſrael*. Ille ſcilicet ſæcularis, eſt ſicut caro ſacra Deo in hoſtia pacifica oblata, quæ partim in vſum Sacerdotis cedebat, partim ab ipſo offerente cum gratiarum actione comedebatur; at hic ſcilicet Religioſus obediens, eſt ſicut adeps multo ſacratior, quem totum ignis in Dei honorem aſſumebat; atque adeò obedientis vita verum eſt holocauſtum, & obedientia, illum planè beatum facit, quoniam ſimilem beatis ſpiritibus,& toto tempore deditum, & illi cõſecratum conſtituit.

Anſel. lib. de ſimil. c. 84.

Eccleſ. 47. 2.

Tertiò,quis neſciat encomium illud ſingulare Salomonis, dum obedientiam docet hoſtium victricem eſſe? *Teſtis mendax peribit, vir obediens loquetur victorias*. Prouerb. 21. nomine teſtis mendacis, Venerabilis Beda in Comment. huius loci inobedientem intelligit, dicens: *Qui ſe Dei ſeruire teſtatur, nec factis dicta exequitur peribit*; hoc eſt; qui verbis, aut habitu ſe Deo obedientem exhibet, vita tamen, & conuerſatione non obedit, perditionem ſibi parit,quia ex eo, quòd obediendo victoriam de hoſtibus non aſſequitur, conſequens eſt, vt victus ab illis ab æterna ſalute repellatur; at vir obediẽs perpetuò loquitur victoriam, quotidie nouas de ſuis hoſtibus palmas reportat,& cum Sancto Dauide canit: *Venite, audite, & narrabo omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*. Meritò verò victorias obedientia, non ſibi, licet ipſe eas aſſequatur, ſed Deo attribuit, quoniã non ſolis ſuis viribus, ſed virtute Dei præcipuè eas de hoſtibus acerrimis adeptus eſt, iuxta illud Pauli: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*.

Prouerb. 21.

Pſalm. 65.

1. Cor. 15.

Verùm, vt agnoſcamus, quam multiplex ſit obedientiæ victoria, oportet ſupponamus, multiplices eſſe hoſtes nos demoliri, ac expugnare ſatagentes, vt his verbis docuit D. Ambroſius ſuper Pſalm. 118. ſerm. 11. *Non ſuperfluo Dauid diuinum quæſiuit auxilium,qui ſciebat ſibi aduerſus fortes eſſe certamen, pluraque ſibi prælia præparata dimicaturo, nunc aduerſus nequitias ſpirituales,quæ ſunt in cæleſtibus, nunc aduerſus calorem ſanguinis, & innumeras corporis huius illecebras, quarũ nexu vario, & diuturna colluctatione laxatus pudendo corruiſſet certamine, niſi fidei ſe radice tenuiſſet*. Maioris tamen perſpicuitatis gratia, omnes hi hoſtes nos infeſtantes, ad tres tantum reuocari poſſunt. Hoſtis eius eſt diabolus: nam,vt ait Diuus Petrus: *Aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*. Hoſtis eius eſt Mundus,vnde Chriſtus Dominus dixit: *Nolite mirari, ſi odit vos Mundus*, ac ſi diceret: cum inimicus veſter ſit (ò fratres) quid mirum ſi vos odio habeat? Hoſtis eius, eſt caro. quare Michæas ait: *Ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui*. Vnuſquiſque enim hoſtis eſt ſibi, vnde Chryſoſtomus librum integrum hac inſcriptione notauit: *Nemo læditur, niſi à ſeipſo*, quia nullus hoſtis, quantumuis importunus, poteſt illi malum culpæ inferre, niſi ipſe velit culpæ macula deformari: & Iob ait: *Factus ſum mihimetipſi grauis*, hoc eſt pondere carnis, moleſtus, & oneroſus. Hos omnes hoſtes obedientia proſternit, & glorioſam de illis victoriam reportat. Obedientia diabolum vincit: vt enim ait Diuus Gregorius lib. 4. in 1. Reg. cap. 5. *Victimæ ſunt obſequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo ſubijcimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus: ceteris quidem virtutibus dæmones impugnamus per obedientiam vincimus. Victores ergo ſunt, qui* obe-

D. Ambroſ.

1. Petr. 5. 8.

1. Ioan. 3. 13.

Mich. 2. 5.

Iob 2. 20.

D. Gregor.

obediunt, quia dum voluntatem ſuam alijs perfectè ſubijciunt, ipſi lapſis per inobedientiam Angelis dominantur. hæc ille, à quibus non abhorrent egregia illa D. Bernardi verba ſerm. 3. in Pſalm. *Qui habitat:* dum ait: *Obſecro vos, nouellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis ſenſus ad diſcretionem boni, & mali, nolite ſequi cordis veſtri iudicium, nolite abundare in ſenſu veſtro, ne vos tanquam rudes adhuc, verſutus ille venator decipiat; nam ſylueſtribus illis, & omninò beſtialibus hominibus (ſæculares homines loquor,) apertos ſatis expandit laqueos, vtpotè quos facilè capiendos eſſe non dubitat; vobis autem, qui tanquam prudentiores cerui, ſerpentes necatis, & deſideratis ad fontem viuum, ſubtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis ſuæ argumenta conquirit. Vnde obſecro vos, humiliamini ſub potenti manu Dei paſtoris veſtri, & acquieſcite eorum conſilijs, qui melius norunt venatoris illius verſutias, edocti diuturno longi temporis exercitio, & crebris experimentis tàm in ſe, quàm in multis.* hactenus Diuus Bernardus. Ex quibus clarè liquet, vnam ex præcipuis cauſis, quare per obedientiam diabolum vincimus, eam eſſe, quod eius dolos, & ſtractagemata maioribus noſtris obediendo detegimus. Quod adeò vtile putauit magnus pater Antonius, vt

Caſſianus. diceret, prout in vitis Patrum narratur, 2. parte, §. 166. *Si fieri poteſt, quantos paſſus ambulat Monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella ſua declaret ſenioribus, vt à recto non deuiet.* Obedientia deinde victoriam de Mundo conſequitur; nam qui Principem alicuius Regni vicit, ipſum quoque Regnum ſibi ſubijcit; Diabolum autem, Principem huius Mundi eſ-

Ioan. 14. ſe Chriſtus Dominus aſſeruit, Ioann. 14. *Venit Princeps Mundi huius, & in me*

Ioan. 12. *non habet quicquam.* & Ioan. 12. *Nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras.* Obedientia igitur vincente Principem huius Mundi, conſequens eſt, vt Mundum etiam vincat, atque proſternat. Mundi deſiderium eſt dominandi, obedientia verò cunctis ſe ſubijciendi: igitur obedientia, qua Dei mandatis ſubijcimur, nos victores Mundi conſtituit. Id, quod & ipſe

1. Ioan. 5. Ioannes ſtatim clarius aperuit, dicens: *Quis eſt, qui vincit Mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei?* Quis autem fide viua credit, niſi, qui cum hac credulitate obedientiam mandatorum Chriſti coniungit? vnde Bernardus ait: *D. Bern. ſer. 1. in oct. Paſ.*

Poteſt fortè mouere, quod tàm multos videmus credentes Ieſum filium Dei eſſe, adhuc tamen Mundi cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait: Quis eſt, qui vincit Mundum, niſi qui credit, quia Ieſus eſt filius Dei? cum & ipſe iam Mundus id credat? an non ipſi quoque dæmones, & credunt, & contremiſcunt? Sed dico: putaſnè, filium Dei reputat Ieſum, quiſquis ille eſt homo, qui ipſius, nec terretur comminationibus, nec attrahitur promiſſionibus, nec præceptis obtemperat, nec conſilijs acquieſcit? nonne is, etiam ſi fateatur, ſe noſſe Deum, factis tamen negat? porrò fides ſine operibus mortua eſt in ſemetipſa, nec ſanè mirum videri poteſt, ſi nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem. Ne autem a doctrina tanti Patris diſcedamus, apertè ipſe docet tertium quoque hoſtem, nempè rebellem carnem, per obedientiam calcari; nam *D. Bernar.*

ſerm. 2. omnium Sanctorum, verſans illa verba: *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebūt terram;* hæc ſcribit: *Hanc ergo terram, ego corpus noſtrum intelligo, quòd ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſuper mēbra ſua, neceſſe eſt, vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta, quoniam tale inueniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori. Armatur enim creatura ad vlciſcendam ſui iniuriam Creatoris, & ideò nouerit anima, quæ rebellem ſibi inuenit carnem ſuam, ſe quoque minus, quàm oportеat, ſuperioribus poteſtatibus eſſe ſubiectā: Manſueſcat ipſa, & humilietur ſub potenti manu Dei altiſſimi ſubiecta ſit Deo, & his pariter qui vicem eius habent, obediat Prælatis; & continuò corpus ſuum inueniet obediens, & ſubiectum.* hæc ille. Atque huc facit, quod breuiori ſermone complexus dixit vir ille pietate inſignis Thomas de Chempis lib. 2. de imitatione Chriſti, cap. 14. *Thomas de Chempis.* *Qui non libenter, & ſpontè ſuo ſuperiori ſe ſubijciūt, ſignum eſt, quòd raro eorum, nec dum perfectè illis obediat, ſed ſæpè recalcitret, & murmuret.* Vnde in primis parentibus ab inobedientia originem habuiſſe rebellionem carnis aduerſus ſpiritum his verbis ſapienter adnotauit Diuus Auguſtinus 14. de Ciuitate Dei, capit. 17. explicans illa verba: *D. Auguſt.* *Aperti ſunt oculi amborum:* Sic enim ait:

Nudi

Nudi erant, & non confundebantur, non quòd eis ſua nuditas eſſet incognita, ſed turpis nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat; nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia, caro quodammodo teſtimonium perbibebat, gratiaque remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur: Extitit in motu corporis quadam impudens nouitas, & fecit attentos, reddiditque confuſos. Si ergo inobedientia carnem ad affectionem prouocauit, certè obedientia in officio continebit, & victoriam de illa reportabit.

Quarto commendanda venit obedientia a mirabili trãquillitate, qua obediẽtes ruuntur. Et quidẽ, cum victoriã ſequatur pax, & tranquillitas, & obedientia de hoſtibus victoriã comparet, non mirum, ſi pacẽ, & tranquillitatẽ patiat. Duplici certè ratione turbari põt pax: aut quia aliquis maiori repugnat, aut quia inferiori ſibi contradicenti non imperat, cum illum compeſcere, & in debita ſubiectione continere poſſit. Si autem quis & ſuperiori pareat, & ab inferiore debitam ſubiectionem accipiat, perpetua quadam tranquillitate cumulabitur. Hæc duo ſecum affert obedientia: nam Deo nos, & ſuperioribus ſubijcit, & ab his, quæ infra nos ſunt, & nimium à viribus, & appetitionibus noſtris perfectam ſubiectionem extorquet; nam iudicio noſtro frænum inijcit, ne contra mandata Prælatorum aliquid ſentiat: voluntatem cohibet, ne oppoſita his, quæ iniuncta ſunt capiat: appetitum continet, ne in periculoſam libertatem diffluat; corpus demum ad imperata exequenda applicat; & ita cum ipſa maioribus pareat, & illis vniuerſæ noſtræ vires obediant, nõ eſt, vnde turbationem pertimeſcat. Doctrinam hanc his apertis verbis docuit

Matth. 11. 30.

Chriſtus Dominus: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Ad iugum admittendũ hortatur, & in præmium requiem pollicetur. Per iugum omnes Patres Euãgelium, & legem Chriſti per obedientiam cuſtoditam intelligunt: aptèque illud, iugum vocat, tum quòd Chriſtum, & animam religioſam iungit; ideò autem arbitror vocaſſe illud ſuaue, quod idem onus ipſi ſimul ferant, & quia potius eſt iugum Chriſti, quàm animæ. Vnde ipſe ait: *Tollite iugum meũ*: Ipſe enim eius gratia adeò totũ onus ſine onere fert, vt parum oneris anima ſentiat; ex quo fit, vt hoc iugum, dum onerat, non premat, ſed tranquillitatém, & ſerenitatem animi conferat. Atque huc videntur mihi reſpicere verba

Pſal. 24.

Dauid, Pſal. 24. *Dulcis, & rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via*: quaſi dicat, dulcis: & rectus eſt Deus, & ideò peccatoribus legem dedit, vt per obedientiam eius, non ſolum ad rectitudinem animi, ſed etiam ad dulcedinem ducerentur. Quid enim Deus intendit, niſi nos lapſos à peccatis abducere, & ad ſui ſimilitudinem reuocare? ipſe rectus eſt: vult ergo, vt recti ſimus: ipſe dulcis eſt, vult etiam, vt ſpiritum dulcem, quietum, & tranquillum habeamus. Eſt igitur pax, & tranquillitas obedientiæ comes, vt cecinit Dauid: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.*

Pſal. 118.

Quinto, per obedientiam adipiſcuntur Sancti, vt omnia eis obediant. Sol in medio curſus ſui ſtetit, iubente Ioſue, ne vlterius progrederetur: *Sol contra Gabaonem ne mouearis*: & quod maius eſt, facer textus ait: Deũ obediſſe Ioſue: *Obediente Deo voci hominis.* Helias nubibus imperabat, vt continerent pluuias, & non pluebant. Iubebat, vt pluerent, & continuò obedientes eius imperio, pluuiam mittebant; credẽtibus etiam fide formata, quos conſtat, ſolos eſſe obedientes legi diuinæ dicitur: *Serpentes tollent, & ſi mortiferum, quid biberint non eis nocebit.* Vnde, & Sanctus Benedictus, vt in eius vita legimus, vas intoxicatum ſigno crucis confregit. De noſtro etiam Seraphico Patriarcha Franciſco officium eius à D. Bonauentura compoſitum, ſic ait in quadam eius antiphona: *Hic creaturis imperat, qui nutui ſubiecerat ſe totum creatoris: quicquid in rebus reperit delectamenti, regerit in gloriam factoris.* Ventos tandem ſedatos, maris vortices compreſſos, voraces ignes extinctos, dœmones a corporibus obſeſſis expulſos, ad imperium obedientium diuinæ legi, eſt adeò omnibus notum, vt probatione non indigeat.

Ioſue 10.

Ibidem.

In vita S. Benedicti.

D. Bonauen. off. S. Franc.

Sextò, illam ingentem obedientiæ laudem arbitror, quòd omnes virtutes continet, & bona omnia, quæ ad cœleſtem

Patriam

Patriam conferunt, parit. Prudentia media apta ad finem conſequendum inquirit, Iuſtitia vnicuique ius ſuum tribuit, Obſeruantia reuerentiam maioribus exhibet, Pietas officia parentibus impertit: Fortitudo in periculorum ſuſtinentia verſatur, Patientia in malis, & aduerſis fortis oſtenditur, Abſtinentia modum in cibis, Sobrietas in potibus, Caſtitas in venereis, Paupertas in contemptu rerum temporalium ponit. Et ſic quæcunque alia virtus, quaſi terminum ſuæ iuriſdictionis haber, vltra quem haudquaquam ſuam poteſtatem extendit. At obedientia in ſua latitudine accepta, ceu Regina potens omnes materias vniuerſarum peruagatur; prudenſque ex Obedientia prudenter agit, & iuſtus, aut fortis ex obedientia iuſtè, aut fortiter ſe habet; & ſobrius, aut temperatus, aut caſtus, ex obedientia ſobriè, temperatè, ac caſtè ſe gerit; & qui imprudentia, aut iniuſtitia, aut alio vitio peccat, idcò delinquit, quia præcepta tranſgreditur, ac ideò quia à mandatorum obedientia ſeparatur. Meritò proinde quidam ad hanc virtutem illud Prouerbiorum applicuit: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas:* quoniam aliæ Dei filiæ, nempe aliæ virtutes in ſua propria cuiuſque materia opes meritorum congregant; Obedientia verò opes in omni materia, in omnique actione coaceruat. Obedientia concordiam ſeruat in Angelis vnitatem tribuit Eccleſijs, pacem conſtituit in Cœnobijs, tranquillitatem facit in Regnis, in Rebuſpublicis, & familijs; & quicunq; exceſſus, quæcunque exorbitatio à lege in iſtis conſpicitur, ex obedientiæ defectu progreditur: & vt vno verbo multa dicã, verus obediens omnes alias virtutes ipſa obedientia exercet, & promouet: quia omnia præcepta non ſolum legis diuinæ, ſed & religioſæ vitæ de virtutum actibus data ſunt; atque adeò, qui eis ſe accommodar, virtutum ſtudioſus efficitur. Is pauper ſpiritu, quia obedientia paupertatem iubet: caſtus erit, & humilis, quia obedientia caſtitatem, & humilitatem præcipit: mitis erit, & contemptor ſæculi, & aliarum virtutum poſſeſſor, quia eas omnes obedientia præſcribit. Hoc ſonant illa verba Auguſtini: *Obedientia commendata eſt in præcepto, quæ virtus in creatura*

Prou. 31. 29.

D. Aug. 4. de Ciuit. Dei, capit. 12.

rationali quodammodo eſt omnium, cuſtoſque virtutum; quandoquidem ſic facta eſt, vt ei ſubditam eſſe, ſit vtile; pernicioſum autem, ſuam, & non eius, à quo creatura, facere voluntatem.

Septimò, illud virtutem obedientiæ mirum in modum extollit, quòd valde perſimilis ſit charitati, quæ iuxta Pauli ſententiam, maxima eſt inter virtutes: *Maior autem horum eſt charitas.* vtraque nos Deo iungit, de illa ſcriptum eſt: *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* de hac verò: *qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo.* Atque de hac duplici virtute dixit Beda: *Sit tibi Dominus Deus, & eſto domus Dei; mane in Deo, & maneat in te Deus: manet in te Deus, vt te contineat, manes in Deo, ne cadas; ſerua mandata eius, tene charitatem, noli te diuellere à fide illius, vt glorieris in præſentia ipſius, & ſecurus manebis in eo modo per fidem, tunc per ſpeciem: Manebit, & iſte perennis in, iuxta quod ei Pſalmiſta decantat: in æternum exultabunt; & habitabis in eis:* Vtraque etiam virtus facit, idem velle cum Deo, & idem nolle, licet diuerſa ratione; nam charitas per modum amici, obedientiæ per modũ ſubditi. Illa quia diligit, & hæc quia fidelis eſt, ex toto corde proclamat: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Vtraque ſecundum diuinum beneplacitum, deſideria, & actiones ſuas dirigit, & non aliam regulam, niſi quod debet, iubet; aut quod Deus fieri vult, exquirir, dicens: *in toto corde meo requiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* Vtraque eſt virtus generalis, quæ ad omnium mandatorum cuſtodiam impellit. Ac tandem ſicut charitas eſt omnium forma virtutum, quibus vitam, & eſſe tribuit, ita & obedientia quodammodo virtutum eſt forma, quoniam id vnum in actionibus earum, vt diuina præcepta compleantur, ſpectat.

1. Iaon. 4.

1. Ioan. 3.

Beda in Ioh. ad cap. 6.

Pſal. 5. 12.

Pſal. 142. 10.

Pſal. 118. 10.

Octauo, hucuſque omnia dicta, alia obedientiæ laus longo interuallo ſuperat; quòd obedientem, & Chriſto ſimilem, & in hac vita beatum facit. Chriſtus, vt ait Apoſtolus ad Philip. 2. *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Ecce per mortem, obedientiæ opus reſurrectionem corporis, & aſcenſum in Cœlum, & exaltationẽ ſui nominis acquiſiuit. Similiter verus obediẽs per obedientiam

Ad Philip. 2.

tiam

tiam, qua ſe propter Deum, Prælato ſubmittit, veram beatitudinem comparat, & ad æternam libertatem aſpirat. Quamobrem, ſicut in Republica Princeps eſt, & dicitur, qui in ſuo tempore eſt Principatum accepturus; ita & obediens beatus eſt, quia ob meritum obedientiæ, magnam eſt felicitatem, & beatitudinem adepturus. *Ephrem. de obedien.* Ideò Beatus Ephrem, virum obedientem felicem, & Chriſto ſimilem vocare non metuit. *Beatus* (ait) *qui vera, vt minimè ſimulata præditus eſt obedientia: quoniam hic imitator eſt optimi noſtri præceptoris, qui obediens fuit vſque ad mortem. Verè igitur qui obedientia fruitur poſſeſſione beatus eſt, qui cum Domini ſit imitator, etiam cohæres illius efficitur; qui obedientiam obtinet, vinculo charitatis cum omnibus coniungitur. qui obtinet obedientiam, magnam poſſeſſionem obtinet, magnaſque ſibi diuitias accumulabit.* ſic ille. Quæ autem eſſe poteſt hæc magna poſſeſſio, quæ hæ magnæ diuitiæ, niſi certa felicitatis ſpes, qua obediens in hac vita beatus efficitur? Et quidem in hoc etiam obedientia ſimilis eſt beatitudini, quod per eam homo, vt holocauſtum perfectiſſimum in honorem diuini nominis conſecretur; hoc enim vitæ hominum in Eccleſia militantium, & vitæ in Patria regnantium videtur eſſe diſcrimen, quod illa eſt ſimilis ſacrificio, hæc holocauſto. Illa eſt quaſi ſacrificium, quia quantumuis perfecta ſit, aliquid ſuæ naturæ, & neceſſitati tribuit, & id quidquid ſit, quaſi ad holocauſti integritatem ſubtrahit: hæc verò eſt, quaſi holocauſtum, quia Sancti in cœleſti Patria ita Deum amant, & laudant, vt ſe totos, & per totam æternitatem in hoc opus amoris, & laudis impendant. Idem autem in vita perfectorum obedientium reperitur, qui ſe totos, & omne tempus Deo conſecrant, & ideò quandam ſimilitudinem æternæ felicitatis obtinent. Si manducãt, ex obedientia manducant: ſi dormiunt ex obedientia dormiunt. Si quid aliud ad corporis commodum pertinens faciunt, ex obedientia faciunt, & alia, non iam media, ſed verè bona, & perfecta opera multo magis ex obedientia perficiunt.

Nonò, obedientiæ illud magnum præconium cenſeo, quòd incomparabilis gloria, & ſublimitas felicitatis ei correſpondet; immò illi ſoli vita æterna promittitur; adoleſcenti enim interroganti: *Quid faciendo, vitam æternam poſſidebo?* reſponſum eſt: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* *Matth. 19. 7.* Nullus verò ignorat opus obedientiæ eſſe cuſtodiam mandatorum: & poſtea: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione Mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi mãducare*, & cetera, quæ ſequuntur. *Matth. 25. 34.* Hæc autem mandata eſſe propter quorum obedientiam iuſti cœleſtem gloriam obtinebunt, nemo poteſt ambigere. Si igitur communi obedientiæ, ad quam vniuerſi tenentur, gloria promittitur; obedientiæ perfectiſſimæ, & exquiſitiſſimæ, quam Religioſi profitentur, quaque ſe totos Deo conſecrant, maior, & copioſior gloria promittetur. In terrena Republica præmium militibus vincentibus, & Duci totum exercitum gubernanti, & vincenti, & cunctos ad victoriam dirigenti decernitur; ſed manifeſtum eſt diſcrimen inter præmium, & præmium: illud eſt magnum, iſtud maius: illud precioſum, iſtud verò multò precioſius, & excellentius, ipſa iuſtitia exigente, vt qui plus laborauit, amplius recipiat. Ita communes obedientes, quales reputamus omnes iuſtos, ſunt velut milites, qui verò perfectam vitam corripiunt, & per obedientiam ſe totos, & omnia ſua Deo dedicant, ſunt velut Duces, qui reliquis exemplo præeunt. Quid ergò mirum, ſi in Regno cœleſti ſublimiores ſedes obtineant? Vnde ſapientiſſimus, & piiſſimus pariter Dioniſius Richelius volens ad perfectionem obedientiæ exhortari; *Dion. Rich. de obedientia.* magnitudinem gloriæ obedientibus retribuendam in hæc verba proponit: *At hoc prouocare debet contemplatio beatitudinis glorioſiſſimæ, quæ obſeruantibus ſuam profeſſionem promiſſa eſt, ac præſtanda. Quantò enim in hac vita plenius ſeipſos offerunt Deo, & eius ſeruituti ſe mancipant, tanto in Regno cælesti Deus ſeipſum plenius, clarius, atque ſuauius reddet, coniunget, & applicabit ipſis. Et quanto plus propter Deum, ſuas fregerunt, & abiecerunt voluntates, & quò per obedientiam profundius humiliauerunt ſeipſos, eò in Paradiſo cæleſti Deus omnipotens glorioſius adimplebit voluntatem ipſorum, eoſque ſublimius collocabit.* hæc ille, qui & ſtatim ex vitis Patrũ hiſtoriã narrat: quod quidã Sanctorum illorum virorũ in extaſi poſitus, vidit

Digitized by Google

quatuor genera hominum Deo placentiū. Vnum fuit infirmorum, qui in ſuis infirmitatibus patientiam habent, & Deo gratias agunt. Secundum fuit eorum, qui hoſpitalitatem, & opera miſericordiæ exhibent. Tertium fuit omninò ſolitariorum. Quartum Cœnobitarum, qui ſub ſpiritualis Patris regimine ſeruiunt Deo: hi erant maiores in gloria, & torquibus vti aureis videbantur, qui præ ceteris propriam voluntatem propter Deum integralius dereliquerunt. Hi profectò clariſſimum ſpecimen præbent, quòd magnam charitatem habent, quòd proprium amorem perfectè reijciunt, quod feruentiſſimè ſe totos abnegant, & à terreſtri Adamo ſecedentes. Adamo cœleſti, ſcilicet Chriſto ſe omninò conformare ſtudent. His verò iure optimo maiorem gloriam coniectamur paratam eſſe, quàm illis, qui extra obedientiam rectè viuunt, & non ad tantam ſui abnegationem, & Chriſti imitationem perueniunt. Iſti videntur aliquid ſui Deo dicaſſe; illi verò, vniuerſa, quæ ſunt, & habent mente promptiſſima obtuliſſe. Iſtorum ergo maior, & precioſior oblatio, & Deo gratior, & maiori premio dignior cenſebitur; nec immerito pulcherrimis torquibus exornantur, qui colla ſua iugo obediētię, & ſubiectionis vinculis ſubdiderunt. Implebitur in te (ò iuſte) ſi hāc fueris obedientiam ſectatus; illud Eccle-
Eccl. 6. 31. ſiaſtici: *Decor vitæ eſt in illa, & vincula illius alligatura ſalutaris. Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis ſuperpones tibi.* Cùm (inquam) iugum audis, & vincula meditaris, ne exiſtimes in obedientia aliquid dedecoris reperiri; decor enim, vel ornatus aureus, qui vitam impertiat, eſt in illa, cùm maximus honos ſit, & præmio vitæ æternæ dignus propter Deum homini ſubijci, & propriam voluntatem abnegare. Obedientiæ vincula, non tàm vincula ſunt, quàm *fila biacynthia*, vt habet alia verſio. Vt hæc nos ligant, vt liberent, tenent, & ſaluent, & vt a fouea iniquitatis eripiant; ac tandem ſunt alligatura ſalutaris, quæ conuertetur in ſtolam gloriæ, & ſertum exultationis, quoniam qui obedientiæ ſe ſubiecerit, pro veſte ſeruili, amictum beatitudinis, & pro ſubiectione, coronam Regni, qua in perpetuum exultet, accipiet.

Decimò tandem, obedientiæ excellentiam ex inobedientiæ damnis, & ſupplicijs, quibus Deus illam plectere ſolet, facilè deprehendemus. In Cœlo, in terra, in mari, in aere illam lego non ſemel puniuiſſe. Luciferum diuinæ iuſſioni contumacem, & omnes eius aſſeclas de Cœlo deturbauit. Chore, Dathan, & Abiron Moyſi inobedientes terra viuos abſorpſit: Num. 16.
nam vt habetur Num. 16. *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntq; viui in Infernum.* Saul propter inobediētiam à ſpiritu nequam exagitabatur. 1.
Reg. 6. & quia non paruit Deo in excidio Amalech, 1. Regum 15. priuatus eſt 1. Reg. 6. 1. Reg. 15.
Regno. *Pro eo ergo, quòd abieciſti ſermonē Domini, abiecit te Dominus, ne ſis Rex.*
& 2. Machab. 7. vnus ex ſeptem fratribus ad Antiochum dixit: *Tu autem ne exiſtimes, tibi impunè futurum, quòd contra Deum pugnare tentaueris.* Deinde Ionam fugientem in Tharſis, & diuino præcepto inobedientem, nec aqua, nec aer, nec nauis potuit ferre, ſed in profundum maris eum proiecit. Quid dicam de inobedientibus, qui aduerſus Prælatorum iuſſiones obmurmurant? Aaron, & Maria eius ſoror, quia murmurauerunt contra Moyſem, grauiter à Domino reprehenſi ſunt, & mulier, quæ procacius peccauerat, lepra percuſſa eſt: *Ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix*, Nu. 12. Populus poſtmodum murmurauit contra Moyſem, in cuius delicti pœnam miſit Dominus in eum ignitos ſerpentes, à quibus partim ſunt vulnerati, partim occiſi. Atque hinc eſt, quod Dauid cauēs ne à Deo puniretur, quia partem clamydis Regis Saulis abſcidiſſet, valde pœnituit, Sacra Scriptura dicente, 1. Reg. 24. *Dauid percuſſit cor ſuum eo quod abſcidiſſet oram clamydis Saul; non enim debuerat mittere manum in Chriſtum Domini, & Principem Populi.* hunc locum Summus Pontifex Nicolaus Primus epiſtola ad Michaelem Imperatorem, vt habetur tertio Tomo Concil. de Prælatis moraliter interpretatur: *Facta quippè Præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt, etiam cum rectè reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt, vt per afflictionem pœnitentia*

2. Mach. 7. — Ion. 2. — Num. 12. — 1. Reg. 24. — Nicol. Papa.

cor

cor prematur, quatenus ad ſemetipſum redeat; & cùm præpoſitæ poteſtati deliquerit, eius contra ſe iudiciū, à quo ſibi prælata eſt perhoreſcat. Ideò ergo Prælati cū magna reuerētia tractandi ſunt, nec eorū ſunt mores, aut vita taxāda, quia cùm Dei locū teneāt, eiuſque perſonam referant, ipſe ſibi iniuriā irrogatam deputat, quam in Prælatos factā conſiderat. vbi obſeruatione dignum eſſe reor, quod Deus vocat Prælatos, & præcipuè Eccleſiaſticos, vt illos, Deum repræſentare intelligamus, atque adeò inobedientiam, & iniuriam illis irrogatam ipſi Deo irrogari ſciamus, vt luculenter docuit Samuel. 1. Reg. 15. dum idololatriæ, inobedientiam comparauit, dicens: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Sed dicet quiſpiam: ariolandi peccatū Religionis virtute opponitur, & idololatriæ ſcelus fidei aduerſatur: quare igitur inobedientia cum his peccatis confertur; certè, vt intelligamus, eam in Deum ipſum per Prælatos iubentem refundi, & quaſi peccatum ariolandi eſſe, quia Deo in Præpoſitis debitam venerationem tollit, & quodammodo fidei meritum præripit. Diuus Gregorius 35. Moral. cap. 10. dixit: *Ariolandi peccatum, inobedientia dicitur, vt quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur; ex aduerſo enim melius oſtenditur, quid de eius laude ſentiatur. Si enim quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere, ſola obedientia eſt, quæ fidei meritum poſſidet, ſine qua quiſque, infidelis conuincitur; & ſi fidelis eſſe videatur.* Ego autem puto, ea etiam ratione, inobedientiam idololatriæ comparari, quia dum omnis inobediens, vt ſuæ propriæ voluntati obſecundet, Superioris præcepto repugnat, ſeipſum colit, ſuamque voluntatem adorat. Sed nec ſilentio præterire licet ſapientem obſeruationem Diui Bernardi tractatu de præcept. & diſpenſ. vbi elucidans prædicta verba: *quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere,* hæc habet: *Non ait, non acquieſcere, ſed nolle acquieſcere, vt non iuſſionis ſimplex ipſa tranſgreſſio, ſed voluntatis ſuperbia, & contemptio, ſcelus idololatriæ reputetur; non enim eſt idipſum, nolle obedire, & non obedire. hoc quippe interdum erroris eſt, nonnunquam, & infirmitatis: illud verò, aut odioſæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ.*

1. Reg. 15.

D. Greg.

D. Bernard.

Ceterum, quia ſi omnia, & ſingula obedientiæ præconia, & vtilitates proſequi vellem, in immenſum abiret oratio, vela dicendi contraham, contentus ſolum ſelecta quædam Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus multa præclara de obedientia nobis tradidere hic apponere. Sanctus Ephrem Tractatu de virtutibus, cap. de obedientia, vni obedienti omniū virtutum exercitationem aſcribit in hæc verba: *Qui obediens eſt, omnibus gratus eſt, ab omnibus laudatur, & ab omnibus probatur; vir obediens citò exaltatur, & celeriter progreſſus magnos efficiet. Vir obediens præcipientibus non reſiſtit, & iubentibus non aduerſatur, reprehenſus non iraſcitur, ad omne opus bonum promptiſſimus eſt, ab iracundia non facilè capitur: ſi reprehendatur, non commouetur: & ſi contumelijs afficiatur, nequaquam excandeſcit: in calamitatibus gaudet, & in tribulationibus Deo gratias agit, de loco in locū non tranſmigrat, & ex vna in aliam manſionem non ſe transfert: admonitus non perturbatur, atque ordinatus ad locum, in eo manet, & tedio non afficitur: patrem non deſpicit, & fratrem nequaquam ſpernit, monaſticæ vitæ rationem non carpit: recreationes, & otia fugit, ac locorum, aeriſque amœnitates minimè ſectatur, ſed ſecundum Apoſtolum, in qua vocatione vocatus eſt, in ea manet.* D. Gregorius quædā hoc genere argumenti ſcripſit, quibus multa obedientiæ præconia, cum totidem vtiliſſimis documentis ad obediendum coniuncta, nobis reliquit; præcipuè tamē lib. 2. in 1. lib. Reg. cap. 4. pueri Samuelis nocte ad Heli accurrētis obedientiam laudans, hæc ſumma obſeruatione digna verba profert: *Puer humiliter homini ſubiectus, atque obedientiæ ardua arce ſublimatus, dum vocatus acceſſit, iuſſus redijt, quid nobis exemplo præbet, niſi altiſſimæ formā obedientiæ? Vera namque obedientia, nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur; neſcit enim iudicare, quiſquis perfectè didicerit obedire; quia hoc tantum bonum putat, ſi præceptis obediat. Vnicum bonum eſt ad recuperationem vitæ, obediētia. Si inobedientiæ culpa, malum ſufficiens fuit ad perpetrandam*

S. Ephrem.

D. Greg.

1. Reg. 4.

dam mortem; & in malo inobedientiæ mors præualuit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus. Puer itaque Samuel, nec vocatus, nec repulſus offenditur, quia vocantis, aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc ſolo gaudere nouerat, quod obediuit: Et quia ſurgere ad laborem, redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem; quid inſinuat, niſi quia vtrumque nobis vitam præparat, ſi obedientis animus in eo quod agit, non niſi obedientiæ bonum penſat? Præceptum namque in hoc ſolo penſari debet, quod maioris præceptum eſt, & qui obedientiæ bonum exequitur, non iniunctum opus debet conſiderare, ſed fructum; quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, ſed mortificatio propriæ, & exequutio alienæ voluntatis. Iam ergò ad omnipotentem Deum, nec ea, quæ ad laborem, nec ea, quæ ad quietem pertinent, parua ſunt, ſi æternam vitam parare obedientibus poſſunt. Quiſquis ergo alieno imperio ſubiectus eſt, hoc ſolum conſideret, quia, quod ſibi ſecundùm Deum iniungitur, valde magnum, & exceſſum in lucro eſt menti, quod vitam præparet in mercede retributionis; quo contra inobedientes aſpiciat, quia primus parens, pomi vetiti inobedientia corruit. Vnde & aptè colligitur, quia ſi parua, quæ videntur, maiorum imperio contempto, ab internis gaudijs ſeparant, etiam minima, quæ perficiuntur vitam parant. Operator itaque ſtrenuus vitæ ſocialis, & communiter ſe cum Deo ſeruientium pius æmulator; ſi æterni meriti ampliorem retributionem per obedientiæ bonum adipiſci deſiderat, in hoc ſolo ſe cognoſcat excellere; ſi præ ceteris arbitrio maioris propriam ſubdiderit voluntatem. Nam nec magna lucra ieiunij, nec aſperæ vitæ ſtudia deuotis Chriſti militibus in maiorum præcepto, valdè penſanda ſunt; maioris etenim eſt meriti charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione ſuſcepto. Qui enim iuſſus carnem reficit, inuitus, ieiunij præmium deuotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquiſiuit. Vocauit ergo Deus puerum, ſed voce Magiſtro ſimili, vt electus puer, qua humilitate obedientiæ eſſet ſublimis, oſtenderet. Iterato excitat, vt eum, quem in forma electorum ponere volebat, oſtenderet; quia nec imperiorum inſtantiæ fatigaret. Per eum, qui reprobandus erat, audire quemadmodum debuiſſet, didicit, vt perfectè ſciamus, quàm maiorum imperia tunc etiam veneranda ſunt: cùm ipſi laudabilem non habent vitam. Diuus Auguſtinus libro ſecundo, de peccat. meritis, quædam alia præclara valde in eodem genere argumenti tradit in hęc verba: *Creauit Deus arborem ſcientiæ boni, & mali in Paradiſo, vt oſtenderet homini, cui eſſet ſub tali Domino vtiliſſima ſeruitus, quantum eſſet ſolius obedientiæ bonum; quam ſolam de famulo exegerat, cui obedire non propter ſeruientis vtilitatem potius expediret, ab eo ligno ſunt prohibiti, quæ ſi vterentur non prohibiti, nihil mali omninò paterentur, vt quod illo poſt prohibitionem vtentes, paſſi ſunt; ſatis oſtenderetur, quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, ſed tantum obedientia violata. Hanc ergo priuſquam violaſſent, placebant Deo, & placebat eis Deus; & quamuis corpus animale geſtarent, nihil tamen inobediens in illo aduerſum ſe moueri ſentiebant: Faciebat quippe hoc ordo iuſtitiæ, vt quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, ſicut ipſa eidem Domino ſuo, ita illis corpus obediret, atque exhiberet eis congruum ſine vlla reſiſtentia famulatum. Quamdiu anima rationalis domina carnis, inobediens non extiterat Domino ſuo, nec ipſa reciproca inobedientem experta eſt carnem ſuam. At poſteaquàm illa eſt facta tranſgreſſio, & anima inobediens Deo extitit, habere cœpit contra eam ſeruus eius, hoc eſt, corpus eius, legem inobedientiæ.* hæc Diuus Auguſtinus, quibus apertè docet, eum qui deſiderat carnem ſibi obedire, & è contra ſpiritum non recalcitrare, nullum aptius medium ad id obtinendum apponere poſſe, quam vt ipſe aduerſus diuina præcepta non recalcitret, nec ſe ab obedientiæ iugo ſubducens, mandatis Dei obtemperare contemnat, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Geneſ. 18.

Homi-

Homilia IX.

In eadem Virginis verba: quodcunque dixerit vobis facite, ***de gradibus perfectæ obedientiæ diſſerimus, varijs animi conceptionibus, & Sanctorum Patrum doctrinis argumentum hoc locupletantes.***

CVM Beata Virgo propoſita verba: *Quodcunque dixeris vobis facite*, ad Miniſtros illius conuiuij direxerit, facile mihi perſuadeo, ſecundum myſticum ſenſum, ad religioſæ vitæ cultores præcipuè pertinere, qui ſpeciali voti obligatione Miniſtri ſunt diuini cultus, & Dei famulatui mancipati; ad quos proinde ſpectat, exactè facere, quæcunque Chriſtus,& Prælati vices eius gerentes eis dixerint. Et quamuis de hoc genere argumenti lib.8. nonnihil pertractauerim, verba tamen Virginis me compellunt, vt de illo latius diſſeram in præſenti, aliter verò prædictos coordinans obedientiæ gradus, quam ibi oportet; tamen ad id prius ex Sanctotum Patrum doctrinis, obedientiæ naturam deſcribere.

D. Baſilius. Magnus Pater Baſilius ſerm.de inſtit.Monach. in hunc modum eam deſcripſit: *Vera, perfectaque ſubiectorum erga moderatorem ordinis obedientia in eo cernitur, ſi quis ex eius conſilio non rebus modo flagitioſis abſtineat, ſed nec ex quidem, quæ laudabilia ſunt, ſine ſententia illius faciat.*

D. Thom. Diuus Thomas Aquinas 2. 2. quæſt. 104. art. 2. ad tertium, ſic ait: *Obedientia eſt, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis.*

Albert. Mag. Albertus Magnus in Parad. anim. cap. 3. *Obedientia* (inquit) *ad Vicarios Chriſti, ſcilicet ad Prælatos eſt, cùm ſubditus, quod ſibi maximè contrarium eſt, fideliter, & libenter exequitur, nunquàm manifeſtans ſigno, vel facto, quòd ſibi contrarium ſit præceptum.*

B. Ioan. Cli. Beatus Ioãnes Climacus gradu 4. pro ſuo more, eam luculentius ita deſcribit: *Obedientia eſt animæ propriæ perfecta abnegatio per corpus certius oſtenſa: aut forte verſa vice: obedientia eſt inexaminatus, atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, ſecurum periculum, immediata ad Deum excurſatio, metus mortis contemptio, tuta nauigatio. confectum dormiendo iter. Obedientia eſt ſepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis.* hactenus ille. Sed & in hunc modum has omnes definitiones comprehendentes, cœnobiticam obedientiam deſcribere poſſumus. Religioſa obedientia, eſt inferioris ad ſuperiorem propter Deum voluntaria ſubiectio, voto conſtabilita. Subiectio, inquam, vt ille, qui recalcitrando, & contradicendo præceptis Dei, innocentiam perdidit, ſubijciendo ſe Deo, & homini propter Deum, ad priſtinam iuſtitiæ, & innocentiæ participationem reuertatur. Eſt ſubiectio, vt per hanc inferior ſuperiori, tanquam Cœlo colligatus, ab eius imperio, ſalutarem influxum, quo in bono promoueatur, accipiat. Eſt ſubiectio, vt qui ſuperbiendo cecidit, ſe corã alio non ſuperioris naturæ, deijciẽdo reſurgat. Atq; etiã eſt ſubiectio ſpontanea, ſiue volũtaria, quia in exordio ſuo nõ à natura proceſſit, ſed à Dei gratia & à propria ſe ſubijciẽs volũtate manauit.

His igitur, iam obedientiæ religioſæ deſcriptionibus ſic prælibabis, ad eius gradus enarrandos, & illuſtrandos gradum faciamus. Omnes illos, ad ſeptem reuoco, quibus velut ſeptem colũnis, quas Dei Patris ſapientia incarnata excidit, *Sap. 7.* obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, monaſticum ædificium præcipuè fundatur, & nititur. Horum graduum religioſæ obedientiæ primus eſt, voto ſe aſtringere in Religione approbata ad obediendum Prælato locum Dei tenenti. Olim in antiqua lege, vt legimus Exod. 21. *Exod. 21.* auris perforata, ſignum, ac ſymbolum erat ſeruitutis, & obedientiæ: ſic enim ait ſacer Textus: *Si dixerit ſeruus: diligo Dominum meum, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber: offeret eum Dominus dijs, & applicabitur ad oſtium, & poſtes, perforabitque aurem eius ſubula: & erit ei ſeruus in ſæculum.* Hoc dictum altiore ſenſu Religioſi viri eſt; ipſe enim ait: diligo ego Dominum Deum meum, diligo religio-

ſam vitam, quam in ſponſam accepi: diligo filios, merita ſcilicet ex tam pulchra ſponſa ſuſcepta: malo in perpetuum ſeruus Chriſti eſſe, quàm liber ſæculi. Qui ita loquutus fuerit, Prælatis eſt offerendus, & autis eius perforanda, & quaſi aperienda, vt per obedientiam maiorum præcepta ſuſcipiat; conditioni enim ſerui adeò adiuncta eſt ſeruiendi, & obediendi obligatio, vt qui hanc non habuerit ſeruus eſſe non poſſit. Quæ obligatio ad opus procedens, nos ſanctos faciet, & ad eum finem, quem quærimus, ſcilicet ad vitæ innocentiam perducet. In cuius ſignum poſt reſtitutam proſperitatem Sancto Iobo, *Venerunt ad eum amici eius, & obtulerunt ei ſinguli ouem vnam, & inaurem auream vnam*. In oue, accipe innocentiam: in inaure obedientiam. Quid itaque erit viro iſti, ouem, & inaurem offerre, niſi obedientiam, & innocentiam ſorores eſſe patefacere? iſtudque eſſe huius loci myſterium Gregorius autumat, quod & optimè exponit. Quare inauris, aurea ſit, & quare vna ouis tantum, & vna inauris ab vnoquoque amicorum offeratur: eius verba ſunt: *Notandum verò eſt, quòd hoc loco cum in aure ouis, & cum oue inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus, ornamentum ſemper obedientiæ iungitur, Domino teſtante, qui ait: Oues meæ vocem meam audiunt; & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Beato igitur Iobo nemo inaurem ſine oue, nemo ouẽ ſine inaure obtulit; quia profectò Redemptori ſuo non obedit, qui innocens non eſt: & innocens eſſe non poteſt, qui obedire contemnit. Quia verò ipſa obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt, non terrore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ cuncti, qui ad Conuiuium veniunt, auream inaurem obtuliſſe perhibentur, vt videlicet in ea, quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat; quæ virtutes omnes quaſi auri amore cetera metalla tranſcendit*. hæc ille. Vnitatem autem ouis, & vnitatẽ inauris, quam ibidem Sanctus Gregorius refert ad vnitatẽ Eccleſiæ, vel nos meritò referre poſſumus ad cõgregationis religioſæ vnionem; quia obedientia non ſolum innocentiæ coniungitur, ſed ex ea vnitas, & concordia Congregationis exoritur. Ideo ergo ad id myſticè ſignificandum ouis vna, & inauris vna offerebatur.

Iob 42. 11.

D. Gregor. 5. mor. c. 104.

Ioan. 10.

Porrò, illud etiam proprium eſt, voti obedientiæ, ſeu obedientiæ voto confirmatæ, quòd per eam nititur homo Angelorum, & cœleſtium Ciuium obedientiam imitari, ad quam alludens Chriſtus Dominus dixit, Matth. 6. *Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra*. In hoc enim ſenſu Diuus Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, cap. 11. verba iſta explicat, dum ait: *Obediatur præceptis tuis ſicut ab Angelis, qui ſunt in Cœlo, ita ab hominibus, qui ſunt in terra*. Manifeſtum autem eſt, Angelos firmiter, & ſtabiliter obedire, adeò vt diuinæ voluntati reluctari non poſſint. Per votum ergo obedientiæ, diſponitur verus obediens ad imitandam, quoad fieri poteſt, hanc Angelicam firmitatem, & ſtabilitatem obedientiæ, liberaturque ab ea maledictione, Iſai. 48. *Sciui enim, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea:* nam certè obedientia proteruitatem mentis tollit, iuxta illud Eccleſiaſt. *Iugum, & lorum curuant collum durum: & collum noſtrum Dei, & maiorum præceptis ſubmittit*. Vnde ſponſus videns collum hoc ſponſæ obedientiæ monili decoratum dixit: *Collum tuum ſicut monilia*, Cant. 1. vel vt Origen. homil. 2. in Cantica vertit: *Ceruix tua ſpecioſa facta eſt, ſicut redimicula*, quaſi diceret: Ceruix tua, quam prius præuaricationis inobedientia, turpẽ fecerat, nũc obediẽtia legis, ſpecioſã fecit, & pulchrã. Sed vulgatæ lectioni inſiſtens, collũ tuũ illud mirabile eſt, quod obediẽtiæ votũ, collum noſtrũ, ſimul mollificat, & obdurat, quãuis hęc duo inter ſe videntur pugnare. Mollificat quidem ſubiectione, qua à Prælato vir obediens in quamcunque partem moueri ſe ſinit. Obdurat verò fortitudine, & firmitate, qua imperata, tàm à Deo, quàm ab homine, licet ardua, ac difficilia ſuſtinet. Ad quod ſignificandũ idem ſponſus collũ obedientis ſuæ ſpõſæ turri fortiſſimæ, & munitiſſimæ cõparuit, Cant. 4. *Sicut turris Dauid, collũ tuum, quæ ædificata eſt cũ propugnaculis*.

Matth 6.

D. Auguſt.

Iſai. 48.

Eccleſ. 33.

Cant. 1.

Cant. 4.

Secundus gradus obedientiæ eſt, exequi, & implere, ſiue praua, ſiue magna, quæ præcipiuntur, dummodò peccata non ſint; quia tamen quæ iubentur à Prælatis, quædam ſunt grauia, alia leuia, ſimiliter, & inobedientia, grauis, aut leuis erit; vt Diuus Bernardus de pręcept. & diſpenſ. D. Bernar.

ſapien-

ſapienter adnotauit, contra eos, qui omnem inobedientiam perperam putant, peccatum lethale: verba eius ſunt hæc: *Quãobrem non video, cur ita omnem inobedientiam, & tranſgreſſionem, vel minorũ quorumlibet mandatorum exaggerandam putaueritis, vt exclamaretis: quod ergo iam Monacho poterit veniale peccatum eſſe, vel leue, cuius vniuerſæ actioni, crimẽ inſidiatur inobedientia? Sed hoc inde videlicet conſtare creditis, quòd Prælatorum iuſſionibus tantum tribuendum aſſeritur, quantum ſi diuinitus traderentur; quaſi verò & ipſa Euangelica præcepta nõ multum inter ſe diſcrepent, & merito obſeruationis, & tranſgreſſionis periculo. Ceterum ſicut non omnia vnius eſſe conſtat, vel neceſſitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis; ſic non vna de omnium tranſgreſſione fertur ſententia, nec paria manent diſcrimina diſpares culpas; porro nec pari culpa negliguntur, quæ non pari cura præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniuntur. Ecce enim Euangelium, tam flagitium crapulæ, quàm fornicationis turpitudinem damnat, verum quis magis non horreat ex duobus malis turpitudine fœdari, quàm cibo ſaturari? Nonne denique veritas in Euangelio, ſub nominibus trabis, & feſtucæ, graues, leueſque diſcernit inobedientiæ culpas? nonne ipſo diſputante, immo definiente gradatim nobis diſtinguitur, quæ cuique reatui pœna debeatur, dum aliũ iudicio, alium concilio, alium & gehennæ reum eſſe proteſtatur? Quænam ergo conſequendi neceſſitas cogit, vt ſi Magiſtris diuina detur in ſuis præceptis auctoritas, nullum ideò iam Monacho leue, aut veniale peccatum inueniri poſſe putetur, & quod eius vniuerſæ actioni crimen inſidietur inobedientiæ?* hæc ille. Quocunque autem modo inobediens, ſiue grauiter, ſiue leuiter obedientiam offendat, Prælati tamen iuſſionibus ſuam voluntatem nõ ſubdẽs, certè in eo; quod facere prætermittit, ſui iuris efficitur, & infidelis promiſſor cõuincitur, immò fur, & latro rei magni valoris, quatenus voluntatis ſuæ Deo conſecratæ vſurpator efficitur, vt his verbis

D. Bonauen.

egregiè docuit Diuus Bonauentura tract. de inreriore homine: *Te Prælato dediſti propter Dominum, & propter Regnum Cælorum, & iam non es tuus, ſed eius, cui te vendidiſti, & nihil tibi licet agere de te ſine eius voluntate; ipſe enim eſt dominus voluntatis tuæ: & contrectatio rei alienæ inuito domino furtum eſt.* hæc ille. Aduerto tamen ad hunc ſecundum gradum obedientiæ non ſolum pertinere, mandata exterius exequi, ſed & interius non repugnare, nec Prȩlati voluntati contradicere; id enim ſibi volunt verba D. Pauli ad Coloſſ. 3. dum ait:

Ad Col. 3.

Obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis. Vnde Diuus Anſelmus in Com-

D. Anſel.

mentario huius loci in hoc ſenſu exponit hæc verba, inquiens: *Non in duplicitate ſeruite Dominis, ſed ita, vt quod foris in opere oſtenditur, intus in corde habeatis, timentes Dominum, qui inſpector eſt cordiũ, & damnator doloſarum cogitationum.* Equidem illorum obedientiam, qui exterius tantum præcepta implent, interius verò recalcitrant, vocandam cenſeo obedientiam triremium, & remigantium, non Religioſorum, quos oportet, vt ſuæ profeſſioni perfectè ſatisfaciant, animo, & opere Prælati locum Dei tenentis mandata ad vnguem exequi, & implere.

Tertius obedientiæ gradus eſt, non ſolum quæ præcipiuntur, ſed & alia, quȩ iniunguntur abſque præcepto, ſed ſimplici quadam ordinatione exequi; vt enim D. Thom. 2. 2. q. 126. art. 9. ad 2. docuit.

D. Thom.

Eorum, quȩ continentur in regula quædã ſunt præcepta, quædam verò ordinationes obligantes ad pœnam; & his verus obediens etiam parere debet. Vnde Diuus

D. Bernard.

Bernardus de præcept. & oblig. præclarè dixit: *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta anguſtijs profeſſionis, largiore voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, ſpontaneè vigore liberalis, alacriſque animi, modum non conſiderans in infinitam libertatem extenditur.* Exemplum huius nobis tradiditt Salomon, dum verbis Domini abſque præcepto obediuit vt enim habetur 2. Reg. 7. ſciens dictum

2. Reg. 7.

eſſe ab ipſo Domino Dauidi patri ſuo: *Suſcitabo ſemen tuum poſt te* (ideſt, dabo tibi filium) *ipſe ædificabit domum nomini meo*; Obrento iam regno, Domum illam magnificam in Dei honorem extruxit. Deinde Paulus, qui potens ex Euãgelio viuere, ſicut & ceteti Apoſtoli, vt magis ſe Dei voluntati ſummam perfectionẽ ab eo exigẽti accõmodaret, voluit ſine vllius acce-

1. Cor. 7. ptione eleemoſynę euãgelizare, vnde ait:
*Quis militat ſuis ſtipendÿs vnquam? Si
alÿ poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare
non potius nos? ſed non vſi ſumus hac po-
teſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offen-
diculum demus Euangelio Chriſti*:& poſteà:
num. 12. *Si euangelizauero, non eſt mihi gloriæ, ne-*
num. 16. 18. *ceſſitas enim mihi incumbit, veh autem mi-
hi eſt: ſi euangelizauero, quæ eſt ergo merces
mea? vt euangelium prædicans, ſine ſum-
ptu ponam Euangelium Chriſti*. Ac tan-
Ioan. 21. 19. dem, diſcipulus dilectus Ioannes, audiens
Dominum dicentem Petro: *ſequere me*,
quod quamuis non præcipiebatur, gratum
tamen Domino putabatur, eſt executus:
quare Petrus videns illum ſequentem in-
terrogauit: *hic autem quid?* hic diſcipu-
lus ſequens non ad præceptum, ſed ad ſi-
gnificationem Chriſti voluntatis ſequens,
eos carpit, qui ſemper volunt ad obedien-
dum præceptis vrgeri. Hoc genus obe-
dientiæ videtur mihi laudaſſe ſapiens,
Pſal. 14. Prouerb. 14. dum dixit: *acceptus eſt Regi
miniſter intelligens*, hoc eſt, qui antequàm
præceptum Regis audiat, eius voluntatem
agnoſcit, ac facit. De hoc genere mini-
S. Thom. ſtrorum dixit egregie D. Tho. 2. 2. q. 104.
art. 2. *Tanto videtur obedientia promptior
quantò expreſſum præceptum obediẽdo præ-
uenit, voluntate ſuperioris intellecta*. Quòd
Ad Tit. 3. ſi D. Paulus ad Titum 3. loquens de ſæcu-
laribus, ait: *mone illos, Principibus, & Po-
teſtatibus ſubditos eſſe, & dicto obedire*, qua-
ſi diceret: hortare, nè tãtum præcepto, ſed
etiàm ſimplici dicto ſuperiorum obediãt.
Si (inquã) D. Paulus hoc genus obedientię
vult eſſe commune omnibus fidelibus, ne-
mo ſanæ mentis diffitebitur; multùm per
omnem modum decere religioſos, quos
oportet perfectiora chariſmata æmulari.
D. Bernar. Vnde D. Bernard. ſerm. de virt. obed. di-
xit: *Certè fidelis obediens neſcit moras, fu-
git craſtinum, ignorat tarditatem, præripit
præcipientem, parat oculos viſui, aures au-
ditui, linguam voci, manus operi, pedes iti-
neri, totũ ſe colligit, vt imperãtis faciat vo-
luntatem*, & paulò ante dixerat: *Subditi eſſe
& obedientes debemus ad nutum præpoſito-
rum, nihil interrogantes propter conſcientiã,
quia in his nullũ pręfixit opus Deus, ſed Prę-*
D. Bonauen. *latorũ dereliquit imperio diſponenda*. Quin-
immò, nec bonus obediens verbum expe-
ctat, vbi de ſuperioris ſibi conſtiterit vo-
luntate. Illum autem optimum dixerim
obedientiæ gradum, cùm eo animo opus
iniunctum recipitur, quo & præcipitur, &
cùm ex voluntate iubentis pendet inten-
tio exequentis.

Quartus gradus obedientiæ eſt, vt non
ſolùm obediens ſubſtantiam operis exter-
ni faciat, ſed & neceſſarijs circumſtantijs
illud perficiat. Inſignis Cancell. Pari-
ſienſis tract. de verb. Domin. has in obe-
diendo circumſtantias poſtulat: *Oportet*, Ioan. Gerſ.
(inquit) *vt ipſa obedientia, ſit conſtans,
ſit vera, ſit hilaris, ſit affectuoſa*. Conſtans
illorum obedientia non eſt, qui ad ea, quæ
ſibi placuerint, tantùm obedire proponũt.
Vera illorum obedientia non eſt, qui pro
lucro, vel commodo temporali obediunt.
Hilaris illorum obedientia non eſt, qui
cum murmure, vel reſponſione, quę a præ-
lato iubentur perficiunt. Affectuoſa il-
lorum obedientia non eſt, qui etſi reſpon-
dere non audent, rancorem tamen, &
maleuolentiam in pectore verſant. Quia
verò Patres alij pleraſq; alias circumſtan-
tias addunt, omnes eas percurram, ac bre-
uiter illuſtrare conteudam. Prima cir-
ma circumſtantia eſt: libenter obedire, cũ Pſal. 38.
Dauidé dicendo Pſal. 38. *voluntariè ſacri-
ficabo tibi, & confitebor nomini tuo Domi-
ne*. Ille autem dicitur libenter obedire,
qui ſui cordis repugnantiam vincens, in-
iunctum ſibi opus à Prælato prompta vo-
luntate perficit: vt enim dixit D. Bernar. D. Bern.
de gradib. obed. *Omnis ætas ab adoleſcen-
tia ſua prona eſt ad malum, & vnuſquiſque
voluntatem praui ſui cordis ſectatur. Ab
illa enim prima præuaricationis anguſtia
innatus eſt homini amor propriæ volunta-
tis, quæ voluntatem ſui Creatoris relinquens
ibi ſubdita eſt ſeruire, vbi voluit dominari.
Difficile ergo eſt, ſuam relinquere volunta-
tem, & alterius voluntati deſeruire*. Hanc
tamen difficultatem ſuperat verus obe-
diens, prompta voluntate exercens, quod
ſibi iniungitur, quo non parùm pulchritu-
dinis in conſpectu Dei anima eius compa-
rat: ſicut enim cùm lutum obſequitur fi-
gulo quaſi vilitatem luti deſinit, quia in-
duſtria figuli illud in vas pulchrum, & di-
gnum precio conuertit, ita dùm volunta-
rie quiſque Deo in ſuis Prælatis ſubijci-
tur, habitaculi Deo pulchritudinem, ac
decorem lucratur. Secunda circum-
ſtantia eſt: obedire cum ſimplicitate, hoc
eſt, abſq; diſquiſitione quod iubetur per-
ficere.

D.Baſil. ficere, vt enim docuit D. Baſilius in Con-
ſtitution. monaſt. cap. 23. interrogatio il-
la: quare hoc, vel illud Superior præcipit,
diaboli interrogatio eſt ad Euam dicẽtis:
Geneſ.3. *cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis
de omni ligno Paradiſi?* Vnde ibidem ſan-
ctus hic Doctor duplici comparatione ſa-
tis apta, altera ouis, altera inſtrumẽti, ſim-
plicitatẽ hãc obediẽtiæ explicat: quemad-
modum enim oues ſuo Paſtori obtempe-
rant, quamcumque ille vult viam ingre-
dientes; ſic veri obedientes, qui nõ vt vul-
pes, duplicitatem amantes, ſed ſimplices
illæ oues Chriſti ſunt, de quibus ipſe dixit:
Ioann. 10. *oues meæ vocem meam audiunt*, nihil per-
ſcrutantes, Prælatis ſuis obediũt; & quem-
admodum faber ſingulis artis ſuæ inſtru-
mentis pro arbitrio vtitur ſuo, neque vn-
quam contingit inſtrumentum repugnare
vſui, ad quem deſtinatur; ita obediens in-
ſtar inſtrumenti, ſinere ſe debet moueri ad
quodcumque opus Prælato eo vti placue-
rit. Tertia circumſtantia eſt: hilariter obe-
2.Cor.9. dire, iuxta illud Pauli. 2. Cor. 9. *non ex tri-
ſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim dató-
rem diligit Deus*, quod & prius mihi dixiſ-
Eccleſiaſt.35. ſe videtur Eccleſiaſt. cap. 35. *In omni dato
hilarem fac vultum tuum*, atque ad hanc
circumſtantiam elucidãdam, notauit Ric-
Ricard. de S. Victore. cardus de S. Victore tract. de Sacrif. Da-
uid, & Abrahæ, mirabile myſterium in eo
latere, quod Dauid bouem mactauit Deo:
Pſal.65. *offerã tibi boues, cum hircis*. Pſal. 65. Abra-
Geneſ.15. ham vero Gen. 15. vaccam ſacrificauit ex
præcepto Dei dicentis: *ſume mihi vaccam
triennem*; Miſterium autem in hoc delite-
ſcens his verbis ingenioſè aperuit: *Videa-
mus modò quid ſibi velit hoc ſacrificium
Abrahæ, vel in quo videtur ab illo iam di-
cto Dauid ſacrificio differre. Quid quæſo
eſt, quòd Dominus à ſummo Patriarcha
non bouem, ſed vaccam quærit? num quid-
nam in hoc genere hoſtiarum plus feminã,
quàm maſculum diligit? forte ſic eſt; neque
enim à tanto amico exigeret, quod minus
ipſe diligeret. Si myſticè dicta myſtica in-
terpretatione diſcutiantur, puto palam fieri
ratum inueniri, quod dicitur. Scimus de bo-
ue, quia iugum portare poteſt, lac autem
dare nõ poteſt; contingit verò, vaccã vtrum-
que facere; & lac dare, & Domini ſui iugũ
portare. O quale ſacrificium, eſt obedientiæ
iugum humiliter portare, & inter quælibet
obedientiæ ardua, cordis dulcedinem per ver-
ba diſtillare: Multi cùm dura ſibi præcipiun-
tur, moleſtum quidem habent, nec tam dul-
citer, quàm fortiter ſuſtinent. Scimus autem,
quia maſculinus ſexus plus quam femini-
nus fortior eſt, ſed lac tamen dare non po-
teſt. Bouem itaque facit obedientia fortis:
Vaccam verò obedientia dulcis: bouem offer-
re, eſt obedire viriliter, vaccam offerre, eſt
obedire gratanter: bouem offerimus, obe-
diendo conſtanter, vaccam offerimus, obe-
diendo gratulanter: caro bouina, obedientia
robuſta, caro vaccina, obedientia iucunda.*
Quarta circumſtantia perfectæ obediẽtiæ,
eſt velocitas. Hanc diuina eloquia vobis
ſuadent, Patrum auctoritas commendat,
& Sanctorum exempla docent. Iuſſus eſt
Abraham immolare filium ſuum, & velo-
citatem eius obedientiæ notat ſacra Scri- Geneſ. 22.
ptura, dum ait: *exurgens manè ſtrauit aſi-
nam ſuam, & adhibuit ſecum duos pueros,
& Iſaach filium ſuum.* Dauid ad hanc ve-
locitatem alludens. Pſalm. 147. ait. *Qui* Pſal.147.
*emittit eloquium ſuum terræ: velociter cur-
rit ſermo eius.* Quis autem non videat,
quòd ſermo velociter currens ſequentem
ſe deſiderat habere velocem? Olim quan-
do agnus typicus mãducabatur, Exod. 12. Exod.12.
poſtulauit Dominus velocitatẽ in come-
ſtione illius: *comedetis feſtinanter*. Chayn,
Geneſ. 4. præceptum accepit à Domino Geneſ 4.
immolandi ei munera de fructibus terræ;
quia tamen velociter id non præſtitit, ſed
tardauit, & moram fecit, repulſam accepit
à Domino, quando illa obtulit. Sic enim
ait ſacer textus: *Factum eſt poſt multos
dies, vt offerret Chain de fructibus terræ
munera Domino*: ſuper quæ verba D. Am- D.Ambroſ.
broſius lib. 2. de Chain cap. 7. ait. *Duplex
culpa: vna, quòd poſt multos dies obtulit: al-
tera, quòd ex fructibus, non ex primis fru-
ctibus. Sacrificium autem, & alacritate
commendatur, & gratia.* Hanc eandem
velocitatem poſtulauit Dominus à Zac-
chæo, Luc. 19. cùm ei dixit: *Zacchæe, feſti-* Luca 19.
*nans deſcende, quia hodie in domo tua opor-
tet me manere. Ille feſtinans deſcendit, &
excepit Dominum gaudens.* Inſuper etiam
Dominus ei dixit: *Salus domui huic facta
eſt*. Vbi obſerua, quòd ſicut Chain ſua
tarditate meruit in pœnam, Dei repulſam,
ita Zacchæus ſua velocitate ſalutem do-
mus ſuæ recepit in præmium. Hæc ex ſa-
cris literis, nonnulla modò ex Patribus
ſubijciam. S. Benedictus in ſua regula c. 5. S. Benedictus.
huius

huius velocitatis memor, inquit: *mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo*, & iterum ait: *hæc ipſa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus: ſi quod iubetur non tardè, non tepidè fiat*. D. Bernardus de gradibus obedient ait: *Verba illa, quæ per legem Dominus dedit, quæ per ſemetipſum præſertim exhibuit, quæque per Eccleſiæ Præpoſitos tradenda reliquit, veloci ſunt obedientia conſummanda*. Vt autem ad exempla noſtratia veniamus, Caſſianus, de inſtitut. cap. 12. de velocitate in obediendo antiquorum Monachorum ſermonem inſtituens, ait: *Conſidentes intrà cubilia ſua, & operi, ac meditationi pariter intendentes, cùm ſonitum pulſantis oſtium, ac diuerſorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos ſcilicet, ſeù ad opus inuitantis, certatim à cubiculis ſuis vnuſquiſque prorumpit, itaut is, qui opus ſcriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoaſſe literã, finire non audeat: ſed in eodem puncto, quo ad aures eius ſonitus pulſantis aduenerit, ſumma velocitate proſiliens, ne tantum quidem moræ interponat; quantum cœpti apicis conſummet effigiem: ſed imperfectam lineam literæ derelinquens, non tam operis compendia, lucraue ſectetur, quam obedientiæ virtutem exequi toto ſtudio, atque æmulatione feſtinet*. cui perſimile eſt, quod Syluanus Abbas in vitis Patrum apud Euagrium narrat, diſcipulum illum præ alijs dilexiſſe, nomine Marcum, cuius tanta erat obedientia, vt à magiſtro vocatus, literam, O, mediam reliquerit, nec eam præ deſiderio promptæ obedientiæ impleuerit. Quinta circumſtantia, eſt fortitudo, & perſeuerantia in obediendo, iuxta illud regij vatis Pſal. 118. *Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua*. Vnde & ipſe Dauid Pſal. 30. ad fortitudinem in obediendo nos exhortans. *Viriliter* (inquit) *agite, & confortetur cor veſtrum*. Cum hac tamen fortitudine coniungenda eſt perſeuerantia, cùm certum ſit non ſufficere ad ſalutem, benè incipere; non enim dictum eſt, Matth. 24. qui cœperit; ſed *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: quare Diuus Paulus 2. ad Tim. 4. dixit: *Curſum conſummaui in reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ*. Certe ſibi repoſita non eſſet, ſi curſum tãtùm

S. Bern. — Caſſian. — Syluan. Abb. — Pſal. 118. — Pſal. 30. — Matth. 24. — 2. ad Thim. 4.

cœpiſſet, & non perfeciſſet, ideo ipſe 1. Corinth. 9. monet: *Sic currite, vt comprehendatis*.

Quintus gradus obedientiæ eſt, vt non ſolùm opus præceptum impleatur, ſed vt obediens omnino ſubijciat, & conformet voluntatem ſuam cum voluntate Prælati, itaut nulla ratione diſſentiat ab eo. Qui hoc modo obedit, verus æmulator eſt Chriſti, dicentis, Ioann. 6. *non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*. Et quod valde mirandum eſt, non ſolum voluntati Patris, ſed & ſuorum hoſtium, ſe voluntariè tradi permiſit Luc. cap. 23. de Præſide Pilato dicente, & aſſerente. *Tradidit eum voluntati eorum*. Quid ergo mirum, ſi nos voluntati Prælatorum tradamus, cùm ipſe dominus, & Redemptor noſter voluntati ſuorum hoſtium prò nobis ſe dedit? vult Deus veros obedientes eſſe inſtar Columbarum: quia ſicut illæ ablatis proprijs filijs non dolent, non requirunt, vt docet D. Hieronymus in cap. 7. Oſæe, ita veri obedientes, quantumuis eorum Prælatus ab eis auferat proprias voluntates, & appetitiones, oppoſitum eius, quod ipſi deſiderabant, eis præcipiens; non conqueruntur, non obmurmurant, ſed voluntati eius per omnia conſentientes, & ad omnia difficilia mandata, quaſi inſenſibiles ſe exhibentes, facti in hoc, ſicut columba non habens cor, obediunt: ad quod reſpiciens D. Doroth. dieta 1. ait, *ſi liberari perfectè volumus, & ab hoc ſæculo diſcedere, oderimus in primis voluntatem noſtram, & ſic breui, diuino præſidio ad impaſſibilitatem animi perueniemus*. D. Bernardus ſerm. ad ſtantes in capitulo, ad hoc genus perfectæ obedientiæ per reſignationem voluntatis in voluntatem Prælatorũ, fratres ſuos exhortans, inquit: *Porrò quiſquis, vel apertè, vel occultè ſatagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei ſpiritualis pater iniungat; ipſe ſe ſeducit, ſi fortè ſibi, quaſi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipſe Prælato, ſed magis ei Prælatus obedit*. & paulo inferius ait: *Heù plures habemus Euangelici illius cæci, quàm noui Apoſtoli inuitatores. Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum). vt faciam tibi? quanta eſt miſeratio tua, Domine, quanta dignatio tua. Siccinè Dominus quærit, vt ſerui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non conſiderauit, non*

1. Cor. 9. — Ioann. 6. — Luca 23. — D. Hier. — D. Dorotheus. — D. Bernard. — Luca 18. 41.

expauit,

expauit, non exclamauit: abſit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis, ſic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meã à te, ſed à me tuam quæri, & fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia verè neceſſaria erat hæc in loco conuerſio. Sic profectò, ſic multorum, vſque hodie puſillanimitas, & peruerſitas exigit, vt ab eis quæri oporteat: quid vis, vt faciam tibi? non ipſi quærant: Domine, quid vis, me facere? Tandem Seraphicus noſter Pater, ſanctus Frãciſcus exemplo corporis mortui perfectã hanc obedientiam declarabat. Cùm enim quæreretur ab eo, (vt auctor eſt Sãctus doctor Bonauentura in vita eius) quis eſſet verus obediens iudicandus? corporis mortui ſimilitudinẽ pro exemplo poſuit. Tolle (inquit) corpus exanime, & vbi placuerit, pone: videbis, non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum. Quòd ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet: ſi collocetur in purpura palleſcet. Hic verus obediens, qui cur moueatur, non dijudicat, vbi locetur, non curat, vt tranſmuterur, non inſtat: euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem, plus honoratus, plus reputat ſe indignum. Qui ergo ita ſe habuerit, illa verba Chriſti ſibi vſurpare poterit: *non mea, ſed tua fiat voluntas.*

S. Franciſc.

D. Bonauen.

Luca 2.

Sextus perfectæ obedientiæ gradus eſt, cum ſubditus non ſolùm voluntatem cum volunrate Prælati, ſed & intellectum, & iudicium proprium cum intellectu, & iudicio illius conformat, illud melius eſſe iudicans, quod melius ſuperior cenſet. Circa hunc obedientiæ gradum, nulla magis ſelecta hìc aſcribenda cenſui, quam quæ à Patribus traduntur. D. Chryſoſtomus homil. 2. ad Romanos, explicans verba illa cap. 1. *Nolo vos ignorare, fratres, quia ſæpè propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc*, ſynceram Diui Pauli obedientiam ponderans, ſic ſcribit. *Quòd fuerit prohibitus, dicit; quamobrem autem, non item, neque enim examinat Domini mandatum, ſed paret tantum; quamquam par erat hæſitare, qua de cauſa Vrbem tam ſplendidam, tam magnam, & ad quam ſeſe totius orbis oculi conuerterent, prohiberet Deus, quominus talem magiſtrum tãto iam tempore aſſequeretur. Siquidem quiſquis imperantem, dominantemque Vrbem vicerit, is & ſubditos paruo negocio adorietur; at quiſquis regaliore Vrbe miſſa, ſubditis ſubigendis inſidias parauerit, idem caput ſe negligere oſtendit. Sed tamen nihil horum Paulus curioſè indagat, quin potius incomprehenſibili prouidentiæ cedit, partim animi ſui moderationem ſpectatam faciens, partim nos omnes erudiens, à Deo numquã exigendam eſſe eorum, quæ facit, rationem, etiamſi ea multorum animos turbare videantur: Domini enim ſolius eſt, iubere, famulorum autem parere. Atque hac quidem de cauſa, quod prohibitus ſit, dicit, non etiam quare ſit prohibitus: neque enim, ego id ſcio, inquit, ne me igitur interrogetis, quænam ſit voluntas, aut ſententia; nam neque figmentum opifici dicit: quid me ſic finxiſti? Qua igitur, obſecro, de cauſa id & tu ſcire elaboras? neſcis illum omnium curam habere? illum ſapientem eſſe? illum nihil fruſtra, nihil temere agere? illum te magis amare, quam proprij Parentes ament? illum, vehementiſſimè, ac longo quidem interuallo, & patris pietatem, & matris curam ſuperare? Itaque nihil amplius perueſtiges, neuè vlterius progrediaris* hactenus D. Chryſoſtomus. Nunc audiamus Diuũ Bernardum de præcept. & diſpenſat. cap. 13. hæc præclara proferentem: *Porrò imperfecti cordis, & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſius diſcutere, hærere ad ſingula, quæ iniunguntur, exigere de quibuſcumque rationem, & malè ſuſpicari de omni præcepto, cuius cauſa latuerit; nec vnquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, ſeu expedire monſtrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata ſatis, immo nimis moleſta eſt huiuſcemodi obedictia. Non planè hæc, illa eſt, quæ ex regula traditur, obedientia ſine mora, diſputare profectò hoc eſt, in actu cordis, non in auditu auris obedire. Iſtius modi ergo carnalem animã non modò premi, ſed etiam opprimi pondere præſumptæ perfectionis neceſſe eſt, quia non poteſt portare caro infirma, quod ſolus ſpiritus promptus experitur, iugum eſſe ſuaue, & onus leue. Chriſti quippe iugum, & onus eſt, & omnino importabile, niſi Chriſti ſpiritu:* hæc ille, quibus adnecto quædam alia pulchra valde B. Ignatij Loiolæ in epiſtola obedientiæ ad fratres ſuos, vbi in hunc modum loquitur. *Præterea, niſi hæc obedientia iudicij exiſtat, fieri non*

D. Chryſoſt.

D. Bernar.

B. Ignatius.

ri non poteſt, vt vel conſenſus voluntatis, vel executio talis ſit qualem eſſe oportet. Natura enim ita comparatum eſt, vt animi noſtri vires, quæ appetitiuæ dicuntur, ſequantur apprehenſiuas, & niſi adhibita vi voluntas iudicio repugnante diu obtemperare non poterit. Quòd ſi fortè quis aliquo temporis ſpatio obediat per communem illã apprehenſionem, qua cenſetur perperam etiã præcipienti parendum eſſe, certè id ſtabile, ac fixum eſſe non poteſt, atque ita perſeuerantia defecit, vel ſaltem obedientiæ perfectio, quæ in promptè, vel alacriter obediendo conſiſtit. Non enim ibi poteſt eſſe alacritas, ac diligentia, vbi eſt animorum, ſententiarumque diſſenſio. Perit etiam exequendi ſtudium, & celeritas, cùm ambigitur, expediat nec ne facere, quod iubemur. Perit illa celebris obedientiæ cæca ſimplicitas, cùm apud nos ipſos in quæſtionem vocamus, rectè nè præcipiatur, an ſecus? atque etiam fortaſſe damnamus ſuperiorem, cùm ea mandet, quæ nobis non ita iucunda ſunt. Perit humilitas, quoniam etſi ex altera parte pareamus, ex altera tamen noſmetipſos ſuperiori præferimus. Perit in rebus arduis fortitudo, perit denique, vt ſummatim omnia complectar, virtutis huius vis omnis, ac dignitas: ſuccedunt autem in eorum locum dolor, moleſtia, tarditas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliaque vitia non ſanè leuia, quibus obedientiæ pretium, ac meritum prorſus extinguitur, hactenus B. Ignatius. Ex quibus omnibus colligo, illud religioſæ vitę cultores ad iudicij obedientiam amplectendam valde incitare debere, quòd qui eam non habet, onus grauiſſimum reputat, ſe mandatis aliorum ſubijcere: Quid enim grauius, quàm actione præſtare quæ intellectus iudicat penitus non conuenire? aut quid importabilius, quàm illa facere, quæ iudicamus non eſſe facienda, & illi parere, quem contemnimus, ipſumque decipi, & perperam iubere ſentiamus? D.Paul.2.Corint. 2.Cor.11.
11. dixit. *Timeo, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Non diſſimiliter, valde ego pertimeſco, ne quorumdam regularium vana ingenij ſubtilitas, & nimia ſolertia, eos ſicut ſerpens, decipiat, & ſenſus eorum corrumpat, dum ſub prætextu maioris ſcientiæ in examinandos, & iudicandos Prælatorum actus præcipites feruntur. Hi ſanè excidunt à ſimplicitate obedientiæ Chriſti, matris Euæ inobedientiam ſectantes, quæ curioſè de mandatis diuinis inquirebat; & vt mihi videtur, certè iſti nondum plenè in religioſam diſciplinam ſunt ingreſſi: cùm enim duo ſint, quaſi pedes animæ, quibus ad cœleſtia properatur, Intellectus, atque. Voluntas, vno tantum proculdubio, ſcilicèt voluntate, erit religioſus intrà religionem, per quam Prælati voluntati conſentit; altero tamen pede, ſcilicet intellectu, manebit in ſæculo, quo Prælati obedientiæ diſſentit. Vnde ſicut, tanquam portentum, iudicatum eſt Apoc. 10. quòd Angelus figeret pedem dexterum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram; ita inſtar prodigij, immo, & horrendi monſtri cenſendus eſt religioſus, qui pede tantùm voluntatis vitam religioſam, pede verò iudicij proprij vitam ſæcularem, qua ſe ipſum regit, & ducit, attingit. Apoc. 10.

Vltimus, ac ſupremus obedientiæ gradus eſt, iuxtà communem ſanctorum Patrum doctrinam, cœca quadam ſubiectione Prælatorum iuſſa implere. Tunc autem cœca obedientia exercetur, cùm quoties peccato manifeſtè non apparente, in eo, quod præcipitur, abſque vlla prorſus diſquiſitione, ſapienti quadam ſinceritate ſtatim obeditur. Hanc cœcam obedientiam, quia multi calumniantur, oportet prius ſanctorum Patrum monumentis, qui frequenter illam docuerunt, conſtabilire. Atque vt ab Scholaſticis Doctoribus, qui rigoroſius loqui ſolent, exordiar. D.Tho. D.Thom.
1. 2. q. 13. ar. 5. ad tertium diſputans, an quis poſſet aliquid impoſſibile faciendum eligere? ad idque attuliſſet regulam quandam Sancti Benedicti dicentis, *tentandum eſſe, etiamſi quid impoſſibile Prælatus iubeat*, hæc verba habet: *Hoc ideo dicitur, quia, an aliquid ſit poſſibile, ſubditus non debet ſuo iudicio definire; ſed in vnoquoque iudicio ſuperioris ſtare.* Certè, non poteſt magis cœca obedientia à ſubdito exigi, quam vt an ſibi poſſibilia præcipiantur, non diſcutiat, nec videat, ſed ea agere pro viribus contendat. Cæſarius Cæſar.hom.8.
Arælatenſis Epiſcopus de Obedientia hęc habet. *Quicquid tibi à ſenioribus fuerit imperatum, accipe tanquam de Cælo, ſicut de ore Dei prolatum. Nihil reprehendas,*

nihil

Digitized by Google

nihil diſcutias, in nullo prorſus murmurare præſumas: totum ſanctum, totum iuſtum & vtile iudica quicquid tibi à Prælato videris imperari. Quonam modo hæc implebit, qui non iudicium ſuum in eorum, quæ imperantur, ratione, & inquiſitione cæcauerit, & tractatu 8. collatione 3. in ſecundo tomo opuſculorum, hæc tradit: *Obedientia debet eſſe prompta ſine dilatione, deuota ſine dedignatione, voluntaria ſine contradictione, ſimplex ſine diſcuſſione, perſeuerans ſine ceſſatione, ordinata ſine deuiatione, iucunda ſine turbatione, ſtrenua ſine puſillanimitate, & vniuerſalis ſine exceptione. Qualiter nos audimus noſtros ſuperiores, taliter noſtras exaudit Deus orationes. Verbum illud, ſimplex ſine diſcuſſione, ab obedientia oculos humanæ prudentiæ tollit, & prudentiam ſpiritus maiorum præcepta non diſcernentem docet.* Sanctus Hieronymus epiſtola tertia ad Ruſticum, eandem cœcam obedientiam in hæc verba monet: *Præpoſitum monaſterij timeas, vt dominum, diligas, vt parentem: credas ſalutare, quicquid ille præceperit, nec de maiorum ſententia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt, dicente Moyſe: audi Iſrael, & tace. Nihil autem aliud nos vocamus, cœca obedientia parere, niſi de maiorum ſententia minimè iudicare.* Caſſianus libro quarto de Inſtitutio. cap. 41. ait: *ſtultum te, ſecundum Apoſtoli ſententiam facias in hoc mundo, vt ſis ſapiens; nihil ſcilicet diſcernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata: ſed cum omni ſimplicitate, ac fide obedientiam ſemper exhibeas; illud tantùmmodo ſanctum, illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicans, quicquid tibi, vel lex Dei, vel ſenioris examen indixerit. Tali enim inſtitutione fundatus ſub hac diſciplina poteris durare perpetuò, & de Cœnobio nullis tentationibus inimici, nullis facinoribus deuolueris.* Humbertus epiſtola ad fratres de tribus votis, in hunc modum eos exhortatur. *Quapropter, dilectiſſimi, ſitis ſicut aurum ductile, & quaſi virga flexilis, quæ recta, & curua redditur ad libitum artificis. Sitis vt Rotæ volubiles, quæ ſecundum impetum ſpiritus mouebantur. Sitis, vt iumentum apud Deum, cuius dorſo indifferenter quælibet imponuntur.* & rurſus: *Tam ſimplex ſit obedientia veſtra fratres, vt iniuncta ſine diſcuſſione facientes, iudicetis de veſtro nec in minimo vos habere: nam quiſquis intentionem præcipientis iudicat, bellum intrinſecus parat: per hoc enim, quod cauſas mandatorum, quas ignorat, diſcutit, in labirinthum erroneum ſeſe ponit.* hæc ibi. Hugo 2. de clauſt. animæ cap. 13. erudite ſatis de hoc argumenti genere diſſerens, inter alia hæc profert: *Nec bonis obedies in malo, nec peruerſis contradices in bono. Filij Iſrael auſi ſunt explorare terram, quam eis promiſerat Dominus, & inde quid ſecutum eſt, niſi vt timerent ingredi eam? vnde dixerunt: Nuntij terruerunt cor noſtrum. Sic prorſus, ſi mandata Domini ore Prælatorum expoſita cœperis explorare, ſi rationes, & cauſas diſquirere, ſi difficultatem meditari, vano timore perculſus, ſæpè ab opere tibi iniuncto deſilies, & terram bonam, ideſt præmium labori iniuncto promiſſum amittes. Signum magnum ſuperbiæ eſt ad omnia, quæ præcipiuntur hærere, & ea velle trutina noſtræ rationis expendere.*

Ibidem. *S. Hieron.* *Caſſianus.* *Humbertus.* *Hugo.*

Non ſolum autem verbo ſancti Patres cœcam docuere obedientiam, ſed quod magis intereſt opere, & exemplo illam confirmarunt. Vt enim refert Caſſianus lib. 4. cap. 24. quidam monachus, Ioannes, nomine ad præceptum ſui Abbatis præcipientis illi, vt lignum ſiccum, quod ille fixit coram eo in terra, bis quotidie rigaret adducta aqua e longiſſimo loco, vt diuturno humore reuireſceret, ille per integrum annum aridum lignum rigauit, per multos alios rigaturus, niſi ceſſare iuſſus fuiſſet. Perſimileque huic eſt, quod Sulpicius Seuerus narrat de quodam alio, qui idem præſtans rigationis officium circa aridam virgulam, radices illa emiſit, & fronduit, vnde ille ait: *Ego ipſam ex illa virga arbuſculam, quæ hodie intrà atrium Monaſterij eſt ramis virentibus vidi; quæ quaſi in teſtimonium manens, quantum obedientia meruit, oſtendit.* Sed redeo ad Caſſianum narrat idem cap. vigeſimoquinto de eodem Ioanne, quòd cùm ſenis vocem audiſſet, vt ſaxum quoddam ingens, & immane aduolueret quãtocitius, quod

Caſſianus. *Sulpic. Seuer.* *Caſſianus.*

magna hominum turba mouere non poſſet, ipſe applicita nunc ceruice, nunc pectore, tanto impetu illud mouere conatus eſt, vt ſudore omnium membrorum, non ſolùm veſtes, ſed etiam ſaxum humectaret Cap. autem 26. commemorat de Mutio, quòd cùm proprium filium vnicum, quem ad monaſterium adduxerat, iuſſus fuiſſet ab Abbate, probationis cauſa, vt in flumen proijceret, confeſtim ille, tanquam ſi à Domino hoc ſibi præceptum fuiſſet, celeri curſu rapiens filium vlnis proprijs, vſque ad oram fluminis eum iactaturus adduxit. Prohibitus tamen à fratribus, reipſa non iactauit; adeoque hæc cœca obedientia Deo placuit, vt ſeniori reuelaret parem fuiſſe obedientiam illius obedientiæ Abrahæ. Narrat prætereà Sulpicius ſupracitatus, quòd cùm quidam Abbas præciperet ſubdito vt fornacem ardentem ingrederetur, ille cœca quadam obedientia grauem illam difficultatem ſuperante, medias flammas nihil cunctatus eſt ingredi; contigitque (Deo mirificè illam obedientiam approbante) vt flammarum ardor, ſicut olim tribus pueris in camino ignis immiſſis, libenter cederet, nihilque nocumenti ei inferret. Mirabile eſt etiam id obedientiæ exemplum, quod Diuus Gregorius lib. 1. Dialogorum cap. 7. de Beato Mauro, diſcipulo Sancti Benedicti commemorat: *Quadam verò die, dum idem Venerabilis Benedictus in cella conſiſteret, prædictus Placidus puer ſancti viri monachus, ad hauriendam de lacu aquam, egreſſus eſt, qui vas, quod tenuerat, in aquam incaute ſubmittens, ipſe cadendo, quoque ſecutus eſt, quem mox vnda rapuit; & penè ad vnius ſagittæ curſum eum à terra introrſus traxit. Vir autem Dei, intrà Cellam poſitus, hoc protinus agnouit, & Maurum feſtine vocauit dicens: frater curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, iamque eum longius vnda trahit (res mira, & poſt Petrum Apoſtolum inuſitata) benedictione etenim poſtulata, atque percepta ad Patris ſui imperium concitus perrexit Maurus: itaque vſque ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram ſe ire exiſtimans, ſuper aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, curſu rapido redijt: qui mox, vt terram tetigit, ad ſe reuerſus, poſt tergum reſpexit, & quia ſuper aquas cucurriſſet agnouit, & quod præſumere non potuiſſet, vt fieret, miratus extimuit factum, reuerſus itaque ad Patrem, rem geſtam retulit: Vir autem venerabilis Benedictus hoc non ſuis meritis, ſed illius obedientiæ deputare cœpit*, hæc ille. Similia tradunt Dorothæus doctrina prima, Symeon Metaphraſt. in vita ſanctæ Theodoræ, & Surius in vita ſanctæ Melaniæ, quæ quia non aliter facta cenſeri debent, quam ex ſpeciali aliquo Dei inſtinctu, non illa ſcribimus, tanquam temere imitanda, ſed vt admiranda, & vt ea expendentes, ad cœcam obedientiam, quę in omnibus paret, vbi manifeſtè peccatum non cernitur, inuitemur, & impellamur, quicquid nonnulli aduerſus eã oblatrent.

Caſſian. — B. Greg. — S. Theodoræ. Metaphraſt. Surius.

Sed iam perge quæſo, vt cœcæ obedientiæ encomia magis appareant ex ſacris Scripturis illam neruoſius adhuc ſtabilire. Ego ſanè cultori illius, ab Iſaia dictum arbitror cap. 50. *Qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum*; ac ſi dicat: qui magis tenebras cœcæ obedientiæ quàm humanæ rationis lumen amat, ſperet, quòd à Domino dirigetur, ne cadat. Ita præſtitit magnus Pater Abraham qui licet alioquin vocem Domini audiuiſſet ei dicentem, per Iſaach genus eius eſſe propagandum, nihilominus tamen, vbi mandatũ accepit, vt illum occideret, continuò, abſque vlla diſquiſitione, cœca obedientia diuino obtemperãs præcepto, mane ſurgens perrexit ad montem, vt filium immolaret. Ita etiam præſtitit Samuel, qui (vt habetur 1. Regum, c. 3.) vocatus à Domino, putans tamen ſe à magiſtro ſuo Heli vocari, intempeſta nocte à lecto ſurrexit, ter ad illum acceſſit, ter ab illo in lectum dimiſſus eſt. Ecce non dixit intra ſemetipſum: hic ſenex delirat, nunc me vocat, nunc remittit: vel quaſi ſomnians, me acerſit: nihil curabo de eius voce, ſed vſque ad auroram requieſcam. Nihil tale dixit, vt his verbis ſapienter expendit Diuus Gregorius lib. 2. in cap. 3. Reg. *Puer humiliter homini ſubiectus, atque ardua obedientiæ arce ſublimatus, dum vocatus acceſſit, iuſſus redijt, quid aliud nobis hoc exẽplo præbet, niſi altiſſimæ formã obedientiæ?*

Iſai. 50. — Geneſ. 22. — 1. Reg. 3. — D. Greg. Mag.

dientia? Vera namque obedientia, nec Præpoſitorum intentionem, diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur: neſcit enim iudicare, quiſquis perfectè didicerit obedire; quia hoc tantùm bonum putat, ſi præceptis obediat. Immò, & hæc obedientia cœca mihi videntur obediſſe filij Iſrael Numerorum 9. cùm ibant per deſertum; eorum quippè oculi noctu, diuque in columnam nubis, & ignis, quæ illos ducebat, conijciebantur: prout enim illa quieſcebat, aut locum mutabat, ita illi ſeſe illius ductui accommodabant, vnde dictum eſt: *ad imperium Domini proficiſcebantur, & erigebant tentoria, atque ad imperium illius deponebant:* ecce abſque vlla hæſitatione, aut diſquiſitione obediebant. Ad hæc, quid de Oſæa propheta dicam, qui cùm inſigni ſanctitate polleret, iuſſus à Deo, ad fornicariam feminam accedere, ille cœca obedientia paruit, rationem tàm inuſitati præcepti curiosè non expoſtulans. Quid de Diuo Paulo referam, qui poſtquam ad tertium Cœlum raptus, vbi vt volunt Diuus Auguſtinus, & ſanctus Thomas, vidit clarè Deum: iuſſus tamen ad Ananiam ire, vt ab eo edoceretur, quid facere deberet, continuò obediuit, non diſquirens cur non illum docuiſſet Dominus in raptu, cum facilè id præſtare potuiſſet, ſed ad Ananiam remitteret?

Num. 9. — Ibidem. — Oſee 1. — D. Auguſt. — S. Thomas.

Ex his igitur omnibus clarè liquet, quòd ſicut beatus Dionyſius Areopagita frequenter in operibus ſuis de cœleſti hierarchia, & de diuinis nominibus, doctam quandam ignorantiam laudat, qua de Deo nihil affirmamus, nihil cognoſcimus, quia illa dum ab eo conceptus limitatos rerum creatarum auferimus, ſub docta caligine, ipſum illimitatum, & infinitum confitemur: ita ſimiliter cœca obedientia à ſanctis Patribus aſtruitur, quæ ad noxiam libertatem oculos non habens, ad id, quod oportet, lumen ſapientiæ poſſidet. Ad quod ſanè mirificè facit, quod refert ſacra Scriptura, Geneſ. 2. de Adam, & Eua qui cùm nudi eſſent, non erubeſcebant: Ecce cœci erant ad erubeſcendum, videntes tamen, ad ſe abſque pudore contuendum. Sed numquid ſapientiores fuerunt quando, vt ait idem ſacer textus, poſt præuaricationem *aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe nudos?* nemo ſanæ mentis id dicet. Poteſt igitur eſſe quædam cœcitas ſpiritualis, quæ lumen afferat, ſicut & quædam eſt ignorantia, quæ garrulam ſcientiam ſuperat, iuxta ſententiam Diui Dionyſij. Vnde Diuus Auguſtinus 14. de Ciuitate Dei. cap. 17. dixit: *Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum: nam, & antea videbant, ſed ad diſcernendum inter bonum, quod amiſerant, & malum, in quod ceciderant. Habet itaque perfecta obedientia, qualis fuit in ſtatu Innocentiæ, oculos ad videndum, & cœca eſt ad diſcernendum: habet autem inobedientia oculos ad diſcernendum, & indagandum de neceſſitate præcepti, & cœca eſt, ad malum, quod ex tranſgreſſione præcepti naſciturum erat, contuendum. Vtraque videns eſt circumſpectè cœca ad ſalutem: hæc inſipienter videns, eſt temerariè cœca ad ſuam perditionem.*

D. Dionyſ. — Geneſ. 2. — Ibidem. — D. Auguſt.

Ad extremum, illud permultos ſciſcitari audio, cùm dubium adeſt, quod Prælatus præcipit, peccatum nè ſit? quid verus obediens facere debet? huic interrogationi reſpondet doctiſſimus Guilelmus Pariſienſis de virtutibus cap. 12. dicens: *Vbi verò dubitat ſubditus, an id licitum, aut illicitum ſit, quod iubet Prælatus, determinatum eſt, quia debet parere iuſſis Prælati. Cauſa autem in hoc eſt, quoniam in huiuſmodi dubijs, ad conſilium Prælatorum recurendum eſt, & eidem ſtandum; in hoc enim ſubditis præpoſiti ſunt Prælati, vt in eiuſmodi conſulant eiſdem.* hactenus ille, cuius ſententia omnium Theologorum calculo probata eſt, eamque luculenter docet D. Bernardus libro de præcept. & diſp. cap. 12. in hæc verba: *Sed homines (inquis) facilè falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in percipiendo fallere poſſunt: ſed enim, quid hoc refert tua, qui conſcius non es? præſertim cùm teneas de ſcripturis, quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum eſt? requirunt, dixerim legem, non quam, vel authĕtica vlla ſcriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probauerit*

Guil. Pariſ. — D. Bernar.

de huiuſmodi quippe, nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt. Sed quod ita latere, aut obſcurum eſſe cognoſcitur, vt in dubium venire poſſit, vtrum nam Deus, ſic aut aliter fortè velit; ſi non de labijs cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore angeli Domini exercituum certum reddatur, à quo denique diuina potius conſilia requirentur, quàm ab illo, cui credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei? ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus: cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia X.

In eadem verba Deiparæ: quodcumque dixerit vobis facite, *idem obedientiæ argumentum proſequimur: celebriores viros veteris teſtamenti referentes, qui heroica eius exempla nobis reliquerunt; necnon creaturas alias rationis expertes quæ Dei imperio ſemper parent.*

Origenes. ANTIQVISSIMVS Origenes libro primo in Iob, ſapienter iuſtos cœleſtibus ſyderibus confert, quæ non ſolùm ſibi, ſed & alijs lucent. *Sicut Cœli* (inquit) *luminaria, ac ſydera in firmamento cœli à Deo collocata, cunctis indeſinenter quæ ſub Cœlo ſunt, fulgent, atque omnibus, quæ ſuper terram ſunt, per tempora, ac tempora, per generationes, atque generationes mirabiliter relucent: alia quidem per noctem, vt luna, & ſtellæ: alia nihilominus per diem, vt ſolis ſpecioſiſſimi radij; ſic & ſanctorum virtutum inſignia, atque beatiſſimi eorum agones, omnibus in perpetuum ſingulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus ſub ſole, pietatis exemplum oſtendunt.* Inter ſanctos quidem illos legis ſcriptæ, alius fide præfulſit, alius caſtitate, alius manſuetudine, alius tolerantia, alius fortitudine, alius miſericordia enituit; omnes tamen illos, quotquot inſignes ſanctitate fuere, obedientia mirificè claruiſſe, & huius virtutis præclara exempla nobis tribuiſſe, ſacra eloquia conteſtantur. Iuſti Abel promptam ac perfectam obedientiam, verba illa Geneſ. 4. ſatis indicant, *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*; Geneſ. 4. cùm enim diuinum præceptum eſſet de muneribus Deo offerendis, ille tanquam verus obediens, pinguiora ſui gregis nulla interpoſita mora, Deo ſacrauit. Noè præcepit Dominus, Geneſ. 6. vt faceret centenariam ex tempore arcam, in futuro diluuio duraturam, in qua ſaluaretur genus creaturæ rationalis, & irrationalis; ipſe neque affectus tedio, neque labore ſuperatus, nec tempore longo Geneſ. 6. deuictus, nec dictis haud quaquam incredulus, nec difficultate retractus, perfecit omnino, quod acceperat in mandatis. Dixit Dominus ad Abraham, vt egrederetur de terra ſua, Geneſ. 12. & continuò egreſſus eſt. Iuſſit, vt cùm nonaginta annorum eſſet, circumcideret ſe, & filium Iſmahelem, Geneſ. 17. necnon & ſeruos ſuos, & confeſtim obediuit. Similem promptitudinem adhibuit, cùm accepto immolandi filium præcepto ſtatim in ipſa nocte ſurrexit, ſtrauit aſinum, & Iſaac, & duos famulos ſecum duxit in montem; nec turpe, aut impoſſibile ratus eſt præceptum, quia diuinum eſſe cognouerat. Geneſ. 22. Iſaach à Deo difficilia oracula accepit: cùm enim vellet tempore famis deſcendere in Aegyptum, dicente Domino, manſit in Getari ad omnem obedientiam diſpoſitus præceptoris. Iacob in laboribus, Geneſ. 26. fuit gratiſſimè obediens voci Domini, omni depoſita examinatione præcepti. Geneſ. 47. Ioſeph occulto Dei mandato obediens fratres ſuos apud Patrē crimine infectos accuſabat, eorum odia paruipēdens. Deinde, venundatus, & traditus in Aegyptum, potius voluit carceris tolerare preſſuras, & famam pudicitiæ perdere, quàm diuinam legem adulterium prohibentem violare.

violare. Vnde mandato Domini parens, pallium pro ſeruanda caſtitate reliquit in manu Aegyptiæ laſciuæ. *[Geneſ. 39.]* Moyſes diuinas iuſſiones accepit, nihil è regione allegans, niſi propriam vilitatem: nec veritus faciem peſſimi Pharaonis, intrepidus diuina iuſſa compleuit: *[Exod. 3.]* mira portenta ſola virga patrauit, diuiſum mare tranſiuit cum ceteris. Iuſſus montem aſcendere, *[Exod. 2.]* loquebatur cum Domino, à quo legem dolatis accepit in tabulis; nihil agens, præterquàm ad imperium Domini. Deſertum manſionibus calculauit, caſtra ponens ſecundùm voluntatem Dei oſtenſam in ſigno nubis. Nil impoſſibile, nil impertinens in diuinis edictionibus opponebat: iuſtum, & facile arbitrans, quod de voluntate ſummi Domini proceſſiſſet. *[Ioſue 1. per totum.]* Ioſue ſimiliter fidelis, & obediens diuina non recuſauit præcepta, non expauit pericula, quæ conſueuerunt euentus generare bellorum, ad ardua manum mittens, dux nouæ multitudinis ortæ in pugna. In deſerto Iordanis, ſe à ſuis ſuperioribus, velut, in murum firmum, aut parietem immobilem colligentem, ab inferioribus defluentem, Domino præcipiente, cum omni exercitu tranſiuit ſicco veſtigio: ſubuertit terras, atque ſubegit: interfecit Reges in deductionem, & deduxit rebelles: promiſſam terram Iſraelitis ſorte diuiſit: quod Moyſes cœpit, ipſe perfecit, Domini dictum in nullo cunctatus. Gedeon *[Iudic. 7.]* iuxtà præceptum Domini, non exiſtimauit impoſſibile cum trecentis viris plurimam multitudinem debellare, centum viginti millibus ex hoſtibus cœſis, ſpolijſque ſuſceptis; in præceptis Altiſſimi nihil non adeundum difficile arbitratus, quamuis ex debellandi labore laſſus eſſet: vt ſciebat enim Deum ſimul cùm præcepto, agendi virtutem tribuere. Multa fecit Sampſon *[Iudic. 16.]* præcepto Domini, quo ſuſcepto mente alacri ſe cùm hoſtibus interfecit: nam ſi non iuſſus id præſtitiſſet, de numero fuiſſet factus homicidarum, nec inter electos eum nominaret Apoſtolus, hic nec extinctione vitæ ſuæ in aliquo tremefactus, expauit, nam nihilo pendit vitam, quietem corporis mortem, qui præcepti virtutem, & bonitatem Domini præcipientis agnouit. Samuel Domino ter vocanti propoſita obedientia mentis à lecto ſurrexit putans vocari ab Heli magiſtri ſuo. Dauid multa oracula ſuſcepit à Domino in laboribus exiſtens à iuuentute ſua: expugnatus ſæpe, inuicto animo diuina iuſſa *[1. Reg. 3.]* complebat, patienter tolerans inimicos, inter quos etiam pertulit, quem genuerat, bellorum caumata, æquè portans ſecundùm cor Domini factus. Ipſe denique cùm Virgine, diuina laudando præcepta, ad ea obſeruanda inuitat dicens: *lex Domini immulata, conuertens animas*. Quis ergo adimplere recuſet ſuis operibus immaculatam, atque irreprehenſibilem Domini legem? quis contumax non perficiet *[Pſal. 18.]* ipſam ad Deum ad animas conuertentem è à mundo peſtifero, & diabolo peſſimo auertentem? nulla quippe conuerſio abſque, auerſione, auerſio nulla ſine conuerſione peragitur. Subiungit Dauid cum Virgine matre Domini ad ipſius præcepta nos animante: *Iuſtitiæ Domini recta lætificantes corda præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Faciamus igitur, Virgine ſuadente, quæcunque *[Ibidem.]* dixerit, quoniam iuſta præcipit, & iuſtitiæ ſuæ, ſunt mandata, quæ ab ipſo procedunt: Iuſtitiæ Domini corda noſtra lætificant, cordis autem lætitiam omnes quærunt, ſed nulla verior in hac vita, ea quàm iuſtitiæ Domini pariunt.

Ad hæc dixit Dominus Salomoni, vt *[3. Reg. 5.]* templum ædificaret, nomini eis, qui nullam recuſans ſollicitudinem, & laborem, in ſapientia ſibi conceſſa miro modo compleuit; & quamuis deliquerit, pro diuinis explendis mandatis alta ſanciuit, & ſcripta eius multis diſſertionibus, atque ſermonibus perſonant, quę Deipara Virgo vno verbo diſſeruit: & concluſit *quodcumque dixerit vobis, facite*. Præcepta varia, & laborioſa. Helias accepit à Domino, & ſuſtinentiam famis, quaſi profugus in montibus, & cauernis, non veritus facies Re- *[Luc. 2.]* gum, in Paradiſo receptus, corpore ala- *[3. Reg. 19.]* cer expectat per ſanguinem, atque mortem pro Chriſto iubente, verus teſtis, & hoſtia fieri, quod per obedientiam corda filiorum conuertet ad Patres, vt non fiant anathemata. Heliſæus factus in dupli ci ſpiritu eius, diuina nõ recuſauit mãdata nec cor eius propter comminatores Reges extrabuit, diuinorum dictorum virtutem conſiderans, ſibi omne præceptum

Ii 3 facile

facile videbatur. Prophetam verò voci Domini non obedientem, leo interfecit 3. Reg. 13. in via, nec ſibi pepercit diuina iuſtia, pro eo quòd aliàs obediuerat, in vno tamen delinquens, omnia ſint facienda quæ iubet; nam abſque exceptione Eccleſiæ magiſtra dixit: Lucæ 2. *quodcumque dixerit vobis, facite*. Iſai. 20. Iſaias requiſitus, aut iuſſus, vltrò ſe obtulit ad diuina imperia facienda, vberem illorum factionis prænoſcens eſſe mercedem, & ambulauit nudus, & diſcalceatus, ſicut ei Dominus imperauerat, in ſignum, atque portentum eorum, quæ prædicauerat, nullumque dedecus exhorruit, vt diuino præcepto obſecundaret. Superbum ſanè eſſe militem quis non videat, qui ad Regis edictum opponit opprobrium, vel honorem: aut conſiderat, qualis in horum altero ſit futurus: nam tota ſubiecti gloria eſt iuſſum feciſſe mandatum, etiamſi à communibus moribus ſingularitate diſcordet. Ac tandem, nihil dicere, aut facere recuſauit obedientiam imponenti, quouſque Regis furioſi imperio ſerra lignea ſectus interijt, mercedem iuſtæ obedientiæ ſuo tempore recepturus. Hieremias ad primam iuſſionem Domini, ignorantiam ſuã appoſuit dicens: A, a, a, *Domine Deus ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum*, ſed vbi primum agnouit Domini voluntatem, Ierem. 1. à collo ſuo iugum tarditatis excuſſit, & vincula, carceres, puteum ſuſtinuit, & catenas, & nulla triſtitia obediendi affectus, pagellas ſciſſas, atque combuſtas iterum reparauit, reprobatus, & lapidatus, imperium Domini eſt proſecutus, in nullo metam apponens ad obedientiam deſuper decernentis. Aſpiciebat enim per fidem contemptoribus diuinorum mandatorum, quiduè factoribus diuina iuſtitia reddat, & quid in lance ſuæ diiudicationis appendat. Ezechiel in multis obediens, à Domino ventilatus, atque probatus eſt: vt etiam cuilibet audienti horrorem, & nauſeam faciat, cùm iuſſus fuerit ter centum nonaginta diebus ad exprobrationem domus Iſrael, dormire Ezech. 4. ſuper vnum latus; & ad exprobrationem domus Iudæ dormire inconuertibiliter quadraginta; & panem mixtum comedere, opertum ſtercore, & multa laborioſa patientem nunquam inuenimus, eum in aliquo reluctantem. Hæc perpendens Diuus Chryſoſtomus lib. 3. de prouidentia, D. Chryſoſt. hæc in eius obedientiæ laudem, ſcripſit. *Fame itaquè, ac ſiti pro alienis cruciabatur malis, vxoreque defuncta, eum caſum abſque lacbrymis perferre videbatur. Porrò quid grauius dici poſſit, quam in ſuis aduerſis caſibus ne flere quidem permitti? omnino dummodo quòd ſuper ſtercus Bubalorum panem ſuum comedere coactus ſit, & quòd ſuper vnum latus tercentum nonaginta diebus iacere, aliaquè eiuſmodi tolerare, ſit iuſſus.* Daniel etiam, talis fuiſſe perhibetur inter filios tranſmigrationis, cùm omnia diuina decreta compleuit, vt nec coinquinaretur cibis, Regis non veritus imperium: Deum Cœli ad Occidentẽ verſus feneſtris apertis ad terram procliuus in die tribus vicibus adorabat; & inter leones coniectus, Dan. 6. manſit illæſus: & in nullo veritus humanam audaciã. Bel, Idolum Babyloniorum deſtruxit, & dracones interfecit, quia nil eſt formidabile, vbi Dominus viget calcaribus præceptorum. Oſæas de mandato Domini, Oſee. 1. fornicariam accepit vxorem, & nihil offendit moſaycam legem talia prohibentem, vbi à Domino firmum mandatum acceperat, & opprobria hominum, & ſuſurramenta crudelia penitus non expauit; nec quòd à viris in vxoribus abhorretur abhorruit: nec pudicitiam, quæ magis in eis quæritur, magni pendit: nec turpari timuit conuerſatione peioris: nihil horum conſiderans, perfecit mandatum Domini iuxta verbum ipſius: Abſit quod opprobrij notam ingerat, vbi mandat, qui Creator eſt omnium; & omnis impudicitia tollitur, vbi præcipit pudica iuſtitia: & caſtum eſt omne, quod ſcribet auctor pudicitiæ: & caſtum eſt omne, quod præcipit conditor Caſtitatis: & præceptum nouum à veteribus præceptis abſoluit, etiam ſi in eiſdem, in aliquo videatur aduerſum; & fidelis exequutio pręceptorũ inter pericula tuetur, & ab immunditijs præſeruat intactũ. Ionas, cũ dictum Dñi recuſaret, pararetq; fugam, fecit oriri Ion. 2. horrendam in æquore tempeſtatem, & ſorte deprehenſum in mare proiectum bellua marina ſuſcepit; & quando non acceſſit voluntarius, inuitus euomitur; vt luce clarius pateat omnibus, ſine vltione non

fieri

fieri tranſgreſſionem Domini præceptorũ. Vbi autem Ionas ſe cognouit diuina virtute deductum, quo ſpontè recuſabat accedere, ſollicitè diuina iuſſa compleuit, non hæſitans præteriri debere præceptum, 3. Reg. 22. cum fuerit poſitum. Micheas perſuaſioni nunciorum Regis non præſtauit aſſenſum, vt præter voluntatem Domini felicitatem futurorum bellorum pro Regibus Iuda, & Hyeruſalem, atque Samariæ, cum Prophetis mendacibus prophetaret, & exprobratus, alapa cæſus eſt, & captiuus detentus, donec euentus bellorum verbis ſuis certiſſimam fidem daret. Extat etiam perfectæ obedientiæ mirabile exemplum Num. 9. in filijs Iſrael, vt legimus lib. Num. cap. 9. eorum quippè oculi noctu, diuque in columna nubis, & ignis, quæ illos ductabat conijciebantur; prout enim illa quieſcebat, aut locum mutabat, ita illi ſe ſe illius ductui accommodabant; vnde Ibidem. dictum eſt: *Ad Imperium Domini proficiſcebantur, & erigebant tentoria, & ad Imperium illius deponebant*. Vtinam ita nos ad obediendum vires animi, & corporis applicaremus, vt ductum diuinæ voluntatis, quæ velut columna, oculis obuerſatur ſequeremur. Sic enim fieret, vt in obſequijs, non noſtrum iudicium, ſed diuinum ſpectantes, prompti ſemper eſſemus ad id, quod præcipitur ſine cunctatione peragendum; vt enim Diuus Bern. D. Bernard. ait de præcept. & diſpenſat. *Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non coarctatur, nec contenta anguſtijs profeſſionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis*. & paulò infra: *Verus obediens mandatum non procraſtinat, ſed ſtatim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & ſe totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis*. præcipitur arca Fœderis leuigatis lignis fieri, ſiue quadratis: quadratum eſt, quod parte nulla nutat, ſed quocunque proieceris, ſine vacillatione conſiſtit; tales ſunt iuſti; 2. Corinth. 4. obediunt namque in omnibus. 2. Cor. 4. *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, maledicimur, & benedicimus*. rurſus 2. Cor. 6. *Per gloriam, &* Ibidem 6. *ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam*. dolantur in quadratam formam à ſummo artifice Deo hæc ligna, vt perfectionem obedientiæ perferant, alij ſque ſint exemplo.

Quid plura? non ſolum homines, ſed animantia rationis expertia, immo, & quę omni vita, & ſenſu carẽt, obedientiæ exẽpla nobis præbent, cũ Imperio Dei illa omnia obediãt. Si cœleſtes orbiũ motus conſideremus, certè inferiores orbes ad motum primi mobilis mouentur: firmamentum ſecum ducit planetas, contra curſum ſuum. Lunam mare ſequitur, fluit, & refluit, agitatur, & regulatur ab aſtrolunari; animantia quadrupedia regem habent Leonem, volatilia, aquilam, Grues duces ſequuntur, Elephantes vnum ſuæ ſpeciei, apes ſimiliter, oues arietem: Venti, & mare obediunt ei: vnde de illo dictum eſt: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredietur*. Pſal. 103.

Hanc creaturarũm rationis expertium mirabilem obedientiam Creatori ſuo Sanctus Brunus Carthuſ. Patriarcha, attentè S. Brunus. perpendens libro de ornatu Eccleſ. capit. 10. in hæc verba prorupit: *Quid igitur dicent Monachi inobedientes, & ſuas voluntates facientes, ac per hoc Deo non placentes, cùm tota Monachorum religio ab obedientia ſit cùm viderint non ſolum rationales Creaturas, ſicut Angelos, & homines, verum etiam quæ ſenſu, & ratione carent, Domini obedire voluntati?* Atque hunc, quod *Cæli enarrant gloriam Dei*: hunc, quod *venti, & mare obediunt ei*: hunc, quòd *terra noſtra dedit fructum ſuum*: hunc, quòd *omne lignum dat fructum in tempore ſuo*. denique hunc quòd virga in ſerpentem, & aqua mutatur in ſanguinem, quòd mare aperitur, quòd petra fundit aquas, quòd manna pluit, quòd aſina loquitur, quòd Iordanis conuertitur retrorſum, quòd iubente homine Sol non mouetur; cuncta hæc obedientia facit. Sunt & alia huiuſcemodi innumerabilia, quæ in diuinis voluminibus inueniri, & colligi poſſunt; præſertim qui noui Teſtamenti paginas legerit, ibi cognoſcet quantum obedientia poſſit: ibi videbit ad hominis imperium dæmonia fugari, mortuos reſurgere, elementa mutari, leproſos mundari, cœcos illuminari, paralyticos curari: ſed quid multa? ibi videbit nihil Deum poſſe, nec naturã contra illius voluntatem; qui creauit ipſam naturam. Sed ò miſeria ſemper lugenda, & magis lachrymis, quàm verbis ſemper deploranda. Omnis creatura eſt obe-

obediens Deò, præter illam, quæ facta eſt ad imaginem Dei: ſolus diabolus, & homo inobediens inuenitur, cùm nulla alia creatura præter illos inobediens inueniatur & contumax Deo, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XI.

In illa eadem verba Deiparæ Virginis: quodcunque dixerit vobis facite, *de ſeruandis Eccleſiaſticis ceremonijs ſermonem inſtituimus.*

S. Thom.

SI Angelicum Doctorem Sanctum Thomam 1.2. quæſt. 99. art. 3. conſulamus, inueniemus, ceremonias nihil aliud eſſe, vt ibidem docet, quàm opera exteriora ad Dei cultũ pertinentia; & vt auctor eſt Valerius Maximus, a Cere oppido dicta ſunt, quia ibi fuerunt inuentæ. Et nos eas partim à natura ipſa magiſtra emanatas, partim à Deo, eiuſque Eccleſia profectas non ignoramus; ideòque ſummo in precio habendas. Quod ex vario earum fructu colligi euidenter poterit, neque enim in ceremonijs perfectionem conſtituimus, ſed ad perfectam diuinæ voluntatis obſeruantiam eas valdè conducere aſſerimus, vt enim ſæpes hortum circumuallat, & fructus cuſtodit, ita ceremoniæ deuotionem, animoſque in Deum inclinatos muniunt, & conſeruant: tepidiores excitant, & ad diuina myſteria indaganda commouent. Non ſecus, ac olim poſteri, filiorum Iſrael, videntes lapides, quos è Iordanis fundo aſportarant iuſſu Dei eorum parentes, curioſius de miraculis à Deo patratis inquirebant, & eo magis in illius dilectionem ferebantur. Næuus, quem mulier formoſa in facie habet, eam reddit pulchriorem: condimentum cibum reddit ſapidum; cum tamen per ſe nullius aliquando ſit momenti, folia licet non ferant fructus, eos tamen protegunt, & arborem exornant. Arundines, ſiue perticæ in vineis non ferunt vuas, ſed ſuſtinent. Cortex arborem tegit, & conſeruat, fructus non profert. Sic etiam ceremoniæ, quamuis eſſentia Chriſtianæ Religionis in ijs non conſiſtat, exornant tamen, & conſeruant eius myſteria, & ad egregium Chriſtianæ vitæ ornamentũ plurimũ conducunt. Quod ergo ſal carnibus, cortex arboribus gladio vaginæ, folia fructibus, ſæpes hortis, illud ſunt ceremoniæ Religioni. Declarant enim non modò illam, ſed & fouent, nutriunt, augent, & confirmant. Vnde Beatus Auguſtinus contr. Fauſt. Manich. meritò ſcripſit: *Abſque externis ceramonijs impoſſibile eſſe ſeruare religionem.*

Valer. Max.

D. Aug. cõtra Fauſt. lib. 9.

Secunda vtilitas.

Altera vtilitas eſt, quòd ceræmoniæ rudibus, & imperitis vicem ſubeunt imaginis, & viuæ picturę: plerumque enim ex ceremonijs myſteriorum agnoſcimus dignitatem, & naturam, quę alias difficiliter probaretur. Ita Beatus Auguſtinus lib. 1. de pecc. merit. & remiſſ. probat neceſſariò confitendum peccatum originale, eſto quòd nullum ſcripturæ teſtimonium ſuppeditaretur, ex eo ſolùm, quòd paruuli exorcizantur, & inſufflantur, antequam Baptiſmum ſuſcipiant; & iubentur per ora geſtantium, renunciare Diabolo, & eius pompis. Si enim nulli peccato eſſent obnoxij, non dominaretur eorum diabolus, nec ipſi indigerent ea renunciatione, & inſufflatione.

D. Auguſt.

Tertia vtilitas.

Tertia eſt, quod ceremoniæ ſunt velut Symbola militaria, quibus diſcernuntur Caſtra Sanctorum, & fidelium ab alijs. Cuius rei typum habemus ex lege vetere. Pręceperat quippe Deus, vt non ſolum agnus tinctus immolaretur, ſed ipſius ſanguine, poſtes, & ſuperliminaria linirentur. *Tranſibit enim Dominus* (inquit) *& percutiet Aegyptios, cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & vtroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Ecce teſſeram diuinę amicitię. Idem repręſentauit funiculus coccineus in feneſtra Raab meretricis, cuius conſpectus domum eius ab internecione conſeruabat: occupante Ioſue vrbem Iericho: *dixerant enim, qui miſſi fuerant exploratores; quouſque Raab meretrix abſconderit ſe à facie Regis:*

Exod. 12.

Ioſ. 2.

1. *Regis: innoxij erimus à iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam dimiſiſti nos.*

Quarta vtilitas. Et hinc quarta vtilitas emanat; quòd cæremoniæ Dei memoriam, & amorem in nobis aliàs ſopitum excitent, & benè operandi anſam ſubminiſtrent: nec non mole corporis preſſis ad ſomnolenti animi excitationem, mirum in modum commouent, & ad eum modum, quo generoſus equus itinere iam longo fatigatus, vbi primum claſſicum perſonuit, in robur erigitur; ita noſter animus excitatur. Et ſicut Elephantus igne oſtenſo, in audaciam exurgit: ita virtus noſtra eneruata rebus ſæcularibus, exterioribus incitabulis, ſeu vocum, ſeu figurarum, ſeu rerum aliarum indiget, vt animi noſtri vigor ſpirituali operi robuſtius inſtet, & contemplatio noſtra tanto acrius in ſublime prouehatur; & in hoc potiſſima cæremoniarum ratio conſiſtit. Ideòque in veteri teſtamento palmas tetenderunt, brachia expanderunt, genua reclinarunt, vaccam triennem, turturem, & columbam per medium diuiſerunt, Tau ſignum ſuper ædiū poſtes, & frontem notarunt, ſerpentem æneum aſpexerunt: licet pleraque eorum non niſi vmbræ, & futurorum imagines fuerint, iamque ſublata ſint. Sed & ſuperſtitioſa Deorum cultrix antiquitas vſque adeò cæremoniarum cultum æſtimauit, vt Metellus Pont. Max. paſſus non fuerit. Poſtumium Conſulem in Africam ad bellum gerendum proficiſci, niſi ſacris peractis: non enim ſe tutò ille Martio certamini commiſſurus videbatur, ſi non cæremonias Martis obſeruaſſet, vt teſtis eſt Valerius Maximus cap. de Religione. *Val. Max.* In noua etiam lege manus lauamus, genua coram Deo procidentes flectimus, cereos accendimus, thus cremamus, cruce frontem ſignamus, & alia facimus, quæ piè ab Eccleſia, quæ Spiritu ſancto gubernatur, tanquā deuotionis, cultuſq; adminicula, inſtituta, & decreta, vel certè inueterato vſu firmata ſunt, vt vel hac rōne animi noſtri ſomnolentiā excutiamus.

Quinta vtilitas. Adde quòd Deo gratiſſimus eſt, cæremoniarum vſus, vt qui eas toties commendauerit, & ſeruandas præceperit. Ita enim per Ezechielem loquitur: *Pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi; non enim videre, & audire ſufficit, ſed animum dirigere oportet de vniuerſis cæremonijs domus Domini, & de cunctis legibus eius.* *Ezech. 46.* Manus ſurſum extendente Moyſe vincebat Iſrael, dimittente vincebatur. Muri Iericho corruerunt, dum clangentibus buccinis arca Domini circumcirca aſportabatur. Chriſtus ipſe ſanans ſurdum, & mutum, item cœcum a natiuitate, cæremonijs ſputi, ſaliuæ inſufflationibus, & alijs quibuſdam vſus eſt. In horto orans procidit in faciem, neque alia intentione ceremonias adhibēt Chriſtiani, quàm quòd Deo gratas cognoſcāt. Theodoſius Magnus ſigna cum Eugenio tyranno collaturus, dum moneretur hoſtilium copiarum numerum ſuas copias excedere: abſit (inquiebat,) prœlium ob id differamus: exercitum meum Crux præit, illius copias Hercules ducit. Ita dixit, & in hoſtem irruens, memorabilem victoriam reportauit. Quantum verò Deo diſpliceat cæremoniarum ſacrarum contemptus, vno, aut altero exemplo demonſtrabimus. Narratur de Hæretico quodā, quòd dum ſacros cineres, cùm non eſſet eorum Miniſter, alteri per iocum capiti imponeret, ſubito ipſorum cinerum puluere præfocatus occubuerit. In Hiſtoria Tripartita ſcribitur, Thymelicum Comœdium veſtem ſacram induiſſe, eaque in proſcęnium (veluti noſtra ætate frequentius factitant Hæretici) accurriſſe, ſubitoq; diuinitus percuſſum interijſſe, quòd eam in Religionis contumeliam aſſumpſiſſet.

Sed notandum in ſacris literis ſemper coniungi cæremonias cum lege, vt nemo exiſtimet ſe Religionem ſeruare, qui ſolas cæremonias ſectatur, & ipſa interim Religionis, legiſque diuinæ ſanctionibus intemperanter abutitur. Vt enim Struthio pennas habet, ſed in ſublime non fertur, ſic multi pennis cæremoniarum in Cœlum vſque ferri videntur, illis autem nunquam à terrenis eleuantur ad diuina. Cæremoniæ igitur, niſi cum virtute coniungātur laudabiles parum, videntur; Certe vt virga recta, cum eſt in manu iudicis, ſignum eſt iuſtitiæ rectæ; ita rectæ cæremoniæ ſigna ſunt rectæ Religionis, & veluti Iudex vituperio dignus eſt, qui cùm ſit alioquin iniquus, totam dignitatem

tem ſuam in virgæ rectitudine conſtituit, cùm conſcientiam habeat obliquam; ſic certè improbandus eſt, qui ceræmoniarum ſpecie gloriatur ab eis non recedens, cùm intus omni ſcelerum intempetie inquinetur. Tales vocat Dominus plenos omni ſpurcitia, quia nullam ſolidæ Religionis, aut virtutis ſubſtantiam teneant: vmbra dumtaxat, & ſignis quibuſdam contenti: Virtutes ſunt cibus animi, quibus alitur homo ad æternitatem: Ceræmoniæ, folia tantum conferentia ad ſalutarem medicinam. Dionyſius Areopagita ait; *Diuina manifeſtari hominibus ſub aliquibus ſimilitudinibus ſenſui ſe obijcientibus, atque animum ad intellectum eleuantibus*. Cùm autem ceræmoniæ obijciuntur oculis, monet animum ad Dei obſequium, quod exterioribus profitentur. At ſi fuerint hæ à charitate ſeiunctæ, & ſolum ſpecie ſanctitatis, ſcelera obuoluent, non modò nihil proficiunt ad gloriam, ſed æternas pœnas machinantur. Talis erat olim Phariſæorum eo tempore Politicorum iuſtitia in oſtentatione conſiſtens, non in propoſiti rectitudine. Folia tantum habent, ſed omni integritatis fructu deſtituti ſunt: nomen virtutis vſurpant; quantum verò ipſa valeat, ſcire, aut intelligere negligunt. Quod intuens Saluator: *Niſi* (inquit) *abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Pariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum*, ad quod nos ipſe perducere dignetur, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Dion. de cæl. Hier.

Matth. 5.

Homilia XII.

Hodierni Euangelij erudita incicipit Paraphraſis, ex Sanctorum Patrum, & aliorum grauiſſimorum doctorum monumentis, nec non ex quibuſdam alijs à nobis excogitatis concinnata.

EO diuino artificio arbitror factum à Ioanne Euangeliſta, vt minutim varias narraret circumſtantias temporis, loci, perſonarum, immò & vaſorum, in quibus tranſmutationem aquæ in vinum Chriſtus Dominus confecit, vt hac ratione tanti miraculi, ac inauditi portenti fidem augeret; illuſtriuſque, & credibilius illud omnibus redderet. A circumſtantia quidem temporis Sacer Euangeliſta exordiens, *die tertia*, celebratas fuiſſe has nuptias narrat: in cuius ſanè circumſtantiæ expoſitione, quot capita, tot video ſententias. Prima expoſitio eſt Diui Epiphanij hæreſ. 51. vbi ait, hanc eſſe diem tertiam ab illa, qua duo illi diſcipuli voce Ioannis permoti, Chriſto ſeſe aſſociauerunt. Cui adſtipulantur Diuus Thomas, & Lyranus, dum aiunt, hunc tertium eſſe diem, à quo Nathanael ad Chriſtum adductus fuit à Philippo. Secunda, eſt Euthymij putantis, tertium diem ab eo computari, quo Chriſtus redierat à deſerto, vbi poſt ieiunium tentatus fuit. Tertia, eſt Origenis Tomo nono, in Ioannem, computantis diem tertium à Philippi vocatione, & Chriſti profectione in Galilæam: hoc enim fuit vltimum tempus ab Euangeliſta deſcriptum: *In craſtinum* (inquit) *voluit exire in Galilæam*. Quam expoſitionem ſequutus Cardinalis Toletus in caput ſecundum Ioannis, ait: *Die tertia factæ ſunt nuptiæ in Cana Galilææ, vt prima dies ſit vocationis Philippi, altera acceſſus Nathanaelis in Canam, & tertia quando ibidem*

D. Epiphan.

D. Thom. & Lyran.

Euthym.

Origen.

Tolet.

Digitized by Google

ibidem hæ nuptiæ ſunt celebratæ. Quarta *Rupert.* expoſitio eſt Ruperti, libro ſecundo in Ioannem, cuius hæc ſunt verba: *Coniunctio, quæ præponitur ad ſuperiora diligentem remittit lectorem, videlicet hoc modo: altera die ſtabat Ioannes, in craſtinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Quinta expoſitio eſt quorundam recentiorum, hanc diem hebdomadis eſſe tertiam exiſtimantium, quæ à Sabatho ſumebat initium, vt ſit eadem, quæ apud Latinos, *dies Lunæ dicitur.* Sexta expoſitio eſt, quam alij etiam Neotherici docent aſſerentes, hanc diem tertiam connumerandam eſſe à die, in qua in Galilæam peruenerat. Septima expoſitio *Faber.* Fabri eſt in hunc modum loquentis: *Tertia die, hoc eſt, feria tertia (vt nos loquimur) nuptiæ factæ ſunt; nam Iudæi hebdomadæ dies à Sabatho numerabant. Prima Sabathi dies erat Dominica, ſecunda Sabathi, feria ſecunda; tertia Sabathi, feria tertia.* Vltimam tandem expoſitionem *Ven. Beda.* myſticam appono, quam tradit hic Venerabilis Beda dicens: *Dies hæc tertia computari debet in hunc modum, vt dies prima ſit legis naturæ, quæ cœpit ab Adam: ſecunda legis ſcriptæ, quæ cœpit à Moyſe: tertia dies gratiæ,* in qua factæ ſunt, non ſolùm nuptiæ Canæ Galileæ, ſed & nuptiæ agni immaculati Chriſti Domini cū dilecta Yponſa ſua Eccleſia Catholica, iuxta illud Ioan. *Venerunt nuptiæ agni.*

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Inter alia nomina, quibus matrimonium nuncupari ſolet, nuptiarum appellatio celebris eſt. Nuptiarum autem nomen (vt *D. Bonauen.* docet Diuus Bonauentura in 4. diſt. 27. originem ducit à nubibus, quia nubentiū capita ijs operiri ſolebant. Quod idem *D. Ambroſ.* prius tradidiſſe reperio Diuum Ambroſium libro primo de Abraham, cap. 9. tomo 4. & refertur in capite: nec illud 35. quæſt. 5. vbi hæc verba lego: *Nuptiæ dictæ ab eo, quòd pudoris gratia ſe puellæ obnubebant.* Sic vt contigit Rebeccæ (vt ha- *Geneſ. 24.* betur Gen. 24.) quæ cum audit Iſaachum ſponſum eius futurum ad ſe venientem, continuò faciem ſuam contexit: *At illa tollens citò pallium ſuum, operuit ſe.* Ca- *Ioan. Gagn.* na autem Galilææ, vt notauit Ioannes Gagnæius, oppidū erat in Tribu Aſer, quinque diſtās milliarijs à Ptolemayde vnde & oriundus erat Nathanael: adhucque ibi oſtenditur illud nuptiarum nobile triclinium. Verum Diuus Hieronymus de *D. Hieron.* locis Hebraicis, diſtinctius refert, quod Cana duplex erat: vna minor in Tribu Zabulon non longè à finibus Aſer, decem milliaribus diſtans à Nazateth ad Occidentem, & Septentrionem, ex qua Cana ortum habuit Symon Apoſtolus, qui propterea, Chananæus dictus eſt: atque in hac, nuptiæ peractæ ſunt. Altera Cana maior, proxima Tyro, & Sydon: in Tribu Aſer, de qua fit mentio Ioſue 9. & de *Ioſue 9.* qua muliet illa Cananæa egreſſa dicitur, Matth. 15. erat enim gentilis, ſed in Ca- *Matth. 15.* na inter vicinos Iudæos habitabat; & ad huius Canæ diſtinctionem, illa dicta eſt, Galilææ quaſi inferioris, quæ quoniam erat vicina Nazareth, nihil mirum, matrem Domini ibidem fuiſſe.

Quæ autem perſonæ his nuptijs adfuerint, qui etiam coniuges illarum fuerint, partim tradit ſacer Euangeliſta, partim ſub lite eſt apud Interpretes. Expediamus prius quod dubium eſt; deinde ad certa veniamus. Digladiantur inter ſe grauiſſimi Doctores, Ioannes ne Euangeliſta fuerit ſponſus in his nuptijs? Rupertus li- *Rupert.* bro 2. Comment. in Ioannem, tanquam communem ſui temporis opinionem illā venditat his verbis: *Euangeliſtam Ioannem, relictis nuptijs Dominum ſequi cœpiſſe arbitramur; ipſius enim iſtas fuiſſe nuptias opinio ferè omnium eſt: tradunt namque hiſtoriæ, quòd eum de nuptijs volentem vxorem ducere, vocauerit Chriſtus: & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiri amoris ſui dulcedine donauit.* Ita Rupertus, qui obijt Anno Domini 1124. Beda etiam tomo 7. in Homil. *Beda.* Euangel. *Dixit Ieſus Petro: Sequere me.* ſic ait: *Tradunt hiſtoriæ, quòd Ioannem de nuptijs volentem nubere Dominus vocauit, & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, potiori amoris ſui dulcedine donauit.* Eandem ſententiam ſequitur Diuus Hieronymus in prologo ſuper *D. Hieron.* Ioannem, vel quicunque alius illius prologi auctor eſt, inquiens: *Ioannem de nuptijs volentem nubere, vocauit Dominus.* & Diuus Auguſtinus in ſimili prologo ſu- *D. Auguſt.* per Ioannem, vel ſi quiſpiam alius Scriptor eſt; ait: *Iſte eſt Ioannes quem Dominus de fluctiuaga nuptiarum tempeſtate*

voca-

Lyranus. *vocauit*. Vnde & Lyranus in capite 2. Ioan. eidem ſententiæ adhærens, hæc ſcripſit: *Dicitur communiter, quòd iſta nuptiæ fuerunt Ioannis Euangeliſtæ, à quibus eum Chriſtus vocauit ante conſummationem matrimonij; & hoc in Eccleſia obſeruatur, quòd ante carnalem copulam poteſt licitè alter coniugum intrare Religionem*. Secuti ſunt eandem ſententiam Diuus Bonauentura in vita Chriſti, Diuus Antoninus tertia parte Summæ, titulo 1. & parte prima hiſtoriali, titulo 5. Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 186. artic. 4. & dum exponit prologum Diui Hieronymi, quem verè illius eſſe ipſe cenſet. Cardinalis Caietanus, Ioannes Maior. Ludalphus in vita Chriſti, Dionyſius Carthuſianus, Echius, Sot us in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1. artic. 4. Mantuanus etiam in 3. lib. Parthenices Marianæ; explicans Chriſti mortem, & quis ille diſcipulus eſſet, cui Chriſtus matrem ſuam commendauit, ait:

D. Bonauen. D. Anton. D. Thom. Card. Caiet. Ioan. Maior. Ludalph. in vita Chriſti. Echius. Dion. Carth. Mantua.

Flentibus bis aderat Iuuenis, qui ſponte relicta
Coniuge, dilecto voluit comes ire Magiſtro.

Neque hoc mirum eſſe debet, cùm hoc Chriſtus aſſerat: *Veniſſe diuidere virũ ab vxore ſua, & filium à patre;* non quòd libellos repudij, diſcordias, & rixas inter coniugatos, aut rebelliones inter filios probet; ſed potius quòd ad puriorem, & perfectiorẽ diuini numinis cultũ ſecreturus ſit cõiugatos; cũ mutuo tamen conſenſu, vt ſe immaculatos reddant, & ab operibus carnalibus alienos. Ac tandem Barradius tomo 2. libro 3. cap. 1. *Nonnulli* (inquit) *hanc de nuptijs Ioannis exiſtimationem explodunt, ego verò non explodam, quòd non leuis auctoritatis habeat ſectatores, quod ex antiqua hiſtoria accepta, Rupertus, & Beda affirmant*. Vnde, & percontanti: quidnam ſponſa à Ioanne relicta fecit? alteri ne nupſit, an perpetuò caſtitatem ſeruauit? reſpondet, quòd eum Dei perfecta ſint opera, vtrique coniugum caſtitatem inſpiraſſe, credibilius eſſe; & cum Beata Virgine virginitatem coluiſſe.

Barrad. Barrad.

Verùm ego nullo modo in hanc ſententiam duci poſſum. Primò, quia Chriſtus propterea nuptijs interfuit, vt ea approbaret. Quòd ſi matrimonium iam ratum diſſoluiſſet, reprobare potius coniugium, quàm approbare aſtantibus videretur. Secundò, quia vocatio ex nuptijs digniſſima fuit, quæ literis Euangelicis mandaretur, fuiſſetque à Ioanne memoriæ prodita ſi contigiſſet; nullam verò illius mentionem, vel Ioannes, vel alius fecit Euangeliſta. Tertiò, quia virginitati Ioannis hæc vocatio minimè fauet: etenim præſtantior eſt virginitas, quæ ad coniugium nunquam peruenit; cùm igitur Ioannes ex communi omnium conſenſu eximius perfectæ caſtitatis profeſſor extiterit, minimè cenſendus eſt, animum feminam vnquam cognoſcendi habuiſſe. Quartò quia vt adnotauit doctiſſimus Maldonatus in Commentario huius loci veriſimile non videtur, Ioannem ab inchoatis nuptijs in Cana Galilææ reuocatum, quia Cananæus non erat; & quia cùm nuptiæ illæ in Cana Galilææ celebratæ ſunt, ſi iã à Chriſto vocatus erat, certè cum eodem non tanquam ſponſus, ſed tanquam diſcipulus illis interfuit. Sextò & efficacius: quia Ioannes vocatus eſt multò poſt has nuptias à Chriſto Domino: vocauit enim illum poſt incarcerationem Ioannis Baptiſtæ, vt habetur Luc. 4. non igitur fuit vocatus à nuptijs ad ſtatum cœlibatus, vt illi opinantur. Vnde Diuus Epiphanius hæreſ. 51. expreſsè docet. Ioannem his nuptijs non interfuiſſe, tantum abeſt, quod & ſponſus eſſet. Verba eius ſunt hæc: *Tertia die factũ eſt primum diuinum ſignũ, cùm quidam diſcipuli cum Chriſto eſſent, non Andreas, non Petrus, non Ioannes, non Iacobus*. Immò D. Auguſtinus Tract. vltimo in Ioannem oppoſitæ ſententiæ refragatur, dum ait: *Sunt qui ſenſerint, & hi quidem non contemptibiles ſacri eloquij tractatores à Chriſto Ioannem Apoſtolum plus amatum, propterea quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. hoc quidem in ſcripturis Canonicis euidenter apparet. Verum tamen id quoque multum adiuuat congruentiam, quòd illa vita per eum ſignificata eſt, vbi non erunt nuptiæ*. hæc Auguſtinus. Diuum etiam Hieronymum idipſum ſentire ex eo facilè conuincor, quod libro primo contra Iouinianum, probanti Iouiniano, melius eſſe virginitate matrimonium, eo argumento, quòd Chriſtus Eccleſiæ Principatum non Ioanni virgini, ſed coniugato

Maldonat. Luc. 4. D. Epiphan. D. Auguſt. D. Hieron.

gato Petro commiſerit: reſpondet Hieronymus, id factum, quia tunc ætate puerili erat Ioannes; vocatus enim eſt viginti quinque annorum. Profectò ſi nuptias celebraſſet Ioannes, efficacius oppoſuiſſet Ioannem etiam vxorem duxiſſe, eamque reliquiſſe, vt virginitatem amplecteretur; quo telo nunquam aduerſus illum vſus
Tolet. eſt. Vnde rectè Cardinalis Toletus ſupra caput ſecundum Ioannis annotatione 13. negat Auguſtinum, aut Hieronymum oppoſitum ſenſiſſe, ſic enim ait: *Præfatio illa Auguſtini non eſt, ſed potius Bedæ, cuius verbis conflata, ſicut etiam illa, quæ Hieron. tribuitur, quæ ex eiuſdẽ Bedæ verbis, vel certè ex alicuius alterius à Hieronymi phraſe longè diſtantis cõpoſita eſt; vt ſolus Beda ſit huius opinionis auctor.* Quare
Niceph. re Nicephorus libro 8. cap. 30. ſcribit harum nuptiarum ſponſum fuiſſe Symonem Cananeum Apoſtolum, nec tamen à nuptijs eſſe abſtractum: *Helena* (ait ille) *Conſtantini Imperatoris mater, in Cana Galilææ, vbi Symonis Cananæi nuptiæ celebratæ ſunt, ſacram ædem ædificauit.* Quæ
D. Anton. autem fuerit ſponſa, D. Antoninus tertia par. Summæ, tit. 21. §. 3. refert, exiſtimaſſe nullos, ſponſam in his nuptijs fuiſſe Mariam Magdalenam. Maldonatus ve-
Maldonat. rò in caput ſecundum Ioannis circa hoc ſcripſit hæc verba: *Conſtat ex deſcriptione Galilææ Canam vicinam fuiſſe Nazareth, vbi mater Domini habitabat, & eſt veroſimile, alicuius cognatæ, & valdè familiaris mulieris fuiſſe nuptias, ideòque & vocatam fuiſſe Virginem, & vocatam ire non recuſaſſe.*

Sed iam veniamus ad ea, quæ certa ſunt. Indubitatum eſt in primis, Beatam
Ioan. 2. Virginem his nuptijs adfuiſſe, Ioanne dicente cap. 2. *Et erat mater Ieſu ibi:* ſcili-
D. Chryſoſt. cet vocata. Vnde Diuus Chryſoſtomus homil. 20. ait: *Quemadmodum illam, ita & Ieſum vocauerunt.* idque non obſcurè indicant ſequentia verba: *Vocatus eſt autem & Ieſus.* Illa enim copulatiua, *&*, augendi vim habet, & vocatam etiam indicat matrem, immò & prius veniſſe, quàm filium, vt adnotauit hic Cardina-
Card. Tolet. Barrad. lis Toletus. Vnde Barradius Tomo ſecundo, libro 3. ait inuitatam Virginem veniſſe ex oppido Nazaretha Canam; cùm verò Chriſtus ex Iudea Nazaretham reuerteretur, ipſum fuiſſe vocatum, vt eiſdem, quibus mater intereſſet nuptijs. Illud autem, quod multorum animos pulſat, quomodo Virgo interent nuptijs, cum illis adeſſe, multum Virgines dedeceat? reſpondet ſapienter huic quæſtioni Rupertus, libro 2. Commentariorum ſu- Rupert.
per Ioannem, in hæc verba: *Magnum, & cunctis Sanctæ Eccleſiæ ordinibus ſpectandum humilitatis exemplum, verumtamen ſacris Virginibus non imitandum, quòd mater Ieſu, Virgo, Domini templum illibatum, Sancti Spiritus ſacrarium non aſpernata eſt carnalium intereſſe celebritati nuptiarum: non enim ſacris Virginibus hoc imitandum eſt, quia videlicet tempus aliud, alia perſona, locus alius eſt. Omnia tempus habent* (dixit Eccleſiaſt.) *Vir-* Eccleſiaſt. capit. 3.
ginibus Deo dicatis propoſitum, quod ardet in mente, luceat in veſte, radiet in ore, vel publica profeſſione. Matris Domini virginitas cunctos homines latebat, quia videlicet diuulgari illam ratio temporis nõ ſinebat; neque enim libera tunc eſſe poterat virginitatis profeſſio, vel huiuſce exempli prædicatio, cùm adhuc Moſes ſub velamine ſuo declararet maledictos omnes, qui non facerent ſemen in Iſrael. Maluit ergo humiliter cauere præſens ſcandalum, quã futuris Virginibus immaturum rigidi propoſiti præbere exemplum, quo plus tolleret ſupercilium Virginum fatuarum, quàm inſtrueret cuſtodiam prudentium; matribus, cæteriſque quæ cunctæ viros nouerant, Virgo mater ſe in nullo præſumens, matrẽ vbique ſe profitens, eò quod haberet filium, virginitatis autem ſuæ tacitum conſeruans in corde myſterium. Nam ſicut incongruum immò impoſſibile eſt tectum domus ſtabilire, antequam fundamentum; ſic impoſſibile erat ante ſuſceptam fidem, Incarnationis Chriſti præſcribere ordinem, quo ſacræ Virgines ſeſe à ſæcularibus diſtinguere debeant. hactenus Rupertus.

Rurſus certum etiam eſt Chriſtum Dominum interfuiſſe his nuptijs, nec non & quoſdam eius diſcipulos, cùm Ioannes Ioan. 2.
dicat: *Vocatus eſt autem & Ieſus, & Diſcipuli eius.* Licet autem vocati potuiſſent non venire, clarè tamen conſtat veniſſe, quia de Chriſto ait Ioannes, dixiſſe Miniſtris: *Implete hydrias aqua:* de Diſcipu- Ibidem.
lis verò, quòd ob excellentiam viſi miraculi conuerſionis aquæ in vinum, in fide profecerunt: *Et crediderunt in eum Diſci-*

puli eius. Qui autem fuerint hi Diſcipuli, non vna eſt omnium ſententia; nam D. Ambroſius ſermone 20. Apoſtolos Chriſti eſſe affirmat, quos ibi interfuiſſe putat. Diuus Epiphanius hæreſ. 51. id aſſerit, tanquam certum, ibi non fuiſſe Petrum, & Andream: dubitanter tamen ſcribit illos Diſcipulos fuiſſe Philippum, & Nathanaelem; quod veroſimilius iudicat Cardinalis Toletus in caput ſecundum Ioannis. Diuus autem Chryſoſtomus homilia 47. inter inuitatos, refert Iacobum, & Iudam.

D. Ambroſ. Epiphan. Card. Tolet. D. Chryſoſt.

Verum ad Chriſtum, qui his nuptijs interfuit, redeamus. *Vocatus eſt autem & Ieſus:* A ſæculo (opinor) auditum non fuiſſe tale conuiuium. Primò aderat ibi innocentiæ, atq; virtutum omnium fons, & origo, Chriſtus: deinde totius pudicitiæ ſpeculum Maria; poſtremò iam melioris ſpiritus, ſtudioſi Apoſtoli. Nihil ibi erat non modeſtum, ac frugale: liberalis enim paupertatis, & frugalitatis illa vocatio fuit: ipſe autem venit, non ad delicias, ſed vt primordia ſtatus ad mutui conuictus neceſſitatem iuuentur. Huiuſmodi fuerunt nuptiæ iunioris Tobiç, vbi cum timore Domini exercebant conuiuium nuptiale; nec enim ibi Aſmodæus, aut ligula magica locum habuit: etenim ſponſus erat timens Deum, optimi nimirum Patris optimus filius. Secundo ſponſa erat Sara caſtiſſima, & ſpectatæ modeſtiæ puella. Tertiò aderat & Gabelus vir pius ſanè, vt interim Sileam ſponſæ parentes. Poſttemò aderat, & Angelus Raphael nouis nuptis benedicens. Nunc ſi ad huius tempeſtatis nuptias conuertamus oculos, (ò Deum immortalem.) quàm ſunt hic omnia diuerſa? non Ieſus vocatur, ſed Bacchus non Maria, ſed Venus: non inuitantur ſobrij, & frugales Diſcipuli Domini, ſed Comes, idest Deus nocturnarum compotationum. O infauſtas nuptias? ò inauſpicati Hymenei?

Thob. 6. & 7.

Vocatus eſt autem & Ieſus. Beatę quidem ſunt nuptiæ, in quibus Ieſus reperitur, infelices autem, in quibus Chriſtus non adeſt, quia illis diabolus præeſt, partim vt coniugum contra voluntatem Dei faciat, quemadmodum fecit cùm filij Dei filias hominū acciperent ſibi vxores, ideſt illas, quæ poſt Seth natæ fuerant filiæ ex progenie Cain; vnde multa peccata oriebantur, & generale diluuium omnes homines occidi: & quemadmodum filij Iſraelitarum filias incredulorum Cananæorum vxores duxerunt, quas mandato Dei relinquere debebant. Partim venit dœmon, vt in nuptijs homines ad peccandum excitet, eoſque in peccatis opprimat, & extinguat, ſicut ſuffocauit ſeptem illos viros, qui Saram Rachelis filiam in vxorem ducebant, & quēadmodum filios Iambri in Madaba in ipſorum nuptijs ad magnum faſtum, & ſuperbiam inflammauit, in quibus à Iuda Machabęo omnes occidebantur; nam vt dicit Sapiens: *Neque vitam, nec nuptias mundas iam cuſtodiunt*, ſed ſæpè fiunt per libidinem, aut certè per ſuperbiam, cupiditatem, vel ambitionem. Ad nuptias verò vocatur Chriſtus duobus modis. Alter eſt per preces; quemadmodum Abraham eum inuocauit, dicendo ad ſeruum ſuum Elyezer, quem mittebat in Meſopotamiam, vt pro filio ſuo Iſaac vxorem acciperet: *Dominus Deus Cæli, qui tulit me de domo patris mei ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo*. Tobias etiam, & Sara ſponſa eius, dum irent cubitum, prima nocte nuptiarum ſuarum Deum orabant cum magno feruore; per quam orationem dœmon expellebatur, magis certè, quàm per cor, & iecur piſcis; quæ duo Tobias ſuper carbones candentes torruit. Quæ tamen denotant ea, quæ pro bono aliquo coniugio fieri debent: cor enim principium eſt, & fons vitæ; iecur autem, origo eſt ſanguinis, & locus concupiſcentiæ. Hæc duo comburi oportet, ideſt, cor tuum incendi debet amore Dei, quo quidem totam vitam tuam, & quicquid es, Deo offers, cupiendo ei adhęrere, licet corpus tuum in coniugio conſorti tuæ tradere debeas; Deinde amorem concupiſcentiæ, quo hominem diligis, mutare debes in amorem Dei, vt ita deinceps vxorem tuam, & virum ſecundum animam magis diligas, quàm ſecundum corpus, quærendo, ac procurando magis ſalutem animæ, quàm ſanitatem, & proſperitatem corporis.

Geneſ. 6. 1. Eſdr. 9. Tob. 3. 1. Machab. 9 Sap. 14. Luc. 14. Geneſ. 24. Tob. 8.

Vocatus eſt autem & Ieſus. Tobias, pauperum inter media conuiuia memor erat, vt habetur Tob. 2. Vnde meritò ſunt arguendi, qui egenos à ſuis conuiuijs excludunt:

Luc. 14. cludunt; cùm dicat Dominus Lucæ 14. *Cùm facis prandium, noli vocare amicos, vicinos, aut diuites; ſed voca pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris; quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in reſurrectione Iuſtorum.* Debent hoc facere coniugati, non ſolum in nuptiarum conuiuijs, ſed etiam in alijs prandijs Chriſtum in ſuis pauperibus inuitantes, nec illos excludentes, ne à Chriſto excludantur. Refert enim Ro-

Rober. Hol. bertus Kolkot ſuper lib. Sapien. lect. 210. quòd Senator quidam cum vxore ſua ædificauit caſtrum, in quo ſcripſit hæc metra.

Decretum detur: ne dormiat, aut epuletur,
Hic gens villana; ſed Achilles, Plato, Diana.

quaſi diceret: huc non intret triplex hominũ genus: laici, illiterati, & deformes, ſed militares, qui ſignificantur per Achillem; & docti, qui deſignantur per Platonem; & formoſæ mulieres, quæ notantur per Dianam; & ſic excluſit pauperes. Contigit autem eum infirmari, & Chriſtus viſitauit eum dicens: Excluſiſti me in meis, & ego te excludam à Regno meo. audiens hoc Senator, Beatam Virginem Mariam implorauit, quæ miſerta ei apparuit, & ipſum ab alijs hæc longè diuerſa carmina docuit.

Muta decretum: Sanctorum collige cætum:
Nudum Martinum, Iacobum, Lazarum, peregrinum.

Verùm, iam Patres audiamus, qui præclara multa in hunc locum edixere: *Vocatus autem & Ieſus.* Diuus Gaudentius

S. Gaudent. Epiſc. Epiſcopus, in Euang. Tractatu 1. inquit: *Ideò nuptiarum celebritatem non aſpernatur Chriſtus, vt eundem ſe eſſe teſtetur Deũ qui de limo terræ figurauerat ab initio virum, & feminam, iiſdemque licentiam tribuerat coniugalem dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Quod Manichæis perditis adeò diſplicet conſtitutum, quibus ego ob immunditiam ſuam puto, non vtique rem nuptialem diſplicere, ſed leges quæ non multas feminas vni viro coniungunt. Nolunt enim viuere ipſi execrabiles Manichæi iuxta Apoſtoli Pauli doctrinam; vt vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque vxor ſuum virum. Benè dixit ergo, quod conſtituerat à primordio legitimum Chriſtus cõiugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus.*

Beda in Commentario huius loci aſſerit: *Etiam ad nuptias venire dignatus eſt* Beda in Com. huius loci.
Chriſtus, vt iuxta literam rectè fidem credentium confirmaret. Porrò Tatiani, & Marcionis, ceterorumque, qui nuptijs detrahunt, perfidia quam ſit damnabilis inſinuat. Si toro immaculato, & nuptijs debita caſtitate celebratis culpa ineſſet, nequaquã Dominus ad has venire voluiſſet. Nũc autem, quia bona eſt caſtitas coniugalis, melior continentia vidualis, optima perfectio virginalis, ad probandam omnium electionem graduum, diſcernendam tamen merito ſingulorum, ex intemerato Mariæ Virginis vtero naſci dignatus eſt, & à prophetico viduæ Annæ ore mox natus benedicitur, atque à nuptiarum celebratoribus iã iuuenis inuitatus, hos præſentia ſuæ virtutis honorat. Quid autem mirum, ſi in illam domum ad nuptias venit?

Ad extremum publicæ vtilitati inſeruiens, non poſſum me abſtinere, quin mirabilem, ac ſapientem D. Ioan. Chryſo- D. Chryſoſt.
ſtomi hic inſeram meditationem; quam ille habuit ſermone in hiſtoriam iſtã contra Iudæos, Gentiles, & Hæreticos: *Vocatus eſt Ieſus, dicit, ad nuptias. Oro compoſitis moribus eſtote, & audite, quæ dicũtur, quoniam multi nuptias prætexunt, alij filios, alij militiam, alij negociationem, alij artificium, alij ſeruitutem, alij diuitias, alij inopiam, & quæcunque talia ſunt. Volo igitur declarare vobis, quòd neque diuitiæ impediunt, neque inopia, neque militia, neque negociatio, neque nuptiæ, neque pueri, neque ſeruitus, neque opificium, neque aliquid tale. Vocatus eſt Ieſus ad nuptias. Venit, vel non venit? certum quod venit; quomodo ergò nuptiæ malæ? ego autem non dico, quòd tantum venerit, ſed quòd & dona ſecum attulerit: aquam in vinum mutauit. Ne excuſes te propter nuptias, Dominus tuus nuptijs interfuit, & nuptias honeſtauit, & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obſtaculum eſſe ad pietatem? nullum enim eſt ad pietatem obſtaculum. Vis cognoſcere, quod nihil nocet habere vxorem, & pueros? Moſes nonne vxorem habuit, & liberos? Helias nonne virgo erat? Nonne Moſes è Cælo manna deduxit? Nonne Helias è Cælo ignem deduxit? nonne Moſes è*

Cælo coturnices aduolare fecit? nonne Helias verbo Cælum clauſit? Nonne Moſi Deus locutus eſt? nonne & cum Helia conuerſatus eſt? Nonne Moſes mare diuiſit, & transduxit Populum? nonne Helias curru igneo in Cælum ſublatus eſt? An nocuit huic virginitas? an impedimento fuerunt illi vxor, & liberi? Vidiſti Heliam aurigam in aere? vidiſti Moſen in mari viatorem? vide & Petrum Eccleſiæ columnam, quòd & ipſe habuit vxorem. At non eſt ſcriptũ (inquis) quòd Petrus vxorem habuit. Vnde ergo liquet, quod vxorem habuit? ego dico: Ingreſſus eſt Ieſus ad ſocrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam, & reliquit eam febris, & ſtetit, & miniſtrauit. Vides, quòd & Petrus vxorem habuit? vbi enim ſocrus, manifeſtum quòd ibi & vxor. Vides quòd & Petrus vxorem habuit? ne incuſes nuptias. Hæc dico, vt ne quis prætexat, vel vxorem, vel liberos, vel militiã, vel negociationem, vel opificium, vel ſeruitutem, vel diuitias, vel paupertatem. Hęc excuſatio, hic prætextus, diaboli inſidiæ ſunt. Militiam prætexis, & dicis: non poſſum eſſe pius. Centurio nomine, miles erat, & dixit ad Ieſum: Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. & admiratus Ieſus ait: amen, amen dico vobis, neque in Iſrael tantam fidem inueni; nihilque nocuit illi ſua militia. At quid ſi opifex? & Paulus operatus eſt manibus, qui & antea Eccleſiarum prædator, & poſt hoc factus prædicator, & Apoſtolus. Quid verò ſi diues? & Abraham diues, & ipſe vxorem habuit, & pueros; credidit enim Abraham, & reputatum eſt ei ad iuſtitiã, & amicus Dei vocatus eſt: ita nihil obfuerunt ei diuitiæ, & mulier, & pueri: non habes excuſationem. Tria, quæ prætexere potes, vnus ille habuit, & vxorem, & pueros, & diuitias. Sed quomodo ſi ſeruus? & Oneſimus ſeruus erat; & ſcribit Paulus ad Philæmonem dicens: Oneſimo, qui olim nullius frugis, nunc autem & mihi, & tibi vtilis. Verùm, quid ſi Rex? erat, & Dauid Rex: & cùm ingreſſus ad eũ Nathan Propheta arguit ipſum de peccato, quod fecerat, numquid in illum tyrannidem exercuit? numquid vel aſperum aliquod verbũ Propheta dedit? an non & in Regno ſeruum ſe fatebatur dicens: peccaui Domine? & Propheta videns pœnitentiam eius dixit: & Dominus abſtulit peccatum tuum. Velox pœnitentia, velocior condonatio. Num aliquid ſibi tribuit Rex, & dixit: Rex ſum amictus purpura, circumdatus diademate; fero tela, ſagittas, ſcuta, arma: mihi ſunt milites, & armigeri, & pauperem illum timerem? ferremne eum, & occiderem? ſed nihil talium protulit, quamuis Rex eſſet. Sciebat enim, quòd peccarat, & ob hoc pœnituit, quia ſciebat ſe grauiter peccaſſe; & nihil ei obfuit Regnum. Iam quid ſi iuuenis? erat & Daniel iuuenis, & Leonum ora conſtrinxit, & dracones confregit, Bel ſubuertit, & presbyteros iudicauit, Suſannam liberauit, tantæque virtuti imperfecta ætas non obfuit. An non & talis erat fratrum amator Ioſeph, qui tantam præ ſe tulit ſapientiam, & continentiam apud Aegyptiam? veſtem ſuam dimiſit, fidem non diſrupit, impudentiam mulieris vicit, concupiſcentiam non ſatiauit, & nihil impediuit illius virtutem adoleſcentia. Sed quid ſi vidua? erat & Sydonia vidua, quæ Heliam hoſpitio excepit, & pauit pane, & aqua, & auctorem panis non eſt reuerita? Quid autem ſi meretrix? erat & Rahab, quæ exploratores occultauit, & cum filij Iſrael Terram promiſſionis accepiſſent, ſaluata eſt illa cum domo, & genere ſuo. At quomodo, ſi pauper? pauper erat talis & Lazarus, & quantam ille ſapientiam, ac patientiam in extremis oſtendit, licet nihil eum in tanta neceſſitate leniret? Iam ſi mulieri quis deditus ſit? an non & Sampſon? nam licet à muliere ſit proditus, tamen ipſi Deus dedit, vt ſe de alienigenis vlciſceretur. Sed quid ſi amas filios? amabat, & Iacob, ſed tentaris? tentabatur & Iacob Vides, quòd ſaluati ſunt. habes fidem? habes omnia. non habes fidem? licet Rex ſis, non tibi proderit Regnum. Sed ne promiſſionis obliuiſcar, vocatus eſt autem, & Ieſus ad nuptias. Ita nemini deeſt Chriſtus, ſeu coniugato, ſeu virgini, modo & ipſum inuitet, habebis, & Chriſtum aſſeſſorem, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XIII.

Proſequimur eiuſdem Euangelij Paraphraſim, ex varijs Sanctorum Patrum doctrinis, & alijs a nobis excogitatis.

ILLA iam veniunt explicanda verba: *Deficiẽte vino*. Arbitror ſanè, non propter intemperantiam, ſed ob multitudinem Conuiuarum vinum defeciſſe; nec enim mihi perſuadere poſſum, præſentibus Ieſu, & Maria, ebrietatem in eo conuiuio dominatam, quam graue peccatum eſſe, non tantùm diuina eloquia, ſed & ipſum lumen rationis humanæ naturæ infuſum, abundè atteſtatur. Ipſi etiam Gentiles, tùm Philoſophi, tùm Oratores, quibus rationibus, & inuectiuis hoc vitij genus non ſunt inſectati? certè ſola exempla, quæ in Scriptura habemus, horrorem nobis incutere deberẽt: quid enim mali hoc vitium in orbem Terrarum non inuexit? [*Geneſ. 9.*] ebrietas Noè Patriarchæ, licet ignoranter, idque ſine peccato commiſſum fuerit, cauſam tamen, ſiue occaſionem præbuit, vt tertia pars Orbis Terrarum malediceretur, quæ maledictio an hucuſque in poſteris Cham, & Canaã duret is, cui nihil eſt occultum nouit conditor Deus. [*Geneſ. 19.*] Similiter Loth dolo, & aſtutia filiarum inebriatus, bis turpiſſimũ inceſtum commiſit: vnde gentes Deo, & Iſraeli inuiſæ, & ſcandaloſæ exortæ fuerunt. Ecce filiæ Loth ebrietate furatæ ſunt concubitũ patris, & quem Sodoma non decepit, ebrietas fefellit, & quem ſulphurea flamma non uſſit, mulierum flammis fuit exuſtus. Hæc ipſa ebrietas fratricidij cauſa fuit, quando Abſalon [*2. Reg. 13.*] fratrem ſuum Amnon, filium primogenitum Dauid, temulentum trucidare præcepit, qui ſi ebrius non fuiſſet, non cecidiſſet. [*1. Mach. 16*] Pari ratione Symon Rex ex Machabæis ſtrenuiſſimus, & filij ipſius ebrij, fraude filij Ahobi occiſi ſunt.

Hinc celebris ille Rex Alphonſus, cùm interrogaretur, cur vini expers viueret, aut vino dilutiſſimo contentus ſitim expleret contra omnium Regum, & aulicorum morem? reſpondit, vino ſapientiam obſcurari, ideoque non decere Regem, vt hanc immodica compotatione in animo extinguat, ſine qua Imperatoris, & Regis nomen ritè tueri non poſſit. Leontychidę etiam percontãti viduam, quamobrem Spartiatæ parciſſimè biberent: *Ne* (inquit) *pro nobis alij, ſed nos potius pro alijs conſultemur*. Salsè notauit, vinoſos non eſſe ad conſultandùm idoneos; quia ſapientiæ, ac ſalubrium conſiliorum parens eſt ſobrietas. Peſcennius niger non modò ſapientiæ, & conſiliorum Miniſtris, intemperantiam, quæ potiſſimum in vini bibacitate conſiſtit; ſed etiam militibus interdictam eſſe voluit, quòd ſcilicet, illa exmilites faciat. Nam in expeditione Aegyptiaca vinum ab eo petentibus: *Nylum habetis* (inquiebat) *& vinum quæritis?* Docuit violentiam militibus fugiendam eſſe, ceù peſtem aliquam, qui; tũ demum ad res gerendas prompti ſunt, cũ ratio mero non peruertitur, pudicitiam an eripiat, & ex homine belluam, ex femina lupam an faciat? illud eſt argumento, quòd Romanis mulieribus, temetum vel guſtaſſe capitale fuerat.

Refert Polyænus Bacchum hoc ſtratagemate Indos deuiciſſe, cùm aduerſus eos expeditionem faceret, vt eum Ciuitates reciperent. Perſpicuis, ac manifeſtis armis exercitum non armauit, ſed veſtimentis exilibus, & pellibus ceruinis: haſtas autem hædera cinxit, ſummam cuſpidem occupabat Thyrſus. Cymbalis, & tympanis pro tuba, ſignum dabat, & hoſtes vino inebrians, ad ſaltationem impellebat: & quæcunque alia ſunt orgia Bacchi, omnia fuerunt ipſius ſtratagemata, quibus Indos, aliamque terram in ſuam poteſtatem redegit. [*Polyænus.*] Eodem ſtratagemate vtitur & Sathan in ſubigendis hominibus: Temetum propinat, vt ſcelere inquinatos tandem ſui faciat iuris, & in mortem impingat. Terribile eſt, quod apud Diuum Auguſtinum lego, de filio [*D. Auguſt.*] cuiuſdam Cyrilli Hypponenſis, quem cùm pater corrigere negligeret, ipſe luxurioſè viuens, conſumpſit partem bono-

rum ſuorum: ebrietatem deinde ſemel perpeſſus, matrem prægnantem nequiter oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem occidit, & duas ſorores vulnerauit ad mortem. Vide quàm execranda peccata ebrietas vnius pepererit. Præclarè ergo

Hug. Victor. de ebrietate. Hugo Victorinus, dixit: *Ebrietas mater eſt litium, furorum generatrix, petulantiæ magiſtra; quæ iudicium rationis offuſcat, robur, & naturalem virtutem eneruat, infirmitatem generat, rebus temporalibus ſpoliat, mortem naturalem, & diuinam maledictionem adducit. Hanc qui habet (audis, & intelligis?) homo non eſt: hanc qui habet, non ſolum peccatum facit, ſed ipſe eſt peccatum; hæc enim eſt rabies voluntaria, inuitatus hoſtis, illecebra honeſtatis, pudoris iniuria. Hæc vbi regnat, ratio exulat, intellectus obtunditur, conſilia deuiant, iudicia ſubuertuntur. Hæc in Laico, crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium: quia alter animam ſuam necat vino, alter ſpiritum ſanctitatis extinguit.*

D. Auguſt. His non diſſimilia ſunt verba illa D. Auguſtini ad ſacras Virgines. *Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela.*

Verùm quia ſi omnia mala, quorum ebrietas fons, & ſcaturigo eſſe perhibetur, recenſere voluiſſem, in longum abiiſſet oratio; frequentiora tantùm breui eloquio complectar. Luxuriæ in primis, & rixarum matrem eſſe, Salomonis verba

Prouerb. 20. Prouer. 20. atteſtantur: *Luxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas.* Quod ſatis expertus fuit Loth, vt ſupra dicebam. Senſum deinde hebetat: *Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos fa-*

Geneſ. 19. *ciet, quaſi ebrios.* Iob 12. A mente etiam

Iob. 12. frequenter alienat: *Fornicatio, & ebrietas*

Oſeæ 4. *auferũt cor,* Oſeæ 4. In ſuperbiam extollit.

Iſai. 28. *Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim,* Iſai. 28. Iracundiam inflammat: *Mulier ebrio-*

Eccleſ. 26. *ſa, ira magna.* Eccleſ. 26. non ait, habere iram, ſed eſſe ipſam iram. Penuriam, & paupertatem non ſemel parit: *Operarius*

Ibidem 19 *ebrioſus non locupletabitur,* Eccleſ. 19. Tã longè etiam abeſt, vt ſitim extinguat, vt inſtar hydropiſis, ſitim accendat, & ad frequentem potum prouocet, vt verba Iſaiæ ſatis indicant, cap. 15. *Væ qui ſurgitis* *Iſai. cap. 15.*

manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam. Ac tandem illud magni momenti nocumẽtum ebrietas parit, quòd facilè ſecreta reuelat. Vnde Pro- *Prouerb. 31.*

uerb. 31. legimus: *Noli Regibus dare vinum, ò Samuel; quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas.* Ad quod alludens Habacuch, cap. 2. *Væ,* (inquit) *qui po-* *Habac. c. 2.*

tum dat amico ſuo, mittens fel, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius. Quare ſicut lapis (*Quirinus*) nuncupatus, in nidis Vpuparum, quæ ſunt aues immundæ, inuentus, ſi apponatur capiti dormiẽtis, cõpellit, dormiendo propalare ſecreta, vt auctor eſt D. Iſid. (id referente Bercorio *D. Iſid. Bercor.*

verbo, *Ebrietas*) non diſſimiliter ebrietas, quæ nonniſi in nidis immundorum hominum inuenitur, quæuis arcana cordis, & abſcondita ſua geſta palàm omnibus facere impellit, vt egregiè præfiguratum legimus Gen. 9. in Noe, qui inebriatus, ita *Geneſ. 9.*

diſcooperuit ſe, vt ſecretiſſima pudenda manifeſtaret. Quid plura? Certè, vt paucis multa dicam, ebrietas mentem excæcat, memoriam aufert, voluntatem lædit, animam maculat, ſenſum diſſipat, linguam effrenat, vitam minuit, & quandiu durat, vehementer adeò ad libidinem excitat, vt Diuus Hieronymus ad Furiam *D. Hieron.*

dixerit: *Non Aethnæi ignes, non Vulcania tellus, non Veſuuius, & Olympus tantis ardoribus æſtuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Vnde Valerius Maximus de memor. dict. & *Valer. Max.*

Roman. libro tertio dixit: *Vini vſus Romanis feminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit.*

Ad extremum, vt clarè agnoſcas quantum virtuti famæ, rebuſq; omnibus ebrietas, & intemperantia noceat, reuoca in memoriam verba Salomonis Prouerbiorum 23. in hunc modum loquentis: *Noli* *Prouerb. 23.*

eſſe in conuiuijs potatorum, & eorum qui carnes ad veſcendum conferunt, quia vacantes poculis, & dantes ſymbola conſumentur; & veſtietur pannis dormitatio. Et infra: *cui væh? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui*

Digitized by Google

cui ſuffoſſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?

Deficiente vino. Defecit in nuptijs Canæ vinum: in nuptijs autem Eccleſiæ, vt deficiat fieri nequit. Dici nunquam poterit de Eccleſiæ Conuiuis: *Vinum non habent:* Septem enim Sacramentorum vaſa pretij ſummi impleta ſunt vſque ad ſummum. Mira virtus rubri vini ſanguinis Chriſti in eis ebullientis, ſemper adeſt; immò & in Euchariſtiæ Sacramento non tantùm virtus, ſed ipſiſſimus Ieſu ſanguis reipſa præſens eſt. Vnde & mirabilior hæc cenſeri debet hydria, quàm illa Canæ Galilææ: cùm ibi aquæ in vinum, quod ad libidinem excitare ſolet, hîc verò vini in ſanguinem, quem Zaccharias vocauit *Vinum germinans virgines*, conuerſio facta ſit. (*Zach. 9.*) Ex eo etiam mirabilior eſſe perhibetur, quia vinum illud Canæ Galilææ vſu tandem conſumptum fuit: ſanguis autem Chriſti quantumuis ab infinitis ſumatur, nihil minuitur; quia vt dixit D. Thomas in ſua proſa:

(*D. Tho. in ſua proſa.*)

Sumit vnus, ſumunt mille,
Tantum iſti, quantum ille;
Nec ſumptus conſumitur,

ſed vſque ad extremos huius ſæculi dies durabit hæc Eccleſiæ hydria. Quod autem dixit Chriſtus miniſtris: *haurite*, nobis idē dicit: haurite precioſum gratiæ vinum ex Sacramentis: haurite dulciſſimum ſanguinis mei nectar, quod in Euchariſtia vobis propinatur: etenim quantumcūque hauriatis, nullo vnquam tempore exhaurietis. Nec verò hoc tantùmmodo vinum Chriſtus habet, ſed aliud in fine reſeruat delectabilius: hîc vinum propinat ſui ſanguinis non tam ad delectationem, quàm ad incrementum ſpirituale: hîc vinum donat gratiæ: in finem autem vinum ſuauius reſeruat gloriæ ſempiternæ. Guſtato vino, dixit Architiclinus: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, id quod deterius eſt.* (*Ioan. 2.*) at non ſic Chriſtus, quin potius bonum vinum ſuis ſemper Conuiuis propinat: optimum verò ad delectationdm in finem differt.

Vinum non habent Verbum hoc multa Virginis encomia indicat, nam verbum eſt fidei confugientis ad Ieſum, vbi alia humana præſidia deſunt: verbum eſt etiā charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, nec dubitat de potētia vt ille qui dicebat: *Si quid potes adiuua nos miſertus noſtri.* (*Mar. 19.*) neque de voluntate heſitat vt leproſus qui dixit: *Domine ſi vis potes me mundare;* (*Matth. 15.*) ſed nouit ſufficere rem proponere amanti, ſicut ſorores Lazari: *Domine ecce quem amas infirmatur.* (*Ioann. 11.*) Verbum eſt prudentiæ, quaſi audiſſet præceptum Domini: *Orantes nolite multum loqui ſicut Ethnici faciūt, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur*, (*Matth 6.*) ſed ſatis illi fuit defectum vini indicare iuxta illud Pſal. 36. *Reuela Domino viam tuam ſpera in eo, & ipſe faciet.* Nam Deus in hoc delectatur vt agnoſcamus defectus noſtros. Docet etiam hoc verbo, vt ſi poſſumus benefaciamus; ſi non poſſumus precemur eos, qui poſſunt iuuare, vel ſaltem precibus obſecremus Deū, qui præſtat quod nequit exhibere homo. *Vinum non habent* Carnalibus deficit duplex vinum. Primum eſt feruoris virginitatis, de quo Zachariæ 9. *Quid bonum, & pulchrum, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* hoc eſt, muſtum Spiritus ſancti, quo inebriantur qui hac vt vxorum obliuiſcantur. Hoc quidē vinum omnino tollunt carnales nuptiæ, & abundant in eis aquæ, ideſt fluxus voluptatis. Secundum vinum eſt gaudium, & conſolatio vitæ, de quo Eccl. 9. *Bibe cum gaudio vinum tuum.* Iſtud quidem vinum in principio nuptiarum propinatur, ſed deficit cito: ſuccedit enim abundanter aqua tribulationis, ſollicitudo ſcilicet mūdi, tribulatio carnis, zelus inordinatus, onus debiti, anxietas educandæ prolis, ideſt timor euentus eius, dolor orbitatis eiuſdem. Mach. 9. dicitur quod nuptiæ Iābri conuerſæ ſunt in luctum, & vox muſicorum in lamentum. Iambri interpetratur mare laceſſens: amaritudo enim vitæ matrimonialis mentem lacerat. Etenim frequenter videmus principia nuptiarum læta, veniente verò vxorum, & filiorum morte, ecce muſica in luctum conuerſa.

Vinum non habent. D. Auguſtinus in Commentario huius loci, quod & gloſa ordinaria ibidem refert, hanc expoſitionem adhibet in hæc verba: *In nuptijs vinum defecit, quia ſenſus legis per carnalem expoſitionem Phariſæorum à ſua priſca virtute cœperat deficere; ſed Chriſtus aquam in vinum conuertit, dum quæ carnalia videbantur, ſpiritualia oſtendit; & ſuperficiem* (*D. Auguſt. in Comm. huius loci. Gloſſa ordin.*)

literæ

Digitized by Google

literæ plenam virtute cœleſti videri fecit. Chriſtus enim in Prophetis nondum manifeſtatus, quaſi vinum in aqua latuit, ſed cùm aperuit eis ſenſum, vt intelligerent Scripturas, ipſos vino inebriauit, & mentes à carne alienauit. Scripturæ ſunt lex, & Prophetæ, & Pſalmi: hæ omnes ſecundùm literam, aqua inſipida, ſecundum ſpiritum, vinum ſunt. Sex hydriæ, ſex ætates, quarum nulli defuit prophetia: incipit enim ab exordio mundi, eſtque prima ætas ab Adam vſque ad Noè: ſecunda, vſque ad Abraham: tertia, vſque ad David: quarta, vſque ad tranſmigrationem Babylonis: quinta, vſque ad Ioannem Baptiſtam: ſexta, vſque ad finem mundi. In his ergo ætatibus erant Hydriæ, ideſt, quorundam hominum corda receptiua ſcripturarum Dei, parata, & propoſita in exemplum viuendi, & credendi: lapidea, ideſt fortia in Chriſto lapide; ſecundum purificationem Iudæorum, ideſt, quia illi populo Iudæorum lex data eſt, & gratia per Chriſtum omnibus facta eſt. Videamus, quæ in ſingulis ætatibus, quaſi hydrijs, aqua fuerit, & quomodo in vinum mutata. In prima Abel à fratre occiditur, & hic pœnam, ille laudem accipit. In hoc ſi quis innocentiam Abel ſequitur, & malitiam Chain fugit, aquam abluentem, & reficientem bibit, ſi vero in eodem Chriſtum à Iudæis occiſum intelligit, de aqua vinum bibit, ſic in alijs omnibus huius ætatis. In ſecunda Noè in arca propter iuſtitiam ſaluatur; Mundus diluuio perit: ſi quis hoc exemplo à vitijs ſe corrigit, aquam ſalutarem bibit; ſed ſi in arca Eccleſiam, quæ cuncta animalia, ideſt omnes gentes recipit, in aqua, baptiſmum intelligit, & cetera huiuſmodi, vinum bibit. In tertia Abraham obediens, pro filio offert arietem: qui hic diſcit obedientiam, bibit de tertia hydria aquam, ſed ſi quis in Iſaach deitatem, in ariete Chriſti Carnem intelligit, vinum bibit. In quarta Dauid humilis regnat, Saul ſuperbus abijcitur: in hoc ſi quis diſcit humiliari, aquam bibit: ſi regnum Chriſti intelligit, vinum bibit. In quinta Populus captiuatur, poſt reducitur: hinc ſi quis diſcit pœnitentia corrigi, aquam bibit: ſi quis de captiuitate peccati, Populum Dei per Ieſum liberari intelligit, vinum bibit. In ſexta Chriſtus circumciditur, & offertur: in quo ſi quis diſcit, ſuis ſacramentis ſubijci, ſicut Chriſtus, ille aquam bibit; ſi verò in octaua, depoſitionem totius mortalitatis intrationem ad Deum intelligit, vinum bibit. hactenus D. Auguſtinus.

Quid mihi, & tibi eſt mulier? Idem D. Auguſtinus homil. ſuper hæc verba, euidenter refutat errorem illorum, qui ex his verbis colligunt, Beatam Virginem non fuiſſe veram Chriſti matrem. Verba tanto Patre digna hæc ſunt: *Tenemus duas* D. Auguſt. *ſententias ab Euangeliſta prolatas: Erat ibi mater Ieſu, Euangeliſta dixit: quid dixerit matri ſuæ Ieſus ipſe euangeliſta dixit; & quomodo dixit reſpondiſſe matri ſuæ Ieſum, vt primò diceret: ait illi mater eius: videte fratres, vt aduerſus linguam ſerpentis munitam virginitatem cordis habeatis. Illic in ipſo Euangeliſta narrante dicitur: erat ibi mater Ieſu: & dixit illi mater eius. quis hoc narrauit? Ioannes Euangeliſta, & quid reſpõdit matri Ieſus? quid mihi, & tibi eſt mulier? quis hoc narrat? idem ipſe Ioãnes Euangeliſta. O Euãgeliſta fideliſſime, & veraciſſime, tu mihi narras, dixiſſe Ieſum: quid mihi, & tibi eſt mulier? cur ei oppoſuiſti matrem, quam non agnoſcit? Nam tu dixiſti, quia ibi erat mater Ieſu, & quia dicit ei mater eius, & reſpondit ei Ieſus: Quid mihi, & tibi eſt mulier? quare hoc? quia niſi vtrumque verum eſt? Illi autem in eo volunt credere Euangeliſtæ, quod narrat, Ieſum dixiſſe matri: Quid mihi, & tibi eſt mulier? & in eo nolunt credere Euangeliſtæ, quod ait: erat ibi mater Ieſu, & dixit ei mater eius. Quis eſt autem, qui reſiſtit ſapienti, & tenet veritatem? cuius virginitas cordis non corrumpitur aſtutia diaboli? Qui vtrumque verum credit, & quia erat ibi mater Ieſu, & quia illud reſpondit matri Ieſus: ſed ſi nondum intelligit, quemadmodum dixerit Ieſus: quid mihi, & tibi eſt mulier? interim credat, quòd dixerit, & quòd matri dixerit. Sit primò pietas in credente; & erit fructus in intelligente. Interrogo vos, ò fideles Chriſtiani: erat ibi mater Ieſu? reſpondete, erat. vnde ſcitis? reſpondete, hoc loquitur Euangelium. Nullus vobis corrumpat hanc fidem, ſi vultis ſponſo ſeruare caſtam virginitatem. Si autem quæratur à vobis, cur hoc matri reſponderit? dicat qui intelligit, qui autem non intelligit, firmiſſimè tamen credat, & hoc reſpondiſſe, & tamen matri reſpondiſſe Ieſum. Hac pietate merebitur etiam intelligere,*

cur

Digitized by Google

cur ita reſponderit, ſic orando pulſet, & non rixando accedat ad oſtium veritatis. Tantum caueat, ne dum ſe putat ſcire, aut erubeſcit neſcire, cur ita reſponderit? cogatur credere, haud Euangeliſtam fuiſſe mentitum, qui ait: Erat ibi mater Ieſu.

D. Chryſoſt. *Nondum venit hora mea.* D. Chryſoſt. in Commentario huius loci in hunc modum hæc verba interpretatur. *Nondum venit hora mea, ideſt, nondum cognitus ſum his, qui adſunt, ſed neque ſciunt quoniam defecit vinum. Sine eos primùm hoc ſentire: qui enim neceſſitatem non præſenſit, neque beneficij grandem ſuſcipiet ſenſum.* At D. Gaudentius tractatu 2. hoc modo illa eadem verba exponit. *Non mihi videtur illa reſponſio ad iſtam ſuggeſtionem Mariæ ſenſibiliter conuenire, niſi in myſterio locutus eſſe ſpiritualiter Dominus dicatur: vt quoniam vinum Spiritus ſancti ante paſſionem Chriſti, ac reſurrectionem gentibus dari non poterat, Euangeliſta teſtante: nondum erat ſpiritus datus, quia necdum Ieſus fuerat glorificatus; merito tunc fuerat inter initia ſignorum, dum matri reſpondit: quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Tanquam ſi diceret: quid tam præpropera es, ò mulier ſuggerendo, cum hora paſſionis meæ nondum aduenerit? quia perfectis omnibus, vel doctrina, vel operationum diuinarum virtutibus, pro vita credentium mori diſpoſui: poſt paſſionem, reſurrectionemque meam, cùm ad Patrem rediero, tunc eis donabitur vinum ſpiritus. Quapropter, & ipſa beatiſſima agnito, reſponſionis huius profundo myſterio, intellexit, non ſuggeſtionem ſuam præſentem, aſpernanter acceptam, ſed ſecundum illam ſpiritalem rationem in myſterio tunc dilectam.*

D. Auguſt. Sed Diuus Auguſtinus in hæc eadem verba: N*ondum venit hora mea*, hæc notanda ſcripſit: *Hìc inueniunt Mathematici occaſionem fallaciæ, quia dixit: nondum venit hora mea. Dicunt enim: vides quia ſub fato erat Chriſtus, quia dixit: nondum venit hora mea. Credant autem Deo dicenti: poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam, & quærant, quare ſit dictum: nondum venit hora mea, nec ideo iam ſub fato ponant conditorem Cœli: quia ſi eſſet fatum de ſyderibus, non poterat eſſe ſub neceſſitate ſyderum conditor ſyderum; quod non ſolùm Chriſtus non habuit quod appellas fatum, ſed nec tu aut ille, aut quiſquam hominum. Quare ergo dixit: nondum venit hora mea? quia in poteſtate habebat, quando moreretur, ſed non videbat eſſe opportunum vt illa poteſtate vteretur vocandi diſcipuli. Annunciandum erat Regnum Cœlorum, faciendæ erant virtutes; commendanda erat humilitas Domini ipſa compaſſione mortalitatis. At vbi tantum fecit, quantum ſufficere iudicauit, venit, hora non neceſſitatis, ſed voluntatis, non conditionis, ſed poteſtatis.* hactenus Diuus Auguſtinus.

D. Chryſoſt. Verum & alia præclara multa, quæ tradit Diuus Ioannes Chryſoſtomus homilia ſecunda ſuper eadem verba non ſunt ſilentio prætereunda. *Neque enim* (inquit) *parua nobis hodierna die proponitur quæſtio: nam cùm mater dixiſſet: vinum non habent: reſpondit Chriſtus. Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea; & licet ita reſponderit, maternis tamen votis obtemperauit. Hac nulla ex parte minor eſt quæſtio, quàm ſuperior, de qua non immerito ſit dubitandum. Cùm igitur ipſum, qui miraculum operatus eſt, inuocantes, ad huius loci expoſitionem veniamus neque hoc tantùm in loco dictum eſt: nondum venit hora mea, ſed & alias; nam cùm capere eum Iudæi non poſſent, inquit Euangeliſta: Nondum venerat hora eius, & iterum: nemo miſit in illum manum, quia nondum venerat hora eius, & iterum: Pater venit hora, clarifica filium tuum. Quidnam iſta ſignificant? Idcirco plures in eandem ſententiam textus adduximus, vt omnibus ſolutio afferatur. Quæ igitur ea eſt? nulli temporum neceſſitati Chriſtus ſubiectus eſt, nec ob temporis obſeruationem nondum horam ſuam veniſſe dicebat. An ne temporum opifex, & author ſæculorum, tempora obſeruaret? oſtendit autem omnia debito tempore, non ſimul operata, quoniam inordinata quædam confuſio fuiſſet, niſi opportunè omnia tranſegiſſet.* Et infra ait: *Cur autem cum horam ſuam nondum veniſſe dixerat impleuit matris voluntatem? maximè quidem, vt contradicentibus, & momentis temporum eum ſubiectum exiſtimantibus, palam non rectam eorum ſententiam oſtenderet: nam ſi tempori ſubijceretur, quo pacto immaturè id feciſſet? Præterea, vt matri honorem exhiberet, & non omnino contumax videretur*

retur

retur matri tot præſentibus, neue impotentia argueretur. hactenus Diuus Chryſoſtomus.

S. Gauden. *Quodcumque dixerit vobis facite*. Sanctus Gaudentius in Commentario huius loci, vt refertur in Bibliotheca SS. PP. dom. 2. poſt Epiphaniam; in hunc modum loquitur: *Nunquam mandaret miniſtris: quodcumque dixerit vobis facite, niſi Spiritu ſancto poſt Partum diuinum plena, non ſolum reſponſionis Chriſti virtutem cognouiſſet, verum etiam futuri ab eo, tunc ex aqua vini, vniuerſum ordinem præuidiſſet. Quid enim lateret ſapientiæ matrem, capacem Dei ædem, digniſſimam tantæ virtutis, veritate facti hiſtorialiter approbata?* Euthymius putat, Deiparam miniſtros monuiſſe, vt miraculum cum ipſa peterent; ſic enim ſcribit: *Virgo menſæ miniſtros admonet, vt ſibi adſint, & ipſi quoque alio modo cum ea deprecentur*. Diuus Chryſoſtomus vero exiſtimat, Deiparã Virginem miniſtros ad Chriſtum duxiſſe. *Maria* (inquit) *miniſtros ad filium duxit: expectauit, & palam miniſtros accerſiuit, vt à pluribus rogaretur; & addidit: Quodcumque dixerit vobis, facite. Nouerat, non eſſe imbecillitatis excuſationem, ſed ne faſtu quodam temere id ſuſcipere videretur, quam ob rem miniſtros adduxit*. Diuus quoque Bonauentura in libro de vita Chriſti, cap. 20. hæc verba Virgini attribuit. *Ite ad filium meum, & quicquid vobis, præceperit exequemini. Quodcumque dixerit vobis facite. Timebat enim Beata Virgo, ne miniſtrorum incredulitas, vel obſequium non promptè exhiberet, maximè ſi quid inconſuetum præciperet, amentiæ deputarent, quod miraculum vel impediret, vel retardaret. Quodcumque ergo, ſiue facile, ſiue difficile, ſiue ſenſui repugnet facite*. Vt enim Naaman Syrius, extra rem eſſe indicabat lauari ſepties in Iordane, ſerui autem oppoſuerunt ſe, ei perſuadentes, vt obediret verbo prophetæ; ita & Beata Virgo ne miniſtris extra rem eſſe videretur, ſi aqua implere hydrias à filio ſuo iuberentur, monet illos: *quodcumque dixerit vobis facite*.

Euthymius. D. Chryſoſt. S. Bonauent. 4. Reg. 5.

Erant autẽ hydriæ lapideæ ſex, poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas, aut ternas. Magna apud eruditos de metretis iſtis quæſtio oritur, & profectò altercatio non eſt magni momenti. Fatentur enim vaſa eſſe aperta, & ampla. Budæus ait, metretam habere congios decem, hæret Budæo Ianſenius: Hauriunt verò iſti, quod nobis de metretis propinant, ex Dyoſcoride lib. 5. Eruditus hic auctor ita habet: Metreta continet congios decem, congius autem cõtinet ſextarios ſex: ſecundũ Adrianum Iuniũ, metreta continet duo lata, vel paulò amplius. Nicolaus Zegerus ait, ſe vidiſſe Tongris hydriam, quæ cinerei erat coloris, cuius generis ſunt, & Coloniæ, quæ quatuor potos, ſeu duo lota tenebãt. Colligit aut doctiſſimus Maldonatus in c. 2. Ioan. facta computatione, trigintaſex arrobas vini (vt Hyſpani vocant) Chriſtũ Dominũ ſuo miraculo feciſſe. Verba eius ſunt hæc: *Inuenio hydrias ſingulas tertiam circiter, aut tertiam, partem Pariſienſis modij vini habuiſſe, ideſt, ſex fere, quas hyſpani, arrobas vocant, ſi binas metretas capiebant, nouem verò, ſi tres. Itaque vt minimum, trigintaſex arrobæ optimi vini eo miraculo, à Chriſto factæ ſunt; quæ ad inebriandos ſexcentos homines moderati potus, ſatis erant. Voluit enim Chriſtus non ſolùm præſenti inopiæ ſubuenire, ſed multùm etiam vini ſponſo remanere, tùm vt illius paupertatem ſubleuaret, tùm vt diuturnum teſtimonium, ac monimentum eſſet facti miraculi*.

Budæus. Ianſenius. Dyoſcor. Adrian. Nicol. Zeger. Maldonatus.

Quare autem harum hydriarum meminerit Euangeliſta, eaſque tam diligenter Ioannes enumerarit, & deſcripſerit, paucis dicemus. Quòd numerum, & magnitudinem hydriarum deſcribit, non ſolùm facit ad certitudinem miraculi, ſed etiam, ad commendationem magnifici doni. Niſi enim tam magnæ, ac capaces fuiſſent hydriæ, potuiſſet aliquis ſuſpicari, forſan clàm ab aliquo allatas fuiſſe hydrias illas plenas vino. Verùm quoniam tàm capaces deſcribuntur, nullus locus relinquitur ſuſpicioni. Iam facit, & hoc ad miraculi magnitudinem, & certitudinem, quòd prius nullum fuerat vinum in vaſis illis. Nam hydriæ erant, non vaſa vinaria. Poſtremò, quòd Chriſtus tanta vaſa vino impleuerit, teſtatur luculenter liberalitas eius. Hinc eſt quod hydriæ græce, latinæ, aquales, dicuntur, ideſt, vaſa aquæ deſtinata; quibus vinum infundi non ſolet. Erant autem vaſa huiuſmodi ſex lapidea, poſita, ideſt, quæ

non

non circumferebantur, ſed certo in loco conſtituta aquam continebant; ex quibus aqua minoribus vaſis hauriebatur, ob idque lapideæ erant, & valde capaces. Erāt autem hydriæ propter Iudæorum purificationem, quibus moris erat, in conuiuijs frequenter purificari, & in hos vſus magna copia aquæ in capacioribus illis vaſis reſeruabatur. Hæc purificatio, illa eſt, de qua Marci cap. ſeptimo, *Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: & à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.* Harum ergo purificationum cauſa erant hydriæ iſtæ expoſitæ: quæ quidem purificationes non erant ex lege, ſed ex ſeniorum traditione. Aliæ purificationes legis erant, ab immunditia, ex tactu morticinij, aut leproſi, aut ſeminis pollutione contracta; & ab his non purificabantur aqua, ſed ad veſperam vſque hæc immundities perdurabat. Perpende, quàm ſapienter, & conſultò Dei filius, miraculum, in ſui manifeſtationem facturus, vaſa aquæ deſtinata elegit, ne quis vinum in vaſis, non autem de nouo factum fuiſſe, aut vini partem aliquam, quæ ſuperinfuſæ aquæ ſaporem vini interderit, ibi reſeruatam exiſtimaret: quippe vaſa aquam recipere ſolita hanc tollebant ſuſpicionem. Vaſa etiam elegit capacia, & magna in eodem loco fixa, hinc inde geſtari inſueta, vt plena vino, aliunde portata nemo ſibi perſuaderet, atque vt copia tanti vini apertè, & ſine contradictione miraculi virtutem probaret, & pluribus communicata magis diuulgaretur, ob id, hæc vaſorum magnitudo ponitur. Capiebant ſingulæ hydriæ metretas binas, vel ternas, vt ſermo iſte non ad eaſdē, ſed diuerſas referatur, itaut aliquæ hydriç binas, aliquæ ternas habuiſſe dicātur metretas metretæ autem ſecundum aliquos, duodecim congios continebat; congius autem ſex ſextarios: ſextarius apud Romanos quidem viginti vncias continebat; apud Atticos verò duodeuiginti: tantus erat etiam ſextarius hebraicus. Continebat igitur metreta ſeptuaginta duos ſextarios, & ſinguli ſextarij, duo & viginti vncias. Ex quo facile eſt cuique quantum Hydriæ caperent, computare.

Marci.

Dicit ei Ieſus: Implete hydrias aqua. Iam enim conuiuij maiore parte peracta, conſequens erat, vt propter frequentes purificationes, vaſa ferè eſſent vacua. Hac igitur de cauſa Chriſtus illas impleri iubet; potuiſſet quidem Dominus, nulla aqua prius infuſa, vino eaimplere; tamen vt certius miraculum fieret, & miniſtros ipſos tanti miraculi teſtes haberet, aquam manibus eorum infuſam, in vinum maluit conuertere. Et vt Diuus Chryſoſtomus homil. 26. annotat, *ne vlli calumniæ locus pateret, Chriſtus aqua vſque ad ſummum vaſa, quæ ſoli aquæ deputata erant, impleri voluit.* D. Chryſoſt. homil. 26.

Cùm autem Euangeliſta ait: *Dicit ei Ieſus: implete hydrias aqua, & impleuerunt eas vſque ad ſummum*; intelligendum eſt Chriſtum locutum non ad diſcipulos ſuos, ſed ad miniſtros, qui miniſtrabant menſis, ad quos Maria glorioſiſſima virgo prius dixerat: *Quodcumque vobis dixerit, facite.* Miniſtri itaque impleuerunt hydrias vſque ad ſummum. Vide rurſum, quàm prudenter hic omnia fiant, & quàm diligenter omnia deſcripta ſint, ne quis vllo modo cogitare poſſit Chriſtum populo fucum feciſſe. Potuiſſet quidem non difficilius creare vinum Chriſtus, & ſic hydrias implere, quàm potuit aquam in vinum conuertere; ſed hoc non fuiſſet tam manifeſtum: aut enim populus fuiſſet ſuſpicatus, antea fuiſſe hydrias vino aliunde apportato repletas; aut certè non operante Chriſto, ſed aliquo alio miraculo hoc factum. Verùm talibus friuolis cogitationibus nullus relinquitur locus: miniſtri enim ipſi vident, nihil reliquum eſſe in hydrijs, eaſque implent aqua, & implent vſque ad ſummum. Quod rurſum fit, ne quis opinetur, vinum aquæ fuiſſe admixtum. Nam ſi Iudæi, ſiue reliqui hoſpites contumaciores fuiſſent ad credendum potuiſſent miniſtri teſtimonium perhibere. Sed iam cauſam affer, quare maluerit Chriſtus aquam in vinum conuertere, quàm abſque aqua vinum creare. reſpondet S. Chryſ. *nam cùm ſint nonnulli hæretici, qui alterum Mundi opificem quæ videntur opera condidiſſe aſſeuerant, horum inſaniam cohibens, plura facit miracula ex ſubiectis ſubſtantijs: nam ſi ipſe Deo contrarius opifex fuiſſet, non vtique alienis* Ioan. 2. D. Chryſoſt.

alienis vſus eſſet Chriſtus ad propriæ virtutis demonſtrationem. Hoc autem miraculo (ſicut paulo poſt dicemus) *manifeſtè oſtendit, ſe eum eſſe, qui vineas irrigat, pluuiam per vitis radicem in vinum vertit, cùm quod in planta longiori temporis ſpatio fit, id repentè in nuptijs operatus eſt.* Quomodo verò hoc miraculum innotuit, explicemus. Illud enim, quia ad omnipotentiam Chriſti Domini commendandam multum facit, ſilentio non præteribo, nimirum opus non fuiſſe illi ad hydrias accedere, aut illas contingere; ſed ex menſa, in qua ſedebat, ab hydrijs diſtans, nec tactu, nec corporeo viſu perceptam aquam, diuina potentia ad omnia pertingente, in vinum tranſmutauit. Natura vnius anni eget ſpatio, vt in vite vinum efficiat: pampanos in primis, racemos poſtea producit: ij verò prælo compreſſi, nondum defœcatum vinum, ſed muſtum emittunt. At Chriſtus non anni, non horæ, non quadrantis indiget ſpatio, non racemis habet opus; ſubitò in hydrijs abſque vllis botris, non muſtum, ſed defœcatum ac ſuauiſſimum vinum efficit. Torcularis inſtar fuere hydriæ, botrorum inſtar aqua. Cùm ſecundis cauſis pro illarum modo, ac ratione lentè Deus operatur, abſque illis momento temporis, quod vult, perfecit. Ipſemet, qui in vite lento quodam concurſu vinum producit, in hydrijs velociſſimo temporis puncto vinum protulit.

Ceterum iam in id nõnullos audiamus
D.Gaudent. tract.2. Patres. D. Gaudentius tractatu ſecundo, verſans propoſita verba. *Erant lapideæ hydriæ ibi ſex, poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas*, in hunc modum loquitur: *Iudæi id moris habebant, vt priuſquam ſynagogam ingrederentur, & de publico, regreſſi domum, priuſquam pranderẽt, cutem corporis ſui aqua abluerent, Erat autem menſura aquæ ad abluendum corpus ſufficiens, vel duæ metretæ, vel tres ideſt, amphoræ duæ, vel tres pro quantitate ſcilicet magnitudinis corporum. Non poſſum parcere, tranſiens purificationem Iudæorum, qui dum immunda, & polluta lauant corpora, abluta ſtatim polluunt: ſemper lauant, ſemper impuri ſunt, & (vt dici ſolet) laterem lauant, illum nempe laterem, quem parauerunt in Aegypto Pharaoni; diabolo exhibentes ſeipſos arma iniquitatis peccato ad cõſtructionem hoſtilium Ciuitatum. Terrei enim ſunt, & igneo Spiritus ſancti calore nequaquam ſolidati. Quapropter vſquequo deliqueſcant in mortem, laterem ſuũ non deſinunt lauare polluendũ; quinimmò porcorum more, de aqua in cœnum redeunt. Iſti ſunt porci, quos iratus Dominus legioni dæmonum tradidit, vt præcipitarentur in lacum, morte necandi perpetua. Fugite immunditiæ exemplum Neophyti, ne pœnæ participes exiſtatis. Vnum baptiſma nobis Apoſtoli iuxta diuinam ſententiam decreuerunt. Ait enim: Qui biberit ex iſta aqua, non ſitiet in æternum. Abluti ſemel eſtis baptiſmo ſalutari, nolite de fonte in cœnum regredi, ſeruate donatam munditiem.* Hactenus Diuus Gaudentius.

Nunc accipe egregiam ſolutionem illius quæſtionis, quam proponit, & ſoluit
Diuus Chryſoſtomus homil. 2. de his nuptijs agens in hac verba. D.Io.Chryſoſ. hom.2.de nup. *Sed quanam gratia, antequam implerentur, non fecit miraculum, quod longè fuiſſet admirabilius? Siquidem aliud eſt, ſubiectæ materiæ qualitatem mutare, aliud ipſam ſubſtantiam ex nihilo facere; hoc profectò mirabilius, non tamen ita credibile, quod nihilominus facile potuiſſet multitudini perſuaderi; hoc gratia miraculorum nonnunquam magnitudinem conſultò imminuit, vt facilius crederentur. Sed cur ipſe hydrias aquæ non impleuit, deinde in vinum vertit, ſed miniſtris implendas mandauit? ipſam eandem ob cauſam, vt miraculi ipſos teſtes haberet, qui aquam hauſiſſent ne qua fraus neque præſtigium putaretur. Nam ſi contumaciores fuiſſent ad credendum, potuiſſent miniſtri teſtimonium perhibere, ſe aquam hauſiſſe, & hydrias impleuiſſe. Accedit ad hoc, quòd Hæreticorum dogmata in Eccleſiam pullulantia propter hoc euertuntur. Nam quum ſint nonnulli, qui alterum Mundi opificem, quæ videntur opera condidiſſe aſſeuerant, horum quoque inſaniam cohibens, plura facit miracula ex ſubiectis ſubſtãtijs. Nam ſi ipſe Deo contrarius opifex fuiſſet, non vtique alienis vſus eſſet Chriſtus ad propriæ virtutis demonſtrationem. Hoc autem miraculo manifeſtè oſtendit, ſe eum eſſe qui vineas irrigat, pluuiam per vitis radicem in vinum vertit, quum quod in planta longiori temporis ſpatio efficitur, id repentè in nuptijs operatus eſt.* Hactenus

Diuus Chryſoſtomus. Si autem in has hydrias allegoriam deſideras, en Diuus D. Gauden. Gaudentius tract. 2. hæc habet, *Sed iam videamus, quæ ſint apud Gentes per allegoriam ſex illæ hydriæ lapideæ, capientes ſingulæ metretas binas, & ternas. In vnoquoque hominum ſex quadam ineſſe numerantur: viſus oculorum, auditus aurium, odoratus narium, loquela oris, attrectatio manuum, inceſſus pedum. Hæc omnia cùm eſſemus gentes, lapidea erant in nobis, & mortua, ſicut Sanctus Propheta Dauid execrando teſtatur: ſimulacra gentium, argentum, & aurum, ſtudio tacuit ceteras viliores materias metallorum, vt in precioſis multò magis damnaret, & vilia. Simulacra ergo Gentium, vt quo ſenſu vituperata ſunt, edicamus, quando ſatis opulentos fabricatores habuerunt. Erunt (inquit) inſenſibilia metalla, argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt, manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt; & quid? Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis. Ergo vnum conſideremus in Idolis, erant in nobis iſti ſenſus ſex, iuxta ſententiam prophetæ, emortui, atque lapidei ſine officio, ſine motu congruo, ſine officio competenti: ſed mox vbi in Deum viuum à ſimulacris mortuis conuerſi credidimus, viuificati ſumus audientes ab ipſo: Quia ego viuo, & vos viuetis, & iterum: ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet, & omnis, qui viuit hoc eſt, quòd iam credit, ſi vſque in finem credideris, non morietur in æternum. Conuerſi igitur ad fidem, & viuificati per baptiſmum, oculos leuamus ad Dominum, odorem notitiæ eius inſatiabili ſpiritu trahimus, tacitoque teſtamur affectu. Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata: lectiones diuinas aure percipimus, ore Dominum confitemur, laudamus, benedicimus, obſecramus, manus ſupplices ad Cælum tendimus; pedibus ad Eccleſiam currimus, & vnam Trinitatis deitatem flexis ad terram genibus adoramus.* hæc Diuus Gaudentius, cuius aliam egregiam allegoriam in eodem tractatu ſecundo lego dum ait: *Videamus hydriæ noſtræ, quas metretas ſingulæ capiant, vel binas, vel ternas. Sanctus Apoſtolus Paulus ſcribens ad Corinth. inter cetera ſpiritualium genera virtutem, quæ aboleri profectu meritorum neceſſe ſit, aut manſura in æternum, tria hæc perhibet: Spem, Fidem, & Charitatem: Manent (inquit) Spes, Fides, & Charitas, tria hæc: maior autem horum, eſt Charitas. Fides eſt, qua Trinitatem vnius ſubſtantiæ confitemur. Spes eſt, qua reſurrectionem carnis, & præmia pro meritis futura ſperamus. Charitas eſt, qua ita Chriſtum diligimus, vt pro eius nomine interfici æquo animo patiamur. Sed quia omnes in fide Apoſtolica baptizati credunt quidem in Trinitatem, & ſperant futura; non tamen omnes cum ſancto Apoſtolo ex affectu dicere poſſunt: Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Idcirco quædam hydriæ noſtræ, binas metretas capiunt, quædam vero ternas etiam. Largiatur autem Dominus Ieſus diues in omnes, qui inuocant eum, vt ternas metretas perfecti in charitate eius, etiam ſine aperto perſequutionis prælio capiamus, vt in dilectione Dei paratis mentibus ad omnem præſentium pœnarum tolerantiam conſtantes poſſimus ex occulti certaminis triumpho illuſtrem coronam victricis conſcientiæ promereri.* hactenus Diuus Gaudentius.

Haurite nunc & ferte Architriclino. Quis fuerit iſte Architriclinus, non eſt vna omnium ſententia: nam Lyranus in caput ſecundum Ioannis, putat fuiſſe prin- Lyranus. cipaliorem, qui inter Conuiuas ſedebat; veroſimileque ſibi videtur fuiſſe ſacerdotem aliquem vocatum ad benedictionem menſæ. Sanctus Thomas ibidem huic ſententiæ adhæret dicens, Architriclinum S. Thomas. fuiſſe Principem inter conuiuas, ideſt primum illorum, & ideo tanquam primo inter diſcumbentes, iuſſiſſe Chriſtum Dominum prius vinum propinari quàm reliquis. Verum Diuus Chryſoſtomus, & D. Chryſoſt. Euthymius putant Architriclinum præfe- Euthymius. ctum fuiſſe miniſtris conuiuij, qui debito ordine fercula in menſam inferri curabat, & ideo menſæ non accumbebat. Adnotat Diuus Chryſoſtomus propterea Chriſtum iuſſiſſe, vinum guſtandum prius dari Architriclino, quam reliquis: tum quia ad officium Architriclini pertinebat probare vina, quæ propinabantur. Vnde vt recte

Card. Caiet. adnotauit Cardinalis Caietanus hìc, non dixit Euangeliſta: bibit vinum, ſed guſtauit, ad ſignificandum officium Architriclini, quia cùm nondum epulatus fuiſſet, & ſobrius eſſet, melius de præexcellentia vini ſententiam ferre poterat; miraculum enim Chriſti ſobrium expoſcebat Iudicem.

Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam. Diuus Chryſoſtomus homilia ſecunda, ſuper hæc verba ait: *Venit Ieſus in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Neque ſimpliciter vinum, ſed optimum, eiuſmodi enim Chriſti miracula, vt quam quæ natura perfecta ſunt, longè pulchriora, melioraque reddantur: ita & in alijs diſtortum membrum, quam ſana, validius reddebat. Quòd autem & vinum optimum eſſet factum, non miniſtri tantum ſed & ſponſus, & Architiclinus perhibuere teſtimonium quòd à Chriſto factum fuerit,* Et paulo inferius ad ſenſum moralem hãc cõuerſionem referens inquit: *Nunc etiam in præſentia laſciuas, & infirmas hominum voluntates mutare non deſinit. Sunt enim plerique hominum nulla aqua meliores, frigidi, fluentes, ſemper mutabiles, huiuſmodi homines ad Dominũ adducendi ſunt, vt eorum voluntates in vini ſimilitudinẽ transferat, ne amplius labantur, ſed præteritorum compuncti ſibi, & proximo lætitiæ efficiantur authores. Sed qui nam ſunt hi frigidi? qui fluxis præſentis vitæ rebus incumbunt: qui non contemptis humanis ſæculi delicijs, gloriæ, potentiæ, diuitiarum ſunt amatores. Hæc enim omnia fluxa, & caduca ſunt, & nuſquam conſiſtentia, quæ in præceps ſemper celeri impetuit deferũtur. Siquidem qui hodie diues eſt, erit pauper: qui hodie in curru, præcone, lictoribusque, & apparitoribus comitatus magiſtratum gerit, poſtridie nonnunquam in carcerem intruditur; & velit nolit alijs omnia relinquit. Qui in delicijs vitam agit, qui conuiuijs diſſoluitur, pene crapula ventrem diſrumpit, ne iure quidẽ poteſt in eadem ſatietate permanere, ſed concocto cibo, iterum ad id compellitur, nihil à torrente differens. Nam quemadmodum in eo prior fluxus, alio ſuperincumbente vrgetur, ita & nos alio poſt alium cibo indigemus.*

Omnis homo primo bonum vinum ponit, deinde quod deterius eſt: exiſtimo id fieri ſolitum, quoniam in principio conuiuij ſenſus aptior, & acrior eſt ad iudicandum de ſapore vini; poſtea vero potu, ciboque hæbeſcit. Quia tamen ſatis veriſimile eſt, vinum illud quod tantopere Architriclinus laudauerat ex aqua factum fuiſſe, omnes conuiuas ad hydrias accurriſſe, vt viderent, an ita eſſet, & oculis ſibi fidem facerent, ideo elegantes hos Sedulij verſus tibi offero.

Impleuit ſex ergo lacus hoc nectare Chriſtus;
Quippe ferax, qui vitis erat, virtute colona Sedulius.
Omnia fructificans: cuius ſub tegmine blando
Mitiò in occiduas enutrit pãpynus vuas.

Ad extremum ex his verbis: *omnis homo primò bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt*, veritatem illam eruere licet, experientia ipſa ſatis comprobatam, quòd ſi quid boni vini Mundus habet, id initio conuiuij propinat, vt miſeros inebriet conuiuas: in finem verò amariſſimas reſeruat fœces. Epulabatur quotidie ſplendidè diues ille, cuius Lucas cap. 16. meminit. Initio Luc. 16. quidem conuiuij propinauit illi mundus ſuauiſſimum vinum, in finem verò acerbiſſima tormenta, ſitimque amariſſimam reſeruauit: Vnde illud Abrahami reſponſum. *Recordare quia recepiſti bona in vita tua, nunc autem cruciaris.* Ibidem. Primum ait: *Recepiſti bona in vita tua*, id ſane eſt, *omnis homo primum bonum vinum ponit*. deinde *nunc autem cruciaris*, hoc certe eſt, *& cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt*. Vide quam bonum vinum primũ Aſſuerus Rex poſuerit Aman, Eſther 3. Eſther. 3. *Rex Aſſuerus exaltauit Aman, & poſuit ſolium eius ſuper omnes Principes, quos habebat: cunctique ſerui Regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman*. Ecce vinum ſuauiſſimum in principio epuli, finem expecta. Eſth. 7. Eſther 7. *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo*. Quaſnam fæces amariores patibulo potuiſſet miſerrimus Amã poſt vinum ſuauiſſimum bibere? lætiſſima ſunt flumina amœniſsimis vndique ripis, pratiſque circumdata, ſed vt Eccleſiaſtes Eccl. 1. ait cap. 1. *Omnia flumina intrant in mare.* Quemadmodum fluminum lætiſſimorũ finis, amariſſimũ mare eſt, ita lætiſsimi vini quod mundus propinat finis, amariſsimæ

ſunt

Digitized by Google

ſunt fæces. *Ne intuearis vinum*, ait ſapientiſsimus Salomon, Prouerb. 23. *quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus* (ideſt baſiliſcus) *venena diffundet* hic eſt ſenſus moralis: Caue tibi à mūdi vino, hoc eſt à voluptate; quod ſplendet quidem, & flaueſcit, ſed vaſe vitreo continetur, ſcilicet vita, quæ vitri inſtar, facilè frangitur. Ne intuearis vinum hoc, cùm ſplenduerit in hoc vitro color eius: blande ingreditur, ſuaue eſt palato, atque gutturi, at finem attende. In nouiſsimo mordebit, vt coluber, & ſicut baſiliſcus venenum toto animo, corporeque diffundet. Itaque initio dulce eſt, ac ſuaue, in fine coluber, ac baſiliſcus. Tu ne reſpice initij dulcedinem, reſpice, ſi ſapis, finis amaritudinem.

Prou. 24.

Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ. Ex hoc loco multi colligunt, Chriſtum Dominū in pueritia nullum patraſſe miraculum: alioquin Euangeliſta nō dixiſſet, conuerſionem aquæ in vinum, initium fuiſſe ſignorū Ieſus. Sed mihi firma hæc illatio non videtur: quia ſacer Euangeliſta loquitur de ſignis, & miraculis publicè factis à Chriſto ad manifeſtandam Mundo ſuæ potentię gloriā, vt ſubſequentia verba ſatis indicant: *& manifeſtauit gloriam ſuam; & crediderunt in eum Diſcipuli eius.* Inter hæc autem publica ſigna primum omnium dicit Euangeliſta fuiſſe præſens miraculum, cum hoc tamen rectè ſtat, quòd in pueritia clam miracula patrauerit, quorum ſolùm parentes eius cōſcij eſſent, & nonnulli alij pauci. Vnde cùm D. Hieronymus epiſt. 83. ad Oceam, D. Epiphanius hæreſi 51. D. Ambroſius ſermone 19. D. Thomas hic, Tertull. lib. de baptiſmo cap. 9. Lyranus, Cardinalis Caietanus, & alij in caput ſecundum Ioannis communi conſenſu tradunt, hoc miraculum primum omnium fuiſſe, quæ Chriſtus edidit; intelligendi ſunt loqui de miraculis publicè, non de ſecretò patratis. Vnde D. Chryſoſt. qui hanc eandem, quā prædicti Patres, tenet ſentētiam, hom. 16. in Ioannem, verſans illa verba Baptiſtæ: *Et ego neſciebam eum:* in probationem illius hanc rationem adducit, *ſi Chriſtus notus fuiſſet, non dixiſſet Baptiſta: vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni baptizans* (& infra) *Si à pueritia miracula facere cœpiſſet, non ſanè eum Ioannes ignoraſſet; nec reliqua multitudo indiguiſſet magiſtro, qui ipſum manifeſtaret. Nunc autem ait Ioannes: propter hoc veni, vt manifeſtetur in Iſrael*, & homilia vigeſima. *Si autem* (inquit) *miracula Chriſtus feciſſet, non indiguiſſet populus aliquo, qui ipſum manifeſtaret.* Ecce manifeſtè D. Chyſoſtomus loquitur de miraculis publicè factis ad manifeſtandam gloriam ſuam, hæc enim ſolum negat facta fuiſſe à Chriſto in pueritia: multa namque tunc ſecretò patraſſe latiſsimè comprobaui libro pręcedenti de fuga Chriſti Domini.

D. Hieron. D. Ambr. D. Thom. Tertull. Lyranus. Card. Caiet. D. Chryſoſt.

Et manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum Diſcipuli eius. Illud latum diſcrimen his verbis indicatur, quod inter miracula Chriſti, & quæ reliqui ſancti patrarunt intereſt, quòd Chriſtus per miracula ab eo edita, gloriā ſuam manifeſtabat: alij verò Sancti, non ſuam, ſed Dei gloriā, hoc eſt, Dei Optimi Maximi omnipotentiam oſtentabant; quia ipſi operabantur tanquā miniſtri Chriſti, & in virtute eius; ipſe verò tanquam Dominus, & tanquam author ipſorum, propria virtute illa faciebat. Docuerunt me hoc diſcrimen Euthy. & Hylarius lib. aduer. Varim. Arianum.

Euthym. Hylar. Varim. Aria.

Quòd autem dicitur: *Et crediderunt in eum Diſcipuli eius.* D. Auguſt. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum arbitratur, per quandam anticipationem appellatos fuiſſe diſcipulos in hoc ſenſu, quòd vocati ſūt diſcipuli ad nuptias, ideſt, qui poſteà fuerunt diſcipuli, ſed nondum erant. *Quemadmodum* (inquit) *dicimus, Apoſtolum Paulū natum in Tharſo Ciliciæ, cum tamen, quo tempore natus eſt, nondum eſſet Apoſtolus* Mouetur autem ad hoc D. Auguſt. ea ſatis apparenti ratione, quia Euangeliſta ait: *Crediderunt in eum diſcipuli eius.* Ergo (inquit) *ante non crediderant: ſi autem non crediderant, non erāt diſcipuli.* Verùm mihi durum eſt, huic ſententiæ ſuffragari: nam Euaageliſta non obſcurè ait, vocatos fuiſſe, qui diſcipuli erant. Quòd ſi diſcipuli iā erant, iā vtique credebant; nec enim ignotum hominē, & inopem, niſi crediſſent, ſecuti fuiſſent. Quare cùm D. Lucas ait, viſo miraculo crediſſe, non his dixit, quia tunc primū, ſed quia magis, & firmius crediderunt: Nam & Apoſtoli iā creati, vt legimus Lucæ 17. à Chriſto exigebant augmentum fidei, dicentes: *Adauge nobis fidē.*

D. Auguſt. D. Aug. Lucæ 17.

Orig. Ita interpretantur Origenes in Catena, The phyl. Theophylactus in Commentario huius loci, & alij permulti doctores, quorum varias ſententias in huius confirmationem, D.Thom. breuiter recitabo. Diuus Thomas ſuper Ioann. caput ſecundum Ioannis ait, poſt miraculum crediſſe in eum, tanquam in Deum; ante miraculum autem crediſſe ei tanquam viro bono iuſta prædicanti. Caiet. Caietanus quoque ibidem exiſtimat, ante miraculum, crediſſe diuinam in ipſo potentiam latere. D. Ambr. Diuus Ambroſius ſermone vigeſimo, affirmat crediſſe in omnipotentiam Saluatoris; Cyrill. & Diuus Cyrillus in libro priori de recta fide ad Reginas in fine ait: *Cùm crediderunt diſcipuli in Christum, num in hominem Sanctum ſimpliciter? quia, & ante ſignum ſecuti ſunt eum admirantes, vt ſanctum, ſed propter ſignum, contuiti ſunt, eum habere virtutem ac poteſtatem maiorem quàm hominis,* cui ſit honor, & gloria in ſæculorum. Amen.

DE

DE SACRIS ARCANIS B. VIRGINIS, PASSIONEM ET MORTEM CHRISTI DOMINI PLANGENTIS.

LIBER DVODECIMVS.

Homilia Prima.

Beatam Virginem mortem filij ſui vehementer doluiſſe rationibus, & Patrum teſtimonijs, necnon verbis Simeonis: tuam ipſius animam pertranſibit gladius *multiplici expoſitione illuſtratis, palam fit.* Lucæ 2.

PRIVS quàm de acerbitate dolorũ m Beatiſſimæ Virginis ſermonẽ inſtituã, oportet catholicum fundamentũ iacere è diametro pugnans cum execranda quorũdam hæreticorum doctrina, quos Sectarios, & Nouatores vocitant, aſſerentium B. Virginem minimè doluiſſe mortem Chriſti Domini, ſed alacrem potius, ac lætam extitiſſe; tum quia videbat Dei patris voluntatem adimpleri, humanũ genus Chriſti ſanguine redimi, & exaltationem nominis ſui per mortem ſibi acquirendam fore; tum quia ſi Diuus Paulus 1. ad Theſ. 4. ait: *de dormientibus non contriſtemur, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent;* cèrte cùm B. Virgo Chriſtum poſt triduum reſurrecturum firmiſſimè ſperaret, fruſtra de mortis eius dormitione contriſtaretur; immò potius ſpe illa innitens, hortari debebat filium ad mortem ſuſtinendam, ſicut feciſſe legimus matrem Machabæorum lib. 2. cap. 7. vbi hæc verba habentur: *Supra modum autem mater admirabiliter, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore, conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem, quam in Deum habebat, & ſingulos eorum hortabatur, vocem paterna fortiter repleta ſapientia, & feminèæ cogitationi animum maſculinum inferens.* Ad hæc Diuus Hieronymus tamquam opus heroicum, ac æterna memoria dignum commemorat in epiſtola ad Paulam, quòd Melania Marcelli conſulis filia proprijs oculis virum ſuum defunctum intuens adeò viriliter ſe geſſit, vt de eius morte minimè doleret, ſed diuinæ voluntati ſe conformans lætanter mortem mariti ſui ſuſcepit. Igitur cùm Beata Virgo eſſet virili magis animo prædita, quàm Melania, minus cenſendum eſt doluiſſe, quam illa. His vel ſimilibus infirmis coniecturis ſuaſus hęreticus Bullingerus acriter in nos Monachos inuehens, quòd Deiparæ Mariæ acerbiſſimos cruciatus populo ad compatiendum proponimus, hæc

1. ad Theſ. 4.

2. Machab.

D. Hieroni.

Bullingerus.

auſu temerario effutire non dubitauit: *Quorſum pertinet prodigioſa quædam de Mariæ ploratu, & lamentatione apud plebem deprædicare, & ad miſerationem propenſa pectora ad largiſſimas prouocare lacbrymas; nam bic quorumdam Monachorum hac in re vnicus finis eſt.* Verum quicquid oblatrent Hæretici, Deiparam Mariam, vt decebat matrem Dei, de filij ſui morte verè doluiſſe ratio ipſa docet, Sanctorum Patrum authoritas probat, ac Euangelicum eloquium confirmat. Et quidem (ſi rationem conſulamus) quis niſi ineptiſſime proteruus, inficiari poterit tenerrrimam Matrem, graui dolore fuiſſe concuſſam, & copioſè lachrymatam, dum in cõſpectu eius vnicus, & dilectiſſimus filius turpiſſimam, & acerbiſſimam mortem ſuſtinuit, maximè Iuuenale ethnico homine dicente: *Iuuenalis.*

-- Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur
Cùm lacbrymas dedit: bæc noſtri pars optima ſenſus.

Equidem ſi Beata Virgo dolores, & acerbam Chriſti Domini mortem non perſenſiſſet, nullamque in eum habuiſſet commiſerationem, anſam dediſſet ad iudicandum illam veram, & indubitatam eius matrem non eſſe; quandoquidem commiſeratione quam natura matribus indidit in filios ipſa careret. Quod vel vnum ſapientiſſimo Salomoni efficaciſſimum argumentum fuit, vt judicaret feminam illam, quæ libenter patiebatur infantem diuidi, non eſſe veram eius matrem; ſed illam potius, quæ naturali, ac materno affectu cõmota, maluit filio priuari, quàm diuidi, & trucidari. *3. Reg. 3.* Atque huc mirificè facit expoſitio Euthymij in verba illa Lucæ cap. 2. *vt ex multis cordibus reuelentur cogitationes eorum. Suſpicabantur,* (inquit) *hanc non eſſe illius matrem: ſicut enim multi ad eam reſpicientes, quæ hominis ſunt dicebant hominem tantùm eſſe filium Mariæ; ita rurſum alij attendentes ad ea, quæ diuinitatis eius erant, ſuſpicabantur, quòd eſſet tantum Deus, nec eſſet mater eius. Tunc autem intuentes eam amarè dolentem, ac plurimum lugentem, naturæque cedere, credebant, quod mater eius erat, & detegebant ſiue prodebant cogitationes cordium ſuorum, quæ à ſuſpitione proceſſerant.* *Euthym. in c. 2. Lucæ.* Deinde notæ veræ, germanæque charitatis officium exigit gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus? quemadmodum Paulus non modò per epiſtolam docuit, ſed ſuo etiam exemplo comprobauit. *Ad Rom. 12.* Non enim Stoicos, & ſtupidos, ſiuè ab omni humanitate alienos; ſed molles, ſed clementes ſed faciles, ideſt ſui ſimiles homines amat Chriſtus, non fruſtra è mitiſſima Virgine natus. Sui ſimiles, inquam, qui & aliorum ſucceſſibus ex animo faueant, atque congaudeant, ac viciſſim eorum incommodis, perinde ac ſuis indoleſcant. Decebat igitur Matrem Domini, cùm gratia plena eſſet in hoc ipſo charitatis genere non cedere, ſed præſtare matribus omnibus, & acerbiſſimis filij ſui cruciatibus grauiſſimè commoueri; cùm non modò ſciret, ſed etiam coram cerneret illum, & corpore, & animo ſupra omnem modum, & conſuetudinem diſcruciari, vt *vir dolorum, & ſciens infirmitatem* à Propheta rectè dicatur, ipſeque Patri dicat: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* *Eſai. 53.* *Pſal. 87.*

Ad hæc ſi mors Chriſti firmiſſimam terram commouit, duriſſima ſaxa ſcidit, velum Templi diuiſit, ſepulchra aperuit, ſolem obſcurauit, ac denſiſſimam tenebrarum caliginem in vniuerſam terram effudit; Putandum ne tenerrimum, ac pijſſimum cor Mariæ inſenſibile ſe exhibuiſſe, vt quod inanimatæ creaturæ ſenſerunt, ipſa rationis compos, & mater ipſius patientis non perſentiret? Abſit inſana hæc cogitatio à catholicis animis; prout abeſſe ſuadent Sancti Patres Bernardus de lamentatione Virginis, Anſelmus de compaſſione Virginis. S. Bonauentura ibidem. S. Gregorius Nazianzenus tragœd. de Chriſto paſcente Athanaſius in deſcriptione Mariæ, & Ioſeph. Cyprianus ſermone de natiuitate Chriſti Damaſ. de dormit. Deiparæ, qui omnes Mariæ commiſerantis maternum affectum, & doloris acerbitatem, ſedulo perpenderunt, & nobis perpendendam commendarunt, vt ſic iuxta Chryſoſt. ſententiam homil. 18. in Geneſ. Filij Dei incarnati tanquam viua membra ſuo capiti cum Matre ſanctiſſima compaterentur; idemque ſentiant, vt dixit Apoſt. quod in Chriſto Ieſu: illa præ omnibus ſenſit. Vnde Rupertus, Abbas lib. 6. de diuinis officijs, capit. 2. pijſſimè nos monet, vt exemplo Mariæ fer- *S. Bernard.* *Anſelm.* *S. Bonauen.* *S. Greg. Naz.* *Athanaſ.* *Cypr.* *D. Damaſ.* *D. Chryſoſt.* *Ad Rom. 8.* *Ad Phil. 2.* *Rupert.*

rum

Digitized by Google

rum Dominicæ paſſionis noſtram pertrã-
ſeat animam, vt claui manuum, & pedum
Ad Rom. 21. eius noſtram configant carnem, & crux
S. Ephrem. eius noſtram ſuſpendat concupiſcentiam.
Sic enim, ſi compatimur, conregnabimus;
& Sanctus Ephren in lamentatione Marię
quædam adeò præclara de Marianis dolo
ribus edidit, vt nulla ratione prætermit-
tenda putauerim: *Stans* (inquit) *apud
Crucem puriſſima Virgo, Saluatorem, quem
in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, plagas repu-
tans, intuens, & clauos, querelas, colaphos,
ac flagellationem, cum grauibus ſuſpirijs,
cum fletu ingenti, cum lamentis doloroſiſſi-
mis exclamauit dicens: Mi fili dulciſſime,
dilectiſſime fili, quomodo crucem ſuſtines?
Mi fili, & mi Deus quomodo ſputa, cla-
uos, & lanceam, quomodo pateris alapas,
riſus, iniurias, ſpineam coronam, purpureã
veſtem, ſpongiam, arundinem, fel, & ace-
tum? quomodo pendes in Cruce denudatus,
mi fili, qui Cælum nubibus contegis? quomo
do ſitim fers, qui es opifex, quique mare,
& omnes aquas creaſti? quomodo moreris
inſons in medio ſceleſtorum? quidnam com-
miſiſti? qua in re, fili mi, Hebræos offen-
diſti? & cur ergo te iſti ſimul iniqui, in-
grati Cruci ſuffigunt, quorum claudos, &
permultos valetudinarios ſanaſti, mortuos
viuificaſti? tu verò quomodo niteris fili mi.
dulciſſime, magnanime Deus? Deficio te
Matth. 27. ſuſpiciens in ligno ſuſpenſum, conclauatum,
plagiſque plenum, mi fili. Vbi nunc pulchri-
tudo tua? vbi tuus modo decor? Sol lumen
ſuum obſcurauit, & alius factus eſt: ſplen-
dida Luna in tenebras euanuit, petræ ſunt
perfractæ, & monumenta aperta, templi-
que velum in duo eſt diſciſum creaturæ con-
ditorem ſuum, & opificem cognouerunt; &
hi peruerſi, ac miſeri Hebræi aures obſtru-
xerunt, oculos clauſerunt, ne Solem vnquã
occidentem ſuſpectarent, fili mi. O Simeon
Luc. 2. admirande, en nunc gladius, quo mihi præ-
dixiſti cor meum traijciendum: ecce gla-
dius, ecce vulnus fili, & Deus mi: Tua
mors meum cor ſubijt, viſcera mea ſunt
diſrupta, meum lumen obtenebratum eſt,
& pectus meum grauis pertranſiuit gla-
dius. Horrendam cerno paſſionem tuam
mi fili, & Deus meus: video immeritam
eamdem tuam, nec opem ferre poſſum: lugete
mecum omnes Diſcipuli Domini, dolorem
meum, & vulnus profundum cordis mei
contuentes.* Hanc vulneris profunditatem
ſatis vterque vaticinium Simeonis ex-
preſſit cum dixit ad Mariam: *Et tuam
ipſius animam pertranſibit gladius*; in quo-
rum verborum expoſitione tota hæc ver-
ſabitur oratio. Vetus eſt inter Doctores
quæſtio, de quo gladio locutus fuerit Si-
meon, eſt enim multiplex, gladius quidã
corporeus, de quo Chriſtus ad Petrum lo- Matth. 26.
quens dixit: *Omnis, qui acceperit gladium
gladio peribit*. Alius eſt gladius ipſius mor
tis animã à corpore diuidẽs, *Siccine ſepa-* 1. Reg. 1.
rat amara mors. Alius eſt ambiguitatis, &
ſcandali gladius, quo imbecilles Apoſto- Matth. 26.
li percuſſi ceciderunt, *quando omnes pari-
ter fugerunt*. Eſt etiam gladius prædica-
tionis verbi diuini, de quo Paulus: *Acci-* Ad Eph. 6.
*pite gladium ſpiritus, quod eſt verbum
Dei*. Alius eſt gladius diuini iudicij, alius
ſtuporis, & admirationis, alius amoris
animam vulnerantis. Crux etiam gladius
aptè dici poteſt: rurſus eſt alter gladius
tribulationis, & doloris animum tranſfi-
gentis. At minimè locutum fuiſſe Euange
liſtam de gladio corporeo teſtantur Di- D. Ambr. & Beda.
uus Ambroſius, & Beda ſuper cap. 2. Luc.
dum aiunt, nullam vnquam repertam
hiſtoriam, quæ Mariam ferro, gladio, aut
violenta morte affectam ex hac vita mi-
graſſe tradat; de gladio autem mortis nõ
intelligi; licet alioquin non defuerint, qui
Beatam Virginem pr ę nimio dolore iuxta
Crucem vitam exalaſſe dixerint, vt refert Caniſius, Maldonat.
ex Beato Amadęo, Caniſius libro quar-
to de Deipara, cap. 28. nec non Maldo-
natus in caput ſecundum Lucæ. Id tamen
pugnat cum communi Sanctorum Patrũ D. Hieron.
doctrina, Hieronymi, Damaſceni, Augu- Damaſ.
ſtini, & reliquorum, qui obitum Beatæ Auguſt.
Virginis per multos annos poſt Aſcenſio-
nem Chriſti accidiſſe commemorant; &
certè incredibile eſt, vt Ioannes, qui il-
lius aſtantis Cruci memor fuit, eiuſdem
ibidem morientis immemor fuiſſet. Addo
quod vaticiniũ Simeonis non dixit, quòd
gladius pertranſiturus erat corpus Virgi-
nis, ſed animam: quo non obſcurè indi-
cauit non fore corporis morte, ſed animi
dolore afficiendam. De gladio verò ſeue-
ritatis diuini iudicij, quamuis Diuus Hi- D. Hilar.
larius Simeonis verba intelligi voluerit ſu
per Pſalmum 118. dicens, nam ſi illam
ſubitura eſt Beata Virgo, quis audebit à
Deo iudicari? Tamen hæc expoſitio pro-
prio gladio ſeipſam interimit: nam cùm

Beata Virgo nunquam peccarit, & ad iudicium ventura ſit in corpore, & anima gloriosa, nihil ſeueritatis iudicium illud ei afferet. Inſuper de admirationis gladio accipi, minimè probo: admiratio enim ſæpius ab ignorantia ortum habet. *Ignorarunt primi* (inquit Philoſophus) *qui admirati nouis cœperunt philoſophari*. At quis magiſtram Apoſtolorum, & totius Chriſtianitatis doctricem, ignorantem dicet, eorum, quæ Chriſtum paſſurum ſacri Vate prædixerant? Procul ergo à nobis abſit admiratam arbitrari Virginem de ijs, quæ Simeon annũtiauerat in Chriſti morte. De gladio deinde incredulitatis, dubitationis, aut ſcandali, prædicta verba non eſſe exponenda certiſſimum eſt apud Patres; nam licet Origenes homil. 17. in Luc. perperam, in contrariam abierit ſententiam dicens: *Tuam ipſius animam, quæ ſcis abſque viro peperiſſe te Virginem, quæ audiſti à Gabriele: Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, pertranſibit infidelitatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris, & cogitationes tuæ te in diuerſa lacerabunt, cùm videris illum, quem filium Dei audieras, & ſciebas abſque ſemine viri eſſe generatum, crucifigi, & mori, & ſupplicijs humanis eſſe ſubiectum*. Ipſe tamen Origenes homilia prima in diuerſos contrariũ luculenter aſtruit his verbis: *Cur non putemus eandem Virginem Apoſtolis ſæpè lapſis, & à Chriſto non ſemel merito reprehenſis laudabiliorem, purioremque fuiſſe, vt non ſolum à dicto ſcandalo, ſed etiam ab omni peccato maneret immunis?* Quòd ſi pauci quidam alij ex antiquis, inter quos quidam commemorant Diuum Chryſoſtomum, & Teophylactum ſuper cap. 2. Luc. & Diuum Auguſtinum lib. de quæſtionibus veteris, & noui teſtaměti, cùm tamen iudicio Doctorum Illius libri ipſe auctor non ſit, vt tradit Caniſius libro 4. de Deipara, cap. 27. fidem Mariæ in morte filij ſuſpectam reddere videantur: qua tamen ratione intelligi debeant, docuit Diuus Thomas 3. p. quæſt. 27. art. 4. Sixtus Senen. lib. 5. annot. 104. & 156. nec non Dionyſius Richell. qui lib. 3. de præconio, & dignitate Virginis, cap. 23. hæc eruditè ſcripſit: *Sapientiſſima, & conſtantiſſima Virgo, quæ filij ſui paſſionem, paſſioniſque modum clarè, & diſtinctè præcognouit, magis quam* *Dauid, Iſaias, Daniel, aut aliquis Prophetarum, in paſſione ipſius nullatenus dubitauit, immò fideliſſima manſit. Ideò Patrum verba exponentur, non de dubitatione infidelitatis, ſed admirationis naturaliſque pietatis, qua quis de veritate aliqua omninò certiſſimus miratur, & per modum dubitationis ſtupet, ſeu diſcutit, qualiter res ita ſe poſſit habere*. Ac tandem cùm Patres communi conſenſu docuerint Beatã Virginem nunquam peccaſſe venialiter, & præſertim. Diuus Auguſtinus libro de natura, & gratia, cap. 35. quod & ſacrum Concilium Tridentinum, poſtea diffiniuit, omne incredulitatis, aut ſcandali alicuius veſtigium à Deipara longè relegandũ eſt; vnde Arboreus Laudonenſis in cap. ſecundum Luc. ſapienter dixit: *Alij hoc gladio exprimunt ſcandalum, quo offenſa fuit Mater in cruciatu ſui filij. Videns enim Chriſtum crucifixum fortaſſis cogitauit, quomodo qui natus eſt ſine ſemine, & innumera edidit ſigna, quæ nemo alius fecit, cedit morti, & permittit ſe tot conuicijs affici? Sed iſtis nugaciſſimis ſomnijs non poſſum non reclamare. nam Virgo Maria plena ſpiritu, gratia, & ſapientia, & quæ arcana ſui filij myſteria ad ſalutem omnium ſpectantia abundè intellexit, nũquam animo vacillauit, nunquam mente haſitauit, nunquam ingenio titubauit; ſed agnouit ſuum filium debere ſua paſſione adimplere ſcripturas. Diuulgato autem huiuſce Crucis tormento detectæ ſunt multorũ cogitationes: nam apparuit proditor, apparuerunt qui Chriſtum ſingulari amore dilexerunt, vt Ioſeph, & Nicodemus, & ſanctiſſimæ mulieres, quæ humanitatis obſequia Chriſto præſtiterunt. Adde quod manifeſtata ſunt illorum cogitationes, qui hac cruce inaudita ſcandalizati fuerant, verùm ſublato ſcandalo ad ſanam fidei mentem redierunt*. Quòd autem prædicta verba non poſſint intelligi de gladio prædicationis verbi diuini, illud vnum, haud obſcurè conuincit, quòd nihil noui, aut præclari aſſereret Simeon, ſi Maria non niſi verbo Dei, velut gladio transfigendam diceret. Hoc enim veluti quotidiano, & lauto cibo illa, vel maximè paſcebatur, atque oblectabatur, cùm in delicijs haberet, auditum Dei verbum ſecum animo reuoluere. Triplex ergo expoſitio mihi ſatis conſentanea videtur. Prima gla-

Ariſtot. Origen. Origen. D. Chryſoſt. Theophyl. Caniſius. D. Thom. Sixtus Sen. Richelius. D. Auguſt. Conc. Trid. Arboreus.

Digitized by Google

gladium hic pro amore poni, quaſi futurum dicat Simeon, quòd amor erga patientem filium Mariæ animum grauiter vulneraturus eſſet: nam & amor gladio aliquando comparatur, amantiſque animam vulnerare dicitur, iuxta illud: *Vulnerasti cor meum ſoror mea*. Secunda expoſitio eſt, quòd gladius, qui hoc loco, Mariæ animam tranſiturus dicitur, idem prorſus ſit cum gladio ipſius Chriſti: non enim duo ſimiles, alter Chriſti, alter Mariæ, ſed vnus tantum Chriſti gladius deſignatur; ipſa enim eius Crux, & mors, atque ille ipſe Chriſti gladius Mariæ animam penetraturus dicitur, non quod occiſurus eam omninò eſſet, vt Chriſtum, ſed quòd Chriſtum occidendo eam eſſet vulneraturus. Sumpſit enim, vt opinor Simeon de medio metaphoram: ſæpè vſu venit, vt aliquis tàm fortiter gladio, aut haſta quempiam transfodiat, vt in alteram partem gladius egreſſus aliquẽ proximè aſtantem, ſi non occidat grauiter vulneret. Hoc indicauit Simeon in Chriſti etiam paſſione euenturum, vt idem ille mortis gladius, Crucis, qui illum occiſurus erat, matrem etiam & carne, & affectu, & loco proximam vulneraret, atque transfigeret. Vnde rectè Diuus Bernardus ſermone de verbis Apocalypſis: *Signum magnum*, dixit: *Verè ò tuam Beata Maria animam gladius pertranſiuit, alioquin non niſi ipſam pertranſiens carnẽ filij tui penetraret*. Communior Patrum ſententia eſt, (& hæc ſit tertia expoſitio) Simeonem locutum fuiſſe de gladio doloris, qui animam Virginis mirum in modum cruciauit. Solius tamen Diui Auguſtini verba hic apponam, qui epiſtola 19. ad nonam quæſtionem Paulini in hũc modum loquitur: *Tribulationem igitur gladij nomine ſignificatam eſſe, credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt doloris affectu. Ipſe fuit gladius in ore perſecutorum: de quibus in Pſalmo dicitur: & gladius in labijs eorum; ipſi enim erant filij hominum, quorum dentes, arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Nam & ferrum, quod pertranſijt animam eius, donec veniret verbum eius; ideſt, ſtãdiu fuit in dura tribulatione, donec fieret quod prædixit*. Non tamen Patres omnes conueniunt, an Simeon nomine gladij omnes Virginis dolores comprehenderit, an verò de aliquo ſingulariter locutus fuerit? Quidam, id referente Caniſio lib. 4. de Deipara, cap. 27. gladium hunc ad linguarum contradictionem, ac virulentiam referre conantur, quoniam in ſacris literis, ſic aliquando gladij nomen accipiatur, teſtante Pſalmographo: *Gladius in labijs eorum*. & rurſum: *Lingua eorum gladius acutus*. Diuus Ambroſius ſuper cap. 2. Lucæ interpretatur gladium animam Virginis transfigentem, fuiſſe cognitionẽ profundam, quam habebat futuræ paſſionis filij ſui, quæ quanto propinquior, tanto magis inſtar gladij animam eius penetrabat. Cum enim Prophetas legiſſet opprobria, preſſuras, & mortem dilecti filij ſui narrantes non poterat huiuſmodi cognitio inſtar gladij ancipitis animam eius acriter non transfuerberare. Verba Diui Ambroſij hæc ſunt: *Iſtum gladium cor, & anima virginis profundè immerſum habuit, quia Dei myſteria ceteris profundius penetrauit, & verba Dei de Chriſti paſſione, ac ceteris operibus ſemper in corde medullitus portauit, iuxta illud. Maria autem conſeruabat omnia verba, hæc conferens in corde ſuo*. Thimot. Hieroſolymitanus in oratione de Prophera Simeone exponit gladium illum de dolore, qui Marianum cor pertranſijt, cum per triduum filium ſuum amiſit. Diuus Bernardus ſermone de Annunciatione aliam viam ingrediens, docet hunc gladium fuiſſe verbum illud, quod Chriſtus Dominus in Cruce pendens protulit, vale illud ei dicens: *Mulier ecce filius tuus*. Verba eius ſunt hæc: *An non pluſquam gladius fuit ſermo ille diuinus. Mulier ecce filius tuus?* Ibidem etiam aliam expoſitionem adhibet, intelligens per gladium lanceam Dominicum latus perforantem. *Verè* (inquit) *tuam, ò Beata Mater animã gladius pertranſiuit, quando crudelis lancea filio iam mortuo latus aperuit. Ipſius nimirum anima, iam ibi non erat, ſed tua planè ibi aderat, vt pluſquam Martyrem te non immeritò prædicemus, in qua ſenſum corporeæ paſſionis, exceſſit affectus compaſſionis. Reuera fuit pertranſiens animam, & quaſi pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus*. Et paucis interiectis huius reddens rationem, ait: *O qualis commutatio? Ioannes pro Ieſu traditur, ſeruus pro Domino, diſcipulus pro Magiſtro, filius* Zebe-

Marginal notes: Cant. 8. — D. Bernar. — D. Auguſt. — Pſal. 58. — Ibid. 56. — Ibid. 104. — Caniſius. — Pſal. 56. — Ibidem 58. — D. Ambroſ. — Ibidem. — Luc. 2. — Thimoth. Hieroſol. — D. Bernar. — Ioan. 19. — D. Bernar. Ibidem.

Canis. *Zebedei pro filio Dei, purus homo pro vero Deo*. hæc ille. Caniſius eruditus Auctor nomine gladij exiſtimat Simeonem comprehendiſſe omnes anguſtias, & angores, quos Beata Virgo, Deipara effecta pertulit. Proxima enim partui, ſummam hominum inhumanitatem aſpexit, omnium ædibus excluſa, omnium ope, & ſubſidio deſtituta, adeò vt ad ſtabulum communē beſtiarum locum compulſa fuerit diuertere, ne à pluuia, & frigore, varijſque hyemis iniurijs tenerrimus infantulus grauiter premeretur. Suauiſſimum, ac molliſſimum paruulum dies octo natum, cruento circumciſionis gladio ſubiacuit, atque ex more gentis ſuæ circumcidit, aut circumcidendum tradidit: vaticinium Simeonis graues dolores ſibi prænunciantis attentè audiuit: ab Herode lupo crudeli, ſanguinis filij ſui ſitientiſſimo infeſtiſſimā perſecutionem ſuſtinuit: & rurſus intempeſta nocte inſalutatis amicis, ac rebus malè compoſitis, ad impios barbaros, & ignotos Aegyptios ingentes itineris moleſtias deuorans aufugit, vt ab iminenti Herodiani gladij ictu Chriſtum Dominum præliberaret. Dolens præterea, & anxia duodennem filium ſuum vnicum eius theſaurum perdidit, & non minori dolore requiſiuit, vt & ipſa teſtata eſt, cū dixit: *Ecce pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te*. Luc. 2. Notus, & charus illi erat Ioānes Baptiſta filij ſui præcurſor, & conſanguineus, ac eximiæ ſanctitatis vir, qui idcircò cùm in adulteræ feminæ gratiam Herodianis vinculis tradi, & caput eius impudicæ ſaltatricis efflagitatu amputari, ac Regis epulis adhiberi cognouit; non potuit ſummo angore non cruciari. Ac tandem Virginea viſcera grauiſſimo dolore concuſſa quis dubitabit, cum audiuit filium ſuum vocari voracem vini potatorem, dœmoniacum, populi ſeductorem, Samaritanum, ſabathi tranſgreſſorem, legis violatorem? Ad hæc quis dicere valebit, quàm durum, & quàm moleſtū Virgini matri fuit parantē ſe ad mortē filium ſibi vale dicere, frendētes lupos in agnum illum immaniter graſſari, ſumma agonia ſanguineum ſudorem copioſè in horto effundere, à Iuda per proditionē tradi, ab immaniſſimis hoſtibus comprehendi, ligatum ante varios Iudices produci, à Petro ter negari, & à reliquis diſcipulis deſeri, grauiſſimis flagellis exulcerari, acutiſſimis ſpineæ coronæ cuſpidibus tempora eius terebrari, ad mortis ſupplicium iniquè adiudicari, Barrabæ homicidæ, & ſceleratiſſimo homini poſtponi, lignum grauiſſimum humeris ſuis baiulare, Crucis tormentum ſubire, morte turpiſſima interire, & diræ lanceæ mucrone latus eius perforari. Hæc itaque omnia ſimul complexum fuiſſe Simeonem nomine gladij, affirmant nonnulli cum Caniſio præcitato loco; Caniſius. mihi certè ſatis veriſimile eſt comprehendiſſe non omnes hos nuper commemoratos dolores, ſed eos dumtaxat, quos poſt prolata illa verba Simeonis ipſa pertulit. Nam cum illa continerent vaticinium per verbum illud de futuro *pertranſibit*, non ſunt referenda ad dolores ante illorum prolationem toleratos, cuiuſmodi ſunt plerique ex relatis; recepta tamen magis Doctorum expoſitio docet gladij nomine multiplicem dolorem illum ſignificari, quem Virgo tantum in paſſione Chriſti, & præcipuè iuxta Crucē ſuſtinuit; nam Beda ſuper caput ſecūdum Lucæ ait: Beda. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ideſt, dolor paſſionis Dominicæ, quia non potuit videre eum crucifigi ſine affectu materni doloris, & ſi ſperaret eundem reſurrecturum, & mortem deuicturum*. Eiuſdem etiam eſt illud carmen, quod Virgini matri cecinit.

Cuius pium pertranſijt
Enſis dolor ſpiritum
Natum tuo de corpore
Deum mori dum cerneres.

Euthimius. Enthimius in caput 2. Lucę in hunc modum babet: *Gladium nominauit dolorem acutiſſimum, maximèque diuidentem qui penetrauit cor Matris Dei, dum filius eius Cruci affixus eſt, de hoc enim cruciatu nunc vaticinatus eſt*. Conſentit Ansbertus in hæc verba: Ansbertus in festo Purific. Virginis. *Quamquam multæ tribulationes animam transfoderint Beatiſſimæ Virginis, illa tamen hic ſpecialiter deſignatur, quæ Domino in Cruce moriente, materna viſcera tranſfixit*. Denique eādem expoſitionem adhibent Diuus Damaſcenus libro quarto, de fide ortodoxa. cap. 15. Damaſcenus. Diuus Anſelmus Tractatu de compaſſione Virginis, Anſelmus. Diuus Bernardus Bernardus. ſermone de verbis Apocalyſis, *Signum magnum*, & in expoſitione Euangelij: *Stabat iuxta Crucem*, & ſermone de paſſione

Domini

Sophronius. Hidelphonſ. Caſſiod. Rupertus.

Domini. Sophronius in ſermone Aſſumptione Beatæ Virginis. Diuus Hidelphon ſus ſermone 2. de Aſſumptione. Caſſiodorus in Pſalmo 104. Rupertus ſuper caput 19. Ioannis, & alij permulti. Hunc autem dolorem, quem iuxta Crucem Beata Virgo pertulit omnium fuiſſe ſupremum, ac propterea nomine gladij animã transfigentis aptè intelligi verba Diui Anſelmi tanto patre digna oſtendunt: *Aſpiciebam* (inquit) *Dominum, & filium meum in Cruce pendentem, & morte turpiſſima morientem, & tanto dolore vexabar in mente, quod non poſſum explicare ſermone: Manabat ſanguis ligno manibus, pedibuſque confixis: de vultu eius effluxerat pulchritudo omnis, qui tamen erat ſpecioſus præ filijs hominum, quia iniquorum erat fœdatus ſputis. Iſte erat dolor mihi maximus, quia videbam me deſertam ab ipſo, quem Virgo conceperam, & genueram; nec ſuper erat alius, quia mihi erat vnicus. Videbam mori, quem dilexit anima mea, & tota liqueſiebam præ doloris anguſtia: dabam gemitus, & ſuſpiria: flebam dicendo, & plorabam per verba talia. O fili chare, ò benigne nate, ò amor vnice: fili mi dulciſſime da mori tecum, & ne derelinquas me: nil mihi dulcius vere, quàm tecum mori amplexata Cruce; & nil amarius certè, quàm viuere ſine te. Tu mihi pater, tu mihi filius, tu mihi ſponſus, tu mihi theſaurus, tu mihi omne bonum. Nunc orbor, patre viduor ſponſo, deſolor prole, omnia perdo, vno perdito te.* Sileant ergo Hæretici, obmuteſcant miſeri, obturent ora canes, qui Virgini commiſerationem, & acerbiſſimum dolorem, ob interitum filij ſui inficiantur; & vt magis erubeſcant audiant Sanctæ Eliſabeth reuelationem, quàm refert Auctor lib. 3. de Beata Virgine pomerij, part. 4. art. 3. vbi narrat Beatæ Virgini conceſſum fuiſſe à Chriſto Domino, vt dolores eius maternos animo euoluenti, potuiſſet liberè quemcumque fauorem impertiri ad ſalutem animæ illius ſpectantem, & præcipuè vt ante mortem veram de peccatis ſuis pœnitentiam ageret.

Anſel. de lamen. B. V. — Nicol. Caſſ.

Porrò iam explicemus verba illa: *Tuã ipſius animam*, duplicem enim ſenſum ſuſtinere poſſunt iuxta ſententiam Hugonis in Commentario huiuſce loci. Primus: *tuam ipſius*, ſcilicet Chriſti animam, quæ quidem eſt tua per amorem, quia ſi Ionatas, vt ſacra eloquia teſtantur, diligebat Dauid quaſi animam ſuam, potiori iure Beata Virgo cenſenda eſt ardentius dilexiſſe Chriſtum Dominum, non ſolum vt animam, ſed pluſquam animam ſuam: Secũdus ſenſus eſt: *tuam ipſius animam*, ideſt, animam tuam, quæ eſt ipſius Chriſti, non ſolum creationis, & redemptionis iure, ſed amoris titulo. Tertius ſenſus ſit vt verba, *ipſius*, non referãtur ad animam Virginis, vel Chriſti, ſed ad gladiũ illius, ita vt perinde ſit, ac ſi dixiſſet: Gladius ipſius Chriſti ad animã tuam pertrãſibit; & hæc expoſitio eſt magis literalis, & germana. Quod autem addit Simeon, *pertranſibit*, ingentem Virginis dolorem ſignificauit, vt qui non futurus eſſet ſuperficialis, vt ita loquar, ſed ad cordis intima penetraturus, vnde Diuus Hieronymus ſermone de Aſſumptione, vel vt alij volunt Sophronius dixit: *Conſtat quia Maria tantum doluit, vt totam animam pertranſiret, ac poſſideret vis doloris.* Et Diuus Bernardus id ipſum magis explicans ſubiunxit: *Eſt ſagitta electa amor Chriſti, quæ cor Virginis pertranſijt, quia nullam particulam in pectore virginali vacuam reliquit.* Ad hæc: hinc rationem, propter quam, licet tot inſtrumentorum genera ad cruciandũ Corpus Chriſti con fluxerint, flagella, ſpinæ, claui, martelli, Crux, fel, acetum, lancea, gladij tamen ictus nunquam eo viuente in illum irruit, eam arbitror eſſe, quòd Chriſtus voluit paſſionis ſuæ matrem habere conſortem, & cum illa patiendi inſtrumenta diuidere; & ideò clauos, Crucem, & ſpineam coronã ſibi reſeruans, gladium lanceæ ei præbuit: *quã ipſa ſentit, non Chriſtus.* Hinc ad extremum colligo eximiam, & inauditam fuiſſe conſtantiam, & fortitudinem Deiparæ Virginis tempore paſſionis filij ſui, quando doloris gladium pertranſientem animam eius patientiſſimè ſuſtinuit. Nam ſi Alexandri fortitudinem commẽdat Plutarchus de geſt. Alex. quod altero crure grauiter percuſſo, & altero genuflexo, in hoſtes irrueret, ac ſe viriliter defenderet: & ſi de Iuliano tanquam rem mirandam Hiſtoriographi commemorant ſagitta pectore transfixo, effuſum ſanguinem contra Cœlum in altum miſiſſe dicendo: *Viciſti Galilæa viciſti*; quanto mira-

Luc. 2. Hugo. 2. Reg. 18. — D. Hieron. S. Sophron. D. Bernar. Luc. vbi ſup. Plutarch.

mirabiliorem inuictam Virginis fortitudinem cenſere debemus, quę non crure percuſſo, aut latere confoſſo, qui ad corporis dolorem pertinet, ſed anima ipſa acerbiſſimi angoris gladio transfixa, conſtanter perſeuerauit, iuxta patibulum Crucis filio ſuo amariſſimè compatiens? Quòd ſe Apoſtolus dixit, vt Hæretici obiectant, nō contriſtandum de dormientibus ſicut & ceteri, qui ſpem non habent, audiant quid huic obiectioni reſpondeat magnus Pater Auguſt. de verb. Apoſt. *Neceſſe* (inquit) *eſt, vt triſtes ſimus, quando nos, moriendo deſerunt quos amamus; quia & ſi nouimus eos, non in æternum relinquere nos manſuros, ſed aliquantum præcedere ſecuturos; tamen mors ipſa, quam natura refugit, cùm occupat dilectum cōtriſtat in nobis ipſius dilectionis affectum. Ideò non admonuit Apoſtolus, vt non contriſtemur, ſed nō ſicut cæteri, qui ſpem non habent. Contriſtamur ergo nos in noſtrorum mortibus neceſſitate amittendi, ſed cum ſpe recipiendi. Inde angimur, hinc conſolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc ſanat diuina promiſſio*. hactenus D. Auguſt. D. Auguſt.

Deinde illa alia Hæreticorum obiectio, quòd potius Beata Virgo gaudebat, & lætabatur de morte filij ſui, quia per illam, & implebatur Dei Patris voluntas, & redemptioni generis humani, vltima manus imponebatur, nullius prorſus momenti eſt. Nam ſicut Dominus Ieſus non carebat in paſſione gaudio, quo ſuperior pars rationis fruebatur, & tamen ſummo dolore in inferiori parte animus afficiebatur; ita Beata Virgo ex conſortio Chriſti mutuauit à gaudio eius gaudium, & à dolore eius dolorem, vnde in ſuperiori parte rationis aderat congratulatio, & gaudium de hominis redemptione, in inferiori tamē parte ſenſitiua, vt decebat maternum affectum, angor premebat, & vehemens dolor cruciabat, quæ duo idcircò nulla ratione inter ſe digladiantur, quia non fuerunt circa idem obiectum, ſed circa diuerſa. Vnde contemplor Beatam Virginem tempore paſſionis, perinde ſe habuiſſe ac Deam illam, quam olim vocabant agoniæ, de qua Macrobius lib. 1. Saturnalium narrat, quòd licet in ſignū doloris, & triſtitiæ ore eſſet clauſo, & ſigillato, & vultu mœſto, intra ambitum tamen Macrob.

Templi Deæ gaudij, & lætitiæ commorabatur. Non ſecus, licet Beatæ Virgini propter ſummam conformitatem, quam habebat cum diuina voluntate, & propter zelum redēptionis generis humani mors Chriſti Domini placeret, & gaudij materia ſibi eſſet; ſummo tamen dolore afficiebatur in paſſione eius, quia vel tunc à cogitatione, quæ lætitiam afferre poſſet, ſe abſtinebat; vel ſi quæ occurrebat inſtar guttæ aquæ dulcis in mare immiſſæ, ab amaritudine maternorum viſcerum abſorbebatur. Vnde D. Greg. Nazian. in Tragędia de Chriſto patiente in perſona Virginis ait: *Nec me latent, quæ poſt breui futura ſunt, ſed mœror excedit grauis fiduciā*. Et quidem quanto ſciebat breuius eſſe tempus, quo mors ad ſolum triduum ſuper Chriſtum imperium ſuum protendere poterat, tanto ipſa impenſius vacabat mœrori, ardenter deſiderās à dolore paſſionis, & mortis eius participatione nō fraudari. D. Greg.

Ad illud autem de inſigni illa femina Melania, reſpondeo illam reddidiſſe rationem, quare non doleret de morte filij ſui, quia expeditior manebat ad vocādum Deo, à quo ſolicitudo placendi marito non ſemel auocare ſolet: vnde Paulus dixit, Mulierem nuptam eſſe diuiſam. In Beata autem Virgine id non habet locum, quia amando filium amabat ipſum Deum; & quanto maiorem ſollicitudinē habebat placendi filio, tanto maiorē neceſſe erat habere illam placēdi Deo, cùm idem eſſet, & filius eius, & filius Dei; quare ex filij conſortio nulla erat ei occaſio diſtractionis, & dimiſſionis, quam indicat D. Paulus, ſed ſtrictionis potius vnionis cum Deo. 1. Cor. 7.

Nemo igitur deinceps Hæreticorum Virgini moleſtus ſit, alienum ab ea arbitrans, quòd acerbiſſimos dolores ob Chriſti Domini mortem pertulerit. Nam ſi Samuel Dei Propheta, & amicus ſuper improbo Rege Saul graui dolore commotus eſt: & ſi pius Dauid ob infelicem Abſalonis inobedientis necem eiulabat dicens: *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon*: & quod amplius eſt Chriſtus Dominus ad tumulū Lazari, nec flentes, nec dolentes increpauit, nec à fletu prohibuit, immò & ipſe fleuit cum flentibus, Euangeliſta dicente: *Et lachrymatus eſt Ieſus*: ac tandem videns ingratam Ciuitatē Hieruſalem penitus 1. Reg. 15. 2. Reg. 18. Ioan. 11.

nitus ruituram: *Fleuit ſuper illam;* quanto quæſo magis dignum erat, vt pijſſimæ mater doleret, & fleret, ſuper morte non improbi Regis Saulis, ſed ſanctiſſimi Regis Regum, & Domini dominantium: non rebellis Abſalonis, ſed obedientiſſimi filij ſui, vt ait Diuus Lucas: *Subditus erat illis*, non Lazari puri hominis, qui aliquando peccauerat, ſed Dei, & hominis ſimul, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia II.

Acerbiſsimi doloris Beatæ Virginis in paſsione, & morte filij ſui varias cauſas, & rationes enarrare aggredimur, ab illa inchoantes omnium notiſsima, quæ ab ardentiſsimo eius amore petitur, qui menſura doloris amantium eſſe noſcitur.

Deuter. 4. CVM ſacrum Deuteronomij eloquium apertè nobis dicat: *Deus tuus ignis conſumens eſt*. Inde Diuus Bernardus ſermone in illud, ſapientia vincit Mundum, anſam ſumens contemplatur Chriſtum modo tanquam ignem mortuum, modo tanquam viuum. *Carbo* (inquit) *mortuus in præſepe iacens, igneus dæmonia expellens: mortuus in Aegyptum fugiens, igneus vendentes, & ementes columbas de templo eijciens: mortuus dormiens in naui, igneus imperans ventis, & mari: mortuus ſubditus parentibus, igneus quatuor ſatians hominum millia de ſeptem panibus: mortuus ad puteum Iacob rogans potum, igneus circa Hierico illuminans cæcum, & ſanans leproſum. Carbo erat mortuus, dum à diabolo tentaretur, igneus dum ei ab Angelis miniſtraretur: mortuus in proditione diſcipuli, igneus in filio Reguli: ſopitus ante Præſidem, igneus circa Tyberiadem: ſopitus dum ei Herodes illuderet; igneus dum mortuorum ſuſcitator magnificus fieret: ſopitus dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur, igneus dum ab eo decem leproſi mundarentur: ſopitus dum à Iudæis ſe abſconderet, ſopitus dum cum publicanis, & peccatoribus ederet, igneus dum ambularet ſuper vndas, igneus dum ex aqua facto vino lætificaret conuiuas: ſopitus, iacens in cunabulis, igneus fulgens miraculis: ſopitus ante tribunal Præſidis, igneus in filia Chananitidis: ſopitus in Cruce, igneus in monte.* hactenus ille. Mea tamen ſententia nequeunt vllo tempore verbo diuino incarnato aptius congruere prædicta verba Deuteronomij: *Deus tuus* *Deuter. 4.*
ignis conſumens eſt, quàm illo, quo Chriſtus Dominus ex ligno Crucis pendebat; vt & Beatiſſima Virgo apertè teſtata eſt, dum eximium charitatis illius ardorem commendans dixit: *Lampades eius, lam-* *Cant. 8.*
pades ignis, atque flammarum, vel vt alij vertunt: *Scintillæ eius, ſcintillæ ignis*, vel vt legunt alij: *Sagittæ eius, ſagittæ ignis*, vel tandem vt alij transferunt: *Alæ eius, alæ ignis*. Conſiderabat Deipara Chriſtū non ſolum velut lucernam, vel lampadē accēſam ſuper candelabrum Crucis, agnitionis lucem, & ſplendorem præbentem; ſed velut myſticam quandā ardentis charitatis Aethnam, amoris ſui flammas emittentem; duoque præcipuè tangit in præcitatis verbis: Primum lampadis ſimilitudinem, ſecundum ignis metaphoram. Nos, ſi Dominus dederit, prout de munificentia eius daturum ſperamus, vtrumque proſequemur, prius de lampadis, deinde, de ignis appellatione dicturi.

Certè Dominus Ieſus, qui in natiuitate egreſſus fuerat, vt ſplendor, maternum clauſtrum non lædens, in paſſione accenſus, velut lampas, ardentem hunc ſplendorem clarius manifeſtauit, vt prædixerat Iſaias: *Egredietur vt ſplendor iuſtus* *Iſai. 26.*
eius, & Saluator eius vt lampas accendetur. Nomine autem lampadis accenſi, Chriſtum Dominum in Cruce intelligi apertè ſatis indicant verba Iob dicentis: *Iob 12.*
Lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum. Lam-

pas quidem contempta fuit Chriſtus Dominus in Crucem actus in exiſtimatione diuitum, & Principum Iudæorum: addit verò lampadem illam eſſe paratam ad tēpus ſtatutum, ſcilicet vt prædinato, ac prædefinito iſto paſſionis tempore luceret, & arderet, dum velut lucerna fulgentiſſima ſuper Crucis candelabrum omnibus videndum ſe expoſuit, opere ipſo complens, quod ipſe docuerat: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Vt tamen amplius lux huius lampadis per omnes diffunderetur, tot ex ea noſcuntur accenſæ lampades, quot in Chriſti corpore vulnera inflicta fuere; præcipuè tamen, quinque illæ, quas in manibus, latere, & pedibus conſpicimus. Mos inoleuit apud bellatores, quando præ ingenti frigore, militum corpora algent complures nocturno tempore flammas per totum campum accendi, quibus & tenebræ ſimul, & frigus fugentur; ita cœleſtis Eccleſiæ ſponſus, & Chriſtiani exercitus Dux Chriſtus Dominus, vigente torporis, atque ſocordiæ frigore, nec non tenebris ignorantiæ vndequaque diffuſis, magnas à ſe lampades flammarum, ipſa ſcilicet vulnera accendit, quibus illas depelleret, & torporē omnē longè propulſaretur; ac ſicut aer corruptus, ac peſtilens plurimis, magniſque flammis ſolet purgari, prout Athenis ab Acrota eximio illo Medico factum fuiſſe teſtis eſt Cælius Rodigin. libro vigeſimoquarto variarum lectionum, cap. vigeſimoſecundo; ita & ipſe flammis hiſce vulnerum ſuorum accenſis, vniuerſum orbem à graſſante peccatorum peſte animas corrumpente purgauit. Quòd ſi etiā in altiſſimis turribus magnæ ſolent accendi lampades flammarum, vt per eas, qui in mari periclitantur, tempeſtate exorta intelligant, quo confugere debeant, ne fluctibus maris, aut Piratarum infeſtatione intereant; non ſecus Chriſtus Dominus ſuper excelſam Crucis turrim Sactorum iſtorum vulnerum accendit lampades flammarum, vt qui in turbulento huius ſæculi naufragantur, ſiue peccatorum pondere preſſi, ſiue tentationum fluctibus conquaſſati; aut perfidorum hominum perſecutionibus concuſſi, horum vulnerum aſpectu recreati ſciant tutiſſimum ſibi pararum in Crucis arce confugium: ita vt dicentes: *Quoniam tu es Domine ſpes mea*, audire mereantur id, quod ſequitur: *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* Rurſus quemadmodum quando Rex quiſpiam poſſeſſionem capit alicuius Regni, vel inſigne aliquod munus, aut priuilegium populo impertit; aut cum celebrem ex hoſtibus reportauit victoriam, frequenter ſupra eminentiora loca accendi præcipit lampades flammarum, variaque præfulgere luminaria; ita Rex noſter Chriſtus Dominus vulnerum lampades, ac flammas accendit, vt nos omnes inuitet ad celebrandam illam victoriam, de qua Dauid Pſalmo nonageſimo quinto: *Dominus regnauit à ligno*, & quam ipſe prædixerat illis verbis: *Princeps huius Mundi eijcietur foras.*

Luc. 11. — Rodigin. — Pſal. 90. — Pſal. 95. — Ioan. 10.

Porrò ſi Hebraicam lectionem conſulamus, aliter has lampades explicare poſſumus: nam vbi noſtra vulgata ait: *Lampades ignis*, Textus Hebræus legit, *carbones ignis, & flamma Dei.* Apte ſatis vulnera Chriſti carbones vocat, cùm inſtar carbonum nigra, & ignominioſa infidelibus videantur, iuxta illud Apoſtoli: *Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt*; verum ſtatim ſubdit: *Iis autem, qui ſalui fiunt, ideſt, nobis, Dei virtus eſt.* Nam tametſi Chriſti vulnera carbones ſint, ſed non carbones extincti, ſed carbones amoris incendio igniti, ardentes charitatis flammas ex ſe emittentes. Hos non immeritò putauerim Dauidem vocaſſe carbones deſolatorios, quia pręterquam magnam deſolationem, & dolorem inferiori animæ Chriſti portioni intulerunt, matris animum ſummo mœrore confecerunt. Addidit tandem: *Flamma Dei*, vt ſignificaret his flammis non purum hominem, ſed Deum hominem ardere. Sed quomodo quæſo non ardebit, cùm ipſe ſit ignis ardentiſſimus? *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Vnde Diuus Dionyſius de cœleſti Hierarchia, capit. quinto, affirmat nulla alia re aptius, & frequentius explicari Dei naturam, quàm igne; & meritò quidem, cùm inter Deum, & ignem mira ſit ſimpatia. Nam primo ſicut ignis præ ceteris elementis magis ſenſu percipitur, ita Deum

1. Cor. 1. — Pſal. 119. — D. Dionyſ.

Deum

Deum eſſe ob eximiam rei euidentiam omnes norunt, adeò vt ſi quiſpiam eum ignoret, fatuum, & inſipientem compellet illum Dauid: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Quòd ſi ignis cùm lucidiſſimus ſit, non admota tamen ſibi materia, in qua vim ſuam oſtendat, manet in ſua ſphœra occultus, præ ſua magna ſubtilitate; iſta etiam Deus tametſi per ſe ſit maximè homini intelligibilis, niſi per opera externa ſe manifeſtaret nobis, maneret ignotus, & occultus; *nam inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Quòd ſi immenſurabilis eſt ignis, cùm ex natura ſua ſemper creſcat in infinitum, vnde Salomon dixit: *Ignis nunquam dicit, ſufficit:* ſic Deus in ſe immenſus eſt, & infinitus, adeòque ardenter cupit amari, vt nullo quantocunque ingenti amore ei exhibito vnquam dicat: *ſufficit.* Quòd ſi conditio ignis hæc eſt, vt omni quod ſibi appropinquauerit igneam ſuam naturam communicet; Deus etiam animæ ſibi appropinquanti per pœnitentiam igne charitatis accendit, & conſortem reddit diuinæ naturæ, adeò vt Paulo poſt ſuã conuerſionẽ non tàm videretur vita ſua, quã ipſius Dei viuere: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Quòd ſi ignis calore ſuo renouat omnia, vt patet tum in Phœnice, in qua ſenectutem in iuuentutem commutat, & in metallis, quorum conſumit rubiginem, & mira nouitate decorat; ſic Deus vitali gratiæ ſuæ calore quotidie renouat animas, *per lauacrum,* (vt ait Paulus) *regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effundit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum.* Quòd ſi ignis vim habet diſcernendi aurum ab alijs vilibus, & inferioris notæ metallis, quibus ſit commixtum, idque ſine vlla ſui mutatione; non ſecus Deus immutabilis, in ſe manens: *Ego enim Dominus, & non mutor,* bonos diſcernit à malis, vt ſe in die iudicij facturum pollicetur, dicens; *Triticum congregabit in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quemadmodum etiam ignis ſemper ſuperiora petit, & ſi inferius compulſus deſcendat, tandem ſua leuitate fertur in altum; non diſſimiliter Deus, vt ait Dauid: *In altis habitat;* & ſi amore ſuo compulſus in inferiora terræ ſe dimiſit vſque ad ignominioſam mortem Crucis, & concauam petram ſepulchri; naturali tamen impetu, & virtute propria iterum in die Aſcenſionis in altum conſcendit. Quòd ſi tandem tanta eſt ignis vis, & celeritas, qualem impetus incenſarum bombardarum, & ignis tormentarij intra minarum cuniculos ſubtus celſiſſimam quamlibet, ac validiſſimam molem deliteſcens commonſtrat; in infinitum excedit illum virtus, & efficacitas diuina, cùm ſolo verbo, omnia ex nihilo creauerit, & ſolo verbo eadem in nihilum redigere poſſit: immò in eo valde inferior eſt virtus ignis virtuti diuinæ, quòd illa vinci ſolet à contrario, vt cùm flammæ ignis aqua extinguuntur; tamen vim, & viuacitatem flammarum diuini amoris nullæ quantumcumque inundantes grauiſſimorum peccatorum, aquæ vlla ratione extinguere valent, Salomone dicente: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem eius;* & ideò notanter obſeruaui quod ſecũdum originale Hebræum, flammæ iſtæ vocantur flammæ Dei, vt ſignificetur flammas amoris, quas Chriſtus in Cruce emiſit, non eſſe velut flammas puri hominis, quæ tametſi vehementes tandem aliquando extingui ſolent, flammæ tamen Dei inextinguibiles ſunt. Harum flammarum ſicut nemo proximior camino Crucis, quàm Virgo, ita nemo magis ardoris eius quàm illa particeps fuit. Cum autem iuxta menſuram flammarum ardentis, ſit magnitudo doloris ex hoc præcipuè capite, nunc adnitar deprehendere, & explorare ſummam mœroris acerbitatem Virginis animam excruciantis.

Pſal. 13. — *Ad Rom. 1.* — *Prouerb. 30.* — *Ad Gal. 20.* — *Ad Tit. 3.* — *Malach. 3.* — *Matth. 3.* — *Pſal. 112.* — *Cant. 3.*

Referam primùm geſta quorumdam memoria ſimul, & laude digna, ad quæ patranda dolor ex amore ortus amantes compulit. Vt enim Auctor eſt Cicero, in eo, Dialogo quem de Amicitia conſcripſit, cùm Oreſtes, & Pylades in Regionem Tauricam veniſſent ad deponendas furias, quibus Oreſtes, propterea, quòd Clitemneſtram matrem, & adulterum ſimul Aegiſthum interfeciſſet, agitabatur: eſſentque à Rege Thoante comprehenſi, quod Dianæ ſimulacrum inde auferre voluiſſent; Rex

Cicero.

Oreſtem ſententia damnauit capitis. Cùm autem ignoraret, vter illorum eſſet Oreſtes, Pylades, amici ſibi ſupra omnes chari mortem ægro ferens animo, eum ſe eſſe Oreſtem affirmabat. Oreſtes verò contra ſibi irrogari ſupplicium contendebat, vt vitam Pyladis conſeruaret. Sic amicus pro altero amico ſe immolandũ tradere non timebat: tantam vim habet amor inter duos non affinitate, ſed amicitia tantũ coniunctos. Hinc perſimile eſt, quod Ioannes Textor in Officina ſua, verbo: *Amici arctiſſimi*, refert de Antonio, qui cùm ſpiculatores, qui Brutum interficerent, miſiſſet; Seruius Terentius, vt Brutum à morte liberaret, quem mori magnoperè dolebat, ſeipſum interfectoribus offerre non expauit, Bruti nomen cum proprio commutans. In eadem etiam Teſtoris Officina, verbo: *Amor coniugalis*, aliud exemplum reperio his duobus relatis nulla ratione inferius: ſed dignũ quod à nobis commemoretur. Dum celebrarentur exequiæ Capanei apud Thebas fulmine mortui in eo bello, quod fratres Polynices, & Etheocles Regni cauſa ſimul gerebant, vxor eius Euadne, præ amore, quo eum prſoequebatur, tantum dolorem ferre cùm non poſſet, in rogum mariti ſe coniecit. Vnde Martialis.

Officin. Text.

Ibidem.

Arſerit Euadne flammis iniecta mariti.

Iulia tandem, vt Auctor eſt idem Textor præcitato loco, Cæſaris filia, & vxor Pompei, cùm veſtem mariti ſui cruentam aſpexiſſet, continuò magnitudine doloris conſternata, partum edidit immaturum.

Ibidem.

Sed veniamus iã ad paternum amorẽ, ex quo præcipuè Marianum dolorem colligere pollicitus ſum. Nemo ſanè ignorat veritatem illam, cuius natura ipſa parentes omnes fecit Magiſtros; experientia enim ipſa docemur, Amorem parentum erga filios feruentem valdè eſſe. Arnobius enim refert, exceſſiuum adeò fuiſſe Agrippinæ amorem erga impium Neronem filium ſuum, vt quodam Aſtrologo ei dicente futurum eſſe, vt ille imperij culmen adſcenderet; adeò tamen naturæ ipſi ingratum ſe exhibiturum, vt propriam matrem foret occiſurus; ipſa continuo reſpondit: *Imperet, & occidat.* Sed S. contemplemur Iobum, qui cùm alioquin ſanctitate conſpicuus, & laborum tolerantia inſignis eſſet, audito primo nuncio de iactura boum, & aliorum pecorum, in quæ Sabæi inuaſerant, audito etiam ſecundo de Chaldæis, qui Camelos omnes illius violenter ſubripuerant nullum doloris inditium foras dediſſet; adueniente tamen tertio nuncio de nece filiorum ſuorum, in quorum domum vehemens ventus irruens ſuper illos ceciderat continuò ait ſacer Textus: *Scidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit*, Abſalon in coniuratione illa, qua mortem patris machinatus eſt, ſtatuam quandam erexit cum hac inſcriptione: *Non habeo filium*, quaſi diceret, vt adnotauit Lyranus: ſolus amor filij ſi illum haberem, potuiſſet ab hac rebellione contra patrem, animum meum auocare, ne forſan deinceps filius meus graue aliquod nocumentum pateretur; cùm tamen filio caream, nihil pertimeſco propriam vitam mortis periculo exponere. Ecce, quomodo Abſalon præponebat filij cõmoda vitæ propriæ, cùm hanc minimè exhorreſceret mortis diſcrimini committere, illam verò maximè. Exodi etiam tertio, huius amoris Parentum erga filios aliud non leue argumentum reperio: etenim licet alioquin Deus varijs plagis, & calamitatibus Pharaonem, & eius Aegyptios compreſſiſſet, adhuc induratum erat cor illius; cùm tamen Deus primogenitum eius occidit, quem ſingulari amore proſequebatur, tunc manus dedit, timens ne infeſta mors reliquos eius ſuperſtites filios, & ſibi valde charos de medio tolleret. Accedit in idem argumentum ardentiſſimus amor, quo Iacob filium ſuum diligebat, de quo Sacra Geneſeos Hiſtoria teſtatur, quòd audito nuncio de morte filij: *Sciſſis veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore*: Vbi nonnulla obſeruatione digna cenſeo, tum quòd licet Iacob per fermè totum ſuæ vitæ tempus multis preſſuris, & laboribus fuiſſet oppreſſus, nullibi tamen Sacra Scriptura eum planxiſſe commemorat, niſi ſolum audito nuncio de morte dilecti filij ſui Ioſeph; tùm quòd vehemens amor erga illum non paſſus eſt exiguo temporis ſpatio ſuper illum lugere, ſed ait: *Lugens filium ſuum multo tempore*; tum quòd

Arnob.

Iob cap. 1.

2. Reg. 18.

Exod. 3.

Geneſ. 37.

quòd impatiens amor non ſinebat eum acerbi ſui doloris leuamen aliquod illum leniens capeſſere: *Noluit* (inquit ſacer Textus) *conſolationem accipere*; tum quod tanta erat vis amoris, vt cuperet ad ſepulchrum illius deſcendere, illudque lachrymis ſuis irrigare. *Deſcendam ad filium meum, lugens in Inferno*. Equidem quod Poetæ finxerunt Orphæũ cytharam ſuam lugubri concentu pulſantem in Infernum deſcendiſſe, vt charam ſuam ſponſam reperiret, hoc idem præ amoris magnitudine deſideraſſe Iacob ſacra Scriptura teſtatur; dum in perſona eius præcitata verba refert: *Deſcendam ad filium meum lugens in Inferno*. Quid plura? Dauid quamuis non ignoraret inobedientiam Abſalonis filij ſui, immò & odium, quod contra illum conceperat, vt a Regno eum deturbaret, cum audiuit in bello fuiſſe extinctum, paternus eius amor in hæc dulciſſima verba prorupit: *Fili mi Abſalon! Abſalon fili mi! quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te! Abſalon fili mi, fili mi Abſalon*. Ecce manifeſtè vim paterni amoris; quater filium, illum nominat, & vitam propriam cum morte illius commutare deſiderat. *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te!* Licet tamen indiſcriminatim feruens ſit amor parentum erga filios, matrum tamen experientia id comprobante, tenerior, & feruentior erga illos eſſe ſolet. Vnde Hieremias, vt exaggeraret amaritudinem, qua peccata deplangi debent peccatori ait: *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum*. Et Iſaias, vt declararet magnitudinem diuini amoris erga ſuos, & ſingularem curam, quam eis blandiendi, velut infantibus, & conſolandi eos habebat, in perſona ipſius ait: *Quemadmodum mater conſolatur filios ſuos, ita & ego conſolabor vos*. Ac tandem Regius Vates Dauid, vt indicaret ardentiſſimum ſuum amorem erga Principem Ionatham cum audiuit eum in bello interijſſe, dixit: *Doleo ſuper te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuper amore mulierum: ſicut mater vnicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam*.

Ibidem. *Ibidem.* *Ibidem.* *2. Reg. 18.* *Ibidem.* *Hierem. 6.* *Iſai. 66.* *2. Reg. 1.*

Non ſolum autem inter homines, ſed & inter bruta animantia amor hic paternus erga filios viget: Nam vt Aquilam omittam, quæ vt filios ſuos ab aucupe defendat, periculo iaculorum ſe exponit; & Pellicanum ſileam, quæ vt filiorum vulneribus medeatur, roſtro proprium pectus percutiens, ſanguinem elicit, ſolum dicam, Sacerdotes Aegyptios (vt refert Henricus Scualen in ſuis Aphoriſmis, libro vigeſimo) vt affectum, & amorem in filios deſcriberent, Vulpanſeris ſimulachrum facere ſolitos, quia hæc auis tanto amore filios proſequitur, vt vterque parens pro illis venatoribus ſe dedant, vt à capiendis filijs, eorum animos auertant. Si ergo maternus amor adeò ardens eſſe ſolet, non potuit non in Maria ardentior eſſe: tum quia ſi ad amorem, quem vocant acquiſitum, mentem conuertamus qui maximè foueri, & nutriri ſolet communicationis, & familiaritatis pabulo, quò deficiente facile ille euaneſcit, Ariſtotele dicente: *Silentium dirimit amicitias*: neceſſe eſt hunc amorem fuiſſe in Beata Virgine præexcellentem, cùm nulla vnquam matris cũ filio antiquior conſuetudo, & crebrior fuerit communicatio ea, quam Deipara habuit cum filio ſuo. Aliæ enim Matres vteris ſuis prolem geſtantes, illam non agnoſcunt, cum ea non confabulantur, quia nondum rationis lumen ei illuxit. cum autem Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ Conceptionis particeps rationis eſſet, & ſumma ſapientia tàm increata, quàm creata polleret, ab eo certè momento, quo verba illa perfecit B. Virgo: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, ab interna cum filio ſuo collocutione numquã ceſſabat. Vnde cum crebra eius fuiſſet communicatio, & familiaris conſuetudo cum filio ſuo per pluſquam triginta & tres annos, facta computatione à conceptione vſque ad mortem, non potuit quaſi in infinitũ acquiſitus eius amor non creſcere; maximè quod ſi Petri, Ioannis, & Magdalenæ amor ex minore multò, & per pauciores annos cum Chriſto conſuetudine, ita creuit, vt Chriſto Domino interrogante: *Petre diligis me plus his? ille reſpondit: tu ſcis Domine, quia amo te*; & Ioannes per antonomaſiam dicatur: *Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*, & de Magdalena, veritas ipſa teſtatur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; manifeſtiſſimè relinquitur, acquiſitum Virginis amorem erga

Henr. Scual. *Ariſtot.* *Luc. 1.* *Ioan. 21.* *Ioan. 13.* *Luc. 7.*

charam ſuam ſobolem, omnem cuiuſque matris amorem longo interuallo ſuperaſſe: tum quia, ſi quædam matres diligunt filios ob eximiam eorum pulchritudinem Dauid ait: *Specioſus forma præ filijs hominum.* Si aliæ, quia hæredes futuri ſunt magnarum diuitiarum, Paulus ait: *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Si aliæ propter Imperium, & potentiam: Ioannes inquit de illo: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus.* Si aliæ eoſdem amore proſequuntur ob ingentem literaturam, & ſcientiæ ſplendorem; ecce Apoſtolus, ſapientiam eius commendans, dixit: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Si aliæ matres filiorum amantiſſimas ſe exhibent propter egregiam eorum indolem, & præclaram morum compoſitionem, & vitæ integritatem, ecce de illo ſcriptum eſt: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* His omnibus titulis B. Virgo filium ſuum diligebat, quia omnes illi pariter in illo micabant. Quòd ſi quidam amantur, quia Parentes, alij quia Domini, alij quia amici, alij quia fideiuſſores, alij propter alias ſimiles rationes; certè Chriſtus Dominus à Beata Virgine diligebatur omnibus his nominibus, quia Pater, filius, ſponſus, amicus, fideiuſſor, paſtor, & omnia ei pariter erat. Si demum creſcentibus beneficijs filiorum erga matres, tantumdem creſcit amor matrum erga filios, non potuit non ardentiſſimus eſſe amor Virginis erga filium ſuum, à quo tot, ac tam innumera ſuſcepit beneficia, vt nec Angelica lingua recenſeri valeant. Inſinuat tamen illā Sanctus Martyr Methodius oratione in hypop. Domini, qui ad Virginē conuerſus in hunc modum eam alloquitur: *Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuo dat; Deo namque vniuerſi debemus, tibi verò etiam ille debet.* Certè nos omnes Deo vitam debemus, Beata autem Virgo tanti momenti beneficium à filio ſuo ſuſcepit, vt ille vitam, quam habet humanam Virgini debeat, cùm ab ea illam per veram generationem ſuſceperit. Itaque Creator omnium, cui omnis creaturæ debent elementa, flumina, fontes, plantæ, piſces, volucres, animalia, aſtra cœleſtia, & omnes ſpiritus Angelici: ille inquam, cui vniuerſa hæc debent, debitor factus eſt Virgini: Vnde cum Beata Virgo tantis fuerit à filio cumulata beneficijs, vt illud ſolum, quòd genitricem ſuam eam fecerit penè infinita complectatur; non potuit non quaſi in infinitum amor eius erga filium creuiſſe. Accedit ad hæc, quòd Ariſtoteles lib. Problematum quærens, an ſit conformius naturæ, vt matres feruentius ament filios, quàm patres? reſpondens affirmatiuè, huius maioris amoris rationem hanc reddit: quod mater certam, & euidentem habet cognitionem illum eſſe filium ſuum, quem peperit, pater verò non niſi opinionem; & ideò multi in hoc decipiuntur. Cùm igitur Beatiſſima Virgo certiſſima eſſet ſuper omnes matres Chriſtum Dominum eſſe prolem ſuam, immò totam ſuam, vt adnotauit Diuus Paulus dicens: *Abrahæ dictæ ſunt repromiſſiones, & ſemini eius. Non dicit: & ſeminibus quaſi in multis.* Quod notanter addidit Apoſtolus, quia ſola Virgo abſque conſortio viri Chriſtum conceperat; manifeſtè inde relinquitur magnum fuiſſe amorem Virginis erga filium ſuum. Ad hæc, non ſolū viguit in Beata Virgine ardens amor naturalis ad filiū, ſed ardĕtior multo ſupernaturalis charitatis, qui vt ait D. Ambroſius, excedit omnem amorem naturalem, vt experientia ipſa ſatis comprobauit in Abrahamo, in quo charitatis amor erga Deum ita ſuperauit, ac tranſcendit amorem naturalem erga filium ſuum Iſaac, vt iubente Deo illum ſibi immolari, ipſe non dubitaret gladium euaginare, & ſuper collum eius illum extendere; vnde Dominus dixit ei: *Nunc cognoui quòd timeas Deum* timore ſcilicet filiali, qui ex amore charitatis procedit: hic enim de amore naturali erga filium tuum in te palmam reportauit. Atque huc facit illud Alciati emblema de dublici amore, honeſto, & inhoneſto, qui cùm inter ſe concertarent, honeſtus de inhoneſto victoriam tulit.

Aligerum, aligeroque inimicum pinxit amorem
Arcu arcum atque ingens igne domans Nemeſis,

quibus conſonat illud Tibulli

Ecce puer Veneris, fortem eurſamque pharetram,
Et fractos arcus, & ſine luce facem

ecce amor honeſtus fortior eſt inhoneſto; ſed

Marginalia: Pſal. 44. — Ad Hebr. 1. — Ioan. 13. — Ad Coloſſ. 2. — 1. Petr. 2. — S. Method. — Ariſtot. — Ad Gal. 3. — D. Ambroſ. — Geneſ. 22. — Alciatus. — Tibull.

Digitized by Google

ſed charitatis amor longè illum ſuperat; maiori certè fortitudine pollet, Spiritu ſancto dicente: *fortis eſt vt mors dilectio.* (Cantic. 8.) Bene ait: *ſicut mors:* quia ſicut mortis fortitudo tanta eſſe agnoſcitur, vt omnia illi ſubijciantur, etiam ipſe Deus factus homo; ita amor charitatis omnia vincit, omnia ſuo impetio ſubdit, etiam ipſum Deũ. Hic igitur ſupernaturalis charitatis amor adeò Beatam Virginem abſorbuerat, vt vbi noſtra vulgata legit: *Ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis dilectam,* alia verſio habet: *Ne euigilare faciatis dilectionem, vel charitatem.* (Cant. 2.) Quo non obſcurè Spiritus ſanctus dilectiſsimæ ſponſæ ſuæ Mariæ oſtentauit ardentiſsimum amorem, dum non tam amans, quàm ipſe amor: non tam charitate feruẽs, quam ipſa charitas illa ſibi videretur. Cùm ergo tam amor naturalis quàm ſupernaturalis adeò excelluerit in Virgine Deipara; & quantitas doloris de morte vnigeniti ſit iuxta menſuram amoris; facilè inde conijcere licet Intentiſsimum fuiſſe ſuper omnium angores, acerbiſsimum eius dolorem, ſicut intenſiſsimus fuit omnium amorum, ardentiſsimus eius erga filium amor. Ad quod ſanè reſpiciens D. Bonauentura (D. Bonauent.) officio de compaſsione Beatę Virginis dixit: *Nullus dolor amarior, quia nulla proles charior.* Doctiſsimus Guilelmus (Guilel.) in commentario ſuper cap. 1. Canticorum ſingulari pietate ait: *Tanta virtute Chriſtum dilexit; vt ad titulum ſuæ laudis ſufficiat, quòd mentem eius tanta vis amoris occupauerat, vt fugientibus diſcipulis, oblita ſexus fragilis, ipſa cum lachrymis aſtans Cruci, & condolens morienti animam ſuam pro filio ſuo, & ſi minimè poſuit patiendo, tamen expoſuit compatiendo.* Memini Ariſtotelem (Ariſt.) 8. lib. de animalibus docuiſſe, quòd cum matres teneriori amore ferãtur in filiũ quàm eorum patres; inde fieri quod licet patres magis hilareſcant in ſecundis, & proſperis filiorum euentibus, matres verò in aduerſis, & infelicibus magis contriſtantur, & dolent. Cuius diſcrepantiæ, eam adhibet philoſophicam rationem, quòd cor virile expanſum magis, mulicbre verò magis compreſſum eſt, & ideò illud ad lætitiam, quæ animum dilatat, hoc verò ad mæſtitiam, quæ illud ſtringit, aptius eſſe noſcitur. Id ſanè ſuo modo impletum cerno in parentibus Chriſti, æterno ſcilicet patre, & Beatiſsima Virgine: Pater valdæ lætatus eſt in proſperis ſucceſsibus Chriſti Domini, ſuæque lætitiæ non obſcũra prodidit inditia; cùm enim in monte Thabor Dominus Ieſus ſingulari gloria, & maieſtate, fulgentiſsimiſque gloriæ ſplendoribus coruſcaret, patris vox inſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus; in quo mihi benè complacui.* (Matt. 17.) Quid autem eſt complacere ſibi niſi in eo lætari? tempore verò paſsionis cùm varijs tormentis quateretur, omni ſolatio eum deſtituit, vnde Chriſtus dixit: *Vt quid me dereliquiſti?* (Marc. 15.) Ecce ergo quomodo pater, qui in proſperis Chriſti euentibus ei congaudebat, in aduerſis illi non compatitur, quia tota hæc compaſsio ſolum pertinebat ad matrem; ad quam ſpectabat ſupplere mœrorem, & triſtitiã, quæ in æternum eius patrem cadere non poterat, necnon & illam, quæ in Ioſephum legalem ac putatiuum eius patrem cecidiſſet; ſi tunc ſuperſtes eſſet, & cruci adfuiſſet, immò & quam deberent omnes redempti ſanguine Chriſti exhibere, niſi ingratitudinis morbo laboraſſent. Virgo ergo vt pro omnibus Deo grata exiſteret creatoris, & creaturarum compaſsionem ipſa ſola ſuppleuit. Vnde Vtinus lib. 4. (Vtinus.) cap. 15. dixit: *Cum ipſa eſſet aduocata Mundi; tantum dolorem Spiritus ſanctus ſuis infudit viſceribus, quantus ſuffitiebat omnium electorum genitrici ad excuſandã ingratitudinem Mundi, quia ſic dura morte de ſui fabrica ſuum expellebat Auctorem, qui ad ipſos eruendos de faucibus mortis, de ſinu patris aduenerat ſeruilem aſſumendo naturam; vnde ipſa pro ſe, & pro toto mundo dignum Deo morienti, & de ſe genito exhibebat lamentum.* Contemplor nunc amores duos, velut ſtrenuos, ac fortiſſimos propugnatores, qui in corde Virginis duello conflixere mirando. Amor maternus Virginem impellebat, vt Chriſti vitam incolumem deſideraret: Amor redemptionis, vt diuinæ voluntati de morte illius ſe conformem exhiberet ſibi vendicabat. Amor maternus dicebat: non moriatur innocens filius meus; amor è contra redẽptionis clamabat: moriatur vnus pro populo, ne tota gens pereat. Amor maternus aiebat: Quomodo videre potero dilectum filium motientem? amor redemptionis, quomodo intueri potero vniuerſum orbem pereuntem? Amor mater-

nus

nus cupiebat chariſſimā prolem cruci non affigi; amor redemptionis deſiderabat illum in Cruce immolari. In hoc tamen diro certamine tandem tandem amor redemptionis de amore materno, victor euadens, mirabiliter triumphauit, maiorem Dei gloriam, & communem humani generis vtilitatem reliquis omnibus præponens; vnde potiori iure, quàm Diuus Paulus, Deipara Virgo dicere potuiſſet: *In omnibus his ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Sicut autem cùm duo tauri inter ſe acriter concertantur, vnuſquiſque pro viribus pugnat, vt vincat; parta verò ab vno victoria alter lugubres mugitus emittens diſcedit; non diſſimiliter cùm duo illi amores, amor ſcilicet maternus, & amor redemptionis acerrimè inter ſe pugnaſſent in Mariano pectore, velut duo tauri, aut certe velut duo filij, qui in vtero materno collidebantur, & pugnabant; ſanè redemptionis amore victoriam reportante, continuò amor maternus, qui Chriſti vitam illæſam cupiebat, in varia ſuſpiria, & lugubres gemitus prorumpens locum Caluariæ lachrymarū imbre irrigabat, & ſanguis ex vulneribus Chriſti effluens cū virgineo lachrymarum liquore miſcebatur. Sicut autem Ioannes teſtatur ſe vidiſſe lib. ſuarum reuel. quòd ex agno egrediebatur fluuius ad lætificandum Paradiſum; ita è contra nunc mihi videor videre, ex ſede Crucis, & agno innocentiſſimo in ea ſedēte copioſum doloris flumen egredi, & amariſſimam eius aquam totū Mariæ cor inundare, & Marianum paradiſum non lætificare, ſed affligere, & contriſtare. Vnde D. Anſelm. de compaſsione Virginis: *O Domina* (inquit) *quos fontes lachrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes vnicum filium tuum innocentem coram te flagellari, mactari; & carnem eius diſſecari crudeliter.* Sed quomodo quæſo non lachrymaretur pijſsima mater videns dilectum filium funibus ligatum inſtar ſceleratiſsimi hominis ad mortem duci? Quomodo non contriſtaretur præconem audiens alta voce dicentem turpiſsimæ mortis cruci filiū eius adiudicatum? Quomodo non doleret vidēs caput filij ſui ſpinis terebratum, manus, & pedes clauis confoſſos, faciem ſputis maculatam, corpus totum varijs plagis exulceratum? Quomodo tandem non vehementer vexaretur intuēs quem ſummo amore diligebat; quem in vtero ſuo ex Spiritu ſancto conceperat; quem virgo manēs pepererat, factum virum dolorum, & turpiſsima omnium morte inſtar ſceleratiſsimi hominis, cum alioquin verè Deus eſſet, inter duos latrones mulctari. Hunc tam acerbum Mariæ dolorem præſtat ſilentio magis, & contemplatione veneremur, quàm imperitis verbis illum proſequamur. Taceat ergo os, ſed non taceat pupilla oculi tui filio, & matre compatiens: Quibus ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Rom. 8.

D. Anſelm.

Homilia III.

Cauſas Virginis dolorem vehementer augentes in paſsione Chriſti Domini, latè, ſed compendioſè proſequimur.

SANCTVS Antoninus Florentinus 4. p. Theol. tit. 15. cap. 41. acerbitatem dolorum Beatæ Virginis iuxta Crucem, profunda conſideratione contemplans, non audebat Angelicæ ſalutationis iubilo eam ſalutare, dicens, quòd licet ſacri verbi præcones ad propinandum euangelicæ doctrinæ lac, prius illam ſalutare ſoleant dulciſonæ ſalutationis Angelicæ Cythara vtentes; hodierna tamē die cùm doloris gladius animam Virginis pertranſit, videtur ſingulis concionatoribus dictum illud Eliſæi Prophetæ, qui de Sunamite mortem vnigeniti ſui deplorante dixit Giezi: *Dimitte eam, anima enim eius in amaritudine eſt.* Quaſi diceret, opportunum magis tempus hoc eſt condolendi, quàm ſalutandi, & congratulandi, Angelicæ ſalutationis cythara reſonante. Vnde Beatam Virginem mihi audire videor lugubre illud Iob. elogium: *Verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium*; hoc eſt ſuaue illud muſicum ſalutationis Angelicæ inſtrumentum, quo diuini verbi præcones vti conſueuere, raucum adeò reperies,

D. Anton.

4. Reg. 4.

Iob. 30.

peries,

periës,vt quacumque parte fides eius pulſes non niſi triſtem, ac lugubrem ſonnm tibi reddant. Nam ſi Virgini dicas *Aue*, quod interpretatur *ſine via doloris*, non congruit illi, quæ ingenti dolore plena, illud Micheæ aptè dicere poteſt: *Væ anima mea, quia defecit timoratus à terra filius meus, quem impleuit ſpiritus timoris Domini*. Si appelles eam *Mariam*, vt illuminata interpretatur, certè cum modò iuxta Crucem inſtar Lunę ecclypſatæ adſit, obſcuratam potius, ac tenebris offuſam inuenies. Quod ſi pronuncies *Dominus tecum*,reſpondebit, aut quod Gedeon Angelo: *Si Dominus mecum,quomodo inuenerunt me mala hæc*? vel vtique Dominus mecum fuit per pluſquã triginta tres annos, partim in vtero, partim domi,partim per vias; ſed iam cùm obierit non eſt mecum. Quòd ſi rurſus eam commendãs ſubiungas,*Benedicta tu in mulieribus*,con- Luca 1. tinuò occurret tibi: quomodo patiar nunc me benedici, audiens filium benedictum fructum ventris mei maledici: *maledictus qui pendet in ligno*? Ecce igitur quomodo Deut. 2. Cithara ſalutationis Angelicę verſa eſt in planctum, & organum Mariæ in luctum flentium. Vt tamen hunc amariſſimum fletum, & dolorem Virginis,magis expendamus, placet in memoriam reuocare, grauiter adeò Diuum Auguſtinum ſuper mortem cuiuſdam amici ſui doluiſſe, vt lib.cõfeſſionum hæc de ſe fateatur: *Mirabar ceteros mortales, quia ille quem quaſi* D. Auguſt. *non moriturum dilexeram mortuus erat, & me magis quia ille alter, eum viuere illo mortuo mirabar*. Bene quidam dixit de amico ſuo, dimidium animæ meæ. *Nam ego ſenſi animam meam, & animam illius vnam fuiſſe animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebã dimidius viuere, & ideò mori metuebam nè totus ille moreretur,quem multum amaueram*.Sanè hæc multo magis in Mariam conueniunt.Nam ſi Auguſtini dolor adeò acerbus erat ob vnius amici amiſſionem, dubitari non poteſt, quin acerbior fuerit Virginis dolor,quæ Chriſto moriente,non ſolum amicum, ſed Patrem, ſed Paſtorē, ſed Magiſtrum, ſed Dominum, ſed theſaurum cordis ſui, ſed filium, ſed ſuum ſummum benefactorem amiſerat;maximè quòd penè innumera Virgini tunc occurrerunt, quæ mœrorem eius vehementer augebant. Inter quæ primo loco appono profundiſſimam cognitionem, quam beata Virgo habuit acerbi doloris, quem dilectus eius ſuſtinebat. Conſiderabat rationem violentiæ, & acrimoniæ, qua hoſtes in illum irruerunt, de qua ipſe Dominus conqueritur per Prophetam: *Et* Pſal.37. *vim faciebant qui quærebant animam meam*; ideſt qui vitam mihi auferre satagebant:in omnibus enim illis locis,in quibus præcipue vitam hominis conſiſtere opinati ſunt Philoſophi, vim magnam fecerunt. In capite per coronam ſpineam: in manibus, & pedibus per diram eorum affixionem: in epate per grauiſsima vlcera in flagellatione inflicta: in corde per apertionem lateris:in ſanguine per copioſam eius per varias corporis venas effuſionē. Agnoſcebat inſuper B.Virgo Chriſti innocentiam: etenim quando quis pœnam patitur, quam propter culpam meretur, non nihil mitigatur eius dolor; vnde Ouidius in ſuis epiſtolis dixit: Ouidius.

Leniter ex merito quidquid patiare ferendum eſt,

Quæ venit indignè pœna dolenda venit.

è contra verò quando quis innocens patitur,non pro ſua, ſed pro aliena culpa acerbiori dolore conficitur, vnde bonus latro iniquo dicebat: *Nos quidem digna factis* Matth.27. *recipimus, hic autē nihil mali geſſit*. Agnoſcebat inſuper Beata Virgo tenerrimam filij ſui complexionem,vtpotè ex virgineo ſanguine, Spiritu ſancto cooperante concepti. Dicit autem Philoſophus in libro Ariſt. de ſenſu, & ſenſato, nobiliores potentias eſſe magis apprehenſiuas ſuorum obiectorum: vnde cùm potentia tactus Chriſti Domini eſſet omniũ nobiliſſima;& quanto ſenſus tactus eſt viuacior, tanto dolor ſit acutior, vt docuit Ariſtoteles lib.2. de Ariſt. Anima, conſequens eſt acerbiorem fuiſſe dolorem Chriſti, quàm cuiuſcumque alterius martyris, maximè quòd paſſus eſt, in membris magis ſenſibilibus, ſcilicet in capitis temporibus, & fronte per pungentes ſpinarum aculeos, & in manibus,& pedibus,clauis quatuor transfixis, in quibus magna neruorum chopia viget. Ponderabat inſuper chariſſima mater dilectam ſobolem,ab omnibus derelictam;dereliquerant enim eum non ſolum diſcipuli, qui cum eo erant Euangeliſta dicente: *Omnes* Matth.26. *pariter fugerunt*; vnde Dauid in perſona Chri-

Digitized by Google

Pſal.68. Chrſti dixit; *Qui me conſolaretur non inueni*: ſed quod terribilius videri poteſt,eũ dereliquit pater: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Agnoſcebat etiam
Matth.27.
D.Aug. cauſas dolorem augentes, quas D.Auguſtinus his verbis adnotauit ſermone de paſſione. *Ipſe Rex regum, & Dominus dominantium mortem ſuſtinuit immaturam, quia in flore iuuentutis: violentam, quia ab alijs & beneficiatis: acerbiſſimam, quia crucis: viliſſimam, quia in medio latronum.* hæc ille, quibus conſonant egregia verba
D.Bern. Diui Bernardi ſuper Cantic. *O humilem, & ſublimem, ò altiſſimum, & nouiſſimum, ò opprobrium hominum, & gloria Angelorum: nemo ſublimior, nemo deſpectior: eſto vilis quantum potes, nunquam Christo vilior eris. Ipſe ſiquidem Rex Regum, & Dominus dominantium fuit viliſſimo precio venalis expoſitus, à viliſſimo populo viliſſima paſſus, viliſſimo loco crucifixus, crucis ſupplicio traditus, inter latrones poſitus, cum iniquiſſimis, & viliſſimis hominibus deputatus, modo viliſſimo tractatus. Etenim tamquam malefactor bonus Dominus capitur: tanquam furioſus, manſuetus vinculis adſtringitur: tanquam peſtifer, Saluator accuſatur: tanquam homicida, vita hominum morti damnatur: tanquam leproſus, & immundus mundator criminum extra mœnia eijcitur: tanquam latro crucifigitur: tanquam flagitioſiſſimus confutandus ab omnibus, & intuendus nudatur: & tanquam vermis vilis, & viliſſimus, ſummus Deus conſpuitur, & conculcatur.* Hactenus Diuus Bernardus. Ponderabat præterea Beata Virgo quàm multi conuenerant ex varijs nationibus in Hieruſalem propter ſollemnitatem Paſchatis, quæ potiſſima omnium erat, Diuo Luca dicente
Act.2. in actis Apoſtolorum, de omni penè nationum conueniſſe in Hieruſalem ad illud feſtum. Quis autem ignoret, Beatam Virginem probe agnouiſſe ingentem confuſionis, & erubeſcentiæ dolorem quem Chriſtus ſuſtinebat, dum videbat ſingulos illorum ad patrias ſuas reuertentes, turpiſſimam eius mortem, & ob ingentia ſcelera, vt Hebræi clamabant palam fore euulgatos. Conſiderabat ad hæc Beata Virgo omnes, tam nobiles, quam ignobiles aduerſus filium ſuum conſpiraſſe. Imperarori Romanorum Tiberius per miniſtrum ſuum Pilatum, qui eum morti adiudicauit: Rex Herodes, qui illum illuſit, & ſpreuit: Principes ſacerdotum, & Phariſæi, qui mortem illi inferre varijs modis machinabantur: Iudas, qui tradidit eum, vt comprehenderetur: Petrus diſcipulus ter illum abnegans, ac tandem omnis populus valenter clamans: *Crucifige eum, crucifige eum.* Expendebat item Marc.15.
Beata Virgo tanto grauiorem, & amariorem eſſe Chriſti mœrorem, quanto ille rectè agnoſcebat ſibi mortem inferri ab ijs, quos multis beneficijs cumulauerat; vnde per prophetam Dauidem de hoc ſpecialiter conquerens dixit: *Poſuerunt aduerſus me mala pro bonis, & odium pro dilectione* Pſal.108.
mea; & per Prophetam Michæam: *Popule* Michæa.6.
meus quid feci tibi, aut in quo moleſtus fui tibi? reſpõde mihi quaſi diceret. Ego Patres tuos, Iacob, & filios eius tempore famis in Aegypto enutriui, ne perires, poſtea te feci in gentẽ magnam: de dura Aegyptiorũ ſeruitute te eduxi: à flagellis, quibus totum Aegyptum percuſſi te liberaui, ac mare rubrum tibi aperui, vt per illud ſicco veſtigio tranſires. Pharaonem perſecutorem tuum cum exercitu ſuo in mari demerſi: Manna de cælo te per quadraginta annos in deſerto paui: aquam de petra tibi eduxi, perſequentes te hoſtes proſtraui, Seon nimirum Regem Amorrhæorum, & Og Regem Baſan: Terram fluentẽ lac, & mel tibi donaui, & in ea triginta Reges, & plurimas nationes tibi aduerſantes interfeci. In monte Synai tibi legem dedi: de dura ſeruitute per Eſdram, Neemiam, & Zorobabel eduxi: de graui oppreſſione Antiochi Regis te per Iudam Machabæum, & fratres eius eripui. Ego ipſe de genere tuo carnem ſumpſi: Deus cùm ſim, factus ſum frater tuus: ciuitates varias tuæ ſalutis ſollicitus perambulaui, multis laboribus oppreſſus, regnum Dei tibi prædicaui: cœcos tuos illuminaui, leproſos mundaui, claudos erexi, obſeſſos à dæmonibus liberaui, ſurdis auditum reſtitui, mutis loquelam, infirmis varijs ſanitatem, mortuis vitam. Quid plura? Præcepta Dei tibi declaraui, errores confutaui, vitia increpaui, conſilia dedi, viam perfectionis verbo, & exemplo aperui. Quid aliud tibi facere potui, & non feci? Hæccine ergo reddis Domino tuo, popule ſtulte, & inſipiens? Perpendebat rurſus Beata Virgo, quòd quãto dignior eſt perſona

ſona, quæ offenditur, & vilipenditur, tanto magis creſcit offenſa, & vilipenſio, & conſequenter acerbior redditur pœna, & dolor patientis. Cùm ergo Chriſtus Dominus in quantum homo eſſet ex ſtirpe regia, immò & totius orbis ſupremus Rex, necnon & ſummus ſacerdos, in quantum verò talis perſona, verè eſſer filius Dei naturalis, qui non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo; certè ex hoc etiam capite quanto maior fuit offenſa, maior & dolor eius. Contemplabatur præter hæc omnia, Beatiſſima Virgo inteſiſſimum dolorem animam Chriſti excruciantem ob peccata præterita, præſentia, & futura, quibus homines diuinam maieſtatem offendunt: ſicut enim nullus vnquam Dei offenſam, hominum ingratitudinem, & peccatorum deformitatem perfectius, & intimius penetrauit, quàm Chriſtus Dominus; & ſicut nemo tanta charitate eum dilexit, aut illum colere, ac diuinum ius illæſum ſeruare impenſius ſtuduit, quàm ille; ita nullus de peccatis contra Deum commiſſis vehementius illo doluit. Deipara igitur Maria cùm hæc omnia, & alia pleraque, quæ noſtram intelligentiam tranſcendunt, illique erant ſatis perſpecta, alta mente perpendebat, non poterat acerbiſſime intus non cruciari.

Verùm accedens iam ad ſpeciales aliquas cauſas, quæ Virginei pectoris Mariæ magis, ac magis augebant dolorem, illam non vltimum habere locum ſuſpicor, quã his verbis B. Laurentius Iuſtinianus lib. de triumphali agone cap. 11. tetigit; *Gemebat filius quòd mater in tam horrendo eſſet ſpectaculo: ad cor Virginis loquebatur dicens: vt quid veniſti columba mea, formoſa mea? dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit me.* Idem etiam contemplatur Chriſtum matrem proſpicientem atque interna quadam voce dicentem: *Heu heu quò properas, quò venis mater ad fontem lachrymarum, ad locum miſeriarũ raperis? recede mater, abi, propera, nec enim veniẽs, medelam languori meo ferre poteris, immò dolorem meum augebis. Interne cruciabor magis, cùm te mater, mei amore cruciari videro: cruciatu meo cruciaberis mater, & ego tuo.* Agnoſcebat B. Virgo ſe ſuo compaſſionis affectu dolorẽ Chriſti augere, qui non ſolũ dolebar proprias, ſed maternas anguſtias, & rurſus Virginis dolor

B. Laurent.

magis tũc creſcebat, quia iam maior aderat ex parte Chriſti cauſa dolendi; & iterũ dolor Chriſti nouum incrementum ſuſcipiebat ex maiori dolore, quem Virgo ſuſtinebat. Vnde neceſſe erat quaſi in infinitum per hanc mutuam reflexionem, & reciprocum compaſſionis affectum, tam patientis quàm compaſſi quaſi in infinitum dolores creſcere, adeò vt ſola Chriſti mors potuerit huic incremento finem imponere; nam quamdiu in Cruce ſuperſtes fuit ſemper magis, ac magis eius dolor abſque vllo intrinſeco termino creſcebat. Vnde ad hoc ſine dubio reſpiciens Diuus Bernardus, in Homil. Stabat iuxta Crucem, ingenioſè dixit, ſed non minus piè: *O dolores inexplicabiles, ò ineffabilis reciprocatio ſancti amoris: filius patitur, & intus valde compatitur matri: mater verò compaſſa eſt patienti filio, tantus nempe impetus paſſionis in Domino Ieſu fuit, vt quaſi torrens ipſum impleret patientem, & inebriaret, quia teſte Pſalmiſta, De torrente in via bibit, vt ſic Chriſto impleto in matrem conflueret patientem, qua ſimiliter impleta in filium iterum redundabat.* Vnde hic impleri videbatur illud Eccleſiaſtici. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, quia ex amariſſimo afflictionum mari, quæ Chriſtum Dominũ vehementer cruciabant, amari dolores in Mariam defluebant, & continuò in ipſum, vnde fluxerant mare reuertebantur. Hinc certè neceſſe erat oriri in Mariano pectore ingentem conflictum, & acerbiſſimam perplexitatem: nam ſi materna viſcera dilecto filio non compatiebantur, ipſius naturæ iura violare ſibi videbatur: ſi verò ei condolebat, & compaterentur dolorem eius augebat. Cùm ergo vellet ex vna parte dolere, & ex alia dilectæ prolis mœrorem non augere, & hæc duo inter ſe cohærere non poſſent, hinc inquam eſt, magnum tunc ex hac perplexitate Mariam concepiſſe dolorem.

D. Bernar.

Eccl. 1.

Tertia cauſa acerbiorem reddens Mariæ dolorem, eam appono, quòd impotentem ſe experiri ad ſolatium dilecto filio porrigendum in extremo vitæ diſcrimine conſtituto, ac ſummis doloribus confecto maximè illam angebar. Solent enim piæ matres pro magno ſolatio habere, ſi laborantibus filijs quidpiã leuaminis, & refrigetij afferre poſſint: è contra verò ſi eis faue-

fauere, & materna eis officia præſtare prohibentur, ingenti dolore affici conſueuere. Videbat Maria ſpinarum vlcera, nec poterat alligare cernebat faciẽ ſputis, ſanguine, & lachrymis perfuſam, nec poterat abſtergere: aſpiciebat totum corpus vndique cruentatum, nec linteo poterat cooperire: audiebat illum, *ſitio* dicentem, & non poterat illum aqua refrigerare: intuebatur felle, & aceto potari, nec id auertere poterat, quæ omnia neceſſe erat materna viſcera acriter tranſuerberare.

D.Cyril. Accedit quod Diuus Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 33. ait: *Milites cum riſu, atque triumpho, coram matre ad deriſionem Chriſti veſtimenta partiuntur*, tunicam ſcilicet illam inconſutilem quam dilecto filio pia mater proprijs manibus elaborauerat. Ac tandem cum contemplabatur illum iam iam animam efflantem, & charos amplexus, ac dulcia oſcula ei dare nõ valebat, non poterat eius dolor non acerbiſſimus eſſe. Hæc eadem meditabatur

D.Anſel. Diuus Anſelmus, dum de compaſſione Virginis loquens dicebat: *Quis exiſtimare poteſt, quanta triſtitia, mœrore, & dolore vulnerabatur cor Mariæ ſuper vnici, & naturalis filij paſſione, quem tam caſtè concepit, tam gaudioſè peperit, tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum, & ſoluere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit: vidit ſanguinem in faciem fluere, & abſtergere nequit: caput inclinatum, & ſuſtentare non potuit: flentem, & pro triſtitia conſolari nequit: audiuit eum dicere, ſitio, & ei aquam miniſtrare non valuit*. hæc ille.

Quarta cauſa eundem Mariæ dolorem adaugens fuit, quòd diuino afflata ſpiritu manifeſtè præcognoſceret, quòd cum alioquin copioſiſſima eſſet Chriſti redemptio, pauciſſimos tamen fore, qui fructu eius gauderent. Non enim ignorabat,

Matth.13. quòd Chriſtus docuerat quartam partem iacti ſeminis tantum, diligenti ſeminatori fructum optatum attuliſſe; ſed illud

Mich.7. etiam Michææ prophetæ vaticinium legerat in perſona Chriſti loquentis: *Væ mihi quia factus ſum ſicut qui colligit racemos in autumno*. Sicut enim finita vindemia nõ reperitur in vinea niſi hic vel ille paruulus quiſpiã racemus, ita poſt factã vindemiã à Diabolo, pauciſſimos Chriſtus inuenit racemos ſibi colligendos. Vnus racemus fuit bonus latro, ex Cruce Chriſti miſericordiam implorans, *Memento mei Domine cum fueris in regno tuo*; alius racemus Matth.27.
fuit pius Centurio, illum clara voce confitens, *Verè filius Dei erat iſte*; alius racemus Ioſeph ab Arimathia, de quo ait Matthæus qui miſericordia motus vt Chriſti Ibidem.
corpus ſepeliret, audacter introiuit ad Pilatum, vt Chriſti corpus ab eo poſtularet. Ibidem.
Hoc igitur contemplans Beata Virgo præ ſiti magna, quam habebat, ac ardenti deſiderio vt ſanguinis Chriſti fructum omnes perciperent, preagnoſcens pauciſſimos illum eſſe percepturos, vehementius cruciabatur.

Quintam cauſam matris dolorem non parum augentem, filij verba fuiſſe arbitratur Diuus Bernardus ſermone de verbo D.Bernar.
Apoc. ſignum magnum. Cum dixit illi: *Mulier ecce filius tuus*; nõ enim potuit nõ materna viſcera grauiter lacerare, quod tã diſpar filius Ioannes, morituro Chriſto Ioann.19.
ſuccederet: & quod ſeruus pro Domino, diſcipulus pro magiſtro, filius Zebedei pro filio Dei, homo purus pro Deo homine ſibi commutaretur. Vnde perinde fuit, ac ſi diceret: mulier ecce filius tuus ſed non qualis ego, quia non conceptus de Spiritu ſancto, ſicut ego: non miraculoſè natus ex Virgine, ſicut ego: non verus Deus, ſicut ego: non æternus, & conſubſtantialis Patri, ſicut ego: non naturalis filius tuus, ſicut ego. Ecce igitur filius tuus adoptiuus, quem loco mei tibi ſubſtituo, quia ad patrem vado. Sanè hæc mutatio dexteræ excelſi eſt excelſus eſt Deus pater, cuius dextera dicitur eius filius, quia ſibi conſubſtantialis faciente ergo Chriſto, qui eſt dextera Dei patris, hanc mutationem, merito hæc mutatio dexteræ excelſi nuncupari debet. Duplex igitur hoc verbum: *Ecce filius tuus*, gladius fuit viſcera Virginis adeò confodiens, vt non immeritò ei congruere autumem, quod Apoſtolus dixit ad Hebræos ſcribens: *Viuus* Ad Hebr.c.4.
eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus. In quibus verbis, vt noſtro inſeruiant argumento quatuor præcipuè obſeruo. Primum proferentis conditionem, quia *viuus*, adhuc enim viuebat Chriſtus vita humana, cùm protulit illum ſermonem. Secundum illius impletionem, quia *efficax*. Nam ex

tunc

tunc diſcipulus accepit eam in ſuam, & ſpeciali ratione, filius eius adoptiuus eſſe cœpit. Tertium eſt prædicti ſermonis ad penetrandum, vim, & acumen, tum quia ait: *penetrabilior omni gladio ancipiti*, gladius enim materialis non penetrat
Matth. 10. niſi corpus, iuxta illud Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hoc non habent amplius quid faciant*; ſermo autem ille penetrauit intimè vſque ad cor Virginis. Tum quia ſubiungit, *pertingens vſque ad diuiſionem animæ*, hoc eſt, intenſum adeò animæ dolorem concepit, vt niſi diuinitus Beata Virgo præſeruata fuiſſet, & adiuta, vt ait Diuus
D.Bernar. Bernardus in ſermone de Annunciatione, facile tunc emiſiſſet ſpiritum. Hinc fratres elicere vos velim, quam arctò obligationis vinculo Beata Virgo nos aſtrinxerit, cùm tam acerbo dolore iuxta Crucem, ſpiritualiter, tanquam pia mater, nos omnes parturijt: fuit enim velut altera Rachel duplicem habens filium Beniamin, & Benoni: Beniamin, qui *filius dexteræ* interpretatur, Chriſtum Dominum denotat, quem ſummo gaudio perfuſa in Bethleem peperit: Benoni, quod *filium doloris mei* ſignificat, Ioannem & in eo nos omnes adumbrat, quos iuxta Crucem ſummis preſſuris, ac doloribus melius quam Diuus Paulus, qui dicebat:
Ad Gal. 4. *filioli mei, quos iterum parturio*, ipſa nos & genuit, & parturijt. Et quidem ſi Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos mulieri parturienti comparauit propter grauitatem mœtoris, quam paſſio ipſius eis illatura
Ioann. 16. erat, *mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius*; quanto magis Virginem matrem iuxta Crucem, nos tam acerbis doloribus gignentem, parturienti matri comparare licebit? vnde Ruper-
Rupertus. tus libro 13. in Euangelia dixit: *Proinde quia verè ibi dolores, vt parturientis in paſſione vnigeniti omnium noſtrum ſalutem, Beata Virgo peperit, planè omnium noſtrum mater eſt*. Cùm igitur Deipara Maria iuxta Crucem nos parturiendo ma-
Thobiæ 4. ter noſtra effecta ſit, illud Thobiæ, nobis ſingulis dictum accipiamus: *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor enim eſſe debes quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te*.

Ad extremum aliud Virginei doloris augmentum acceſſit, cùm militem in mortuum dilecti filij corpus deſæuire conſpexit, qui diro lanceæ mucrone ſacrum eius latus aperuit, vnde magna ſanguinis, & aquæ copia effluxit. De hoc ſacro vulnere, quia permulta dixi tomo primo de ſacris Arcanis ad Chriſtum Dominum ſpectantibus, pauca hic apponam. Illud tamen ſilentio non prætcribo, repertam fuiſſe olim, vt Auctor eſt Platina in vita Leonis Noni, celebrem ſtatuam, cum hac inſcriptione: *Oriente Sole, aureum caput habebo*, vel vt alijs placet: *Occidente Sole in Ariete caput auri*. Multi quidem va- Platina.
rias illius Epitaphij explicationes adhibuere, quæ à veritatis ſcopo longè aberrabant: quidam tamen magicæ obſeruationis peritus obſeruauit, quod Occidente Sole in Ariete, caput illius ſtatuæ, quan dam in terra cauſabat vmbram, & notato termino vmbræ ibi fodiens, theſaurum inuenit, vbi ingens caput auri latebat, quo manifeſte innotuit, quid ſibi vellet inſcriptio illa. Hæc cum ita ſint, neminē ignorare arbitror Chriſtum mortuum in Cruce, cum ſol erat in Ariete; tunc autem cum inclinato capite tradidit ſpiritum, ſacrum illud caput neceſſe erat vmbram facere in latere Chriſti, quaſi deſignans locum vbi theſaurus Eccleſiæ deliteſcebat: ad quod ſignificandum, vbi ſponſa iuxta vulgatam noſtram legit: *introduxit me Rex in cellaria ſua*, ſeptuaginta Interpre- Cant. 1.
tes verterunt, *introduxit me Rex in ærarium, ſiue in theſaurum*. Locum autem hu- Septuaginta Interpr.
ius ærarij, milite quodam lanceæ ligone fodiente, continuò inuentus eſt theſaurus infiniti valoris, pretium ſcilicet ſanguinis, & aquę, quo Chriſtus nos omnes emit, iuxta illud Pauli: *empti enim eſtis pretio* 1. Cor. 6.
magno. Hunc autem militem Longinum fuiſſe teſtantur Lippomanus tomo ſexto, Lippoman. Surius
Surius tomo duodecimo, vigeſimoquinto die Menſis Octobris, Metaphraſtes ſermone de paſſione & Cardinalis Baronius to- Metaphraſt. Baronius Cyprianus.
mo primo. Affirmat autem ſanctus Cyprianus martyr in epiſtola ad Oceanum, ſanguinem ſeparatum effluxiſſe ab aqua, prius tamen illum, quàm iſtam; vnde qui in aquis cœperat, finiuit in aquis; & quam illi ſitienti denegarunt, hanc ex fonte lateris ſui ſcaturientē, liberaliter eis donat. Fuiſſe autem illam propriè, & verè aquā,

Abulenſis. præter Abulenſem, Paradoxo 2.cap.2. & 29. & 30. & alios Authores id docentes, expreſsè habetur in Canone quodam de celebratione Miſſarum. Licet autem ſeparata anima à corpore quando corpus frigeſcere incipit per ſolutionem flegmatis, aqua in eo generari ſoleat naturaliter; ex humano tamen corpore mortuo ſicut copioſum ſanguinem, ita & copioſam aquā effluere miraculoſum fuit (vt tradit Diuus Thomas, tertia parte quæſtione 66. articulo quarto) ac totam naturæ facultatem tranſcendens. Ex ſacro verò ſanguinis, & aquæ liquore de fonte lateris Chriſti manante, Beatam Virginē, quantum licuit religioſo cultu, ac magna reuerentia collegiſſe, teſtatur Cardinalis Baronius anno Chriſti, trigeſimoquarto, folio 181. Metaphraſtes vigeſimoquinto die Auguſti. De lancea igitur, hæc ait Seraphicus Diuus Bonauentura capite octuageſimo vitæ Chriſti, fuiſſe gladium ancipitem, qui iuxta Simeonis vaticinium pertranſiens corpus filij mortuum, pertranſiuit animam matris, in eo per amorem viuentem; vnde piiſſimus Lanſpergius tradit matrem eum in ſe dolorem paſſam, quem Chriſtus in lateris vulnere pateretur, ſi tunc vixiſſet. *Diuiſit* (inquit) *Chriſtus cum matre ſua huius vulneris iniuriam, vt ipſe quidem perſecutionem, & vulnus exciperet, ſed tamen dolorem non ſentiret; mater verò huius vulneris in ſe pœnam reciperet*, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

(Margin: D.Thomas. Baronius. Metaphraſt. D. Bonauent. Lanſpergius.)

Homilia IV.

Facta comparatione Mariani doloris cum reliquorum omnium tam virorum, quam feminarum doloribus, quorum tam ſacra, quam profana meminere eloquia; Virginis mœrorem, reliquis omnibus acerbiorem fuiſſe in paſsione, & morte filij ſui aperte commõſtramus, in illa verba Hieremiæ: Cui comparabo te, & conſolabor te Virgo filia Syon? magna eſt velut mare contritio tua; quis medebitur tibi? Thren. 2.

ACERBA mors dilecti filij Beatæ Virginis, vtpotè Dei Creatoris, & Redemptoris noſtri, tam magnam vim ad inferēdum doloris, & compaſſionis affectum habuiſſe perhibetur, vt Euangelico eloquio id atteſtante, duriſſimæ petræ quo poterant modo, Creatori ſuo ingentes dolores patienti compaterentur: *Petræ ſciſſæ ſunt*: Olim dixerat Dominus: *auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*; hodierna tamen die vtilius mihi fore videtur cor potius lapideum, quàm carneum à Deo poſtulare: nam ſi lapides ſcinduntur, vel conteruntur, molliores quidem ſunt carneis cordibus, quæ adamantina duritie prædita, nec veſtigium vllum compaſſionis portendunt. Faxit ergo Deus, vt quæ mihi dicenda ſunt de acerbiſſimo Deiparæ Mariæ compaſſionis dolore, veluti olim virga lapidem percutiens largiſſimas aquas ab eo eduxit: ita à ſaxeis veſtris cordibus, copioſum lachrymarum imbrem extorqueant; ne qui filij eius redempti ſan- Matth. 27. Ezech. 11.

ſanguine ſumus, tam benemeritæ de nobis matri ingratos nos exhibeamus; maximè quia ſi illa, vt ait Bernardus ſerm. 10. de Epiph. *deficiente vino in nuptijs compaſſa eſt verecundiæ eorum ſicut miſericors, ſicut benigniſſima*; multo magis deficiēte ei nō vino, ſed filio proprio, & vniuerſo theſauro ſuo, & compati, & pro modulo noſtro conſolari debemus. Ipſa ait per Hierem. *Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam*; in medio autem tantæ deſolationis illud omnium minimum ſolatium à nobis expoſtulat B. Virgo, vt exploremus fuerit ne vnquam dolor ſimilis dolori eius? *Attendite*, ergo *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*; hæc enim ſimilitudo ſolet non nihil ſolatij laborantibus offerre, vt quidam Poetarum dixit.

B. Bernar.

Thren. 1.

Thren. 1.

Solatium eſt miſeris, ſocios habere pænarū atq; propter hanc rationē Hieremias poſt quā dixit: *cui cōparabo te*, ſubiunxit, *& cōſolabor*. Quia ſi facta comparatione cū alijs patientibus, ſimilē aliquē reperiſſet, æqualem dolorem ſuſtinentem, videbatur ſibi aliquam conſolationem ei allaturum, *& conſolabor te*. Heu, heu, heu, & millies heu, deſolatæ matri neque hoc tam exigui ſolatij genus adhibere poſſumus cum facta illa comparatione doloris eius cū reliquis, quos tam ſacra, quam profana monumenta commemorant, nullum ſane ſimilē reperiemus, vnde Nicolaus de Lira in cōmentario huius loci ait: *Non inuenio aliquam ita afflictam, quàm tibi poſſim in exemplū proponere pro aliqua tua cōſolatione*. & gloſſa ordinaria ſuper eundem locum inquit, *Non inuenitur tibi digna cōparatio: tota es informis, tota horribilis, totā te poſſidet contritio: ad nō eſſe tendis*; vt tamen id clarius innoteſcat in percurrendis tā feminis, quā viris, qui graui aliqua preſſura fuerunt cō fecti, tota hæc noſtra verſabitur oratio.

Nicol. de Lyr.

Gloſſ. ord.

Herodotus. lib. 3.

Herodotus rem valde mirabilem commemorat de Sanitide Aegyptiorum rege. Ait enim quod cum Cambiſes Perſarum Rex in bello contra eum inito, illum ſuperaſſet, & in proprium ſuum regnum captiuum duxiſſet, cupidus ille magis ac magis, eum affligendi, & opprimendi, præcepit vt illius filia, vilibus ancillę veſtimē tis induta coram Rege Sanite parēte ſuo cum reliquis famulabus vrnas portantibus ad hauriēdam aquā properaret. Quo ſpectaculo Aegyptij valde cōmoti, copioſiſſimas lachrymas effuderunt. Pater verò illius nullum doloris inditium prodidit; id tamen obſeruans Cambiſes Rex Perſarū alio immaniori ſpectaculo excogitauit animū illius excruciare: iuſſit vt Princeps Sanitis Regis primogenitus ſordida, abiecta & ſqualenti veſte amictus, reliquis mancipijs aſſociatus, ferreum annulū in collo geſtās, & ore, camo, & fræno compreſſo, corā Patre ſuo per viam publicam tranſiret: id quod Aegyptij aſpicientes à ſingultibus, & eiulatibus; non poterant ſe temperare pater tamen illum intuens nullū ſicut antea interni mœroris argumentum foras exhibuit. Accidit autem paulò poſt, quòd tranſeunte illac chariſſimo quodam eius amico, qui pariter cum illo in bello fuerat captus, & ex ſumma diuitiarum copia in ſummam egeſtatem venerat, lachrymas continere non potuit. Quā rem valde admirans Cambiſes interrogauit illum, quid cauſæ eſſet quod filiorū miſeriam nō plorans, amici infortuniū, tam amaro planctu proſequeretur? reſpondit ille, effuſione lachrymarū, internum dolorē valde minui, & quoddā leuaminis, & ſolatij genus eſſe; internū autem dolorem, quo in tāta miſeria filios conſtitutos conſpexerat, ingentē, atque acerbum adeo fuiſſe, vt lachrymarum effuſio, nulla ratione illū temperare, aut leuaminis, & ſolatij quidpiā ei afferre poſſet, ſicut in morte amici attulit. Ceterū dolor hic minimè cū dolore Virginis venit cōparandus, quia ſi ibi Rex Aegyptiorum vidit filios vilibus mancipiorum veſtibus indutos; hic Regina Cæli, & Terræ vidit vnicum filium ſuū inſtar fatui, alba veſte, & tāquam ridiculum Regē purpura indutum. Ille vidit filias, inter ancillas, & mancipia; Maria verò vidit Chriſtū inter ſceleratiſsimos latrones, *& cū iniquis deputatus eſt*. Ille vidit filios captiuos, ſed nō morientes; Maria verò vidit filium, & à ſatellitibus captum, & in Cruce morientem. *Attendite* ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*. Luc. 22.

Thren. 1.

Darius, vt Hiſtoriographi narrant, id referente erudito Authore Malonio de Chriſti ſtigmatibus c. 9. Cū Zopirū charū, ac familiarium ſuū amicum fœdiſſimè laceratum ſui amore cōſpexit, adeò doluit, vt diceret ſe Zopirū feditate illa carentē magis optare quàm mille Babylonias; quem igitur cruciatū, quē mœrorē, quas lachry-

Darius apud Malonium.

Digitized by Google

mas putas in B. Virginis pectore Chriſti flagella cauſare? Quis eius lachrymas valeat explicare? Quæ certè ſolatiũ illud in Chri-
2. Reg. 3. ſti, morte habere nõ potuit, quod in morte Abner Dauid habuit dicẽs: *Nequaquã vt mori ſolẽt ignaui mortuus eſt Abner: manus eius ligatę nõ sũt nec pedes eius cõpedibus aggrauati*: at B. Virgo nõ ſolũ Chriſti manus, & pedes ligatos vidit, ſed totũ etiã corpus adeò flagellis cruentatũ, & exulceratũ, vt non amplius eſſet in eo ſpecies neq; decor.

Illud valdè memorabile eſt in hoc genere argumenti, quod de Cõſtantio Impe-
Sigonius. ratore ſcriptũ reliquit Sigon. anno. 420. Is enim, Imperator acclamatus, imaginẽ ſuã ad Theodoſiũ trãſmittit: hanc ille nõ accipit; ideò tanto mœrore conficitur Conſtãtius, vt ſexto poſt ſuſceptũ Imperiũ menſe dolore cõfectus obierit, Morem hũc noſtra etiam tempeſtate vigere, vt Romanorum Imperator electus cùm fuerit, Romam ad ſummum Pontificem imaginem ſuã tranſmittat, vt ab eo confirmetur, tum etiam ad alios Principes Ex Sigonio de bello Italię
Iſidorus Moſ. oſtendit Iſidorus Moſconius vir ſingulari, eruditione, & pietate prædi̇tus. Verum neque huius Imperatoris dolor etiam ſi acerrimus videatur, ſiquidẽ ei necẽ intulit, Imperatricis Mariæ dolorem exæquat, tum quia cauſa doloris illius, maiorẽ vim habebat ad incutiendum mœrorem: illic enim cauſa fuit, ablata Imperatoris imago mortua, ſeù inanimis: hic verò de medio tollitur figura ſubſtãtiæ patris, & viua imago ſubſtantię matris, cùm Chriſtus facie perſimilis eſſet genitrici ſuæ: tum quia dolor illius Imperatoris ſemel illum percuſſit, & vitã abſtulit; dolor tamen Virginis prolixior fuit, & acerbus adeò, vt ait
D. Anſelm. de lamentat. Mariæ. D. Anſelmus, vt per ſingula momenta vitã eius extinguere ſufficiẽs fuiſſet, niſi ex ſpeciali miraculo diuinitus conſeruaretur. Quod nihil ad leuamen ei profuit, ſed ad cruciatus potius augmenta, cùm nõ ſemel vt Imperator ille, ſed millies præ acerbitate doloris, mortis anguſtias ſuſtineret. *Attendite ergo, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*

Thren. 1. Sed veniamus ad ſocrorũ voluminũ hiſtorias. Nemo ignorat vehementem fuiſſe dolorẽ, quem Abraham concepit, iuſſus à Deo, dilectiſſimũ filium ſuum proprijs manibus occidere, & illum ſibi immolare.
Gen. 22. *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum.* Longè tamẽ ille inferior fuit Mariano dolori, tum quia licet Abraham cum filio in montẽ aſcenderet, vt illum gladio confoderet, id tamen executioni mandare prohibitus eſt ab Angelo, ſecumque tulit filium ſuum viuum; Maria verò in montem Caluariæ aſcendens cum filio, non rediijt cum eo viuo, cùm in ara Crucis immolatus, & ſepulchri tumulo ſepultus maneret. Eadem ſacra Geneſeos hiſtoria narrat, quã ingens dolor Iacobi animum occupauerit, quando nunciatum eſt ei filium ſuum Ioſeph ab immani beſtia fuiſſe trucidatum, & eius cruore tunicam eius eſſe intinctam; quam cum agnouiſſet pater, continuò dixit: *Tunica filij mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph. Sciſſiſque veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Geneſ. 37.
Sed nec hic dolor conferri poteſt cum Virginis dolore, tum quia ibi Iacob ſolam filij veſtem vidit cruentatam; Maria verò proprijs oculis conſpexit corpus filij ſui, vndique exulceratum, & ſingulas eius partes ſanguinis cruorem emanantes. Tum quia ibi ſupererant Iacobo vndecim alij filij, Mariæ verò nullus, quia ille ſibi vnigenitus erat. Tum denique quia Iacob poſtea agnouit figmentum fuiſſe mortem filij ſui Ioſeph; Maria autem certiſſimè ſciebat filium ſuuum verè, & propriè mortuum fuiſſe. *Attendite ergo, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Thren. 1.

Deinde libro primo Regum legimus, Heli audito quòd arca Dei eſſet capta ab hoſtibus, præ dolore magno, continuò ex ſede, quã ſedebat corruiſſe in terram, & caſum, mortem ei intuliſſe, *cumque ille* (ſcilicet nuncius) *nominaſſet arcam Dei, cecidit è ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt.* Sed longè Mariæ dolor hunc mœrorem ſuperauit: nam ſi pietas Heli erga arcam Dei, quæ ſolum vmbra, & figura erat humanitatis Chriſti adeo illum contriſtauit, nullus ſanæ mentis mihi inficiabitur pietatem Virginis, quæ longè maior erat erga ipſam Chriſti humanitatem, dum illam vidit non ſolum ab hoſtibus captam, ſed ſpineis, & ferreis cuſpidibus multipliciter perforatam acerbiorem multo in illam, quàm in Heli excitaſſe 1. Reg. 4.

dolo-

dolorem, in eoque etiam fuit diſcrimen, quod Neli, vt ſacer textus adnotat præ nimia ſenectutis imbecillitate, retrorſum cecidit. Beata autem Virgo tametſi ſummo dolore confecta pedibus ſuis conſiſtens præ ingenti animi fortitudine Cruci adhærebat. *Stabat iuxta Crucem Ieſu*
Ioan. 15. *Maria mater eius. Attendite*, ergo *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*.
Thren. 1. Secundo etiam libro Regum legimus, quòd audiens Dauid tribus lanceis Abſalonem filium ſuum occubuiſſe, dum penderet in quercu, tanto mœrore confectus fuit, vt ſacer textus dicat: *Porrò*
2. Reg. 19. *Rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna, fili mi Abſalon*. Inſuper etiam ibidē legimus ait, quòd quamuis tunc Dauid victoriam tuliſſet, euulgato tamen eius planctu, *verſa eſt victoria in luctum*
Ibidem. *in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici: Dolet Rex ſuper filio ſuo*. Sed neque hic Dauidis dolor ſimilis eſt dolori, quem in morte filij ſui Beata Virgo ſuſtinuit: quia Dauid ſolum audiuit necem filij ſui, non vidit tribus lanceis confoſſum; Maria autem non ſolum audiuit, ſed & vidit Ieſum tribus clauis transfixum, & lancea pectus eius grauiter exulceratum: obiectum autem doloris præſens vehementius vrget, & angit quàm abſens. Et quidem cùm Abſalon filius inobediens, & rebellis eſſet patri, cùm bellum aduerſus illum gereret, non potuit de eius morte tantum contriſtari, quantum ſi ille ſe obedientem, & pacificum exhibuiſſet. Beata autem Virgo dolebat ſuper mortem filij ſui adeò obedientis, vt Deus cùm verè eſſet, tanquam ſubditus illi obtemperare non reſpueret, vt Diuus Lucas expreſsè teſtatur. *Attendite* ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut do-*
Thren. 1. *lor meus*.

Hucuſq; varios virorum dolores retulimus, & explorauimus, an Virginis dolorē æquarent, ab eo tamen potius longè præcelli, apertiſſimè cōprobauimus. Reliquum iam eſt, vt varios angores, quibus multæ feminæ, quæ ad compatiendum, viris teneriores, & procliuiores eſſe ſolent, ſermonem conuertamus, ſi fortè dolorem aliquem inueniamus ſimilē Mariano dolori. Cùm quædam femina per fraudem à Sa-
3. Reg. 3. lomone ſententiam extorquere voluiſſet, vt iudicaret filium alterius feminæ eſſe ſuum, illa quæ vera mater illius materno amore commota vehementer doluit, Ibidem.
quòd Salomon, gladio infantem diuidi iuberet, vt media pars vni, & media alteri daretur: *Diuidite infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri*. Verum & hunc dolorem, Virginis dolori non 3. Reg. 3.
æquari ex eo apertè conuincitur, quòd re vera ibi non fuit executioni mandata infantis diuiſio, Salomone annuente precibus veræ matris dicentis: *date illi infantem viuum, & nolite interficere eum*. Tunc verò Beata Virgo vehementem dolorem ſuſtinuit, cùm moriente Chriſto facta Thre. 1.
fuit diuiſio corporis illius ab anima: ibi mater illius infantis audiuit Salomonis verba, date huic infantem viuum, Mariæ verò non datur filius niſi mortuus Lib. 4. Reg. 4.
in gremio ſuſcipiendus. *Attendite* ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*.

Legimus lib. 4. Regum acerbiorem alium dolorem, quem Sunamitides pertulit, cum graui morbo laborantem filium ex æſtuantis caloris feruore ſuper genua ſibi poſitum morientem conſpexit: *Tolle, & duc eum ad matrem: qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam poſuit illum ſuper genua ſua vſque ad meridiem, & mortuus eſt*. Ceterum quis non videat longè minus maternum animum excruciari ex morte naturali filij, quàm ex violenta? cùm ergo filius Sunamitidis interierit morte naturali ob intemperiem ex nimio ſolis ardore ortam, filius autem Mariæ obierit violenta, & Thren. 1.
turpiſſima morte inter duos latrones clauis confoſſus ex ligno pendens, non potuit Mariæ dolor amarior, & acerbior Thob. 10.
non eſſe Sunamitidis mœrore. *Attendite* ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*.

Apud Thobiæ librum legimus capite decimo, vxorem eius Annam adeò contriſtatam fuiſſe ob moram filij ſui in redeundo ad propriam domum, vt ſacer textus dicat: *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: heu, heu fili mi, vt quid te miſimus peregrinari? lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ, omnia ſimul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis*. Quàm autem dolor

Digitized by Google

hic Annæ diſpar ſit dolori Mariæ, vel illud ſatis comprobat, quod illa plorabat filium abſentem viuum, Maria verò mortuum: dolor autem abſentiæ comparari
Threnor. 1. non poteſt cum dolore mortis. *Attendite* ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*

Ruth. 1. Libro Ruth ſacra commemorat hiſtoria tanta doloris amaritudine Noemi animum repletum ob mortem mariti ſui Elimelech, vt cùm audiret ſe vocari Noemi, reſponderit: *Ne vocetis me Noemi, ideſt, pulchram, ſed vocate me Marà, ideſt amaram, quia amaritudine valdè me repleuit omnipotens.* Sed quid quæſo cum dolore Mariæ, dolor iſte? cùm Noemi ſolum de morte Mariti doleret; mortuo autem Chriſto, qui Mariæ erat ſimul Pater, & Filius, Paſtor, Amicus, ſponſus, pariter doluit de morte Patris, Filij, Paſtoris, Amici, & ſponſi: Manifeſtum autem eſt multiplicatis, & auctis doloris cauſis dolorem augeri. *Attendite*: ergo *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*

De Regina Eſter ſacra volumina teſtantur ob imminentem mortem, quam impius Aman machinabatur aduerſus populum Hebræum, tanto mœrore fuiſſe confectam, vt ſacer textus dicat:
Eſther. 14. *Cumque depoſuiſſet veſtes Regias fletibus, & luctui apta indumenta ſuſcepit, & pro vnguentis varijs cinere, & ſtercore impleuit caput, & corpus ſuum humiliauit ieiunijs, omniaque loca, in quibus antea lætari conſueuerat, crinium laceratione compleuit.* At continuò triſtitia hæc verſa fuit in lætitiam, & luctus ille in gaudium, quia ad preces eius Rex mutauit ſententiam mortis, & machinaror Aman occiſus eſt. Poſt latam autem ſententiam mortis à Pilato aduerſus Chriſtum Dominum, nulla facta fuit mutatio: non ſunt preces Reginæ Mariæ exauditæ, quibus præcabatur ne tantum facinus committeretur. Quare non potuit Mariæ dolor Reginæ Heſter dolorem non valdè ſuperaſſe. *Attendite* ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Suſannæ dolorem, quem illa ſuſtinuit, cùm de adulterij crimine à laſciuis quibuſdam
Dan. c. 14. ſenibus populi Iudicibus ſollicitaretur, Daniel Propheta refert. Cùm enim ipſi vt ab ea conſenſum eius ad libidinem ſuã explendam extorquerent, ei dixiſſent: *Aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum: quòd ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium, quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te.* Tunc illa ingenti dolore oppreſſa in hæc verba ingemens prorupit: *Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non fugiam manus veſtras.* Acerbæ ſanè fuerunt anguſtiæ iſtæ, ſed acerbiores multo anguſtiæ Mariæ: quia quod Suſannam opprimebat, timor erat amiſſionis honoris, vel vitæ in quam ſenibus illis non conſentiens oportebat incidere. Beatam autem Virginem angebat dolor ob amiſſum honorem, & perditam vitam chariſſimi filij ſui, quem ipſa ardentius multo amabat, quàm Suſanna proprium honorem, & propriam vitam. Vnde conſequenter neceſſe fuit mœrorem eius Suſannæ mœrore incomparabiliter grauiorem fuiſſe, ſicut incomparabiliter maior erat amor, quò B. Virgo Chriſti honorẽ, & vitam propriã proſequebatur, quàm amor, quo Suſanna honorem & propriã vitã diligebat: *Attendite* ergo *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*

Ad hæc Propheta Ezechiel meminit doloris, & planctus, quo profanæ, & Idololatræ quædam feminæ Adonidis mortem deplorabant in templo. *Ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adoni-* *Ezech. 8.*
dem. De hoc Adonide hoc refert Nicolaus de Lyra: *Adonis dicebatur Amaſius* *Nicol. de Lyra.*
Veneris, cuius mortem mulieres plangebant, ita quod ritus illius Idoli erat in planctu, & fletu mulierum. In Hebræo habetur. Plangentes Thammuz, quod ſignificat incenſionem, eo quod ſicut dixit Rab. Sal. Idolum illud erat concauum, & fiebat ignis intra, cuius calor ſurſum aſcendens faciebat liqueſieri oculos ipſius Idoli, qui erant plũbei, & ſic videbatur plorare, propter quod mulieres in eius cultu flebant. Rabbi Moyſes Aegyptius in ſuo libro de directione
perplexorum; parte tertia ſcripſit, quod *Rab. Moyſ. Aegypt.*
inuenerat in quodam libro antiquo de cultibus Idolorum, quòd olim quia quidam de Prophetis Idolorum nomine Thãmuz enixè deprecabatur quendam Regẽ, vt coleret planetas, & ſigna cœleſtia, Rex ipſe præcepit Thammuz crudeliter interfici; vnde omnia Idola, eius mortem plorarunt tota nocte. Ex quo inoleuit vſus, vt in prima die menſis Thammuz,

qui

qui eſt quartus mēſis ſecundum Hebręos lugerent mulieres Idolorum cultrices ſuper Thammuz ſingulis annis. Amariorem tamen multo fuiſſe plantum Virginis ob mortem Chriſti Domini, hæc duo apertiſſimè indicant. Tum quod nec Adonis, nec Thammuz ex viſceribus illarum feminarum prodierat; Ieſus autem ex puriſſimis ſanguinibus genitus, verè filius eius erat, & filius dilectiſſimus; quanto autem matri charior eſt filius, tanto, & mors eius eſt illi amarior. Tum quia ſi luctus Idolorum, qui falſi, & ementiti Dei erant, feminas illas ad lachrymas, Religionis cauſa, vt falſo putabant, commouebat, certè hic aderat Chriſtus Dominus, verus Deus in Cruce lugens, vt

Ad Hebr. 5.

D. Paulus teſtatur: *Cum clamore valido, & lachrymis exauditus eſt*; cuius ſanè luctus maiorem quam ille vim habebat ad excitandum dolorem Virginis, & animum eius commouendum, ad copioſam lachrymarum imbrem effundendam, vtpotè luctus, ac plantus filij ſui, & Dei ſui.

Tren. 1.

Attendite ergo, *& videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*

Eſdr. lib. 4.

Ad extremum Eſdras Propheta dolorem alium cuiuſdam matris ob mortem filij ſui enarrat, qui vehementer illam cruciauit. *Reſpexi* (inquit) *oculis meis, & vidi mulierem in dextera parte, & ecce hæc lugebat, & plorabat cum voce magna, & animo dolebat valdè, & veſtimenta eius diſciſſa, & cinis ſuper caput eius: & dimiſi cogitatus, in quibus eram cogitans, & conuerſus ad eam, & dixi ei: vt quid fles? & quid doles animo? Et dixit ad me: Cùm introijſſet filius meus in thalamo ſuo cecidit, & mortuus eſt.* At ſi paulò poſt legas, reperies, meritò hanc mulierem acriter increpatam fuiſſe, quòd neglecto malo communi Reipublicæ, propter quòd omnes lugebant, & vlulabant ipſa de proprio malo, hoc eſt, de morte

4. Eſdr. c. 10.

filij ſui ſolum contriſtaretur. *Stulta*, ait ſacer Textus, *ſuper omnes mulieres non vides luctum noſtrum, & quæ nobis contingunt? quoniam Syon mater noſtra omni triſtitia contriſtata, & humilitate humiliata eſt, & luget validiſſimè. Tu autem contriſtaris in vno filio?* Ceterum moriente Chriſto, dolens, & lugens Beata Virgo eius necem, non ſolum propriam, ſed communem omnium iacturam lugebat, cùm & filius eius eſſet, & communis omnium pater, & dominus; & ideò cùm dolendi cauſa maior, & vehementior eſſet, abſque dubio in virgineo Mariæ pectore vehemenriorem peperit dolorem.

Ecce hucuſque pro viribus quæſiuimus, tàm ſacra, quàm profana monumenta euoluentes, ſi forte quempiam dolorem ſimilem dolori Virginis reperiremus, vt ſaltem hoc exiguo leuamine ex ſimilitudine doloris orto, illam ſolaremur, cùm tamen non inuenerimus, meritò Beata Virgo ingemiſcens ait: *Conſolantem me quæſiui, & non inueni*; & illud: *Poſuit me deſolatam tota die mœrore confectam.*

Thren. 1.

Vt autem acerbitatē huius deſolationis melius percipiamus, & ad compatiendum Virgini fortius commoueamur, parumper comparationem, & ſimilitudinem Hieremiæ à nobis propoſitam ſpeculemur: *Magna eſt* (inquit) *velut mare contritio tua.*

Thr. 3.

Thargum Caldęum vertit: *Magna eſt velut Gigas contritio tua*; ac ſi diceret: tantum excedit dolor tuus aliorum dolores, quantum Gigas excedit Pigmeos: dolor tuus gigas eſt, reliqui Pigmei. D. Hieronymus de quæſtionibus Hebraicis transfert: *Magna velut aqua calida contritio tua*; ac ſi dicat: reliqui aliorum dolores ſunt aqua tepida, dolor tuus eſt inſtar aquæ feruentis, & bullientis, quæ vbicumque carnem contingit, ampullas educit, & vlcera facit, & grauius quam prunæ ipſæ vrit ob ſubtilitatem materiæ, quæ facilius poros penetrat.

D. Hieron. Thren. 2.

Sed vim facientes in trāslatione noſtra latina & vulgata, quæ valdè conformis eſt Hæbraicæ lectioni, vbi *Iamin*, propriè ſignificat mare, expendamus ſi placet propoſita verba: *Magna eſt velut mare contritio tua.*

Ibidem.

Perinde fuit, ac ſi diceret: aliorum dolores fluuij ſunr, aut fontes; dolor autem tuus magnus velut mare, excedens non ſolum quantitate, ſed & qualitate reliquos omnes. Nam ſicut aquæ fontium, & fluuiorum dulces ſunt, maris verò amaræ; ita aliorum dolores in comparatione acerbitatis, & amaritudinis Mariani doloris dulces iudicandi ſunt.

Ibidem.

Vel aliter: *Magna eſt velut mare contritio tua:* ſicut omnes guttæ maris ſunt amaræ, nihilque aquæ reperitur in eo, quòd ſalſum, & amarum non ſit; ſic dolor tuus præ magnitudine acerbitatis nulla dulcedinis

con-

Digitized by Google

conſolatione mixtus eſt. Ita enim Beata Virgo dolore immerſa erat, vt ab omni lęta cogitatione ſe prorſus abſtineret, vnde ſicut in maris tempeſtate fluctuum viciſſitudo non ceſſat magno impetu concutere littus, & euaneſcentibus his, alij magis tumeſcentes ſuccedunt, quibus magis, ac magis augetur tempeſtas; non diſſimiliter lugubres, ac mœſtiſſimæ Virginis cogitationes, quibus cum animo voluebat cruentum eius ſudorem in horto, terribilem illam agoniam cùm dicebat: *Triſtis eſt anima mea*, comprehenſionem illius cum fuſtibus, & armis; irriſiones,
Matt. 14. & opprobria per Iudicum tribunalia, grauiſſimam flagellationem, & immanem ſpinarum coronationem, Crucis baiulationem, diram clauorum transfixionem, inter latrones turpiſſimam mortem. Iſtæ inquam cogitationes velut tumentes fluctus Mariani pectore littus mirabili quadam viciſſitudine, quaſi certatim acriter concutiebant, & quibuſdam illarum euaneſcentibus, aliæ grauiores, & mœſtiores ſuccedebant, adeò vt iam Maria non mare ſerenum, quæ Regina Sereniſſima dici ſolebat, ſed mare turbulentum meritò nuncupari poſſet. Ad quod ſanè alludens Paraphraſtes Chaldęus ſatis appoſitè dixit: *Magna eſt contritio tua ſicut mul*
Thren. 2. *titudo confractionis tuæ*. Quid plura? *Magna eſt velut mare contritio tua*. Obſeruatum eſt à nautis, quod in Plenilunio, mare, maiori aquarum copia ſcatet. Mare amarum cœpit eſſe Beata Virgo ab inſtanti, quo diuinitus fuit illuſtrata, ad cognoſcendum, & penetrandum dolorũ diluuium, quo demerſus erat eius filius, vt in eius perſona dixit Dauid: *Infixus ſũ in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*. Ad-
Pſal. 68. uenіente tamen Plenilunio mortis Chriſti, cuius memoriam chariſſima eius ſponſa Eccleſia Catholica Romana in plenilunio, vel circa refricat; Marianum mare maiori dolorum copia abundabat. Vel aliter dicamus: *Magna eſt velut mare contritio tua*. Sicut enim mare eſt congregatio omnium aquarum, ita dolor Mariæ erat velut congregatio omnium dolorũ. Nam quidam contriſtantur de diuitiarũ iactura, alij de morte parentum, vel filiorum: alij de abſentia amicorum, alij de nece Principum, alij propter honorem amiſſum, alij tandem propter alias ſimiles cauſas. Beata autem Virgo propter omnes illas ſimul dolebat, quia amittendo Chriſtum, amittebat Principem, ſponſum, parentem, filium, amicum, diuitias, & honorem, & omnia bona pariter cum illo. Dicite mihi quæſo: ſi Deus vnico vaſe (quod omnipotentiam eius non tranſcendit) integrum mare concluderet, & illud alicui propinaret, & ille totum exhauriret, nonne ille ingentem amaritudinem ebiberet? Non ſecus ergo fratres re ipſa contigit Deiparæ Mariæ, nam vbi noſtra vulgata legit: *Magna eſt velut mare contritio tua*, ſeptuaginta Interpretes verterunt (quod ſumma aſſeruatione dignum arbitror:) *Magnificatum eſt poculum contritionis tuæ*. Ecce quod Latinus Interpres vocat, *mare*, Græcus appellat *poculum*, vt ſignificaret Beatã Virginem magnum, ſpatioſum, & amariſſimum paſſionis Chriſti mare vno poculo, & vno calice ebibiſſe: *Magnificatum eſt poculum contritionis tuæ*. Verùm vt vobis clarius inoteſcat ſumma huius poculi amaritudo, audite quæſo quæ Beata Brigitta in ſuis reuelationibus, ipſius Virginis verbis conteſtata nobis reliquit, lib. 1. cap. 6. in hunc modum loquens: *Propterea cùm naſceretur ex me, ſenſi ego, quod quaſi dimidium cor meum naſceretur, & exiret ex me, & cùm ipſe pateretur, ſenſi quòd quaſi cor meum patiebatur. Licet enim illud, quod dimidium extra, & dimidium intra, & ſi illud pungitur, quod eſt extra, aquè ſentit dolorem, quod eſt intus; ſic ego cum flagellaretur, & pũgeretur filius meus, quaſi cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego ei fui propinquior in paſſione, nec ſeparabar ab eo, & ſtabam vicinior Cruci eius; & ſicut hoc grauius pungit, quod vicinius eſt cordi, ſic dolor eius grauior præ ceteris erat mihi. Cùmque reſpexiſſet ad me de Cruce, & ego ad eum tunc de oculis meis, quaſi de venis, lacbrymæ exibant; & cùm ipſe me cerneret dolore confectam in tantum amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum ſuorum, quaſi ſopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor eius erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum. Ideò filia mea cogita qualis eram in mortem filij mei, & nõ erit tibi graue relinquere Mundum*. Porrò vt ad maris metaphoram redeam, illud in B. Vir-

Septuag. Interpr. ſuper Hier. c. 2.

B. Brigitta.

B. Virginis ſingulari commendatione dignum eſt. Quòd quemadmodum licet omnia flumina intrent in mare, mare
Eccleſ. c. 1. non redundat, vt ait Eccleſiaſticus; ita quantumcumque ingrederentur dolorum flumina in Mariam, nec per minimum impatientiæ motum redundabat, nec contra acerrimos Chriſti carnifices, quoquomodò inſultabat. Celebris quidem fuit Iobi patientia, moleſtis tamen verbis, moleſtos
Pſal. 131. amicos allocutus eſt dicens: *Moleſti conſolatores eſtis vos*. Rara etiã fuit Dauidis patientia, & mãſuetudo: *Memẽto Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius*; nihilominus tamen aduerſus Naualem Carmelum gladio ſe accinxit ad illum occidendum. Moyſis tandem patientiam, & manſuetudinem, ſacra eloquia commen-
Num. 12. dant: *Erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra*, de illo tamen legimus Aegyptium contendentem cum Hebræo, propria manu interemiſſe. Patientia verò Beatiſſimæ Virginis longè patientiam horũ omnium ſuperauit, quæ ſummo dolore intuens dilectiſſimum, & innocentiſſimum filium ſuum immaniſsimè tractari, clauis crucifigi, diroque lanceæ mucrone confodi, non ira efferuebat, non impatientia nutabat, non verbũ aliquod aduerſus infeſtiſſimos filij ſui hoſtes promebat; licet enim eſſet amarũ mare, ſed mare erat non redundans. In eo tamen mari diſſimilis fuit, quia mare expellit à ſe corpora mortua ad littus, vnde quando Aegyptij ſubmerſi fuerunt in mari rubro, continuò illos à ſe expulit.
Exod. 14. *Viderũt Aegyptios mortuos circa littus maris*. Beata autem Virgo emortuum corpus Chriſti non à ſe abiecit, ſed gremio ſuo, materno affectu ſuſcipiens, ſummo tamen dolore confecta, millies illud amplectebatur, & oſculabatur. Cum igitur tanta ſit huius maris amaritudo, ac tanta Vir-
Thren. 2. ginei pectoris contritio, *Quis medebitur tui?* (inquit Hieremias) vel vt vertit Chaldæus interpres: *& quis eſt Medicus, qui ſanet te?* Ille ſolus poteſt, teſte
Iſai. c. 61. Iſaia, qui venit, *vt mederetur contritis corde*. At cum ille, qui mederi, & conſolari te poterat, ipſe te premat, & conterat, reliquum eſt, vt doloris tui vulnera, omni medela deſtituta maneant, ſed Deo propitiante non manebunt, quia licet ille mortuus te affligat, viuus poſt triduum te conſolabitur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia V.

De acerbitate eiuſdem Mariani doloris in illa verba: Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. *Threnorum primo*. Thren. 1.

PRæſentem diem, in quo & Ieſus, à cuius regimine, & prouidentia vniuerſa pendet machina Mundi, à ligno Crucis pendet; & in quo Maria eius mater horrendi huius ſpectaculi dolore transfigitur, potius effundendis lachrymis, quàm verbis deſtinandam cenſeo: oculi enim paucas effundendo lachrymas, eloquentius multò fantur, quàm lingua verba multa proferendo. Vnde per Hieremiam dicitur: *Neque taceat pupilla oculi tui*. Cùm autem nemo propriè taceat, niſi qui alloqui valet, reliquum eſt, oculos loqui, qui à tacendo abſtineri ſuadentur. Ceterum quia linguæ verba non ſemel lachrymarum loquelam ab oculis extorquent, verbis etiam Marianum mœrorem proſequi nobis licet. Ingentem illum adeò fuiſſe opinor, vt non iam dolorem, ſed dolorum inundans diluuium appellandum meritò iudicauerim. Certè diluuium, quod tempore Noë vniuerſam terram occupauit, copioſiſſimum fuit, grauiſſimaque intulit orbi nocumenta; ſed in comparatione huius diluuij, perexiguum iudicandum eſt. Etenim in illo diluuio cœlitus decidentes aquę, ſolam terram, homines, & animantia inundauerunt; in hoc tamen à terra ipſa, exortæ sũt tribulationum aquę, ipſum Solem Iuſtitię, Ieſum, & Lunam, Mariam inundantes; nec ſolum homines, & animantia, vt in illo, ſed Deum ipſum fluctibus ſuis cooperierunt. Peccatores in illo ſubmerſi; Iuſti ſeruati; in hoc è contra peccatores ſeruantur, & Iuſti ſubmerguntur. In illo aſcen-

aſcenderunt aquæ ſuper montes, arcam tamen non ſuffocauerunt, nec ipſum Noë cum filijs ſuis, ſed omnes illi ſalui facti ſunt; at in hoc paſſionis diluuio amariſſimo, myſticam arcam Mariam, & diuinum Noë (Ieſum intelligo,) tribulationum fluctus adeò vndique circundederunt, vt ipſe diceret: *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam; demerſus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.* (*Pſal.* 41.) Meritòque Beata Virgo vſurpare potuiſſet illud Dauidis: *Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* (*Pſal.* 41.) Ac tandem, ſi Noë conſolatus eſt filios, & filias in arca illos protegens ab aquis diluuij) Maria quidem diluuio ſanguinis Chriſti valdè cruciatur. Fuit tamen hæc Virginis tribulatio ex eo capite acerbior, quia nullius ſolamine mitigari, aut leniri noluimus; amici enim, qui eam conſolari debuiſſent: proprio dolore, Marianum dolorem augebant. Etenim in primis quatuor iuxta Crucem intueor, Maria, mare rubrum ſanguinis Chriſti peccata noſtra ſubmergentis, necnon & tres Marias, velut tria maria doloris amaritudine plena: quæ ibi aderant, vt teſtatur D. Ioannes dicens: *Stabant iuxta Crucem Ieſu, mater eius, & Maria Cleophæ, & Maria Magdalena.* (*Ioan.* 19.) Hæc autē omnia maria in Marianū mare ingrediebantur. Vnde ſi flumina, dum intrāt in mare aquarū eius copia valdè augēt, certè tria maria in Mariæ mare ſimul confluentia, non potuerūt doloris eius amaritudinē, non multū augere. Deinde illud ipſum, quod permultis videtur, Chriſtum præſtitiſſe matri ſuæ ad ſolamen, cùm Ioannem ei dedit in filium: *Mulier ecce filius tuus*, (*Ibidem.*) mihi ſanè videtur factum ad incrementum doloris eius, vt Mariæ meritum iuxta Crucem magis, ac magis exuberaret. Inter alia, quæ viduam feminam valdè torquere ſolent, illud præcipuè eſt, ſi filius mortuo patre ſuperſtes, relinquatur orphanus, & omni auxilio deſtitutus; quoties enim illa ad ipſum conuertitur, toties ingenti doloris gladio transfigitur. Certè Beata Virgo doluerat vehementer, pendentem ex ligno filium aſpiciens: doluerat vt mater, quæ filium: doluerat vt filia, quæ patrem: doluerat vt ſponſa, quæ ſponſum ſuum amittebat. At huic multiplici dolori ille alius acceſſit, vt videret Ioannem filium ſui ſponſi orphanum relinqui abſque patre, cuius etiam præſentia, non poterat non acerbam ſponſi necem frequenter in memoriam reuocare. Atque ad id ſignificandum, conſultò arbitror Chriſtum Dominum vocaſſe tunc matrem ſuam, mulierem: *Mulier ecce filius tuus*, (*Ibidem.*) quia, vt adnotant periti linguæ Hebraicæ cum Pagnino, (*Pagninus.*) in ſuo theſauro linguæ ſanctæ dictio Hebræa *Iſcah*, quæ ſignificat, mulierem, etiam interpretatur, *vxor*. Vnde & apud Hiſpanos, communi idiomate nomine, mulieris, nominât viri vxores ſuas, *mi muger.* Vt ergò hunc nouum dolorem experiretur Virgo, filius ſibi relinquitur orphanus abſque patre, cùm Dominus tamquam ſponſus ei alloquens, dixit: *Mulier ecce filius tuus.* (*Ioan.* 19.) Vnde etiam Iſaias tāquam viduam abſque ſponſo, & matrem ſine filio futuram Virginem vaticinans in illa verba prorupit: *Venient tibi ſubitò duo hæc in die vna, ſterilitas, & viduitas.* (*Iſai.* 47.) Sterilitas, quia ſine filio naturali; viduitas, quia ſine legitimo ſponſo eris. *Facta eſt quaſi vidua domina gentium*. (*Ibidem.*) idest, Maria, quæ lingua Syriaca, *domina*, interpretatur. Ad hæc opinor Chriſtum Dominum conſultò iuxta Crucem noluiſſe matrem proprio nomine *Mariæ* compellare, quia cùm vellet ad vberius illius meritum omni ſolatio illam deſtitui, *Mariæ* nomen reticuit, cuius eam mirabilem virtutem non ignorabat, vt eius vox audita, animum oppreſſum mirificè recrearet, vt Beatæ Brigitæ reuelatum fuit, & (*Refert D. Char. lib. 3. de laud. vir. cap. vlt.*) tradit his verbis Idiota nomine re doctiſſimus, lib. contempl. de B. Virg. tomo 3. (*Idiot.*) biblioth. *Tantæ virtutis, & excellentiæ eſt nomen tuum, vt ad eius inuocationem Cœlum rideat, terra lætetur, Angelique congaudeant.*

Ceterum cum B. Virgo, nec ab amicis, immò nec à chariſſimo filio ſuo ſolatium aliquod, mœrorem eius leniens accipiat, videamus quæſo, an Pater æternus eam conſoletur, qui *Pater eſt miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* (2. *Cor.* 1.) Arbitror ſanè æternum Patrem, ita matrem, ſicut & filium dereliquiſſe ipſo dicente: *Vt quid dereliquiſti me?* Sed & puto etiam æterni Patris cor tunc dolore confici perſimili illi, cuius meminit Moyſes, qui de Deo loquens ait: *Tactus dolore cordis intrinſecus*, (*Geneſ.* 6.) ſeu vt originale Hebræum habet:

Con-

Contriſtauit ſe Deus, vel anguſtia affectus eſt ad cor ſuum. Delebo (inquit) *hominem, quem feci à facie terræ.* Licet enim in Deo nulla triſtitia cadere poſſit, loquitur tamen Scriptura ſancta, more humano, vt ſignificet adeò enormia fuiſſe tunc, hominum peccata, vt ſi fieri poſſet, diuinum cor contriſtarent, de factoq; ad indignationem, & ſupplicium, adeò illum prouocarint, vt vniuerſum orbem diluuij aquis inundaret.

Ibidem.

Si ergo Deus videns abominanda illius temporis peccata, *tactus eſt dolore cordis intrinſecus.* & vt ſacer Text. dixit Dominus: *penitet me feciſſe eos*; ſanè intuens enormiſſima illa ſcelera, quæ in acerba morte filij ſui fuerunt patrata, multò magis credēdus eſt, dolore tactus intrinſecus pœnituiſſe, quòd immaniter adeò tractari permiſiſſet dilectum filium ſuum, non quidem quòd in Deo pœnitentiã fuiſſe credamus; ſed eò perueniſſe enormitatem peccati Authorem vitæ, ac Deum ipſum interficientium, vt ſi poſſibile fuiſſet, ipſa etiam æterni Patris viſcera ad dolorem, & pœnitudinem commouerentur. Vnde ſicut olim conſueuit Principibus, agnita morte filiorum, propria veſtimenta diſrumpere, & nunc etiam moris eſt, lugubres veſtes induere; & alia interni doloris, externa inditia præbere; ita ſimiliter, cùm alioquin æternus Pater amictus lumine ſit ſicut veſtimento; voluit tamen tempore mortis filij ſui vniuerſam eius domum, hoc eſt, totam Mundi fabricam obſcuris tenebrarum veſtimentis indui:

Matth. 27.

Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram; & ad maiora mœroris argumenta exhibenda, ſcindi iuſſit per medium Templi velum, vt ait Euangeliſta: *Velum templi ſciſſum eſt*; & collidentes inter ſeſe petræ, fragore ſuo triſtes eiulatus emiſerunt.

Ibidem.

Cùm ergo neque Creator ipſe, neque creaturæ vniuerſæ, præ anguſtia doloris oppreſſæ, quidpiam ſolatij Virgini præſtent, meritò id præuidens Hieremias ait: *Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius.*

Thren. 1.

Porrò illa ſola cogitatio Marianum dolorem lenire potuiſſet, vel quòd ſanguis, quem Chriſtus in paſſione effundebat, humani generis redemptionis precium erat, vt Ambroſius, & Auguſtinus cecinerunt: *Tuis ergo famulis ſubueni, quos precioſo tuo ſanguine redemiſti.*

In Cant. Te Deum.

Vel quod ſacro illo cruore, velut lauacro abluendæ erant penè infinitæ peccatorum ſordes; *lauit nos in ſanguine Agni.* Vel quòd per Crucem, & mortem, ſummam gloriam & honorem adepturus erat: *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.*

Ad Hebr. 2.

Vel quòd diem illum mortis in ligno Crucis, prius vocaſſet ſponſa, diem voluptatis, & alacritatis Chriſti: *Egredimini, & videte filiæ Syon Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, in die lætitiæ cordis ſui.*

Cant. 3.

Ac tandem illud Virgini maximum ſolatium afferre potuiſſet, Eccleſiam in penè infinitis membris ſuis mortuam per mortem Chriſti, viuificandam, & ſuſcitandam, vt clarè indicant verba eiuſdem Cantic. 8: *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.*

Cant. 8.

Quæ verba licet quidam Hæretici cùm Mercero, immò, & nonnulli eruditi Catholici, vt Agathias, Nannius, Genebrardus, Luyſius, Oſorius Iunior, & alij putauerint eſſe ſponſæ. Patres tamen partim Græci, vt Theodoretus, & Phylo; Latini verò permulti, Caſſiodorus, Gregorius, Apollonius, Angelonius, Alcuinus, Beda, Anſelmus, Aymon, Honorius, Rupertus, & Diuus Thomas expreſsè docent, verba illa eſſe ſponſi ad ſponſam, qui Crucem, conſultò vocauit, arborem mali, quia ſponſa fructui huius arboris illum antea comparauerat: *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios.*

Agathias. Nannius. Genebra. Luyſius. Oſorius. Theodor. Philo. Caſſiod. Gregor. Rupert. D. Tho. ſuper Cant. 2.

Sub hac ergò Crucis arbore ait ſe ſuſcitaſſe ſponſam peccatis mortuam, & errorum tenebris ſepultam. Quòd autem verba illa geminat, quæ idem prorſus ſignificare videntur: *Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*; illud arcanum continet, quòd ſub arbore non vna, ſed duplex mater corrupta fuerit à mœcho cacodœmone.

Ibidem.

Prior generis humani naturalis mater Eua, & poſterior Synagoga mater Eccleſiæ ſpiritualis, illa corrupta fuit, dum pomo vetito veſcitur.

Quando pomi noxialis
Morſu in mortem corruit.

Hæc verò violata fuit, quando Authorem vitæ in Crucem egit. Sub eadem autem Crucis arbore diuerſam Hebræi ſortem ſubiere; nam maior illa pars, Pon-

tifices

tifices, Sacerdotes, Scribæ, Phariſæi, & Saducæi, qui plebem inſtar matris, doctrinæ lacte nutrire debebant, mortis æternæ damnationi fuit addicta: filia verò illius, ſcilicet, plebecula, mulierculæ, piſcatores, & ignobiles alij, à Chriſto regenerati fuerunt, dum ſicut ex Adami coſta, ſic ex Chriſti latere, Eccleſia prodijt Chriſtiana. Vnde ſicut communis hoſtis in ligno vicit, ita quoque in ligno victus, victus fuit iuxta illud:

Ibidem. *Et medelam ferret inde*
Hoſtis vnde læſerat.

Nec deſunt qui piè interpretantes prædicta verba: *Sub arbore malo ſuſcitaui te*; tunc ad litteram autumēt verificata, cùm Chriſtus Dominus, ſub Crucis arbore extitit. Tunc autem propriè ſub illa extitiſſe perhibetur, quādo poſtquam carnifices eum Cruci affixerant, corpus eius ſic affixum, verſus terram conuerterunt, vt clauorum cuſpides melius intorquere potuiſſent. Tunc ergo (inquiunt) ſic conuerſus Dominus ſub Cruce exiſtens, ſuſcitauit emortuam ſponſam ſuam, iuxta illud:
Pſal. 84. *Deus tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te*, & illud: *Conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me*. Pia ſanè alluſio, nolo inficiari il-
Pſal. 70. lam: ſed nec diffiteri poſſum, quin ſi fructus paſſionis Chriſti, & immortalitatis gloriæ, ac celeris triumphantis eius reſurrectionis cogitationes in mentem Virginis tunc incidiſſent, mirum in modum illam conſolarentur; at dum Hieremias
Thren. 1. vocat illam: *Deſolatam, & tota die mærore confectam*, opinor in corde Mariæ, (Deo ſic diſponente, vt omni ſolatio, etiā interno deſtitueretur,) vel huiuſcemodi cogitationum genus aditum non inueniſſe; vel certè ſi occurrerunt, præ magnitudine acerbi doloris, omnes penitus ſuppreſſas fuiſſe, ac ſolam cogitationem acerbi doloris, quem Chriſtus ſuſtinebat, & iacturæ tanti boni, quam ipſa patiebatur; virgineum eius cor occupaſſe, & viſcera illius acriter tranſuerberaſſe, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

*

Homilia VI.

Beatiſsimam Virginem adeò doluiſſe de morte dilectiſsimi filij ſui, vt verè martyr, & pluſquam martyr fuerit, tam Sanctorum Patrum teſtimonijs, quàm varijs animi conceptionibus palam facimus.

Conſueuere ſacra eloquia, ac Sancti Patres ea, quæ propter nimiā illorum magnitudinē, quandam immenſitatem, & quaſi infinitatem redolent, varijs titulis, ac nominibus exornare, vt ſi vnum non poſſit, ſaltem omnia ſimul illam aliqua ex parte exprimerent. Hinc ad declarandam peccati grauitatem, nunc tenebras, nunc mentis caliginem, nunc cæcitatem, nunc ruinam, & naufragium, nunc mortem, nunc inimicitiam cum Deo illud vocitant. Ad oſtendendam ſimiliter eximiam ſollicitudinem, & curam, quam Chriſtus Dominus exhibuit in reparatione generis humani, nunc illum paſtorem, nunc ducem, nunc patremfamilias, nunc paſtorem animarum, nunc Pontificem, nunc Regem, nunc Solem iuſtitiæ, nunc fideiuſſorem, nunc amicum, & fratrem, nunc agricolam, nunc mercatorem appellant, & alia ſimilia nomina, quæ ſedulam eius diligentiam in reparando genere humano luculenter demonſtrant, ei tribuunt. Non diſſimiliter diuini verbi præcones tàm vetuſtos, quàm nouos factitare video, qui acerbitatem doloris, quem Beata Virgo in paſſione, & morte filij ſui pertulit contemplantes, varijs epithetis, & nominibus, lugubre hoc myſterium, marianæ triſtitiæ, & deſolationis cohoneſtant, vt illam, quoad fieri poſſit explicare valeant.

Quidam illud vocant ſolitudinem Beatæ Virginis alij anguſtias dominæ noſtræ, alij planctum Mariæ, alij lamentationem Vir-

Virginis, alij compaſſionem Deiparæ, alij transfixionem; ego autem Sanctorum Patrum veſtigijs inſiſtens, audeo illud appellare Martyrium Genitricis Dei. Maria enim in paſſione Christi, ſimul Virgo, & mater extitit, non quia ferro gladij interiit, ſed quia acerbiſſimis doloribus ob interitum filij ſui oppreſſa fuerit. Teſtantur Mariam veram Martyrem fuiſſe grauiſſimi Eccleſiæ Patres, quibus refragari ſumma temeritas eſſet. In primis D. Bernardus ſermone, qui incipit: ſignum magnum, in hunc modum loquitur: *Verè tuam ò Beata mater, animam gladius pertranſiuit, quando crudelis lancea, filio iã mortuo latus aperuit: Ipſius nimirũ anima iã ibi non erat, ſed tua planè auelli nequibat, vt pluſquam martyrem te nõ immeritò prædicemus, in qua ſenſum corporeæ paſſionis exceſſit affectus compaſſionis*. & Diuus Hieronymus, vel Sophronius, vt alij dicunt ſermone de Aſſumptione, inquit: *Quia ſpiritualiter, & tam eius paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti; pluſquam Martyr fuit*. Diuus Hildelphonſus ſimilia profert ſermone ſecundo de Aſſumptione. *Ait enim Simeon, vel Dominus ad eam: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quòd ſi gladius vſque ad animam peruenit, quando ad Crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis cùm videret Dominum pendentem, etiam pluſquam martyr fuit; quia in animo non minus amoris, quàm mœroris eſt intus gladio vulnerata. Parata enim ſtetit ſi non deeſſet manus percuſſoris*. Accedit inſigne teſtimonium Gulielmi ſuper caput tertium Canticorum; vbi explicans verba illa: *Aſcenſus purpureus*; ad martyrium Beatæ Virginis illa refert dicens: *Cùm pia mater, ſe martyrem profitetur, & ſibi mori lucrum, aſcenſum ſuum eſſe purpureum. Illuſtre eius Martyrium à prophetante Simeone euidenter inſinuatum fuit, cùm loquens de filio diceret: tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit. Planè gladius acutiſſimus dolor Dominicæ paſſionis animam piæ matris penetrans, atque tranſuerberans eam ſpiritualiter commori filio fecit. Martyres alij fuere moriendo pro Chriſto, hæc commoriendo Chriſto martyr fuit, & commartyr Chriſti: illorum corporale, matris ſpirituale, & proinde præſtantius martyrium fuit. Plus eſt eſſe commartyrem Chriſti, quam martyrem Chriſti: martyres ſuo hoc eſt hominum ſanguine, ſed Maria filij hoc eſt Dei ſanguine intus rubebat*. Sancta etiam Brigita libro primo reuel. cap. 57. teſtatur Chriſtum ad matrem ſuam loquentem dixiſſe: *Teſtimonium perhibeo tibi, quia in paſſione mea fuiſti pluſquam martyr*. Eidẽ tandem ſententiæ conſentiunt Diuus Anſelmus, de excellentia Virginis, & multi Theologi cum Ricchardo de Mediauilla, in tertio ſententiarum, diſtinct. 33. articulo quarto. Caniſius libro quarto de Deipara, cap. vigeſimo octauo. Buſtenſis in Mariali, parte 10. ſermone primo de compaſſione. Auctor Pomerij, libro 3. artic. 3. D. Thomas in 4. ſententiarum, quæſtione quinta, articulo quinto, & alij, quos longum eſſet percenſere. Ratio etiam eidem ſententiæ non parum opitulatur. Prima, nam ad martyrium non requiritur actualis mors, ſed vel vulnera lethalia, vel quod quis ſuſtineat ſufficientem mortis cauſam ſibi applicari in defenſionem fidei Catholicæ, vel alicuius virtutis, vt manifeſtè conſtat in Diuo Ioanne Euangeliſta, qui tamquam verum Chriſti martyrem Sancta veneratur Eccleſia; & tamen in olei feruentis dolio, in quod miſſus fuit, non ſolum mortem non ſuſtinuit, ſed vt refert ex Tertulliano Diuus Hieronymus libro de præſcript. Hæretic. aduerſus Iouinianum, purior, & vegetior ex eo exiuit, quam intrauit. At Beata Virgo iuxta Crucem confitendo ſe eſſe matrem Ieſu crucifixi, expoſuit ſe ad hoc, vt qui filium tanto odio proſequebantur, in illam irruerent; Deinde in cõſpectu ſuo eius filium crucifixerũt, irriſerunt, & blaſphemauerunt; ex quo non ſolum in anima, ſed & in corpore lethales dolores ſuſtinuit, vt tradit Diuus Auguſtinus de lamentatione Virginis, & ratio ipſa conuincit, quia ex triſtitia animi redundat dolor in corpus, Ariſtoteles dicente: *Operationes animi corpori communicantur*. Secunda ratio ſit, quia vt docet Diuus Thomas in quarto ſententiarum, Chriſtus Dominus verè, & propriè fuit martyr, immo, & Martyrum Princeps: nam propter Catholicam veritatem, dum docebat ſe filium Dei eſſe occiſus eſt; Beata autem Virgo, tum propter ſummam cum Chriſto con-

D. Bernar. *D. Hieron. vel Sophron.* *D. Ildelphon.* *Guilelm.* *S. Brigitta.* *D. Anſel.* *Richard.* *Caniſius.* *Buſtenſ.* *Auctor Pomerij.* *D. Thom.* *D. Hieron.* *D. Auguſt.* *Ariſtotel.* *D. Thom.*

functionem; tum quia ſimul cum illo conſtanter perſeuerabat in ſuæ fidei, & amoris reddendo teſtimonio ſimul cum ipſo patiebatur, & conſequenter ſimul cum Chriſto martyr effecta eſt. Licet enim filij interfectores directè non intenderent matrem propter Chriſtum affligere; tamen re ipſa perſequendo Chriſtum ipſam perſequebantur, & occidendo Chriſtum, quantum in ipſis erat eam interficiebant. Qui modus paſſionis, & perſecutionis ſufficiens eſt ad martyrium, vt in Innocentibus conſtat, qui verè fuerunt martyres, quamuis perſecutores non intenderent occidere eos propter Chriſtum, ſed ſolum interficere Chriſtum. Ergo ex hac parte ſufficienter Beata Virgo paſſa eſt propter fidem, & propter Chriſtum. Aliunde verò ſuſtinuit dolorem ſufficientem ad inferendam mortem corporis, niſi peculiari Dei auxilio fuiſſet ſuffulta, vt his verbis expreſsè tradit Diuus Anſelmus, libro de excellent. Beatæ Virginis, cap. quinto.

D. Anſel.

Non crediderim te potuiſſe vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ſpiritus dulciſſimi filij tui te intus doceret, non eſſe mortem eum abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubijcientem. Fuit igitur Beata Virgo verè, & propriè martyr, immò, & pluſquam martyr, quia vt ibidem ait Diuus Anſelmus: *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil comparatione ſuæ paſſionis.*

Ibidem.

Nec mirandum quòd Beata Virgo hoc nouum martyrij genus ſola ſubierit, quia ſicut Virgo Virginum permanſit, nouo, & inaudito modo concipiens iuxta illud Hieremiæ cap. 31. *Nouum fecit Dominus ſuper terram: mulier circumdabit virum*; ita facta eſt Martyr Martyrum, nouo, inaudito, & eminentiori genere martyrij omnes illos ſuperans: Hunc autem exceſſum ex multiplici capite deprehendo: primo quia tanto grauius paſſa eſt præ alijs Martyribus, quanto martyrium eius fuit præcipuè in anima, & ſpiritu; illorum verò principalius fuit in corpore, gladius enim materialis transfixit eorum corpora; ſpiritualis verò gladius doloris pertranſiuit Virginis animam, vt prædixerat Simeon: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; vnde Diuus Bernardus ſerm. quarto, in Cœna Domini, loquens de dolore, quem pertulit Beata Virgo audiens verba illa: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* dixit: *In iſto modico Domina mea, mater tua, Virgo incorrupta, Virgo intemerata, Virgo ante partum, Virgo poſt partum, mater tua, immò Martyr tua, Martyr non ferro carnificis, ſed acerbo dolore cordis, quam amarè flebat, quàm amarè dolebat?*

Hierem. 31.

Luc. 2.

D. Bernar.

Pſal. 21.

Acerbius deinde fuiſſe Virginis martyrium, ratio illa Philoſophica perſpicuè probat, quòd dolor paſſionis oritur à læſione carnis, cum perceptione ſenſus, & redundat in animam; dolor verò compaſſionis oritur, & incipit in anima, & redundat in ſenſum, & carnem. Quantò igitur anima eſt potentior, & magis dominans ſuper carnem, & caro delicatior, & magis ſubiecta animæ, tanto fit maior redundantia; & maior dolor eſt, qui incipit ab anima, quàm ille, qui incipit à carne. Quia igitur ita cōtigit in glorioſa Virgine, maior dolor fuit compaſsionis in ipſa, quàm dolor paſsionis, qui eſt ex parte naturæ corruptibilis. Vnde Alexander de Ales ſuper Pſalmum octuageſimum octauum, eandem veritatem cōfirmat, verba Diui Hieronymi, vel Sophronij, ſermone de Aſſumptione, referens: *Alij Sancti paſſi ſunt pro Chriſto in carne, ſed Beata Virgo in ea parte ſui paſſa eſt, quæ immortalis habetur; & ideò vt verum fatear, quia ſpiritualiter, & atrocius paſſa eſt gladio paſſionis pluſquam Martyr fuit.*

Hieron. vel Sophron.

Secundò quia Martyres cum cruciabantur dolorem ſuſtinebant in carne, quam odio habebant, eo quod peccatorum ſcaturigo ſibi erat; at B. Virgo patiebatur in carne Virginea Chriſti, nulli vnquam peccato obnoxia, & quam ardentiſſimo diligebat amore. Tertiò exceſsit eius martyrium ratione continuationis: aliorum enim Martyrum dolores breui temporis ſpatio abſoluebantur, Deiparæ autem Mariæ martyriū non ſolum durauit toto tempore paſsionis Chriſti, ſed poſt aſcenſum illius ad dexterā Patris. Nam vt tradit noſter S. Bernardinus per omnes dies lugubri recordatione myſteria paſsionis Chriſti Domini mœſtiſsima lamentatione, memoria refricabat dicens illud Cantic. 1. *Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Faſciculum myr-

Bern. Buſt. ſerm. 1. de compaſſ.

Cant. 1.

Digitized by Google

myrrhæ, quæ amariſſima eſt, vocat collectionem amaritudinum, & dolorum Chriſti, quos ipſa inter vbera animæ, hoc eſt, intellectum, & voluntatem diuturna meditatione, & aſſidua compaſſione deferebat. Vt autem ſponſa redderet rationem, quare cum Chriſtus Dominus alioquin dulciſſimus, & omni ſuauitate plenus: *Mel, & lac ſub lingua tua*, affirmet nihilominus ſibi inſtar myrrhæ amariſſimum eſſe, ideò continuò ſubiunxit: *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Engaddi enim ſignificat fontem tentationis: vnde quia Beata Virgo Chriſtum Dominum præcognoſcebat multis tentationibus, ærumnis, ac perſecutionibus opprimendum fore; ideò inſtar myrrhæ amariſſimum illum vocat. Quarto exceſſit acerbitas martyrij illius, quia quanto inſtrumentum mortis horribilius eſt, tanto mors terribilior redditur; vnde qui in igne cremantur magis patiuntur quàm qui aqua ſuffocantur; & qui varijs ſagittis confoditur acerbiorem ſuſtinet mortem, quàm qui ſolo laqueo ſuſpenditur; accedant ergo omnia inſtrumenta, quibus Martyres interierunt: reuocate in memoriam lapides Stephani enſem iugulantem Paulum, gladium excoriantem Bartholomæum, ardentem craticulam aſſantem, & torrentem Laurentium, Leones trucidantes Ignatium, pectines dilaniantes Virgines, & alia his ſimilia; facilè erit deprehendere ſi hæc omnia mortis inſtrumenta comparentur cum eo, quod Beatam Virginem cruciauit, longè ipſo inferiora eſſe. Nam inſtrumentum martyrij eius fuit paſſio ipſa Chriſti Domini, vel vt melius dicam fuit ipſemet Chriſtus ſummis doloribus in Cruce affectus, qui ſibi fuit velut gladius intima cordis, ac viſcerum eius penetrans. Atque hinc eſt, quod ſicut ad imagines aliorum Martyrum ſolent à Pictoribus apponi inſtrumenta paſſionis, Paulo enſis, craticula Laurentio, Stephano lapides, Sebaſtiano ſagittæ; ita Beatæ Virgini nihil aliud inſigne apponitur, quàm filius in manibus eius, quia hoc fuit præcipuus ſui acerbi martyrij gladius. Vltimo tandem quia alij ſæpè Martyres quandoque ex miraculoſa Dei diſpenſatione, vel illata ſibi tormenta non ſentiebant, vt expertus fuit Sanctus Theodoretus, vt alios omittam, de quo refert Diuus Auguſtinus, libro decimooctauo, de Ciuitate Dei, capit. quinquageſimo ſecundo, quòd cùm ſuſpenſus torqueretur, Euſebius petijt ab eo, an equulei cruciatio grauis illi videretur? reſpondit Martyr, tanta ſe perfuſum alacritate dum torqueretur ſuſpenſus, vt ægrè tulerit ab illo extrahi cruciatu, eò quod pulcherrimus iuuenis aqua puriſſima lauaret ei loca plagarum, & linteo tergeret mundiſſimò. Vel certè quando Martyres in corpore dolorem perferebant, in anima diuinitus recreabantur, & cœleſti ſolatio reficiebantur, quo illorum cruciatus leuior multo reddebatur; at Beata Virgo tota erat mari dolorum immerſa, ita vt cum filio ſuo dicere potuiſſet: *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, & non eſt ſubſtantia*, & illa alia: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Sicut enim Chriſtus Dominus derelictus à patre, quatenus nullum ſolatium eius dolorem minuẽs ei impertiuit; ſic & Beata Virgo, tunc à Deo derelicta fuit, quatenus omni conſolatione, mœrorem eius alleuiante, penitus fuit deſtituta. Cum enim Chriſtus, & Maria vnum eſſent per dilectionem, quia anima plus eſt vbi amat, quàm vbi animat, omnes anguſtiæ, & dolores chariſſimam prolem afficientes, matris etiam viſcera exulcerabant. Quare piè, & ingenioſè Beatus Laurentius Iuſtinianus, libro de Triumphali Chriſti agone dixit: *Cor Mariæ clariſſimum paſſionis ſpeculum, & perfecta mortis imago effecta eſt*. Vnde ſicut vulneratus intuens ſe ad ſpeculum, neceſſe eſt, vt vulnera in ſpeculo adamuſſim repræſententur; hinc eſt, quòd cùm Beata Virgo eſſet terſiſſimum, & clariſſimum Chriſti vulnerati ſpeculum, non mortuum, ſed viuum, omnia Chriſti vulnera, & eorum inſtrumenta ad viuum in ea exprimebantur. Spinæ cor eius transfigebant, claui terebrabant, fel, & acetum amaricabant, dira lancea acutiſsimo cuſpide confodiebat; vnde D. Bernardus ſerm. de paſsione ad hoc reſpiciens ait: *Quod in carne Chriſti agebant claui, & lancea, hoc in Virginis mente, naturales affectus, & materna anguſtia*.

Cant. 4. Cant. 1. D. Auguſt. Pſal. 68. Pſal. 21. Laur. Iuſtin. S. Bernar.

Atque hinc eſt, quod ſicut Chriſti dolores in Cruce fuerunt ſimiles doloribus parturientis, vt ait Dauid: *dolores vt parturientis*; ita etiam Virginis dolores fuerunt iuxta Crucem inſtar parturientis. Vt enim de Virginis doloribus loquens Diuus Damaſcenus de fide Ortodoxa, capite 15. adnotauit: *Ipſa ſuper naturam donorum dignè effecta, doloris partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione viſcerum lacerum reparturiens; & quem Deum per natiuitatem agnouit, illum, vt maleficum interfectum videns tanquam gladio, cogitationibus diſcerpitur; & hoc eſt: tuam ipſius animam pertranſibit gladius, quemadmodum illi prædixerat Dei expectator Simeō Dominū geſtans in vlnis*. Itaque omnia, & ſingula tormenta, quæ filium lacerabant, matrem etiam vulnerabant. Erat enim Chriſtus Dominus Cruci affixus, velut originale ipſum dolorum, & afflictionum; Beata autem Virgo velut copia, in qua Spiritus ſanctus omnes illas tranſtulit. Erat Chriſtus in cruce exaltatus, velut ſigillum inciſa habens clauorum, & lanceæ inſtrumento, quinque vulnerum lilia, tanquam regia ſtemata; Beata autem Virgo erat velut cera ad compatiendum admodum mollis; & ideò cùm ſacro illi ſigillo non ſolùm corpore, ſed ſtrictiſſimo amore eſſet coniunctiſſima, non poterat, non vulnerum figura, & imago in ea exprimi: atque tunc arbitror præcipuè impletum fuiſſe quod ſponſus dixerat Virgini: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuū*. Chriſto enim crucifixo velut ſignaculo ſigillari, dolores eius exprimente ſignatum, & ſigillatum fuit chariſſimæ eius ſponſæ, & matris cor. Ac tandem omnis angor, & mœror Chriſti, mirabile quodam Echo, in Deipara Virgine cauſabat, omnes Chriſti pœnas referens, vnde cum Chriſtus protulit: *Triſtis eſt anima mea*, mea reſpondet echo Mariæ; & cum clamat, *ſitio*, ſitio reſonat in Maria; & cum loquitur, *ecce mater tua*, tua inſonat in corde Virginis; ac demum cum morti proximus ad patrem conuerſus ait: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, meum reddit, Marianum echo, quia, *qui adhæret Deo vnus ſpiritus eſt*. Ac tandem filius, & mater mutuo ſibi dolentes, & compatientes fuiſſe, mihi videntur, velut myſticę duæ cytharæ equalitate temperatæ, quia ſicut in his, vt teſtatur Diuus Gregorius in ſuis Moralibus, ſonante vna, continuò abſque alio pulſante reſonat alia; ita Ieſu dolente, continuò dolet Maria: Chriſto triſtante, triſtatur Maria: filio cruciato, cruciatur & mater, vt his verbis obſeruauit Diuus Bernardus homil. ſuper Euangel. *Stabat iuxta Crucem*, dicens: *O dolores inexplicabiles, ò ineffabilis reciprocatio ſancti amoris! Filius patitur, & intus valdè compatitur matri; mater verò compaſſa eſt patienti filio; tantus nempè impetus paſſionis Domini Ieſu fuit, vt quaſi torrens ipſum impleret patientem, quia teſte Pſalmiſta: de torrente paſſionis in via bibit, vt ſic Chriſto impleto, in matrem flueret compatientem; qua ſimiliter impleta ad filium redundaret inundatio amaritudinis, & mœroris*.

Pſal. 47.

Damaſcen.

Cant. 8.

Matt. 14.

1. Cor. 6.

D. Bernar.

Atque hinc non erit difficile rationem reddere, quid ſit, quòd cùm alioquin ſacri Scriptores diligentes valdè ſe exhibuerint, in enarrandis aliorum parentum lachrymis, & gemitibus ob aduerſos filiorum ſuorum euentus: Moyſes enim dolorem enarrat, quem Agar ſuſcepit, cū ſitibundo filio aqua deficeret, & præ nimia ſiti quaſi moreretur; & lib. Thobiæ mœrorem matris viſcera conficientem propter abſentiam filij ſui diffuſo ſermone commemorat; & lib. Regum gemitus, & ſuſpiria Dauidis refert, audita violenta filij ſui Abſalonis nece. Similiter etiam ſtylo proſequitur acerbitatem doloris Iacobi animum tranſuerberantis, quando oſtenſa veſte filij ſui ſanguine intincta, audiuit verba illa: *Fera peſſima deuorauit eum*. Ac tandem nemo ignorat longè, latèque deſcriptas Iobi anguſtias, quando immiſit Dominus ei filiorum, & bonorum ſuorum iacturam; nihilominus tamen acerbiſſimum Beatiſſimæ Virginis dolorem, quem in paſſione, & morte filij ſui pertulit, ſacri Euangeliſtæ ſilentio prętereunt. In monte Caluariæ vidit illum ſicut Agar ſitibundum: vidit non veſtem ſanguine alieno rubefactam, vt Iacob; ſed proprio ſanguine intinctam. Ibi non per auditum, vt Dauid mortem filij percepit; ſed proprijs oculis morientem conſpexit: ibi lamentabatur, amariſſimèque

Geneſ. 16.

Thobiæ.

2. Reg. 18.

Geneſ. 37.

flebat

flebat non abſentiam filij ſui, vt Anna, ſed obitum, & tranſitum ex hoc Mundo, Ibi tandem non minus, quàm Iob omnium bonorum ſuorum iacturā paſſa eſt: quia ſicut omnia bona venerūt ei pariter cum Chriſto naſcente; ita omnia bona tēporalia pariter ab ea diſceſſerunt illo moriente. Quid igitur cauſæ eſt, quòd ſacri Euangeliſtæ in enarrandis tot Virginis doloribus obmutuerint, & maximè dilectus Ioannes, ad quem tanquam ad oculatum teſtem compatientis matris, ingentem eius triſtitiam, latius deſcribere pertinere videbatur? Scio poſſe dici ſolitum eſſe Diuum Ioannem, quanto profundiora ſunt myſteria, tanto ſimpliciori, & breuiori ſermone illa pertranſire; vnde incarnationis arcanum deſcribens ſolum
Ioan. cap. 1. dixit: *Et verbum caro factum eſt*; & volens oſtendere laſſitudinem, & fatigationem Chriſti ſolum dixit: *Ieſus fatigatus*
Ioan. 4. *Luc. 2.* *ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*. Similiter alij Euangeliſtæ natiuitatem Chriſti commemorantes, reſurrectionem, & aſcenſionem, pauciſſimis verbis ſublimia adeò ſacramenta percurrunt dicentes: *Pe*
Marc. 16. *Act. 1.* *perit filium ſuum.* &, *ſurrexit non eſt hic.* &, *videntibus illis eleuatus eſt*. Hoc Laconico ſtylo vſi ſunt, ingenuè fatentes impares ſe eſſe ad tàm excelſa myſteria dignè promenda, verba, & ſibi deficere ad ea pro dignitate tractanda. Non diſſimiliter in propoſito noſtro, ijdem ſacri Euangeliſtæ, probè agnoſcentes, nulla verba ſibi ſuppetere, quæ Mariani doloris acerbitatem pro dignitate exprimere poſſent, ſilentio ea conſultò præterierunt; & ſolus Ioannes, qui illius meminit, tan-
Ioan. 19. tum narrat, quòd ſtabat iuxta Crucem filij ſui. In quo ſanè videntur Euangelici Scriptores imitatos fuiſſe celebrem illum pictorem Timantem, de quo refert Diuus
D. August. Auguſtinus de Ciuitate Dei, lib. 18. cap. 18. quòd quādo depinxit ſacrificium Hifigeniæ Regis Agamennonis natæ, ad viuū referens lugubre illud ſpectaculum; accedens poſtea ad depingendum Agamennonem eius patrem ſummo dolore confectum, qui immolationi aderat, videns ſibi facultatem non ſubeſſe, ad exprimendam ſuo pennicillo ingentem Agamennonis triſtitiam, velamine vultum eius cooperuit. Ad eundem certè modum non ignorantes ſacri Euangeliſtæ omnem ſermonem inſufficientem eſſe ad exprimendos Virginis dolores in morte dilectiſſimi filij ſui, ſilentij velamine illos cooperuerunt. Benè quidem: ſed ego ſanè arbitror minimè, illos ſilentio præteriſſe: nā dum opprobria Chriſti Domini, flagella, vulnera, & reliquos paſſionis eius dolores, & afflictiones diffuſè enarrant, copioſè etiam Virginis dolores, & afflictiones commemorant. Nam vulnera Chriſti patientis, vulnera erant matris ei condolentis; omneſque ictus corpus Chriſti cruciantes, animam Virginis acriter feriebant, quia erat ſpeculum, in quo dolores eius referebantur: cera ſigillata, in qua ad viuum exprimebantur: echo, per quem gemitus reſonabant; & velut copia, in quam ex originali Chriſto omnes illi nullo dempto transferebantur; immò illatum vulnus lanceæ, quod Chriſtus non ſenſit, nec dolorem ei intulit, quia iam obierat, matris animam transfixit, quæ in corpore emortuo per amorem aderat. Vnde rectè Beata Virgo, licet in alium ſenſum, vſurpare ſibi potuiſſet verba Diui *Ad Coloſſ. 1.* Pauli: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne mea*. Quid quæſo doloris defuit paſſioni Chriſti? illud certè ſolum quòd vulnus diræ lanceæ, non ſenſit; hunc tamen dolorem, quem ipſe non pertulit, Beata Virgo ſuſtinuit; de eoque multi volunt intelligi cum Diuo Bernardo verba Simeonis: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; gladius, inquam, diræ lanceæ, quem ſola mater, non filius ſenſit, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

†

Homilia VII.

Doloris acerbitatem, quem Beata Virgo ſuſtinuit in paſſione Chriſti dilecti filij ſui nullum in ea peperiſſe ſpaſmũ ex profeſſo comprobamus, refutatis aliorum ſententijs, qui illum admittunt, & explicatis Sanctorum Patrum teſtimonijs, qui eis fauere videbantur.

TRIPLICEM apud priſcos Doctores, & recentiores Auctores inuenio in hac re ſententiam. Prima eſt eorum, qui conſtanter affirmant, pia quadam, vt opinor, credulitate moti, Beatam Virginem, præ doloris acerbitate ſpaſmum ſuſtinuiſſe, & in terram collapſam fuiſſe in paſſione filij ſui. Huic ſententiæ adhærent expreſſis verbis, Sanctus Bernardus opuſculo de lamentatione Beatæ Virginis, Sanctus Bonauentura libro Meditationum vitæ Chriſti, cap. 77. & 79. Anſelmus Dialogo de Paſſione Domini, Beatus Laurentius Iuſtinianus, libro de triumphali agone cap. 21. Dionyſius Chartuſianus in cap. 19. Ioan. Ioannes Laſpergius libro Elucidationum in paſſionem Chriſti, Lodulphus de vita Chriſti, parte 2. cap. 64. & 70. Chriſtophorus Veruchinus lib. Meditat. & paſſim qui ſermones de paſſione Domini conſcripſerunt; breuitatis tamen gratia præcipua ſolnm Patrum teſtimonia apponã. Diuus Bernardus opuſculo de lamentatione Virginis hæc ait: *Iuxta Crucem Chriſti ſtabat emortua Mater, quæ ipſum ex Spiritu ſancto concepit: vox illi non erat, quia dolore attrita iacens pallebat, quaſi mortua viuens, viuebat moriens, moriebatur viuens, nec mori poterat, quæ viuens mortua erat.* Diuus Anſelmus Dialogo de paſſione Domini in perſona Virginis ſic loquitur: *Cum veniſſent ad locũ Caluariæ, ignominioſiſſimè nudauerunt filium meum totaliter veſtibus ſuis, & ego exanimis facta fui.* D. Bonauentura lib. Meditationum, c. 79. & c. 80. his ſimilia profert: *Credo quod per anguſtiarum multitudinem abſorta erat, & quaſi inſenſibilis, vel ſemimortua facta eſt, nunc quidem multo magis, quam cum obuiam iuit ei Crucem portanti.* Idem affirmat Beatus Angelus de Pas in expoſitione Symboli, lib. ſexto, capit. 36. recitatis verſibus Eudoxiæ in Homeri centonibus, qui ſic ſe habent.

Circa autem filium charum iecit cubitos lachrymans,
Oſculata autem eſt ipſum, caputque & oculos pulchros,
Manuſque ambas: calida autem ipſi decidit lachryma.

Poſtea ſubdit: *In his præ dolore transfixam, atque gladijs, vt ſolet depingi, ſemimortuam, ſui quaſi in ecſtaſim, non nihil temporis remanſiſſe Mariam plerique exiſtimant, iuxta Simeonis oraculum: & tuam ipſius animã pertranſibit gladius; vbi Thimoteus Presbiter Hieroſolymitanus oratione de Propheta Simeone non dixit: tenebit gladius, aut dominabitur gladius, ſed pertranſibit gladius; hoc eſt paruo tempore dolore afficieris, & affligeris, & ſtatim à dolore liberaberis, & afflictione; quod quando vidit filium ſuum lancea vulnerari ſemimortua cecidit inter brachia Magdalenæ.* Accedunt reuelationes S. Brigitæ, lib. 6. c. 57. vbi aurea hæc verba Virginis habet: *Quoties audiui opprobria filij mei, & mendacia, & inſidias ei poſitas, toties animus meus motus eſt dolore, ita quod vix tenere ſe poterat; ſed virtute Dei dolor meus modum, & honeſtatem habuit, ne impatientia, & leuitas in me notaretur; & quando vidi filium meum ligari, & flagellari, & in ligno ſuſpendi, corrui quaſi exanimis, ſed reaſſumpto ſpiritu ſteti dolens, & ſic patienter ſuſferens, vt nec inimici, nec alij in me aliud reperirent, niſi grauitatem.* Triplex tandem ratio eidem ſententiæ opitulatur. Prima quia cum Chriſtus Dominus baiulans Crucem, præ nimia eius debilitate ob acerba flagella ſuſcepta, in terram cecidit, corruiſſe etiam Virginem illi obuiã

D. Bernar. D. Bonauen. D. Anſel. Laur. Iuſt. Dion. Chart. Ioan. Laſp. Ludolph. Chriſtophorus Veruchin. D. Bernar. D. Anſel. D. Bonauen. B. Angel. de Pas. S. Brigit.

factam, communis eſt fidelium traditio aſſerentium ſpaſmum illum ſuſtinuiſſe, in cuius perpetuam memoriam, Eccleſiam conſtruxerunt, ſub nomine ſanctæ Mariæ de ſpaſmo, vt terræ ſanctæ Scriptores omnes, & peregrini inde venientes conteſtan tur; immò vt refert Caietan. in Eccleſia a multis celebrabatur feſtum ſpaſmi B. Mariæ cum ſua octaua, à Dominica in paſſione, vſque ad Dominicam palmarũ. Secunda ratio, quia excellens dolor ſecũdum Auicen. in tractatu de ſpaſmo, nõ ſemel accidit videri ſpaſmum, cũ reuera nõ ſit. Cùm ergo dolor Virginis fuerit vehementiſſimus, facilè potuit ſpaſmum in ea cauſare. Tertia ratio quia communis modus, quo Eccleſia conſueuit imagines depingere, hanc eamdem ſententiam apertè probat, dum Beatam Virginem iuxta Crucem depingit exanimem, & ſemimortuam, vel inter brachia Magdalenæ collapſam. Quòd autem Euangeliſta ſtantem tradit illam iuxta Crucem, nihil huic ſententiæ præiudicat, quia forſan ſpaſmus fuit ſolum quando vidit Chriſtum Dominum Crucem baiulantem, & in terram collabentem; vel certè ſi ille accidit iuxta Crucem potuit poſtea reaſſumpto ſpiritu, & vigore fortiter Cruci proxima aſtare; nec enim iacere, & ſtare pro diuerſis temporibus quoquomodo pugnant.

Caiet. tract. 13 de ſpaſ. Virg. — *Auicen.*

Secundam iam ſententiam profero, quam nouiſſime explicat, & amplectitur eruditus Author Malonius de Chriſti Domini ſtigmatibus cap. 17. quem ſecutus eſt Scholiaſtes ſuper reuelationes Sanctæ Brigitæ, vbi triplex genus ſpaſmi perdoctè diſtinguit. Primus eſt ſpaſmus propriè dictus, cùm ex vehementia, & acerbitate doloris nerui contrahuntur, & conuelluntur, & rigeſcunt; vt non ſolum cruciatum acerbiſſimum inferant, qui etiam hominem à rationis, & ſenſuum vſu abducant, ipſumque exanimem reddant; poſt longam verò moram, & ſi rationis, ſenſuumque vſum homo recuperet, longo tamen poſtea morbo detineatur. Secundus ſpaſmus dicitur, cùm etiam abſque neruorum contractione, vel cõuulſione, dolor tamen ita augetur, vt cruciatus acerbitas, deliquium rationis vel ſyncopẽ inducat, adeò vt homo concepto mortis pallore ſenſibus ita abdicatur, vt frigido ſudore madefiat, & non ſolum ſenſibus, ſed ne ratione quidem vti poſſit. Tale deliquium animi ſæpè cruciatus, quibus Iudices ad veritatem eruendam ſontes vexant, inferre ſolent. Tertius ſpaſmus vulgari omniũ locutione valde acutus, & intenſus, eſt qui, & ſi neruos non contorqueat, neque conuellat, neque etiam ſenſuum, & multo minus rationis vſum intercipiat; ita tamẽ dirè ac crudeliter vexat, vt vires corporis quodammodo marceſcãt, & virium debilitas ſubſequatur, & ſuſtentare ſe vis homo poſſit, in terramque interdum labatur. ſic dicit Ezechiel: *Emarcui, nec habui quidquam virium*. In hoc ſenſu inquit hìc Author rectè admitti poteſt ſpaſmus in B. Virgine, & quòd ex vi illius in terrã ceciderit; & in hoc etiam ſenſu, illam credibilem iudicat, licet eam non ſequatur Caietanus opuſculo de ſpaſmo Virginis, nam poſtquàm dixerat: *Dicitur igitur vulgo ſpaſmatus aliquis cecidiſſe, cùm præ doloris magnitudine ſyncopem, ſeu ecſtaſim patiens cadit; occurritur enim tunc ad ſuſtinendum, & aqua in vultum aſpergitur;* continuò ſubiungit hæc verba: *Et iuxta hunc ſenſum crediderim ego dici Beata Maria ſpaſmum. Huiuſmodi autem doloris modum in Beata Virgine fuiſſe ex magnitudine ſuæ triſtitiæ credi poteſt*. Poteſtque eius ſententia, in hunc modum perſuaderi. Primo quia Diuus Bernardus, Anſelmus, Bonauentura, Brigita, & alij ſupracitati Patres expreſſis verbis dicunt B. Virginem cecidiſſe exanimem, & ſemimortuam; quibus accedunt verba D. Aguſt. relata à Ludulpho vbi ſupra dicentis: *Illa pia mater immani dolore eiulans, ita viſcera fatigauerat, & membra, vt iam ſenſu deficiens, vix potuiſſet ad funus Chriſti peruenire*. Secundo quia huiuſmodi genus ſpaſmi, Mariani doloris acerbitatem exprimit, & B. Virginis excellentiæ, iniuriã nullam infert, cùm nec admittat alienationem mentis, nec ſenſuum, nec neruorum contractionem, aut diſtenſionem, ſed ſolum dolorẽ acerbè adeò vexantem vt corporis vires debilitet, & in terram collabi faciat; ſicut & Chriſtus Dominus collapſus dicitur baiulans Crucem, tum ex nimio põdere illius, tum ex nimia debilitate, quam copioſa ſanguinis effuſio tam in horto, quàm ad columnam flagellatus cauſauerat. Tertio quia hoc genus ſpaſmi Beata Virgo reuelauit ſe ſuſtinuiſſe, S. Brigitæ lib. 1. reuel.

Malon. — *Dan. 10.* — *Caietanus.*

Digitized by Google

cap. 10. in hæc verba: *Ad primum igitur ictum ego, quæ aſtabam propinquius, cecidi quaſi mortua, & reſumpto ſpiritu vidi corpus eius verberatum.* Et infra de Crucifixione Chriſti verba faciens dixit: *Cum primus clauus infigeretur ei, ego ad primũ ictum conturbata cecidi quaſi mortua, oculis obſcuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus, & non reſpexi præ amaritudine antequam ex toto affixus erat. Surgens verò vidi filium meum miſerabiliter pendentem.* Ecce quia eiuſmodi debilitas à ſenſuum officio, neque rationis imperio illam deiciebat; talem doloris acerbitatem deſcribit, quæ corporis quidem vires imminueret, & idcirco dixit: *Aſpicere nolui dum figeretur, poſtea verò ſurgens vidi filium miſerabiliter pendentem.*

S. Brigitta.

Tertia tandem ſententia affirmat, tametſi in B. Virgine acerbiſſimus fuerit dolor ob paſſionem, & mortem filij ſui, nullum tamen ſpaſmum ſuſtinuiſſe; non ſolũ illum, qui alienationem mentis, & ſenſuum affert; ſed neque eum, qui illam debilitatem in corpore cauſat, vt collabi illam compelleret, ſaluo ſemper vſu rationis, & ſenſuum. Ita docent grauiſſimi Theologi, Clitouens hom. de ſtatione Virginis iuxta Crucem, Cardinalis Caietanus tomo 2. opuſculorum quæſt. vltima. Ianſenius in concordia Euangelica, Barthol. Medina 3. p. q. 27. ar. 4. Suarez 3. par. tomo 2. diſputatione 41. ſect. 2. nec non Card. Toletus, qui in cap. 19. Ioan. improbabile putat oppoſitum. Hæc ſententia quo ad primam partem probatur. Primo quia ſpaſmus, ſiue ſpaſma dicit contractionem, & conuulſionem neruorum, quæ à voluntario motu retorquet. Ita Auicenna tractatu de ſpaſmo, D. Thom. lectione 2. in lib. 2. Meteorolog. Sed in B. Virgine non fuit hæc neruorum, vel membrorum contractio, cùm apertè Ioannes dicat: *Stabat autem iuxta Crucem Ieſu Maria:* Ne autem fiat recurſus ad diuerſa tempora, ſecundo id probo quia charius erat Deo quòd Beata Virgo Chriſto compateretur, ſecundùm partem rationalem, quàm quòd à rationis ſede abducta ſenſibus quoque priuata in terram collaberetur. Tertio quia qui ad exaggerandum Virginis dolorem ſpaſmum illum fingit in illa, dum eam commendare ſtudet, plurimum eius dignitati detrahit: nam tollit ab ipſa heroicum illum conſtantiæ gradum, quem maximè in ea Patres commẽdant, & præcipuè S. Antoninus 4. par. ſummæ, tit. 5. cap. 41. §. 1. qui dicit quòd *B. Virgo ſtabat ante Crucem verecunda, modeſta, lachrymis plena, doloribus immerſa; ita tamen diuinæ voluntati conformis, quòd ſi oportuiſſet, ad implendam voluntatem Dei, ipſa filium in Cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet; nec enim minoris fuit obedientiæ quã Abraham.* Collapſa autem in terram, manifeſtum eſt quòd id non potuiſſet præſtare. Tertio quia B. Virgo commendatur non ſemel ab egregia adeò complexione, & corporis temperie, vt nunquam in morbum inciderit vt teſtantur Caietanus, & Suarez præcitatis locis, nec non Galatinus lib. 7. cap 10. Et quidem cum beata Virgo ſimilis credi debeat filio per omnia, quantum fas eſt; de filio autem omnes vnanimiter fateantur, nullo morbo vnquam laboraſſe; quæ prærogatiua data fuit Ioanni Euangeliſtæ, vt immunis eſſet ab omni morbo, vt tradit Diuus Hieronymus in prologo ſuper Euangelium Ioãnis, non eſt cur Virgini id denegetur, Diuo Bernardo dicente: *Quod paucis fuit conceſſum, non creditur Mariæ fuiſſe denegatum.* Igitur nulla ratione admittendus eſt, in Virgine ſpaſmus contractionis membrorum morbum inducens. Atque hinc eſt, quod Medina loco ſupracitato, temerariam iudicat, ac ſcandaloſam oppoſitã ſententiã dicens: *Sunt qui dicant quòd tempore paſſionis Domini Chriſtus ipſe ſub Crucis pondere laſſatus ceciderit, & quòd B. Virgo mater eius compatiens etiam ceciderit ſpaſmata, & paſſa fuerit animæ deliquium: hæc omnia dicũtur temerariè, & ſcãdaloſè.*

Clitouens. Caietanus. Ianſenius. Medina. Suarez. Card. Tolet. Auicen. D. Thomas. Ioann. c. 19. S. Antoninus. Caietanus. Suarez. Galatinus. D. Hieron. D. Bern. epiſt. ad Canonicos Lugdunenſ. Medinã.

Sed iam quoad ſecundam partem, nimirum quòd in B. Virgine non fuerit ſpaſmus, prout importat vehemẽtem adeò dolorem, vt corporis vires debilitet, & in terram collabi compellat, ſaluo etiam, & incolumi vſu rationis, & ſenſuum, in hunc modum oſtendo. Primò quia cùm B. Virgo, vt Lucæ primo dicit Angelus, plena eſſet gratia, longè ab ea relegandi ſunt omnes illi corporales defectus, qui plenitudini illius gratiæ obſtant: quia excellentior modus compatiendi, iuxta plenitudinem illius gratiæ, erat compati Chriſto ſecundùm rationem, quàm ſecundùm partem ſenſitiuam, cum illa ſit nobilior iſta, & pro-

D. Lucæ 1.

& propriè meritoria, & per ſe grata. Secundo quia ad eandem plenitudinem gratiæ pertinebat, vt tota pars ſenſitiua ſubdedetur rationi eius vigilanti; ſtante autẽ dominio,& rationis vſu actuali ſuper partem inferiorem, ad illum ſpectabat corpus compeſcere, ne dolori cedens collaberetur; ſed fortiter perſiſteret, vt fortiſſimam feminarum decebat. Tertiò, quia B. Virgo propter diuina chariſmata, & ſpecialiſſima auxilia Dei, quæ eius actiones præueniebant, non habuit motus primò primos, ſed omnes eius potentiæ, & actiones imperio, & dominio rationis erant ſubditiſſimæ. Quis autem non videat credibile non eſſe B. Virginem liberè elegiſſe, quaſi exanimem iuxta Crucem prolabi, cùm perfectius multo eſſet, & argumentum excellentioris fortitudinis, animo infracto, & corpore cõſtanti cũ ſummo dolore coniuncto, Cruci aſtare quàm corpore in terrã deiecto, & ab acerbitate doloris victo, & ſuperato? vt rectè adnotarunt Diuus Bernardus in concione ſuper illud *Stabat autem iuxta Crucem*, & Diuus Ambroſ. epiſt. 82. nec non lib. de Inſtitutione Virginis cap. 7. vbi ait: *ſtantem lego, flentem non lego*, cui addo, & multo minus cadentem. Et quidem mirabile eſſet quòd in matre Machabæorum, & in ſancta Felicitate tanta fuerit fortitudo, vt filijs multis ad mortem adiudicatis, ipſæ illos exhortarentur, & ad mortem ducerent, & inuincibili animo in caminum mitterent; & tamen fortiſſima omnium mulierum Maria adeò imbecillis eſſet, vt à dolore victa in terram corrueret? Abſit à catholicis animis cogitatio hæc, ſanctæ matri non parum iniurioſa. Quarto quia ſi quo tempore beata Virgo præ magnitudine doloris in terram corruiſſet, maximè id eſſet Chriſto in Cruce viuo pendente, quia tunc ille acerbioribus doloribus angebatur; at tunc Ioannes teſtatur, quòd *ſtabat iuxta Crucem Ieſu Maria mater eius*. Stare autem ibi non denotat permanẽtiam ſolum, ſed ſpecialem poſitionem corporis, & modum ſitus, hoc eſt, quòd non ſedebat, aut iacebat, ſed pedibus ſuis innitens conſiſtebat. Conſueuit enim apud Euangeliſtas, cùm rem geſtam narrant, proprietatem ſitus deſcribere, vt Ioann. 1. de Ioanne Baptiſta: *ſtabat Ioannes*, & Ioan. 4. *Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*

D. Bernard. D. Ambr. Ioann. 19. Ioan. 1. Ioann. 4.

& Lucæ 18. *Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter Publicanus, Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat*; & niſi nomina propriè interpretemur, omnia confuſa erunt, vt docet Ariſtot. 4. Metaph. Quòd ſi dum Chriſtus in Cruce maiores cruciatus patiebatur, Virgo non corruit in terrã, nec aliquod genus ſpaſmi paſſa eſt, apertè efficitur multo minus id ſibi contigiſſe, quando vidit Chriſtum flagellatum, vel ſpinis coronatum, vel Crucis pondere oneratum; & multo etiam minus quando poſt mortem vidit pectus eius vulnerari, aut depoſitum de Cruce in gremio eius conſtituit nam tunc certò iam ſciebat Chriſtum Dominũ nullis doloribus vexari, ſed potius à multis honorificè tractari, & propinquiorem iam eſſe triũpho, & gloriæ reſurrectionis; quod non parum poterat Virginis mœrorem mitigare. Nulla ergo ratione abſque temeritate admitti poteſt illam iuxta Crucem, vel alibi ex magnitudine doloris in terrã corruiſſe. Vnde vt teſtatur Medina in parte 3. præcitato loco, iuſſu ſanctæ Inquiſitionis concionatores oppoſitum prædicantes palinodiam recantare coguntur. Patres autem, qui in contrariam ſententiam abijſſe videntur, longè ab ea ſunt: etenim illi cum miſteria paſſionis Chriſti ediſſerunt, multa tradunt non tanquam hiſtoricam veritatem, ſed tanquam deuotas contemplationes, quibus ad maiorem compaſſionis affectum, ſe, & alios excitarent. Non deſunt etiam graues Theologi arbitrantes, falsò libellos illos Bernardo, & Anſelmo adſcribi: alij etiam dicunt loquutos fuiſſe per quãdam exaggerationẽ, & hiperbolem, vt in alijs ſimilibus non ſemel factitant: quo etiam modo explicari poſſunt verba reuelationum B. Brigitæ. Rationes deinde, quæ in contrarium adducuntur, nihil huic veritati officiunt: nam in primis ad id, quod dicitur de Tẽplo ſpaſmo Virginis conſecrator, reſpondeo nomine ſpaſmi intelligi ibi ſtuporem quemdam, & admirationem cum ſummo dolore coniunctam, quam B. Virgo ſuſtinuit ex viſione illius horrendi ſpectaculi, cùm vidit Regem gloriæ acerbiſſimo dolore confectum, Crucis patibulum geſtare. Vulgus autem ingentem illum ſtuporem, & admirationem vocauit ſpaſmum, & ad eius memoriam inſtructum fuit illud templum.

Luc. c. 18. Ariſt. 4. Met. Medina.

Digitized by Google

plum. Non etiam obſtat quod ingens dolor ſemel ſpaſmum cauſauerit, vt medici teſtantur, quia vt rectè reſpondet Cardinalis Caietanus, præcitato loco, quamuis dolor ingens ſpaſmum cauſare poſſit, non tamen il um ſemper neceſſario cauſat, vt conſtat in Chriſto Domino cuius dolor abſque ſpaſmo fuit acetbiſſimus. Tandem nihil obſtat quorundam pictorum imperitia, qui non aliter nouerunt Virginis mœrorem exprimere, quàm iacentem, & exanimem in terram depingentes: huiuſmodi enim picturæ me præſente, Romæ mandato Magiſtri ſacri Palatij Apoſt. iuſſæ fuerũt expungi, vtpotè derogantes magnanimitati, & fortitudini B. Virginis, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia VIII.

Varia ſánctorum Patrum eruditione, multiſque animi conceptionibus verba illa Ioannis Ioan. 19. *elucidantur:* Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius, *cuius Fidem, Spem, Charitatem, ac inſignem conſtantiam iuxta Crucem præcipue emicuiſſe oſtendimus.*

Lib. Iudic. LIbro Iudicum referũt ſacra eloquia, ducem Barach tametſi à Deo iuſſus fuerit Siſaram oppugnare, noluiſſe arma ſumere, donec famoſiſſima Delbota illum vellet comitari; quãuis alioquin illam euaginato enſe in fauorem eius minimè degladiaturam fore, nec ſe eius auxilio quoquomodo indigere minimè ignoraret. Non diſſimiliter fortiſſimus dux Baracb, filius æterni patris, quamuis ex eius præcepto Siſarã hoc eſt Dæmonẽ infeſtiſſimum humani generis hoſtem debellaturus in mundum veniſſet, noluit tamen illũ expugnare, niſi fortiſſima Delbora Maria
Ioan. 19. matre ſua ſibi aſtante, vt teſtatur Ioãnes: *Stabat iuxta Crucem Ieſu Maria mater eius.* Et licet Chriſtus adiutorio eius non indigeret, vt ipſe prædixerat per Iſaiam: *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum;* vnde Chryſoſtomus in cap. Eſai. 63.
19. Ioann. dixit: *Hoc ſolius ſummi ſacerdotis priuilegium erat, vt cùm ſanguine intraret ſancta Sanctorum, ideo nec Virgini, nec Angelo, nec vlli homini potuit in reparatione hominis communis eſſe authoritas.* D. Chryſoſt.
Voluit tamen illam ſibi aſtare, vt ſicut in iactura humani generis tria concurrerunt, vnumquodque in ſuo genere, Vir, Femina, & Arbor: Adam, Eua, & Lignum prohibitum; ita ſimiliter totidem alia in reparatione eiuſdem conuenirent: *Stabat iuxta Crucem,* ecce lignum: *Ieſus,* ecce virum: *Mater,* ecce Feminam. Ioan. 19. Ibi Eua inuirauit Adam ad malum noſtræ perditionis, hic Maria congratularur Chriſto de bono noſtræ redemptionis. Ibi prohibebãtut primi parentes edere de fructu ligni, hic præcipimur illo veſci, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.* 1. Cor. 11. Ibi de fructu ligni veſcentes moriuntur, *in quacumque die comederis morte morieris:* hic manducãtes viuificãtur: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternã.* Ioann. 19. Ioan. 4. Itaq; quemadmodũ, cùm genus humanum corruit in ligno per inobedientiã primi hominis, mulier ſocia fuit peccati, quod ipſe vir comiſit, & in quo vir, & mulier malè ſibi conſenſerunt, quãuis ſolius viri peccatũ tranſiuit ad poſteros; ita etiam voluir Dominus, & ordinauir quòd in ligno ſanctæ Crucis vir, & mulier licet diuerſimode offerrent ſacrificium pro illius peccati expiatione; ita vt ille ſecundum carnem moreretur, iſta verò ſecũdum ſpiritum; Chriſtus carnem, & Maria ſpiritum immolaret, quamuis ſolius Chriſti paſſione, & morte redempti ſumus, & iuſtificari, nõ Mariæ compaſſione, quæ alioquin ſuſpirijs, & precibus ſuis, Chriſto in Cruce iacente, iuxta Crucem ſtans noſtram ſalutẽ ſollicitè curauit. Vnde egregiè, ac piè, vt aſſolet D. Bernardus D. Bernar. ſerm. de Aſſumptione dixit: *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus, ſicut omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. Sed bonum non erat nobis hominẽ eſſe ſolum; congruum magis erat vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Adfuit certè Virgo iuxta Crucem filium ſuum imitans, quia ſicur ille in Cruce ſanguinis profluuium, ita illa lachrymarum imbrem, tan-

quam

tanquam gratiſſimã Deo hoſtiam ad placandum diuinum furorem offerebat, totaque lachrymis intenta, licet alioquin non taceret pupilla oculi ſui, nullum verbum, cuius Euangeliſtæ memorentur, cum ſtabat iuxta Crucẽ, protulit. Ita ingens enim doloris compaſſio verba promere non ſinebat illam: Vnde ſacram hanc Crucis aram, cui Virgo aſtabat, velut aram illam cõtemplor Athenienſ. vbi vt refert D. Paulus, quod *Ignoto Deo* cultus reddebatur, de qua Statius lib. 12. ſuæ Thebaidos, duo valde memoranda, & noſtro argumento apta valde commemorat. Primum, quòd ara, illa nullam figuram, aut imaginem continebat: ſecundum, quòd erat Ara clementiæ, cui Athenienſes non vitulorum mugitus, nec agnorum belatus, ſed lachrymarum fluenta offerebant.

Act. 17.

Statius.

Paret ſuperſtitio non aurea flamma, nec altus

Accipit ſanguis, lachrymis altaria ſudãt.

Certè ſi Crucem, in qua Chriſtus Dominus pluſquam in reliquis ſuis operibus miſericordiam ſuam oſtentauit, contemplemur, aptè ſatis aram clementiæ, illam eſſe dicemus; necnon etiam imagine, & figura carẽrem veraciter affirmabimus. Nã tametſi ex ea penderet figura ſubſtantiæ patris, vt Paulinis verbis loquar, illa tamẽ erat inuiſibilis: quæ viſibilis verò, & humana erat, adeo ſputis, & ſanguine fœdata aderat, vt Iſaias propheticis oculis illam præuidens diceret: *Non erat ei ſpecies, neque decor.* Huic igitur ſacræ Aræ aſtans beatiſſima Virgo lachrymarũ fluenta inſtar pacificæ cuiuſdam hoſtiæ profundens Deo patri Chriſto compatiens offerebat. *Lachrymis altaria ſudant.*

Iſai. 53.

Inter varias, ac heroicas virtutes, quæ in B. Virgine Cruci aſtante contemplari licet, quatuor præcipuè, quæ valde emicuerunt, ſancti Patres, Anſel. de compaſſ. Virginis, & D. Bernar. obſeruarunt Fidem, ſcilicet Spem, & Charitatẽ cum magna fortitudine coniũnctas. Fide quidẽ conſtãti, & ſpe firmiſſima munita: ſtabat Maria iuxta Crucem. Si enim hæc ita commendat Apoſtolus in Abraham, vt de illo diceret, quòd vnigetum offerebat, *arbitrans quòd à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus;* (ſicut exponit D. Auguſt. lib. 17. de Ciuit. cap. 32.) quanto magis Fides, & Spes, B. Virginis commendatione dignæ erũt, quæ multo perfectius quam omnes credidit, & ſperauit filium iam mortuum ad vitã propria virtute ſe reuocaturum? Vnde Ambr. dixit lib. de Inſtitut. Virgin. c. 7. *Non ignara fuit myſterij quòd genuiſſet reſurrecturũ.* Quare rectè Cyrillus contra Neſtorium, Virginem vocauit lampadem inẽxtinguibilem, alludens ad verba illa Salomonis de magnanimi femina dicente. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Quæ verba licet D. Hieron. in Prouerb. 31. ſenſu literali interpretetur de anima iuſti, quæ nullis tribulationum tenebris, nec ipſa morte põt lucerna deuotionis eius extingui; in ſenſu verò myſtico aptè illa intelligo de beata Virgine, quę in nocte paſſionis, *quãdo tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*, multis in fide deficientibus, lucerna fidei, & ſpei ſuæ ſemper ardebat, nunquã fuit extincta. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Vnde D. Anſelm. de compaſſ. Virg. præclarè dixit: *Stabat Maria in fide Ieſu conſtantiſſima, & patientiſſima; nam diſcipulis fugientibus, cunctiſque viris recedentibus, in gloriam totius feminei ſexus: inter tot preſſuras filij ſui conſtanter ipſa ſola ſtabat in fide Ieſu: firmè, & pulchrè ſtabat, vt decet pudicitiam virginalem: non ſe laniabat in tãta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hoſtium à Deo petebat; ſed ſtabat diſciplinata, verecunda, virgo patientiſſima, lachrymis plena, doloribus immerſa.*

D. Anſelm.

D. Bernar.

Hebr. 11.

D. Aug.

D. Ambr.

Cyril. hom. 7. contra Neſt.

D. Hieron. in Prouer. 31.

Matth. 27.

Prouer. 31.

D. Anſelm.

Per hoc tamen minimè probandam arbitramur ſententiam, quam miror docuiſſe graues Authores, Alexãdrum Alenſem, Cardinalem Turrecrem. Bernardinum Buſtenſem, & alios nõ paucos aſſerentes omnibus Apoſtolicis, & diſcipulis tempore mortis Chriſti in fide deficientibus, in ſola B. Virgine veram illius fidem remanſiſſe: id enim mihi apertè aduerſari videtur Euangelico eloquio, & rationi: nam Chriſtus Dominus expreſsè reuelauit D. Petro non defecturum in fide: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Licet enim defecerit in confeſſione fidei Chriſtum abnegans, interna tamen eius fides firma permanſit. Ratio idipſum confirmat: nam certum eſt apud omnes Thelogos, quòd poſtquam cœpit Eccleſia militans, nunquam defecit, & perijt, ſed ſemper perſtitit. Si autem fides in ſola perſona B. Virginis permanſiſſet, certè Eccleſia pro tunc defe-

Alexan. Alenſis 3 p. q. vlt. art. 2.

Card. Turrecr. lib. 1 de Eccl. cap. 30 & l. 3. cap. 61.

Luca 22.

Digitized by Google

ciſſet; & petijſſet, cùm ſola vna fidelis perſona non faciat Eccleſiam; hæc enim ex omnium Theologorum ſententia, eſt congregatio fideliũ ſub vno capite; quarè cũ Chriſtus dixit: (*Matth.26.*) *Omnes vos ſcandalũ patiemini in me in nocte iſta*, ſolũ ſignificauit peccatũ, quod poſtea cõmiſerunt Apoſtoli fugiendo, timendo, immò & vacillando indeliberata vacillatione, (*Marci vlt.*) quæ non ſufficit ad hæreſim; & cùm etiam exprobrauit incredulitatem eorum, non ſignificat, vt adnotauit Cardin Bellarminus (*Card. Bellar.*) de Eccleſia militante c.17. eos amiſiſſe fidem, quam habuerant; ſed tardos fuiſſe ad credendum. Quòd ſi quiſpiam obijciat, quòd ſi in alijs multis lucerna fidei tunc non fuit extincta, nihil ſingulare prædicari de Virgine in præadductis verbis; *Lucerna eius non extinguetur in nocte*; reſpondeo cum Epiſcopo Abulenſi (*Abulenſis*) in prologo ſuper Matthæum, id valde ſingulare fuiſſe, quòd in illo triduo permanſit in ea fides explicita reſurrectionis Chriſti Domini, qua tamen abſque infidelitate tempore paſſionis carebant Apoſtoli, quia vt ait D. Ioannes, (*Ioann.20.*) *nondũ ſciebant ſcripturas, quia oporteret Chriſtũ à mortuis reſurgere*; quibus conſonant verba D. Lucæ. (*Lucæ 18.*) Nam poſtquam dixiſſet Dominus: *Occident eum, & tertia die reſurget*, ſubdit: *Ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Argumentum autem, quod prædicti Doctores mutuant ex cæremonia, quà vtitur Eccleſia in officio hebdomadæ ſanctæ, dũ ex duodecim lucernis vna manet accenſa, reliquis extinctis, ad ſignificandum in omnibus defeciſſe lucem fidei, ſola Virgine excepta, leuiſſimum certè eſt. Nam prætérquam Rupertus (*Rupertus.*) lib. 5. de diuinis officijs, affirmat vltimam lucernam tempore ſuo conſueuiſſe etiam extingui, & addit cap. 28. illis tribus noctibus poſt omnia lumina extincta, iterum poſtea ex lapide nouum ignem accendi ſolitum; & per omnia lumina, quæ paulatim extinguebantur, ſignificari Prophetas, quos diuerſis ſeculis Iudæi occiderunt, & illos occidentes ſibi ipſis tenebras mentis faciebant. Per vltimam verò ſignificari Chriſtum, quem cùm occiderunt, ſibi ipſis tenebras denſiſſimas pepererunt. Per nouum autem lumen, quod ſingulis illis tribus noctibus ex lapide excutiebatur, ſignificari nouum lumen Chriſtianorum, quod ex lapide Chriſto à Iudæis percuſſo in mentibus noſtris ortum eſt. Præter hoc inquam, quòd ſola vna lucerna ardens permaneat, duo aptè ſignificat, vel ſolum in Virgine fuiſſe tunc fidem, vt nuper dicebam, explicitam futuri triumphi reſurrectionis Chriſti Domini; vel in ea ſola permanſiſſe lucernam fidei charitatis flammis ardentem; in reliquis verò mortuam extitiſſe vita charitatis priuatam, quia Apoſtoli cum pariter fugerunt, vt ait Euangeliſta, mortaliter peccarunt; vel ſi charitas in aliquo illorum non perijt, ſaltem elanguit, & emarcuit; in Virgine verò viuaciſſima permanſit.

Huius ardentis, ac viuacis charitatis manifeſtum inditium fuit; vehemens dolor, quo præ amoris magnitudine videns dilectam ſobolem in Cruce pendentem animus eius cruciabatur; hic enim adeò vehemens erat, vt ſi ſibi licuiſſet, potius vellet ipſam quam filiũ Crucifigi. Si enim Penelope, vt narrat Ouidius, clamat dicẽs: (*Ouid. in Epiſt.*)

Dijs precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Deſiderabat enim ipſa potius mori pariter cum viro ſuo, quàm quòd Telemachus filius eius moreretur; dubium non eſt quin ſi diuinitus ei data fuiſſet electio, potiùs elegiſſet propriam, quam filij mortem.

Licet autem varijs doloribus fuerit Marianum cor contriſtatum, dolor tamen, quem ſubſtinuit, cùm ſtabat iuxta Crucẽ reliquis omnibus acerbior fuit; nam præſentia obiecti fortius mouet potentiam, & vt docuit Ariſtoteles (*Ariſt.*) ſecundo de Anima, *Potentia propinqua melius percipit obiectum, quàm remota.* Beata autem Virgo propinquiſſima fuit Chriſto in Cruce pendenti. Euthimio dicente: (*Euth in c.19.*) *Veriſimile eſt tunc Dei matrem propinquius Cruci aſtitiſſe, quàm ceteras mulieres; fortaſſis verò etiã circumijſſe, cùm propter naturæ aculeos in eodem loco conſiſtere non poſſet.* D. Bernar. (*D. Bern. ſuper Euang. ſtabat iuxta Crucem*) ad rem hanc reſpiciens, de Mariæ compaſſione diſſerens ait; *O viſcera beatiſſima quanta fuit intra vos commotio in illo tempore, cùm diſſecaretur oculis videntibus, & laceraretur caro illa ſacroſancta, quæ intra veſtram dulciter à Spiritu ſancto eſt formata. Verè dolor, qui ab alijs matribus exprimitur in præſentialibus natorum tormentis, exterioribus ſignis, & clamoribus, intra*

tra te ò felix mater conuerſus viſcera tua inenarrabiliter cõmouit. Nam noueras integrum corpus filij tui egreſſum de vtero tuo virginali, & ecce videbas dilaceratum, & conſciſſum vulnere ſuper vulnus, manus clauis confixas Cruci, & pedes perforatos, ac latus, & ſanguinem decurrentem in terrã. Ipſe etiam Sanctus Doctor in perſona Chriſti, Beatam Virginem Cruci aſtantem ſic interrogat: *O mi Domina quid hic ſtas? quid hic agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti in montem caluariæ, locum peſſimorum, & horrendorum cadauerum? cur te nõ retinet verecundia virginalis, aut ingentiũ multitudo peccatorum, & furore inſanientium cõtra Deum, ac Chriſti ſanguinem innoxium effundentium vt te exhiberes in publicũ, quæ ſemper ſolitaria in cella vacabas Deo? Quis vnquam, qui te agnouiſſet Reginam mundi, Angelorum, et hominum, præſumere auſus fuiſſet, quòd ſtare deberes iuxta patibulum? quod eſt obſecro, quod ſtas iuxta Crucem Ieſu?* Huic interrogationi in hunc modum reſpondet ipſe Bernard. *Quid mirum, quod aſtabas Cruci Chriſti ò Maria? quis enim ſi non acceſſiſſes indicaſſet tibi, quomodo tuus, & Dei filius in Cruce ſteterit nudo corpore, pallida facie, reſperſus cruore, dilacerata tota carne. Quid inter hæc facere debuerat mater, niſi vt aſtaret iuxta Crucem, & aſpiceret regem gloriæ expectando finem mortis, & diceret in corde: ſtabo, & aſpiciam oculis manus perforatas, & pedes: videbo quomodo tranſeat ex hoc mundo: accedam propius, amplecta brachijs, & depoſitum de Cruce oſculabor filium Deum, & Dominum meum.* Equidem ſacra narrat hiſtoria, quòd amici Iob, oculis ſuis intuentes lepra percuſſum, & in ſterquilinio iacentem, non potuerunt præ magnitudine mæroris verbum aliquod ore promere, & ſummis gemitibus eiulabant iacturam eius. *Cùmq; eleuaſſent procul oculos, non cognouerunt eum, ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Si igitur amor iſtorum erga Iobum, tanquam ſibi amicum, grauiter adeo animos eorum vexauit; quid putandũ de dolore B. Virginis, quem non vt amicũ ſolum, ſed vt filium ex viſcetibus ſuis egreſſum ardentiſſime amabat? Vt tamen grauitas huius Mariani doloris magis innoteſcat, oportet prius mentis aciem conuertere ad grauitatem doloris & opprobrij, reliquorumq; laborũ, quos Chriſtus Dominus dilectiſſimus eius filius patiter & Deus ſuſtinuit. Illos ipſe breui ſermone complectens compẽdiosè indicauit, cùm per Prophetam Dauid dixit: *Vermis ſum, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Varias ſancti Patres huic loco expoſitiones adhibeãt, quas breuiter apponã, vt ad eam, quæ noſtræ inſtituto deſeruit, accedam. Origenes ſuper Lucam, & D. Aug. ſuper Pſal. 21. expoſ. 2. aiũt quòd ſicut vermis intra viſcera ligni conceptus, non habet alium patrem, quàm authorem naturæ, nec aliam matrem, quam materiã ligni ex qua gignitur; propterea Chriſtus aptè vermi cõparatur, qui ex ſola Virgine cooperante cæleſti influxu abſq; humano patre proceſſit. D. Greg. lib. 3 Moral. c. 9. D. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono c. 16. Rupertus in cap. 1. Matthæi. Beda in Homil. de natiuitate, docent Chriſtũ vocari vermem, quia ſicut vermis hamo appoſitus, inſtrumentum eſt ad capiendos piſces; ita hamus diuinitatis ſub carne Chriſti latẽs Dæmonem interemit. Ad quod alludens Iob ait: *An extrahere poteris Leuiatã?* Alij volunt Chriſtum vermem ligni nũcupari, quia ſicut hic vermis intus lignum corrodens, quod alioquin graue erat, leue ad portandum illud reddit; ita Chriſtus Dominus lignum Crucis aſcendens, & totam eius acerbitatẽ ſugẽs, ita illud alleuiauit, vt ipſe onus leue, & ſuaue iugum illud vocaret Matth. 11. Arbitror tamẽ magis litteralem expoſitionẽ eſſe, vocatũ vermem ad ſignificãdum, adeò ab hominibus parvipendendum, vt inſtar viliſſimi vermis foret ab eis conculcandus, & abſque vlla cõpaſſione turpiter interimendus. Additque Nicolaus de Lyra in commentario huius loci, propterea addidiſſe ſequentia verba: *Et nõ homo*, quia à multis magis exiſtimabatur Dæmon, quam homo, vnde ei dixerunt: *dæmonium habes: Samaritanus es.* Fieri ergo non poterat quin materna Mariæ viſcera dum intuebatur proprijs oculis filium ſuum abiectiſsimè tractari, cõculcari conſpui, flagellari clauis confodi, ſpinis pungi, & immaniſsima, & turpiſsima morte inter duos latrones occidi; non poterãt (inquam) acerbiſsime non cruciari, vt ver-

[Margin notes: D. Bern. ibid. — Bernar. — Iob 2. — Pſal. 21. — Origenes. D. Aug. — D. Greg. — D. Iſidorus — Rupertus — Beda — Iob 40. — D. Matth. 11. — Nicol. de Lyra — Ioan. 8.]

ba ipſa Ioannis, *ſtabat iuxta Crucem*, ſatis
indicant Certe vulnus eo acerbius eſt quo
enſis magis carnem penetrat;vnde ad exa
gerandã acerbitatem alicuius vulneris ſo.
let Hiſpano ſermone dici : *Penetrole. In*
la ſpada à ſta la Cruz in reliquos marty-
res, enſis penetrabãt vnus, vel duo palmi,
Mariam autem pertranſiuit gladius vſque
Ioan. 19. ad Crucẽ. Et ideo ad id ſignificandũ Ioan
nes inquit:*Stabat iuxta Crucem*.Acerbita-
tem hanc nobilis Author Lodulphus de
Saxonia , Chartuſianæ familiæ decus , &
ornamentum,piè adeò perpendit vt verba
eius,quamuis non pauca, hic adſcribenda
Lodulphus. putauerim . Sic enim effatur . *Aſpiciebat*
Ancilla Dominum ſuum in Cruce pendentẽ
morientemq; turpiſſimè,tantoque dolore ve-
xabatur in mente quod non poteſt explicari
ſermone.manabat enim ſanguis ex quatuor
partibus rigantibus vndis, ligno, manibus,
pedibuſq; clauis cõfixis.De vultu illius pul-
chritudo effluxerat omnis,& qui erat præ fi
lijs hominum ſpecioſus,videbatur indecorus
omnium. Videbat quod complebatur prophe
ticum illud in eo:Vidimus eum,& non erat
aſpectus,neque decor,quia iniquorũ liuor,et
verbera fœdauerant vultũ eius. Videbã me
deſeri ab ipſo,quẽ genui;nec ſupererat alius,
quia mihi erat vnicus , & ideo non poterat
capi in me dolor meus : Vox mea ferè perie-
rat omnis,ſed dabã gemitus & ſuſpiria: vo-
lebam loqui,ſed dolor verba rumpebat,quia
verbum iam mente conceptum dum ad for-
mationem protenderet oris , ad ſe reuocabat
imperfectum nimius dolor cordis. Vox tri-
ſtis ſonabat foris, vulnus denunciãs mentis:
verba dabat Amor , quæ raucum ſonabant.
Nã lingua vocis magiſtra perdiderat vſũ
loquendi. Videbã mori,quem diligebat ani-
ma mea,& tota liqueſiebã præ doloris angu
ſtia . Aſpiciebat & ipſe benigniſſimo vultu
me matrem plorantem, & me voluit paucis
verbis conſolari;ſed ipſa cõſolari non poterã,
ſed flebam dicens:Fili mi,fili mi, quis dabit
vt ego moriar pro te ? moritur filius,cur ſe-
cum non moritur miſera mater? Amor vni-
ce,fili dulciſſime, noli me derelinquere poſt
te,trahe me ad te ipſum,vt ipſa moriar tecũ:
male ſolus morieris,tecum morte perimatur
iſta tua genitrix . O mors mihi miſeræ noli
parcere:tu mihi ſola præ cunctis places:exer
ce vires tuas,trucida matrem, & cum filio
perime ſimul. Fili dulcor vnice, ſingulare
gaudium,vita animæ meæ,& omne deſide-
rium,fac vt moriar tecũ,quia te ad mortem
genui:ſine matre noli mori.Recognoſce me
miſeram, & exaudi precem meam : exaudi
me obſecro,in tuo me ſuſcipe patibulo,vt qui
vna carne viuimus,vna morte pereamus.O
Iudæi impij nolite mihi parcere : quia natũ
crucifixiſtis,& matrem crucifigite,aut alia
quoque morte ſæua me perimite , dummodo
cum filio meo finiar ſimul. Vita mea mori-
tur, & ſalus perimitur , ac de terra tollitur
omnis ſpes mea.Cur ergo viuit in dolore ma
ter poſt filium? tollite,ſuſpendite matrem cũ
ſuo pignore. Non parcis proli,non parcas &
mihi:tu mihi ſoli mors eſto ſæua ; tunc enim
ſummè gauderem ſi cum Chriſto meo mori
poſſem . Melius eſt mihi mori,quàm vitam
ducere mortis. O fili chare,ò benigniſſime na
te,miſerere matris,ſuſcipe preces,deſine nũc
eſſe durus matri , qui ſemper ei fuiſti beni-
gnus in cunctis.ſuſcipe matrem in morte te-
cum. Nihil verò dulcius mihi quàm tecum
mori; & verè nil amarius eſt quàm viuere
poſt mortem tuam.O Ieſu,tu mihi pater , tu
mihi mater,tu mihi ſponſus , tu mihi filius,
tu mihi omnia eras:nunc orbor patre,viduor
ſponſo, deſolor prole , omnia perdo ; ò fili mi
quid vltra faciam ? hæc ille.

Ingentem hunc Mariæ dolorẽ ob Chri- Regum.4.
ſti Domini necem adumbratũ intueor in
dolore mulieris ſunamitidis,de qua lib.4.
Regum legimus , quòd cùm mortuus eſſet
filius eius,quem quaſi miraculosè conce-
perat , precibus nimirum Heliſæi Prophe-
tæ : mox eucurrit ad ipſum Heliſæum in
montem Carmeli habitantem, quam cùm
vidiſſet vir Dei ad pedes ſuos proſtratum,
& Giezi eam inde amouere volentẽ, dixit
ei:*Dimitte eam,anima enim eius in amari-*
tudine eſt.Mulier hic ſunamitis Deiparam 4.Reg. 4.
Mariã adumbrat, quæ miraculosè conce-
pit, & peperit filiũ ſuum Chriſtum Domi-
num,qui in Cruce ſuſpenſus obijt . Rectè
etiam ſunamitis appellatio,ei congruit:nã
ſunamitis interpretatur,*mortificata*;Maria
autem præterquam mortificationem Ieſu
Chriſti melius quam D.Paulus in corpore
ſuo circumferebat,valde corde,& corpore
mortificata fuit tempore paſſionis, & mor
tis filij ſui:adeò vt non meritò in eam con-
ueniant verba illa: *Anima eius in amari-*
tudine eſt.Cum hoc autem dolore coniun- Ibidem
xit Beata Virgo mirabilem fortitudinem,
vt manifeſtè indicant verba Ioannis : *ſta-* Ioann. 19.
bat iuxta Crucem Ieſu Mater eius. Sa- Prou. 31.
lomon

Digitized by Google

lomon in prouerbijs ſollicitè quærebat mulierem fortem, quia femineus ſexus natura ſua eſt imbecillis, & puſillanimis, vnde dicebat: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius*; vel vt vertunt ſeptuaginta: *pretioſior eſt lapidibus magni pretij*: vel vt transfert Pagninus: *longè diſtat à margaritis*; vel vt exponunt Tigurina, & Bataplus: *feminam virtute præditam quiſquis natus fuerit mercem habet gemmis procul petitis pretioſiorem*; vel ut habet Iſidorus: *longè ſuperabit gemmas pretium eius*; vel tandem vt legit originalem Hebræum: *longinquum ab vnionibus pretium eius*. Certè qui attente perſpexerit Mariam Cruci aſtantem, & inter medios Satellites intrepido animo verſari, facile ſibi perſuadebit iàm inuentam fuiſſe mulierem fortem, quam tam ſollicitè quærebat Salomon. O inſignem Mariæ fortitudinem, non eam detinuit muliebris ſexus, non prohibuit virgineus pudor, non militum cohors, non exhorruit eam ingens peditum, & equitum turba, non exanimauit doloris acerbitas, non ſuperauit illam horrendum illud filij in Cruce pendentis ſpectaculum, non denique tot in Chriſtum opprobria illata in conſpectu eius, à patibulo Crucis eam demouere potuerunt. Vnde aptè in eam conuenire arbitror deſcriptionem eorum, qui conſtantiam exprimere volentes depingebāt duriſſimam rupem, quæ varijs maris fluctibus conquaſſata immobilis ſemper permanens, nunquam eis cedebat; illaque huic picturæ aderat inſcriptio: *Eadem ſum ſemper*. Non ſecus Sanctiſſima Maria inſtar ſolidiſſimæ rupis in medio mari paſſionis filij ſui conſtituta, varijſque dolorum fluctibus vndique concuſſa, adeò magnanimis, & conſtans perſtitit vt meritò dicere poſſit: *Eadem ſemper ſum*. quod perinde eſt ac ſi dixiſſet: cùm filius meus tanquam latro comprehenditur, *eadem ſum*: cùm ad Herodem, Caypham, & Pilatum ignominioſè ducitur, *eadem ſum*: cùm flagellatur ad columnam ligatus, *eadem ſum*: cùm ſpinis caput eius terebratur *eadem ſum*: cùm Barabæ poſtponitur, & morti adiudicatur, *eadem ſum*: cùm clauis in Cruce confoditur, *eadem ſum*: cùm tandem turpiſſima morte necatur, *eadem ſum*: nunquam puſillanimis, ſed ſemper conſtās, & inuincibilis maneo.

Sept. Interpr. Pagninus Tigurina Bataplus

Iſidorus

Originale Hebræum.

Has omnes heroicas virtutes, Fidem, Spem, & Charitatem cum magna fortitune coniūctas, de quibus hucuſque egimus pro modulo noſtro, ſancti Patres ſingulari pietate, & eruditione proſequuntur: nam Diuus Ambroſius Eccleſiæ lumen, & ſpiritualis Auguſtini pater, libro de Inſtitutione Virginis inquit. *Stabat ante Crucem mater, & fugientibus viris ſtabat intrepida. Videte vtrum pudorem mutare potuerit Mater Ieſu, quæ animum non mutauit: ſpectabat pijs oculis vulnera, per quæ ſciebat omnibus futuram redemptionem. Pendebat è Cruce filius, Mater ſe perſecutoribus offerebat*: & Diuus Auguſtinus ſermone octauo de paſſione Domini ait: *Iuxta Crucem ſtabat Maria conſiderans vultu benigno Chriſtum pendentem in Crucis patibulo: pedibus innitens, manus leuabat amplexans Crucem, ruens in oſcula eius, qua parte ſanguinis Chriſti vnda rigabat, vt Chriſtum valeret amplecti: cum non poterat, ſurſum volebat aſcendere. Sperat Amor nonnunquam quæ raro fieri poſſunt: ſibi cedere cuncta amor impatiens credit: volebat amplecti Chriſtum in altum pendentem, ſed manus in ſe redibant: ſe leuans ſurſum e terra erigebat ad Chriſtum, & cùm tangere eum nequibat, manu collidebat ad terrā, & iacebat immenſitate doloris depreſſa; ſed eam erigere magna vis amoris immenſi cōpellebat, impetus amoris vrgebat, intēſaque manibus cupiebat attrectare Chriſtum. Cùm vero vis non eſſet, deuicto dolore terrā iterū petere cogebatur.* Hactenus D. Aug. D. Bonau. lib. cuius titulus: *ſtimulus amoris* c. 4. de Planctu Virginis, hæc tanti patris pietate digna ſcripſit: *Stabat iuxta Crucem Ieſu mater eius. O Domina mea vbi ſtas? nunquid iuxta Crucem? immò in Cruce cum filio cruciaris, ibi enim crucifixa es ſecū: Hoc ſolum reſtat quòd ipſe in corpore, tu verò in corde es paſſa; nec non ſingula vulnera per corpus eius diſperſa, in tuo corde generaliter ſunt vnita, quia nempe tuam ipſius animā gladius pertranſiuit. Tu Domina in tuo corde es lanceata, tu amaris clauis inclauata, tu de ſpinis coronata, tu illuſa, & exprobrata, tu contumelijs, & maledictis affecta, tu etiā felle, & aceto potata. O dulciſſima Dn̄a cur iuſti immolari pro nobis? nunquid non*

D. Ambroſ.

D. Aug.

D. Bonauent.

ſufficiebat nobis Chriſti paſſio, niſi crucifigeretur & mater? ò ſuauiſſimum cor amoris, cur conuerſum es in cor doloris? Aſpicio charisſima Domina cor tuũ, & iam non eſt cor, ſed fel amarũ: myrrhã, & abſinthiũ video. Quæro matrem Dei, & inuenio ſpinas, clauos, lanceam, ſpongiam, atque acetum. In Cruce quoque quæro Mariam, & inuenio ſputa, ludibria, flagella, & vulnera, quia tota conuerſa es in iſta. O verè Maria, quia amaritudine plena, quid feciſti? cur vas ſanctitatis feciſti vas pœnalitatis? vas tripudij, & amoris, feciſti vas contumeliæ, & horroris? O caſtiſſima Domina cur non erras ſolitaria in camera tua? quare ad Caluariæ locum veniſti? non erat tua conſuetudo venerabilis Domina ad talia ſpectacula properare. Cur quæſo non te tenuit verecundia virginalis? cur non te tenuit pauor muliebris? cur non te tenuit horror facinoris? cur non te tenuit turpitudo loci? cur non te tenuit multitudo vulgi? cur non te tenuit deteſtatio mali? cur non te tenuit clamoris vehementia? cur non te tenuit armorum frequentia? cur non te tenuit ſtultorum veſania? cur non tenuit dæmoniacorum caterua? Sed hæc omnia non conſideraſti Domina mea, quia cor tuum alienatum erat à te præ immenſo dolore. Non eras quippe in te, ſed in afflictione filij, & in vulneribus vnigeniti tui, in morte dulciſſimi Ieſu Chriſti. Non enim conſiderabas vulgus, ſed vulnus: non preſſuram, ſed fixuram: non clamorem, ſed liuorem: non horrorem, ſed dolorem. Hactenus Diuus Bonauentura. Accedit mellifluus Diuus Bernardus ſermone de Planctu Virginis, vbi hæc ſcribit: Stabat Maria leuans brachia in altum, & cùm tangere eum valuit, caput, manus, & brachia eius dependentia trahebat ſuper triſte pectus ſuum; atque in oſcula, & amplexus ruens de ſuo dilecto, licet extincto ſatiari non poterat. Sed dum de Cruce in terram corpus depoſitum fuit, ſuper ipſum ruens præ incontinentia doloris, & immenſitate amoris quaſi mortua ſtabat. Stabat ad corpus extincti filij ſui Mater Maria lachrymis faciem rigans, ac per diuerſa torquebatur ſuſpiria; frontemque, & genas oculoſque, & ora frequentius oſculabatur ipſius; lachrymarumque tanta vbertas effluebat, vt carnem cum ſpiritu omnem in lachrymas diſſolui putares hæc ille.

D. Bernar.

Inſignis Doctor Caniſius de beata Virgine valde benemeritus libro quarto de Deipara ait: Stabat fida cuſtos, & mater anxia, ſe tota fide ſuſtentans, dum cogitat nihil illic fortuito geri, ſed volentem illud agnum, vt pro omnibus immoletur, in hanc carnificinam eſſe pertractum, ſicut oraculis propheticis erat pronunciatum. Stabat ineffabilem amoris flammam mente reuoluens, qua filius eius arderet; tot hoſtium probris, atque iniurijs adeo non exaſperatus, vt quidquid perditis homines molirentur, id vltrò illis omnibus condonaret. Vtque ſummam illorum crudelitatem excuſaret, ac pro ſalute ſceleſtiſſimorum ſollicitè precaretur. Stabat non ſine ſtupore contemplans illam inexplicabilem Dei bonitatem, qui pro ſeruis filium, in tam acerbam mortem traderet: & iuſtitiam, qui tam atroces ab innocente pœnas pro ſontibus pendi vellet: & liberalitatem, qui ſcelerato mundo precioſum illum donaret ſanguinem, & copioſam vnigeniti redemptionem, etiam ingratiſſimis cuperet applicare. Stabat partim gratulabunda, quòd filium tam glorioſè certantem, hoſteſque omnes breui victurum intelligeret: partim mœrore, quaſi confecta, quòd ſolum calcantem torcular filium, & non humana modò, ſed & diuina quaſi ope deſtitutum, & vndique ſuo conſperſum ſanguine, extremoſque trahentem ſpiritus conſpicaretur: ſe verò hoc vnico in terris theſauro ſuo fraudatum iri deleret. Stabat ſuæ virtutis, atque conſtantiæ quæ rebus aduerſis probanda erat memorandum exemplum poſteris præbitura, quandoquidem nec tribulatio, nec anguſtia, nec periculum, nec perſecutio, nec gladius, nec mors, nec vita, neque alia creatura illam ſeparare poſſet à charitate Chriſti, cui mente penitus cohærebat. Stabat ſexu imbecillis, animo virilis, & intrepida, ipſis etiam Apoſtolis fortior, tanto licet impiorum, & immaniſſimorum hoſtium agmine circumſepta, tantoque ſanctæ dilectionis igne ſuccenſa, vt neque Iudæorum furere, neque militum ſæuitia, neque comprimentium turba, neque doloris acerbitate à ſtatione ſua poſſet dimoueri.

Petrus Caniſ.

Rurſus Author Pomerij de Beata Virgine libro tertio, parte quarta, in principio, hæc valde pia ad noſtram inſtitutionem

Author Pom.

[Auctor Pom.] ex hoc lugubri Mariæ myſterio colligit. Sic enim ait: *Stabat iuxta Crucem Ieſu Mater eius. Quibus verbis chariſſimi nos docemur primo Dominum Ieſum fideliter, & perſeueranter diligere, ſicut & iſtæ ſanctæ mulieres omnibus alijs amicis, & diſcipulis fugientibus Chriſto vſque ad mortem aſtiterunt. Nam fidelis amicitia eſt, quæ in tribulatione non deſerit, ſed permanet etiam in tempore neceſſitatis, vt ait Salomon. Secundo docemur eas ſalubriter imitari: nam cùm ſtarent omnes noti Domini Ieſu à longe, iſtæ ſtabant iuxta* [Eccl. 6.] *Crucem propè. Sic multi ſtant longè à Ieſu, quia in peccato perſeuerant, longè autem à peccatoribus ſalus, id eſt, Ieſus Saluator, vt dicit David. Sed iuxta Crucem Ieſu ſtant qui Cruci verè præſentia adhærent. Stemus chariſſimi imitando Matrem Ieſu, & ſanctas illas mulieres ſpiritualiter iuxta Crucem, per pœnitentiam ſequendo Chriſtum, ſi volumus ſaluari, & cum Chriſto regnare, quia Dominus ipſe Ieſus,* [Luca 10.] *ait Lucæ 14. Qui non accipit Crucem pœnitentiæ, & ſequitur me, non eſt me dignus. Denique tertio docemur piè, & deuotè paſſionem Domini Ieſu, & dolores cõpaſſionis Beatæ Matris eius contemplari, & oculis mentis intuendo compati, & deflere, ac gratias agere pro tanto beneficio noſtræ Redemptionis. O verè ſpectaculum flebile, ò Myſterium admirabile, Deum verum innocentiſſimum virorum in oculis ſuæ maieſtatis cruciatum pendere in Cruce pro noſtra vtique ſalute.* Et nos chariſſimi condoleamus ploremuſque cum ſanctiſſima Matre Ieſu Maria, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia IX.

Beatam Virginem Cruci adſtantem, ſummum dolorem cum ſumma magnanimitate, in fortitudine coniunxiſſe, & illa eadem verba: Stabat iuxta Crucem Maria Mater Ieſu. [Ioann. 19.]

Mirabilis hodierna die euentus noſtris oculis ſpectandus proponitur: naturalis ordinis Iura quæ Aſtra, & Planetæ regulari circum acta vertigine ſemper ſeruarunt, violata conſpicimus. Nunquam enim, vt Aſtrologi Ptolomæum ſequentes docuerunt, vno temporis momento Solem, & Lunam, eclypſim pati viſum eſt. Debet enim inter vtrãque eclypſim, ſpatium, vt minimum, quatuordecim dierum mediare: quia eclypſis Solis non aliter euenit, quàm tempore Lunæ nouæ, quando vterque planeta, Sol, & Luna verſantur in capite, vel in cauda Draconis; & Luna mediat inter Solem, & terram. Eclypſis autem Lunæ multò aliter euenit: debet enim terra mediare inter Solem, & Lunam, & Sol eſſe in capite Draconis, Luna verò in cauda, vt Aſtronomici vnanimi conſenſu demonſtrant. Hodie tamen Sol Iuſtitiæ Chriſtus in Crucis ſolio, & Virgo ad eius pedes (quam *Lunam* vocat [Cant. 6.] Spiritus ſanctus) eodem die pariter eclypſantur. Vidit id Ioel, viſumque apertis verbis nobis conteſtatum reliquit: *Sol* [Iohel. 2.] *conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem.* Obtenebratus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Dominus, quia effuſo ab humano corpore ſanguine, continuò illud nigreſcere incepit. Sanguine etiam induitur Luna, Maria, nam Cruci adſtans, decidentes ſui filij ſanguinis guttas excipiebat. Verùm quid moror in re adeò perſpicua comprobanda? nam ſi Ioan-

Digitized by Google

Apoc. 12. nes vidit Beatam Virginem, *amictam Sole*, reliquum eſt, vt Sole iuſtitiæ obſcurato, ipſa obſcuretur: Sole Iuſtitiæ eclypſato, ipſa pariter eclypſetur, cùm illo induta incedat, iuxta illud Diui Pauli: *Indui te Dominum Ieſum Chriſtum.* *Ad Rom. 13.* De huius Solis, & huius Lunæ eclypſi ſermonem inſtituere iterum aggredimur. Faxit Deus, vt de tanto myſterio, cœleſti aura fauente, digna promamus.

Duos hodierna die affectuum exceſſus temperare cupio, quos nonnulli Patres Beatæ Virgini valdè addicti ſuo feruore ducti, de eius doloribus agentes eidem Virgini tribuerunt. Quidam eius triſtitiam extollentes, conſtantiæ illius derogant: *Cecidit ſemimortua inter brachia Magdalenæ*, dixit Seraphicus noſter Bonauentura in meditatione vitæ Chriſti, *D. Bonauen.* cap. 79. Alij oppoſita incedentes via, dũ conſtantiam, & virtutem efferunt, nec lachrymulam effudiſſe opinantur. *Stantẽ* (inquit Ambroſius de inſtit. Virg. cap. 3.) *D. Ambroſ.* *lego, flentem non lego*. Qui tamen profundum tot anguſtiarum Oceanum tuto traijcere cupit, nec planctum, & mœrorem Beatæ Virgini deneget, aut pluſquam virili conſtantia præditam fuiſſe diffiteatur. His duobus acerbi doloris, & inuictæ conſtantiæ cardinibus, aut polis tota hæc noſtræ orationis ſphœra vertetur. Atque vt ab inuictæ conſtantiæ virtute exordiamur, maximam eam in Virgine extitiſſe ſacri Euangelij verba oſtendunt, cùm eam inter medios militum cuneos, inter perſtrepentes armorum ſonitus, ſtantem ediſſerunt: *Stabat iuxta Crucem.* *Ioan. 19.* Stabat cruci arctiſſimè adhærens, cœleſtis illius vexilli quaſi ſtrenuus ſignifer, eximiã animi ſui virilitatem, & virtutem manifeſtè oſtentans. Probauit euentus illuſtres viros, alioquin ingenti robore præditos, vt Cæſares, & Pompeios, Hectores, & Achilles, quos proſpera, vel aduerſa fortuna turbatos; imò, & humanæ mentis vſu aliquãdo deſtitutos reddidit. Quis tanta animi virtute emicuit, vt Iacob, qui contra Angelum in arenam deſcendens, victor extitit? hic tamen orbatus nato, quamuis plures alij ſuperſtites eſſent, ita animo conſternatus eſt, vt cum totius ſuæ vitæ annos ad tantam calamitatem deplorandã non ſufficere iudicaſſet, in ea verba lachrymabundus prorupit: *Deſcendam in* *Geneſ. 37.* *Infernum lugens*. Dauid etiam tantæ ſtrenuitatis, & fortitudinis vir, vt vrſos, leoneſque diſcerperet, gigantemque Goliath nullis protectus armis, ſed ſola funda deijceret; vnius tamen eiuſque proditoris filij Abſalõ morte ita commotus eſt, vt veſtes conſciderit, in incompoſitos eiulatus proruperit, multaque alia à Regia dignitate aliena præſtiterit. Tandem quis maiori virtute emicuit, quàm Petrus? quis maiori ſtrenuitate præualuit, quàm Paulus? illum tamen gloria transfigurationis ita turbauit, vt Euangeliſta id atteſtante, neſciret quid diceret. Paulum etiam, ad tertium vſque Cœlum eleuatum illa occupauit vacillatio, & perplexitas, vt an in corpore, vel extra corpus degenti, id ſibi contigiſſet, prorſus eum lateret. *Raptus vſque ad tertium Cœlum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit.* *2. Cor. 12.* Ecce etiam feliciſſimi euentus validiores militantis Eccleſiæ milites a recto ſenſu, certoq; rei iudicio quodãmodo deturbarunt. Quid de aduerſis dicam euentibus, qui fortiſſimos quoſque facilè ſuperarunt? Hoc tamen eſt Beatæ Virginis robur, hæc virtus, hic animus, vt cùm vnigenitum ſuum in ligno Crucis affixum conſpiceret, quaſi immobilis columna Cruci adhæreret. *Stabat iuxta Crucem.* *Ioan. 19.* Adſtabat quidem Cruci Beata Virgo, vt adſtare ſolet mater ægrotanti filio, cùm ſanguis ab eo elicitur; adeò tamen viriliter, vt non imeritò ei congruat quod refert Paulus Iouius, *Paul. Iouius.* qui ad explicandum ærumnoſi cuiuſdam hominis affectum ait, depictam olim fuiſſe marinam ſyrenem, cui hæc apponebant verba: *Contemnit tuta procellas.* Ita Virgo ſanctiſſima tàm extitit animo cõſtans, tàm in medijs calamitatibus inuicta, vt melius in eam mihi conuenire videatur ſubſcriptio illa: *Contemnit tuta procellas.* Tranant ſæpè mare cymbulæ quædam, quas ſi ſpiritus aliquãto grauior afflauerit, continuò hinc inde fluctuantes conſpicimus: verum excelſa nauigia, quamuis contra ea ventorum flatus conſpirent, nec vni tamen, nec alteri lateri propendent, ſed veluti immota perſiſtunt. Tobiæ mater, Dauid, Iacob, ita in filiorum morte turbati, cymbulæ quædam erant vento cuipiam, vel modi cùm afflanti cedentes: verùm Maria, facta *quaſi nauis Inſtitoris*, *Prou. 31.* naui-

Digitized by Google

nauigium erat excelſum, ventorum incurſibus minimè commotum, ſed debito ſuo loco perſiſtens, *ſtabat iuxta Crucem.* De (Ioan. 19.) inſigni illa femina Machabæa ſacra Scriptura commemorat, quòd femineæ cogitationi maſculinum animum inſerens, ſeptem filios ad martyrium fortiter ſubſtinendum, ſingulari ſapientia, & fortitudine hortabatur. (Machab. 2. cap. 7.) In Reſpha muliere tantam animi fortitudinem, & virtutem Saul expertus eſt, vt duos eius filios morte plecti libenter paſſa fuerit, vt Gabaonitarum iniurijs ſatisfieret. (2. Reg. 21.) Si tanta ergò in his feminis emicuit fortitudo, quantam in ſanctiſſima Virgine emicuiſſe credemus, quæ (vt teſtatur Diuus Anſelmus) ſi ei à Deo præceptum fuiſſet, vt arrepto gladio, veluti alter Abraham, vnigenitum filium ſuum in ara Crucis immolaret, alacri animo diuinæ iuſſioni parere non dubitaſſet? (D. Anſel.) etenim melius, quàm Machabæa proprium filium ſuum flammis tradens, Virgo ſuis manibus filium Cruci affigeret. Et ſi Reſpha, vt Gabaonitis ſatisfieret, chariſſima filiorum pignora morti committere non dubitauit; certè Beata Virgo ardenti inflammata zelo, vt æterno Patri pro illata iniuria ex Iuſtitię æqua litate ſatisfieret, proprijs manibus, ſi id opus fuiſſet, Chriſti manus, & pedes Cruci affixiſſet; longè enim ab Virgine imbecillitas Agar aberat, quæ cùm filium ſuum quaſi morti proximum cerneret, ad radices arboris illum proijciens, diſceſſit, ne illum animam exhalantem videret. (Geneſ. 21.) *Non videbo* (inquit) *morientem puerum.* Equidem Virgo ſemper crucis arbori adherens, ſuos oculos ad nati lumina conijciebat, donec vltimum efflauit ſpiritum. (Ioan. c.19.) *Stabat iuxta Crucem Maria.* Loquens Salomon de æterna ſapientia ait, ſemper illam in Mundi creatione Patri aſtitiſſe. (Prouerb. 8.) *Quando præparabat Cælos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: quando appendebat fundamenta Terræ, cum eo eram cuncta componens.* Hæc verba Sancta Eccleſia diuino afflata ſpiritu Beatæ Virgini aptat, eique hodie mirum in modum conſona videntur. Sicut enim æterna ſapientia in materiali Mundi creatione Deum ſemper comitata eſt, ſic Beata Virgo vnigenito ſuo in ſpirituali Eccleſiæ recreatione ſemper aſtitit. Contemplor Chriſtum Dominum in Cruce, velut peritiſſimum artificem in officina ſua præconceptum opus deſignantem. Vnde ſicut artifex hic ad ſtructuram neceſſaria parat, & alibi ædificium erigit; ſic Chriſtus in cruce Cœlos præparabat, Sanctos nimirũ calxbe, & adamante affabrefactos, vt eos in triũphantis Eccleſiæ ſtructura cõſtitueret. Tunc certè Virgo ei aſtabat: *Quando præparabat Cælos aderam,* (Ibidem.) cùm diuinus hic Legiſlator Inferno, & Dœmonibus leges præſcribebat; ne vel modicum illo inuito operarentur. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos aderam,* cùm in Cœlis Angelos conſtabiliret, qui vt Bernardus ſermone 22. in Cantica teſtatur, ex (D. Bernar.) Chriſti meritis in gratia confirmati ſunt, & Luciferum deuicerunt. *Quando æthera firmabat,* aderam: ſurſum cùm ſui ſanguinis virtute noſtras lachrymas roborabat, (Prouerb. 8.) vt vim haberent noſtrorum peccatorũ maculas abluendi. *Quando librabat fontes aquarum,* aderam, cùm tribus clauis inſtabilia Mundi fundamenta, quæ ſunt, voluptas, honor, & diuitiæ, velut ſtatera ponderabat. *Quando appendebat fundamenta terræ, aderam, & cùm eo eram cuncta componens,* pariter tamen ſummo dolore ei compatiẽs, ſic vt piam Matrem decebat; vt non obſcurè indicat Euãgeliſta: *Stabat iuxta Crucem Maria mater Ieſu.* Cùm enim mater vnigenitum ſuum tàm crudeli, & opprobrioſa defunctum morte conſpiceret; quomodo non ſummo dolore angeretur? ſicut enim nullus amor materno amori comparandus eſt ſic; nec vllus dolor maternũ æquat cùm filio mater orbatur. Vnde Diuus Auguſtinus de Ciuitate Dei, capit. 10. dicebat: *Amor* (D. Auguſt.) *meus quantus eſt in poſſidendo, tantus dolor eſt in amittendo.* Narrant Hiſtorici, Demoſthenem maximis eiulatibus ob (Demoſth.) defunctum filium lachrymatum; quem cùm familiaris quidam argueret, quòd ex ſua philoſophia nihil in hoc proficeret; reſpondit Philoſophus: *Paterni affectus, & amoris es ignarus.* Ac ſi diceret: neſcis quid paternus amor in filios poſſit: quòd ſi nouiſſes, nequaquam me argueres. Vim hanc materni amoris, quẽ natura indidit genitricibus, apertè ſatis oſtendit induſtria illa ſapientiſſi ni Salomonis, (3. Reg. 3.) qui contendentibus duabus ma-

tribus

tribus ſuper eodem filio; ipſe ſententiam tulit, vt infans diuideretur, & vnaquæque dimidiam illius partem haberet. Tūc quæ falsò matrem ſe venditabat, continuò acquieuit dicens: *Nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur*; Altera tamen, quæ vera mater erat, ægreferens præ amoris magnitudine infantem trucidari, inſtanter rogabat, integrum alteri adiudicari. Ex quo materno affectu, & in propriam ſobolem innato amore, facilè Salomon deprehendit, veram illam eſſe illius infantis matrem. Hoc idē egregiè elucidat, quod ſacrum narrat eloquium, Geneſ. 22. cùm vellet Deus experiri quāta eum dilectione Abraham proſequeretur, iuſſit dilectum filium Iſaac ſibi immolari: *Tolle filium tuum; quem diligis Iſaac, & offer illum mibi*. Noluit amorem experiri in erogatione nummorum: non in morte charæ vxoris, non in honoris iactura, ſed ſed in proprij filij nece; quem ſi paratus eſſet occidere, Abrahami dilectio erga Deum mirum in modum eluceret, vt reipſa contigit. Vnde Dominus dixit ei: *Nunc cognoui quòd timeas Deum*. Sed rogo Domine, num hac in re tantum, amici tui dilectio nota tibi eſt? nonne hic vitam ſuam vniuerſam in tuo famulatu tranſegit? nonne patrios lares deſtituit? nonne ſubſtantiam ſuam pauperibus pro te erogauit? nonne iuſſu tuo Chaldæorum fornacem ingreſſus eſt? non id diffiteor. Cęterū omnia heroica illius opera illud ſolū, quòd dilectū filium ſuū neci tradiderit, lōgo interuallo ſuperat, idq; excellentius ardentem eius erga me amorem indubitanter oſtendit. Hinc clarè licet colligere quòd ſicut Beatæ Virginis amor erga filium ita præcelluit, vt omnem aliam maternam dilectionem longè excederet; ita eius dolor ingens adeò, & acerbus extitit, vt maternos ceteros dolores de filiorum obitu maximè ſuperarit; cùm magnitudo doloris, ex amoris magnitudine dignoſcenda veniat. Sed quomodo quæſo pia mater à dolore, & lachrymis ſe abſtineret, quæ filium ſuum dilectum in tàm elato ſtipite affixum videbat, vt nullo ſolaminis genere eum reficere valeret; adeò vt nec aquæ potum ad extinguendā ſitim ei porrigere poſſet? Videor mihi Virginem Beatiſſimā nunc loquentem audire: Deus cordis mei, quam benè mors

Ibidem. *Geneſ. 22.* *Geneſ. 22.* *Ibidem.*

tuæ natiuitati reſpondet, apertè vitæ tuæ primordia cum vitæ extremo nectis? Si naſceris, iaces in ſtabulo: ſi moreris, in Caluariæ ſterquilinio: ſi naſcenti tibi cunabula fuit præſepe, morienti culcitram, & puluillos dura exhibuit crux. Si mundum ingrederis, inter duo animalia iaces, nunc accubas moriens inter duos latrones. Congruunt quidem natalis tui exordia vitæ tuæ extremis. Mœrens fui in Bethleem, ſed acerbius mœrens nunc in Caluario mōte. Illic enim te viuum inter brachia amplexabar, lacte mei pectoris cibabam, veſte mea infantile corpus fouebam; at nunc, non inter brachia piæ matris, ſed inter brachia crucis crudelis nouercæ detineris, nec permitteris maternis officijs inſeruiri. O quàm optarem, non dicam meis veſtibus, ſed mei cordis febris nuditatem tuam contegere. O quàm mihi pergratum eſſet, dilecte fili, ſaltem indumenta mea dilacerare, & ijs, velut faſcijs tua vulnera circumligare. Verum neque ad pium hoc opus exercendum matri erga filium adeò cōſentaneum, facultas datur. Sed ad te, ò æterne Pater, querulum ſermonem conuerto: ergonè pateris matris huius cor ita angi, nec ſolamen aliquod præbes? an leges, quas ſanxiſti, non recolis? Lege tua præſcriptum lego: non coques hædum in lacte matris. Cur ergo pateris hodie filium in matris lachrymis, matrem in filij ſanguine coqui? Prohibet lex (ſi benè memini) volucrem matrem, & pullos eius ſimul occidi: *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filijs, ſed abire patieris; captos tenens filios, vt bene ſit tibi*. Cur ergo vno die, immò, & vno crucis gladio matris animam, & filij corpus transfigi permittis? Nonne etiam lex iubet, filium coram matre non immolandum, ne mater angatur? *Non immolabitur ouis cum filio ſuo*. Cur igitur agnus manſuetus coram matre eius in cruce hodie immolatur? cur leges quas cum brutis animantibus inuiolatas eſſe præcipis, mecum violantur? nonne tandem immutabilis es tu Domine? *Ego Deus, & non mutor*. Si ergo olim pium adeò te exhibebas, vt cùm immolabantur animalia, iuberes non pauca inſtrumenta muſica reſonare, ne mater immolatorum

Deut. 14. *Deuter. 22.* *Leuit. 22.* *Malach. 3.*

latorum filiorum lugubres voces, & eiulatus audiens, grauiter angeretur. Cùm igitur tanta tibi de animalibus cura ſit,vt quid de me non cogitas? cur muſica mihi non perſonant inſtrumenta,nè filij cum lachrymis clamorem, & eiulatum coniun
Ad Hebr. 5. ctum percipiam? *Cum clamore valido, & lachrymis exauditus eſt*. Cur igitur angitur, quæ angorem hunc non meretur?
Damaſcen. reſpondet Diuus Ioannes Damaſcenus libro 4. de fide,cap. 19. amicorum Dei dolores,in hac vita indiſpenſabiles eſſe,quia debent configurari Chriſto crucifixo; & ideò licet Beata Virgo dolores in partu non pertulerit, id non fuit ex diſpenſatione, ſed per commutationem, quia quos parturiens, dolores non ſenſit, cruci aſſiſtens ſubſtinuit; & lachrymarum tributum, quod in Bethleem non perſoluit in monte Caluariæ iuxta crucem reddidit: *Stabat iuxta Crucem Maria mater Ieſu*.

Verùm quod dolores Virginis mirum in modum auxit, illud fuit, quòd nobiles illi viri Nicodemus, & Ioſeph ab Arimathia Chriſti Domini vulneratum corpus à cruce deponentes,inter Virginis matris brachia locarunt: cuius nec cor valebit concipere, nec lingua effari doloris acerbitatem, qui tunc Mariæ præcordia tranſuerberauit? Conſpiciebat filium à planta pedis, vſque ad verticem capitis; contigitque ei, quod columbæ accidit tē-
Geneſ. 8. pore diluuij, quæ ex arca à Noè dimiſſa, nō inuenit vbi requieſceret pes eius. Meditabatur Beata Virgo, velut columba lacerum Chriſti corpus, & vndique vulneratum illud reperiebat. Si caput conſpiciebat, acutis illud ſpinis confoſſum videbat: ſi oculos, eclypſi obſcuratos: ſi os, felle amaricatum: ſi manus, & pedes clauis confoſſos. Non inueniebat, vbi requieſceret pes eius; & ideò præ doloris magnitudine hæc verba promebat: Fili cordis mei reſponde mihi, quis te deturpauit Angelorum pulchritudo? quis te languere fecit flos campi? quis te exſiccauit fons aquæ viuæ? quis te amaricauit, animarum dulcedo? quis te eclypſauit Sol Iuſtitiæ? quis te obumbrauit Patris ſpeculum? quis ſuccidit, tui corporis telam, quam ego meis viſceribus ordita ſum? quis formam, & ſpeciem elegantiſſimam tibi abſtulit, precioſiſſime Agnus Dei,quo ego Virgineum pectus ornabam? quis librum dilacerauit corporis tui, quē in mei vteri officina aptaueram,in circunciſione rubricaueram, quem laborioſus totius vitæ decurſus compreſſerat, & vittis coccineis purpurei ſanguinis carnificū rabies perpolierat? quis tandem fili mi morte punire auſus eſt auctorem vitæ, Creatorem Cœli, & terræ, & vniuerſorum Dominum? Amoris ſanè hæc audacia fuit, hæc febris ardens, quæ antequam quintum attingeret diem, ſanguinem vniuerſum effundere compulit,& vita priuauit. Verùm cùm deinde filij caput mater impenſius contemplaretur, videns comas vellicatas, quibus ſi Abſalonis capillos comparaſſes, vepres, & ſpinas dixiſſes,non crines, dicebat: Quis diuine Nazarene, aureas comas tuas auulſit? reſponde mihi: irruerunt Phyliſtijm in me myſticum Sampſonem: *Phyliſtijm* Iudic. 11.
ſuper te Sampſon; & in Dalidæ ſinu dormientem comas abſtulerunt. Videbat mater in filij capite ſpinas nonnullas con fractas, illaſque euellere tentabat,ſed ab incœpto deſiſtebat, ne vulnus augeret. O caput (ſubiungebat) ſpinis coronatum, cui aureum ſertum debebatur, vt Regi: vel laureum certè, vt victori in hoc tàm cruento prælio; ita ſanè eſt pia mater. Verùm, cū ipſe ſim ſemen illud ab æterno Patre ſatū in hoc Mundi agro, qui nō aliud, quā tribulos,& ſpinas germinat, adeò iſtæ creuerunt, vt ad caput etiam meum peruenerint. *Exortæ ſpinæ ſuffocauerunt il-* Luc. 8.
lud. Videbat mater flagellorum, & vulnerum liuida quædam, alia cruenta ſigna, & ſecum ipſa dicebat: quis te Cœli lætitiam, dolorum fecit expreſſum ſimulacrum, ac viuam imaginem? in Pilati certè officina formata fuit, ipſe tanquam huius operis perfectus artifex, formam exhibuit. crudeles miniſtri, qui eam effinxere, Iudæi extiterunt: claui, penicillus: mei ſanguinis coccinum, colores fuerunt. Hæc cum filio, Beata Virgine ſacra iniente colloquia, duo illi nobiles viri Ioſeph ab Arimathia, & Nicodemus linteo Chriſti Domini corpus velarunt, ne pia mater tàm acerbo dolore proprijs, oculis filij vlcera contuens diutius angeretur; tempus enim iam erat, vt Chriſti corpus ſepeliretur, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homi-

Homilia X.

Chriſtum Dominum è Cruce depoſitum ſuſcipit ſacra Virgo in gremio ſuo; & quæ tunc materna pietatis officia ei præſtiterit, enarrantur; ſed prius de conſtantia eius iuxta Crucem ex ardenti amore in Chriſtum orta, varia eruditione diſſeritur,

IN eo valdè effulget magnanimitas, ac inuincibile robur Mariani pectoris, quòd cùm alioquin feminæ pro imbecillitate muliebris conditionis ſoleant, vel intactæ, vmbra ſola gladij intuita tumultuare, & velociter fugere; Maria tamen non ſolum per medios enſes, armatorumque militum agmina, vt dilecti filij morti adeſſet irrupit; ſed & acutiſſimo crucis gladio anima eius confoſſa, viriliter ſtabat iuxta Crucem. Et quamuis ſolita non eſſet per plateas vagari, ſed hominum conſortia fugere, à multitudine populi longè ſe ſequeſtrare, vt Virginem honeſtiſſimam decebat; vis tamen amoris illam compulit, vt quæreret intrepida, quem diligebat anima eius, vt Salomõ in perſona eius prædixerat: *Surgã, & circuibo Ciuitatem per vicos, & plateas, quærã quem diligit anima mea.* Nullis ſanè verbis explicari poteſt quanta ſit vis, & audacia amoris ad difficilia quæque ſuperanda. Plutarchus in vita Marci Antonij Cleopatram Aegypti Reginam, tàm ardẽti Marci Antonij amore flagraſſe refert, vt aſſumpto ancillæ habitu, quo regiam maieſtatem ſimularet, in medijs caliginoſæ noctis tenebris per vias Ciuitatis, illum quæritaret: cui perſimile eſt illud, quod Lucanus de Cornelia Magni Pompei vxore, his verſibus cecinit:

Cant. 3. · Plutarch. · Lucan. lib. 5.

Fida comes magni vadit duce ſola relicto
Pompeiumque fugit.
Atque inſueta quies vni, nudumque marito
Non hærent latus, ſomno quam ſæpè grauata
Deceptis manibus Bacchum complexa cubile eſt,
Atque oblita fugæ quæſiuit nocte maritum.

Ouidius etiam iuuenculam deſcribens ſponſum amantem, heroica hæc carmina ſcripſit: Ouid. lib. 4. Metam.

Callida per tenebras verſato cardine Thyſbe
Egreditur, fallitque ſuos, adapertaque vultum,
Peruenit ad tumulum, dictaque ſub arbore ſedit.
Audacem faciebat amor.

Si tanta ergo noſcitur eſſe vis, & audacia naturalis amoris, nemo mihi inficiabitur, intrepidum, & audacem magis eſſe amorem diuinum, & ſupernaturalem, qui omnem facultatem naturæ longè trãſcendit. Vnde cum flammis illius Maria ſemper arderet, certè quod Tragicus Seneca de amoris audacia loquens ſcripſit; aptius quàm illi, amanti Mariæ congruunt: Seneca.

Non me per altas ire ſi iubeas niues
Piſcea, gelatis ingredi Pindi iugis:
Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina,
Cunctor paratis enſibus pectus aræ.

In eam etiam rectè conueniunt, vt profana in ſacra vertamus, quod Ouidius cecinit:

Ipſa comes veniam, neque me ſalebroſa mouebunt Ouid. in epiſt.
Saxa; nec obliquo dente timendus aper.

Alciatus tandem, vt magnam hanc amoris vim ad viuum exprimeret, depinxit fulgur per aera volitans, quod amor inſequens, & iacta in illud ſagitta ipſum confodiens, penitus aſſumpſit: quo amoris ignem longè omnem alium ſuperare non obſcurè indicauit. Atque hinc eſt, quod hanc amoris vim conſiderans Diuus Petrus Chriſologus ſerm. 147. non veritus eſt dicere: *Amor enim ignorat iudicium, ratione caret, modum neſcit: amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium.* Cùm igitur tàm æſtuanti amore in Chriſtum arderet Maria,

Alciatus. · D. Petr. Chriſologus.

ria, ingens illa vis amoris eam impulit, vt omnes vincens difficultates morienti filio virili animo aſtaret. Commemorant Hiſtoriographi duplex mirabile ſpectaculum. Primum eſt Creſi inter Reges opulentiſſimi, qui ad tormenta vinctis poſt terga manibus ducebatur: ſecundum prębuit Romanis inſignis illa Zenobia Regina Pſalmirenorum,quæ varijs virtutibus, præcipuè verò caſtimonia illuſtris, ab Aureliano aureis ligata catenis in triumphũ ducta fuit. Sed gloriofior ſanè mihi videtur triumphus amoris, cùm pariter Chriſtum Regem, & Mariam Reginam aureis amoris catenis ligatos in triumphum palam produxerit in medio montis Caluariæ: ſpectaculum ſanè Angelis, & hominibus omnium mirabiliſſimum. Heroicum pietatis facinus nunc in virili femina cerno: Quis enim vnquam, aut magis fortem Mariam, aut maiore conſtantia prædıtam mulierem vidit? inuictæ certè fortitudinis eſt opus, quòd ſacratiſſima Virgo patienti Chriſto aſſiſtat: quòd morientem conſpiciat: quòd in cruce mortuum non derelinquat: commorienti commoriatur, & cum crucifixo quodammodo crucifigatur. Vnde rectè mihi videtur Chriſto, & Virgini conuenire ingenioſa inuentio illa, quã refert Henricus Schualen in Aphoriſmis hieroglifhicis, qui depingit duas faces vinculis conſtrictas,quę parrem accenſam ſurſum erectam habentes mutuum amorem indicabant; deorſum verò inuerſæ ipſorum amantium mortem,& funus protendebant. Ita ſanè Chriſtus, & Maria ardentes faces erant, quæ ſurſum Cœlum verſus per contemplationem erectæ, ardenteſque charitatis flammas emittentes, amoris ſymbolum erant; inuerſæ verò verſus terram per abiectionem, & deſpectionem, mortis, & funeris ſimulacrum adumbrabant. Quia verò Chriſto moriente, Maria etiam quaſi mortuam ſe putabat, vtque magis Chriſti vita, quam ſua viueret, potiorique iure, quam Paulus dicere valeret: *Viuo ego iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.* Vnde ſicut Chriſto mortuo quodammodo ipſa moriebatur, ita illo ſepulto quodammodo conſepeliebatur, vt Sanctæ Brigitæ ipſa in hæc verba reuelauit: *Verè dicere poſſum quòd ſepulto filio meo quaſi duo corpora in vno ſepulchro fuere.*

Henr. Schual. — *Ad Gal. 2.* — *S. Brigit. l. 2. reuel. caput. 21.*

Verùm vt iam ad depoſitionem corporis Chriſti mortui ex cruce propius accedamus: qua ratione contigerit nullibi minutatim adeò, & exactè deſcriptum reperio, quam lib. 2. reuel. eiuſdem Sanctæ Brigitæ, vbi hæc verba lego: *Nicodemus, & Ioſeph, qui filium meum deponebant de Cruce, tres applicabant ſcalas: vna protendebatur ad pedes, ſecunda ſubtus aſcellas, & ad brachia; tertia ad medietatem corporis. Primus aſcendit, & tenebat eum per medium: ſecundus aſcendens per aliam ſcalam, excuſſit primo vnum clauum, de vno brachio; deinde applicata ſcala excuſſit clauum alterius manus; quia quidem claui longè vltra ſtipitem Crucis protendebantur. Deſcendente igitur illo, qui ſuſtentabat onus corporis, paulatim, & modicè prout poterat, ille alius aſcendit ſcalam, quæ tendebatur ad pedes, & excuſſit clauos de pedibus; cũmque appropinquaret ad terram, vnus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes; ego verò, quæ mater eram, tenui eum per medium.* Ecce iam adimpletum deſiderium, quo Beata Virgo ardebat ſuſcipiendi in gremio ſuo corpus dilecti filij; ſed & completi etiam indicibiles dolores eius, adcò vt meritò ad illam reſpiciens ſponſus dixerit: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filios hominum.* Amica hæc inter filias ſacerrima Virgo fuit; mulierum omnium maximè afflicta, & tribulationum ſpinis obſeſſa; ita vt ſicut Aſſuerum Regem legimus in caput Eſther coronam impoſuiſſe; ſic Dominus Ieſus Chriſtus ſpineam coronam in Beatæ Virginis capite impoſuit, cùm dolores, quos ipſe tulit, ipſa per compaſſionem ſuſtinuit. Lilium inter ſpinas naſcitur, hiſpidiſque aculeis, lilij haſtilia recrudeſcunt; & quo magis creſcit plantula, eò denſiores, eò duriores ſpinæ concreſcunt, multoque plures ſpinæ, quàm lilia cernuntur. O lilia, ò ſpinæ: lilia gratiarum, lilia tribulationum: benedicta Maria ſanctificatur, en lilium: benedicta Virgo patre orbatur, en ſpinam: Beatiſſima Virgo in templo offertur, en lilium: Beata Virgo ieiunijs, ac vigilijs ſe affligit, en ſpinas: ab Angelo ſalutatur, en lilium: turbari videt Ioſeph, en ſpinam: Chriſtum Virgo parit, en lilium: reclinat in præſepe, quia non erat ei locus in diuerſorio, en ſpinam: Magos Chriſtum

Ibidem. — *Cant. 2.*

Digitized by Google

ſtum adorantes cernit, en lilium: ſed fugit in Aegyptum, en ſpinas. Chriſtum vidit miracula facientem, en lilium: ſed eundem amarulentis odijs exceptum dolet, en ſpinas: tandem ac quò creſcit lilium in Chriſti paſſione, ac morte, eò magis multiplicantur, ac recrudeſcunt ſpinæ. Sed miror lilij conſtantiam, licet enim ſpinæ conſtantes, & acutiores, & valentiores ſint, lilium tamen conſiſtit immobile, cœlique influxu nutritur. Contemplabatur Deipara dilectum filium tàm dirè percuſſum, ac tàm turpi morte occiſum, & immenſo dolore conficiebatur. Natrat Plutarchus in ſuis Apotephgmatibus, inſignem Regem Lacedæmoniorum nomine Agis, non alia ratione à ſubditis ſuiſſe occiſum, niſi quia effrenatos hominum mores compeſceret, ac perditam Rempublicam, ad meliorem frugem reuocare tentaſſet. Poſtquam autem, illum occiderunt, ad Matrem detulerunt, quæ in gremio ſuo illum recipiens ſummo dolore confecta dicebat: *Heu fili mi, nam tua bonitas, nimia manſuetudo, & humanitas, te ſimul & nos perdidit*. Hæc & ſimilia potiori iure credimus protuliſſe Beatam Virginem, cùm in brachijs ſuis continebat Zelatorem domus Dei, qui dicebat: *Zelus domus tuę comedit me*; & brachijs ſuis amplexaretur eum, qui nō ob aliam cauſam occiſus fuerat, niſi quia vitia increpabat, & incompoſitos hominū mores componere ſatagebat. Mirę certè pietatis facinus ſine dubio fuit, quòd Reſpha cadauera Crucifixorū filiorū cuſtodierit à tēpore meſſis hordeaceę, vſq; dum ſtillaret è Cęlo, ideſt, à menſe Maij vſque ad menſem Septembris, abigens per diem aues, & per noctem beſtias, nec permittens eas lacerare corpora filiorū. At Beata Virgo Chriſti corpus è Cruce deponi curauit, & vt ex Metaphraſte tradit Cardinalis Baronius, proprijs manibus ad depoſitionem filij ex Cruce inſeruiuit; depoſitūque ſuo gręmio excepit: præmortui filij oculos clauſit os compoſuit, vulnera explorauit, oſculata eſt lachrymis rigauit, atque omnibus pietatis officijs proſecuta eſt. Sed nunc liceat mihi interrogare, quis ſapientiſſimam Virginem nobiliſſimum filij ſui corpus ſinu ſuſtentatem videat, & ſtatim non agnoſcat magnum in eo, atque mirabile myſterium cōtineri? ſi enim

Plutarchus.

Pſal. 68.

Card. Baron. ex Metaphr.

ſapientiſſimi Archimedis, tantum potuit ingenium, vt circulos, ſphæricoſque globos manu contrectans vitreis globulis, ſphærulis, Cœleſtium orbium motiones, aſtrorum curſus, ſyderum errantium conſtitutiones expreſſerit; quid de Regia Deipara ſentiendum erit, quæ Archimedem ingenij laude eò altius ſuperauit, quo ipſa non tàm humano artificio, quàm Dei donò ſapientiam hauſit? dum non æneos circulos, non vitreos globulos, non ſphæras ligneas; ſed ſacram corporis Chriſti ſphæram, Spiritus ſancti virtute efformatam, manibus contrectat, ſingula vulnera, velut aſtra demonſtrans, ad quæ peccatores reſpicientes, mores ſuos componant. Huc accedat ſuperbus, & videat caput Chriſti inclinatum, ac ſpinis ignominiosè redimitum: accedat voluptatis amator, & aſpiciat corpus vndiq; vulneratum: accedat auarus, & contempletur manus adeò liberales, vt Dei ſanguinem effundant: accedant peccatores omnes ad fontem lateris percuſſi, vt abluantur, & inde rerum cœleſtium amorem, ac terreſtrium deſpectionem hauriant: accedant denique iuſti, & creatori ſuo, mortuo compaſſionis affectu commoriantur, ardēterque cupiāt ſanguinem, & vitam, ſicut ille, pro eo effundere. Si enim, vt ait Diuus Auguſtinus in Manuali, cap. 5. nihil ditius, nihil acceptius bona voluntate, quæ Deo offertur, qui enim efficacem voluntatem habet pro Chriſto moriendi, cum Dauide exclamare poteſt: *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi*; hoc eſt, vt exponit Diuus Gregorius homilia quinta in Euangelia. *Et ſi exterius munera offerenda non habeo, tamen intra memet ipſum inuenio, quod in ara tuæ laudis impono.* Et quidem ſi in malis coram Deo efficax voluntas pro facto ad culpam, & vindictam reputatur; quanto magis in bonis efficax voluntas factum ſuppleuit ad meritum, & pręmium, cùm prōptior ſit Dominus ad benefaciendum, quam ad puniendum?

D. Auguſt.

Pſal. 55.

D. Greg.

Porrò tria iam nobis exploranda reſtant magna obſeruatione digna, quæ Beata Virgo præſtitit, dum in gremio ſuo mortuam prolem continebat. Primū eſt quænam pietatis officia illa erga vulneratum Chriſti corpus præſtiterit. Corpus dilaniatum ſumma religione contre-

ctat

ctat, oſſa dinumerat, pellem, carnemque pendentem, proprijs locis reſtituit, ſanguinem reſtringit; & vt ait Eudoxia in Homeri centonibus:

Eudoxia.

> *Circa autem filium charum iecit cubitos lachrymans.*
> *Oſculata autem eſt ipſum, caputque, & oculos pulchros,*
> *Manuſque ambas, calida autem ipſi decidit lachryma.*

Deinde ſpineum diadema capite impreſſum, ac carne infixum ſuis manibus extrahit, & punctionibus Beatæ Virginis manus lacerabantur; nec fortè, vt piè credi poteſt, abſque ſanguine è ſuis digitis fluēte. Decidit è Chriſti capite ſpineo diademate extracto ſanguis, fluit e manibus Virginis diadema extrahentis ſanguis: miſcetur filij ſanguine Virginis ſanguis, eodem diademate ſpineo extractus, & vaticinium illud impletur: *Sanguis ſanguinem tetigit*, dum matris ſanguis filij ſanguinē attigit. Quis ad lachrymas non moueatur, cùm matrem Regium diadema filio extrahentem contemplatur: nam mater ea lenitate, atque agilitate coronam extrahere conabatur, vt nouas filio plagas, vel excoriationes ſpina reuulſa non inferret: infixos carni aculeos ita conuellere curabat, vt inflictas plagas non dilataret, ſpinarumque punctiones maiores non efficeret. Tradit etiam eruditus Auctor Malonius de Chriſti ſtigmatibus c. 19. quòd clauos, quos ſinu ſuo religioſè exceperat, varijs oſculis lambuit; erant enim ſanguine Chriſti intincti: Deinde varijs oſculis ſacrum illud corpus exoſculari cœpit, adeò vt S. Germanus in ſuo, quod lego Theoricæ fragmento dicat: *Maria Virgo depoſito Chriſto de Cruce, oſculata eſt os eius pluſquam mille vicibus; nec non oſculatur benignum caput eius ſpinis coronatum, faciem eius liuoribus plenam: oſculabatur frōtem, & collum, & mentum eius: oſculabatur manus clauis perforatas: oſculabatur brachia, & pectus lancea perforatum: oſculabatur pedes clauis perfoſſos: lauit, & rigauit lachrymis vniuerſa eius vulnera, & plorans acerrimè ſuper ſingulis amplexabatur caput eius comprimens ad vbera ſua*. S. autem Brigita lib. quarto ſuarum reuelationum, in perſona Virginis ait: *Corpus eius de cruce depoſitum contingere potui, & vulnera explorare, & extergere ſanguinem; deinde os eius digiti mei clauſerunt, & oculos pariter compoſui; brachia verò rigentia flectere non potui, vt ſe ſupra pectus componerent, ſed ſuper ventrem*.

Oſee 4.

Malonius.

S. German.

S. Brigita

Ac tandem Metaphraſtes hæc ſcribit: *Amoris inditia mater exhibuit erga charam ſobolem, & membra illius amplexa eſt; partim quidem vlnis ſtringens, partim autem ſuis quoque lachrymis plagas emundans; deinde etiam toti corpori circumfuſa. Ecce tibi ab omni ſæculo præfinitum myſterium, ad finem vſque venit, ò Domine, placida voce dicit: & Ioſepho manu tenens ſyndonem: Tibi autem, inquit, deinceps erit cura, vt in hac eum honeſte componas, myrrhaque pulchrè condias, & iuſta facias*.

Metaphr. de compaſſ. Virginis.

Secundum pietatis officium, quod pia mater in filium exercuit, fuit acerbiſſimo dolore turpiſſimam eius mortem plangere. Magnitudinem huius doloris, reuelauit ipſa Deipara Sanctæ Brigitæ, libro ſecundo reuelationum, metaphoram parturientis vſurpans, in hæc verba: *Qualem autem triſtitiam haberem, tum temporis non eſt, qui valeat dicere; eram enim ſicut mulier pariens, cuius omnia membra poſt partum tremula ſunt*. Vnde Patres eadem metaphora vtentes dicere conſueuerunt, beatiſſimam Virginem dolores, quos in filij partu effugit, eoſdem in illius paſſione ſuſtinuiſſe. Ita loquuntur Laurentius Iuſtinianus ſermone de Paſſione Domini, & libro de triumphali agone, capite 21. Cyprianus ſermone de natiuitate Chriſti, Athanaſius in deſcriptione Mariæ, & Ioſeph. Bernardus ſermone ſecundo in vigiliam Natiuitatis. Damaſcenus libro 4. de fide Orthodoxa, cap. 15. & ſermo Angelicus apud Beatam Brigitam lectione 2. feriæ 6. Ex hoc autem acerbiſſimo dolore velut ex denſiſſima nube tam copioſa lachrymarum pluuia per ſacra Virginis lumina effluxit, vt Diuus Bernardus de Planctu Virginis diſſerens, hæc ſcripſerit: *Stabat ad corpus extincti filij ſui Mater Maria, lachrymis faciem rigans; ac per diuerſa torquebatur ſuſpiria, frontemque & genas, oculoſque, & ora frequentius oſculabatur ipſius; lachrymarumque tanta vbertas effluebat, vt carnem cum ſpiritu omnem in lachrymas diſſolui putares*. hæc

S. Brigita.

Lauren. Iuſt.

Cyprianus.

Athanaſius.
Bernardus.
Damaſcen.

D. Bernard.

Digitized by Google

ille. Sed quod mirabilius videri poteſt, illud eſt, tam immenſam lachrymarum imbrem ex Virgineis oculis effluxiſſe, vt in nõnullis Eccleſijs virgineas lachrymas aſſeruari affirmet Ioãnes Baptiſta Signius pietate, ac religione valdè inſignis, in libro, quem de reliquijs, & veneratione conſcripſit. Immò etiam (quod valde ſingulare eſt) adeſt auctoritas Beati Germani dicentis, Beatam Virginem adeò amare fleuiſſe, vt poſt vberrimum lachrymarum effuſum imbrem, tandem ſanguineas lachrymas fuderit. Ceterum quia Beata Virgo cum ſummo dolore, quo animus eius cõficiebatur, ſummam fortitudinem coniungebat, non prohibebat illam amariſſimus eius planctus, tenerrima cum filio inire colloquia. Hic quæſo fratres parumper ſiſtamus, Virginē matrem attentè auſcultantes, eique pariter compatientes: Quamuis (inquit) fili mi chariſſime adeò crucem adamaueris, vt ei velut dilectæ ſponſæ clauorum vinculo coniungi, & vniri volueris; obſecro ne ſit tibi moleſtum, quòd te de Cruce depoſuerim: non enim ab illa depoſitus crucem reliquiſti, ſed eam in aliam commutaſti, dum ex brachijs illius ad brachia mea translatus es, ſolumque illud intereſt diſcrimen, quòd illa ſunt brachia crucis mortuæ; hæc verò mea crucis viuæ. Contemplans caput vndique laceratum, ingenti dolore confecta dicebat: O audaces ſpinæ, quæ caput Creatoris veſtri immaniter transfixiſtis: non erat certè huic capiti ſpinea corona, ſed aureum diadema varijs gemmis diſtinctum apponendum. Conuerſa ad cruentas manuum, & pedum plagas: O crudeles, aiebat, claui, qui tornatiles manus perforaſtis, quæ Cœlum, & terram fabricauerunt. Ac tandem profundum lateris vulnus attentè perſpiciens, hæc verba promebat: O pectus ſacri pellicani, cuius ſanguine filiorum ſanantur vlcera: ò ſalutaris piſcina, in quam non ſemel, vt olim in anno, ſed millies ad ſalutem recuperandam ingredi licet: ò fons patens domui Dauid in ablutionem peccatorum: ò locupletiſſimum ærarium, cuius diuitijs fideles ditantur: ò ſacra ciſterna Betlehemitica, cuius aquam non minus auidè quàm Dauid, ſitiunt animæ deuotæ: ò pretioſiſſimum vas, quod cœleſte nectar ſanguinis, ac diuinam ſalutaris aquæ ambroſiam continuiſti; cuius vitrute aqua Baptiſmatis, vniuerſa abſtergit peccara. O myſtica porta aurea, ad quam diuinæ miſericordiæ eleemoſynam petentes mendici peccatores facilè ſubueniuntur. O ſacra teſtamenti arca, in qua non virga Moyſis, ſed virga diuinæ potentiæ; non tabulæ legis, ſed ſapientia patris, qui illam condidit: non manna de Cœlo deſcendens, ſed ipſa diuinitatis dulcedo deliteſcit. O Aethna, ardentiſſimæ charitatis, & amoris flammas ſemper emittens: ò puteus aquarum viuentium, quibus defatigati animi refrigerantur: ò petra ſolidiſſima non Moſaica virga percuſſa, ſed diræ lanceæ ferro aperta; ex qua largiſſimæ profluxerunt non ſolum aquæ, ſed ſanguinis vndæ ad purificanda corda, concupiſcentiæ ignem extinguendum, & ſteriles animas fœcundandas, ſpiritualemque eorum ſitim explendam. O myſterioſa arca Noè, in qua non octo animæ, vt in illa, ſed pluſquam centum millia millium ſaluæ factæ ſunt. O mirabile Cœli oſtium, per quod qui intrant paſcua inueniunt. O ſacroſanctum refugij templum, vbi confugientes ea immunitate gaudent, vt ibi perſiſtentes ab hoſtium incurſu protegantur. O turris munitiſſima, in qua inuenitur omnis armatura fortium ad diabolicas poteſtates expugnandas. O Sancta Sanctorum, in quod, non vt olim Summo Pontifici ſolum, ſed omnibus fidelibus ingredi fas eſt. O inæſtimabile conchilium, in quo latet pretioſiſſima cordis Chriſti margarira. O cella vinaria, in quam ſponſus dilectam introducit ſponſam, vt diuini amoris vino illam inebriet. O Paradiſi ianua, non à flammeo gladio introitum prohibenre cuſtodita, ſed lanceæ potius claue reſerata, vt cunctis liber pateat aditus. O ſalutare vulnus, quod noſtrum omnium vulnerum medela, ac probatiſſimum antidorum eſſe agnoſceris. O artificioſe cancelle, per quem diuinus ſponſus beneuolo aſpectu proſpicit animas. O ſacer nide, in quo lætanter ſimplices columbæ morantur; recipe me columbam tuam, non immemor, quòd me inuitaueris: *Veni columba mea, veni in foraminibus petræ,* in

Io. Bapt. Signius.

B. German. de comp. Vir.

Cant. 2.

in cauerna maceriæ.

Porrò cum Beatiſſima Virgo præ doloris magnitudine, ac tenerrimo compaſſionis affectu, non poſſet à ſacris cum filio colloquijs ſe abſtinere; & quia quantò emortuum corpus amplius in gremio retinebat, tanto dolor acerbior, & lachrymarum imber vberior erat; ideò nobiles illi duo viri, Nicodemus, & Ioſeph, nec non Ioannes, qui lateris vulneri aſſiſtebat, & Magdalena, quæ vt ſolita erat pedum oſculis vacabat, pretioſiſſimũ corporis Chriſti pignus, quod totus Mariæ theſaurus erat, è brachijs eius abſtulerunt, & ſindone inuolutum in nouo ſepulchro, quod à Caluariæ loco

Malon. centum, & octo pedibus diſtabat, vt refert Malonius de Chriſti Stigmatibus, capit. decimo, religioſè collocarunt. Tunc verò videor mihi Virginem audire in gratiarum actionem Nicodemo, Ioſepho, & reliquis, qui in ſepeliendo Chriſto inſeruierant, dixiſſe illud libri ſecun-

2. Reg. 2. di Regum, cap. ſecundo: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro, & ſepeliſtis eum.*

D. Bernard. Continuò autem, vt tradit Diuus Bernardus de planctu Virginis, cœpit illa tanquam Eccleſiæ Catholicæ Archimagiſtra, venerationem ſacri illius ſepulchri non verbis, ſed factis nos edocere: ſic enim ait: *Terminato ſepulturæ officio ſacrum ſaxum ſepulchri materna complectebantur brachia, rigabant oculi, oſculabantur labia, & totus geſtus corporis inter ſua præcordia abſorbere videbatur ſepulchrum*. Quamuis verò multi Doctores putauerint Beatam Virginem, poſtea per triduum illud à ſepulchro in ſolitarium aliquem locum diſceſſiſſe, vt dilecti filij mortem ab omni humano conſortio ſegregata liberius plangeret; & quia Virginem dedecere arbitrantur inter milites ſepulchrum cuſtodientes perſtitiſſe; graues tamen Auctores reperio aſſerentes à ſepulchro immotam permanſiſſe. Hi

Euthymius. Anonimus. ſunt Euthymius in capit. vigeſimoſeptimo Matthæi. Anonimus oratione de venerando ortu, & de educatione Mariæ, pro vt habetur in Bibliarijs ſermone de

Metaphr. de compaſſ. Vir. Natiuitate Mariæ; nec non & Metaphraſtes, cuius hæc ſunt verba, digna profectò, vt ſilentio non prætereantur: *Mater ſola remanſit ſepulchro adhærens, minimè dormientibus oculis perſeuerans; nam aliæ quidem tota nocte ad ſepulchrum ingreſſæ ſunt, & egreſſæ. Quamobrem nec eis contigit videre plura miracula reſurrectionis, illa autem, quæ indiuulſa aſſidebat ſepulchro, omnia vidit aperte, & non ſtatim, ſed poſtea protulit in lucem, & renunciauit. Nam quomodo ſimul terræmotum, & Angeli in momento temporis deſcenſum, & lapidis reuolutionem, & cuſtodum profundum ſoporem, & expergefactionem, & quorundam in Vrbem reuerſionem potuiſſent abeuntes mulieres, & rurſus reuertentes integrè perſpicere? Sed clarum eſt hoc fuiſſe materni, & ardentis amoris, quæ perpetuò aſſidens, & acriori ſpiritu vigilans, omnia perfectè vidit, vt ſe habeant, quòd ne tantillum quidem, vt diximus, à ſepulchro receſſerit, donec ipſam viuificam vidit reſurrectionem. Nam lapis quidem reuolutus, & Angelus ei inſidens, ab alijs quoque viſus eſt mulieribus. Quando autem, & quemadmodum hæc facta ſunt, illa quidem omninò neſciebant, ipſa verò ſola, vtque aſſideret omnia accuratè proſpexit,* cui cum filio eius ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

†

Digitized by Google

Homilia XI.

Quo pacto Beata Virgo Cruci aſtans humano generi multum profuerit; & qua ratione intelligendi ſint Sancti Patres, palam aſſerentes, illam cooperatam fuiſſe ad redemptionem generis humani, cùm tamen certùm ſit ſecundùm fidem Catholicam, ſolum Chriſtum Dominum ſuo ſanguine nos redemiſſe, luculenter enucleatur.

Alexand. de Ales. INſignis Theologus, ac irrefragabilis Doctor noſter Alexander de Ales, in Pſalterio Beatæ Virginis, opinatur Deiparam ad ſiniſtram Chriſti, dum ille pendebat è Cruce ſtetiſſe: quia dum in cruce viuus permanſit, faciem tenebat conuerſam ad ſiniſtram, hoc eſt ad Aquilonem, vt ſignificaret ſe orare pro peccatoribus, quos ad ſiniſtram ſtantes, ad dexteram mutare ſatagebat: ideò pia mater, vt melius faciem dilecti filij intueri poſſet, ad ſiniſtram ſe conſtituit. Adiungunt etiam alij Doctores, propterea Propheram in perſona Chriſti in cruce pen- *Pſal. 141.* dentis dixiſſe: *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me*; quia ibi non aderat Virgo: alioquin ſi ibi adfuiſſet nõ diceret, neminem illum agnoſcere ex ſtantibus ad dexteram, cùm Beatiſſima Virgo, & agnoſceret, & ex materno affectu graui dolore ſauciata, ei valdè compateretur; à Pictoribus verò maioris honoris gratia, quia dextera eſt honoratior, ad partem crucis dexteram depingi conſueuit. Stabat ergo, iuxta ſententiam Alexãdri, ad ſiniſtram partẽ crucis, tenerrimo affectu filio compatiens, & pro nobis orans; non tamen nos redimens, cùm id proprium ſolius Chriſti munus eſ-

ſet; vnde Diuus Ambroſius lib. 10. epiſto- *D. Ambroſ.* larum, & lib. de Inſtitutione Virginis dixit: *Fortaſſe quia cognouerat per filij mortem Mundi redemptionem, aula Regalis etiam ſua morte putabat ſe aliquid additu- ram muneri; ſed Ieſus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes ſine adiutore ſeruauit, de quo Dauid ante præ-* *Pſal. 87.* *dixerat: Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio. & Iſaias: Circumſpexi, & non erat auxiliator.* *Iſai. 63.* *Suſcepit quidem affectum parentis, ſed non quæſiuit alterius auxilium.* Hinc prima ratio dubitandi emergit circa Sanctorum Patrum teſtimonia, aſſerentium, Beatam Virginem cooperatricem fuiſſe Chriſti in reparatione, & ſaluatione generis humani; quia videtur per hoc derogari dignitati, & excellentiæ Chriſti Domini, qui per ſe ipſum ſolum perfectiſſimus fuit Redemptor, & Saluator generis humani; atque adeò ad redimendum, & ſaluandum illud non habuit matrem coadiutricem, maximè eo dicente per *Ibidem.* Iſaiam: *Torcular calcaui ſolus:* vnde Di- *D. Bonauen.* uus Bonauentura libro terrio ſententiarũ, diſtinctione tertia, quæſtione ſecunda, præcipit cauendum, *ne dum matris excellentia ampliatur, filij gloria minuatur, & ſic magis prouocetur, qua magis velit extolli filium ſuum, quàm ſe ipſam.* Secũnda ratio dubitandi eſt, quia modus hic loquendi videtur coduenire cum Hæreticis: nam Lucas Oſiander Hæreticus lib. *Lucas Oſian.* contra aſſertiones Doctoris Forenſis dixit de Beata Virgine agens: *Non repugnabo ſi quis eam dicat per hoc Canticum homines ſaluaſſe, vt ita candidè, & citra calumniam intelligatur Maria poſſe dici ſeruatrix.* Alij etiam Hæretici idipſum aſſeruerunt, teſte Diuo Epiphanio hæreſi *D. Epiphan.* 78. & 79.

Ego certè, quæ in hoc genere argumenti frequenriſſimè apud Sanctos Patres, & grauiſſimos Doctores inueni, fideliter referam. Non ſemel legi apud illos Beatam Virginem fuiſſe coadiutricem, & cooperatricem Chriſti ad redemptionem generis humani; immò, & cauſam noſtræ ſalutis, necnon & reparatricem Mundi, ac vniuerſalem etiam matrẽ, quæ vna cùm Chriſto ſpiritualem filiorum ſobolem, & maximè cum ſtabat iuxta crucem procreauerit. In primis Irenæus libro contra Valentinum, cap. 33. ait: *Sicut Eua*

inobe-

Digitized by Google

inobediens facta eſt, & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa mortis; ſic & Maria habens prædeſtinatum virum, tamen Virgo obediens, & ſibi, & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis.

Anſel. D. Anſelmus de laudibus B. Virginis, cap. 9. hæc habet: *Pura ſanctitas, & ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem, ſiue ſanctitatem tranſcendens, incomparabili ſublimitate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret.* Quis autem non videat idem prorſus eſſe reparatrix, & redemptrix?

D. Auguſt. Diuus Auguſtinus ſermone de Aſſumptione, inquit: *Hæc primæ matris dãna reſoluit, hæc homini perdito redemptionẽ adduxit. Mater enim generis noſtri pœnam intulit Mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem edidit Mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: illa percuſſit, iſta ſanauit.* & ibidem explicans illa verba: *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt*, hæc ſcribit: *Quæ tibi magna fecit, domina? quæ glorioſa Virgo, vt Beata dici merearis? Puto enim immò veraciter credo, vt creatura ederes Creatorem: famula Dominum generares: vt per te Deus Mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret.*

D. Bernard. Accedit D. Bernardus, qui multa præclara in hoc genere argumenti nobis con teſtata reliquit: nam ſerm. de Aſſumptione Virginis, ait: *Ad reſtaurationem humani generis ſufficere poterat ſolus Chriſtus, ſicut omnis ſufficientia noſtra ex ipſo eſt. Sed bonum non erat nobis hominem eſſe ſolum; congruum magis erat, vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Et de verbis Apocalyp. Idem. *Signum magnum*, ait: *Vehementer quidem nobis vir vnus, & mulier vna nocuere: ſed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & vnam feminam omnia reſtaurantur.* & ſermone 89. aliàs ſermone de Natiuitate Mariæ, hæc ſcripſit: *De plenitudine eius accipiunt vniuerſi captiui redẽptionem*, &c. Deinde ait: *Merito Domina, reſpiciunt in te oculi vniuerſæ creaturæ, in qua, & ex qua benigniſſima manus Dei quidquid creauerat recreauit.*

B. Amad. B. Amadæus de laud. Virg. homil. 7. hæc dicit: *Sicut in Eua omnes moriuntur, ita & in Maria omnes viuificabuntur; & ſicut Euæ ſcelere fit Mundi damnatio, ita fide Mariæ facta eſt Orbis reparatio.*

B. Andreas Creten. B. Andreas Creten. apertis verbis idipſum conteſtatur ſerm. de dormit. Virg. dicens: *Sola præter naturam fuit electa ad naturam renouandam.*

D. Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus homilia de interdictione arboris ab Adam: *Planè* (inquit) *reſtauratur per Mariam, quod per Euam perierat.*

S. Ephrem. Sanctus Ephren vocat Mariam, *captiuorum redemptionem, & omnium ſalutem.*

B. Laur. Iuſt. B. Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Natiuitate Mariæ, inquit: *Quis Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri genitricem, reparatricem ſæculi, lucem Mundi?*

Sergius Hier. Sergius Hieroſolymitanus de Natiuitate Virginis appellat eam, *expultricem tenebrarum, reparatricem Adæ, reuocatricem Euæ, immortalitatis fontem, corruptionis interitum.*

B. Petr. Dam. B. Petrus Dam. ſerm. de Annunc. loquens de Chriſti redeptione per myſteriũ incarnationis, ait: *In ipſa hoc totum faciẽdum decernitur, vt ſicut ſine illo nihil factũ eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.*

D. Antonin. D. Antoninus ſimilia docet 4. par. ſuæ Theologiæ tit. 15. cap. 14. §. 3. in fine, dum in perſona Virginis ait: *Cum eo eram cuncta componens, ſcilicet recreando, quæ per culpam deſtructa erant.*

S. Brigit. Deinde apud B. Brigitam lib. reuel. c. 35. quæ à Concilio Cõſtantienſi, & varijs Pontificibus ſunt receptæ, hæc verba habentur in perſona Virginis: *Dolor Chriſti erat dolor meus, quia cor eius erat cor meũ: Sicut enim Adam, & Eua vendiderunt Mundum pro vno pomo; ſic filius meus, & ego redimimus Mundum quaſi vno corde.*

Lanſpergius. Ad hæc inſignis Auctor Lanſpergius homilia 48. de paſſione Domini in hunc modum loquitur: *Volens Chriſti matrem adeſſe ſibi in doloribus, vt ex his oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur; ſic ſic Chriſti paſſionis, & redemptionis quoque particeps fieret, & cooperatrix.*

Bernar. Buſt. Eruditus Auctor Bernardinus Buſtẽſis, in fine ſui Marialis inter alia epiteta, quibus Beatam Virginem cõmẽdat, hæc apponit: *O vena noſtræ ſalutis, ò redemptrix vniuerſi, ò recuperatrix perditi Orbis, ò reno-*

renouatrix humanæ naturæ.

Albert. Mag. Albertus Magnus ſuper *Miſſus*, hoc ipſum his verbis adſtruit: *Hoc priuilegiũ ſolùm attribuitur Mariæ, quia ipſa eſt adiutrix redemptionis.*

Auctor Pom. Auctor Pometij ſermonum de Beata Virgine, lib. 11. par. 1. c. 9. cuius titulus eſt, *Quòd Mundus ſaluatus eſt, mediante Maria matre Dei:* hæc verba habet ex ſua, & Alberti Magni ſententia: *Per Virginem, & ipſa mediante Mundus redẽptus ex damnatione extitit, vt ſicut canit Eccleſia femina, ideſt, Eua damnauit; ita femina, ideſt, Maria ſaluauit. Proinde ſecundum Albertum ſuper Miſſus eſt, hoc priuilegium magnum ſoli attribuitur Mariæ, quia ipſa eſt adiutrix redemptionis humanæ, & mediatrix.*

Salmeron. Doctiſſimus Salmeton, tom. 10. tract. 60. ait: *Ad hæc mater Cruci aſtitit, vt humani generis reparatio ruinæ, Mundi congrueret. Vt enim ruina ex eo eſt ſecuta, quòd mulier ad lignũ ſcientiæ boni, & mali accedens comedit, ac proinde mortua eſt, & viro tradidit in mortẽ ad edendum; ita hinc eſt è contrario: (ſiquidẽ contraria contrarijs curantur) vir primo de ligno amaro Crucis guſtauit; ac femina guſtandũ præbuit; & vt vbi à duobus, ſed præcipuè à viro caſus Mundi profectus eſt; ita ſalus, ac redẽptio à duobus, ſed præſertim à Chriſto proficiſcitur. Nam quidquid habet virtutis Maria à Chriſto accepit*, atque hic auctor in alijs penè innumeris locis ſuorum operum hanc eandem doctrinam, & docet, & illuſtrat, quæ breuitatis gratia conſulto prætereo, vt ad alios Doctores me conferam, qui expreſſis verbis eandem ſententiam conteſtantur. Hæc ille, ſed ante illum hanc eandem doctrinam edocuit Clitoueus de doloribus Beatæ Virginis, capit. vndecimo, vbi ait: *Quocirca poſt filium ipſa Beata Mater dici iure poteſt, in ſuo gradu redemptrix, atque reparatrix humani generis.*

Mag. Torres. Magiſter Torres Ord. Præd. in ſuis declamationibus, decla. 3. dixit: *Habuit partem Beatiſs. Virgo optimã in opere ſalutis hominum; nã quamuis ſolus Deus operari ipſam poſſet, neque noſtro indigeret adiutorio (quidquid enim per cauſas ſecũdas facit, ſe ſolo poteſt operari) vel in hoc maximè noſtram ſublimauit naturã, talem ſecũ aſſumens adiutricẽ, cui poſt ipſum maximè debeæmus. Et ſicut partẽ habuit prudẽtiſſima Rebecca in benedictione Iacob: ſiquidẽ illi contulit veſtes, quibus à patre illã obtinuit; ita hæc ſapientiſſima cunctorũ viuentium mater, & genitrix luctatoris illius, qui ſimul luctabatur, & viator erat, & ſimul Iſrael, & videns Deũ veſtẽ carnis conferẽdo, & habitũ peccatricis naturæ, & ſimilitudinẽ carnis peccati (abſque peccato tamen) quibus benedictionẽ nobis à Deo Patre impetrauit, magnã partẽ habuit. Per ipſam benedixit nos Deus omni benedictione in cæleſtibus.* & infra: *Quæ lingua, quæ vox in tuis laudibus decantãdis inuenietur idonea? quę ad ſalutẽ noſtrã operandam aſſumpta es à Deo tanquã inſtrumentũ, & cauſa, vt cum eo cuncta componeres: cauſa inquam non tantum efficiens, ſed velut materialis, ex qua, vt vidimus materiam carnis aſſumpſit Deus, in qua operaretur.*

Deinde Innocen. III. dignitate Põtifex, & doctrina celebris ſerm. 2. de Aſſũp. ait: *Oportebat vt ſicut per feminam mors intrauit per orbem, ita per feminam vita rediret in orbem; & ideò quod damnauit Eua ſaluauit Maria, vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret.*

Hinc rurſus Patres apertiſſimè etiam in eam aſſertionem conſpirant, vt Beata Virgo vna cum Chriſto Domino magnam filiorum ſpiritualium ſobolem procreauerit; præſertim tamen Diuus Auguſtinus, libro de ſanctiſsima Trinitate, capit. ſeptimò, vt refert Caniſius libro primo, de Deipara, capit. primo, adſtruit Mariam corporalem ſimul, & ſpiritualem Chriſti matrem eſſe: quia non modo caput ipſum, & Saluatorem totius myſtici corporis enixa eſt, ſed & ſpiritu matrem ſe membrorum Chriſti præbuit, eo quòd charitate maximè ſit cooperata, vt fideles in Eccleſia naſcerentur. D. Auguſt. Caniſius.

Tertullianus. Tertullianus etiam de præſcriptionibus Hæreticorum ait, omnem verè Chriſtianum eſſe Mariæ filium. Diuus Epiphanius contra Antidicomarianitas eleganter dixit: *Vt omnis hominum generatio ex prima illa, quæ primæuam nobilitatem inobedientia vitiauit, infeliciter exorta eſt; ſic vera vita, qua Deum ſecundum ſpiritum viuimus, per alteram matrem Mariam verè obedientem, nobis perditis, quaſi reſtituitur dum hæc ipſum vitæ fontem, & auctorem Chriſtum nobis exhibet.* Epiphan.

Vetus

Vetus Eua fœtus ſuos priuſquam pareret extinxit, nouerca potius, quàm mater appellanda;ſed noua hæc Eua non morientium, ſed reuiuiſcentium mater extitit.

D. Paulus ad Corinth. Tandem ſi Diuus Paulus loquens de communi hominum ſalute, fatetur ſe ad 1.Cor.3. eam eſſe adiutorem Dei, *Dei adiutores ſumus*; non ne potiori iure Beata Virgo dici poterit adiutrix Dei ad ſaluandos homines? Propheta etiam Abdias capite Abdias. vnico, non ne Apoſtolos vocat Saluatores: *Accedent Saluatores in montem Syon?* Nic. de Lyra. ſuper quæ verba Nicolaus de Lyra ait: *Aſcedent Saluatores, ideſt Petrus, & Paulus, qui dicuntur Saluatores participatiuè, eo quod ſunt præcipui Apoſtoli,in montem Syon,ideſt,in Eccleſia, quæ Mons Syon dicitur*. Si ergo in Apoſtolos conuenit Saluatores eſſe participatiuè, nemo catholicus negabit in Beatam Virginem excellentius conuenire,eſſe ſaluatricem,in eodem ſenſu ſcilicet participatiuè, cùm perfectius quam Apoſtoli cooperata fuerit ad ſalutem humani generis conſequendam.Deinde nemo Theologorum ignorat magnum diſcrimen eſſe inter ſaluare quoad ſufficiẽtiam,& quoad efficaciam.certè omnis noſtra ſufficiẽtia ad ſalutem ex Deo ſolo eſt, vt ait Apoſtolus; tamen quòd efficaciter conuertamur, & ſaluemur non ſolum ex Deo, ſed ex multis cauſis ſecundis ſolet dependere: tum ex libero arbitrio ab ipſo Deo moto,& excitato, tum ex applicatione ſacramentorum,tum ex Euangelico Prædicatore, & prudenti Confeſſore, tum ex ſanctorum interceſſione, tum ſæpè ex ſpeciali Beatiſſimę Virginis impetratione. Igitur omnes iſti cooperantur cum Deo ad ſpiritualem omnium ſalutem. Ac tandem quorum aures offenduntur ex eo, quòd Patres, & Theologi aſſerunt fuiſſe Virginem ſuo modo reparatricem mũdi, aut coadiutricem Chriſti in redemptionẽ generis humani,audiant præter omnia dicta inſignem illum virum doctrina, & ſan- Richellius. ctitate conſpicuum Richellium lib.2.de laudibus Virginis,art.9.dicentẽ: *Si quando Maria mundi ſaluatrix dicatur, non id propter efficientiam, quia neque ſalutem, neque gratiam ipſa efficit;ſed propter ſubuentionem dici, quoniam apud Deum gratiam, ac felicitatem nobis precatur,atque procurat*.hęc ille.Audiant etiam magnum diſcrimen eſſe (in quo nonnulli ſunt decepti) inter cooperari ad redemptionem generis humani, & redimere ipſum genus humanum. Sicut enim Paulus pecunias ex liberalitate, aut miſericordia donans Petro, ex quibus ille ſatisfacit creditori, veraciter dicitur cooperatus ad ſolutionẽ debiti;minimè tamẽ dicitur ipſum formaliter ſoluiſſe: quia ſicut ſolus Petrus erat debitor formaliter,ita ipſe fuit formaliter ſolutor,& exercuit actum iuſtitiæ; Petrus verò miſericordiæ aut liberalitatis. Sic in propoſito, licèt Beata Virgo cooperata fuerit ad redemptionem generis humani, non ſolum meritis ſuis de congruo,& precibus, ſed & prebendo Redemptori corpus, & ſanguinem, quo redemit nos; non tamen ipſa redemit, ſed Chriſtus ſolus. Atque ex his omnibus abundè patet ad vtramque rationem dubitandi ſupra propoſitam. Solum aduertere oportet, vt recte adnotauit Franciſcus Suarez tomo 2. Suarez. in tertiam partem diſputatione 23.ſect.1. quod Hæretici illi,quorum meminit Epiphanius Hæreſi 78.& 79.in eo errore erãt vt putarent Beatam Virginem fuiſſe præcipuam ſalutis noſtræ cauſam,vel per modum efficiẽtiæ,aut redemptionis, aut meriti de condigno; quod conſtat aduerſari, & pugnare cum fide Catholica, à quo errore longè abeſt ſententia Sanctorum Patrum, dum Beatam Virginẽ vnanimi conſenſu conteſtantur coadiutricem, & cooperatricem cum Chriſto ad reparationem, & ſalutem generis humani. Sicut enim certum eſt, ſecundum fidem Catholicã, Adamum extitiſſe totalem cauſam perditionis generis humani;itaut ſi ipſe non peccaſſet quantumcumque æua inobediens fuiſſet,genus humani non periret; & nihilominus vnanimus eſt omnia catholicorum conſenſus & vox, Euam multum cooperatam fuiſſe ad perditionem generis humani, & ideo magis nouercã quã matrem appellandam; ſic etiam licet certum ſit, ſecundum Fidem Catholicã,Chriſtum ſolum fuiſſe redemptorem generis humani,id nihil prorſus obſtat, quominus B.Virgo Euæ ex diametro oppoſita multũ cooperata fuerit ad redemptionem generis humani. Quare quæ in hoc genere argumenti dixi ſupra lib.1. hom.3. non aliter intelligi deſidero,quam ſecundum ſenſum, quo illa intellexerunt ſancti Patres à me hic & ibi relati; nec non grauiſſimi Theo-

Digitized by Google

Theologia me citati. Hæc Catholicis damus.

Venio iam ad Hæreticos vetuſta quadam quærimonia, more ſuo muſſitantes, & obtrectantes Eccleſiæ Catholicæ, quòd nonnulla epitheta Deiparę Marię tribuat, & in eius laudem publicè decantet, quę ſoli Chriſto Domino conueniant. Lutherus enim in Poſtilla circa enarrationem Euangelij de feſto Natiuitatis Mariæ ait: *Coactè Epiſtolam huc torſerunt, quæ diuinæ ſapientiæ tantum competit, ipſi ſcilicet Chriſto: hic enim ante ſecula fuit. Quod autem Mariæ Deiparæ hæc tribuitur, merum mendacium, & in Deum blaſphemia eſt.* Petrus item Pſeudomartyr Hæreticus, vt Authot

[Card. Bellar.] eſt Illuſtriſſ. Card. Bellarminus, aiebat non poſſe ab impietate defendi quod antiphona, *Salue Regina*, multa tribuat Mariæ, quæ ſoli Deo conueniunt; nam Chriſtus

[Ioann. 14.] eſt propriè vita, vt habetur Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Aequatur igitur Maria Chriſto dum appellatur vita. Deus etiam ſolus eſt, qui beatos facit; quomodo igitur Maria nobis poſt hoc exilium Ieſum oſtendit, niſi ipſa quoque ſit Deus, & beatos homines facere queat? Similis

[Iacob Heber.] etiam fuit obiectio Iacobi Heberbrandi, qui in diſputatione de ſemine Abrahæ inquit: *Turpiſſimè errant Pontificij, dum Diuæ Virgini hæc tribuunt, quòd ſit fons miſericordiæ, & quòd vitam æternam tribuat.* Verum hæc conſiderans, appoſitè ſatis mihi videtur loquutus inſignis Author

[Timoth.] Timothæus presbyter Hieroſolymitanus oratione de Propheta Simeone, dum Bea-

[Lucæ 2.] tam Virginem appellauit, *ſignum, cui contradicetur*; cùm tot cauillorum tela Hæretici in eam coniecerint. Ad illa tamen infringenda non oportet aliud dicere, quàm id, quod grauiſſimi Theologi reſpondent. In primis namque inſignis Author Petrus

[Caniſius] Caniſius, ac de Virgine valde benemeritus lib. 5. de Deipara cap. 12. ait: *Quàm vanus, ac præpoſterus horum eſt metus, ne quod matri adijcimus, id filio adimamus: quin potius Matrem ob filium eiſdem etiam nominibus honoramus; neque vt iſti faciũt optimæ, maximæque Matri excellentes titulos inuideamus.* Adeò verum eſt quod di-

[Tertullianus.] xit Tertullianus libro cõtra Hermogenem, *Hæreticos ex more ſingula quæque retorquere; quòd ſi Chriſtianum illum cãdorem, qui homines Euangelicos decet afferrent, ſi ſcripturis conſentanea ſentirent, ac dicerent, Theologicam Regulam diligentius obſeruarent; qua veriſſimè traditur, multa nomina propriè & per eſſentiam, ſiue per excellentiam diuinis perſonis competere, quæ ſecundario, ac minus principaliter, & ſecundum gratiam, aut per participationem ſanctis attribuatur, eſt eadem ſemper nuncupatio.* Et paulò inferius concludit: *Igitur imperitos, & ridiculos eſſe neceſſe eſt, qui nudas ſcripturæ voces, ac phraſes vrgẽt mordicus, nullamque in verbo Dei diſtinctionem, vel quamdam interpretationem admittunt; ac demum indignè ferunt ea, quæ de Deo & Chriſto ſcripta legimus, cum ad ſanctorum alios, tum ad matrem Dei ſanctiſſimam aliqua ex parte transferri.* Idem etiam Ca-

[Caniſius] niſius eodem libro cap. 11. alia huic argumento ſatis conſentanea in hunc modum ibidem ſcripſit. *Quapropter illi, (* ſcilicet ſancti Patres *) vt radicem, & fructum, ſic matrem, & filium eiſdem laudandi formulis ſæpè numero proſequuntur; & quæ ad Chriſtum maximè pertinent epitheta, eiſdẽ Mariam quoque compellare non verentur.*

[D. Bernar.] *Id enim cum Bernardo ſenſerunt, qui non dubium eſſe inquit, quidquid in laudibus Matris proferimus, id ad filium pertinere. Spectarunt certe veteres, atque ſuſpexerunt auguſtam, & arctiſſimam illam coniũctionem, quæ inter Chriſtum, & ipſius matrem non ſolum ex parte carnis, ſed etiam propter animorum, ac voluntatum conſenſionem interceſſerit; adeo vt nihil duobus illis, ſiuè in terris, ſiuè in cælis coniunctius eſſe poſſe videatur. Vt enim præclarè dixit vir ſanctus*

[Arnol. Carn.] *Arnoldus Carnotenſis in tractatu de laudibus Mariæ: Vna eſt Mariæ, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas; & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum, & donum; & filij gloriam cum Matre non tam communẽ iudico quam eamdem. Quid ergo mirum, eadem vocabula, quæ Chriſto alioquin debentur, matri nonnunquam adſcribi? ſed ita vt ſenſus alius, atque alius ſit vocabu-*

[Card. Bellar.] *lorum.* Deinde Illuſtriſſimus Card. Bellarminus ſapienter vt aſſolet, libro 15. de bonis operibus, defendẽs Beatam Virginem a quibuſdam Hæreticis contendentibus perperã illam vocari *vitam*, quia id proprium eſt Dei, reſpondet in hæc verba. *Nõ dicitur vita per eſſentiã quomodo eſt Deus; neque quod ſit principalis cauſa vitæ quo-*

modo

modo eſt Deus; neque quod ſit principalis cauſa vitæ quomodo de Chriſto dicitur Act. Act. 3. *3. Authorẽ verò vitæ interfeciſtis; ſed quòd Chriſtum peperit, & per illum facta ſit mater omnium viuentium vita ſpirituali. Sic enim Eua dicta eſt vita, voce enim Hebræa vitam ſignificat, quia mater futura erat omnium viuentium vita animali. Obſeruat autem* D. Epiphan. *Epiphanius hæreſ. 78. Euam appellatã eſſe vitam, non quia ipſa per ſe tam inſigni nomine digna eſſet; ſed quia typus erat Mariæ, quæ verè vitam dici meretur cum ſit mater Chriſti, ac per hoc, omnium viuentiũ.*

Tandem vt alios omittam, Frãciſc. Suarez Suarez. in tertiam partem, tomo ſecũdo diſputatione 23. ſect. 1. con. 2. poſtquam dixerat Beatam Virginem ad noſtram ſalutem cooperatam fuiſſe, id explicat tribus modis, in hæc verba: *Primo merendo de congruo incarnationem, ſecundo orando, & petendo, & quamdiu fuit in vita, de congruo merendo nobis ſalutem; tertio concipiendo Chriſtum noſtræ ſalutis Authorem: & eiſdẽ modis ſæpiſſimè ſancti Patres Beatæ Virgini attribuunt, quod noſtræ fuerit ſalutis cauſa, præcipuè* Irenæus. Anſelmus. *Irenæus lib. 3. cap. 33. Anſelmus lib. de laudibus Virginis cap. 9. Fulgẽt ſermones de laudibus Mariæ ex parte ſaluatoris; vbi egregiè opponit Mariam Euæ, vt ſicut hæc fuit humani caſus principium, ita illa fuit noſtræ reparationis exordium, & cauſa.* hæc ille. Quibus omnibus duo addo. Primum eſt, quòd cùm duo munia, maximè Dei propria ſint, peccata remittere, & perditos homines ſaluare, hæc tamen iuxta phraſim ſacræ ſcripturæ, hominibus tribuuntur. Iacobi enim quinto le- Iacobi 5. gimus: *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte*: & per Ioannem, Ioann. c. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*. Ecce ſaluare, & remittere tribuuntur Deo, & creaturis, ſed aliter, & aliter: Deo tanquam cauſæ principali, & authoritatiuè; creaturis verò miniſtraliter, & inſtrumentaliter. Quo etiam modo explicari debet, quòd cùm alioquin beatificare ſit proprium Dei, nihilominus fideles precantur Beatam Virginem in præcitata antiphona: *Salue Regina*, vt il- Antiph. Eccl. Catholicæ. los beatificet dicentes: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*. Certè id conuenit B. Virgini impetratiuè, Deo verò authoritatiuè. Ac tandem qui mirantur Beatam Virginem dici coadiutricem Chriſti ad redemptionem generis humani, magis mirari debent quòd in ſacris ſcripturis Moyſes vocetur Deus Pharaonis: *Ego te conſtitui Deum* Exod. 7. *Pharaonis*; cùm tamen non niſi vnus ſit omnium Deus; & mirari etiam debent quod S. Gregorius Nazianz. oratione de Greg Naz. B. Damianus. Chriſti Ipopãti, & B. Damianus ſerm. 2. de Natiuit. B. Virginem appellant Deam, intelligentes quidem eſſe Deam non per eſſentiam, ſed per ſingulariſſimam præ omnibus participationem. Eſichius etiam presbyter Hieroſolymitanus (quod mirabilius videri poterit) non dubitat illam appellare, *complementum Trinitatis*; non quia intrinſecè compleat Deum trinum, & vnũ; ſed quia cùm Deipara inter puras creaturas perfectiſſimum Dei opus ſit, extrinſecè complet Dei omnipotentiã, dum hæc ſuper omnia opera, in illa mirificè effulget. Hæc & ſimilia, quæ ſancti Patres, & graues alij Doctores ad Virginem commendandam ſincere vſurpant, pia, & ſincera mente ſunt interpretanda, & non in prauos ſenſus in torquenda, cùm ab eorum mente longè illi ſint alieni, & Virgini multum infeſti, & ingrati, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

†

DE SACRIS ARCANIS B. VIRGINIS,

IN MORTE, SEPVLTVRA, ET RESVRRECTIONE EIVS LATENTIBVS.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Homilia Prima.

Beatam Virginem Patres nonnulli dubitarunt mortem obiiſſe, ſed verè mortuam fuiſſe, auctoritate, & ratione comprobatur, ſed prius ſit ſatis quærentibus, quare B. Virginis ortum, & mortem, necnon heroica eius facinora paucißimis exceptis, ſacri Euangeliſtæ reticuerint.

NON vnius, ſed multorum querimoniã audio ęgreferentiũ quod in Canonicis ſcripturis nulla texitur hiſtoria, Deiparæ Marię, ortum, gęſta, & mortẽ eius adamuſſim enarrans. Mirum certè (inquiunt) eſt cur diuina eloquia hæc tanti momenti reticuerint. Meminit huius querimoniæ perantiquus Author Pomerij ſermonum de B. Virgine in hæc verba: *Matthæus cap. 1. ſcribens de Chriſti genealogia, hoc ſolùm dicit: Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus: putabam, dicere debuiſſe: Virum Mariæ Ioachim, quam ex Anna vxore, Angelo nunciante, miraculosè genuit, quæ fuit Virgo caſtiſſima, &c. Similiter, & Lucas: Miſſus eſt (inquit) Angelus ad Virginem, &c. non deſcribit eius ortum nec eius geſta, aut vitæ ſeriem, aut præclara ſanctitatis opera, & ſic de alijs Euangeliſtis. Præter hoc ſolùm, quòd conceptionem filij Dei ex ea à Spiritu ſancto factam deſcribunt, et ea, quæ ad id dumtaxat pertinere videntur; & ad id aſſumunt argumentum tale, obijcientes, quia Euangeliſtæ Præcurſoris ortũ, parentumq; dignitatem, vitæ ſanctitatem, arduaque, & præclara eius geſta deſcripſerunt, uſque ad terminum vitæ eius, & martyrium. Ergò multò magis hoc de matre Dei facere debuerant, ad fidei, & morum ædificationem. Videtur ergò, quòd ſacra Scriptura id omittendo, ſit diminuta.* Ipſe verò, vt huic obiectioni ſatisfaciat, duplicem adhibet rationem. Primam, conſultò à ſacris Euangeliſtis illa omnia omiſſa fuiſſe, vt ſic fidelium deuotio erga Deiparam magis excitaretur, auidius in dies inquirentes ſacra eius geſta, vitam, & mortem, iuxta illud Eccleſiaſtici. *Qui edunt me adhuc eſurient, qui elucidant me, vitam æternam*

Auct. Pomer.

Eccl. 24.

Digitized by Google

æternam habebunt. Secundam reddit rationem, quia ſanctitas vitæ, & mortis B. Virginis, ex quo vera Dei genitrix fuit, vt ait D. Matthæus: *De qua natus eſt Ieſus*, ſatis liquet. Vnde nulla ſupereſſe poterat dubitandi ratio de eximia vitæ, & mortis illius ſanctitate: ad idque magis explicandum, ſubdit hæc verba: *Præcurſoris ortus, vita, & mors rationabiliter ſcripta ſunt; Mariæ autem miraculoſa conceptio, & ortus gaudioſiſſimus, vita ſanctiſſima, opera præcellentiſſima, & arduiſſima, atque mors precioſiſſima, & glorioſiſſima ideirco ſcribi non debuerunt, quia certiſſima fide creditur inter fideles viros quidquid ad eius dignitatem, ſanctitatem, & excellentiam pertinet, & per ſe notum eſt his, qui de Ieſu integram habent fidem.* Matth. 1.

Aliam tandem reſponſionem eidem querimoniæ adhibuit nobilis Auctor Michael Glyca in hæc verba: *Hac de re ſatis eſt reſpondere, Authores Euangeliorum Chriſti admirationem in carne admirantes, ad eius à terris in Cælum aſcenſionem perueniſſe. At expers illa maculæ Domini noſtri Ieſu Chriſti mater, prouectam ætatem attigiſſe perhibetur, vt diuinus ille vir Andreas Cretenſis Antiſtes author eſt. Quapropter fieri non potuit, vt Virginis illius perpetua obdormitio Euangelicæ hiſtoriæ infereretur, vti quæ longo deinceps tẽpore (vt diximus) acciderit. Præterea ſeorſum peculiari quodam libro, de ipſa nihil Chriſti Diſcipuli memoriæ prodiderunt, propterea quòd in explicanda ipſius adminiſtratione occupati, magnopereque de vna illa re ſolliciti, quo nimirum pacto, incredulos, fideles efficerent, ac omnes ad puram ſinceramq; in Chriſtum fidem perducerent, cætera negligebant, præſertim ea, quæ ad diuinam illam prædicationem nihil facerent.* hæc ille. Cùm ergo ex ſacris Scripturis, Deiparæ mors non conſtet, nonnulli antiqui Catholici, de ea dubitarunt. Mich. Glyca. de planct. Vir.

Grauiſſimos ego duos Doctores inuenio, Timotheum, & Epiphanium, qui de felici tranſitu B. Virginis agentes, mortẽ non guſtaſſe indicant, ſed diuerſimode. Nam Timotheus presbyter, oratione de ſacro occurſu, planè affirmat, nunquam mortuam Beatam Virginem. Epiphanius verò hæreſi 73. hæſitat, & in vtramque partem vacillat, remque indeciſam, & indefinitam relinquit, quòd mortem non obierit. Verba eius ſunt hæc: *Sed etſi videntur quidam erraſſe, quærant veſtigia ſcripturarum, & inuenient vtique, neque mortem Mariæ, neque an mortua, vel non mortua ſit; neque an ſepulta ſit, aut non ſepulta. Et quidem, cùm Ioannes in Aſiam inſtitueris profectionem, nuſquam dicit ſcriptura, quòd abduxerit ſecum ſanctam Virginem; ſed ſimpliciter ſiluit propter miraculi excellentiam, ne ad ſtuporem perducerct hominum mentes: ego enim non audeo dicere, ſed cogitans, ſilentium mihi impono. Fortaſſis enim alicubi etiam veſtigia inuenerimus ſanctæ illius, ac Beatæ, ſicut neque inuenire datur mortem ipſius; alicubi enim Symeon dicit de ipſa: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes. Alicubi verò in Apocalypſi dicit, quòd Draco feſtinauit ad mulierem, quæ genuit maſculum, & datæ ſunt ipſi alæ aquilæ, & aſſumpta eſt in deſertum, ne ipſam arriperet Draco. Fortaſſis autem poteſt id de ipſa accipi, & impleri: non autem omnino definio hoc, & non dico, quòd immortalis manſit, neque affirmo, an mortua ſit. Exceſſit enim ſcriptura mentem humanam, & in ſuſpenſo reliquit, propter vas precioſum, & excellentiſſimum, vt ne quis in ſuſpicionem veniat, carnalium de ipſa rerum. Siue igitur mortua eſt, non nouimus, ſiue ſepulta eſt; non copulata fuit carni; abſit.* hæc Epiphanius. Timoth. D. Epiph. Luc. 2.

Ceterùm, Beatam Virginem, pro conditione humanæ naturæ, verè mortem obiiſſe: præter Catholicæ Eccleſiæ traditionem, quæ per totum Orbem Terrarum felicem eius tranſitum, & mortem celebrat, vnanimi conſenſu Patres illam conteſtantur. Diuus Dionyſius lib. de diuinis nominibus cap. 3. D. Damaſcenus de dormitione Virginis. D. Auguſtinus ſermone de aſſumptione. Andreas Cretenſis oratione prima de dormitione Deiparæ. Iuuenalis Archiepiſcopus Hieroſolymit. in hiſtoria euthymiaca Angelicus Doctor. Diuus Thomas ſuper epiſtolam primam ad Corinth. cap 1. Nicephorus lib. 2. c 21. Metaphr. die 15. Auguſti. Sophronius ſermone de Aſſumptione Virginis. Solùm tamen Diui Ioannis Damaſceni, & Diui Auguſtini verba apponam. Ille oratione de dormitione Deiparæ, ait: *Hodie vitæ theſaurus, gratiæ abyſſus, neſcio quomodo dicã,* audaD. Dionyſ. D. Damaſc. D. Auguſt. Iuuenalis. D. Thomas. Nicephorus. Metaphraſt. So. hronius. D. Io. Damaſ.

audacibus; & non trementibus labijs, vitali morte tegitur; & ad eam ſine metu accedit illa quæ eum reperit, qui ipſam fregit, & diſſoluit, ſi mortem tamen vocare oportet eius ſacratiſſimum, & vitalem è vita exceſſum. Quæ enim omnibus eam, quæ verè eſt vita, edidit, quemadmodum morti fuerit obnoxia, quæ cedit legi latæ ab eo, quem peperit, & tanquam filia quidem veteris Adam, paterna ſoluit debita? nam eius quoque filius, qui eſt ipſa vita, ea non recuſauit.

B. Auguſt. Sanctus autem Auguſtinus ſermone de Aſſumptione Virginis ſic habet: *Memores conditionis humanæ mortem illam temporalem obijſſe matrem Dei, dicere non metuimus.* Rectè quidem D. Auguſt. mortem Virginis, naturæ humanæ conditioni tribuit; non peccato originali ab ea contracto, cuius labe nunquam fuit infecta. Vnde B. Angelus de Pas in expoſitione Symboli lib. 5. cap. 22. hæc ſcripſit: *Prætereunda mihi haud videatur quæſtio an mors, quæ in alijs à peccato accidit, fuerit in Maria peccati pœna? Siquidem Caietanus in opuſculo de conceptione Virginis ad Leonem Decimum, vult, ob peccatum mortuam Mariam; & contra ſentire, hæreticum putat, cùm Paulus arguat: Chriſtus pro nobis mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Albertus Pigius, & Ambroſius Catherinus ab hæreſi excuſant dicere, non propter peccatum mortuam Virginem; immò volunt pium eſſe ſic ſentire, nec mortem, nec aliquam originalis peccati pœnalitatem à peccato prouenisse Virgini; ſed à voluntate Dei, qui ſicut à peccato præſeruauit mundam, à peccati pœnis liberam cuſtodiſſet, niſi eam conformari filio vidiſſet conducere. Nec id Chriſtum Mariæ liberatorem negat, & pro ea mortuum, quin ceteris perfectius liberatam indicat, ſicut & redemptam. Itaque (ſicut docet D. Auguſtinus, & vnanimis conſenſus Theologorum) etiamſi Adam non peccaſſet, niſi alioquin ſpeciali Dei dono conſeruaretur, ſed propriæ naturæ relinqueretur; ex pugna continua caloris natiui, & humidi radicalis tandem periret. Immò, vt tradit idem Sanctus Doctor lib. 2. de baptiſmo Paruulorum, etiamſi nullus Chriſtum interfeciſſet, tandem ſenio defeciſſet, niſi alioquin ſpeciali ratione ſe voluiſſet conſeruare. Ita Beatam Virginem affirmamus, mortẽ ſuſtinuiſſe, non tanquam pœnam peccati, quod ipſa contraxerit; ſed vel tanquam conditionem annexam corruptibili naturæ humanæ, vel certè ex debito modi naturalis conceptionis, & ortus ſui. Obnoxia fuit morti corporis, non obſtante gratia præſeruationis à peccato originali: quia licet Deus gratiæ ſuæ præſidio præuenerit infectionem animæ; non tamen præcauit carnis fœditatem, quam ſecũ affert naturalis modus propagationis humanæ per ſeminalem rationẽ ex Adam. Et ideo ratione illius manſit B. Virgo mortis diſcrimini obnoxia, ſicut & manſit alijs pœnalitatibus, quæ per peccatum primi Parentis introierunt in Orbem Terrarum, ſicut ſunt fames, ſitis, & alij corporales labores.*

Margin notes, left column: B. Angelus. — Caietanus. — Albert. Pig. Ambr. Cath. — D. Auguſt. — S. Auguſt.

Sed iam varias rationes, ob quas valde decuerit Beatã Virginem morti ſubiacuiſſe, ſubijciamus. Prima ſit, quia quondam quidam Hæretici qui (vt refert Cardinalis Baronius) de aſſumpt. Virg. to. 1. Collyridiani, & Anthidicomarianitæ autumarunt, illam non ſimilem nobis mortalem conditionem induiſſe; ſed diuinam, atque adeò tanquam Deum, fuiſſe penitus mortis expertem. Quos neruoſe refutat Diuus Epiphanius hæreſi 79. Alij temere effutierunt, illam Angelicæ pluſquã humanæ naturæ fuiſſe participem: quorũ meminit D. Thomas 3. ſententiarum diſt. 4. Manichæi etiam Chriſtum Dominum fantaſticum corpus induiſſe commenti ſunt. Valentiniani cœleſti, & impaſſibili materia præditum conſtanter docuerunt. Ad infringenda ergo, ac pœnitus trucidãda hæc portentoſa errorum monſtra; oportuit Beatam Virginem, mortem, ſicut cæteros homines, obire; alioquin ſi immortalis, perſiſtens in Cœlum euolaret, tenacius illi his erroribus adhærerent. Secunda ratio, quia oportebat Beatam Virginem, quantum muliebris ſexus conditio ferebat, perſimilem fuiſſe vnigenito filio ſuo. Cum ergo ipſe (licet alioquin omnis peccati expers) communi illi legi ſe ſubdidiſſet: *ſtatutum eſt, hominibus ſemel mori*, cui perſimilis eſt illa Dauid Pſal. 38. *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem?* & illa Sapientiæ: *vnus eſt enim introitus omnibus ad vitam, & ſimilis exitus*: congruum erat, Virginem ab ea lege non eſſe exemptam. Tertia ratio, quia decebat Beatam Virginem minimè carere varijs commodis, & emolumentis, quæ Iuſti ex morte benè pieque ſuſcepta colligunt; vt

Margin notes, right column: De Aſſumpt. Virg. tom. 1. — D. Epiphan. — D. Thom. — ad Hebr. 9. — Pſal. 38. — Sapien. 7.

ſibi

Digitized by Google

ſibi tùm merita, tùm præmia inde augeāt, morſq; ipſorum in conſpectu Domini verè ſit precioſa. Quid enim his mors eſt aliud, præterquam exitus è carcere, depoſitio ſarcinæ, peregrinationis terminus, vinculorum diſruptio, debiti naturæ ſolutio, finis miſeriæ, victoria pugnæ, Paradiſi ſcbala, initium Refrigerij, in Patriam reditus, vitæ Ianua, & in cœleſte Regnum ingreſſus? Ac tandem mortis terribilitatem viriliter ſuſtinens Beata Virgo, nos omnes exhortata eſt ad eam patienter ferendam, & ad illud Iuuenalis documentum ſeruandum lib. 4. ſatyra prima.

Iuuenal. *Mortem poſce, animum mortis terrore carentem.*

Lucanus. Vt enim inquit Lucanus libro octauo.

Vltima mors pœna eſt, non metuenda viris.

Tull. in Tuſc. Vnde Tullius in Tuſculanis lib. 1. in fine dixit: *Nihil cenſeamus eſſe malum, quod ſit à natura datum omnibus*. Quare vt legimus 5. q. 1. cap. *Illa*, Mors non eſt mala, nec in ſorte malorum computanda. Ad Idem Cicero. quod reſpiciens idem eloquentiæ parens lib. 2. eiuſdem operis, ſapienter hæc ſcripſit: *Qui id commutari non poſſe metuit, is viuere animo quieto nullo modo poteſt, qui verò mortem non timet, magnum is præſidium ad beatam vitam ſibi comparat.* A Quintilianus. quibus non abhorrent illa alia Quintiliani libro Declamationum, declamatione 8. *Faciamus potius de fine remedium, & de neceſſitate ſolatium*; necnon illa alia Seneca Senecæ ad Lucillum lib. 5. epiſtolarum epiſtola prima. *Vita cum expectatione mortis data eſt: ad hanc itur, quam timere dementis eſt, quia certa expectantur, dubia dimittun-* Plinius *tur*. Quod ſi vera eſt ſententia Plinij lib. 7. naturalis hiſtoriæ cap. 54. aſſerentis, quòd *natura nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius*; nō debebat Dei Genitrix hoc tanto bono priuari. Vltimam tandem ra- D. Thomas. tionem me docuit Angelicus Doctor 3. p. quæſt. 27. art. 3. in ſolutione primi argumenti, dum docet Eapropter beatam Virginem non fuiſſe liberatā à morte, & alijs pœnalitatibus, vt per illas locupletiſſimas ſatisfactionis diuitias in Eccleſię theſauro & ærario reponeret. Firmiter igitur ſtatuta veritate, communi Eccleſiæ conſenſu recepta de obitu Beatiſſimæ Virginis; reliquum eſt, in ſequentibus Homilijs diſſeramus de præparatione eius ad mortem, variiſque prodigijs, quæ illam anteceſſerūt; necnon, & de alijs, quæ eam concomitatā & poſteà conſecuta ſunt. Circa quæ permulta me dicturum polliceor, quæ tametſi Canonicis ſcripturis non ſint conſtabilita; grauiſſimorum tamen Doctorum auctoritate ſunt conteſtata: quibus fidem humanam non adhibere, (nec enim in omnibus infallibilis certitudo quærenda eſt) indiſciplinatæ mentis, & proterui animi non obſcurum argumentum eſſe reor.

Homilia II.

Beatam Virginem ad mortem ſe præparaſſe per ſumptionem Euchariſtiæ commonſtratur; confutatis prius illorum Doctorum opinionibus, qui etiam per ſacramenta Confeſsionis, & extremæ vnctionis ſe diſpoſuiſſe perperam effutierunt.

QVamuis Diuus Auguſti- D. Aug. nus lib. de viſitat. Infirmorum, in vniuerſum loquens de præparatione Iuſtorum ad mortē, per tria ſacramenta affirmet ſolitos eſſe præparari, nimirum per confeſſionem, Euchariſtiam, & extremā vnctionem; Beata tamen Virgo, quia nunquam non immaculata fuit, nonnulla ex his ſacramentis recipere nō potuit. Et quidem, quod attinet ad ſacramentum Confeſſionis, quicquid proclament Albertus Magn. & multi alij antiqui eius Aſſeclæ, omnino illud recipiendi incapax fuit: quia cùm materia, circa quam huius ſacramenti, ſit actuale peccatum, & illo careret B. Virgo, vt definitum eſt in Concilio Triden. ſeſſ. 6. Conc. Trid. cap. 26. & deficiente materia circa quam non poſſit ſubſiſtere ſacramentum confeſſionis, alioquin forma eius ſacramentalis redderetur falſa: conſequens eſt, ſalua, & incolumi fide dici non poſſe, Beatam Vir-

D. Antonin. Albert. Syluest. Bernard. Caniſius Henric. Suarez.

ginem ſuſcepiſſe ſacramentum confeſſionis. De ſacramento autem extremæ vnctionis, Doctores video inter ſe digladiantes: nam illud ſuſcepiſſe iam proximam morti, affirmarunt Diuus Antoninus tertia parte, titulo quarto cap. 8. §. 3. Albertus in Mariali. cap. 72. & 74. Sylu. in roſa aurea tractatu 3. caſ. 53. Bernardin. de Buſtos, quarta parte principali ſermonum ſermone 11 par. 3. & nouiſſimè Caniſius lib. 1. de Beata Maria cap. 9. & Henr. de extrema vnctione cap. 11. §. ac tandem Suarez tertia parte tom. 2. diſputatione 18. ſect. 3. quorum Doctorum ſententia poteſt ſequentibus rationibus comprobari Prima, quia effectus primarius huius ſacramenti, eſt confortatio, & robur ad pugnā in articulo mortis, & ſpeciale quoddam gratiæ auxilium ad ſuperandas tunc inſidias Diaboli; prout communiter tradunt Theologi. Sed Beata Virgo fuit capax huius effectus, cùm potuerit à Dœmone tunc grauiter tentari, quod fortaſſe ita de facto extitit ad maiorem Coronam Virginis. Ergo fuit capax huius ſacramenti; etenim ſicut per confirmationis ſacramentum recepit vigorem, & augmentum gratiæ ad profitendam fidem, & pugnandum contra inimicos illius; ita per extremam vnctionem potuit recipere vigorem, & augmentum gratiæ ad pugnandum contra malignos hoſtes in vltima lucta.

Secunda, quia ſacramentum extremæ vnctionis fuit inſtitutum ad conferendam ſanitatem corporalem, ſi expediens ſit recipienti. Sed Beata Virgo erat capax huius effectus: ergo & huius ſacramenti. Dices hunc eſſe effectum ſecundarium, remiſſionem verò peccatorum quoad reliquias, eſſe primarium; & quia huius incapax erat B. Virgo, ideo etiā erat incapax extremæ vnctionis. Sed contra, quia etiā B. Virgo, cum non contraxerit originale peccatum, incapax erat recipiendi primarium effectum baptiſmi, qui eſt remiſſio originalis; & tamen, quia erat capax recipiendi ſecundarium, qui eſt character baptiſmalis, ideo capax fuit baptiſmi, & illum de facto recepit. Ergo licet B. Virgo fuerit incapax recipiendi primarium effectum extremæ vnctionis, quia tamen erat capax recipiendi ſecundarium abſolutè, erat capax recipiendi hoc ſacramentum.

D. Bonauent. Palud. Durand. Richar. Bachoniuſ. Victor. Nauarr. Albert.

Tertia, quia grauiſſimi Doctores docēt, formam ambroſianā: *ego vngo oculos tuos oleo ſancto in nomine Patris*, &c. fuiſſe ſufficientem ad hoc ſacramentum, & vt talē approbauit Leo Decimus, approbando librum ſacerdotalem Venetorum, illam cōtinentē, vt docet. Palu. 4. d. 23. diſp. 2 iconcluſione prima. Poſita autē prædicta forma, nulla prorſus falſitas in ea reperitur Virgini applicara, maximè, quia vt ſuperius adnotauit Henr. vbi ſup. prodeſſe potuit hoc ſacramentum B. Virgini ad reliquias peccati prout important naturalem debilitatē, & fragilitatē, quam perſona infirma patitur in agone, & lucta mortis. Et rurſus cùm B. Virgo capax fuerit huius ſacramenti, non licet dubitare, quòd illud de facto receperit; cùm & id decens illi fuerit, & proficuum, & ad augmentum gratiæ, & humilitatis exemplum plurimū conducens; & vt quibuſdam placet de illo recipiendo, ſit aliquale præceptum, ſaltem ſub veniali.

Gabriel Vaſquez. Palud. D. Thom.

Verùm his non obſtantibus, arbitror cū ratione theologica coniunctius, & B. Virgini multò honotificentius eſſe, non fuiſſe capacem extremæ vnctionis, atque adeò nec illam recepiſſe. Ita cenſuerunt graues Doctores, Gabriel in 4. diſti n. 23. quæſt. 1. dub. 3. Vaſquez in 3. par. Palud. ibi q. 3 art. 2. & colligitur clarè ex doctrina D. Thom. in additionibus q. 30. ar. 1. quia ſacramentum extremę vnctionis in omniū opinione ordinatur primario, & per ſe, vel ad delenda peccata venialia, vel reliquias mortalium. ſed B. Virgo nunquam peccauit nec venialiter, vt definitur Trid. ſeſſ. 6. cap. 26. immò nec peccare potuit in ſenſu compoſiro, ſuæ ſpecialiſſimæ confirmitatis in gratia; & conſequenter non habuit reliquias peccati, cùm iſtæ ortum habeant à peccatis. Ergo B. Virgo non erat capax recipiendi hoc ſacramentum. Nec obſtat, ſi quis dicat cûm D. Thom. habuiſſe peccarū originale, atq; adeò reliquias illius: quia in primis ſuppoſitio iſta eſt falſa, vt oſtendi late de ſacr. Arc. Deiparæ lib. 1. & eſtò eſſet vera, Reliquiæ ex originali relictæ non auferuntur per extremā vnctionē, niſi per actus malos fuerint cōfirmatę, vt docēt Doct. cū D. Th. in add. q. 30 ar. 1. ſed B. Virgo nō confirmauit. illas per

actus

Digitized by Google

actus malos, cùm nunquam peccauerit: ergo non erat capax extremæ vnctionis. Explico hanc rationem aliter, quia hoc ſacramentum ſine dubio primario inſtitutum eſt, vt communis fert Doctorum ſententia, ad reliquias peccatorum abolēdas. Sunt autem hæ reliquiæ, non praui aliqui habitus, aut qualitates in homine exiſtentes; ſed faſtidium quod ex memoria peccatorum in ipſa ægritudine, & ſine vitæ generari ſolet, ſicut etiam ex ipſo morbo. Hoc igitur ſacramentum confert auxiliū gratiæ, vt corroboret infirmitatem noſtrā ex peccatis præteritis contractam: & ita ad eundem effectum inungimur, vt ita tentationibus Dæmonis, quæ ex memoria illa peccatorum grauiores eſſe ſolent, vehementius reſiſtamus. Quo circa ipſa forma verborum non ſolum, remiſſio culparum venialium, ſed etiam reliquiarum peccatorum aliorum ad effectum, quem diximus denotatur. Et ideo licet nobis conſtaret aliquem nullam culpam venialem habere, ſine mendacio aut falſitate hoc ſacramentum ſub prædicta forma conferre poſſemus. Quare cum Beata Virgo nullum peccatum commiſerit, nulla ratione hoc ſacramentum ei conferri potuit.

Secunda, quia forma huius ſacramenti, *Indulgeat tibi Dominus, ſi quid peccaſti*, &c. non ſolùm indecens eſt Deiparæ, ſed reſpectu illius omnino falſa, cùm ipſa omnis peccati expers eſſet, & numquam peccare potuerit, ex ſuppoſitione ſuæ ſpecialiſſimæ confirmationis in gratia. Huic rationi duplicem adhibet ſolutionem Suarez
Suarez. 3. par. tom. 2. diſput. 18. ſect. 2. vbi ait, formam huius ſacramenti non reddi falſam, quia ſenſus illius eſt conditionalis, ſcilicet: *Indulgeat tibi Dominus, ſi quid peccaſti*, &c. quæ ſolutio fundari poteſt in D. Iacobo cap. 5. dum conditionaliter ponit ef-
Iacob. 5. fectum remiſſionis dicens: *& ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Sed contra, quia quantumuis effectus ſanitatis corporalis ſit conditionalis, ſcilicet ſi expedierit animæ infirmi; nihilominus qui nullo morbo laborant, non ſunt capaces illius. Ergo licet ſenſus præfatæ formæ ſit conditionalis, non propterea poterunt, qui nullis peccatis, aut reliquijs eorum laborant, recipere hoc ſacramentum. Patet conſequentia, quia ex eo, quòd hoc ſacramentum inſtitutum eſt pro infirmis, ſani ſunt incapaces illius. Ergò eadem ratione, quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt pro peccatoribus, prodeſſe non poterit eis, qui non fuerunt peccatores, & ſemper caruerunt omni macula peccati, immò poteſtate ad peccandum, cuiuſmodi fuit Beata Virgo, ſuppoſita confirmatione in gratia. Nec fauent prædictæ ſolutioni verba Diui Iacobi, quia cum dicit conditionaliter: *ſi in peccatis fuerint, dimittentur*, non loquitur de effectu primario, ſed ſecundario, vt explicat Diuus Thomas in addit. q. D.Thom.
3. art. primo in corpore: nam primus, qui eſt remiſſio peccatorum quoad reliquias, ſemper illum cauſat, vt docet ibidem D. Thomas, vbi poſtquam dixerat, ex conſequenti deleri venialia, ſi illa inuenit, ſubdit: *Et ideo Diuus Iacobus de remiſſione peccati venialis conditionaliter loquitur dicens: & ſi in peccatis eſt, dimittentur ei; ſcilicet quoad culpam: non enim ſemper delet peccatum, quia non ſemper inuenit; ſed ſemper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam, peccati reliquias dicunt*. Secunda ſolutio eiuſdem Authoris eſt, prædictam formam Beatæ Virgini applicatam non reddi falſam, quia ſenſus illius eſt: conferat tibi Deus gratiam de ſe ſufficientem ad delendam omnem maculam, quæ per ſenſus contrahi ſolet; licet aliàs de facto nullam deleat, quia nulla eſt: ſicut quando pœnitenti per contritionem, iam ſunt dimiſſa peccata mortalia, & venialia quoad culpam, & pœnam, forma abſolutionis: *ego te abſoluo*, non eſt falſa, quia ſenſus illius eſt: confero tibi gratiam de ſe remiſſiuam, & abſolutiuam à peccatis. Sed contra, quia materia circa quam abſolutionis ſunt peccata commiſſa à pœnitente. Vnde ſi pœnitens nullum habeat peccatum, aut nullum confeſſioni ſubijciat, eſt incapax recipiendi tunc ſacramentum pœnitentiæ, & gratiam de ſe remiſſiuam. Ergo cùm reliquiæ peccatorum ſint materia, circa quam remiſſionis, & indulgentiæ, quam exhibet hoc ſacramentum, vt apertè indicant verba ipſa formæ: *Indulgeat tibi Dominus*, &c. manifeſtè efficitur, deficientibus peccatorum reliquijs taliter, quòd nec ſunt, nec fuerunt, ſubiectum eſſe incapax huius ſacramenti.

Digitized by Google

Tertia quia ſacramentum extremæ vnctionis eſt conſummatio quædam, & complementum pœnitentiæ, vt omnes Theologi fatentur: ergo qui incapax fuerit pœnitentiæ, etiam erit incapax extremæ vnctionis, quæ eſt illius complementū. Cùm igitur Beata Virgo fuerit incapax illius; etiam & huius. Addo quòd paruulis, & amentibus à natiuitate, iuxta omnium Theologorum ſententiam hoc ſacramentum conferri nequit; non certè ea de cauſa, vt opinor, quia ad illud requiratur proprius conſenſus, ſiquidem illi verum recipiunt Sacramentum baptiſmi, & effectum ipſorum, ſicut & Euchariſtiæ, abſque prædicto conſenſu; ſed quia in illis eſſe non poſſunt peccata venialia, aut reliquiæ aliorum peccatorum; contra quas hoc ſacramento corroborari poſſint, & debeant. Cùm ergo Beata Virgo, quoad peccata actualia, & reliquias peccatorum fuerit innocens, velut infans vnius diei, apertè conficitur, incapacem fuiſſe huiuſmodi ſacramentum recipiendi.

Quarta, quia eſt euidens, moraliter loquendo, non incœpiſſe in Eccleſia vſum ſacramenti extremæ vnctionis antè promulgationem Diui Iacobi. At valde incertum eſt, an Diuus Iacobus fecerit prædictam promulgationem antè mortem Deiparæ Mariæ: ergò non ita certum eſt, Deiparam fuiſſe vnctam; vt contendit

Buſtenſis

Bernardinus de Buſto vbi ſupra dum ait: *Non licet dubitare, quin Beata Virgo receperit extremam vnctionem:* licet quidam non ſolùm dubitate voluerint, ſed negare, vt minus probabile, minuſque rationi conſonum, & cum eximia Virginis puritate minus conſentiens, vt rationes à me aductæ luculenter indicant. Verùm ad hæc omnia poſſet reſponderi, ſufficienter probari Beatam Virginem ſecundum legem ordinariam incapacem fuiſſe extremæ vnctionis; ex ſpeciali tamen Chriſti

Suarez.

priuilegio illam recepiſſe. Ita Suarez vbi ſupra. Sed id, nec probabiliter dici poſſe ſic oſtendo. Primo, quia gratis fingit tale priuilegium, quod auctoritate alicuius Doctoris non fulcitur. Secundo, quia eadem facilitate dicere poterit Beatam Virginem, incapacem fuiſſe ſacramenti pœnitentiæ, de facto tamen illud recepiſſe ex Chriſti priuilegio; eadem enim proportio eſt vtriuſque ſacramenti ratio, vt ad præſens inſtitutum ſpectat.

Nec huic doctrinæ quicquam officiunt rationes in contrarium adductæ: non prima, quia ad illam reſpondeo non quamcumque confortationem in ordine ad vltimam luctam eſſe primarium effectum huius ſacramenti, cùm etiam viaticum ad eam confortet; ſed illam quæ de facto aufert debilitatem corporalem, ſeu ineptitudinem ad benè operandum ex peccatis relicta, quibus quia carebat Beata Virgo, ideo erat incapax huius ſacramenti. Vnde exiſtimo dicendum, primarium effectum huius ſacramenti, non ſolum eſſe rem poſitiuam, quatenus præbet robur, & vires ad vltimam luctam, ſed etiam priuatiuam, quatenus aufert debilitatem illi oppoſitam ex peccatis præcedentibus relictam. Non etiam obſtat ſecunda, quia benè reſpondetur ibi. Ad replicam autem dicendum, eum qui non eſt capax primarij effectus huius ſacramenti, non eſſe capacem recipiendi ipſum ſacramentum, vt docet Scot. in 4. diſtin. 23. q. 2. *Scotus*
art. 2. ad primum; & ad inſtantiam de baptiſmo, quem verè recepit Beata Virgo, Reſpondeo, quòd cùm baptiſmus eſſentialiter ſit ianua ad intrandum in Eccleſiam certè ad primarium illius effectum pertinet, non ſolùm remittere originale, ſed conſtituere hominem in membrum Eccleſiæ, & facere Chriſtianum, ſeu ex grege Chriſti; & hunc effectum recepit Beata Virgo, & ſic non ſolum fuit capax ſecundarij effectus baptiſmi, ſed & primarij inadæquatè ſumpti. Non tandem obſtat tertia, quia falſam cenſeo omninò ſententiam illorum Doctorum, cùm quotquot boni nominis Theologi ſunt, vnanimiter conteſtentur formam, qua vtitur Eccleſia Romana, eſſe legitimam pro Sacramento extremæ vnctionis; non verò illam ibi aſſignatam: Leo autem nullam, tanquam Pontifex, illius approbationem vnquam fecit. Nec ſufficit quod in eodem argumento ſubiungitur, Beatam Virginem habuiſſe naturalem debilitatem in vltima pugna, vt propterea eſſet capax extremæ vnctionis; quia hoc ſacramentum non ordinatur ad delendos defectus naturales, ſed morales, vel ex illis, tanquam eorum reliquiæ, dimanantes.

Ad

Digitized by Google

Ad extremum. Ex in capacitate Beatæ Virginis ob eximiam eius puritatem, quæ omni peccati macula ſemper caruit, ad recipiendum Sacramentum confeſſionis, & extremæ vnctionis, facilè colligitur, nullam inter puras creaturas aptiorem illa extitiſſe ad recipiendum Sacramentum Euchariſtiæ. Quare per religioſam eius ſuſceptionem, ad mortem ſe præparaſſe, nulla ratione dubitari poteſt; quia, vt tradunt graues Theologi. *Ricardus* Richardus in ſecundo, articulo ſexto, quæſt. prima. *Durandus* Durandus dicta quæſtione ſecunda. Gabr. quæſtione prima. *Dom. Sotus.* Dominicus Soto diſt. 2. *Petr. de Soto.* quæſt. prima, articulo ſecundo. Petr. Soto lect. 9. de Euchariſtia, Diuinum erat præceptum, & modò extat, recipiendi Euchariſtiam per modum viatici, vt Eccleſiaſtica conſuetudo ſatis declarat. Nam ex antiquiſſimis Concilijs, & Pontificibus conſtat, ſemper ab Eccleſia, diligentiſſimè curatum eſſe, ne moribundi ſine viatico decedant; vt patet ex Concilio. *Conc. Nicæn.* Nicæno. can. 13. ex *Conc. Tolet.* Toletano 11. cap. 18. *Conc. Agath.* Agathenſi capite vndecimo. *Conc. Ancyr.* Ancyrano capite 22. *Conc. Oroſ.* Oroſiano cap. 13. Arelatenſi 11. cap. 12. *Conc. Aurel.* Aurelianenſi, & in *Conc. Carthag.* Concilio Carthaginenſi 4. c. 77. quæ conſuetudo recepta adeò eſt, vt ſine magno ſcandalo violari non poſſet; immò etiam de fide ſuſpectus haberetur, qui voluntariè in mortis articulo viaticum negligeret. Ex huius autem conſuetudinis antiquitate vlterius colligere licet eam, vt minimum, eſſe traditionem Apoſtolicam, cùm eius initium prorſus ignoretur. Beata ergo Virgo quæ obſeruantiſſima erat diuinæ legis, præceptum de ſuſcipienda Euchariſtia per modum viatici minimè prætermiſit. Licet autem ita eſſet, vt eum qui ſuſcepiſſet eo anno Euchariſtiam, non obligaſſet præceptum illud diuinum iterum recipiendi illam per modum viatici, vt contendunt *Caiet.* Caietanus in ſumma, verbo (Communio) quem ſequitur *Ledeſma.* Ledeſma quæſtione 21. articulo vndecimo, in fine. *Victoria* Victoria in ſumm. numero 86. idemque priùs inſinuauerat *Palud.* Palud. in 4. diſtinct. 9 num. 16. Quamuis inquã præceptum illud diuinum non obligaret hunc ad recipiendã tunc Euchariſtiam per modũ viatici; quia tamen negari non poteſt, perfectius eſſe, moribundum eam deuotè ſuſcipere, licet aliquin eodem anno ſæpe ſe cõmunicaſſet, conſequens ſit id elegiſſe Beatam Virginem, quæ meliora charismata ſemper æmulabatur, & quæ in omnibus optimam partem ſemper eligebat, & quæ tandem nec minimum perfectionis apicem vnquã prætermiſſit. Addo quòd ſi Diuus Paulus 1. ad Corinth. 9. dixit: *quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* *1. Cor. 9.* Certè Beata Virgo, quæ famelica ſemper erat agninæ carnis filij ſui, quẽ ipſa genuerat, & nutrierat; & ſitibunda fuerat precioſi ſanguinis, quem lacte ſuo auxerat: nacta quidem oportunam occaſionem edendi carnem hanc, & bibendi diuinum hoc filij ſui ſanguinis nectar, incredibile eſt, illam omiſiſſe. A quo autem ſacram illam ſynaxim acceperit, nihil certum habemus: multi enim putant à Ioanne Euangeliſta, qui erat quaſi proprius Parochus Beatæ Virginis. Cancellarius verò Pariſienſis tractatu nono, ſuper *Magnificat*, affirmat, communicatam fuiſſe per manus Chriſti Domini dicentis: *Accipe hoc chara mea, quod mox complebitur tibi in Regno meo vnà cum Patre meo.* *Ioan. Gerſon.* Nec mirandum, quod hoc tantum beneficium collatum fuerit Virgini, cùm illud idem præſtiterit Dominus Sanctæ Catharinæ Senenſi, Beatæ Lidouinæ, Beatæ Columbæ Reatinæ, necnon ſoroti, nomine Collecta, quarum omnium meminit Laurentius Maſelli libro ſexto, de B. Virgine, Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. *Maſelli.*

* * *

Homilia III.

Varia magnalia, quæ mortem Virginis præceſſerunt, vt hora mortis reuelata, allata ei ab Angelo in ſignum Victoriæ palma; Apoſtoli per totum terrarum Orbem diſperſi repente domi eius congregati, Chriſtus Dominus morti eius corporaliter præſens; ac tandem quæ filius, & Mater ad inuicem locuti fuerint, recenſentur.

QVemadmodum Deus, vt Author naturæ, non ſemel magnorum Principum futurã mortem per cruentos Cometas, horribilia tonitrua, & alia eiuſmodi prodigia præſignauit; ita etiam quatenus Author eſt gratiæ, Sanctorum imminẽtem ad ſuperos migrationem varijs portentis præſagire conſueuit, vt de Diuo Ambroſio, Chryſoſtomo, & alijs illorum vitæ hiſtoriographi paſſim commemorant. Id ſanè mirabilius præſtitit Dominus in obitu matris ſuæ, varijs portentis illum præueniens; quorum memores non infimæ notæ Authores ſuis ſcriptis illa inſeruere. Et quidem, vt à miraculoſa præcognitione ſuæ mortis exordiar, nemo catholicus ignorat, quòd ſicut nihil vnicuique certius, quàm mortem ſibi futuram; ita nihil incertius, quàm tempus futuritionis illius, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut aues laqueo, & piſces hamo, ſic homines capientur in tempore malo;* quibus conſonant verba Chriſti Domini: *Vigilate quia neſcitis diem, neque horam.* Super quæ verba Venerabilis Beda ſapienter dixit: *Certum eſt, quòd morieris: incertum eſt autem quando, aut quomodo, aut vbi, quia vbique te mors expectat, tuque ſi ſapiens fueris, vbique eam paratus expectabis.* A quibus non

Eccleſ. 12.

Matth. 13.

Beda

abhorrent verba Senecæ ad Lucillum dicentis: *Incertum eſt, quo loco mors te expectat: tu illam in omni loco expecta, in omni loco æque time.* Speciali tamen priuilegio non ſemel Deus amicis ſuis tempus, & horam ſuæ mortis manifeſtauit. Vnde Diuus Petrus dixit: *Breuis eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundũ quod Dominus mihi prædixit:* & Diuus Paulus mortis ſuæ tempus præſciens inquit. *Ego enim iam delibor & tempus reſolutionis meæ iam inſtat.* Igitur cũm teſte Diuo Bernardo, in epiſtola ad Canonicos Lugdunẽſes, quicquid alijs licet pauciſſimis eſt conceſſum; nõ eſt credendum glorioſæ Virgini fuiſſe denegatũ; non dubitari poteſt, mortis ſuæ tempus diuinitus reuelatum Deiparæ Mariæ. Præter hanc tamen rationabilem adeò coniecturam, extant grauiſſimorum Doctorum monumenta id expreſsè affirmantium. Nicephor. lib. 2. c. 21. Melito, vel quicumque alius eſt Auctor de trãſitu Virginis c. 3. & Metaphr. oratione de morte Beatiſſimæ Virginis. Facta autem fuit hæc reuelatio miniſterio Angelico; vt enim prædicti Authores commemorant, Dominus miſit B. Mariæ Angelum, qui & mortem nunciauit, & palmam porrexit ſibi à filio miſſam, in ſignũ victoriæ, & triumphi. Sicut enim Hebræorũ pueri diuinitus inſpirati, Chriſto Domino morti appropinquanti, ramos palmarum obtulerunt (vt Euangeliſtæ cõmemorant) ſymbolo illo, mortis victorẽ, illum futurum præſagientes; ita rationi conſonum erat, vt appropinquante morte eius, quæ tanquam fortiſſima virago communis hoſtis caput contriuerat, & cunctas hæreſes interimere cœperat, in ſignum victoriæ palma, cœlitus miſſa ei daretur. Nicephori verba præcitato loco hæc ſunt: *Virgo nuncium à filio per Angelum de migratione accipit: migratione cognita, immenſa repletur lætitia. quid enim dulcius ei, quàm vtrum filio, & Rege ſuo eſſe contingeret? Lumen ad eam infertur, domus purgatur, genere propinqui (vt par erat) accerſuntur; riteque, & ordine quæ ad tranſitionem eam pertinent, præparantur;* & addit *in victoriæ mortis trophæum palmæ ramum ei tuliſſe.* Melito Epiſcopus Sardenſis, vel quicumque alius Auctor ſit, de tranſitu Virginis Mariæ hæc ſcripſit. *Secundo, & vigeſimo anno, poſtquã Chriſtus deuicta morte Cœlum conſcenderat, dum die*

quadam

Seneca

2. Pet. 2.

2. Tim. 4.

D. Bernar.

Niceph.

Meliton.

Niceph. vbi ſupra.

Digitized by Google

quadam deſiderio Chriſti ſuccenſa Maria, ſola intra domus iſtius receptaculum lachrymaretur: ecce Angelus magni luminis, habitu reſplendens, ante eam adſtitit, & ſalutationis verba perſoluit, dicens: Aue benedicta à Domino, ſuſcipe illius ſalutem, qui mandauit ſalutem Iacob per Prophetas ſuos. Ecce (inquit) ramum palmæ de Paradiſo Dei attuli tibi, quem portare facies ante feretrum tuum, cùm in die tertia aſſumpta fueris de corpore: ecce enim te expectat filius tuus, cum Thronis, & Angelis, & vniuerſi Cœli virtutibus. hactenus ille.

Auctor Pom. Ad hæc Diuus Coſmas cognomento, *Veſtitor*, cuius meminit Auctor Pomerij, libro decimo, parte quinta, cap. 2. in ſua hiſtoria hæc ſcripſit, eodem Auctore, eadẽ referente: *Quadam die cùm in filij deſiderium cor Virginis vehementer accenditur, æſtuans animus commouetur, & intimarum lachrymarum abundantia excitatur, crebriſque deſiderij ſui ſingultibus, cœpit talia verba eructare, O fili mi perdulciſſime, ò nate dilectiſſime, Ieſu ſuauiſſime: en cupio diſſolui, & eſſe tecum: vtinam fili mi adeſſet illa hora aurea, qua te videre poſſim in Patria. Ecce mox Angelus cum multo lumine eidem aſtitit, & reuerenter, vtpotè matrem Domini, ſalutauit. Aue (inquit) benedicta ſuſcipiens benedictionem illius, qui mandauit ſalutem Iacob: ecce filius tuus Dominus Ieſus te matrem venerandam expectat, cùm die tertia de corpore aſſumeris, vt cœleſtes manſiones, iucundas reddas. Ecce autem ramum palmæ de Paradiſo ad te dominam attuli, quem ante feretrum portare iubebis.* Affirmat autem

Idem. idem præcitato loco, quòd palma illa nimia claritate ſplendebat: *Folia* (inquit) *ipſius, vt ſtella matutina fulgebant; & ego fateor, me vidiſſe apud quendam Comitem Regium, particulam quandam, quæ diceba tur eſſe de illa palma, & pro certo erat fulgidiſſima admodum micantis ſtellæ, quaſi coloris argentei fulgidiſſimi, cuius intuitus deuotionem ingerebat contuentibus.*

Præceſſit deinde illud mirabile portentum Deiparæ obitum, quòd omnes ferè Chriſti Apoſtoli Hieroſolymis conuenerunt, qui Marianæ mortis teſtes extiterunt, & ſua præſentia funus cohoneſtarunt. Licet enim nonnulli cum Franci-

Turrianus. ſco Turriano libro 2. aduerſus Magdeburgenſes pro defenſione Canonum Apoſtolicorum contendant, ſecluſo miraculo, potuiſſe Apoſtolos Hieroſolymis tunc cõ

Caniſius. uenire, quod nec diſplicuit Caniſio, libro quinto de Maria Deipara, cap. 3. verùm ego antiquorum, & grauiſſimorum Doctorum veſtigijs inſiſtens, arbitror illum Apoſtolorum aduentum miraculoſum, & portentoſum valdè fuiſſe, cùm momento temporis per aera rapti fuerint, vt morienti Virgini adeſſent. Nam præter Metaphraſtem id affirmantem in oratione de vita, & obitu Virginis, luculenter id tra-

D. Damaſc. dit Diuus Damaſcenus in oratione de obdormitatione Virginis, vbi affert hiſto-

Hiſt. Euthim. Iuuena. riam Euthymiacam, quæ citat Iuuenalis Hieroſolymitani Epiſcopi confeſſionem, coram Marciano Cæſare factam, in hunc modum: *In ſancta quidem, & diuinitus inſpirata ſcriptura de diſceſſu ſanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur. Ex antiqua autem, & veriſſima accepimus traditione, quòd tempore glorioſæ eius dormitionis, vniuerſi quidem Sancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutem gentium obibant, momento temporis in ſublime ſublati, conuenerunt Hieroſolymis. Et cùm apud eam eſſent, eis viſio extitit Angelica, & audita fuit diuina hymnodia præſtantiorum Poteſtatum; & ſic cum diuina gloria, & ſuper cœleſti, in manus Dei ſanctam tradidit animam ratione quadam ineffabili.* Hæc Iuuenalis coram Imperatore Marciano, cùm de ſan ctiſſimo Mariæ obitu, & corpore rationẽ

Mich. Syng. reddere iuberetur. Accedit Michael Syn gelus Presbyter Hieroſolymitanus, qui in vita D. Dionyſij hæc verba babet: *Quòd verò curſum Apoſtolicum perfecerit, & admirandis editis miraculis diuinitus glorioſus apparuerit, multa quidem, & alia fidem faciunt: & in primis nubes illa, quæ ab Occidentis partibus abreptum ſublimem ipſum abſtulit per aerem ambulantem, & elatum abduxit; vti etiam ſummos Dei inſpectores, & Theologos, Apoſtolos alium aliundè repentè è finibus terræ in celeberrimam communem omnium Chriſtianorũ Hieruſalem matrem aſportauit; & in excelſa diuinorum myſteriorũ arce Syon Eccleſiarũ matre ceteris Chriſti diſcipulis copulauit.*

Nicephorus. Nicephorus etiam Imperatori Marciano reſpondit, antiquiſſima, & veriſſima omnium traditione receptum eſſe, inſtante Virginis obitu, ex ipſis orbis terrarum finibus, vbi diſperſi erant, Apoſto-

los

los ſublimes in aere Hieroſolymam ve-
Metaphraſt. niſſe. Subſcribit Metaphraſtes in oratione
Greg. Turon. de Virgine; ac tandem Sanctus Grego-
rius Turonen. lib. 1. de gloria Mart. cap.
4. ait: *Congregati ſunt omnes Apoſtoli de*
ſingulis Regionibus ad domum eius; cum-
que audiſſent, quiæ eſſet aſſumenda de
Mundo, vigilabant cum ea ſimul. Scio
Baronius. Cardinalem Baronium hæc velut apocry
pha refutare, ſed neſcio, quo fundamen-
to: tùm quia (vt rectè adnotauit erudi-
Caniſius. tus Auctor Caniſius præcitato loco) qui
Apoſtolos in varijs locis, vbi Chriſtum
prædicabant, per miraculum Hieroſoly-
mis conueniſſe, & Mariæ morti inter-
fuiſse, confirmant, vt Iuuenalis, Da-
maſcenus, Nicephorus, Metaphraſtes:
hi rem ita proponunt, vt non ſcriptis apo-
chryphis, ſed veræ, & peruetuſtæ tradi-
tioni videantur inniti. Tum quia Diuus
D. Dion. Dionyſius Pauli Apoſtoli cum Timotheo
diſcipulus, idemque Galliarum Apoſto-
lus à Policarpo, Methodio, & Athana-
ſio, multiſque alijs Doctoribus antiquiſ-
ſimis probatus, in hunc modum ſcribit:
Nos quidem vna tecum, multiſque ſacris
fratribus, ſicut meminiſti, ad ſpectandum
corpus illud, quod vitæ principium, & ip-
ſum Deum aliquando continuerat, conue-
neramus. Simul aderat Frater Domini Ia
cobus, & Petrus, vertex Apoſtolorum ille
ſupremus, vel ſicut alij vertunt, *Theolo-*
gorum Choryphæus, & Princeps. Confir-
Bibl. ss. PP. ſerm. de Aſſ. mat idem Melito, vt habetur in Biblio-
teca veterū Patrum, ſermone de Aſſumpt.
affirmans id accepiſſe ex ore Diui Ioan-
nis Euangeliſtæ. Adde quòd non omnia,
quæ ſcripta ſunt in libris Apochryphis,
Apochrypha cenſeri debent, cum multæ
ibi ſint veritates Catholicæ. Tum tādem,
quia ſi Dominus per Angelum ſuum fecit
Abachuc Prophetam in momento tempo
ris per capillum de Iudæa in Babyloniam
Dan. vlt. deferri, vt Danieli Prophetæ prandium
aſportaret; & ſi ſpiritus Domini rapuit
Philippum Apoſtolum in ictu oculi, ita vt
Act. 8. continuò eſſet in Azoto, vt Actorum cap.
8. legimus; & ſi Deus Seraphici noſtri
Patris Franciſci precibus annuens (vt
Chron. Sancti Franciſci. Chronic. eius teſtatur) cùm videre cupe-
ret ſocios ſuos per totum orbem terrarum
diſperſos, ſimul in vnum Angelico mini-
ſterio congregauit; non video certè ap-
parentem aliquam rationem, ob quam

ſimile quidpiam, in honorem Deiparæ fa-
ctum fuiſſe negemus, maximè id atteſtan-
tibus tot antiquis Doctoribus, immò, & Dion. Areop.
Sanctis, vt D. Dion. Damaſc. Metaphra-
ſte, Andrea Cretenſe, quibus penè innu-
meri moderniores ſubſcribūt. Nobilis au-
tem Auctor Glycas adiungit, non Apoſto
los modo, ſed & ſeptuaginta Diſcipulo-
rum cætum ad venerandum hoc Deiparę
mortis ſpectaculum, congregatum fuiſſe;
& Nicephorus lib. 15. cap. 4. (id refe- Niceph.
rente Laurentio Maſelli, de vita Virgi- Maſell.
nis, lib. 6. cap. 19.) aſſerit præſentem
extitiſſe Timotheum, & Hyerothæum,
qui, & viderunt Beatam Virginem, om-
nes Apoſtolos benedixiſſe, exceptis Ia-
cobo, qui iam obierat, & Thoma, qui
abſens erat. Verùm nec improbabilis eſt,
ſed multùm veriſimilis narratio eiuſdem
Nicephori, lib. 2. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Niceph.
cap. 12. & Metaphraſtes in oratione de
vita, & morte Virginis, magnam homi-
num frequentiam, qui vel amoris neceſ-
ſitudine, vel generis propinquitate Ma-
riæ coniuncti erant, ad eam morituram
conueniſſe, & ingentem lachrymarum
imbrem ex oculis eorum profluxiſſe. Si
enim (vt refert Diuus Lucas Actor. 8.) Act. 8.
ingens planctus factus fuit in Eccleſia ex
morte Stephani; certè cùm maior iactura
ex Mariæ morte timeri poſſet, acerbior
luctus creditur fuiſſe ortus.

Verùm & aliud excellentius prodigiū
ad honorandam Deiparæ mortem filium
eius patraſſe, non ignobiles Auctores cō-
memorant, aſſerentes, non ſolum Apoſto-
los duodecim, & ſeptuaginta duos Diſci-
pulos; ſed & ipſum Chriſtum Dominum
morti eius adfuiſſe. Ita in primis tradit
Diuus Damaſcenus de dormit. Virginis, D. Damaſc.
oratione ſecunda, in hæc verba: *Rex ip-*
ſe ad Matrem ſuam venit, vt diuinis ſuis,
& puriſſimis manibus ſanctam, labis
expertem ipſius animam ſuſciperet. Cui
teſtimonio innitens Caniſius de Deipara Caniſius.
lib. 5. cap. 3. ait: *Vidit Maria quum*
in lecto decumberet, Chriſtum Dominum
illis oculis, quibus & Stephanus paulò ante
mortem, eundem aſpexerat: vidit, inquam,
Angelorum tanquam ſatellitio circumqua-
queſtipatum, & ad ſe ita comiter venien-
tem, vt hinc tota gaudio, & voluptate
perfunderetur; quod in amicis illius ma-
nibus ſuam eſſet animam depoſitura. Idem
tra-

Bern. Buſt. *Laur. Maſel.*

tradunt Bernardinus Buſtenſis vndecima parte ſui Marialis ſermone primo de Aſſumptione par. 5. & Laurentius Maſelli de vita Virginis, lib. 6. capit. 19. & alij paſſim moderniores, mihique id ſatis veriſimile, & credibile eſt. Nam ſi, vt docet Diuus Gregorius 4. Dialog. multiſq; exemplis comprobat, ad conſolationem Iuſtorum, vitæ auctorem non ſemel eis apparuiſſe conſtat, minimè crediderim hoc ſolatij genus benigniſſimum filium dilectiſſimæ Matri ſuæ denegaſſe, quæ ſatis rationabiliter illud ab eo expetere, & poſtulare potuiſſet. Si enim Iacob Patriarcha ante mortem ſuam videre deſiderauit filios ſuos (vt Sacra Geneſ. hiſtoria commemorat) & cùm primum Ioſephum intuitus fuit, continuò in illa verba prorupit: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*; merito Beata Virgo deſideraſſe cenſenda eſt hora mortis vnigenitum ſuum ſibi adeſſe, & illum videre; meritòque credendum iuſti huius deſiderij complementum à filio obtinuiſſe. Affirmat deinde Metaphraſtes de vita, & dormitione Virginis, quòd proxima morti S. Ioanni Euangeliſtæ dixit: *Duas tunicas, quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo duabus mulieribus*; quas Nicephorus libro 2. cap. 21. affirmat, Viduas eſſe, & domui ſuæ vicinas, & erga Beatam Virginem propenſiore amore, ac pietate præ ceteris alijs coniunctas. De altera ex his Tunicis, duo iudrico ſilentio non prætermittenda. Primum eſt, quod Metaphraſtes de dormitione Virginis commemorat; refert enim de quadam femina hæc verba dixiſſe: *Deipara vitam finiens, duabus mulieribus virginibus duas ſuas veſtes donauit, loco benedictionis, ex quibus vna fuit ex mei generis maioribus, quæ id accepit, quod donatum fuerat, & in arca depoſuit; & omninò iuſſit his, qui erant ſui generis, vt eſſet virgo vnaquæque, quæ eam acciperet.* Secundum eſt, quod Nicephorus lib. 15. cap. 24. ait: *Leone imperante veneranda, immaculatæ matris veſtis Conſtantinopolim hoc modo perlata eſt. Hanc ſicuti diximus, mater Dei ad filium migrans, mulieri hebrææ virgini reliquit, quæ etiam ad illud ipſum tempus incorrupta permanſit, & multa miracula edidit. Poſtquam autem Candidus, & Galbius germani fratres patritia dignitate præditi Hieroſolymam profecti, omnia ibi loca perluſtrarunt, & exoſculati ſunt; atque inde etiam in Galilææ partes venerant, & theſaurum tunc apud Iudæã quandam ſeruatum repererunt, conſilium eius auferendi ceperunt, & Hieroſolymitum Vrbe peragrata, & ſancto quoque loco ſalutato ex Paleſtina diſceſſiſſent, Arcam eadem longitudine, & latitudine, qua illa erat, in qua diuina Dei matris veſtis repoſita erat, fieri curarunt, ſolito ornamento coopertam, per fraudem in loco ſuo depoſuerunt; alteram autem illam, cum ſacroſancta veſte receperunt, & cum ea, quam celerrimè Conſtantinopolim recurrerunt in ſuburbana regione cui Balcherna nomen erat; occultare diuinum theſaurum volentes: Quandoquidem vero rem tentare, quæ fieri nequiret, auſi ſunt, inuiti etiam eam ad Imperatorem retulere; atque ille incredibili elatus voluptate, rotundo in loco, vbi aſſeruabatur, conſtructo Templo, cum magna veneratione, Arcam ſacram in eo collocauit, vbi nunc quoque veneranda illa veſtis ſeruatur integra, velut inuictum perpetuumque Vrbis præſidium, quæ varios repellit morbos, & miraculis, quæ in ea fiunt, naturam, & vim temporis ſuperat.*

Gen. 43. *Ibidem 46.* *Metaphraſt.* *Metaphraſt.* *Niceph.*

Lauren. Maſ. *Germanus.* *Metaphr.* *Gabr. Bar.* *Iacob. Med.* *Vgo Phar.*

Addit deinde Laurentius Maſelli, libro 6. cap. 21. Beatam Virginem paulò ante mortem, ſacras Reliquias, quas apud ſe conſeruauerat, Ioanni reliquiſſe; vt faſciam Chriſti, ſyndonem ſepulchri Chriſti Domini, & feretrum, quod olim Conſtantinopolim fuit collocatum. Zonam item, cuius meminit Germanus Patriarcha in oratione de Zona Virginis, vbi ait: *Venerandam Zonam tuã nemo ſidens aſpicit, qui animi incredibili voluptate non cõpleatur. O Zona, quæ noſtræ imbecillæ naturæ laſciuiam coerces, ac refrenas.* Eius etiam meminit Euthymius, vt refert Metaphraſtes de Zona Virginis. Reliquit etiã velum, quod verecundiſſimo Virginis cultui, cùm nupſit deſeruiuit; cuius meminit Gabriel Barius libro ſecundo de antiquitate Calabriæ. Pecten, deinde Treuerienſibus ab Elena Conſtantini matre donatum, tradidit Iacobus Meddendorpius, libro quinto Academiarum in Treueris Galliarum Vrbe aſſeruatum; de quo Vgo Pharcitus lib. miraculorum Beatæ Virginis. Annulum ſponſalitij B. Virginis, quo Semimurenſis apud Mandu-

bios

bios in Burgundia prioratus nobilitatur, *Genebrar.* cuius meminit Genebrardus in Chronographia libro quarto ad annum 868. Extat alius annulus Peruſiæ, qui propter multa miracula edita, in magna veneratione habetur, *Ferreolus.* vt refert Ferreolus libro 5. de Maria Auguſta, capite trigeſimo primo. Extat etiam fuſus, quo Beata Virgo ad otium vitandum vtebatur, vt tradit Nicephorus lib. 14. cap. 2. De ſudario, & faſcijs ſepulchralibus meminit etiam *Niceph.* Nicephorus cap. 14. In horum numero etiam refero pelliculam in circumciſione Chriſti detractam, quæ nunc extat in oppido, nomine Calcata, viginti milliaribus à Roma diſtante; ad cuius honorem Sixtus Quintus Pontifex Maximus conceſſit Indulgentiam plenariã, anno 1584. Reliquit etiam Coronam ſpineam, & velum, quo ipſa caput cooperiebat, cuius meminit Nicephorus lib. 2. cap. 23. Inſuper addit reliquiſſe eidem Ioanni capillos, & lac vberum ſuorum, necnon aquã, & ſanguinem, quæ ex Chriſti latere effluentem, in vaſculo collegerat: quibus tamen ego nullam fidem adhibeo, cùm ſanguis in Cruce effuſus, reaſſumptus fuerit à Chriſto in reſurrectione, vt vnanimi conſenſu Theologi fatentur; niſi ſolum velit aliquas minimas ſanguinis particulas fuiſſe à Virgine aſſeruatas.

Sed perge iam verba recitare, quæ ad Chriſtum, & Apoſtolos Deipara locuta, *Metaphr.* fuit proxima iam morti. Metaphraſtes præcitato loco ad Apoſtolos conuerſam, hæc dixiſſe narrat: *Vos valete filioli, meũ autem hunc deceſſum, ne luctu, ſed lætitia potius proſequamini; quandoquidem vobis eſt perſuaſum, nos tranſire ad gaudium; & videte, vt corpus meum mandetis ſepulturæ in hac figura, in qua ego me compoſuero; hæc enim eſt mea voluntas.* Illos au- *B. Damaſc.* tem hæc reſpondiſſe tradit Diuus Damaſcenus oratione ſecunda, de dormitione Virginis. *Mane nobiſcum, quæ es noſtra conſolatio, quæque in terra es vnicum noſtrorum laborum refugium; ne quæ mater es miſericordiæ, nos relinquas orphanos: habemus te laborum requiem, & ſudorum refrigerationem: ſi velis manere, in tua eſt poteſtate, & ſi velis recedere, nihil eſt impedimenti. Si recedis, quæ es Dei tabernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati ſumus, tuus Populus, propter tuum filium. Tè ſolam in terra relictam habemus recreationem; tecum viuente ſimul viuere, & cum moriente mori, eſt beatum. Quid autem dicimus, moriente te? nam tua quidem, & mors, & vita eſt melior, quàm incomparabiliter ſuperaſti; Quid autem nobis erit, ſi te non habeamus, cùm qua veſſemur?* Ad Chriſtum verò Dominum oculorum aciem dirigens, hæc tanta ma- *Ibidem.* tre digna verba protulit, teſte Diuo Damaſceno ſermone de dormitione Virginis: *In manus tuas fili commendo ſpiritum meum; ſuſcipe tibi charam animam, quam conſeruaſti alienam ab omni reprehenſione. Meum corpus tibi trado, & non terræ: cuſtodi ſaluam quam tibi placuit habitare, & cum natus eſſes, conſeruaſti Virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es fœtus meorum viſcerum, ego quoque tecum degam: ad te enim propero, qui ad me venitaſti citrà vllam ſpatij diſtantiam. Tu meis filijs maximè deſiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, eſto mei diſceſſus ſolatium benedictioni eorum adijce benedictionem per mearum manuum extenſionem.* Symeon, aũt Metaphraſtes, hæc *Metaphraſt.* quæ ſequuntur, locutam Virginem tradit: *Accerſit autem Petrum, deinde alios, & cùm lucernas ipſi accendiſſent, illa in ſpiritu exultans, deductis labris: benedico tibi (inquit) datori omnis benedictionis, cauſa luminis, qui meum ventrem inhabitaſti: benedico tuæ charitati, qua nos dilexiſti Domine; & magnifico verba tua, quæ uobis data ſunt in veritate; & credo mihi affutura, quæ dixiſti:* Quòd ſi noſſe deſideras, quæ verba Chriſtus Dominus dilectiſſimæ matri ſuæ reſponderit, illa tibi reddit idem Diuus Damaſcenus ſermone *Ibidem.* citato de dormitione Virginis, in perſona Chriſti in hunc modum loquentis: *Veni benedicta mater mea in requiem meã: audi, ſurge, propinqua mea pulchra inter mulieres. Ecce hyems præterijt, venit tempus putationis, pulchra es propinqua mea, & macula non eſt in te: odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Inſignis autem Doctor Caniſius de Deipara libro *Caniſius.* quinto, capite tertio, piè contemplatur Chriſtum matri ſuæ hæc dulciſſima verba locutum: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eam, & cum ipſa ſum in tribulatione, eripiam eam, & glorificabo eam. Nomen meum coram hominibus, immò coram*

Crucis

Digitized by Google

Crucis meæ inimicis apertè confeſſa eſt: confitebor, & ego illam coram Angelis, qui ſummo illius deſiderio tenentur; & coram Patre meo, qui veræ Salomonis matrem in Throno ampliſſimo collocabit. Bonum certamen certauit, curſum vitæ conſumauit, fidem ſeruauit, in via Domini ſui ſemper ambulauit immaculata; nunc iuſto iudicio curandum eſt, vt matri meæ Corona iuſtitiæ debita, quæ inde ab initio illi præparata eſt, tandem aliquando rependatur. De torrente mecum in via bibiſti, nunc in Patria mecum caput exaltabis: acutiſſimi doloris gladius, tuam animam meo nomine, & ſæpè quidem pertranſiuit. Non te piguit mihi patienti ex animo compati, & morienti, quodammodo commori; præſertim, quando ſub Cruce mihi conſtantiſſimè, ac fideliſſimè aſſiſtebas. Tempus eſt, vt mutatis vicibus, luctus in gaudium, triſtitia in exultationem, mors in vitam, gloriamque conuertatur; ac tu ſummi decoris in meo Regno particeps effecta, ſempiternis illis perfruare delicijs. Super omnes filias Hieruſalem, hanc ſponſam elegi, amaui, concupiui: hanc vnicam mihi Matrem latiſſimam feci, in qua ſi ante hac vnquam, nunc maximè honoranda verſabor. His, vel ſimilibus ab ore filij prolatis, exultabunda pia Mater animam Creatori ſuo reddidit, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

†

Homilia IV.

Beatam Virginem nullo morbo laboraſſe, dolorem in morte nullum ſenſiſſe, nec dæmonis horribilem vultum intuitam, ſed ex ardenti diuini amoris febre obijſſe: cuius obitus triplex circumſtantia, realis præſentiæ Chriſti, loci, & temporis, hoc eſt domicilij, in quo degebat, anni, menſis, diei, & horæ, in qua è vita diſceſſit, ex doctrina antiquorum Patrum aperitur.

ANtequam propoſitum argumentum aggrediar, omninò præmitmittenda duxi verba D. Auguſtini ſermone de Aſſumptione, in hunc modum ſapienter loquentis: *De ſanctiſſimo corpore perpetuæ Virginis, cuius ſacræ animæ aſſumptionem loqui ſuſcipientes, hoc primum dicimus, quòd in ſcripturis, poſtquam eam Dominus in Cruce Diſcipulo commendauit, nihil de ea reperitur, præter quàm quod Lucas commemorat in Actibus Apoſtolorum dicens: Hi omnes erant vnanimiter, perſeuerantes in oratione cū Maria matre Ieſu. Quid ergo de morte, quid de eius aſſumptione dicendum eſt, vbi ſcriptura nihil commendat, niſi inquirendum rationem, quod conſentiat veritati? fiet ergo ipſa veritas, auctoritas, ſine qua nihil valet auctoritas.* Licet tamen ſacræ Scripturæ teſtimonia in hoc genere argumenti deſint, auctoritas certè grauiſſimorum Doctorū non deſideratur, vt ex dicendis cōſtabit. Ad rem ergò noſtram accedens, nobilis Auctor Procopius commemorat, celebre illud Iani templum ex ære confectum, inſtar ſacelli cuiuſdam quadri fuiſſe conſtitutum; ſed non maiore magnitudine

D. Auguſt.

Act. 1.

Procop.

præ-

præditum, quàm ea, quæ ſufficiens erat ad capiendum in ſe ingens Iani, bifrons ſimulachrum. Huius templi memor fuit
Plinius. Plinius lib. 35. hiſtoriæ naturalis, tradens erectum fuiſſe à Numa, qui pacis, & belli quibuſdam ritibus, & ceremonijs illud honorificè colebat. *A Numa dicatur, pacis, belliq; argumento colitur.* Ritus autem, & ceremoniæ belli, & pacis, hę ſolum erant, quòd cùm bellum indicebatur hoſtibus, continuò illius templi fores aperiebantur; tempore autem pacis protinus claudebantur. Vnde tempore Romanorum, quando pax ſumma viguit, ter clauſæ fuerunt, primo à Numa, ſecundo à Tito Manlio Conſule, tertio ab Auguſto Cæſare, quando Chriſtus Dominus natus fuit in Betlehem Iudææ. Non diſſimiliter Dominus Marianum templum omnium celeberrimum ſibi ędificauit, Salomone dicente: *Sapientia ædificauit ſibi domum:* domum certè æneam, propter
Prou. 9. eximiam eius fortitudinem, tùm ad vincenda cuncta vitiorum monſtra, tùm ad infringendas omnes tartareas poteſtates. Hoc autem ſacrum templum tantæ magnitudinis fuit, quantæ opus erat, vt bifrons diuini Iani ſimulachrum in eo collocaretur, hoc eſt Chriſtus Dominus, qui propter diuinam, & humanam naturam, duplici facie, inſtar Iani, præditus erat. Vt enim conſubſtantialis Patri, Imago illius eſt, & vt filius Virginis, matris imaginem refert. Venit autem filius Dei hoc templum inhabitare, tanquam Princeps pacis, prout illum vocat Iſaias; vt nos Deo
Iſai. 9. reconciliaret: *Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in Cælis ſunt.* Igitur cum fluuius pacis inundauerit terram noſtram, vt promulgauit
Luc. 2. Angelus: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, &c. Reliquum erat, vt in argumentum huius pacis, ſacri huius Mariæ templi fores, inſtar templi Iani, clauderentur. Clauſit certè Beata Virgo vltimum diem, vel vt melius dicam, Matri exhalanti non Numa, non Titus Manlius Conſul, non Auguſtus Cæſar, ſed Auguſtiſſimus omnium Creaturarum Monarcha Chriſtus Dominus, oculorum fores proprijs digitis clauſit; ſpiritũ enim reddidit ſuper Chriſti pectus recubans, vt Sancto Thomæ Cantuarienſi à Beata Vir-
Laur. Maſſ. gine reuelatum fuiſſe tradit Laurentius Maſelli lib. 6. de Beata Virgine, cap. 19. Atque hinc ortum arbitror, quòd licet alioquin mors ingentem dolorem inferat (vt tradit Ariſtoteles ſecundo de anima, & Solinus libro rerum naturalium) & ſola eius memoria ſoleat acerbiſſimum dolorem ingerere, iuxta illud Eccleſiaſtici:
O mors quàm amara eſt memoria tua: Eccl. 41.
mors tamen Virgini nullum prorſus intulit dolorem, ſed indicibile gaudium, vt
ex Alberto Magno ſuper miſſus, & ex Di- Albert. Mag.
uo Damaſceno tradit Auctor Pomerij li- Damaſc. Auth. Pom.
bro decimo, parte prima, articulo ſecundo. Et quidem, ſi ſimile priuilegium narrat Diuus Hieronymus conceſſum Ioanni D. Hieron.
Euangeliſtæ in prologo ſuper eius Euangelium, conſequens eſt Chriſtum Dominum idem matri impendiſſe, iuxta ſententiam Diui Bernardi epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes, aſſerentis: *Quod alijs ſeruis Dei, licet pauciſſimis fuit conceſſum,* D. Bernar.
non creditur matri denegatum. Qua autem ratione impeditus fuerit dolor ille naturalis ex violenta illa diuiſione animæ naturaliter à corpore reſultans, arbitror impeditum ex profunditate contemplationis, cui tempore mortis Virgo Deipara vacabat, cuius dulcor facile poterat omnem dolorem abſorbere, qui aliàs ex diuiſione animæ à corpore ſolet euenire; ſicuti in ſimili contigit Moyſi, & Heliæ, qui per quadraginta dies ieiunantes, ob eximiam diuinæ contemplationis dulcedinem, nec famem, nec ſitim ſenſerunt. Rurſus inde etiam factum eſſe reor, quòd licet alioquin moribundi, ingenti dolore afficiantur, cùm in puncto mortis cacodæmonem vident; vnde Diuus Cyrillus D. Cyrill.
Patriarcha in Epiſtola ad Auguſtinum de miraculis Sancti Hieronymi, narrat, quòd cum tres mortui fuiſſent iuxta ſepulchrum Diui Hieronymi ad vitam reuocati, quandiu poſtea vixerunt, ſine intermiſſione flebant; quorum vnum, alijs præſentibus Diuus Cyrillus interrogauit, cur continuò lachrymas funderet? ille reſpondit: *Si quæ ſum expertus, Cyrille, non ignorares, tibi ſemper ineſſet cauſa fletus.* Illo verò eam requirente reſpondit: *Anima mea reſoluta eſt à corpore tàm grauiter, & acerbè, quòd mens non capit humana, nec ego, niſi certa experientia didiciſſem, credere valuiſſem, quia omnis anguſtia, & dolor, quem æſtimaret homo, nihil*

repu-

reputatur reſpectu illius anguſtiæ. Et iterum: *Tanta* (inquit) *adueniente mortis hora nefandorum ſpirituum affuit multitudo, vt omninò dinumerari non poſſent; quorum ſpecies talis erat, quod ea nil horribilius, nil pernicioſius cogitari poteſt. Potius enim quilibet hominum flammis ardentibus arſurum ſe exponeret, quam formarum eorum aſpectu in ictu oculi potiri, qui ad me veniendo, omnia quæcunque contra Deum perpetraui, ad memoriam reuocabant, ſuadendo, vt de Dei miſericordia, non ſperarẽ. Heu cur non aduertũt mortales, quibus hoc eueniet, quod tunc mihi, vt non peccarent.* Licet ergo cęteri, cùm moriuntur horrendum dęmonis aſpectum ſuſtinere cogantur, B. Virgo ex peculiari Chriſti ſibi in morte adſtantis fauore, illum non vidit, vt præter non paucos moderniores id aſſerentes, tradit his verbis Laurentius Iuſt. ſerm. de Aſſumpt. quæ partim deſumpſit ex D. Auguſt. in ſerm. ſuo de eiuſdem Virginis Aſſumpt. *Reſolutionis carnis imminente articulo, ſicut ab omni mentis, & corporis corruptione extitit libera; ita & à mortis dolore aliena nequaquam habuit, quod metueret: non affuit, qui ſe illi opponeret inimicus, nulluſque terreni amoris impulſus, qui Virginis egredientem animam retardaret. Quomodo formidare poterat, quæ genuit Deum, pacem præſtitit Mundo, & gaudium immenſum intulit Cœlo?*

Laur. Iuſt.
D. Auguſt.

Verùm non ſolũ dolor in morte B. Virginem non oppreſſit, ſed nec vlla infirmitas eam inuaſit, vt teſtantur D. Damaſcenus orat. 2. de dormit. Deiparæ, Niceph. lib. 1. cap. 35. Auctor Pomerij lib. 10. par. 1. art. 2. Dionyſ. Carthuſ. lib. 4. de laud. Virg. art. 3. & permulti Neotherici præſertim tamen Card. Caietanus opuſc. de ſpaſmo Virginis, & ante illum noſter Galarinus, qui lib. 7. de Arcanis, cap. 10. affirmat B. Virginem tàm rectâ valetudine ſemper fuiſſe præditam, tamque benè cõplexionatam, vt etiam menſtruis omninò careret. Cui ſanè priuilegio licet nonnulli refragentur, mihi ſatis credibile eſt, illud præſtitum fuiſſe Virgini, cum illud nonnullis alijs viris ſanctis præſtiterit Dominus. Ioãnem enim Euangeliſtam ſe tumulo incluſiſſe abſque vllo præuio morbo referunt Ambroſius, ſermone de ſanctis Martyribus, Gregorius Turonenſis, libro de gloria plurimorum Martyrum, capit. 30. Iſidorus libro de Patribus noui teſtamenti. Symeon Metaphraſtes in vita eius. Nicephorus libro primo, capit. 35. & libro ſecundo, capit. 42. in eoque tumulo ſanum, & abſque vllo morbo obdormiſſe. Ante illum, etiam hoc ipſum cõceſſum fuiſſe Aroni, nonnulli Doctores cũ Laurentio Maſelli vbi ſupra ex verbis illis Nu. 20. deprehendunt: *Colligetur, & morietur*. Sed id de Moyſe luculenter tradunt ſacra eloquia: nam Deuteronomij 32. Dominum ei dixiſſe legimus: *Aſcende in montem, & morere ibi.* & Deuter. 34. hæc verba habentur: *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* & illa alia: *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino*, vel vt legit originale Hæbreum: *Mortuus eſt Moyſes in os Domini*, vel vt alia lectio vertit: *In oſculo Domini.* Non diſſimiliter mortua fuit Maria in os Domini dicens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Sicut ergo viri omnes iſti, abſque præuio morbo è vita diſceſſerunt, ita & Beata Virgo, in cuius rei typo lego Deuteron. 27. præcepiſſe olim Deum Moyſi, vt ædificaret altare Domino de lapidibus, quos ictus ferri nõ tetigiſſet; & in eiuſdem figura ſacra Regum hiſtoria, lib. 3. cap. 6, malleum, ſecurim, nec aliud ferramenti genus in domo Domini, audirum fuiſſe legitur. Conſtituto igitur Beatiſſimam Virginẽ nullo fuiſſe grauatã morbo, & ex alio capite morte violenta, non occubuiſſe, vt Patres omnes conteſtantur homil. 1. à me citati; reliquum eſt, vt inſtar ſupernaturalis cuiuſdam Phoenicis, diuini amoris flammis exuſtam vitam exalauerit; atq. adeò nullo alio morbo obierit, quàm ardenti amoris febre quod ne proprio Marte dicere videar, auctoritate, & ratione id comprobare adnitar. In primis id docent Beata Brigita libro reuelationum, capit. 62. Albertus Magnus ſuper *Miſſus*, Laurentius Maſſelli, libro 6. de Beata Virgine, cap. 19. Sed ante illos antiquiſſimus Abbas Guaricus ſermone ſecundo, de Aſſumptione, inquit: *Beata Virgo languit timore tota vita, dolore in paſſione, amore in morte.* Auctor Pomerij, libro decimo, parte prima, articulo 2. in hunc modum loquitur: *Mens Beatæ Virginis in ipſa hora mortis fuit ſuſpenſa in contemplatione ſuauiſſima, & amore Chriſti dul-*

Ioan. Dam.
Nicephor.
Auctor Pom.
Dion. Carth.
Card. Caiet.
Galatinus.
D. Ambroſ.
Greg. Turon.
D. Iſidor.
Metaphraſt.
Niceph.
Maſelli.
Deut. 32.
Ibidem 34.
Cant. 1.
Deut. 27.
3. Reg. 6.
B. Brigit.
Alber. Mag.
Laur. Maſ.
Guaricus.
Auct. Pom.

Digitized by Google

ciſſimo; & paulatim interim eius complexio deficiebat, vſquequò tandem ſine dolore percepto, non interrupta contemplatione, ſanctiſſima eius anima corpus desereret.
D. Chryſoſt. Ac tandem Dionyſius Carthuſianus, libro 4. de laudibus Virginis, artic. 3. ait: *Dilecti filij eum incomparabili aſpirauit ardore, diuinarum quoque rerum contemplationi erat profundiſſimè tunc intenta. Ergo præ ſpiritualis ſuauitatis affluentiſſima experientia, ac feruentiſſima dilectione ſeparabatur ſine pœna à corpore.* Vt autem luculenter agnoſcas eximiam vim amoris, Beatæ Virgini, mortem attuliſſe præſupponere oportet id, quod nullus inficiatur, ab eo tẽpore, quo Chriſtus aſcendit in Cœlum, cœpiſſe Beatam Virginem ardentiſſimis deſiderijs videndi Chriſtum Dominum exæſtuare, vt non obſcurè indicant verba illa: *Trahe me poſt te:* quæ egregius Auctor Guilelmus in caput primum Canticorum, de Beata Virgine exponit, in hunc modum loquens: *Trahe me poſt te, ò mi dulcis Ieſu, ò gloria tuæ Matris Ieſu: redis nunc ad Patrem, trahe me poſt te, matrem; vt videat pia mater charitatem, quam habes ex Patre, vt mutuam vicem reddas matri, quæ pro tempore ſuis vberibus pauit te; nunc delicijs diuinitatis tuæ paſcatur à te. Lacte meo potaui te, & quibus potui cibis alui in diebus humilitatis tuæ; nunc (quod potes) inebria me ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ pota me. Nec ait: trahe me tecum, ſed trahe me poſt te, quo charitatem ſuam erga genus humanum clariſſimè manifeſtat. Non petit cum filio Cœlum aſcendere, quia licet multo tedio in terris afficiendā ſe ſciret abſente filio; ſua tamen Eccleſię cōmodis poſtponebat, & nolebat adhuc rudis eſſe ſermonibus ſuis de myſterio Incarnationis plenius informandæ, & exemplis ad ſpiritualem profectum excitandæ.* Eandem expoſitionem ſecutus Alanus in Commentario eiuſdem loci, inquit: *Nota, quòd ſicut Virgo glorioſa deſiderauit Chriſti aduentum in carnem, ita omnibus votis optauit venire ad ipſum poſt aſcenſionem; vt ſicut cum filio fuerat peregrinata in terris, ita cum eodem regnaret in Cœlis.* Hæc eadem Mariana deſideria contemplans Rupertus Abbas ſuper caput quintum Canticorum, exponens verba illa: *Adiuro vos filiæ Hyeruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt annuncietis ei, quia amore langueo;* hæc ſingulari ingenij ſui acumine digna profert: *O filiæ Hyeruſalem, quæ veræ eſtis filiæ Abraham, ſemen Iuda, filiæ quoque Dauid ſecundum fidem credendo in eum, qui cum eſſet filius Dei ſecundum diuinitatem, & Rex ſupremæ Hyeruſalem, factus eſt filius meus, ſiue filius hominis ex ſemine Dauid, ſecundum carnem. Adiuro vos, videlicet per hoc ipſum, vnde eſtis filiæ Hyeruſalem, ſi inueneritis dilectum meum: ſi ante me (vt ſæpè fit) Diſcipulæ ante Magiſtram, exeuntes de corpore, veneritis ante dilecti mei conſpectum, vt annuncietis ei, quia amore langueo: quia præ amore eius, præ magno videndæ faciei eius deſiderio, nimium vitæ huius tedium patior; & animo gemituoſo, lacbrymoſiſque oculis, ſuſpirioſas præſentis exilij moras ſuſtineo. Quid erat, vel quid efficiebat hæc talis adiuratio? nunquid ille dilectus neſciret amorem languentis, ſiue languorem amantis, niſi annuntiaretur ei? Domine (inquit Petrus) tu omnia ſcis, tu ſcis, quia amo te; quantò magis, ò tu dilecta, tàm prudens, tàmque fidelis, per temetipſam abſque internuncijs dicere poteras dilecto; & frequenter dixiſti ſine dubio: Dilecte mi, nullum tibi eſt abſconditum cor, nullius occultus amor: Tu ſcis, quia amore langueo? Quorſum ergo tendit hæc admiratio? nonne, vt percuſſa percutiat, vt vulnerata vulneret? vt audientes filiæ tantum in matre, vitæ futuræ, quæ non videtur, deſiderium in mente perſentiant, & ipſe talem eſſe dilectum, vt iure propter ipſum, faſtidiant, hoc præſens ſæculum; iamque inter moras præſentis vitæ magis, cupiant eum agnoſcere.* hactenus Rupertus. Et quidem, ſi tàm ingens deſiderium videndi filium ſuum Ioſeph, occupauit animum Iacob, vt audito nuncio, dicente ſibi: *Ioſeph filius tuus viuit, & ipſe dominatur in omni Terra Aegypti;* non potuit ſe continere, quin ad illum videndum continuò pergeret in longiſſimam Regionem: *Vadam, & videbo illum antequam moriar.* Et ſi Anna abſente filio eius Tobia, adeò cupiebat eius aſpectū, vt ſacer Textus dicat: *Exiliens circūſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur;* fieri non poterat, quin B. Virgo, quæ ardentius his omnibus

Marginal notes: Cant. 1. Guilem. — Alanus. — Rupertus. Cant. 1. — Ioan. 17. — Geneſ. 45. — Tob. 10.

bus filium ſuum amabat, vehemẽtius eius intuitum deſideraret. Quod ſi Dauid, tametſi multis ſceleribus irretitus, conuerſus tamen ad Deum, tanto illius amore ardebat, vt clamaret: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*. & illud aliud: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad Deũ fontem viuum. quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Et ſi D. Paulus poſt iniurias Chriſto irrogatas, & grauiſſima nocumenta Eccleſiæ eius illata, ſcintilla diuini amoris tactus, dicebat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. Certè B. Virgo, cuius amoris pondus adeò omnia amorũ pondera exceſſit, vt D. Anſelmus lib. de excellentia Virg. cap. 4. diceret: *Superat omnium rerum creatarum amores, & dulcedines, magnitudo amoris iſtius virginis in filium ſuum*; non poterat non magno diuini amoris impetu per ardẽtiſſimum deſiderium in Chriſtum ferri: maximè cùm ille pariter eſſet filius, centrum, & vltimus eius finis; & ſummum bonum omnes naturaliter appetunt, Diuo Bernardo dicente lib. de vita Cleric. cap. 7. *Naturali deſiderio omnes ſummum appetimus bonũ, nec eſt in nobis quies, niſi eo adepto*. Cui conſonat Boetius, lib. 3. de conſol. proſa 2. dũ ait: *Omnis mortalium cura, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diuerſo quidem calle procedit, ſed ad vnum tandem beatitudinis finem nititur peruenire*. Quãtò quæſo auidius niſam fuiſſe Beatam Virginem ad illud pertingere, fas erit ſuſpicari? quam totam incanduerat diuinus amor, adeò vt non immeritò ei aptari poſſint verba illa Iobi: *Terra, de qua oriebatur panis in loco ſuo, igne ſubuerſa eſt*. Scio D. Thom. ibi per terram hanc intelligi velle Pentapolim, in qua Melchiſedech myſticum panẽ obtulit, igne cœlitus pluẽte; nec me latet Batablum contendere, per hanc terram ſignificari montem Aethnam ardentiſſimas flammas emittentem. Alios etiam audio per ignem, & panem ſignificari calorem Solis, quo terra fœcundata, granum generat, ex quo panis conficitur. Vincentius verò Gilbertus in expoſitione Pſalmi: *Magnus Dominus*, tomo 2. lectione 27. illa accommodat Deiparæ Virg. quæ fœcunda illa terra eſt, quæ Chriſtũ Dominũ produxit, de ſe dicentem, & eſſe ignem: *Ego ero ei murus ignis*, & eſſe panem: *eſt panis, qui de Cœlo deſcendit*; vel poſſumus cũ Caietano explicare, quòd Iob ſub nomine ignis intelligit pretioſos lapides inſtar ignis accenſos, vt loquitur Ezech. cap. 28. *In medio lapidum ignitorum ambulaſti*; hoc eſt, in medio zaphiri, & carbũchi, qui ſunt lapides igniti, & aliorum ſimilium, quorum meminit Plinius libro 37. capit. 7. His lapidibus, tanquam ſepe maceria circundata erat, Mariana illa terra, panem cœleſtem producens; per quos non obſcurè ſignificantur duo illi amores, naturalis, & ſupernaturalis, quibus illa ardentiſſimè flagrabat. Carbunchus enim, qui ex innata, & congenita ſua virtute, in medijs tenebris mirificè lucet, & ſplẽdet, naturalem amorem Mariæ, tanquam matri à natura inſitum, erga filium egregiè adumbrat. Zaphyrus verò, & aliæ ſimiles gemmæ, quæ non aliter lucent, quàm ex participatione radiorum Solis, amorem ſupernaturalem eiuſdem, quem nonniſi à Sole iuſtitiæ Chriſto mutuabat, apprimè repræſentat. Hic autem amor, non quicumque erat, ſed ſeraphicus; de quo loquens Diuus Dionyſius, libro Angelicæ Hierarchiæ, cap. 7. illius proprietates aſſignat, quæ in Mariano amore mirificè enituerunt: nimirum eſſe ſemper mobilẽ, inceſſabilem, calidum, acutum, ſuperferuidum: quas Hugo, & Lynconienſis in Commentarijs ſuper Dionyſium in hunc modum interpretantur: vt ſemper mobilis, ſignificet amorem, nunquam pauſa aliqua interruptum; quia ſicut ignis per ſuam flammam, ſemper ſurſum mouetur, ſic amor ſeraphicus ſemper actu fertur in Deum. Inceſſabilis ſignificat, quòd nulla vnquam duratione terminabitur, & finietur, ſed procedet in æternum, & vltra. Sicut enim ignis, quantum eſt ex ſe, non habet præfixum terminum in comburendo, ſed ſemper creſcit in maius, dũ non deficit materia, in qua accendi valeat; ſic ſeraphicus amor caret termino durationis in amando Deũ, quia cùm ſit infinitę bonitatis, & immenſum perfectionũ pelagus ſemper inuenit in eo, quod ipſum accendat, alliciat, & delectet. Eſſe verò calidum, vt interpretantur prædicti Doctores, ſignificat quòd illa ſatietas ex deſiderio amplius videndi eum, in quem Angeli proſpicere deſiderant, ſemper accenditur; in nobis

Pſal. 119.
Ibidem 41.
D. Anſel.
D. Bernar.
Boetius.
Iob 28.
D. Thom.
Batablus.
Gilbertus.
Zach. 2.
Ioan. 6.
Caietan.
Ezech. 28.
D. Dion.

quidem deſiderium anxietatem habet, & ſatietas faſtidium. Ne ergo ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes beati ſatiātur; & ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant; vnde ſitientes ſatiantur, & ſatiati ſitiunt. Cuius rei Angelicus Doctor dignam, mirabili eius ingenio rationem aſſignat, lib. 3. contra Gentiles: quia diuina eſſentia ſemper cum admiratione videtur cùm nullus intellectus eam comprehendat, ſed omnia creata, ipſa tranſcendat. Cùm igitur intellectus beati ſemper habeat in diuina eſſentia, quod admiretur, & alliciat, nunquam faſtidit, eam videre, & amare; ſed ſemper, & continuè delectat videre quod amat, & amare quod videt. Vnde ſatietas ex deſiderio, & deſiderium ex ſatietate ſemper accenditur, iuxta illud Eccleſiaſt. *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Acutum autem ſignificat conditionem quandam diuini amoris, qui omnia tranſcendens, omnia caduca deſpicit. Superferuidum autem, cùm homo ſeipſum etiam contemnendo relinquit; vnde miro quodam modo fit, vt dum per dilectionis ignem, in illū ſuſtollitur, qui eſt ſupra ſe, per vim amoris feratur in illum ſolum, qui ſurſum eſt, appetendum, cogitandum, ruminandum, contemplandum, & deſiderandum; nec ſe, nec aliquid aliud cogitat, nec deſiderat, dum illum ſolum amat. Hoc igitur ſeraphico amore ſuper omnes creaturas exarſit Beata Virgo, ſed quid non arderet, quæ Verbum diuinum incarnatum genuerat? Sicut enim Pater æternus generans coæternum ſibi filium, continuò in voluntate vtriuſque adfuit amor infinitus, ſcilicet Spiritus ſanctus, quo reciproce ſe amant; ita cùm Beata Virgo temporaliter concepit, quem Pater ab æterno genuerat, continuò, vt quoad fieri poſſet, temporalis generatio æternæ ſimilis eſſet, in voluntate Virginis reſultauit feruens adeò amor, vt in comparatione illius cęleſtium mentium amor, etiam Seraphinorum, frigus, & glacies meritò cenſendus ſit. Vnde ad id ſignificandum, vbi noſtra vulgata ait: *Ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam;* quædā tranſlatio habet: *Ne ſuſcitetis charitatem;* alia verò: *Ne ſuſcitetis dilectionem.* Quibus nō obſcurè indicauit Spiritus ſanctus, tanto amore eſſe ignitam B. Virginem, vt iā non tàm chara, & dilecta, quàm ipſa charitas, & dilectio eſſe videretur. Atque hinc colligere licet cauſam, ob quā vt ſupra ex varijs Doctoribus obſeruauimus, omnes infirmitates, & oēs tartareæ poteſtates longè à Maria in eius morte abfuerunt, ardētem eius amorem fuiſſe. Finxit ingenioſè Claudius Minoe (id referēte Augeriano) Deos oēs varijs armorū generibus ad profligandos hoſtes ſe muniuiſſe. Mars aſſumpſit enſem, Neptunus tridens, Vulcanus martellos, Hercules clauam, Mercurius chaducæum, Iupiter fulmina. Verùm cum iam omnes fuiſſent ad irruendū in hoſtes accincti, repentè comparuit amor lucidiſſimis armis præmunitus: quo viſo continuò arma è manibus Deorū ceciderunt. Deſcripſit hoc eleganter Augerianus in hæc Carmina:

D. Thom. | *Eccleſ. 24.* | *Cant. 2.* | *Augerianus.*

> *At cum viſus amor fuit infulgentibus armis,*
> *Necnō accenſa lāpade pulchra Venus*
> *Priuatur Thyrſo Bromius, Mars Enſe, Tridente*
> *Neptunus Fulmine dextra Iouis.*

Non diſſimiliter, licet Deus amauerit ſe ad vltionem inimicorum, & in pęnā peccati, varijs infirmitatibus in vita eos opprimat, & in morte doloribus concutiat, & dęmonē horribili viſione morientium animas infeſtet; ardens tamen amor Virginis qui in morte ſupremum ſuæ fortitudinis augmentū ſuſceperat, ita præualuit, vt vniuerſa illa Dei arma confringeret, morbos fugaret, omnem dolorem à ſe propulſaret, ac dęmones ipſos deterreret, longèque à ſe fugaret.

Porrò ex his, quæ de ſeraphico amore Virginis hucuſq; differui, triplicem elicio rationem ad comprobandum, non alio morbo, quàm ardenti diuini amoris febre Beatam Virginem mortem obijſſe. Ad primam tamen earum ſuppono, ſecundum Philoſophos naturales, poſſe adeò exceſſiuum eſſe ſenſitiuum amorem amantis erga rem amatam, vt eius vehementia abſumat humidum radicale: Amor enim ſenſitiuus ſedem habet in appetitu ſenſitiuo, qui in corde reſidet, vt docet Angelicus Doctor, in 1. ſecundæ quæſt. 48. ex vehemētia aūt amoris, accenditur cor, vt experientia ipſa ſatis comprobat. Cùm enim quis nimio affectu fertur in rem amatam, bullientem in corde calorē perſentit. Hic igitur calor adeò poteſt augeri, vt *D. Thom.*

Digitized by Google

ri, vt potenti ſua virtute omnes ſpiritus vitales penitus extinguat, & conſumat. Hoc igitur ſuppoſito, cum in charis Dei amicis rationalis eorum appetitus rapiat ſecum appetitum ſenſitiuum, vt æquali feruore, quo ille, feratur in rem amatam, ſicut expertus eſt Dauid, cùm dicebat: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Hine certe eſt, quòd cum in fine vitæ vis amoris ſupernaturalis in excellentiſſimo gradu creuiſſet in Deipara Virgine, ille vehementi impetu appetitum eius ſenſitiuum rapiebat, vt in Deum proportionali amore ferretur, & cum vehementia huius amoris ſenſitiui calorem cordis mirum in modum augeret; omnes quidem ſpiritus vitales, quibus Mariæ corpus ſubſiſtebat, extinxit; & ex conſequenti opus fuit, continuò animam exhalare. Occubuit ergo Deipara, non gladio confoſſa, non morbo aliquo oppreſſa, ſed ardenti ſolum amore febricitans, vt non obſcurè indicant verba Salomonis in perſona Virginis morti proximæ dicentis: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. Liquefacta enim Virgo præ magnitudine diuini amoris, vitam eius abſumentis, hoc ſolum ſolatij genus antequam vltimam diem clauderet, ſibi exhiberi poſtulabat: vt ſacris Virginibus, Apoſtolis, & Chriſto Domino lectulus, in quo iacebat, ſtiparetur. Per flores feminas illas, quarum meminit Metaphraſtes, Deiparæ familiares, à quibus, quia in eis virginitatis flos non emarcuerat, circundari deſiderabat: *Fulcite me floribus*. Per malos verò, quas continuò ſubiunxit: *Stipate me malis*, ſacros Apoſtolos, & Chriſtum Dominum intelligens, qui præcipuus erat eorum: iuxta illud: *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios*. His certè mala lis poſtulabat Virgo languens ſtipari, & circuiri: *Stipate me malis:* conſulto autem arbitror malorum meminiſſe, quia petitio illa ex amoris languore procedebat: mala autem in delicijs amatorijs annumerari, teſtis eſt Maro. 2. Georgic. qui aurea decem mala miſerat, cras altera miſſurus. Teſtis Athalanta ab Hyppomene tribus citris ſuperata. Verùm, quid opus cõtrahere latam vocis ſignificationem? ſequẽdus potius conſenſus Hæbreorum, Latinorũ, & Græcorum: Malus enim

Pſal. 89.

Cant.

Cant.

Maro.

ſiue pomum, ſymbolum fuit amoris non tantum Phyloſtrato, Nicandro, Theocrito, Catullo, Propertio, Virgilio, & alijs Poetis, quibus amores nati ſub malo, ſub eadem arbore luſitant, & amantes malis ſe petunt, ac donant; ſed etiam ſomniorum Interpretibus, quibus in ſomno viſa poma, fruitionem pollicentur; vt ingenioſè delyranti Artemidoto, & ſtatuis, ac numiſmatibus, in quibus Dyonis filia, vt fructum amori ſacrum, malum manu tenens proponitur.

Secundam rationẽ iam ſubijcio in idẽ argumentũ, quia ex ardentiſſimo Mariæ amore erga filiũ ſuum, oriebatur ſummũ deſiderium illum videndi, ad dexterã Patris in ſupremo Cœli vertice cõſidentem; ſi enim ſolũ deſiderium inueniendi filium cum per triduũ illum perdidit, ita ſauciauit animã illius, vt diceret: *Surgam, & circuibo Ciuitatẽ per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea*. Super quæ verba D.Bernar. inquit: *Aurora rutilans conqueſta eſt, ſe diem perdidiſſe lucentẽ: ſtella matutina admirata eſt triduanam Solis abſentiã. Si ergo deſiderauit filij ſui præſentiam adbuc exiſtentis in terris, ſic quod quieſcere non poterat, quantũ deſiderauit præſentiam eius regnantis in Cœlis?* Abſentia filij, non per triduum, ſed per multos annos nõ poterat non in matris animo ardẽtius deſiderium aſpectus illius gignere. Quis autem ignoret, quanto vehementius eſt deſideriũ, tantò cõplementi illius dilationẽ acerbius amantis animam cruciare, communi Prouerbio dicente: *Spes dilata affligit animam?* Immò & quandoq; ex vehementia rei amatæ, enecat, quia *fortis eſt, vt mors dilectio: dura, ſicut Infernus, æmulatio*.

Cant. 3.

Cant. 8.

Tertiam tandẽ rationẽ adiungere poſſumus, ob quã nõ immeritò Virginẽ ex amoris vehementia interijſſe credamus, quam deſumo ex aſſiduis contẽplationibus carnem eius debilitantibus, ab eius enim officijs extrahebãt animam, in extremiſq; ſæpiſſimè rapiebant; imbecilliſque reddebatur caro, toties ab anima, quaſi derelicta: & hoc quærela illa Marthæ aduerſus Mariam ſignificabat. Quærebatur quippè Martha, quòd ſoror eius Maria ob frequentes eius contemplationes, ſolam eam dimittebat: ſic caro Virginis de ſorore eius, nempè anima quærebatur, eò, quòd in diuinorum contemplatione

rapta, eam ſolam relinquebat: quare
debilis, impotenſque reddebatur. Vnde
D. Hieron. Diuus Hieronymus, vel quicumque
alius in ſermone de Aſſumptione ait, de
Beata Virgine dici: *Aſcendiſſe, ſicut vir-*
gulam fumi, quia gracilis, & delicata,
quia diuinis extenuata diſciplinis. Et ſi-
Eſther 15. cut Regina Heſter, cùm ad Regale ſolium
Aſſueri Regis præiret, ſuper humerum an-
cillæ innitebatur, quaſi præ nimia teneri-
tudine corpus ſuſtentare non valens: &
cùm ad thronũ Regis accederet, examina
ta corruit, atq; defecit; ita Regalis anima
B. Virg. diuinis initiata myſterijs, munijſ-
que Altiſſimi dedicata, nec iam carnẽ ſu-
ſtinere valẽs prę nimia amoris teneritudi
ne, velut alter Iacob, non ſolum poſt luctã
cum Angelo vno claudicabat pede; ſed
omninò defecit. Deiparæ igitur animam,
velut nitidiſſima quædam columba ex no
bili corporis ſui Arca egredientem teſta-
D. Greg. Tur. tur D. Greg. Turon. lib. 1. de gloria mar-
tyrij, cap. 4. Chriſtum Dominum manibus
ſuis, in quas B. Virgo illam commendaue
rat, ſuſcepiſſe, & Michaeli Angelo tradi-
diſſe: *Ecce* (inquit) *Dominus Ieſus adue-*
nit cum Angelis ſuis, & accipiens animam
eius, tradidit Michaeli Angelo, & receſſit.
Caniſ. Eruditus etiam Caniſius lib. 5. de Deipa-
ra cap. 3. ait: *Vidit ergo Maria cùm in le-*
cto decumberet, Chriſtum Dominum illis
oculis, quibus & Stephanus paulò ante mor
tem, eundem aſpexerat. Vidit, inquam,
Angelorum tanquam ſatellitio circumqua-
que ſtipatum, & ad ſe ita comiter venien-
tem, vt hinc tota gaudio, & voluptate per-
funderetur, quod in amicis illius manibus
ſuam eſſet animam depoſitura. At non ſo-
lum Archangelus Michael, ſed & innume
rabiles Cœli exercitus immaculatam il-
Luc. 16. lam animam comitabantur. Si enim La-
zaro mendico tantum felicitatis obtigit,
vt morientis anima varios Angelos depor
tatores obtineret; quid minus (obſecro)
immò quid non longè maius Matri Do-
mini tributum eſſe dicemus? Certè à ſpiri-
tibus Angelicis deducta fuit, non in ſinum
Abrahæ, ſed ad cœleſte hoſpitium, ad lo-
cum Tribunalis ſupremi, ad Thronum
excelſum Dei, & ad ſinum Patris, in quo
ipſe filius vnigenitus manet. Sed ne quic-
quam per exaggerationem proferre videa
mur, veterum Patrum ſententias audia-
B. Andr. mus. Beatus Andreas Cretenſis palam
affirmat in oratione de Aſſumptione, ad
Mariæ mortem, velut ad inſigne ſpecta-
culum, innumerabilem Angelorum cœ-
tum confluxiſſe; & Sanctorum animas in
ipſo Virginis exitu, veluti pulcherrimos
ducentes choros adfuiſſe. Has enim illas
eſſe adoleſcentulas, de quibus liber Can-
ticorum dixerat, eiuſdem Andreæ vox
eſt: *Oportebat cum Regina naturæ vna*
adeſſe diuinas eorum, qui vixerant animas
in exitu præcedentes; & eam adducere, &
ea canere Cantica, quæ cani ſolent exeun-
tibus. Non diſſimilia profert Sophronius Sophronius.
ſermone de Aſſumptione, dum ait: *Si ad*
recreandam ſpem, & roborandam fidem
interdum aſtantium, Saluator noſter Ieſus
Chriſtus ob merita ſuorum amplius com-
probanda, talia, & tanta dignatus eſt exbi-
bere per ſuos Cœli miniſtros circa defunctos;
quantò magis credendum eſt hodierna die
militiam Cœlorum cum ſuis agminibus fe-
ſtiuè obuiam veniſſe Genitrici Dei, eamque
ingenti lumine circumfulſiſſe; & vſque ad
thronum, olim ſibi etiam ante Mundi con-
ſtitutionem paratum, cum laudibus, & Can
ticis ſpiritualibus perduxiſſe. Ac tandem B. Amad.
Beatus Amadæus homilia ſeptima, de
Virgine matre, refert Mariam de carnis
habitaculo eductã, cum ætatis eſſet pro-
uectæ, ad Chriſtum filium glorioſè mi-
graſſe, ac ciues Cœli venerandos in ſui
obſequium, & deductionem paratos in-
ueniſſe, mirantibus omnibus tantùm
felicis animæ nitorem, quæ nullam om-
ninò labem contraxiſſet; Chriſtum ip-
ſum dixiſſe: Tota pulchra es Mater mea,
& macula non eſt in te. An autem in
tranſitu à via ad Patriam ſacra illa Dei-
paræ anima actum amoris interruperit;
ego quidem putauerim, vel eundem,
quem vſque ad mortem in terra viuens,
liberè exercuit, in termino viæ neceſſita-
te quadam ex clara Dei viſione orta, con
tinuaſſe, ſi vera eſt ſententia eorum, qui
putant non eſſe diuerſitatem ſpecificam
inter amorem patriæ, & viæ; vel cer-
tè ſi diuerſi ſunt ſpecificè, ſaltem Beatam
Virginem (opinor) ab actu amoris viæ,
abſque vlla intermiſſione immediatè trã-
ſiſſe ad actum amoris patriæ. Cùm
enim proxima inſtanti mortis, maiore
diuini amoris incendio flagraret, & in
illo inſtanti, quod dicitur à Phyloſophis,
primum non eſſe hominis, cœpit videre
clarè

clare Deum, & beatifica charitate illum diligere: conſequens fit, nullam amandi feciſſe interruptionem.

Ad extremum; cùm hucuſque de morte Virginis, & cauſa eius ſermonem habuerimus, reliquum eſt, vt ad circumſtantias temporis, & loci orationem conuertamus, ne quidpiam ex his, quæ in hoc genere argumenti deſiderari poſſunt, prætermiſiſſe videamur. Author Pomerij, libro decimo, articulo primo, de ætate Virginis agens, inquit: *Communiter videtur teneri opinio, quòd Beata Virgo poſt Chriſti paſſionem, duodecim annis vixerit, & ſic citra ſexagenarium, vel potius quinquageſimum octauum annum in Cœlum aſſumpta; cùm Apoſtoli totidem annis prædicauerint in Iudæa, & circa partes illas, ſicut Eccleſiaſtica tradit hiſtoria.* Diuus Auguſtinus libro de mirabilibus ſacræ Scripturæ capite 11. tradit, occubuiſſe ætatis ſiue anno quadrageſimo nono. Petrus Aquilinus libro primo Cathalogi capite 65. ait obijſſe impletis annis quadragintanouem, menſes quinque, dies vnum, & viginti: Euſebius in Chronicon, anno Domini quadrageſimo tradit, ſexaginta trium annorum tempus percurriſſe; quam ſententiam confirmat ſancta Brigita libro ſeptimo, capite 26. affirmans reuelationem ſibi factam à Virgine quindecim annos poſt Aſcenſionem Chriſti ſuperſtitem extitiſſe. Vndè cùm Chriſtus Dominus vixerit triginta, & tres annos, & Beata Virgo, cum illum peperit, eſſet quindecim annorum, vt tradit Diuus Epiphanius, conſequens eſt, vitam eius per ſexaginta tres annos duraſſe. Nicephorus libro 2. cap 21. necnon Diuus Antoninus prima parte hiſtoriæ tit. 6. cap. 3. ſexageſimo anno ætatis ſuæ vitam terminaſſe affirmat. Euodius verò, vt refert Nicephorus libro ſecundo, cap. 3. non plures, quàm quinquaginta nouem illi aſſignat. Diuus Epiphanius de vita Beatæ Virginis, Cedrenus in compendio hiſtoriæ. Caniſius libro quinto capite primo. Cardin. Baronius tomo primo Annalium, ad annum Chriſti quadrageſimum octauum, aiunt vixiſſe vſque ad ſeptuaginta duos. Diuus Anſelmus vult, octogeſimum ſecundum annum attigiſſe. Illud quidem in hac controuerſia certum omninò eſt, vt ex Euangelio Ioannis colligitur, dicentis Mariam ſtetiſſe iuxta Crucem, & ex Diuo Luca, aſſerente Mariam vnà cùm reliquis Chriſti Diſcipulis aduētum Spiritus ſancti expectaſſe. Illud (inquam) certum eſt, Beatam Virginem quadraginta octo annos attigiſſe, quia Chriſtus vixit triginta tres annos; & cum illum peperit, habebat quindecim, vt teſtatur Diuus Epiphanius; incertum tamen omninò eſt, quot annos, ſuprà 48. ſuperſtes fuerit. Quare in tanta quam retuli grauiſſimorum Doctorum, opinionum diuerſitate, difficile eſt ferre ſententiam. Vt meam tamen, qualemcumque proferam, opinioni eorum, qui ſexagintatres ætatis annos Virgini tribuunt, ſuam probabilitatem deferens, vtpote, quæ receptior, & celebrior habeatur inter fideles, qui in Eccleſia in honorem annorum vitæ Beatæ Virginis, ex ſexaginta tribus ſalutationibus Angelicis, Roſarij, quam vocant Coronam texere conſueuerunt. Illa nihilo ſecius ſententia, quæ affirmat obijſſe anno 72. ex eo mihi videtur cum veritate magis coniuncta, quia Diuus Dionyſius Areopagita cap. 3. de diuinis nominibus affirmat, ſe cùm multis alijs conueniſſe Hieroſolymis tempore felicis tranſitus Beatæ Virginis: Dionyſium autem conſtat ex actibus Apoſtolicis cap. 16. non veniſſe ad fidem, vſque ad decimum octauum annum à nece Chriſti, qui fuit quinquageſimus ſecundus à natiuitate eius, quia non anteà Paulus peruenit Athenas, à quo ipſe fuit edoctus. Vt poſſet igitur adeſſe morti Virginis, neceſſe fuit, vt illa vlterà ſexagintaſex annos vixerit; & rurſus cùm Diuus Dionyſius per aliquod tempus poſt ſuam Conuerſionem moratus fuerit Athenis, vbi tunc habitabat, & perlongum etiam tempus conſumpſerit in longiſſimo itinere ab Athenis in Hieroſolymam; certè omnibus his computatis, veriſimilior fit ſententia ſeptuaginta duos annos Beatæ Virgini aſſignans. De menſe autem quo obierit, nihil habeo dicendum, niſi quòd qui affirmant Chriſtum aſcendiſſe in Cœlum trigeſimo tertio anno vitæ ſuæ incœpto à 25. die Decembris quo impleuit 32. annum vſque ad Maium, quò aſcendit, dicturi ſunt deceſſiſſe Deiparam menſe Auguſto, completo iam 25. anno à præcedente Maio, ex quo Chriſtus aſcendit. At qui dicunt, Chriſtū crucifixum anno trigeſimoquarto incœpto,

Marginalia: Author Pom. — D. Auguſt. — Aquilinus — Euſebius — S. Brigita — D. Epiphan. — Niceph orus, D. Anton. — Euodius — D. Epiphan., Cedrenus, Caniſius, Baronius — D. Anſelm. — Ioann. 19. — Ioan. 19. Act. 1. — D. Dionyſ. — Act. 16.

Digitized by Google

incœpto, & aſcendiſſe Maio eiuſdem anni, dicturi ſunt etiam, deceſſiſſe Mariam anno 24. completo ab aſcenſu Chriſti: completus enim erat Maio præcedente menſe Auguſti, quo Virgo ad Cœlos euolauit, 24. annus ab aſcenſu Chriſti.

Ioan. Maior. De die verò Mariani obitus, Maiorem celebrem Theologum inter nominales ſermone de Aſſumptione, reperio affirmantem, Beatam Virginem aſſumptam fuiſſe anima, & corpore glorioſam die Dominica. Vnde cùm per triduum, ſicut eius filius, antequam reſurgeret, iacuiſſet in ſepulchro, conſequens eſt, die veneris, veſtigia Chriſti Domini non ſolùm in vita, ſed & morte ſequens, e vita hac mortali diſceſſiſſe. Diem autem illam fuiſſe decimamquintam Auguſti, quæ eſt, decimooctauo Kalendas Septembris, Eccleſiæ conſuetudo, quæ tunc illam celebrat, non obſcurè demonſtrat. De hora tandem

Laur. Maſell. felicis eius tranſitus, Laurentius Maſelli libro ſexto de vita Virginis cap. 19. in eam propendet ſententiam, Beatam Virginem, perſimilis vt fieret filio ſuo etiam in morte, eadem hora, qua Chriſtus mortuus fuit, obiiſſe

S. Geltrud. Sancta verò Geltruda libro quarto cap. 49. tradit hora tertia noctis immaculatum ſpiritum Creatori filio ſuo reddidiſſe. Denique de circumſtantia loci, in quo prædicta omnia ſuperius à me relata contigerunt, illud proferendum

Sophronius occurrit, quod licet Sophronius libro 4. de præconijs Virginis articulo primo affirmet, nonnunquam habitaſſe iuxtà ſepul-

Dion. Carth. chrum filij, quod & placet Dionyſio Carthuſiano; Abbas verò Guaricus ſermone ſecundo de aſſumptione dicat, ad tempus degiſſe in valle Ioſaphat, necnon etiam certum ſit Epheſi quandoque habitaſſe in conſortio Diui Ioannis Euangeliſtæ, vt

Concil. Epheſ. tradit Concilium Ephæſinum oratione ſecunda de dormitione Deiparæ; locus tamen quem frequentius habitauit poſt mortem Chriſti, fuit Hieroſolyma, vt tra-

D. Damaſc. Andr. Cret. Metaphr. dunt Diuus Damaſcenus, Andreas Creteſis, & Symeon Metaphraſtes de dormitione, & aſſumptione Virginis: Domus autem, fuit Cœnaculum, vt ijdem Do-

Guillelmus Laur. Maſell. ctores dicunt. Affirmat autem Guillelmus cenſura prima contra Hæreticos, vt refert Laurentius Maſelli de Deipara lib. 6. cap. 18. Virginem propriam ſuam domum in Conuentum centum Virginum quaſi Monialium conuertiſſe. Inter præcitatos autem Doctores de habitatione Virginis loquentes, audiamus precor, Diuum Damaſcænum, cuius ſolum egregia verba hic apponam. D. Damaſc.

Videor mihi (ait) *videre hanc ſanctis ſanctiorem, & ſacris ſacratiorem, & pijs magis piam, dulcem mannæ vrnam: aut vt verius dicam, fontem, ſuper aliquem lectum recumbentem in diuina, & inclyta Ciuitate Dauidis, in qua lex quidem fuit impleta Prophetarum, pronunciata autem fuit lex ſpiritus: in qua typicum Paſcha peregit Chriſtus legislator, & verum Paſcha, qui Deus eſt veteris, & noui teſtamenti, tradidit: in qua cœnam myſticam ſuis Diſcipulis Agnus Dei, qui Mundi tollit peccatum, celebrauit; & eis ſeipſum, tanquam vitulum ſaginatum ſacrificauit, & veræ vineæ botrum calcauit: in qua Chriſtus aſpicitur ab Apoſtolis ſurgens à mortuis, & fidem facit Thomæ, & per eum finibus terræ, quòd ſit Deus, & Dominus duas in ſe ferens naturas, etiam poſtquam ſurrexit à mortuis. Hæc eſt Arx Eccleſiarum, hæc eſt habitaculum Apoſtolorum. In hanc ſanctiſſimi ſpiritus in varijs ſonis, & linguis, & in ſpecie ignis effuſus eſt Apoſtolis. In hac, cùm ille Theologus acceepiſſet Deiparam, ſubminiſtrabat ei ea quibus opus habebat. Hæc eſt mater Eccleſiarum, quæ ſunt per vniuerſum Orbem Terræ: in hac vitam egit Dei mater poſtquam filius ſurrexit à mortuis: in ea Beata Virgo iacebat ſuper aliquem feliciſſimum lectum.* In eandem etiam ſententiam iuiſſe teſtatur totam Patrum antiquitatem

Caniſius libro 5. de Deipara cap. 3. idque ea ratione congruiſſe aſfirmat, vt filia Hieruſalem à terreſtri Hieruſalem in cœleſtem Hieruſalem tranſiret, vbi cum filio regnat, & regnabit in ſæcula ſæculorum. Amen. Caniſius

Homi-

Digitized by Google

Homilia V.

Varia arcana de ſepultura, & funere Beatæ Virginis, ac de ſingulari eius pompa diuinitus ordinata, ex priſcorum Patrum, & aliorum Doctorum monimentis aperiuntur.

B. Andr. Cret. CVm Beatus Andreas Cretẽſis in oratione de Virginis aſſumptione, affirmet, Marię in hunc Mundum ingreſſum, necnon poſtremum ex illo eius diſceſſum, plenum eſſe miraculis, nec humanæ mentis acumine poſſe comprehendi: Permittite quæſo, fratres, vt magna, ac mirabilia, quæ (mortua iam Deipara) circa funus, & ſepulturam eius contigere, in medium proferam: non ex infimis certè Authoribus deprompta, ſed grauiſſimorum Doctorum auctoritate velut ſigillo, conſignata. Ante omnia tamen oportet, vt prius ſtatuamus locum, vbi ſitum fuit eius ſepulchrum. Locus hic communi Doctorum conſenſu, fuit in valle Ioſaphat, in prædio Gethſemani, vt hac etiam in parte filio, cuius glorioſum ſepulchrum contigit (vt futurum prædixerat Iſaias c. 11.) pia mater conformaretur. Et quidem præter D. Dionyſiũ Areopag. D. Damaſcenum, Nicæphorum, Glycam, Metaphraſtẽ, & alios relatos à Caniſio lib. 4. de Deipara cap. 3. hoc affirmãres, id conteſtatur in primis Venerabilis Beda, dum libro de locis ſanctis cap. 6. ait: *In eadem valle Ioſaphat, ſanctæ Mariæ rotunda eſt Eccleſia, lapideo tabulato diſcreta, cuius in ſuperioribus quatuor Altaria, in inferioribus vnum habetur in orientali plaga; & ad eius dexteram monumentum vacuum, in quo ſancta Maria aliquando pauſaſſe dicitur: ſed à quo, vel quando ſit allata, neſcitur.*

Iſai. 11.

D. Dionyſ. D. Damaſc. Niceph. Glyca Metaphraſt. Caniſ. Beda

Brochard. Brochardus monachus lib. de terra ſancta in deſcriptione Hieruſalem, inquit: *Sepulchrum Virginis glorioſæ oſtenditur alia Eccleſia, vbi fuit hortus Gethſemani, quem Dominus ante Paſſionem ſuam intrauit, iuxta montem Oliueti cuidam rupi concauæ adhærens: ſub qua Diſcipuli ſediſſe memorantur, cùm ipſe oraret ad Patrem.* Teſtatur etiam Euthymiaca hiſtoria c. 4. apud Damaſcenum, dum ait: *Et cum Marcianus, & Pulcheria accerſiuiſſent Iuuenalem Hieroſolymitanum Archiepiſcopum, & Palæſtinæ Epiſcopos, qui in regia Vrbe verſabantur propter ſynodum, quæ tunc facta eſt Chalcedone, dicunt eis: Audimus eſſe Hieroſolymis primam, & egregiam ſanctiſſimæ Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ Eccleſiam in prædio, quod vocatur, Gethſemani; vbi eius, quod vitam portauit corpus, fuit in loculo depoſitum. Volumus ergo huc adduci eius reliquias ad cuſtodiam huius regiæ Ciuitatis.* Deinde beatus Andreas Cretenſis Archiepiſcopus Hieroſolymitanus pręcitato loco, inquit. *Gethſemane ſuſcipe nouam Reginam: para ſepulchrum: produc ea, quæ ſunt vſui ad ſepeliendum: orna thecam vnguentis.* Narrat & miracula, quæ hoc Marię ſepulchrũ valde commendent, quodque pijs magnæ fuit olim venerationi. Tentare vero quæ ille, & alij non pauci graues Authores prodigia commemorant referre, non ſolum difficile, ſed mihi prorſus impoſſibile eſſet & de cõſulto illa prætereo. Ac tandẽ Sophr. de Virginis Aſſumpt. vel quicũq; alius eſt illius Author hæc ſcribit: *Monſtratur ſepulchrũ eius cernẽtibus nobis vſque ad præſens, in vallis Ioſaphat medio, quæ vallis eſt inter montem Syon, & montem Oliueti poſita, vbi in eius honorem fabricata eſt Eccleſia muro lapideo tabulata, in qua ſepulta fuiſſe ibidem ab omnibus prædicatur; ſed nunc vacuum eſſe mauſolæum cernentibus oſtenditur.* Verùm circa hunc Authorem (vt id obiter dicã) quem nec Sophronium, nec Hieronymum eſſe, erudite comprobauit Cardinalis Baronius tomo primo Annalium, ad annum quadrageſimum octauum, licet in eo verum dicat ſepulchrum Virginis fuiſſe in valle Ioſaphat: falsò tamen aſſerit, eo tempore, quo viuebat Hieronymus, Dei Genitricis ſepulchrum omnibus fuiſſe perſpicuum: quia certè Diuus Hieronymus Epiſtola 27. relegens cuncta Palæſtinæ loca, quę ſancta Paula Romam veniens inuiſit; & cuncta ſepulchra memoria digna, quæ

Euthim.

B. And. Cret.

Sophron.

Card. Baron.

ibi

ibi erant recenſens, vt duodecim Patriarcharum, Ioſue, Eleazari filij Aaron, Eliſæi Abdiæ, Micheæ, Ioannis Baptiſtæ, & Lazari; necnon, & Mauſolæum Helenæ Adiabenarum Reginæ, quæ tempore Claudij Populum fame laborantem pauit, minimè certè prætermiſiſſet Dei Genitricis ſepulchrum; cùm ſi illud potuiſſet tunc cerni à Paula, minime illud non viſitaſſet. Rurſus Diuus Epiphanius Hieroſolymis ſæpè verſatus, vt de eo tradidit Hieronymus ad Pammachium epiſtola 61. ſe ambigere ingenuè fatetur, an Beata Virgo mortua fuerit. Igitur ſepulchrum eius tunc non erat ob oculos omnium poſitum, & perſpicuum omnibus factum. Denique quia Euſebius in vita Conſtantini lib. 3. cap. 24. & ſequentibus, Socrates lib. 1. c. 13. & Sozomenus libro primo cap. primo, necnon Theodoretus lib. 1. cap. 15. 16. & 17. qui ex profeſſo egerunt de locis ſanctis, Conſtantini temporibus repertis, & ædificijs illuſtratis, nullam, vel leuem de ſepulchro Virginis fecere mentionem. Euidens ergo eſt, tunc non eſſe agnitum ſepulchrum Virginis. Igitur omnes Authores cum Hieronymo ea certè ratione ſacrorũ locorum memoriam refricantes, & ſingula minutatim enarrantes, non meminerũt Mariani ſepulchri, Chriſti ſepulchro ſatis contigui: quia (vt tradit Cardinalis Baronius præcitato loco) erat multis ruinis obrutum. Repertum autem creditur, (vt idem tradit) paulò ante tempora Iuuenalis, necnon Marciani, & Pulcheriæ Imperatorum; nunc dicitur, ſub terra adeò reconditum, vt circiter ſexaginta gradibus ſit ad illud deſcendendum.

D. Epiph. *D. Hieron.* *Euſebius* *Socrates* *Sozomen.* *Theodoret.*

Statuto igitur iam loco ſepulchri, virgineum illud corpus ſuſcepturo, ad honorificum funus, quod ſacratiſſimo Deiparæ corpori fuit traditum, accedamus; illud ſingulare prodigium ante omnia præmittentes, quod his verbis enarrat Bernard. Buſtens. *Hoc primùm Chriſti Apoſtoli, & Diſcipuli, & quotquot illo aderant, amoris, & reuerentiæ officium virgineo illi corpori ſingulari ſplendore, & pulchritudine coruſcanti, ac ſuauiſſimum odorem emittẽti (vt refert ſanctus Meliton de tranſitu Virginis) exhibuere; vt illud genua flectentes religioſo cultu venerarentur, amplecterentur, & exoſcularentur.* Hoc ipſum in hæc verba tradit D. Damaſc. de dormitione Virginis. *Qui aderant, metu, & deſiderio, & lachrymis exultationis, diuiniſſimum, & ſanctiſſimum circumſiſtentes, tabernaculum complectebantur, oſculabantur: omnibus membris os admouebant, ex contactu repleti ſanctificatione, & benedictione.* Beati Metaphraſtis ſimilis eſt narratio in hiſtoria de dormitione Virginis. *Cum* (inquit) *in orbem ſanctum Virginis Corpus circumdediſſent, Apoſtolorum chorus, & quicquid erat electum ex viris, & mulieribus, & hymnis honorabant, qui illud deducebant, & omnia membra reuerenter, ſimul, & amanter amplexabantur, non ſolum ſuum oſtendentes deſiderium, ſed vel ex tactu credentes percipere vtilitatem.* Ac tandem Nicephorus lib. 2. cap. 23. ait: *Apoſtoli autẽ, & qui præterea ibi aderant viri egregij, lectum corona circumdantes, reuerẽter illam exoſculabantur.* Qua ſacra ceremonia exhibita, ijdem Doctores affirmant, mundiſſimum illud Corpus mundis ſyndonibus fuiſſe inuolutum; ac tandem, ex lectulo, in quo iacebat, ad feretrum translatum, de quo Hugo Pharſitus libro miraculorum feretri Beatæ Virginis Lugdunenſis, affirmat Lugduni Galliarum opido à quingentis annis, & amplius ſacrum illud pignus poſſideri: cuius portentoſa miracula commemorat Vincentius Beluacenſis in ſpeculo Hiſtor. lib. 27. par. 4. cap. 12. Narrat autem ex S. Coſma. Auctor Pomerij lib. 10. par. 5. art. 2. rem valde memorandam tunc contigiſſe: quã his verbis ediſſerit. *Refert ſanctus Coſmas mirabile myſterium, quod non indiget naturali diſcuſſione, cùm omnia, quæ de Dei Genitrice dicuntur, ſint ſupernaturalia, & miranda: quòd videlicet egreſſa de Corpore Anima, corpus hæc verba protulit: Gratias ago tibi Domine, quæ tua ſum gloria: memento mei, quia tuum ſum figmentum, & tuum ſeruari depoſitum. Tanta quoque ſtatim corpus eius claritate reſplenduit, vt tangi quidem à Virginibus ad lauandum poſſet: videri autem non poſſet. Tandiu autem lux illa reſplenduit, donec Corpus à Virginibus fuit lotum aqua mundiſſima, non ab ipſa mundatum, ſed potius à corpore ſacro aqua ſanctificata.* Hac lotione peracta ad funus proceditur, cuius rationem, & pompam antequam referam, præmittere oportet, quod

Bern. Buſten. in Mariali, tract. de Aſſumpt. Virg. *D. Io. Damaſ.* *Metaphr.* *Niceph.* *Hugo Pharſ.* *Vincen. Beluac.* *D. Coſmas.* *Auct. Pomer.*

ſicut

ſicut, cum Regina obijt, vel Imperatrix, ſolet diſceptatio inter Primates ſuboriri, ad quoſnā Corpus illud Reginæ, ſuis humeris ad ſepulchrum deferendum pertineat; ita inter Angelos, & Apoſtolos ſimile diſſidium exortū video. Apoſtoli enim contendebant ſacri illius pignoris in ſepulchro deponendi latores eſſe debere, quia ad Eccleſiam militārem pertinebat, cuius ipſi, Principes erant à filio eius creati, & quia Mater ſui Magiſtri erat. Econtra verò Angeli ſibi illud munus deberi probabant; tùm quia Domina eorum erat, & angelica puritate ſemper nituerat. Et quia ſi corpus S. Catharinæ eorum miniſterio, honoris gratia, fuerat ſepulturę mādatum, vt in oratione illius Sancta tradit Eccleſia; potiori iure id debitum erat B. Virgini. Verùm hæc controuerſia non aliter fuit ſedata, quàm illa duarum feminarum, quibus Salomon dixit, vt diuideretur infans, & ſingulis media pars daretur. Sic ſanè contigit illis: Anima Virginis cōmendata fuit Angelis, vt in cœleſtem Patriam eam ducerent: Corpus autem Apoſtolis, vt ſepulturæ illud commendarent; vel certè, vt corpus mortale, Apoſtoli ad ſepulchrum, glorioſum verò ad cœleſtem Aulam Angeli deferrent. His igitur ſic prælibatis, non aliter melius mihi funus illud recenſendum putaui; quam hìc apponendo verba D. Melitonis, vel cuiuſcūque illa narratio ſit, oratione de tranſitu Virginis, qui vt habetur in Bibliotheca Sanctorum Patrum, adamuſſim omnia narrat, affirmans, quæ ibi commemorat, ab ore Diui Ioannis Euangeliſtæ ea accepiſſe, cuius ipſe diſcipulis erat. In ea igitur oratione hæc valde portentoſa refert: *Viderunt autem Apoſtoli tantum lucis candorem; vt nulla mortalium lingua digne poſſit effari. Vincebat enim omnem candorem niuis, & vniuerſi metalli, & argenti radiantis magni luminis claritate. Tunc Saluator loquutus eſt dicens: Surge Petre, tu & reliqui Apoſtoli, & Corpus Mariæ dilectæ meæ accipite, & deferte illud in dexteram partem Ciuitatis ad Orientem, & inuenietis monumentum nouum, in quo ponentes eam, expectate donec veniam ad vos. Et hæc dicens Dominus, tradidit animam ſanctæ Matris Mariæ, Michaeli Archangelo ſuo, qui eſt Præpoſitus Paradiſi, & Princeps Gentis Hebræorum, & Gabriel Archangelus ibat cum ea. Dominus autem Saluator noſter ſtatim in Cælum cum Angelis receptus eſt. Tres autem Virgines, quæ ibidem erant, & vigilabant, ſuſceperūt Corpus Beatiſſimæ Parentis Mariæ, & lauerunt illud funerum more. Cùmque exuiſſent illam veſtimentis ſuis, ſacrum corpus illud tanta claritate reſplenduit, vt tangi quidem poſſet pro obſequio; videri autem ſpecies præ nimia luce coruſcante non poſſet; & nihil, niſi ſplendor apparuit magnus, & ſentiebatur dum lauaretur corpus mundiſſimum, & nullo horrore ſordis infectum. Cùmque veſtiſſent eam linteis, & indumentis, paulatim lux illa euanuit: & erat facies Beatæ Genitricis Dei Mariæ ſimilis floribus lilij: & odor ſuauitatis magnæ egrediebatur ex ea, itaut ei ſimilis ſuauitas inueniri nulla poſſit. Tunc igitur ſanctum corpus impoſuerunt feretro, dixeruntque ad inuicem Apoſtoli: Quis palmam hanc ante feretrum eius portabit? tunc Ioannes ait ad Petrum: Tu qui præcedis nos in Apoſtolatu debes palmā hanc antè feretrum meritò ferre. Cui Petrus reſpondit: Tu virgo es electus à Domino, & tantam gratiam inueniſti, vt ſuper pectus eius recūberes. Inſuper, dum ipſe pro ſalute noſtra in Crucis ſtipite penderet, hanc tibi ore proprio commendauit. Tu igitur portare debes hanc palmam, & ego ſuſcipiam ad ſubſtinendum ſacroſanctum hoc, & venerabile Corpus vſque ad locum monumenti. Cui Paulus ait: & ego qui iunior ſum omnium veſtrorum, portabo tecum. Cùmque conſenſiſſent omnes, Petrus eleuans à capite feretrū cœpit pſallere, & dicere. In exitu Iſrael de Aegypto alleluia. Suſtinebat autem cum eo Paulus ſacrum Beatæ ſemper Virginis Mariæ corpus, & Ioannes ante feretrum præferebat palmam luminis. Ceteri verò Apoſtoli pſallebant voce ſuauiſſima, & ecce nouum factum eſt miraculum: Apparuit enim corona nubis ſuper feretrum magna valde, ſicut apparere ſolet magnus circulus iuxta ſplendorem Lunæ, & Angelorum exercitus erat in nubibus Canticum ſuauitatis emittentium, & reſonabat Terra ſonitu dulcedinis magnæ.* hactenus ſanctus Melito. Itaque quemadmodum Rex Salomon, (vt adnotauit ſanctus Ioannes Damaſcenus ſermone de dormitione Deiparæ) propter Arcæ requiem in Templo Domini, quod ipſe conſtruxit, omnes ſeniores Hieruſalem vocauit ad concionem

Eccl. Rom. in off. S. Cathar.

S. Melito in Biblioth. SS. Patrum ſerm. de Aſſumpt.

D. Io. Damaſ.

in Syon, vt tranferret Arcam teſtamenti Domini de Ciuitate Dauid, quæ erat Syō. 3. Reg. 8. *tulerunt Sacerdotes Arcam, & Tabernaculum ſederis. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael gradiebatur cum illo ante arcā & immolabāt boues, et oues abſq; æſtimatione, & numero & intulerūt Sacerdotes Arcam Domini in locum eius in Sancta Sanctorum ſubter alas Cherubin*; non diſſimiliter tunc propter requiem arcæ illius animatæ, arcæ quidem non teſtamenti Domini, ſed ipſius verbi diuini incarnati, ipſe nouus Salomon, qui eſt Princeps Pacis, & Vniuerſi optimus Architectus; Mentium cœleſtium ordines, & noui teſtamenti Proceres, hoc eſt ſacros Apoſtolos, cum vniuerſo Populo Sanctorum, qui Hieroſolymis aderat, hodie congregauit, & animam quidem per Angelos in Sancta Sanctorum introducit. Portatur autem corpus manibus Apoſtolorum, Rege Regum id regente, ſplendore ſuæ, quæ ſub aſpectum non cadit, diuinitatis; & toto cætu Populi præcurrente, & ſacras voces emittente, ac ſacrificium laudis ſacrificante, in ſepulchro repoſitum fuit.

Porrò non prætermittam ſtupēda quædam portenta hic apponere quæ in hunc D. Damaſc. modum Sanctus Ioannes Damaſc. oratione de dormitione Virginis commemorat: *Aderant autem ex Iudæis nonnulli; operæ pretium enim eſt tanquàm obſonio condimentum id, quod multorum labijs profertur, admiſcere narratione. Aiunt, cùm fuiſſent in deſcenſu montis hi, qui tollebant beatum Corpus Dei matris, Hebræum quendā ſeruum peccati, & qui fœdus inierat cum errore; imitantem ſeruū Caypha, qui Dominico, & diuino Chriſti Dei vultui impegit colaphum; cùm effectus eſſet inſtrumentum diaboli, audaci, & inconſiderato impetu, & infelici impreſſione irruiſſe in diuiniſſimum illud tabernaculum, ad quod timentes accedunt Angeli: & cùm ambabus manibus furioſè grabatum apprehendiſſet, id in humū deijcere voluiſſe, inuidia illius, qui eſt Author malorum. Et hoc quidem fuit eius facinus, ſed laborem præuenit fructus, & amaram collegit vuam, & dignam ſui animi inſtituto. Aiunt enim ei defeciſſe manus, & licebat videre eum, qui ſua manu audaci id nefarium fecerat facinus; repente carere manibus, donec mentem conuertit ad fidem, & pœnitentiam. Cum primùm enim conſtitiſſent hi qui grabatum portabant, & mutilata brachia impoſuiſſet infelix tabernaculo, quod vitæ dedit principium, & periit; admirabiliter, reſtitutis manibus, ſanus, & ſaluus euaſit. Solent enim magna ex parte calamitates quoquè ſapientia, & ſalutaria parere conſilia* hactenus Diuus Damaſcenus, quæ planè videtur deſumpſiſſe ex ſancto Melitone Epiſcopo Sardicenſe S. Melit. vbi ſupra. de tranſitu Virginis, qui quoniam pleraquè alia à Diuo Damaſcæno prætermiſſa ſcribit, his adnectenda cenſui: *Egreſſus* (inquit) *de Ciuitate Populus, ferè quindecim millia hominum mirabantur, dicentes: quis eſt ſonitus tantæ ſuauitatis? Tunc ſtetit vnus, qui diceret illis: Maria mater Ieſu exijt modo de corpore, & Diſcipuli Ieſu circum eam laudes dicunt: & reſpicientes, viderunt coronatum feretri lectulū magna gloria, & Apoſtolos cantantes voce magna; & ecce vnus ex illis, qui erat Princeps Sacerdotum Iudæorum in ordine ſuo, repletus eſt furore, & ira, & dixit ad reliquos: Ecce tabernaculum illius, qui nos turbauit, & omne genus noſtrum, qualem gloriam nunc accipit; & accedens, voluit euertere feretrū, & corpus ad terram deijcere: & ſtatim aruerunt manus eius à cubitis, & adhæſerunt lectulo: & eleuantibus Apoſtolis feretrum, pars eius pendebat, & pars hærebat ad feretri lectulum, & torquebatur ſupplicio vehementi, ambulantibus Apoſtolis, & pſallentibus Domino. Angeli verò, qui erāt in nube, percuſſerunt populum cæcitate. Tūc Princeps ille clamabat dicens: Deprecor te dilecte Deo Petre, ne me deſpicias in tanta neceſſitate, quia tormentis magnis crucior valde: memor eſto, quòd quando in Prætorio ancilla oſtiaria te recognouit, & dixit cæteris, vt calumniarentur tibi, tunc ego locutus ſum pro te bona. Tunc reſpondens Petrus ait: non eſt meum auxiliari tibi: ſi autem credideris toto corde in Dominum Ieſum Chriſtum, quem in ſuo ſancto vtero hæc cui calumniatus es, Virgo portauit, & poſt partum Virgo permanſit; clementia Domini, & larga eius pietas, quæ ſaluat indignos dabit tibi ſalutem. Ad hæc ille reſpondit: nunquid non credemus? ſed quid faciemus, quia inimicus humani Generis excæcauit corda noſtra, & confuſio operuit vultum noſtrum, ne confiteamur magnalia Dei, maximè cum ipſi maledix imus contra Chriſtū, palam clamantes: ſanguis eius ſuper nos, &*

ſuper

ſuper filios noſtros. Tunc Petrus ait: hæc maledictio ijs ſolis nocebit, qui infideles permanſerint: conuertentibus autem ſe ad Deum, miſericordia non negatur. Et ille ait: omnia credo, quæ dicis: tantùm precor miſerere ne moriar. Tunc Petrus fecit ſtare lectulum, & ait illi: ſi credideris toto corde in Dominum Ieſum Chriſtum, ſoluentur à feretro manus tuæ: & cum dixiſſet: hoc credo, ſtatim ſolutæ ſunt manus eius à feretro, & cœpit ſtare pedibus ſuis, ſed erant brachia eius arida, & non diſceſſit ab eo ſupplicium. Tunc Petrus ait illi: accede ad hoc Corpus, & oſculare lectulum, & loquere, & dic: Credo in Deum, & in Dei filium, quem iſta portauit, Ieſum Chriſtum: & credo omnia quæcumque locutus eſt mihi Petrus Apoſtolus Dei. Et accedens oſculatus eſt lectulum, & ſtatim omnis dolor abſceſſit ab eo; & ſanatæ ſunt manus eius, & cœpit laudare, & benedicere Deum largiter, & de libris Moyſi teſtimonium reddere laudibus Chriſti; ita vt etiam ipſi Apoſtoli mirarentur, & flerent præ gaudio, laudantes ſub illa nomen Domini. Petrus verò dixit ad eum: accipe palmam hanc de manu fratris noſtri Ioannis; & ingrediens Ciuitatem, inuenies Populum multum cæcatum, & annuncia eis magnalia Dei: & quicumque crediderint in Dominum Ieſum Chriſtum, impones palmam hanc ſuper oculos eorum, & videbunt cæci. Qui autem non crediderint, permanebunt cæci; qui cum id feciſſet, inuenit populum multum plangentem, & dicentem: væ nobis, quia ſimiles facti ſumus ſodomitis cæcitate percuſſis: nil ſupereſt iam nobis, niſi vt pereamus. Cum autem audiſſent verba Principis loquentis, qui ſanus fuerat, crediderunt in Dominum Ieſum Chriſtum; & imponente eo palmam ſuper oculos eorum, receperunt viſum; quicumque tamen ex eis permanentes in duritia cordis, cæci mortui ſunt. Et egreſſus Princeps Sacerdotum ad Apoſtolos retulit palmam, referens omnia, quæ fuerant facta. Mariam autem portantes Apoſtoli, peruenerunt ad locum vallis Ioſaphat, quem oſtenderat illis Dominus, & poſuerũt eam in monumento nouo, & clauſerunt ſepulchrum. Ipſi verò ſederunt ad oſtium, ſicut mandauerat eis Dominus: hæc S. Meliton, vel quicumque alius eſt, qui (vt ſuperius dixi) ab ore Ioannis Euangeliſtæ ſe hæc accepiſſe fatetur. Miracula autem, quæ in medelam corporum, & animarum, fuerunt ad Deiparæ Mariæ ſepulchrum patrata, multi ex præcitatis Doctoribus referunt; præcipuè tamen Diuus Ioannes Damaſcenus ſermone de dormitione Virginis, vbi ait: *Tunc autem morbi quidem fugiebant, fugabantur turbæ Dæmonum omni ex parte compulſæ ad ſola loca ſubterranea. Aer, æther, & Cælum aſcenſu Spiritus ſanctificabatur, terra autem depoſitione corporis. Sed neque aqua natura erat expers benedictionis: lauatur enim aqua pura, quæ non eam mundabat, immò verò ipſa ſanctificabatur. Hic ſurdis quidem perficiebatur auditus, claudis autem integer reddebatur ingreſſus, firmaque, & ſolidæ fiebant baſes pedum: cæcis reſtituebatur viſus, accedentibus peccatoribus diſrumpebantur chyrographa.* Tandem hæc & alia mirabilia contemplans Diuus Damaſcenus, omnes & ſingulos, tam viros quàm fœminas ad collaudandam tantam Virginem in ſepulchro iacentem his egregijs verbis deuotiſſimè inuitat: *Accurramus ſimul omnes ad Deiparam, Chori Patrum, & Patriarcharum, ſpiritus Prophetarum, & Conuentus Sacerdotum. Cœtus Apoſtolorum, Populi Martyrum, Doctorum congregatio, Iuſtorum Animæ, Priorum ordines, dignitas quælibet, & ætas: Reges, & potentes Principes, & qui parent Imperio: Adoleſcentes, & Virgines, & ſenes cum Iunioribus, laudate, ſupplicate, dicite Dei matri dicite, quàm beata eſt domus Dauid: ex cuius lumbis germinaſti Dei mater? Matres, & Virgines glorificate eam quæ eſt ſola mater, & ſemper virgo. Sponſa præcedite eam, quæ inter adoleſcentulas ſponſa quidem fuit, ſed planè incorrupta, & ſola ſine dolore peperit eum, qui non poteſt comprehendi. Steriles, Viduæ plaudite eam deducentes, quæ virum non eſt experta, & liberorum egeſtatis effugit vincula. Filiæ exultate, eam quæ filium peperit, proſequentes incorruptione. Benedicite Gentes, linguæ prædicate, cantate Matri Dei omnes tribus terræ, cantate deducite cum Canticis, & cymbalis: iubilate, magnificate, pſallite: tolle, tolle Maria tympanum, & procede ante Virgines: moue lyram Dauid, extolle vocem tuam, lauda Regina extolle modos cytharæ, voca Virgines, congrega Choros canentium, ordina Choreas: poſt lectum*

D. Melit. Ioann. Dam. D. Damaſc.

currant, ante lectum cum lecto præcedant, circa capſam choreas ducant; ecce enim Dei gloriȩ noua Arca in qua eſt vrna aurea & virga Aaron, quæ germinauit, & Tabulę teſtamenti. Ecce ſummam, de qua clamarunt oracula Prophetarum: ecce ſchalam, quam vidit Iacob, qui in diuinis erat initiatus, in qua vidit Angelos Dei deſcendentes, & aſcendentes, quicumque is eſſet aſcenſus, & deſcenſus. Hæc eſt Porta Cœlorum, de qua dixit ille: quàm terribilis eſt locus iſte, verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & Porta Cœli.

Ad extremum, illum honorem, quem quidam cum Bernardino Buſtenſi præcitato loco funeri Deiparæ Mariæ exhibitum fuiſſe pia credulitate tradunt, deſcribamus: aiunt enim, quòd ſicut pia mater emortuum filij corpus ſepeliuit; ita & filius pro ſua inſigni pietate matris ſuæ corpus proprijs manibus in ſepulchro coaptauit; vt enim, inquit gloſſa in cap. vbicumque 13. quæſt. 2. *Buſtenſis.*

Mollius oſſa cubant manibus tumulata ſuorum.

Et quidem cùm Dominus, vt Deutheronomij capite vltimo legimus, Moyſen ſepelierit, & Marthæ exequijs interfuerit, vt vitæ illius Hiſtoriographi commemorant, veriſimile ſatis eſt, hunc eundem honorem Genitrici ſuæ impendiſſe, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

†

Homilia VI.

Super ſepulchrum Deiparæ Virginis epitaphia quatuor collocantur, ex Euangelica lectione deprompta, quæ varia eius præconia decantant.

PErantiquus increbuit mos, non ſolùm apud infideles, ſed etiam catholicas nationes, magnorum Principum ſepulcris Epitaphia quædã apponere, quę inſtar eloquentium linguarum, heroica defuncti facinora cunctis ea legentibus palã faciant. Cupiens ergo Eccleſia Catholica præclara Deiparæ geſta immortali memoria digna, omnibus euulgare, conſulto hodierna die ſuper glorioſum eius ſepulchrum incorruptionis, & aſſumptionis illius certiſſimum teſtem, quatuor valde memoranda ſuper eius latera cõſtituit epitaphia ex euangelica lectione deprompta: non ad ſanguinis nobilitatẽ, licet alioquin ex regia Dauid proſapia eſſet oriunda: nõ ad pulchritudinem illius extollendam, licet alias pulchra eſſet, vt Luna: non denique ad alias præclaras eius naturæ dotes illuſtrãdas licet multis abũdaret ſed ad excellentiam diuinæ gratiæ, & cœleſtium Chariſmatum, quibus exũdabat, vniuerſo Orbi magis detegẽdam. Si enim Aegyptij ſolo lumine rationis ducti, vt refert Fulgoſius lib. 2. cap. 1. defunctos laudaturi, nulla opum, aut nobilitatis mẽtione facta: ſiquidem hæc non hominis propria, ſed fortunæ bona dicuntur, in eis Religionem, atque iuſtitiam extollebant, vt viuẽtes ad has ſectãdas virtutes efficacius accenderentur. Quanto magis Eccleſia Catholica diuinis fulgoribus illuminata, oblata occaſione cõmendandi Virginem, iã vita functam, nõ debuit à bonis caducis laudationis materiam carpere, ſed eximiã eius ſanctitatem varijs encomijs efferre? *Fulgoſius*

Primũ ergo epitaphiũ, quod in dextero ſepulchri latere apponit eſt illud: *Intrauit Ieſus in quoddã Caſtellum*: cũ enim mulier dicatur à mollitie, & metus, ac infirmitas animi perfermè oẽs illas graſſetur, vt ad aſpectũ muris fugiãt, & ad enſis euaginati *Luc. 10.*

ginati intuitum protinus in terram, quaſi exanimes corruant; inſignis Deiparæ laus eſt à fortitudine commẽdari, quam inexpugnabilis Caſtelli nomenclatura portendit. Varijs modis B. Virgo inuincibilem ſuam fortitudinem manifeſtauit, quarum multis cõſultò omiſſis, duplicem ſolùm, la conica breuitate attingam. Primò enim ſui roboris, ac fortitudinis manifeſtũ exhibuit argumentũ, cùm dœmonẽ, immaniſſimum Draconem, de quo Iob dixit: *Nõ eſt fortitudo, quæ comparetur ei ſuper terram* non ſolùm deuicit, ſed & caput præcidit, diuino teſtimonio ita teſtante: *Ipſa conteret caput tuum.* Licèt enim (vt alibi dixi) multi, & præcipuè Hæretici, Mariani honoris, & gloriæ inimiciſſimi, legant: *ipſum* ſcilicet ſemen *conteret caput tuum*, vel: *ipſe* ſcilicet filius mulieris; mihi tamen, licet *ipſe* perplaceat, *ipſa* nõ diſplicet, ipſum probo: ipſe, ipſam, & ipſum non excludit: ipſe, & ipſum vnum eſt; ipſe, & ipſa hoſtes non ſunt. Nemo vnquã Catholicorũ vlli mortalium conuicium fecit, qui vel *ipſe*, vel *ipſum* legere mallet. *Ipſa*, verò in vulgata tot annorũ ſæculis confirmata editione, & ſacro Concilio approbata reperimus, quã temerè condemnare erroneũ eſt. Sed obijcis hæretice: *Ipſa conteret*. At *ipſa*, non eſt *ipſe*. Igitur ſi ipſa conteret, non conterit ipſe; quare aut nihil profuit ipſe, aut nihil opus fuit ipſo: ipſe ſanè tibi opus erat, vt mentem illuminaret. Ecce *ipſe*, ſed natus ex Maria: ecce *ipſa*, ipſum quidem ſemen, ſed mulieris ſemen: ipſa, ſed non ex ſe ipſa nõ ſine ipſo: ipſe propter ipſam, & propter ipſum ſemen, hoc eſt, vnus propter omnes: ipſa autẽ, & omnes per ipſum, & propter ipſum, vt ait D. Paulus. Deinde, vide omnẽ verborum contextũ: nonne neceſſe eſt, ipſam quoque admittere: *Inimicitias ponam inter te, & mulierẽ, inter ſemen tuum, & ſemen illius: ipſe conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Cuius calcaneo inſidiatur ſerpens? an ipſi tantũ, hoc eſt, ſemini mulieris, non autem ipſi mulieri inſidiabitur? hoc ſi dicis, illum mendacij arguis, qui dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, vbi inimicitiæ, illic inſidiæ; quòd ſi inimicitias inter ſerpentem, & mulierem non inficiaris, quis erit huius inimicitiæ exitus? quis tandem in hac pugna ſuperior euadet? mulier, an ſerpens? ſi ſerpẽs, ergo fefellit, qui promiſit: Ipſa conteret caput eius: quomodo enim contritũ eſt, ſi mulierem ſternit? ſi enim & mulier tandẽ ſuperat, igitur & cõterit caput eius; niſi enim & illa conteret, contereretur; immò ipſe cõteret, ſed ipſa hoc (inquit) perfruetur. At hoc eſt, quod dicebã: ipſa conteret nõ ſine ipſo, ſed per ipſum: ipſe quidem victor ſua ipſius potentia: ipſa autẽ victrix ipſius clementia. Secundo B. Virgo ſuã oſtentat fortitudinem à pœnè innumeris inferorũ hoſtibus nos potentiſſimè defendẽs; ad quod manifeſtandum, ipſa muro firmiſſimo, & inexpugnabili turri ſe comparauit dicẽs: *Ego murus, & vbera mea, ſicut turris.* Ecce coniunxit murum, & turrim cum vberibus vt perinde illud accipias, ac ſi diceret: Murus, & turris ſum ad protegendũ, mater ad nutriendum: murus, & turris infirmis, mater paruulis. Si propter virium imbecillitatem times, murus, & turris ſum: intra me abſcondere à facie inimici. Si de paruitate tua confunderis, & creſcere cupis in virũ perfectum, mater ſum, meo lacte nutrire. Murus, & turris ſum per fortitudinem, & mater per pietatem. Ego murus, & turris inexpugnabilis, excelſa habens propugnacula: ego mater amabilis, & grandię habẽs vbera: quam grandia? ſicut turris: ſed vbera mea, non tantum ſunt vbera, ſed etiam turris: non tantum nutriendi, ſed & protegendi vim habent: nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam: materna pietas mea, quos nutrit, etiã munit: quos nutrit, vt diſcant, atque grandeſcant, munit à facie inimici, donec iam grandes effecti contra eum in campum fiducialiter exeant. Sed numquid tu, ò pia mater, numquid tu non vna es filiarum Euæ? quid eſt, quòd tàm glorioſè, tam præclarè de te loqueris? vnde tibi prærogatiua hæc? non in me (ait) ſed in Domino glorior, nihil enim habeo, quod non acceperim; vnde nec glorior, quaſi non acceperim. Illud tamen, quod obſeruatione dignum reor, minimè præteribo: aptiſſimè Spiritum ſanctum, vt clarius, & euidentius eximia Virginis fortitudo nobis innoteſceret, vbera eius fortiſſimæ turri comparare, vt ex vngue Leonem conijcientes, in hunc modum philoſophemur: Si ſola vbera, quæ feminarum teneriora, ac molliora membra eſſe agnoſcuntur, & præcipuè illis, quæ oſſibus conſtant fortitudine, & robore inſtar turris,

Tt 2 vigent;

vigent; nõ poteſt totius Virginis fortitudo, & robur ſupra modũ ingens non eſſe. Vnde idem ipſe ſpõſus comparauit eam alibi non cuicũque turri: ſed illi, quæ tẽpore Dauidis ædificata fuit aduerſus Damaſcænos. Cant. 7. *Naſus tuus, ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*. Naſus, diſcretio eſt Deiparæ, qua præſentit Diaboli malitiam, & ſubodorat à longè eius ſtratagemata: vt ſicut turris fortiſſima pro nobis ſe opponat diabolo, ſub nomine Damaſci aptè intellecto, quia Damaſcus, *ſanguinis potus*, interpretatur. Ipſe enim cruentus hoſtis, inſtar ſanguiſugæ, cuius meminit Salomon Prouerb. 30. Prouer. 30. humanum ſanguinem ſitit. Dicitur autem ſita hæc turris in Libano, qui *candor, ſeù candidatio* interpretatur, ad ſignificandum, quòd Deipara candore illibatæ ſuæ virginiraris, ac eximia animi puritate, tanquam pede, calcare, & profligare valeat immaniſſimum hũc hoſtem. Hanc tantùm exhorruit ille, quòd ſicut Damaſcus ſolo intuitu illius fortiſſimæ turris Dauidicæ tremebat; ita diabolus ad ſolum Virginis intuitum, immò, & auditum, contremiſcit; omniſque eius fortitudo eneruatur, & quaſi euaneſcit. Sed quomodo quæſo, ſi huius Marianæ turris tanta eſt fortitudo, alibi appellat illam eburneam? Cant. 7. *collum tuũ, ſicut turris eburnea*. Etenim eburnea turris, vel monile aliquod redolet, vel certè ſimulachrũ aliquod turris ex ebore confectum, aſpectui ſolùm delectabile, ad defenſionem verò minimè aptum eſſe noſcitur. Scio Rabbinos Salomonẽ, & Ioſephum cœcũ, velle à Rege Salomone inter alia opera magnifica, turrim quandam eburneam conſtructã. Sed quia rem omnino incredibilem dicunt, fides penes illos ſolum ſit: mihi certum eſt, ſicut & antiquis illius loci interpretibus, allegoticè accipi, ſicut & illud Naſonis.

Ouid. *Impubeſq; genas, & eburnea colla*.

Nec me latet, Rupertum allegoricum iſtum ſenſum agnoſcentem, in hunc modũ propoſira verba interpretari: Rupertus *Quid eſt collum tuum, vel quale eſt collum tuũ? vtique non extenſum, immo amabiliter demiſſum, & hæc eſt humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima. Verè ſicut turris eburnea, quæ & aſpectu amabilis, & ſtatura ſit fortis. cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis; Diabolo autem terribilis, & inacceſſibilis. Quomodo ipſi Deo fortis? nimirum, ſicut ex iſtis comprobatur exemplis: quia ſi contra Deum fortis fuiſti (ait ipſe ad patrem tuum fidelem Iacob) quanto magis contra homines præualebis? Ad Moyſen autem:* Exod. 32. *Cerno (inquit) quod populus duræ ceruicis ſit: dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, & faciã te in gentem magnã; & non dimiſit eum, immò tãdiu luctatus eſt, vt videns Deus, quòd eum ſuperare non poſſit, diceret ei: dimiſi iuxta verbum tuũ. Quali fortitudine luctabatur iſte, vel ille? profectò humilitate, ſicut & de iſto pſalmiſta dicit: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione,* Pſal. 105. *ideſt, in nimia humilitate, in conſpectu eius. De illo autem propheta Oſee cùm dixiſſet: In fortitudine ſua direptus eſt cum Angelo,* Oſee 12. *& inualuit ad Angelum, & confortatus eſt: confeſtim fortitudinis eius exprimens modũ, ſubiunxit: fleuit & rogauit eum. Igitur, ò dilecta, collum tuum, quod eſt, humilitas tua, turris eburnea, ideſt fortiſſima eſt atque pulcherrima, quam reſpiciens Altiſſimus, dedit tibi gemellos iſtos dulces hinnulos, duo vbera hæc, virginitatem, & fecunditatem: & ecce habes tria inſignia hæc. Tertium quippe humilitas tua eſt.* Rectè quidem, ſed alio noſtra tendit interpretatio præſenti argumẽto proprius inſeruiens. Per collum ſignificare voluit ſponſus fortitudinẽ Deiparæ, eo quòd collũ, quia neruis, cartilaginibus, & oſſibus cõſtat, magno robore viget. Hãc autem fortitudinẽ comparauit turri eburneæ, quia ebur, os elephantis eſt, qui & habet inimicitiam naturalem cum Dracone, per quem Diabolus deſignatur; & tãta fortitudine animal hoc prȩditũ eſt, vt portare ſoleat turrim militibus, & bellicis tormentis plenã, vt lib. 1. Mach. c. 7. legimus. Machab. Quia tamen ebur propter ſuum candorẽ, caſtitatis ſymbolũ eſt: ideo, fortitudinẽ Virginis comparatam fuiſſe reor ebori, quia in hac materia tãta Deipara viguit fortitudine, vt non ſolũ ab hoſte expugnari, ſed neque vllo modo impugnari potuerit; quippe cũ nulla laſciua cogitatio ſacrariũ Marianæ mentis vnquam pulſauerit. Quòd ſi percunteris, vnde hæc tanta huius turris fortitudo? non aliunde certè quàm ab eius Caſtellano, Chriſto Domino, qui cùm Dei fortitudo nuncupetur, & ſit; ab oſtio eius nunquam diſceſſit: ſemper illi adfuit, partim præſentia corporali, ſemper tamẽ ſpirituali, Ezechiele dicẽte: *Porta hæc clauſa* Ezech. 44.

eris

erit, & Princeps ipſe ſedebit in ea: hoc eſt, ianua virginalis clauſtri nulli vnquã erit reſerata, ſed nec ianua voluntatis eius maligno hoſti vnquã erat aperta, quia ſeris ſeptem donorum Spiritus ſancti illam clauſit, & ipſe nunquam ab ea, etiam per momentum receſſit. Quid quæſo in cauſa cogitatis (vt rem hanc ad mores veſtros informandos conuertamus) quòd non ſemel vxorata femina, debitę ſuo viro fidelitatis immemor, illũ grauiter offendatè abſẽtia viri. Certè diſceſſit vir proprius, & cõtinuò patuit aditus alieno; adultera dicente per Salomonem: Prou. 7. *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies; non eſt enim vir in domo ſua, abijt via longiſſima.* Hæc, Spiritus ſanctus cauſam adulterij deſignat, viri abſentiam. Gen. 39. Quando quæſo vxor Putifar auſa eſt ad libidinem caſtiſſimum Ioſeph pellicere? non alio certè tempore, niſi cũ vir eius abſens erat. Quando (etiam inquiro) Dauid tentauit, & expugnauit caſtitatem Berſabeæ? nonne, 2. Reg. 11. cùm Vrias eius maritus longè ab ea aberat? Dan. 13. Quando tandem laſciui illi ſenes, Populi Iſraelitici Iudices, Suſannam ad adulteros amplexus, & cõcubitus trahere conati ſunt? nũquid, cùm vir eius aderat? minimè, ſed cum abſens erat. Hinc ad hæc mala propulſanda. D. Petrus maritos hortatur, 1. Pet. 3. ab vxoribus non diſcedere; ſed cum illis cohabitare. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam.* Super quæ verba Nic. de Lyra. Nicolaus de Lyra (vt id obiter adnotem) ait: *Secundum ſcientiam, ita quod non tractet vxorem, ſicut ancillam. Vnde & mulier facta eſt de latere viri non de pedibus, quia non debet eſſe ſerua; nec de capite, quia non mulier, caput viri, ſed econtra, vir caput eſt mulieris, vt ait Diuus Paulus.*

Secundum epitaphium, quod Eccleſia Catholica apponit in ſecũdo latere ſepulchri Beatæ Virginis, Luca 10. deſumpſit ex verbis Chriſti Domini: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.* Etenim ſicut Marthæ aduentus Chriſti Domini in domum ſuam, occaſio extitit ſuæ turbationis; ita aduentus eiuſdem nunciatus ab Angelo illius, turbationis cauſam præbuit, quam Diuus Lucas refert: Luc. 1. *Turbata eſt in ſermone eius.* Sed & hanc turbationem alia prius præceſſerat, & aliæ multæ deinceps ſubſequutæ ſunt. Præceſſerat quidem illa, cùm ad nubiles annos perueniens, in Templo habitans, Sacerdotes eius voluerunt eam matrimonio tradere: cùm enim ipſa virginitatem vouiſſet maritalem, ingentem virgineæ verecundiæ Deo iam ſacratæ turbationem ſubſtinuit; quouſque diuinitus ei fuit reuelatum, matrimonium cùm Ioſepho nullum ſuæ virginitati detrimentum allaturum. Multiplex etiam alia turbatio poſt Angelicam annunciationem, abſque vllo tamen culpæ eius veſtigio, ſed potius cum ingenti merito ſubſequuta fuit. Turbata enim fuit præ dolore in circumciſione cruenta filij ſui, in laborioſa fuga in Aegyptum propter herodianam perſequutionẽ, in mora ibidem per multos annos, in periculoſo reditu in Iudæam, in triduo, quando neſcientibus parentibus puer Ieſus Hieruſalem manſit in templo: quando non ſemel Iudæi eum lapidare voluerunt, quãdo tentarunt eũ de monte præcipitare; quando audiuit captum, & duci ad Caypham, Herodem, & Pilatum: quando eum flagellatum conſpexit, adeoque exulceratũ, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis nulla in eo eſſet ſanitas: quando vidit faciem conſputam, & maculatam abſque vlla ſpecie, & decore: quando intuita eſt ſpinis coronatum, purpura deſpectibili indutum: quando alba veſte inſtar amentis, amictum: quando ad Ignominioſam Crucis mortem ducebatur: quando vidit crucem bajulantem, ſub cruce crebro cadentem, pſallere in eum, qui bibebant vinum Pſal. 68. in iucunditate: quando vidit eum ſpoliari veſtimentis ſuis, cruci clauis affigi, erigi in altum, à circumſtantibus blaſphemari, à latronibus improperari: quando audiuit (*ſitio*) clamantem, & cùm clamore valido animam exhalantem: deinde diro mucrone lanceæ latus eius tranſuerberari, e cruce deponi, in gremio eius conſtitui, in ſepulchro recondi. Inter hæc turbata ſunt omnia oſſa Mariæ, & anima eius turbata eſt valde, vt Chriſti verba ſibi meritò vſurpare poſſet: *Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam?* Ioan. 12. Sed nõ ſolùm in turbatione, ſimilem video Mariam Marthæ: ſed & in ſollicitudine vitæ actiuæ, & Chriſto Domino miniſtrandi, & inſeruiendi. Nam præterquam ſeptem illa famoſiora miſericordiæ opera pia Mater in filium exercuit: illum pauit, & potauit

vbere de Cœlo pleno: illum induit: peregrinum hoſpitio ſuſcepit: infirmum ex crudeli flagellatione,& ſpinarũ coronatione, viſitauit: in carcere crucis, clauorum compedibus vinctum miſericorditer inuiſit: ac tandem mortuum ſepelliuit. Præter hæc, (inquam) miſericordiæ opera à B. Virgine ſingulari animi ſollicitudine, & amoris affectu Chriſto præſtita; duo præcipuè actiuæ vitæ opera, in quibus Beata Virgo non ſolùm parem non habuit, ſed nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem; ſolùm recenſebo. D. Paulus inter opera vitę actiuæ, per quę putat vxorem ſaluari, alterum eſſe cenſet, generationem filiorum: *Saluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione*. (1.Tim. 2.) Certè hoc actiuę opus nulla vnquam femina excellentius præſtitit, quàm Beata Virgo, quæ eundem generauit filium in tempore, quem Pater æternus ab æterno genuit. In modo etiam generationis, omnes feminas præcelluit, cum abſque viri opera, & virgo integerrima manens, Spiritu ſancto cooperante, filij ſui generationi operá dederit. Si ergo quæcumque vxor in fide, & dilectione manens per generationem filiorum ſaluabitur (adeò grata eſt Deo filiorum generatio, vt ait Paulus) quantum ei placuiſſe cenſenda eſt Beata Virgo per generationem filij Dei? quod vitæ actiuæ ſupremum opus, fuit ſoli Mariæ reſeruatum. Secundum opus vitæ actiuæ, in quo ſingulariſſimam intueor Beatam Virginē omnes ſuperaſſe, illud opinor fuiſſe, quod licet alioquin, omnes nos pariter, & Virgo, præcipuè tamen ipſa, à Chriſto fuerimus redempti, ipſa verò ſola ſpeciali redemptionis genere Chriſtum redemit. Cùm enim inuiolabilis lex eo tempore vigeret, vt filij primogeniti, quaſi captiui, & ſerui, Templi miniſterijs manerēt addicti niſi alioquin à Parentibus quinque ſyclis redimerentur; ipſa prę amoris magnitudine erga primogenitum ſuum, conſtituto illo precio, ab ea ſeruitute eum miſericorditer redemit. Miſſam cōſulto facio ſedulā curam, ac ingentem ſollicitudinem, quam per totum Chriſti vitæ curriculum Deipara Virgo in miniſtrando ei, adhibuit. In natiuitate, ipſa ei obſtetrix fuit, ipſa nutrix; pannis inuoluit: ſuper genua ſua infanti blandiebatur, dormientem obſeruabat, inclementia frigoris algentem, inter brachia ſua illum amplexans, fouebat: circumciſionis vulnus tenerrimę infantis carni inflictum curauit: ab Herodis perſecutione mortem illi machinantis, ſollicitè illum, in Aegyptum proficiſcens, liberauit, & à Præſepio, vſque ad ſepulchrum, excellentius, quàm Martha ſatagebat ſemper circa frequens miniſterium.

Tertium epitaphium, quod in tertio latere Mariani ſepulchri appoſitum intueor, eſt illud ex eadem Euangelica lectione acceptum: *Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius*: (Luc. 10.) hoc eſt, auſcultabat profunda contemplationis attentione verbum Chriſti loquentis ei ad cor. Id quàm rectè in Mariam conueniat, nemo ſanæ mentis inficiabitur: ipſa enim cùm vita Marthæ actiua, Magdalenæ contemplatiuam in excellentiſſimo gradu copulauit, vt quæ probe agnouiſſet, diuinæ ſapientiæ fulgoribus illuſtrata, valde oportere, vitæ actiuæ deditos, contemplatiuæ immemores nō eſſe, ſed vtramque (quoad fieri poſſit) ſollicitos eſſe coniungere. Ad quod ſignificandum, oſtenſæ fuerunt (ni fallor) Ezechieli in cœleſti quadam viſione, (Ezech. 1.) animantia habentia alas, & manus ſub alis; vt inde intelligatis (ad vos etiam loquor, tam viri, quàm feminæ vxorati,) nō ſolum regimini domus, filiorum educationi, licitis negociationibus ad alendam familiam; ſed & ſpiritualibus exercitijs, orationi, ſcilicet, & ſacramentorum ſuſceptioni frequentèr, & diligenter vobis eſſe vacandum; nec contentos eſſe debere manus porrigere ad gubernationem domus, vt neceſſaria familiæ prouideantur; ſed orationis alas expanſuros, in Creatorem, & Redemptorem veſtrum, mentis aciem intendatis, vt ſic impleatur in vobis, quod Dauid prædixit: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri*: (Pſal. 67.) quaſi dicat: ſi requieueritis inter duas illas ſortes (Clerus enim ſors, interpretatur ſecundū Hieronymum) vitæ ſcilicet actiuæ, & contemplatiuæ; eritis ſicut columba argenteis pennis prædita, & inſtar auri miro ſplendore coruſcantis. Quibus apertè ſignificat, vitæ actiuæ, & contemplatiuæ deditos, his duabus virtutibus, tanquam præmio huius vitæ maximè præfulgere ſolitos: tùm caſtitate, argenti candore adūbrata: tum charitate per aurum deſigna-

ta; quia ſicut aurum precioſius eſt inter omnia metalla, ita & charitas excellẽtior inter omnes virtutes, Paulo dicente: *Maior autem horũ eſt charitas*; &c. Felix perantiquus Auctor, verba illa: *Inter medios Cleros*, vertit in hæc alia: *Inter medios tripodes, vel focos*. Vnde ſenſus illius loci erit: quantumcunque Marthæ muneribus vacantes inter cacabos, ſartagines, tripodes, craticulas, & alia culinæ inſtrumenta verſemini; facilè diuina gratia adiuuante, non ſolum abſque graui peccati labe animi veſtri decurpati conſeruabuntur; ſed inſtar columbæ, quæ ſymbolum eſt vitæ actiuæ pariter, & contemplatiuæ, vtpotè fœcundiſſima in filiorum procreatione, & velociſſima in volatu, alæ cogitationum, & operum veſtrorum nitore puritatis, & charitatis miro ſplendore fulgebunt.

1. Cor. 13. Felix.

Tandem quartum epitaphium in quarto latere ſepulchri Beatæ Virginis locatum, celebrem illam ſententiam Chriſti Domini continet: *Maria optimam partem elegit.* Sanè Beata Virgo optimam partem in præſenti vita, & optimam in futura elegit. In præſenti quidem nulla excellentior excogitari poteſt, quàm ad Chriſti pedes ſupplicem ſedere, diuinam voluntatem perpetuò implere; & ei humiliter ſubeſſe. Cum enim Euangeliſta dixiſſet: *Maria autem ſedebat ſecus pedes Domini*. Hoc humilitatis genus ex conſideratione diuinæ Maieſtatis, ſub humana carne latentis ortum, *optimam partem*, appellauit Chriſtus Dominus. Certè tot profundæ humilitatis indicia, dum vixit Beata Virgo exhibuit, vt cùm in omni virtutis genere fuerit inſignis valdè, in hac ſpecialius ſtupẽda toti orbi videatur exẽpla reliquiſſe, ac æterna memoria digna. Ab infantia teſtatur Sancta Metildis, lib. 7. de Arcanis, Beatam Virginem in operibus humilitatis ſolitam ſe exercere. Et Diuus Bonauentura in opuſculo de vita Chriſti. cap. 3. affirmat ex quadam reuelatione, quòd dum Beata Virgo habitabat in templo, continuis precibus virtutẽ humilitatis à Deo efflagitabat; ego verò multo ante exiſtimo Beatam Virginem viam humilitatis ingreſſam. Cùm enim in vtero matris ab inſtanti ſuæ immaculatæ Cõceptionis diuina charyſmata agnouiſſet, quibus Deus copioſiſſimè illam cumulauerat, continuò, inſtar arboris fructibus onuſtæ, quæ in terra ramos inclinat, ipſa ſe humiliter in conſpectu Dei inclinabat, & demittebat. Deinde quòd humilem virum officio, fabrũ acceperit, humilitati tribuit. Diuus Bernardus ſermone 4. ſuper Miſſus: *Magna* (inquit) *omninò humilitas, vt deſponſata ſit fabro*. Quod ſi, vt tradunt Diuus Auguſtinus ſuper Pſal. 5. & D. Greg. lib. 16. Moral. & lib. 15. regiſtri, cap. 14. Proprium humilitatis opus eſt dolore, & turbatione confici, cùm ſe audit laudari; id certè in Beatã Virgine non deſideratur, cùm audiens ſe ab Angelo laudari de plenitudine gratiæ: *Aue gratia plena*, confeſtim cœpit turbari, & verecundia, & rubore affici, vt ait D. Lucas cap. 1. *Turbata eſt in ſermone eius*. Si ad humilitatem etiam ſpectat, nòn dedignari ab inferiori edoceri, & inſtrui: hoc etiam humilitatis genus in Beata Virgine emicuit, poſtulãſſe ab Angelo modum conceptionis Chriſti ſibi patefieri; *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* nec enim ipſa ignorabat, matrem Chriſti à nullo viro eſſe agnoſcendam, cùm non ſemel illud Iſaiæ legiſſet: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Rurſus oblata Virgini ab Angelico nuncio, ſuprema matris Dei dignitate, ita ſe ſubmiſit, & depreſſit, vt ſeruam ſe nuncuparet: *Ecce ancilla Domini*. Cùm item cœleſtia munera ſibi illata cęlare ad humilitatem pertineat, quæ popularem auram exhorreſcit, in hoc ſimiliter genere humilitatis mirificè præfulſit Beata Virgo, cùm diuinis charyſmatibus locupletiſſima, & Dei mater effecta, nemini tantum myſterium in ea operatũ reuelaret: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi*, dicens: nemini illud, nec proprio etiam marito detegit, tametſi nõ ignoraret, illum zelotypiæ æſtu vrgeri, ac ſummo dolore confici. Ad hæc, cùm Spiritu ſancto cooperante, abſque virili ſemine concepiſſet, & ideò à Purificationis lege exempta eſſet; eam tamen ſubire, ſicut reliquæ immundæ feminæ, non recuſauit, vt D. Lucas narrat: *Impleti ſunt dies purgationis Mariæ*. Prægnante deinde Eliſabetha, cùm alioquin iam euecta fuiſſet ad faſtigium dignitatis Matris Dei, non dubitauit pergere in Montana, vt eam viſitaret, ac domeſticis obſequijs eidem humiliter inſeruiret.

Luc. 10. Ibidem. S. Metildis. D. Bonauen. D. Bernar. D. Auguſt. D. Gregor. Luc. 1. Ibidem. Iſai. 7. Iſai. 24. Luc. 2.

Adno-

Digitized by Google

Adnotauit inſuper D. Bernardus in ſermone: *Signum magnum*, Beatam Virginē, præ inſigni eius humilitate, cùm alioquin miraculoſa, ac portētoſa opera filius eius publicè patraſſet, ac ſummo applauſu Populus illum ſequeretur, adeò vt Euangeliſta dicat: *Totus Mundus abijt poſt eum*: nihilo ſecius tamen non ſe exaltabat, nec ignorantibus euulgabat ſe matrem eſſe magni illius Prophetæ. Verba Diui Bernardi hæc ſunt: *Ecce mater tua, & pater tuus ſtant foris quærentes loqui. Pudibunda fuit Maria, ex Euāgelio hic probamus: vbi enim aliquando loquax? vbi præſumtuoſa fuiſſe videtur? Foris ſtabat, quærens loqui filio; nec materna auctoritate, aut ſermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua filius loquebatur.* Agnoſcit ſimiliter D. Bernardus ibidem humilitatē Mariæ, tunc valdè enituiſſe, cùm à Beata Eliſabetha multis encomijs magnificata, ipſa ſe continuò conuertit ad magnificandum cœleſtem largitorem: *Magnificat anima mea Dominum. Deuota* (inquit) *humilitas, nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis vniuerſa refudit, cuius in ſe beneficia laudabantur. Tu magnificas matrem Domini, ſed magnificat anima mea Dominū. In voce mea perhibes filium exultaſſe in gaudio, ſed exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Beatam eſſe dicis, quæ credidiſſem, ſed credulitatis, & beatitudinis cauſa reſpectus eſt ſupernæ pietatis, vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem, & exiguā reſpexit Deus.* Ac tandem exiſtentibus Apoſtolis, & multis fidelibus, tàm viris, quàm feminis in cœnaculo montis Syon, ipſaque & dignitate, & ſanctitate longè omnes præcelleret, vltimum, ac nouiſſimum locum tenebat, vt non obſcurè indicant verba D. Lucæ, qui commemoratis omnibus alijs, vltimo loco eam retulit; quia ſciebat illam memorem ſententiæ filij: *Recumbe in nouiſſimo loco*, vltimam ſedem ſibi elegiſſe. Obſeruat hoc D. Bernardus in præcitato ſermone: *Signum magnū. Legis* (inquit) *in Actibus Apoſtolorū, quòd redeuntes à monte Oliueti, vnanimiter perſeuerabant in oratione; cui ſi forte Maria adſuit, nominetur prima, quæ tàm ſuper omnes eſt, tàm filij prærogatiua, quàm ſuæ priuilegio ſanctitatis. Petrus, & Andreas (ait) Iacobus, & Ioannes, & cæteri, qui ſequuntur; hi omnes perſeuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Ieſu. Itane? & mulierum ſe vltimā exhibebat, vt nouiſſima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Diſcipuli, quibus nec dum ſpiritus erat datus, quia Ieſus nec dū fuerat glorificatus, quādo facta eſt inter illos contētio de primatu, cū Maria, quanto maior erat humiliaret ſe nō modo de omnibus, ſed & præ oībus. Meritò facta eſt nouiſſima prima, quæ cū prima eſſet omnium, ſeſe nouiſſimam faciebat. Meritò facta eſt omnium domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam. Meritò denique ſuper Angelos exaltata eſt, quæ & infra viduas, & pœnitentes, infra eam, de qua eiecta fuerunt ſeptem dæmonia, ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat. Obſecro vos filioli, æmulamini hanc virtutem, ſi Mariam diligitis, ſi contenditis ei placere.* Seruauit ergo ad vnguem humillima Virgo illud Prudentij in libro de conflictu vitiorum, & virtutum dicentis:

Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.
Diſce ſupercilium deponere, diſce cauere
Ante pedes foueas, quiſquis ſublime minaris.
Peruulgata viget noſtri ſentētia Chriſti,
Scandere celſa humiles, & ad ima redire feroces.

Quia tamen hoc nouimus eſſe ingenium Dei noſtri, vt quanto quis ſe humiliat, ac demittit, tantò ſublimius illum eleuet, & exaltet; hinc eſt, quòd Beatam Virginem propter humilitatem ſingulariter ad celſiſſimam Genitricis Dei dignitatem ſublimauit, D. Auguſtino dicente, ſerm. 12. ad Fratres in heremo: *O ſancta, venerabiliſq; humilitas: Tu filiū Dei de ſinu Patris deſcendere feciſti in vterum ſanctæ Mariæ Virginis.* Hinc etiam eſt, quod propter eandem humilitatem, qua infra omnes ſe deprimebat, ſuper omnes Angelorum choros hodie eſt exaltata; & quæ ſedens ad pedes Domini, verbum eius audiebat, iam nunc innixa ſuper dilectum, vt cœleſtes ſpiritus cecinerunt, ad Regium Thronum ſibi præparatum cum filio regnatura conſcendit, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Marginalia: Ioan. 12. — D. Bernar. — Luc. 1. — Act. 1. — D. Bernar. — Prudent. — D. August.

Homilia

Homilia VII.

De emortuo corpore Deiparæ Virginis ab omni corruptione diuinitus præſeruato; necnon de glorioſa eius eius ad vitam immortalem intra triduum reſurrectione, varijs rationibus, ac multiplici Sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum eruditione diſſerimus.

Beroſ. MEMINI Beroſium lib. 5. referentem, hac honorifica inſcriptione cohoneſtatum, & exornatum fuiſſe ſepulchrum celeberrimæ illius Reginæ Semiramis: *Me natura quidem mulierem finxit, ego verò meis geſtis nulli fortiſſimorum virorum inferior ſteti?* Congrua ſanè inſcriptio, quæ merita tantæ Reginæ non ſuperauit; cùm per quadraginta annorũ curriculum Aſſyriorum Monarchiæ ſumma cum laude præfuiſſet, Aethyopes glorioſè viciſſet, Indiæ Regis exercitum profligaſſet; & vt hoſtes ſuos viriliter debellaret, aſperas vias nullis parcens expenſis, in planas cõmutauit: ac tandem ſingulari induſtria, magnis diuitiarum ſumptibus, quas in bonum publicum effundere non dubitabat; copioſam fluminum aquam ex proprijs alueis extrahens, infœcundam tellurem, illius irrigatione fœcundauit, pluraque alia æterna memoria digna facinora patrauit. Verùm ſi rem altius conſideremus, inſigne illud epitaphium: *Me natura quidem mulierem finxit, ego verò rebus geſtis nulli fortiſſimorum virorum inferior ſteti.* Mariæ in ſepulchri ſpelunca iacenti verius, & propius conuenit, cùm multis annis poſt Chriſti aſcenſionem, nõ vt Semiramis, Aſſyriorum, ſed Chriſtianorum Monarchiam ſuo conſilio, & prudentia gubernauerit: non Barbaros Aethyopes, vt illa, ſed impios Hæreticos compeſcuerit; Eccleſia canente: *Cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo Mundo.* (*Eccleſ. Rom. de off. B. V.*) Non Regis Indiæ, vt illa, ſed Principis Tenebrarum caput contriuerit, Deo ipſo dicente: *Ipſa conteret caput tuum.* (*Geneſ. 3.*) Vias aſperas ambulauit, in Montana Iudæa conſcẽdens: *Exurgens autem Maria, abijt in Montana Iudæa.* (*Luc. 1.*) Ac tandem gratiarum fluenta pro communi noſtrorum omnium vtilitate ex perenni Chriſti fonte eduxit, quibus Catholica Eccleſia fœcundata, mirificos Martyrum, Virginum, & Confeſſorum fructus parturijt, & in finem vſque Mundi parturire non ceſſabit. Propter hæc ergo tàm heroica, ac memoranda geſta, inter alia pleraque munera, quibus Chriſtus Dominus genitricem ſuam cumulauit, illud ſilentio minimè prætereundum cenſui, quòd in ſepulchro corpus eius emortuum iacens, corruptionis, & fœtoris opprobrio non macularetur. Nemo certè ignorat, Diui Pauli ſententiam ad Galatas, cap. 6. dicentis: (*Gal. 6.*) *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminant in carne, de carne metent corruptionem. Qui autem ſeminant in ſpiritu, de ſpiritu metent vitam æternam.* Equidem hoc vltimum, commune eſt omnibus Sanctis: illud autem ſingulare in Virgine cernimus, quòd tot ſelectiſſima bonorum grana ſeuit, vt ex eis non ſolum fructum vitæ æternæ centuplum; ſed & incorruptionem ſui corporis, non abſque ingenti Dei miraculo obtinuerit, prout olim tradiderunt Diuus Ioannes Damaſcen. oratione de dormitione Virginis, S. Germanus ibidem, & Sanctus Melito de tranſitu eiuſdem Virginis, nec non Nicephorus libro primo Eccleſiaſt. Hiſtor. cap. 35. & 127. (*D. Damaſc.* *S. German.* *S. Melito.* *Nicephor.*) & inſignis ille Doctor Gulielmus in caput primum Canticorum, (*Guilelm. Cant. 1.*) vbi exponens illa verba: *Tigna domorum noſtrarum cedrina;* ait: *Cur dicit, non tantum domus tuæ, ſed domorum noſtrarum?* reſpondet idem Gulielmus: *quia non tantum domui Ieſu, ſed, & domui Marthæ hoc priuilegiũ commune fuit, eo quòd Ieſus os ex oſſibus, & caro ex carne Mariæ fuit. Ideò enim corpus Matris propter corpus filij, cum corpore filij à generalis lege corruptionis exceptũ, perpetuæ imputribilitatis gratia conſeruatum fuit.* Accedit Diuus Auguſtinus, qui ex theſauro ſuæ pietatis hæc præclara depromit ſermone. ... de Aſſumptione:

D. Auguſt. *Qui* (inquit) *in vita præ ceteris Mariam gratia ſui conceptus honorauit, pium credere eſt, ſingulari ſalutatione eam in morte, & ſpeciali gratia honoraſſe. Potuit enim eã tàm à putredine, quàm à puluere alienam facere, qui ex ea naſcens, Virginem eam potuit relinquere. Putredo namque, & vermis opprobrium eſt humanæ conditionis, à quo opprobrio cùm Ieſus ſit alienus, & natura Mariæ excipitur, quam Ieſus de ea aſſumpſiſſe probatur. Caro enim Ieſu, caro Mariæ eſt.* Deinde ibidem præclara hæc verba, ſingulari eruditione referta ſubdi- D. Aug. ibid. dit: *Si eligit diuina voluntas ſola gratia inter crepitantes vehementium ignium flãmas non ſolum puerorum corpora ſeruare illæſa; verùm etiam veſtimẽta ſeruare inuſta; cur abnuet in matre propria, quod eligit in veſte aliena? Ionam ſeruare in ventre cæti, præter naturalem vſum voluit: incorruptam præter naturam non ſeruabit gratia? Seruatus eſt Daniel datus intemperatiſſimæ fami Leonum, non ſeruanda eſt Maria tantis donata meritis dignitatum? Hæc cuncta, quæ diximus, quia naturam ſeruantia non cognoſcimus, in Mariæ integritate plus potuiſſe gratiam, quam naturam, non dubitamus. Diuinitatis enim opera ſunt, quæ dicimus, & ideò poſſibilia, quia omnipotentia.* Sed neque alia ranti Doctoris in idem argumentum, præclara verba raciturnitati committam; ſermone enim primo de Aſſumptione in hunc modum ſapienter loquitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Si ergo voluit integram matrem cum Virginitatis ſeruare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis ſeruare fœtore?* Ac demum Idem. ita concludit: *Illud ſacratiſſimum corpus, de quo Chriſtus carnem aſſumpſit, & diuinam naturam humana vniuit; non amittens, quod erat, ſed aſſumẽs quod non erat, vt Verbum, Caro, hoc eſt, Deus homo fieret, eſcam vermibus traditum, conſentire non valeo, dicere pertimeſco, in communi ſorte putrèdinis futurum de vermibus puluerem.* hæc Auguſtinus, tàm reuerenter, quàm grauiter de corpore Deiparæ diſſerit. Huius autem incorruptionis Mariani corporis, nonnullas Imagines eam adumbrãtes in ſacris eloquijs lego: nam celebris illa veteris Teſtamenti arca ex lignis imputribilibus afabrefacta, vt conſtat ex lib. Exodi, cap. 25. iuxta translationem Septuaginta Interpretum. *Facies arcam teſtamẽti de lignis imputribilibus*; quid quæſo aliud aptius præfigurabat, quàm cœleſtem illã corporis Chriſti arcam, de qua canit Ecclesia Chriſtum alloquens: *Ventris ſub arca clauſus es?* cuius miram incorruptionẽ vt præſignificaret Dominus, voluit ex lignis imputribilibus coaleſcere. Deinde ſacra commemorat eloquia lib. Ioſue, cap. 6. Rahab mortem euaſiſſe, domumque eius liberam exritiſſe à communi, quæ alijs contigit iactura, eo quòd Hæbreorũ exploratores in ſuas diuertentes domos, libenter exciperet. Hoc quidem in figura illi accidiſſe mihi videtur, ad prænotandam ſacram hanc virginei corporis domum, quia dicens: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*; ſupremum illum Mundi exploratorem, ac Iudicem Chriſtum Dominum, qui in lucernis minatur ſe exploraturum Hyeruſalem, hoſpitio exceperat, ab omni prorſus corruptione, & incineratione futuram eſſe liberam. Huc etiam facit id, quod referente Plutarch. libro Apophtegmatum: Cæſar Auguſtus, cùm Alexandrinam vrbem inuaſiſſet, & vſque ad internecionem potuiſſet eam mulctare, ei tamen benignè pepercit; tùm propter eius pulchritudinem, tùm ob Alexandri honorem eius fundatorem, à quo Alexandriæ nomenclaturam mutuarat. Non diſſimiliter Chriſtus Dominus pro ſua inſigni pietate, & amore erga matrem ſuã, huic ſacroſanctæ Ciuitati pepercit, ne pulneris conuerſionem, & ruinam pateretur; tùm propter eius pulchritudinem, quam Sol, & Luna mirantur: tùm propter ſe ipſum eius fundatorem, iuxta illud: *Ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Vnde meritò dicere potuiſſet illud libri quatri Regum: *Protegam Vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me.* Sanè ſingulare hoc beneficiũ, debitum tantæ Virgini erat. Nam quemadmodum par eſt, rebelles Vrbes ſolo æquari, & inſtar ſtipulæ in cinerem, & fauillam redigi; ita oportet, Ciuitates fidelitate inſignes in perpetuum conſeruari. Vnde cùm ſacra hæc Ciuitas omnem rebellionem ſemper neſcierit, vtpotè, quæ carnis fomite ſemper caruerit; vel (vt alijs placet) extinctum habuerit, ſed ſemper humiliter ſubiecta in omnibus, & per omnia obedierit incorrupta, incontaminata, etiã morte graſſante, meretur conſeruari. Illa

Exod. 25. Ioſue 6. Luc. 1. Plutarch. Pſalm. 80. 4. Reg. 19.

deni-

Digitized by Google

denique vna ratio, quæ mihi inſtar mille eſt in eiuſdem argumenti comprobationem, quòd Chriſtus Dominus totius incorruptionis, & integritatis fons, ſacrum illud Corpus inhabitaſſet; ſi enim corpora balſamo delibuta, incorrupta ſeruantur; quis quæſo dubitabit, Marianum corpus, quod nouem menſium interuallo cœleſte illud diuini Verbi balſamum ex æterni Patris mente diſtillatum tulit, omnis corruptionis expers ſeruatum fuiſſe? Certè quia cœleſtis vermis Chriſtus Dominus, qui de ſe ipſo dixit: *Vermis ſum, & non homo*; intra immaculatum illud Mariæ corpus genitus fuerat, terreſtres vermes illud aggredi non ſunt auſi; domicilio Creatoris ſui honorem, quem poterant, quodammodo deferentes. Et quidem ſi Chriſtus Dominus adeò intactam voluit matrem, vt nec ex proprio viro filios conciperet: qua ratione, quæſo ſi noluit ex ea generari homines, voluiſſe credendus eſt, vt generarentur vermes, niſi velis, quod hominibus negauit, vermibus conceſſiſſe? Ac tandem quia ſi virtus epycheiæ, quæ eſt æquitas ex aliquo conſurgens, de qua loquens Ariſtoteles quinto Ethicorum, & Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 102. aſſerunt proprium illius eſſe, reducere ius legale ad ius naturale: illud certè ius legale eſt: *Terra es, & in terram ibis*: Ius naturale eſt: *Honora patrem tuum, & matrem tuã*. Reducatur ergo ius illud legale ad ius naturale, & ſic implebitur æquitas ex parte filij erga chariſſimam ſuam matrem, & cantabimus ei illud Dauidis, Pſalm. 64. *Sanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate*. Quare non dubito, quin incorruptiſſimæ virginitati Mariæ Deiparæ tàm in mente, quàm in carne, inter alia, incorruptibilitas, tamquam prœmium valdè illi conſentaneum correſponderit. Sicut ergo Deus exemit Beatam Virginem à communi illa lege: *In dolore paries filios tuos*. ita, & ab illa: *Terra es, & in terram ibis*. vtrumq; enim opprobrium eſt naturæ humanæ, à quo nullus ſanæ mentis, iudicabit filium matrem ſuam, cùm alioquin facilè potuiſſet, non præliberaſſe. Fateamur ergo impletã plenè benedictionem, quam Sereniſſimus Rex Dauid Beatæ Virgini impertiuit, cũ ei dixit: *Dominus cuſtodiat introitum tuũ, & exitum tuum ex hoc, nunc, & vſque in ſæculum*. Duo pericula, eaque grauiſſima ſubire coguntur omnes mortales, ex primo Parente per naturalem generationem propagati. Primum eſt in principio vitæ, cùm peccati originalis labe inquinãtur iuxta vniuerſalem Pauli regulam: *Omnes in Adam peccauerunt*. Secundum eſt in fine vitæ, cùm corpora vitali aura deſtituta corrumpuntur, & in puluerem rediguntur, iuxta præſcriptum illud generale ſtatutum: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Regius ergo Propheta cupiens ab his periculis Beatam Virginem diuinitus eripi, dixit: *Dominus cuſtodiat introitum tuum*; ideſt, conceptionem tuam ab omni labe peccati originalis. Per conceptionem enim intrauit in hunc Mundum; ſubdit deinde: *Dominus cuſtodiat exitum tuum*; hoc eſt, præcaueat, vt cùm ab hac mortali vita exieris, ſententiam illam non experiatur: *Terra es, & in terram ibis: puluis es, & in puluerem reuerteris*. Hodie igitur cernere eſt, benedictionem illam Dauidicam adamuſſim completam in Beata Virgine.

Psal. 21. | Ariſtot. | S. Thom. | Geneſ. 3. | Exod. 20. | Pſal. 64. | Geneſ. 3. | Pſal. 120. | Rom. 3. | Geneſ. 3. | Pſal. 120.

Porrò non ſolum Chriſtiferum illud Deiparæ Mariæ corpus incorruptionis dono, ſed immortalitatis, & gloriæ fulgoribus cœpit coruſcare; nam Reſurrectionis Chriſti Domini exemplar æmulata, intra triduum, ſicut ille, depoſitis vetuſtis mortalitatis indumentis ſplendoris, & gloriæ, amicta veſtibus reſurrexit. Ita communi conſenſu tradunt Patres, præſertim Diuus Ioannes Damaſcenus, & Metaphraſtes de dormitione Virginis, & latè D. Auguſtin. ſerm. de Aſſumpt. ſed ante illum antiquiſſimus Dionyſius Areopagita, libro de diuinis nominibus dicens: *Ceterum tametſi Virgo mater naturæ legibus fuit obnoxia, tametſi mortẽ deguſtauit, tametſi vt homo, in ſepulchro eſt depoſita; naturæ tamen fines, atque terminos ſuperauit, & exceſſit: neque ſepulchrum, & mortalitas eam in poteſtate ſua retinere potuit*. Nicephorus etiam lib. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 23. ex Iuuenali Patriarcha Hieroſolymitano rem hanc in hæc verba deſcribit: *Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopus, magnus ſanè, diuinoque afflatus numine, vir ex vetuſta traditione rem banc ſic geſtam ſcriptis ſuis cum fide confirmat. Dicit enim, totum triduum. Apoſtolos ad monumentum, diuinorum Hymnorum carmina audientes perſe-*

Damaſc. | Metaphraſt. | Auguſt. | Dion. Areop. | Nicephor.

ceptus tuos, & in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi. Aerumnam Maria ſubſtinuit, cuius animam gladius paſſionis Chriſti pertranſiuit; ſed conceptus non multiplicauit, nec ſub viri, id eſt mariti poteſtate, deguit, quæ integerrimis viſceribus de Spiritu Sancto Chriſtum ſuſcepit; & virginitatis integritate manente, Virgo permanſit. Hoc enim potuit efficere de matre, quia ſic Deus elegit naſci de homine. Maria ergo & ſi communicat parturiendo cum dolore: promeruit enim hoc ſingularis ſanctitas eius, & ſingulari gratia exiſtimanda eſt digna. Non immeritò ergo excipitur à quibuſdam generalibus vera æſtimatione, quam tanta ſeruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua. Quantum enim Chriſti poteſtas poſſit, Mundi oſtendit vniuerſitas: quantum gratia Mariæ, monſtrat integritas, quæ ſicut diuerſa eſt à natura, ita diuerſa eſt ab vſu. Quid ergo ſi in tanta diuerſitate, eã dicimus humanæ ſortis mortem ſubiiſſe; nec tamen eius vinculis retineri, per quã Deus voluit naſci, & carnis ſubſtantiæ cõmunicare? Ac tandẽ S. Melito, prout refertur in Biblioth. antiq. Patrum, vel quicunque alius eſt Auctor in feſto Aſſumpt. refert Chriſtũ Dominũ loquẽtem Apoſtolis ſuis, domi matris ſuæ congregatis, vt morti eius adeſſent, hæc dixiſſe: *Quid ergo vultis, vt faciam ei? tunc Petrus, & alij Apoſtoli dixerunt: Domine prælegiſti hanc ancillam tuam, fieri immaculatum tibi thalamum, & nos ſeruulos tuos in miniſterium tuum. Omnia ante ſæcula praſciuiſti cum Patre, & Spiritu ſancto, cum quibus tibi eſt vna deitas, æqualis, & infinita poteſtas. Viſum nobis fuerat famulis tuis etiam rectum eſſe, vt ſicut tu deuicta morte regnas in gloria, ita reſuſcitatum matris corpuſculum, tu tecum conduceres, eam lætam in Cœlum. Tunc Saluator ait: Fiat ſecundum verbum veſtrum; & præcepit Michaeli Archangelo, vt animam Sanctæ Mariæ deferret. Et ecce repentè Gabriel Archangelus reuoluit lapidem ab oſtio monumenti, & ait Dominus: Surge amica mea, & proxima mea, quæ non ſenſiſti corruptionem per viri contactum: non patieris reſolutionem corporis in ſepulchro. Et ſtatim ſurrexit Maria de tumulo, & benedicebat Dominum; & prouoluta ad pedes Domini, adorabat eum dicens: Non ego tibi dignas gratias poſſum rependere Domine pro immenſis beneficijs tuis, quæ mihi ancillæ tuæ conferre dignatus es. Sit nomen tuum Redemptor Mundi, Deus Iſrael, benedictum in ſæcula; & oſculatus eam Dominus receſſit, & tradidit eam Angelis, vt deferrent eam in Paradiſum; & ait Apoſtolis: Accedite ad me; & cùm acceſſiſſent, oſculatus eſt eos, & ait: Pax vobis, quoniam ego ſemper vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Et ſtatim, cum hæc dixiſſet, Dominus eleuatus in nube, receptus eſt in Cœlum, & Angeli cum eo deferentes B. Dei Genitricẽ Mariã in Paradiſum Dei: Apoſtoli autem ſuſcepti ſunt à nubibus, & reuerſi ſunt vnuſquiſque in ſortem prædicationis ſuæ, narrantes diuina magnalia.*

Melito

Ad hæc non deſunt graues Auctores, quæ verba illa Dauidis: *Surge Domine in requiẽ tuã, tu, & arca ſanctificationis tuæ;* non ſolum Chriſti reſurrectionem, ſed & Beatæ Virginis complecti contendant. Hi ſunt, S. Ioannes Damaſc. de dormit. Virginis, illuminatus Doctor Mayron, ſerm. de Aſſumptione, nec non Auctor Pomerij lib. 10. par. 5. in princ. Perinde enim fuiſſe exiſtimant, ac ſi Dauid diceret: Sicut tu Domine Ieſu reſurrexiſti à mortuis, & in glorioſo corpore regnas in requie tua cœleſti ſedes ad dexteram Patris; ita fac, vt arca ſanctificationis tuæ, Beatiſſima ſcilicet mater, in cuius vtero, velut myſtica arca latuiſti, exurgat gloriæ dotibus præfulgens. Sequentia etiam verba: *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & Sancti tui exultent,* eidem intelligentiæ non ſunt incongrua. Nam precibus Beatæ Mariæ, & ob celebritatem glorioſæ eius reſurrectionis, Apoſtoli primi Eccleſiæ Sacerdotes, Iuſtitię, & ſanctitatis nouum incremẽtum, ac ſingularem exultationem, & gaudium ſuſceperunt; *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & Sancti tui exultent.*

Pſal. 131.
D. Damaſc.
Mayron.
Auct. Pom.
Pſal. 131.

Verùm, & hoc idem reſurrectionis Deiparæ Mariæ argumentum, ſecundum ſenſum allegoricum, video in hodierni Euangelij lectione inſinuatum, dũ nobis proponit ſorores duas Mariam, & Martham, quarum altera, ſcilicet Martha, enixè poſtulabat à Chriſto Domino, vt præciperet Mariæ, vt ipſam aſſociaret, & adiuuaret: *Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.* In ſenſu allegorico, ſorores

Luc. 10.

res iſtæ ſunt Caro, & anima Beatæ Virgi-
nis, quæ mutuò naturali amore erant cō-
iunctæ. Illis autem ancipiti mortis gladio
ſeparatis, caro Virginis per Martam, quæ
actiuæ vitæ vacabat, aptè præfiguraram,
ardenter cupiens, vt dilecta eius anima
ei reuniretur, eamque aſſociaret, ait quæ-
rula quadam voce: Domine non eſt tibi
curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam
in ſepulchro iacentem? Dic ergo, vt me
adiuuet, viuificans me, & ad conſortium
meum rediens, vt ſimul tibi cœleſti in
gloria regnanti miniſtremus. Et quidem
ad hoc beneficium obtinendum, duplicē
rarionem videtur caro Beatæ Virginis
in ſui fauore producere. Prima eſt, cura,
quam filius debet habere honoris, & com-
modi ſuæ matris. Dicens enim: *Non eſt ti-
bi cura*, perinde fuit, ac ſi diceret: num
fili mi, marris tuæ ſollicitam curam non
Tob. 4. geris, Spiritu ſancto dicente Tob. 4. *Hono-
rem exhibebis matri tuæ*. Quod ſi Eccleſ.
Eccleſ. 41. cap. 41. ait: *Deo eſt cura de omnibus*; po-
tiori iure cura eſt tibi habenda de matre
1. Thim. 5. tua, Apoſtolo dicente, 1. Thimot. 5. *Si
quis ſuorum, & maximè domeſticorum cu-
ram non habet, fidem negauit*. Addens au-
tem: *Quia reliquit me ſolam*, hoc eſt ſe-
paratam, & diuiſam per mortem à con-
ſortio animæ ſecundam rationem affert,
quòd iam perſoluerit debitū mortis, iuxta
Pauli promulgatam legem: *Statutum eſt
Ad Hebr. 9. hominibus ſemel mori*. Cùm igitur ex vna
parte huic communi conditionis huma-
næ debito, B. Virginis caro iam ſatisfeciſ-
ſet, & ex alia, ad pietatem filij pertineret,
ſollicitam curam honoris materni gerere,
ideò Beata Virgo vtramque rationem
tangens, poſtulat non relinqui ſolam, ſed
iterum per reſurrectionem, animę aſſocia-
ri, & reuniri; non eſt tibi curæ, quod ſo-
ror mea reliquit me ſolam in ſepulchro?

Tandem duplex myſtica ratio eandem
Deiparæ reſurrectionem iam factam con-
firmat. Prima, quia, vt habetur in l. Prin- *L. Princeps.*
ceps, ff. de legibus. Imperator in pignus
amoris communicat Imperatrici iura
ſua. Igitur cum ſupremus Imperator Chri-
ſtus ius habuetit ad reſurgendum intra
triduum, quia filius Dei erat; ſimile cre-
dendum eſt pro ſingulari ſuo amore, &
pietate erga Virginem, ei contuliſſe, quia
Matris Dei dignitate præfulgebat. Secun-
da ratio ſit, quia concedentes (quod nul-
lus fidelium negat) Beatam Virginem
modo eſſe veram matrem Chriſti, conce-
dere etiam compelluntur iam reſurrexiſ-
ſe, cùm nec anima ſeparata, nec corpus
ab ea diuiſum, Chriſti mater dici poſſit.
Relatio enim maternitatis non denomi-
nat partes, vt vnanimi conſenſu Meta-
phyſici docent, ſed totum compoſitum;
Beatiſſimam ſcilicet Virginem corpore,
& anima conſtantem; cui ſit honor, &
gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE SACRIS ARCANIS B. VIRGINIS, IN EIVS ASSVMPTIONE, ET CORONATIONE LATENTIBVS.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

Homilia Prima.

Aptè ſatis Eccleſiam Catholicam Euangelium Marthæ, & Mariæ Virgini in Cœlum aſſumptæ accommodaſſe, aduerſus oblatrantes Hæreticos palam ſit.

HAERETICI perpetui Eccleſiæ Catholicæ querulimurmuratores, more ſuo (vt Iudas Apoſtolus loquitur) muſſitantes, & obtrectantes, abuſum clamitant, quòd Euangelium de Maria, & Martha ſororibus Virgini in Cœlum aſſumptæ perperam conuenire videatur. Vnde hic eſt ſybilus venefici illius ſerpentis Buceri Hæreſiarchæ: *Bone Deus, quàm miſerè torta eſt hæc lectio, vt aſſumptioni Diuæ Virginis Chriſti matris reſponderet?* Ex eo autem putant torqueri, quòd nihil commune cum Aſſumptione Virginis, immò multa è diametro pugnantia continere videatur. Magdalena hic adeſt ſedens, Maria aſcendens. Magdalena ſecus pedes Domini, Maria à dextris Chriſti. Magdalena deflens peccata, Maria gaudens, quòd nunquam peccauerit. Magdalena meliorem partem eligit in via, Maria prēmium præteritæ electionis ſuſcipit in Patria. Martha deinde turbatur, Maria ſumma pace, & tranquillitate perfruitur. Martha fatigatur circa frequens miniſterium. Maria intrat in gaudium Domini ſui: Martha de ſorore conqueritur Chriſto, Maria ei congratulatur. Martha reprehenditur à Chriſto, vt opinantur Diuus Gregorius, & Diuus Auguſtinus in Commentario huius loci. In Cęlo autem ſicut nec minimo apice à ratione quiſpiam deuiat, ita nullius increpationis vox perſtrepit.

Ep. Iud. Ap. — Bucerus. — D. Gregor. — D. Auguſt.

Ceterum ſuperuacaneûs, & inanis prorſus eſt iſtorum Hæreticorum latratus; cùm ob multas, eaſque præclaras rationes Eccleſia Catholica, cõgruè ſatis Euãgelium de Martha, & Maria, Deiparæ aſſumptioni adaptauerit. Prima ſit, quam me docuit Diuus Antoninus, quarta parte, Summ. titulo 15. cap. 42. quia cum eadem verba myſticum ſenſum contineant, & non ſolum literalem; & myſticus ſenſus ad pietatem alendam plurimũ conferat, certè Eccleſia Diuum Paulum æmulans, perſimili modo ipſa ſacras literas accommodat. Sicut enim ille citãs in ſenſu myſtico Moyſis teſtimonium: *Non alligabis os boui trituranti*; conuer- D. Antonin. 1. Thim. 5.

tit illud ad Miniſtros Euangelij, temporaria mercede non fraudandos;ſed potius congruè alendos ; ita verba illa : *Intrauit*
Luc. 10. *Ieſus in quoddam Caſtellum*, præſenti feſtiuitati, Eccleſia Catholica accommodat; vt ſignificet, quòd ſicut ingreſſus Chriſti in domo Marthæ, & beneuola in ſuum hoſpitium receptio, initium fuit omnium bonorum, quæ illi ſuperuenerūt; ita ingreſſus filij Dei in domum Mariani vteri,ac per nouem menſes,virginalis aulæ in hoſpitium exceptio,principium fuit, & origo,vnde copioſiſſima in eam gratiarum fluenta emanarunt, & præclariſſimis poſtmodum gloriæ dotibus exornaretur. Nam ſi quis Prophetam ſuſcipit, mercedem Prophetæ accipiet, quanto maiorem cenſenda eſt receptura, quæ Prophetarum caput domo pudici ſui ventris ſuſcepit? Deinde illa verba : *Maria optimam partem elegit*, contendit Eccleſia Catholica præclarè in Beatam Virginem conuenire : quia ſicut illa in via meliora chariſmata ſemper eſt æmulata, & quod perfectius erat, ſemper eligebat; ita in Patria potioribus gloriæ bonis fuerit remunerata, atque adeò optimam omnium partem,tàm in Eccleſia militanti, quàm in triumphanti ei contigiſſe. His ſi adiungamus, quòd Chriſtus Dominus in iudicium venturus inter alias rationes, ob quas affirmat ſe in Regnum
Matth. 25. Cœlorum iuſtos ſuſcepturum fore, illa memorabilis eſt : *Hoſpes eram, & collegiſtis me:* Conſequens eſt, quòd ſicut Beata Virgo cœleſtibus chariſmatibus exornata, illum intra virgineum thalamum ſuſcepit; ita & ipſa ſummis honoribus ab eo ſit ad æthereum thalamū ſuſcepta. Deinde ſicut conſueuit Aſtrologis ad manifeſtandos Cœlorum motus, ortum, & occaſum Planetarum, eclypſim Lunæ, aſcenſum, & deſcenſum Solis, hoc vti artificio, tum propter ſummam Cœli diſtantiam: tùm propter imbecillitatem humani viſus,vt ligneam ſphœram conficiant,cœleſtes delineantem: in qua hic circulus lineam æquinoctialem, ille Zodiacum cum ſuis omnibus ſignis: iſte Polum Arcticum, & Antarticum, Vrſam maiorem, & minorem, & alia huiuſcemodi demonſtrat. Et quamuis verum ſit, quòd ſphœra ſignans, lignum eſt, ſignata tamen per illam; orbes cœleſtes ſunt: illa ex materia ſecunda corruptibili, iſti ætherea, & incorruptibili. Ad eundem modum Sacri Pontifices, velut Spirituales Eccleſiæ Catholicæ Aſtrologi, ad manifeſtanda fidelibus varia Arcana, quæ in Mariano orbe latent, varios, ac regulares eius motus: Potentiarum, velut Planetarum, ſubordinationem, diuerſa virtutum illius Aſtra, vtuntur lignea hac ſphœra huius Euangelij. Attendite Martham, & Magdalenam ſorores, quæ vitæ actiuæ, & contemplatiuæ operibus valdè præcelluerunt: hæ quid aliud deſignant, quàm hoc duplici perfectionis genere actionis, & contemplationis Beatam Virginem ſuper omnes præfulſiſſe? Attendite pietatem, qua Martha ſuſcipit hoſpitio Chriſtum in domum ſuam; hoc planè delineat Virginem vteri ſui hoſpitio Verbum diuinum ſuſcipientem. Obſeruate tandem in hac lignea ſphœra motum Solis, hoc eſt, Chriſti Domini, qui verus eſt Sol Iuſtitiæ. Obſeruate (inquam) quanto amoris affectu Magdalenam peccatricem ad pedes eius procumbentem exceperit: hoc enim non obſcurè demonſtrat, maiore incomparabiliter honore & amore immaculatiſſimam Virginem omnis peccati expertem in cœleſtem Hyeruſalem ſuſcepturum: ideò ergo Apoſtolica ſanctione à Sacris Pontificibus ordinatum eſt, vt in die Aſſumptionis præſens audiatur Euangelium. Rurſus, nemo eſt, qui ignoret, quòd cùm fidelis, à Turcis celebrem aliquam victoriam reportant, aliter quidem in exercitu, aliter verò in Curijs Regum, & Principum Chriſtianorum parta victoria celebratur. In exercitu enim Hoſtium, vexilla capta, terra trahuntur, propria in ſublime eriguntur: buccinarum, & tympanorum clangor auditur: inſtrumenta bellica perſtrepunt, bombardæ perſonant, & caligine fumi aer obſcuratur. Quæ omnia ſe habent, veluti imago quædam adamuſſim exprimens media, quibus hoſtilis potentia fuit ſuperata. At longè aliter in Regalibus Principum Curijs victoria illa ſolemnis fit: noctu varijs luminaribus, quæ noctem in meridiem conuertunt, celebratur: die ve-

rò

rò Nobiles, Equites in publicis plateis curſitant: certa etiam præfigitur dies, in qua, omni populo aſtante præfulgentibus veſtimentis amicti, arundinibus inter ſe concertant; quandoque vibrantibus haſtis velut quodam belli ſimulachrum in medium producentes, ſublimes fornices eriguntur, arcus triumphales conſtruuntur, & ſimilia alia lætitiæ ſigna pro celebranda obtentæ victoriæ palma in publicum prodeunt. Non diſſimiliter, cùm hodierna die, Deipara Maria poſt partam de dœmone victoriam, cuius caput, velut altera Iudith contriuit, glorioſè triumphans, in Cœlum conſcendat; aliter in Eccleſia triumphante, quàm in militante conuenit: illa celebrari. Ibi quidem cœleſti melodia, Angelicis canticis, regio apparatu, Imperiali pompa, vt decet tanti loci maieſtatem: hic autem tanquam loco militiæ, nonniſi ſtrepentibus armis vitæ actiuæ,& contemplatiuæ, quibus Deipara victoriã comparauit, debet celebrari; & ideò conuenienter ſatis Eccleſia Catholica in hac ſolemnitate,præſenti vtitur Euangelio. Memini percelebris illius Pictoris Titiani in depingendis imaginibus mirum in modum eam cõmendatam induſtriam, vt nimium ad eas intuẽdas appropinquanti,imperitæ, deformes,ac multis lituris deturpatæ viderentur, at è longinquo loco illas inſpicienti, earum pulchritudo, egregia mẽbrorum cõpago, ac præclara forma manifeſtè detegebatur. Ad eundem certè modum nobis factitandũ eſt.Proponit nobis hodierna die diuinus Titianus, S. Lucas, qui arte pingendi valdè claruit, egregiam huius Euangelij imaginem; eo tamen ſingulari artificio elaborarat,vt ſi quis nimium ad eam intuendam appropinquet,literæ ſolum corticem conſiderans, nihil certè cum prototypo, hoc eſt, cum Maria in Cœlum aſſumpta, cõmune ſibi videatur habere; in ſcopuloſque Hæreticorum incidat,aſſertẽtium: diſſentaneum,& incõgruũ eſſe præſens Euangeliũ glorioſiſſimę Deiparæ Aſſumptioni. At ſi è contra à literæ cortice ſenſum elongare ſatagat, myſticũ ſenſum
2. Cor. 3. attendens; quia,vt ait Paulus: *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat:* miram huius imaginis cum prototypo conformitatem deprehendet, prout illam Sanctos Pa-

tres deprehendiſſe ex eorum teſtimonijs facilè conuincam. D.Auguſt. & Beda, de Beatæ Virginis Aſſumptione agentes affirmant, quòd quia Eccleſia militans varios labores perferens, veſtigia Marthæ ſectatur, & Eccleſia triumphans requiem Mariæ amplectitur; & in vtraque hac Eccleſia Beata Virgo meliorem partem elegit in præſenti gratiæ, & in futura gloriæ; ideò apte Euangelica hæc lectio in illam conuenit. Diuus Anſelmus homilia ſuper hoc Euangelium hæc ſcripſit: *In Scriptura ſacra res vna, & eadem multoties inuenitur, diuerſa ſignificare. Sicut Leo, hædus, ignis, aqua, vel etiam Sol, & alia multa. Eſt enim Leo de tribu Iuda: & eſt Leo, qui circuit quærens quem deuoret. Eſt hædus emiſſarius, qui peccata noſtra portauit: & eſt hædus à ſiniſtris, qui damnatur. Eſt ignis, quem Dominus miſit in terram, & quem vult, vt ardeat: eſt ignis, qui ſuper impios cadit, vt non videant Solem. Eſt aqua, cuius flumina fluũt de ventre credentis, eſt aqua, cuius tempeſtas nos demergit. Eſt Sol iuſtitiæ, qui nos illuminare ſolet; eſt Sol,qui nos vrit per diẽ. Licet ergò Caſtellum, alias malum ſignificet, vt illud, de quo dicitur: Ite in Caſtellum. vbi,& quod additur. quod contra vos eſt; planè manifeſtat, quid ſignificet. Tamen hoc Caſtellum, in quod intrauit Ieſus, ſingularem intemeratam Virginem eiuſdẽ Ieſu genitricem, ſalua ſcripturarum regula per ſimilitudinem accipimus. Caſtellum enim dicitur, qualibet turris, & murus in circuitu eius,quæ duo ſeſe inuicẽ defendunt; ita vt hoſtes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Huiuſmodi Caſtello non incongruè Virgo Maria aſſimilatur, quam virginitas mentis, & corporis quaſi murus, ita vndique vallauit, vt nullus vnquam libidini eſſet ad eam acceſſus, nec ſenſus eius aliqua corrumperentur illecebra. Et quia virginitatem, cùm libido non poſſit, ſolet impugnare ſuperbia, eſt in eadem Virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit ſuperbiam.* Diuus Bernardus ſermone primo de Aſſumptione aliã tradit his verbis rationem, dicens: *Vt quid ea hodie in Eccleſijs Chriſti Euangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepiſſe intelligitur Saluatorem? credo vt hæc,quam celebramus ex illa ſuſceptione* aliqua-

Auguſtin. Beda. — D. Anſel. — Matth. 11. — D. Bernar.

aliquatenus æſtimetur, immò, vt iuxta illius ineſtimabilem gloriam, ineſtimabilis Guaricus. *cognoſcatur, & cæt.* Beatus Abbas Guaricus S. Bernardi dilectiſſimus Diſcipulus, ac ſtrenuus æmulator, ſermone quarto de Aſſumptione Virginis, poſtquam dixerat: *Mariam optima partem elegit:* ſtatim ſubijcit: *Hoc de Maria ſorore Marthæ ſcriptum eſt. Sed in Maria matre Domini hodie plenius, & ſanctius impletũ eſt. Hodie namque Beata Virgo Maria optimam partem elegit; immò quam dudum elegerat, hodie perpetuò poſſidendam accepit, vt ſcilicet inſeparabiliter adhæreat Domino, perenniterque fruatur Dei verbo. Nec alienum, aut incongruum, ſi quod de illa Maria dictum eſt, in iſtam transſumatur, cùm ad conuenientiam transformationis, ſimilitudo non ſolum nominis, ſed etiam operis ſuffragetur. Illa ſiquidem Dominum hoſpitio recepit, hæc thalamo ſuſcepit vteri; & qui creauit me, (inquit) requieuit in Tabernaculo meo. Illa ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius: hæc ſedula circa curam humanitatis eius, conſeruabat omnia verba, quæ de illo erant dicta, conferens* Paul. Emiſſ. *in corde ſuo.* Ac tandem Euſebius Emiſſenus, ſermone de Aſſumptione, hæc tàm piè, quàm eruditè in idem argumentum ſcripſit: *Meritò Sancti Patres conſtituerunt, vt in hac ſolemnitate Beatæ Virginis Mariæ hoc Euangelium legeretur, quæ ſpecialiter quidem per has duas mulieres ſignificatur. Ipſa enim inter omnes Creaturas Beatiſſima Virgo, vtriuſque vitæ actiuæ ſcilicet, & contemplatiuæ, plus ceteris omnibus priuilegia cuſtodiuit. Ipſa quoque ſicut Martha, immò melius quàm Martha, ſuſcepit Chriſtum non ſolum in domum ſuam, verùm etiam intra clauſtra vteri ſui. Ipſa eum concepit, ipſa eum genuit, ipſa eum peperit, & portauit, & pluſquam Martha, & frequentius ei miniſtrauit. Ipſa deniquę, ſicut Maria eius verbum non ſolum audiebat, verum etiam in corde ſuo conferebat, nobiſque ad legendum, & audiendum cu-* Emiſſenus. *ſtodiebat.* Concors igitur eſt horum omnium Patrum, & Doctorum ſententia, inter alia pleraque eo præcipuè nomine præſens Euangelium huic feſtiuitati congruere, quod Martha, & Maria vitam actiuam, & contemplatiuam adumbrent, quæ in B. Virgine ſummo ſplendore emicuerunt. Vnde videtur mihi illam ſponſi pollicitationem nunc impleri: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argẽto.* Cant. 1. Conſulto omitto explorare, an murenulę iſtæ ſignificent varias gemmas vno filo inſertas, aut ſigilla perexigua ex auro, & argento conflata; vel catenas, inſtar murenularum, confectas. Taceo etiam, an murenulæ iſtæ inſeruiant ornamento aurium, vt quidam voluerunt, aut certè colli, vt ſenſit Diuus Bernardus, ſer- D. Bern. mone quadrageſimoprimo, in Cantica. Solum in elucidatione huius loci, quæ noſtro argumento congruunt, apponam. Septuaginta Interpretes in hunc modum illum vertunt: *Similitudines aureas facie-* Septuag. Interpr. *mus tibi cum punctis argenti;* hoc eſt, Sanctos, tàm veteris, quàm noui teſtamenti in medium producam, quæ ſint imagines, & ſimilitudines eximiæ tuæ ſanctitatis; ex quibus dignoſcere poſſimus Heroicas tuas virtutes. Quià verò Sancti per has imagines deſignati interius, & exterius ſanctitate nituerunt; eorum verò ſanctitas potius in interiori, quàm in exteriori actu ſita erat; ideò ait, Murenulas aureas fore, argento, quaſi quibuſdam punctis elaboratas. Quia tamen impoſſibile eſſet ſingulorum virtutes recenſere, Eccleſia Catholica proponit hodiernum Euangeliũ de Martha, & Maria, quæ ſymbola extiterunt vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, ad quas omnia virtutum genera reuocantur, quibus Beata Virgo maximè præfulſit. Iuxta mentem ergo Catholicæ Eccleſiæ erit, vt de vita actiua, & contemplatiua Beatæ Virginis differamus. Iſtæ enim fuerunt ei, velut illæ duæ Columbæ pennæ, quibus tãquam victrix ramum oliuæ deferens in Geneſ. 8. cœleſtẽ Hyeruſalem euolauit; vel vt duæ illæ manus, quæ Regium Salomonis templum exornabant: vel vt duæ illæ famulæ Reginæ Heſter, quibus innitebatur: Eſther. 15. vel vt duæ illæ virgæ Zachariæ, quarum Zach. 11. vnam, vocauit *decorem:* alteram, *funiculum.* Vel tandem, vt duo pondera, quibus regulatiſſimum Mariæ horologium mouebatur. Et quidem, vt à vitæ contemplatiuæ exercitio, cui Deipara, ab exteriori occupatione nihil præpedita, inceſſanter vacabat tractationem hãc auſpicemur, reuocate quæſo in memoriã ſen-

D. Greg. ſententiam illam Diui Gregorij libro 25. moral. cap. 13. aſſerentis: *Guncta Deus ſuæ naturæ potentia quietus operatur*, cui D. Aug. etiam conſonat illa alia Diui Auguſt. lib. 1. confeſſionum eap. 4. dicentis *Deus ſemper agens ſemper quietus*. Quibus verbis volunt Patres hi, Deum ſuæ contemplationis quiete perfruentem, externa hæc omnia adminiſtrare; atque adeo ſuo modo Deo competere rationem vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, in quo ſanè cœleſtes illos Spiritus video illum imitari. Nam, D. Thom. vt ait Diuus Thomas 2. 2. q. 81. art. 4. ad ſecundum, Angeli ſecundum quod intendunt adminiſtrationi inferioris creaturæ, habẽt aliquid de vita actiua. Vnde Iacob vidit eos aſcendentes, & deſcendentes, quod pertinet ad contemplationem, & D. Greg. actionem. Sèd ſicut dicit D. Gregorius 2. moral. cap. 2. non ſic à diuina viſione foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priuentur, & ideò in eis non diſtinguitur vita actiua, à contemplatiua. Ad eundem ergo modum, Deipara Virgo nō ſolùm Angelicæ, ſed & Diuinæ conditionis vera æmulatrix, eam vitę ſanctimoniã attigit, vt vitæ actiuæ operibus externis, inſtar Marthæ vacans, altiſſimæ contemplationis luce, & pace, necnon, & superſeraphico amoris incendio nunquam careret. Vnde D. Hieronymus, vel Sophronius, ſermone de aſſumptione ait: *Puto, quod quicquid cordis eſt, quicquid mentis, quicquid virtutis humanæ, ſi totam adhibeas, non ſufficiat, vt cogitare valeas quantò indeſinenter cremabatur ardore pij amoris, quantis mouebatur, repleta Spiritu ſancto, cœleſtium ſecretorũ incitamentis. Quia etſi diligebat Chriſtum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute; nouis tamen quotidie inflãmabatur præſentia abſens, deſideriorum affectibus. Tantò ſiquidem validius, quantò diuinis illuſtrabatur intus viſitationibus: quam totam repleuerat Spiritus ſancti gratia: quam totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil eſſet, mundanus quod violaret affectus, ſed ardor continuus, & ebrietas perfuſi amoris. Nam & Chriſtus ab omnibus eſt amandus ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus, maximè tamen ab ea ardentius, cuius & Dominus erat, & filius.* Confirmat hæc omnia Rupertus Abbas, qui libro quinto in Cantica in principio, explicans verba illa: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ait: Rupertus Cant. 5. *Quid hoc eſt aliud, niſi illud ipſum, quod alibi dicit habitatrix pectoris tui, ſapientia Dei: In omnibus requiem quæſiui?* Eccl. 6. *& quid hæc ſunt: Ego dormio, & In omnibus requiem quæſiui? niſi: optimam partem eligi relictis cunctis ſollicitudinibus, vel curis ſæculi? Et quidem multæ filiæ, ſiuè multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt; ſed tu dormitionis huius totum obtines magiſterium, & vigiliarum cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in Pſalmo loquitur ibidem dilectus dicens: Vacate, & videte,* Pſal. 45. *quoniam ego ſum Deus? Hoc namque idem eſt, ac ſi diceret: Vos dormite, & cor veſtrum vigilet. Intelligimus igitur quid dicas: ego dormio, & cor meum vigilat. Scilicet, quia talem nobis, vt ſequamur vitam tuam, eſſe inſinuas, qualis in Patre tuo Iacob, quaſi per vmbram ſignificata es: qui & ipſe quando dormiuit, tunc cor eius vigilauit: ſicut ſcriptum eſt: Cumque veniſſet* Geneſ. 28. *ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere, tulit de lapidibus, qui iacebant; & ſupponens capiti ſuo dormiuit in eodem loco; viditque in ſomnis ſcalam ſtãtem ſuper terram, & cacumen eius tangens Cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Et paucis interpoſitis, concludit dicens: *Sed ò tu Cœlum Dei, vnica ſedes Domini in vtroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus, ſiuè terrenis hominibus longè eminentior extitiſti: longè ſtudioſior ad contemplandum eum in quem deſiderant Angeli proſpicere, atque aptior fuiſti. Quid ergo tu cum hominibus, quamuis ſanctis? quid tu loqui, vel conuerſari cùm mortalibus, quamuis Apoſtolis? cur non potius, tanquam turtur caſtiſſima, turtur ſoliuaga ſolitudinem expendiſti remotior, quàm Ioannes Baptiſta: ſecretior, quàm Helias, vt ſoli te ſcirent, tibique famularentur Angeli ſancti: non ad horam, ſicut angelus Heliam ſemel, & iterum pauit; neque ad tempus, ſicut eundem Corui pauerunt miniſtri; ſed iugiter, donec tuis completis diebus ad transferendam te in Cœlum æthereum, non vnus tantùm carrus igneus, ſed totus cum Rege ſuo filio tuo veniret atque occurreret Angelorum exercitus.* hactenus Rupertus.

Porrò iam varia vitæ actiuæ exercitia, quibus Beata Virgo, contemplationem

Author. Pom. non interrumpens, vacabat, commemorare incipiamus, Perantiquus Author Pomerijs lib. 7. par. 1. art. 3. hæc, quæ ſequuntur, multorum Doctorum auctoritate conteſtata nobis reliquit: *Totam vitam* (inquit) *ſuam expendit in opere bono; vt enim de ea ſcribunt concorditer Epiphanius, Germanus, Ignatius, atque Hieronymus in epiſtola ad Cromatium, & Heluidium, hanc regulam Virgo Beata in tota ſua vita ſibi ſtatuerat, vt hora matutina quotidie ſurgeret, & vſque ad mane continuè, ac inceſſanter oraret. Ab aurora cogitabat de filio ſuo omnia myſteria, ſcilicet Conceptionis, Natiuitatis, Baptiſmi, Ieiunij, Paſſionis, Sepulturæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c. & gratias agebat Deo de tam pia liberatione humani Generis. Illuceſcente die vſque ad Tertiam, loca myſteriorum Chriſti propè Hyeruſalem exiſtentia, vel intrà, deuotione ſedula actu viſitabat. A tertia verò vſque ad horam nonam textrino operi ſe occupabat. Fertur Viennæ eſſe vnus cingulus, quem in propria domo dicitur texuiſſe; & qui eum viderunt, narrant, nunquam illo pulchriorem videri potuiſſe. Item à Nona ab oratione non recedebat, quoadusque illi Angelus appareret, & eſcam afferret, quam ſolebat de manu eius accipere cum gratiarum actione. Nec mirum hoc, quoniã ſi filios Iſrael Deus pauit manna quadraginta annis in deſerto Angelicis manibus præparato, & Heliam aſcendentem in montem Horeb; quanto magis illud credendum eſt de Virgine matre? Eſca igitur quam Virgo de manu Angeli accipiebat, ipſa reficiebatur; quæ verò à Pontificibus accipiebat, pauperibus erogabat. Sed & quicquid labore manuum acquirebat, pauperibus diſtribuebat Sedulius quoque dicit, quòd iuxtà lectuli eius caput erat vna ſedes, vbi libri ſancti ſtabant, quibus ſomnum interrumpens ſæpe ſæpius legebat. Erat ibidem & oratorium, vbi iugiter orationi, & contemplationi inſiſtebat. Vnde patet, quia nullum fuit tempus, nulla hora, quin viriliter in Dei ſeruitio, & merito acquirendo non foret occupata.* Quòd autem hic Author narrat de ſacris locis à Beata Virgine religioſè viſitatis, confirmant Vincentius, Antoninus, & Dionyſius, Abbas Guaricus, & Ildefonſus relati à Caniſio lib. 5. de Deipara cap. 1. Hi enim Doctores affirmant, quòd B. Virgo Caluariæ rupem,

Vincent. Anton. Dionyſ. Guaricus. Ildefon. Caniſ.

vbi crucifixus eſt Dominus, aſcendebat, vt locum impleret lacrymis, in quo Chriſti ſanguis peccata diluens, de Cruce diſtillauerat; tum ad ſpeluncam Saluatoris ingreſſa, ſepulchrum eius venerabatur, ſimulque reſurgentis filij gloriam adorabat. Cùm porro ad montem Olìueti ventum eſſet, vnde Chriſtus in Cœlum aſcendit, impreſſa pedum eius veſtigia deoſculabatur. Arridebat illi Bethleem, quam ſui puerperij teſtem gaudebat aſpicere, vbi auguſtiſſimum illum partum pannis inuoluerat, & præſepi impoſuerat, & Paſtoribus oſtenderat, ac à Magis viderat adorari. Placebat Nazareth ciuitatula, flos (vt ſic dicam) Galilææ: prima, & diuturnior Sedes Emmanuelis, qui non ſolũ illic conceptus, ſed etiam nutritus, iucundiſſimam ſui memoriam matri refricabat. Tum ad Iordanis fluenta perueniens, cum voluptate ſecum animo reputabat, quid egiſſet Ioannes: quomodo, & vbi baptizaſſet filium: quæ vox cœlitus audita filium Orbis Doctorem creaſſet, omnibuſq; publicè commendaſſet. Atque ob hoc ipſum in valle Ioſaphat (vt putant) commorata eſt, ne à ſanctis locis longè recederet; ſed ſæpius eadem inuiſeret, quæ Chriſtus ſua præſentia, totque myſterijs, atque miraculis conſecraſſet. Atque huc, velut alludens Hieronymus, vt Marcellam ad loca Palæſtinæ ſacra inuiſenda, id eſt, ad Mariam inuiſendam inuitet, hac vtitur oratione: *Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Saluatoris intrare: in ſepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre, crucis deinde lambere lignum, & in Olìueti monte cum aſcendente Domino, voto, & animo ſubleuare?* Sed clarius Sopronius ſermone de Aſſumptione dum ait: *Beata Virgo Maria, quamuis iam in ſpiritu eſſet, tamen dum in carne vixit, mouebatur ſenſibus; & ideo quamſepe locorum recreabatur viſitationibus: & quem genuerat, mentis complectebatur amplexibus.* Ad hæc cùm Dominus aſcendit in Cœlum, permulta tàm doctrinæ, quàm conſolationis verbo, & opere Catholicæ Eccleſiæ impendit beneficia. Etenim Dominus matrem, & magiſtram, ipſo diſcedente reliquit ſuperſtitem, cuius dulcis præſentia omnibus in mœrore ſolatium, in doctrina lumen, in certamine robur, in illis primordijs præſidium ſingulare præſtaret.

D. Hieron.

Sophron.

Mul-

Multis autem modis expediebat, ac illius temporis Eccleſia tenera poſtulabat; talẽ columnam nõ ſtatim ſuo moueri loco, ſed potius annos aliquot ad totius myſticæ domus fulcimentum, atque ſtabilimentũ immotã perſiſtere, vt ita Spiritus ſanctus multa, & præclara per hoc ſuum lectiſſimum organum in multis ægris ac ſanis illius recens nati corporis membris potenter operaretur. Nec dubium ſanè, quin fida, & generoſa mater de pleriſque filijs optimè ſit merita, vt laudem nõn minorẽ ſanè atque illa Romana eiuſdem nominis mulier promereatur, de qua Paulus id ſcriptum reliquit: *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis*. Et verè multum fidelibus Deipara laborauit in primordijs illis Eccleſiæ Catholicæ. Facta enim, tanquam oliua fructifera in domo Domini, ei velut communis mater nouæ ſanctæque familiæ, vt omnes lucrifaceret, omnibus ſeſe accommodauit: aliquando verbis, & ſcriptis, nonnunquam per Apoſtolos, ſæpè ſida precatione ſuam erga proximum charitatem oſtendit, labentes erexit, ſtantes confirmauit, humi iacentes ſubſtulit, contritos curauit, torpentes animauit, ægrotis opem tulit, velut & ipſa diceret. Quotidie morior propter gloriam veſtram fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu, *nõ quæro quod mihi vtile eſt, ſed quod multis vt ſalui fiant*. Vnde ſancta Brigita in libris ſuarum reuelationum non ſemel affirmat, quòd B. Virgo magiſtra fuerit Apoſtolorum, confortatrix martyrum, doctrix confeſſorum, clariſſimũ ſpeculum Virginum, conſolatrix Viduarum, in coniugio viuentium ſaluberrima monitrix, atque omniũ in fide catholica perfectiſſima roboratrix: cuius demum verbis, exemplis, ſtudijs, ac operibus honeſtiſſimis effectum ſit, vt innumerabiles Iudæi, ac Ethnici ad Chriſti fidem conuerterentur. Hinc notat Emyſſænus in Euangelio de feſto Aſſumptionis, Mariam, vt ſapientiſſimam matrem, omnia verba in corde ſuo contuliſſe, nobiſque conſeruaſſe, & memoriæ commendaſſe; vt tandem ipſa docente, narrante, atque nunciante ſcriberentur, & vniuerſo mundo prædicarentur, cunctiſque Nationibus communicarentur. Moxque ſubiungit. *Ab ipſa enim hæc Apoſtoli audierunt, & ipſa dictante ſcripſerunt, nobiſq; legenda mandauerunt*. Quis igitur Euangelijs non credat? quis eis contradicere præſumat, quæ aut matris, aut filij auctoritate nunciantur? Quædam enim Apoſtoli, & Euangeliſtæ à matre Domini audierunt, quemadmodum iſta, & cætera, quæ de Saluatoris noſtri infantia ſcripta ſunt: plurima verò viſu, & auditu à Chriſto Domino didicerãt: cui rei maiorem fidem facit, quod eruditè Rupertus admonet: duplex tempus docendi, & loquendi, videlicet à Maria obſeruatum, atque à nobis etiam in illa ſpectandum eſſe. *Quandiu* (inquit) *filius hominis manere debuit minoratus paulò minus ab Angelis, ferè tandiu fuit Beatæ Virgini tempus tacendi: & tandiù tacuit, tandiu in ſilentio fuit, velut hortus concluſus. Vbi autem gloria, & honore coronatus eſt filius hominis, reſurgendo, & in Cœlos aſcendendo, vbi ſedet ad dexteram Patris: tunc eidem Beatæ Virgini tempus fuit loquendi, & hoc amicis, ideſt ſanctis Apoſtolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuiſſent. Vbi venit Spiritus Veritatis, primus quidem, & Princeps ipſe, illos omnem veritatem docuit; ſed & ipſa Beata Virgo teſtimonium ſuæ vocis adhibuit, & taliter locuta eſt auribus fidelibus, vt proinde rectè dicat: dilectus eius ſauus diſtillans, labia tua, mel, & lac ſub lingua tua*. Cæterum non ſolum viua voce, ſed ſcriptis etiam ſuis Deipara multum fidelibus profuit. Extant enim variæ Epiſtolæ ab ea ſcriptę, tùm ad Epiſcopum Antiochænum, tum ad Vrbem Meſſanenſem, tum etiam ad Florentinam, quas mox apponam. Quoniam verò duæ illæ ab Ignatio Ioanni ſcriptæ Beatiſſimam Virginem valde commendant, non erit ab re huc eas transferre. Sic enim habet prior.

Rom. 16. | 1.Cor. 10. | S.Brigita. | Emyſſ. | Rupertus.

Epiſtola ſancti Ignatij martyris ad Deiparam.

Chriſtiferæ Mariæ ſuus Ignatius.

ME Neophytum Ioannis tui diſcipulũ confortare, & conſolari debueras: de Ieſu autem tuo percepi innumera dictu, & ſtupefactus ſum ex auditu; & à te autem, quæ ſemper ei fuiſti familiaris, coniuncta, & ſecretorum eius conſcia deſidero animo fieri certior de auditis. Scripſi tibi aliàs, & rogaui de eiſdem. Valeas, & Neophiti, qui

qui mecum ſunt, ex te, & per te, & in te confortentur. Amen.

Epiſtola Deiparæ reſpondens Ignatio.

Ignatio Ioannis diſcipulo, humilis Ancilla Chriſti Ieſu.

De Ieſu, quæ à Ioanne audiſti, & didiciſti, vera ſunt: illa credas, & illis inhæreas, & chriſtianitatis votum firmiter teneas, & mores, & vitam facto cõformes. Veniam autem vnà cum Ioanne te, & qui tecum ſunt viſura. Sta & in fide viriliter, nec te commoueat perſecutionis auſteritas, ſed valeat, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo. Amen.

Extant & aliæ duæ Epiſtolæ B. Virginis, quas Meſſanenſes, Florentinique ſe accepiſſe gloriantur à Deipara miſſas. Eſt autem ad Florentiam ſcripta, quam pro concione eſt interpretatus Hieronymus Ferrarienſis in eadem Vrbe die 25. Octobris, anno Domini. 1495. exemplar huiuſmodi eſt. *Hier. Ferrar.*

Florentia Deo, ac Domino Ieſu Chriſto filio meo, & mihi dilecta tene fidem, inſta orationibus, roborare patientia; his enim ſempiternam ſalutem apud Deum, & apud homines gloriam conſequeris.

Alteram verò Epiſtolam ad Meſſanenſes occaſio ſcribendi hæc fuit: vt tradunt Mutius libro primo cap. 13. & Laurentius Maſelli libro de B. Virgine cap. 18. dum Paulus Romam proficiſcens, eſſet Rhegij: rogatus à Meſſanenſibus, duas habuit cõciones, vnã de Incarnatione Verbi, & de Mariæ Virginitate alteram adhuc viuentis; qua excitati, duos miſerunt nuncios Hieroſolymam, protectionem illius depoſcentes, per quos illa miſit vnam Epiſtolam Hebraicè ſcriptam manu ſua, quam Paulus Græcè conuertit, & in Latinum hiſce temporibus Conſtantinus Laſcar. ſic autem habet. *Mutius / Laur. Maſſ.*

Rubrica *Maria Virgo Ioachim filia Dei humillima Chriſti Ieſu Mater, ex Tribu Iuda, ſtirpe Dauid, Meſſanenſibus omnibus ſalutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem, &c.*

Vos omnes fide magna Legatos, ac nuncios per publicum documentum ad nos miſiſſe conſtat. Filium noſtrum Dei genitum, Deum, & hominem eſſe fatemini, & in Cælum poſt ſuam reſurrectionem aſcendiſſe; Pauli Apoſtoli electi prædicatione mediãte, viam veritatis cognoſcentes, ob quod vos, & ipſam Ciuitatem benedicimus, cuius perpetuam protectionem nos eſſe volumus. Anno filij noſtri 42. indictione prima, tertio nonas Iunij: luna 27. Feria quinta ex Hieroſolymis.

Maria Virgo confirmat quæ ſcripta ſunt propria manu.

Scio Cardinalem Baronium tomo primo Annalium anno Chriſti 48. has Epiſtolas his verbis impetere. *Fertur eiuſdem Dei Genitricis Epiſtola ad Ignatium reddita, eiuſdemque Ignatij vna ad ipſam ſcripta, duæ verò ad Ioannem Euangeliſtam de eadem ipſa loquentes. Sed Hieronymus, & alij antiquiores, qui eiuſdem Ignatij recenſuerunt epiſtolas, eas non nouerunt. Traduntur & aliæ ab ipſa ad alias ſcriptæ ciuitates: quas cunctas, cum careant Eccleſiæ authoritate, nonniſi in apocryphorum claſſem reijciendas eſſe, omnes facilè iudicabunt.* Ego verò non video, cur his Epiſtolis humana fides adhiberi non debeat. Vt enim à recentioribus exordiar, illas acceptant doctiſſimus Caniſius libro de Deipara cap. primo, & inſignis concionator Hieronymus Ferrarienſis, qui illam, quæ ad Florenrinos ſpectat pro concione explicauit 25. die Octobris. anni 1495. Accedit, quòd cùm antiquiſſima, & immemorabilis ſit vtriuſque huius celebris Vrbis traditio, quòd Beata Virgo eas per Epiſtolas ſalutarit; non videtur veriſimile, rem eſſe confictam. Quòd verò attinet ad Epiſtolam Ignatio ſcriptam à Beata Virgine, multorum eſt grauiſſimorum Doctorum auctoritas cum Cardinalis Baronij ſenten tia pugnans, qui abſque vlla hæſitatione illam recipiunt. Hi ſunt Marcus Michael Carnotẽſis libro de Viris Illuſtribus, Dionyſius Carthuſ. in Commentarijs, Dionyſij de diuinis nominibus, Tritemius de viris Illuſtribus, Laurentius Maſelli lib. 6. de Beata Virgine cap. 18. necnon Marianus Victorinus, Symphorinus, Clamperius, & Richelius, quos refert, & ſequitur Caniſius lib. quinto de Deipara cap. 18. & quod his omnibus amplius meritò cenſeri debet, D. Bernard. ſermone 7. in Pſal. 90. illam probat in hæc verba: *Magnus ille*

Baron. / Caniſ. / Hiero. Ferrar. / Carnoten. Carthuſ. / Tritem. Laur. Maſſ. Victorinus Symphor. Clamper. Richel. D. Bern.

Digitized by Google

ille Ignatius diſcipuli, quem diligebat Ieſus auditor, martyr noſter, cuius precioſis reliquijs noſtra ditata eſt paupertas, Mariam in pluribus, quas ad eam ſcripſit, Epiſtulis, chriſtiferam conſalutat. Egregius palam titulus dignitatis, commendatio honoris immenſi. Vt quid ergo propter ſolum ſilentium D. Hieronymi refutabo, quæ D. Bernardi, & tantorum auctoritate ſunt conſignata, cùm & illius ſilentij alia potuerit eſſe ratio?

D. Hier.
D. Bernar.

Venio iam ad ſedulam curam, quam in audiẽdo verbum diuinum adhibuit. Nunquam enim ferè à filio diſcedebat, propter quod Diuus Epiphanius hæreſi 78. vocat eam Perpetuam Ieſu ſectatricem, & beatus Guaricus Abbas Diui Bernardi diſcipulus ſermone quarto de aſſumptione inquit: *Sed & cùm euangelizaret, eius, cùm iret Ieſus per Ciuitates, & Caſtella, Maria comes indiuidua, veſtigijs eius adhærebat, pendebatq; ex ore docentis; adeo vt nec procella perſecutionis, nec horrore ſupplicij à conſociatu filij, & magiſtri potuerit absterreri.* Quibus conſonant verba D. Auguſtini ſermone de Aſſumptione dicentis: *Quæ hunc in vtero geſſit, & omnem infantiam eius matris affectu ita proſecuta eſt, & vſque ad Crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendentem ab eius indubitanter miniſterio non receſſerit, conſecuta non ſolùm greſſibus pedum tanquam pro amore filij, verùm etiam imitatione morum, tanquam pro reuerentia Dei. Maria ergo miniſtra Chriſti, ſpiritualium operum qualitatibus ſicut deuotiſſima extitit, ita abſque dubio Religionis, & veræ charitatis ſecutrix fuit.* Porrò, quia omnia heroica opera vitæ actiuæ, quæ Beata Virgo exercuit, proſequi eſt impoſſibile, verba Diui Ignatij martyris, & Epiſtolam ad Ioannem Euangeliſtam, quæ paucis multa ex illis continent, dictis adnectam: *Notificauere* (inquit) *eandem matrem Dei omnium gratiarum eſſe abundantem, & omnium virtutum, more Virginis, virtutis, & gratiæ fœcundam: quæ vt dicunt in perſecutionibus, & afflictionibus eſt hilaris, in penurijs, & indulgentijs non querula: iniuriantibus grata, & modeſta: in re læta miſeris, & afflictis condolet coafflicta, & ſubuenire non pigreſcit. Contra vitiorum autem peſtiferos conflictus in pugna fidei diſceptans enitescit: noſtræ nouæ Religionis, & pœnitentiæ eſt magiſtra, & apud fideles omnium operum pietatis miniſtra: humilibus quidem eſt deuota, & deuotis deuotius humiliatur, & mirum in modum ab omnibus magnificatur, cùm à Scribis, & Phariſeis detrahatur. Præterea multa referũt, & de eadem omnibus per omnia non audemus fidem concedere, nec tibi referre; ſed ſicut nobis à fide dignis narratur in Maria matre Ieſu, humanæ naturæ, natura ſanctitatis Angelicæ ſociatur, & hæc talia excitauerunt viſcera noſtra, & cogunt valde deſiderare aſpectum huius (ſi fas ſit fari) celeris prodigij, & ſacratiſſimi ſpectaculi. Tu autem diligenti modo diſponas ſuper deſiderio noſtro.* hactenus Diuus Ignatius.

D. Epiph.
Guaricus
D. Bernar.
D. Aug.
D. Ignat.

Atque hinc eſt, quòd ſponſus Canticorum 4. captus amore Virginis, ob præclara eius opera tam vitæ actiuæ, quàm contemplatiuæ, omnia eius membra ſigillatim commendat, præcipuè verò ſeptem: oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera, quia ſeptem ſunt dona Spiritus ſancti, & ſeptem virtutes Cardinales, quæ cœleſtem quendam ſplendorẽ Virgini contulerunt. Deinde quia per oculos Columbarum, mentis ſimplicitas deſignatur: Matth. 10. *Eſtote ſimplices, ſicut columbæ. Capilli tui ſicut greges Caprarum,* ideſt cogitationum celſitudo, & munditia perſimiles gregibus Caprarum, quæ ſemper cacumina montium ſcandunt; aſcendunt verò de monte Galaad, ideſt abiectionis, ex humili enim ſui cognitione ad cor altum, & ad excelſam Dei optimi cognitionem virgo ſemper aſcendebat, & pennis illius columbæ, quas deſiderabat Dauid, prædita, in ſublime frequenter volitabat. *Dentes tui, ſicut greges tonſorum, quæ aſcendunt de lauacro; ideſt,* dentes cãdidi, mundi, & æquales, per quos ſignificatur innocentia vitæ. Dentes nanque ouiũ non alios mordent, cibũ tantùm mãdunt, & diuidunt; quo ſignificatur fidei diſcretio. Habuit dentes fortiſſimos fortitudinis & patientiæ laborũ, & ad ſcindendum cibum doctrinæ, & exempli Proximis. *Omnes gemellis fœtibus,* quia luſti non tantùm præcepta, ſed conſilia quoque amplectuntur, inter quos Virgo ſanctiſſima excelluit, ſicut Sol excellit ſydera, ſic ipſius Innocentia omnem ſanctorum innocentiam ſuperauit. *Sicut vitta coccinea, labia tua, & eloquium tuum dulce.* Color purpureus labio-

Cant.
Matt. 10.
Cant. 4.
Vi gil.

labiorum pulchritudinem auget. Vnde Virgilius ſuæ Veneri labia roſea tribuit. Labia Virginis, chariratem Dei, & Proximorum ædificationem ſuaui, dulciſſimoque eloquio iugirer perſonabant. *Sicut fragmen mali punici, genæ tuæ.* Cant. 4. Rubeus color genas exornat, maximè cùm è pudore procedit: pudor ſiquidem, & modeſtia ſacraræ Virginis, documentũ eſt Virgini, & ædificatio totius Eccleſiæ. Sicut autem ſub cortice, & fragmine mali granati, plurimi latent, & pulcherrimi granorum ordines; ſic ſub vexillis virginei pudoris, plurimi Cœtus Virginum ſacrarum militant, Eccleſiamque Chriſti exornant. *Sicut Turris David, collum tuum.* In collo Cant. 4. obedientia, & humilitas denotatur, quæ turri Dauid, ideſt Eccleſiæ miram confert fortitudinem. Ex quo enim humilis Virgo diuino nuncio obediens collumque ſubmittens, dixit: Luc. 1. *Ecce Ancilla Domini:* infirmitas antiquæ Eccleſiæ in cœleſtis turris fortitudinem commutata eſt, iam ſanguinem, & vitam pro Chriſti nomine fundere non dubitans. Cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia II.

Quàm apte conueniant in Beatam Virginem verba illa hodierni Euangelij: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, *pulchrè diſſeritur.*

Luc. 10. AVdeo dicere, verba hæc: *Maria optimam partem elegit*, ita Virgini apta, & conſentanea eſſe, vt nemini melius, quàm ei quadrare poſſint; etiamſi comparatio fiat, vel ad Creatorem, vel ad creaturas. Erenim ſi ſermo ſit de Deo in ſeipſo, ſatis conſtat, illum non elegiſſe ſanctitatem, & beatitudinem ſuam, cùm hæc ſint bona illi intrinſeca, & eſſentialia; quæ autem ſunt huiuſmodi, non cadunt ſub electione. Deinde ipſe non habet ſanctitatis, & beatitudinis partem, ſed totum non igitur ei conuenit, *optimam partem elegit.* Si autem loquamur de Deo, vt homo factus eſt, nec hoc modo elegit humana eius voluntas gratiam, & gloriam eſſentialem, qua fruebatur, D. Thom. quia vt docent D. Thom. 3. p. q. 19. ar. 2. in corpore, D. Bonauen. & Diuus Bonauentura cum Mag. ſenten. Magiſtro ſententiarum in tertio d. 13. ar. 2. q. 1. neutrum iſtorum Chriſtus Dominus habuit per meritum, ſed tanquã quid conſequens velut naturali ſequela, ad gratiam vnionis hypoſtatlue. Ac tandem, ſi comparatio ad homines, & Angelos conuertatur, certè gratia tam his, quàm illis gratis collata, & augmentum illius, quod in via meruerunt, necnon & gloria eorum meritis in patria correſpondens minimè D. Thom. fuit optima pars gratiæ, & gloriæ; cùm ea, quam Beata Virgo meruit, vnanimi omnium conſenſu, longè illam tranſcendat. Nemini igitur conuenientius, quàm Virgini aptari poſſunt propoſita verba, cùm verè ipſa per propriam electionem meruerit gloriam, & portio illa gloriæ, quam meruit, fuerit omnium optima, quæ puræ creaturæ communicantur.

Verùm, vt latius id diſcutiamus, reuocate quæſo in memoriam, ſacram illam Exodi hiſtoriam cap. 35. Exod. 35. Cùm enim ad Tabernaculum ſtruendum, in quo Dominus habitare decreuerat, Moyſes neceſſarios ſumptus pararet, vnuſquiſque ex filij Iſrael optimũ quidque, quod poterat, alacri animo obtulit. Filij Iſrael obtulerunt mente promptiſſima, & deuota primitias Domino ad opus tabernaculi. Princeps, aurum optimum, argentumue puriſſimum: nobiliores purpuram, coccumq; bis tinctum, & hyacinthum: diuites feminæ armillas, inaures, annulos, & dextralia: reliqui non tàm opulenti, vermiculum ac byſſum: populares omnes ligna neceſſaria ad opus. Tandem pauperiores mulieres, ſericum, & fila ad conſuendas atrij cortinas, & Tabernaculi operimenta. Ex his omnibus Moyſes, eiuſque conſilij ſeniores optima quæque ſelegerunt, ac reuelante Deo, & ſcientia infuſa edocti, tabernaculum conſtruere cœperunt. Quod (vt docent Amphylochius, & Gregorius Niſ- Amphyloch. ſenus) Beatiſſimæ Virginis figura extitit Greg. Niſ. inter omnes puras creaturas electa; ad quã

perfi-

perficiendam, creaturarũ omnium vniuer-
ſæ perfectiones, diuitię, præſtantiæ conflu-
xere; ex quibus omnibus perfectiſſima
quæque, & præſtantiſſima elegit, vt &
Eccl. 24. ipſamet teſtatur Eccleſiaſt. 24. *In me om-
nis gratia viæ, & veritatis: in me omnis
ſpes vitæ, & virtutis*. Ecce ait, ſe poſſide-
re virtutes vniuerſas abſque vitijs, defe-
ctibus, & imperfectionibus, quas infra
enucleatim enumerat, arborum ſimilitu-
dine: Cedri proceritatem, cupreſſi ſubli-
mitatem in Syon, palmæ gloriam in Ca-
des, oliuæ fructũ in Campis, platani amœ-
nitatem iuxta riuos aquarum, quercus ro-
bur in Baſan. Sub quarum certè arborum
tropis, virtutes ſuas in ipſis ſignificatas
oſtendit. In Cedri proceritate, contempla-
tionem: in Cupreſſi ſublimitate, vitæ puri-
tatem: in oliuæ fructu, maternitatem: in
platano humilitatem, in quercu fortitudi-
nem. Elegit etiam ex herbis vniuerſis op-
timam partem: lilij candorem, balſami fra
grantiam, thuris euaporationem, in colli-
bus ſabæis incorruptionem myrrhæ ara-
bicæ, roſarum pulchritudinem in Ierico.
Elegit optimam partem in animalibus, for
titudinem Leænæ, ouis manſuetudinem,
formicæ prudẽtiam, velocitatem Cerui ſu
per montes Bethel. Elegit optimam par-
tem ex mineralibus, aurum, argentũ, vnio
nes, gemmas precioſiſſimas, necnon etiam
Eccl. 1. ex mari, nam ſicut *omnia flumina intrant
in mare, & mare non redundat*, ita flumina
omnia gratiarum, quæ per omnes creatu-
ras ſunt diſperſa, intrant in Mariam, quæ
mare interpretatur; nec propterea elata
intumeſcit, quia inſtat maris, nõ redundat
ex aquis. Ad tertium aeris elementũ con-
ſcendens attendite, qua ratione ex aui-
bus vniuerſis optimam partẽ elegit: ſimpli
citatem columbæ, caſtitatẽ turturis, amo-
rem, & prudentiã gallinæ pullos tutantis.
Sed his non contenta altiora euolans ad
ignis vſque ſphœram pertingit; ac diuini
amoris igne accenſa, concupiſcentiæ flam
Apoc. 12. mas ſemper neſciuit. Altiora adhuc petit,
nam ex Cœlo Lunã ſumit, qua calceetur:
ſydera, quibus coronetur: Solem, quo in-
duatur: Cœlum empyreum, in quo princi-
patus ſui ſolium conſtituat, & tridenarijs
depicta coloribus illud circumdet. *Iris
Apoc. 4. erat in circuitu ſedis*. Iam ex creaturis
corporalibus ad ſpirituales tranſcendit,
atque ex ipſis, ſuæ familiæ miniſtros ele-
git. Angelos, vt ſeruiant: Archangelos,
vt nuncient: Principatus, vt defendant:
Poteſtates, vt comitentur. Virtutes, vt
ſuis electis patrocinentur: Dominatio-
nes, vt domum ſuam gubernent: Thronos
in quibus ſedeat: Cherubinos, vt continuò
ſibi adſtent: Seraphinos, vt Camerarios à
ſecretis. Vnde ipſa de ſe hęc teſtatur: *Gyrũ* Eccli. 24.
*Cœli circuiui ſola, & profundum abyſſi pe-
traui: in fluctibus maris ambulaui, & in om
ni terra ſteti: & in omni populo, & in omni
gente primatum habui: & omnium excellen
tium, & humilium corda virtute calcaui: &
in his omnibus requiem quæſiui, & in here-
ditate Domini morabor. Tunc præcepit, &
dixit mihi Creator omnium: & qui creauit
me, requieuit in tabernaculo meo*. Apprimè
verba hæc diuinæ ſapientiæ Beatiſſ. Virgi-
ni conueniunt. Diligenter (ait Virgo) Ter-
rarum orbem luſtraui: aquarum aeris glo-
bum cuircuiui, & in his omnibus requiem
quæſiui, eamq; in Deo meo inueni. Rectè
igitur de Beatiſſ. Virgine dicemus: *optimã
partem elegit*. Verùm cùm ipſa ex omnibus
optimum quodque eligit, nos (proh dolor)
ex creaturis omnibus peſſima quæque ſe-
ligimus, grauiter Deum offendentes, & de
vitio in vitiũ progrediẽtes. Ex cœlis quod
peius eſt eligimus: ex Saturno odiũ, irã, &
inuidiam: ex Ioue ambitionem, & iactan-
tiam: ex Marte, vindictã: ex Sole concupi-
ſcentię ardorẽ: ex Venere carnis turpitudi
nes: ex Mercurio, dolos, & fraudes: ex Lu-
na, decrementa virtutũ, incrementa vitio-
rum. Itaque ſicut Virgo ſublimia ſemper
petebat, ſic nos ad infima quæque deſcen-
dimus. Peccatores certè ex cœlis, ad ignis
regionẽ labuntur, ibiq; prauo igne incale-
ſcunt. *Anima calida, quaſi ignis ardens non
extinguetur, donec aliquid glutiat*. inde Eccleſ. 23.
in aerem deſcendunt, & vanitate inflati
contra Deum, ſuperbè eriguntur. *Cor ſuũ* Ier. 51.
*leuauerunt contra Deum, tanquam ventum
peſtilentem*. Ier. 51. deſcendunt vlterius ad
aquas vſque, & inſtar aquæ per ſua faci-
nora effunduntur: *effuſus es, ſicut aqua:* Gen. 49.
non creſcas. Atque hinc, veluti in cœnum
conuertuntur, & cor ad inſtar lapidis, ob-
durant: ſicque in omnibus his peſſima
quæque eligunt. Ex auibus rapacibus, fur-
ta, & rapinas: ex Pſittacis loquacitatem,
& murmurationem ex piſcibus, poten-
tiores infirmiores deglutire: ex terreſtri-
bus animantibus gulam, & ebrietatem,

Digitized by Google

ingratitudinem, crudelitatem, & carnalem viuendi modum decerpunt. Quid plura? ad infernum vſque delabuntur, atque ex damnatis, cordis obſtinationem eligũt contra Deum, ſingulari quadã antipatia in omnibus, & per omnia Virgini ſe opponentes; cùm illa ex Creaturis vniuerſis ſcalam ſibi conſecerit, qua ad Deũ aſcenderet; hi autem ex eiſdem præcipitiũ ſibi parent, quo à Deo recedant. Beatiſſima quidem Virgo ex omnibus optima eligit: ipſi autem omnium peſſima. Virgo quaſi apis, dulcia ſugit: ipſi veluti immũda animalia, ſordiora carpunt. Virgo tabernaculum ad Deum recipiendũ varijs decorat virtutum ornamentis: ipſi verò multis peccatorum ſordibus, animæ, & corporis ſui tabernaculum contaminant. Beatiſſ. Virgo inſtar cœleſtis Hieruſalẽ, Deo præparat habitaculũ: ipſi velut Babylonia, immundiſſimorũ ſpirituum facti ſunt domiciliũ; atque hinc eſt, aptè in Virgine conuenire illud Sap. 8. *Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit illam, doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius.* Quæ verba de B. Virgine dicta exiſtimarũt S. Maximus Epiſcopus Tyri, & S. Iuuenalis Epiſcop. Hieroſolymitanus ſerm. de Virg. aſſumpt. & meritò cùm reuera electrix fuerit operum Dei Beatiſſima Virgo, optima quæque ex omnibus ſibi eligens, vt dignum Dei habitaculum fieret. Non ergo malè quadrat Virgini quod Lucas ait: *optimam partem elegit.*

Sap. 8.

S. Maximus. S. Iuuenalis.

Sed vlterius aduerte, ſacram Scripturã commemorare de tabernaculo illo, quod ſuperius propoſuimus, ſuper alas Cherubim propitiatorium extitiſſe ex auro puriſſimo, quod vt Clemẽs Alexan. 2. pedag. & S. Baſil. ſermo de natiu. adnotarunt, ſignificat Dei noſtri diuinitatem; vt hoc innoteſcat nobis, B. Virginem ſupra Cherubinos excelſiores conſcendiſſe, & ſupra vniuerſa creata eleuatam, vt inde puriſſimum virtutum aurum ex ipſa diuinæ naturæ aurifodina deſumeret. In Euangelio lego: *Martha Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima.* Lego etiam: *Porrò vnum eſt neceſſarium.* Beata autem Virgo ex his duobus, relicta turbatione Marthæ, illud vnum neceſſarium elegit: quod quia infinitum eſt, omne bonum tranſcendit. Noluit erga plurima turbari, vt Martha; ſed ad vnum tantùm aſſequendum ſe applicuit, in quo vniuerſarum Creaturarum bona continentur. Notant plerique cum Nazianzeno oratione tertia Theolog. in hoc præcipuè præſtare Deum creaturis ſuis, longiſſimoq; interuallo eas præcellere, quòd virtutum multarum pluralitatem in vnius eſſentiæ ſimplicitate vnit, variaque attributa infinita, vnica, atque indiuiſa perfectione continet. Miſericordia, Iuſtitia, Potentia, Sapientia, diuiſæ quidem ſunt ab inuicem in creaturis; at in Creatore vnum quid ſimpliciſſimum ſunt: non vnionis vinculo copulata, ſed vnitate eſſendi indiuiſa: quod ex eo reuera oritur, quia vnumquodque Dei attributum puriſſimus actus eſt, & infinitè perfectus, & ideò ab alio reipſa ſecerni non poteſt. Vnde quod in Deo Iuſtitia eſt, idipſum eſt Miſericordia, idipſum eſt Sapientia, & Potentia, vt SS. Auguſtinus, & Hylarius ſæpiſſimè libris de Trinitate tradiderũt, docentes, non ita humiliter nobis de Deo ſentiendum eſſe, vt credamus eius iuſtitiam ab eiuſdem miſericordia, vt in nobis, differre; ſed vnicam eſſe, & indiuiſam perfectionem, cuius veritatis, modus ipſe operandi, Dei nõ leue argumentum mihi eſſe perhibetur. Ita enim exuberanter aliquando miſericordiam ſuam impertire dignatur, vt totus Miſericordia eſſe videatur: quandoq; ita excãdeſcit aduerſus peccatores, vt totum, Iuſtitiam dixeris: quandoque tandem ita magnalia, ac portentoſa operatur, vt totus Potentia meritò iudicetur: id quod vt clarius innoteſcat, materiali exemplo id dilucidare placet. Perſpectiua arte docemur, Imagines quaſdam tali artificio efformari, vt modo agrũ varijs depictum floribus, modò montem ſylueſtrem, modò pulchram Virginem, modò teterrimum ſerpentem præſeferant, & hinc horrendum, inde placidum vultum intuentibus repræſentent. Quòd ſi humana induſtria effecit, vt vnum idemque ſimulacrum tot, tamque varios vultus in ſe contineat; cur id diuinæ eſſentiæ negabimus? vt eadem Dei ſubſtantia, tota ſit Iuſtitia, tota Miſericordia, tota Sapientia, & Omnipotentia? Cùm autem Beatiſſima Virgo (vt explicat Andreas Cretenſis) ſit ſpeculum ſine macula iure optimo diuinæ eſſentiæ naturã repræſẽtare in ſe poterit, vt modò agrũ floribus viren-

Clem. Alex.

S. Baſil.

Luca 10.

Ibidem

D. Greg. Naz.

D. Aug. D. Hilar.

Andr. Cret. orat. de Deip.

Digitized by Google

virentem noſtris mentibus obijciat: modò ita doloribus angatur, vt mare lachrymarum nobis videatur: modò in operatione ſit tam ſedula, vt Martha iudicetur: modò in contemplatione tam vehemens, vt tota ſit Maria. Tantis circumdata regalibus inſignijs, vt videatur Regina: tam humilis, vt ancilla: tàm pura, vt purum ſpiritum diceres: tàm ſollicita ad ſubueniendum miſeris, vt tota humana: tam in Deo abſorpta, vt tota diuina eſſe videatur.

Vt tamen omnem planè dubitationem de tāto artificio repelleremus, ſacræ iſtius Philoſophiæ veſtigia quædam Deus in precioſo lapide, qui Opalus dicitur indidit, qui in ripa fluminis Indici gignitur. Agit de illo Plinius lib.37.cap.6. vbi ait: *Opalus gemma eſt, in qua carbunculi tenuior ignis: Ametiſti fulgens purpura: Smaragdi virens mare, cum natiuo lactis candore incredibili mixtura tralucēt.* Incredibile certè naturæ miraculum lapis iſte, qui quatuor vultus præſefert, & in omnes ſe transformare videtur. Modò namque inſtar tenuis ſtellæ fulget ſplendore: modò inſtar lactis miro candore albeſcit: nunc Carbunculum purpura delibutum: nunc Smaragdum virore relucentem diceres: mirum eſt ſanè diuinæ eſſentiæ hyeroglyficum. Intuetur Moyſes Deum, ſibique totus, zelus eſſe videtur. *Deus noſter, ignis conſumens eſt.* Deut.4. Intuetur eū Oſeas, cùm iuſtam animam diligit, & lac, eum exiſtimat. *Lactabo eam.* Oſee 2. Inſpicit Ioſias in bello prælianrem, eumque ſanguine dicit perfuſum. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Contemplatur Ioannes eius promiſſa, quibus ad diuinorum præmiorum ſpem nos erigit, eumque viridi Smaragdo ſimilem fatetur: *Similis viſioni Smaragdinæ.* Quòd ſi rem attentè inſpiciamus, his quatuor coloribus tabernaculi cortinæ conſtabant, vt Ioſephus dixit, lib.6. de bello Iudai.cap.6. quos omnes myſticè in Beata Virgine mirificè emicuiſſe dubitandum non eſt. Fuit, nec vnquam non aderit in ea Smaragdi fulgor fulgebat in ea ſplendor ſanctæ conuerſationis, candor innocentiæ, rubor charitatis, viriditas ſpei, Eccleſia ad eam dicente: *vita, dulcedo, ſpes noſtra.* Quæ omnia non obſcurè indicant, Mariam optimam partem elegiſſe: optimam ſanè, cùm alioqui bona per naturam incompoſſibilia in vnū ipſa copulauerit. Gaudebat fecunditate materna, & integritate virginea: fruebatur priuilegio impeccabilitatis, quod proprium eſt patriæ, & gratia merendi, quod proprium eſt viæ. Atque hæc, & alia ſimilia cœleſtia chariſmata, quæ Deus in huius tabernaculi ædificium contulit, perpendens ſanctus Petrus martyr ſermone de aſſumptione, Beatam Virginem vocat, *nobile triclinium Trinitatis*, quia in eo omnes diuinæ Trinitatis perſonæ ſpeciali ratione requieuerunt. Requieuit Pater, donans ei proprium filium: requieuit Filius, in eius vtero carnem aſſumens: requieuit Spiritus ſanctus eam fœcundans. Vt autem Patri gratam vicem Maria rependat, offert Patri filium ſibi æqualem: nudum, illum acceperat, ſed carne indutum reddit. Filio rependit, quia ſi ab eo matrem Dei eſſe accepit, filius ab ea filium eſſe hominis deſumpſit. Tandem Spiritui ſancto etiam rependit, quia ſi ille eam ad Chriſti cōceptionem fœcundauit, ipſa ad eandem puriſſimam ſui ſanguinis materiam ſubminiſtrādo cooperata eſt. Sanè allucinari neceſſe eſt, humanæ rationis capacitatem in tantarum rerum conſideratione. Senſus turbatur, lingua deficit, & creatura vniuerſa ſuccumbit, myſteria hæc tam ſublimia perpendens. Sed & turbationem ingerit ſi attentè meditamur B. Virginem, vt Cœlum poſſideat, meliorem partem elegiſſe ex creaturis omnibus, immò & ex Deo vno trinoque. Nos autē tam vili precio empturos credentes cœleſtia gaudia; opera exhibemus, quibus ex corrupto mūdo peiora quæque ad Dei obſequium ſeligimus. Eleemoſynis, deteriora domus deſtinamus: ieiunijs delicatas cœnulas adhibemus: ad confeſſionem ſerò, & imparati accedimus: pœnitentias modicas nobis iniungi optamus. Multa hac de re ſuppetunt de noſtra erga Deum, ob collata beneficia, ingratitudine, exempla ſed propoſitum argumentum proſequamur, vt incœptō diuini tabernaculi operi extremam manum imponamus.

Ad hæc, cùm iam omnino completum eſſet illius tabernaculi ædificium, eaque omnia in eo conſtituta, quæ Dominus apponi præceperat, tanto fulgore emicabat, vt ex variarum gemmarum, quibus intertextum erat, ſplendore, oculorum acies

Plinius.

Deut.4.

Oſee 2.

Apoc 4.

Ioſephus

Eccl. Romana

S. Petr. mart.

perſtringeretur; ita tamen, vt ea intuentes, propriam vniuſcuiuſque oblationem ad tabernaculi ſtructuram mirum in modum oblectarentur, immò aſtra ipſa in admirationem tanti ſplendoris viderētur ſtupuiſſe. *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*. Abac. 3. vt enim dixit ſapiens. *Eſt precioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum luce comparata, inuenitur purior*; maximè tamen ſpiritus Angelici omnes eius perfectiones, ceteris omnibus, quibus ipſi ſunt præditi, contemplantes, primas ei deferunt. Immò & ipſe Deus videns ex omnium perfectionibus partem meliorē elegiſſe Mariam: Deus (inquā) ipſe tanti operis architectus ex ſuę maieſtatis throno mirum in modū in illo ſibi com placet. Quòd ſi omnia, quæ iam condiderat, ſibi valdè bona videbantur. *Vidit Dominus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, quantò magis opificium hoc perfectum ſibi videri debuit, quod ſuæ voluntati conforme, omnibuſque numeris abſolutum confecerat? Supra terram, tunc inquit, aſcendat Virga illa, quæ terra fuit virginea, & maledictioni nunquam obnoxia, ex qua fecundus Adam conditus eſt Supra aquæ vertices conſcendat, quæ pelagus eſt, & immenſum mare diuinorum chariſmatum Supra aerem conſcēdat regia aquila, & nidum collocet inter ſublimiores Cedros. Supra ignis Sphærā conſcendat quæ inceſſanter diuino charitatis igne æſtuabat Supra Lunam cōſcendat, quæ iam ſub pedibus Lunam calcauit, omnia, vt ſtercora conculcans, vt Creatori ſuo placeret. Aſcendat ſuprà Mercurij orbem ſcientiæ parentis, quæ mater extitit increatæ ſapientiæ. Aſcendat ſupra Veneris Cœlum, quæ mater fuit cœleſtis amoris: *Ego mater pulchræ dilectionis*. Aſcendat ſupra Solem luminum fontem quæ Solem Iuſtitiæ peperit illuminantem *omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt loquitur Diuus Ioannes. Aſcendat ſupra Martem bellorum deum, quæ Draconis caput viriliter contriuit, & mater eſt illius, qui Deus dicitur exercituū. Aſcendat ſuprà Iouem Regnorum Deum, quæ Regina eſt vniuerſi Orbis. Aſcendat ſupra Saturnum ea, quæ fecit, vt turpe, & peccatis pollutum ſæculum noſtrū, aureum eſſet, cœleſtibus gratijs redundans. Aſcendat ſupra cœleſte firmamentum ſtel lis ſtratum, quæ virtutum omnium eſt firmamentum. Aſcendat ſuprà Cœlum chriſtallinum, quæ Cœlum ipſum claritate ſuperat, & puritate. Aſcendat ſupra primum mobile, quod celeri, ac potenti ſuo motu reliquas ſphœras mouet & intuentium corda ad ſe conuertit, & potenter rapit. Aſcendat ſuprà empyreum Cœlum, proprium Dei habitaculum, quæ in terris fuit ſemper ſanctum Dei domiciliū, & Aula regia. Aſcendat ſupra Patriarchas, quæ illorum parens erat. Aſcendat ſupra Prophetas, quæ omnium eorum cōplementum fuit. Aſcendat ſupra Apoſtolos, & Euangeliſtas quæ reædificandæ Eccleſiæ, Chriſtū enixa dedit initium. Aſcen dat ſuprà Angelos, & Archāgelos, quæ in vberiori gratia condita fuit. Aſcendat ſuper Virtutes, quæ pœnè innumeris virtutū operationibus mirificè præfulſit. Aſcen dat ſupra Thronos ea, quæ regalis thronus extit veri Salomonis. Aſcendat ſupra Cherubinos, & Seraphinos, quia eos ſcientiæ ſplendore, & charitatis ardore ſuperabat. Aſcendat (ait Pater omnipotens) ea quæ *terribilis eſt, vt Caſtrorum acies ordinata*. Aſcendat, (ait Filius ſapientia Patris) quæ doctrix fuit, & magiſtra Eccleſiæ. Aſcendat (ait Spiritus ſanctus amore ardens) quæ amoris flammis ſemper exarſit, & ad ſupremum thronum ſcandat in ęternum cum Deo regnatura, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

†

Abac. 3. — *Sap. 7.* — *Gen. 1.* — *Eccl. 27.* — *Ioann. 1.*

Homi-

Homilia III.

Montis metaphoram B. Virgini accōmodamus, præcipuoſ montes commemorantes, quorum tam ſacra, quam prophana eloquia meminerunt, permultaq; dicimus, quæ Deiparæ in cœlum aſſumptæ excellentiam & in nos miſericordiam commendant.

D. Greg. D. Damaſc.

MOntis metaphoram aptè in B. Virginem conuenire, non ſolùm ſancti Patres D. Greg. in lib. 1. Reg. cap. 1. & D. Ioannes Damaſc. oratione prima de Natiuitate, ſed & ſacra eloquia apertè conteſtantur: nam Ezech. cap. 17. montis nomine Beatam Virginem cohoneſtauit: *Erit mons in vertice montium*, & Abacuch ait: *Deus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan*, hoc eſt, de monte vmbroſo, vt vertunt ſeptuaginta Interpretes, alludentes ad futuram illam vmbram, qua Spiritus ſanctus Mariam protexit, cùm Angelus ei dixit: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Daniel etiam cap. 2. montem appellat eandem Virginem, ex quo ſine manibus abſciſſus eſt lapis, ideſt Chriſtus Dominus, lapis angularis, qui ſine opera viri, & ſine manu obſtetricante conceptus, & natus fuit ex Virgine. Cùm tamen pœnè innumeros, eoſque percelebres montes tam prophana, quam ſacra eloquia commemorent, à quo illorum exordiar, ſumma perplexitate laboro, mihique accidere ipſe experior, quod olim contigiſſe inſigni cuidam Homeri ſtatuæ me legiſſe memini. Alexandro Magno coram ea tranſeunte ſudare illa cœpit, quod ſingulare prodigium attente ſpeculantes Philoſophi, dixerunt, ſtatuam Homeri ſudaſſe, ad ſignificandum, eloquentiſſimos etiam Oratores, & diſertiſſimos Poetas vſque ad ſudorem elaboraturos, ſed nec ſuffecturos ſatis in extollendis Alexandri præclaris geſtis. Non diſſimiliter Homeri Eccleſiæ Catholicæ, hoc eſt S. Patres valde inſudarunt in decantandis Mariæ laudibus, ingenueque fatebantur, impares eſſe ad dignam eius commendationem. Si ergo Gigantes Virginem laudaturi premebantur, & ſudabāt, pigmæusnè preſſuræ, & ſudoris immunis erit? Deiparæ tamen auxilio innitens, aſcendere conabor in altitudinem montium, quorum tàm humanæ, quàm diuinæ literæ comminiſcuntur, vt inde miras Virginis laudes depromam. Permulti rerū naturalium hiſtoriographi cum Solino c. 14. tradunt, tantam eſſe montis Olympi altitudinem, vt ventorum, ac tempeſtatū nulla procella cacumen illius infeſtet. Verba Solini hæc ſunt: *Olympus primùm excellenti vertice tantus attollitur, vt ſumma eius, Cœlum, accolæ vocent. Ara eſt in cacumine Ioui dicata, cuius altaribus ſi quæ de eſcis inferuntur, nec diſſlantur ventis, & ſpiritibus, ſed voluente altero anno, cuiuſmodi relicta fuerint, eiuſmodi reperiuntur; & literæ in cinere ſcripta vſque ad alteram anni ceremoniam permanent.* Ad eundem modum tanta fuit Mariani montis celſitudo, vt inſtar montis Olympi, nulla peccati originalis procella, à qua nemo liberatur, ſerenitatem eius perturbare, nec callidus concupiſcentiæ ventus, aut peccati alicuius grando eam vnquam infeſtare potuerit. Exinde etiam mens, quæ vertex erat huius ſpiritualis Olympi ſacra cœpit eſſe ara, nō falſo Deo Ioui, ſed verò, vni, & trino, cùm ab inſtanti conceptionis ſuæ Sancta, & in gratia confirmata fuerit. Ex quo inſuper factum eſt, vt ſicut literæ, quæ in ſummitate montis Olympi in puluere exarabantur, per totum anni curriculum indeletæ perſeuerabant; ita diuina chariſmata, ac ſacri virtutum caracteres ab inſtanti conceptionis Virgini impreſſi, ſemper in ea permanſerunt, quia antiqui ſerpentis flatus non potuit eos delere. quare autem ad Olympi ſummitatem nec ventus, nec pluuia, nec grando, nec aliqua alia intemperies, aut tempeſtas appropinquet, rationem reddit Lucanus lib. 2.

Nubes excedit Olympus.

ita etiam, ſi rationem quæras, vnde tanta in Virgine immunitas? eandem reddam:

Nubes excedit Olympus.

Ezec. 17. Abac. 3. Sept. interpr. Luc. 1. Dan. 2. Solin. Lucanus.

Valerianus. Iſai.5. Per nubes in ſacra Scriptura ſignificantur Prophetæ, vt adnotauit Valerianus, de quibus loquens Iſaias ait: *& mandabo nubibus meis ne pluant*. Significantur etiam Gonſ.Chelu. Apoſtoli, vt obſeruauit Gonſ. Chelius in ſuis eloquutionibus libro ſexto, & confir- Iſai.40. mat Iſaias, dum de illis ait: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* ſignificantur tandem Rupert. ſpiritus Angelici, vt docet Rupertus Abbas libro primo de Iuſtitia Verbi Dei cap. 10. Vnde ait, quòd cum Lucifer dixit: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium;* per nubes Angelos intellexit, ſuper quos ad ad ſimilitudinem Dei, concupiuit ipſe dominari. Exceſſus ergo in plenitudine gratiæ, qua Beata Virgo omnes nubes, tam Prophetas, & Apoſtolos, quàm Angelos præcelluit, cauſa extitit illius immunitatis ab omni procella, & tempeſtate peccati. Conſonat etiam huic, quod de Plin. Solinus. eodem Olympo Plinius, Solinus, & alij dicunt, vndique à Sole circundari: ita vt radijs ſolaribus, velut veſtimēto à ſummitate, vſque ad extremitatem videatur ornari. Vnde Olympus, interpretatur *totus fulgens*. Id quam aptè in Virginem conueniat, Ioannes teſtatur, qui fatetur ſe vidiſſe Beatam Virginem fulgentiſſimis ſo Apoc.12. lis radijs indutam. *Mulier amicta Sole*. ecce à vertice capitis, vſque ad extremitatem pedum tota erat Solis claritate coruſcans. Narrant etiā Coſmographi Montem Olympum nunquam hominis induſtria cultum, nunquam arari, aut ſulco coli, valde tamen frondoſum eſſe, vt cecinit Virgilius 1. Georgicorum.

Virgil. *Scilicet atque Oſſa frondoſum inuoluere Olympum*.

In hoc, quis non videat, apertiſſime Virginem delineari, quæ terra inculta, viri operam ſemper neſciens, fructum vitæ B.Guaricus protulit. Vnde egregiè Beatus Guaricus Abbas diſcipulus Diui Bernardi, ſermone 2. de Annunciatione dixit: *Prorſus benedicta illa terra, quæ omnino intacta, nec foſſa, nec ſeminata, de ſolo rore Cœli Saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum alimoniam vitæ æternæ miniſtrat.* Frondibus etiam ſpiritualem hunc Olympum plenum fuiſſe, illud ſatis probat, quod id, quod in arbore frondes, in homine capilli ſunt, iuxta illud Poetæ:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine Campus,

Et ſine fronde frutex, & ſine coma caput.

Capilli autem Virginis, qui eius cogitationes fuerunt, quibus magis, quàm Olympus ſuis frondibus, ornabatur, quàm pulchri fuerint, verba ipſius ſponſi ſatis manifeſtant; cùm vel vno ſolùm illorum, incredibili illius amore captus fuerit. *Vulneraſti cor meum ſoror mea in vno crine colli tui:* vel vt alia lectio habet: *Abſtuliſti cor meum in vno crine colli tui:* hoc eſt, humili illa cogitatione, ex qua verba illa prodierunt: *Ecce ancilla Domini;* cùm tamen ad celſiſſimam Dei Matris dignitatem eſſes deſtinata, nec id ipſa ignorares, quando illa protuliſti. Denique de Olympo Poeta cecinit, tam propter eximiam eius celſitudinem, quàm venuſtatem, Cœlum ipſum nomen Olympi ſibi vſurpaſſe; & Olympum ipſum, inſtar Cœli, Sedem Deorum nuncupari: Cant.4.

Venit Olympum, vbi ſedes inconcuſſa Deorum.

Dicitur eſſe &c.

In hoc etiam rectè deſcriptam Virginem intueor, quæ animatum Cœlum, & Sedes, ac thronus Dei, gratior ipſo Cœlo empyreo, ſemper extitit. Si enim de Regia Sede, ac throno Salomonis 3 Reg.c. 3.Reg.10. 10. legimus feciſſe illum in domo Libani de ebore grandem, auro mundiſſimo ornatum, ſex gradus habentem quem duæ manus ſuſtinebant. Idem excellentiori ratione licet in Maria reperire. Fuit enim Maria, ſedes pacifici Salomonis, ac Thronus grandis ea magnitudine, de qua ipſa dixit: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*. Fuit de ebore per candorem vir- Luca 1. ginitatis; fuit auro mundiſſimo ornata per feruentem charitatem. Sicut enim aurum præſtat omnibus metallis, ita charitas excedit omnes virtutes, Apoſtolo dicente: *Maior autem horum eſt charitas.* 1.Cor.13. Super ſex etiā gradus Marianus hic thronus eminebat, quia ſex illos ordines Patriarcharum, Prophetarum, Confeſſorum, Martyrum Virginum, & Apoſtolorum longè ſuperabat. Manus autem duæ, quæ ſacrum hunc thronum tenebant, manus erant Chriſti: altera ipſius, in quantum Deus: altera in quantùm homo, in quas ſpiritum ſuum ſemper commendabat.

Rurſus obſeruaui in idem argumentū, multiplici ratione per montem Synai, qui in

in Arabia eſt, vt teſtatur Diuus Paulus ad Galatas 4. Virginem adumbrari. Etenim primò, ſi ille mons fuit, vnde Deus populum ſuum erudiuit, rectè viuendi regulam, ac legem præſcribens; ita per B. Virginem, tanquam per viuam regulã, & animatam legem, Eccleſiam Catholicam ſalubriter inſtruxit, & erudiuit, Ambroſio dicente, lib. 2. de Virginibus: *Sit vobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari, magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis oſtendũt.* Secundo quia ſicut mons Synai frequentabatur ab Angelis, vt Actorum ſeptimo dicitur de Moyſe: *Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Synai*; ita & Beata Virgo aſſiduè ab Angelis viſitabatur; non enim ſolum in Templo ante nubiles annos, vbi ei cibum miniſtrabant, vt tradit Gregorius Nicomedienſis, homilia de oblatione Virginis in Templo; ſed poſtquàm iam nupta erat, vt tradit Diuus Lucas: *Ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena.* Immò proxima morti Angelus palmam, victoriæ ſymbolum, ei detulit, vt tradit Metaphraſtes de Aſſumptione Virginis. Tertio, quia Synai fuit mons diuinæ habitationis, iuxta illud Pſal. 67. *Dominus in eis, in Synai in Sancto*, ita in Beatam Virginem inhabitauit Deus non ſolam per gratiam, ſed per mirabile Incarnationis myſterium; nouem integris menſibus in virgineo eius thalamo, tanquam in proprio domicilio commorans. Vnde Dauid ſub nomine montis ſpiritu prophetico de ea dixit Pſalm. 67. *Mons Dei, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.* Sicut autem Deus quandoque habitauit in monte illo Synai, ſub rubo inflammato, qui tamen non comburebatur; ita etiam idem, qui, ignis conſumens eſt, quandoque in Beata Virgine habitauit ſub rubo humanæ carnis Chriſti, quæ tamen à flamma diuini illius ignis minimè abſumebatur, nec in ignem diuinitatis conuertebatur, vt falsò quidam Hæretici effutierunt. Quarto, quia Syna erat mons Paſquæ, & refectionis, vt tradit Ioſephus libro ſecundo Antiquitatum. Vnde 3. Exodi legimus quòd Deus apparuit Moyſi, cùm minaſſet gregem ad interiora deſerti, ad montem Dei Oreb, qui pars eſt montis Synai: minabat autem illum, quia ibi erat vberrima Paſqua. Meritò quidem Beatam Virginem dicemus, montem paſquæ, & refectionis eſſe, quæ panem cœleſtem nobis produxit, Corpus ſcilicet Chriſti Domini, quo tanquam ſuperſubſtantiali cibo in Sacramento Euchariſtiæ in vitam æternã alimur, & nutrimur: ipſo dicente: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quinto quia, ſi olim in mõte Synai Deus quaſi compatiens afflictioni Populi ſui, promiſit Moyſi illum liberare à dura Pharaonis ſeruitute; certè in Beatam Virginem deſcendens, & ex ſanguine eius naturam humanam induens, reipſa vniuerſum orbem à tyrannica dœmonis captiuitate redemit, & antiquam illam promiſſionem impleuit. Sexto quia ſicut Synai mons fuit terroris, & comminationis, vt adnotauit Ioſeph lib. 3. Antiquitatum, vnde cap. 19. Exodi, monebat Moyſes: *Cauete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius; omnis enim, qui tetigerit montem, morte morietur.* Et capit. 9. dicitur, quod totus mons Synai fumigabat, & quod aſcẽdebat fumus ex eo, quaſi de fornace; ita Beata Virgo dœmonibus fuit terribilis, & formidoloſa; & quaſi mons fumigans, cuius fumus oculos lachrymari, & flere compellit, eos contriſtari, ac vlulare fecit. Ac tandem, quia ſicut mons dicebatur confederationis, & amicitiæ, quia Deus mediante lege ibidẽ condita, Populum ſpeciali vinculo ſecum confederauit; ita B. Virgo, mons confederationis, & amicitiæ meritò cenſeri debet, per cuius fructum cum Deo peccatores reconcilianter, & nouo amicitiæ fœdere Creatori ſuo copulantur.

Ceterum ne ſi in ſingulis immorari velim, in longiorem quàm oportet ſermonem, noſtra protrahatur oratio, reliqua quæ de varijs montibus mihi dicenda ſuperſunt, breuiori eloquio perſtringam. Boccacius de mont. Cretæ, narrat montẽ eſſe quendam in Creta, Corina nuncupatum, in quo nec muſca generatur, nec ad illum appropinquat. In quo ſanè Beatam Virginem egregiè delineari video; nulla

enim

Gal. 4. *S. Ambroſ.* *Act. 7.* *Luc. 1.* *Metaphraſt.* *Pſal. 67.* *Ibidem.* *Ioſephus.* *Exod. 3.* *Ioan. 6.* *Exod. 19.* *Boccat.*

enim importuna indebitæ cogitationis muſca mentem eius contingere auſa vnquam fuit; cùm gratia à principio creationis ſuę ſibi collata exuberans adeò fuerit, vt Diuus Bernardus epiſtola 174. ad Canonicos Lugdunenſes, de ea dicat: *Quæ ipſius non ſolum ſanctificaret ortum, ſed & vitam ab omni deinceps peccato cuſtodiret immunem.* Memini Eccleſiaſticum dicere, capit. decimo: *Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti.* Diuus Bernardus ſermone 44. nec non nobilis Auctor Petrus Bleſenſis, per has muſcas, intelligunt laſciuas cogitationes, quas muſcis ipſis importuniores eſſe non ſemel experimur. Marianus autem mons ab infeſtatione harum muſcarum, longè adeò alienus fuit, vt non ſolùm animum eius vnquam ſtimulauerint, aut aculeum ſui per conſenſum infixerint; ſed neque tranquillitatem mentis illius, vt ſolent importunæ muſcæ, quoquo modo inquietauerint. Sed quomodo quæſo inquietare poſſent, quam diuinorum contemplatio ſemper occupabat? Martialis lib. 14. tradit, quòd olim muſcæ, plumis caudæ Pauonis abijciebantur.

D. Bernard.

Eccl. 10.

D. Bernar.

Petr. Bleſen.

Martial.

Lambere te turpeis prohibent tua prandia muſcas;
Alitis eximiæ, cauda ſuperba fuit.

Potuiſſent quidam muſcæ multis alijs vilioribus pennis fugari; ſed conſulto ad id pulchris Pauonis plumis vtebantur, ad ſignificandum, quòd licet alioquin ad euadendos dœmonis laqueos velociſſimis pennis opus ſit, vnde Dauid dicebat: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*; ad fugiendas tamen importunas cogitatiunculas, quæ inſtar muſcarũ perturbant, neceſſariæ ſunt pulchræ Pauonis pennæ, quæ Solem ipſum referunt; hoc eſt, pulchræ de Deo Sole iuſtitiæ cogitationes, quæ mentem ad cœleſtia rapiant, & à rebus carnalibus penitus abducant. Diuus autem Gregorius in ſuis Moralibus, lib. 18. capit. 28. nec non Guilelmus Pariſienſis de Rhetorica diuina, cap. 43. per has muſcas intelligũt ſuperuacaneas cogitationes, quæ orationi vacantes diſtrahunt, & ab intentione in Deum auocant; quæ ſanè ſi voluntariæ ſint, feruorem animæ minuunt, & tepidiorem illam reddunt. Hæc fuit ſingularis prærogatiua Virginis, quæ ſemper fuit inſtar feruentis olei, quod muſcæ attingere non audent. Importunæ illæ muſcarum cogitationes, quæ mentem in varia diſtrahunt, longè ab ea ſemper receſſerunt, quæ ſemper Deo erat intenta; & velut flos gigãtæus, qui verſus Solẽ sẽper reſpicit, Iuſtitiæ Solẽ Chriſtum Dominũ intẽtis animę oculis quocũq; ſe vertebat inceſſanter intuebatur. Vt aũt manifeſtius conſtet, quanta ſit hæc, huius ſacri montis excellentia, vt muſcæ illum attingere nõ auderent; reuocate quæſo in memoriam tanti facere dœmonem his prauarum cogitationum muſcis, tranquillitatem animi perturbare, vt cum alioquin, tanta ſit eius potentia, vt Iob dicat: *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei*, Behelzebub appellationem, quod *Princeps muſcarum*, interpretatur, acceperit. Refert Pierius Valerianus lib. 26. ex Plinio lib. 29. Herculem, Deo Migodios, cui cura erat muſcas fugandi, taurum in ſacrificium obtuliſſe: adueniente tamen magna muſcarum copia, ſuper illud, continuò aufugiſſe. Certè Hercules magna fortitudine pollebat, ſupremi Deorum filius ab Alciato vocatur, & Valerius Flacchus, magnanimum, illum appellat:

Ps. 123.

D. Gregor.

Guliel. Pariſ.

Iob 41.

Pier. Valer.

Alciat.

Magnanimus expectat pharetram, & inutile robur.

& Quodrus, glorioſo, *Inuicti*, nomine illum illuſtrat:

Hercules inuicti nodoſum robur inagmen.

Ac tandẽ nemo ignorat vetuſtũ illud Prouer. *Nec Hercules contra duos, & nihilominus fugit.* Si ergo fortiſſimus, magnanimus, & inuictus Hercules à facie muſcarũ fugit, & ad Importunitatẽ earum vincendã, ſacrificium offert; non leue argumentũ eſt, victoriam aduerſus has muſcas per illas, ſignificatas, valdè difficilẽ, ac glorioſam eſſe. Certè adeò ſtrenuus, ac fortis Chriſtiani exercitus miles Diuus Paulus extitit, vt non dubitaret cum acerrimis omnium hoſtibus congrediens, facilè eos deuicturum. *Certus ſum, quia nec mors, nec vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Victoriam tamẽ aduerſus importunas muſcas ex appetitu inſurgentes, minimè ſibi polliceri

Ad Rom. 8.

Rom. 7. audet; immò ab illis ſe vinci non diffitetur. *Sentio aliam legem in membris meis captiuantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ecce cruciabatur valde Apoſtolus, quòd experiretur non ſemel, ſe peccatorum venialium muſcis vinci, & ſuperari. Quis ergo non dicat, magnam Virginis laudem eſſe, montem eſſe, Corina nomine, in quo nec muſcæ generantur, nec ad illum appropinquant? In cuius figura lego Exod. 8. Terram, in qua Dominus habitabat, nullo modo à muſcis infeſtatam: *Faciam mirabilem in die illa terram Geſſen, in qua Populus meus eſt, vt non ſint ibi muſcæ, & ſcias quoniam ego Dominus in medio Terræ.* Exod. 8.

Maiolus. Quid plura? Conuertamus iam nos ad celebrem illum Aethyopiæ montem, cuius meminit Maiol. in ſuis noct. canicul. Affirmat de illo tantam eſſe eius celſitudinē, vt acutiſſimorum ēt oculorum aciem ſuperet: radices ſuas non extendere in terram, ſed totum eius incrementum verſus Cœlum eſſe: ab extremitate vſque ad eius ſummitatem pulchris arboribus eſſe conſitum: cacumen eius in aulam deſeruire ad filium Regis illius Regionis educandum. Ac tandem celſitudinem eius tantam eſſe, vt quindecim millium paſſuum altitudine conſtet. Hæc quam aptè Beatam Virginem præfigurent, haud difficile erit demonſtrare. Equidem ſi mons ille radices ſuas non mittebat in terram, ſed verſus Cœlum creſcebat; id non deſideratur in hoc Mariano monte, quia Beata Virgo in diuitijs tēporalibus, nec in bonis terrenis radices nuſquam miſit: immò adeò ab his caducis rebus ſe expoliauit, vt Hyppolitus (id referente Nicephoro lib. 2. cap. 3.) affirmet, quòd cum Beata Virgo omnium paternorum bonorum, quæ non pauca erant, hæres vnica fuiſſet relicta, omnia in pauperes diſtribuit: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Prou. 31. nihil ſibi reſeruans, niſi id, quod vitare non poterat; melius quàm Apoſtoli, illud Chriſti conſilium adimplens: *Si vis perfectus eſſe vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quòd ſi Diſcipuli Chriſti Domini (vt Diuus Petrus teſtatur) omnia temporalia à ſe ſequeſtrarūt: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; nulla ratione dubitari poteſt Beatam Virginem omnia illa reliquiſſe. Vnde in nulla pura creatura Euangelicam paupertatem magis præfulſiſſe arbitror, quàm in Virgine. Pauper fuit in ſponſalitio, cùm pauperi fabro in matrimonium copulari non ſit dedignata. Pauper in partu, cùm ob penuriam, opus fuerit ei ad ſtabulum diuertere, vt pareret; & infantem poneret in præſepio. Vnde Diuus Cyprianus dixit, ſermone de Natiuitate Chriſti: *Veniunt Paſtores in Betlehem, inuenitur Emmanuel, Ciuitas parua, domus paupercula, ſupellex exigua: nulla domus ambitio, niſi reclinatorium in ſtabulo: Mater in fœno, filius in præſepio.* & paulò inferius: *Pediſſequas ſubſtantia familiaris non patitur. Mancipiorum obſequia, ſumptus tenuis, & inops menſa excludit. Pauper fuit in oblatione fieri conſueta pro primogenitis, cum infantulum ſuum obtulit in templo.* Nam cum Moyſis lex diceret: *Si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum.* Ipſa ob paupertatem ſuam, hoc ſecundum obtulit, vt teſtatur D. Luc. c. 2. quod nō leue argumentum cenſeri debet iā tunc B. Virginem pro ſingulari eius tàm in pauperes, quā in paupertate affectu munera à Regibus Saba ſibi oblata ad ſubleuandām indigentiū inopiā liberaliter inter eos diſtribuiſſe, vt Albertus Mag. adnotauit ſuper miſſus. Pauper fuit in toto curriculo vitæ ſuæ, ex labore manuum ſuarum victum comparās, ne benedictione illa Patris ſui Dauid defraudaretur: *Labores manuum tuarum quia mādueabis, beatus es, & benè tibi erit.* Quare Diuus Paulus non aliter, quàm ſudore ſuo victum quæritabat, vt ipſe teſtatur: *Laboramus operantes manibus noſtris.* Non ſecus Beata Virgo, vt ait Salomon: *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia* (hoc eſt ad laborioſa) *& digiti eius apprehenderunt fuſum.* Hinc ſponſus arctiſſimam Virginis paupertatē contemplans, ei dixit: *Reuertere Sunamitis*, hoc eſt: *reuertere ſpoliata*, vt vertit ex Hebræo Symmachus. Hinc etiam Diuus Ioannes Euangeliſta deſcribens Beatam Virginem, ad ſignificandum contemptum bonorum omnium temporalium, quo Beata Virgo, omnia vt ſtercora arbitrabatur,

Niceph. Prou. 31. Matth. 19. Ibidem. D. Cypr. Leuit. 12. Luc. 2. Alber. Magn. Pſal. 127. 1. Corin. 4. Prouer. 31. Cant. 6.

Luna

Luna, quæ ſymbolum eſt terreſtrium bonorum, infra pedes eius illam calcantes appoſuit: *Et Luna ſub pedibus eius*. Ad quod reſpiciens Diuus Hieronymus, vel vt alijs placet, Sophronius ſermone de de Aſſumptione, eleganter dixit: *Totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil eſſet, mundanus quod violaret affectus*. Ecce quomodo Beata Virgo deorſum radices cupiditatis minimè ad terrena hęc mittebat. Sed ſurſum per Dei amorem in cœleſtia aſcendebat, deinde, ſi mons ille varijs arboribus diſtinctus erat; ita vt nihil in eo videretur, quod virorem, & pulchritudinem non oſtentaret. Certè Beata Virgo, virtutum inſtar arborum, amœnitate exornata ſemper extitit, vt quas diuina munificentia in reliquis tàm hominibus, quàm Angelis, tanquam in Hortis deliciarum ſeuit, in ea ſimul copulauerit, vt his verbis edixit inſignis ille Cancellarius Pariſienſis de Natiu. Virginis, ex doctrina Diui Dionyſij Areopagitæ: *Habet hoc Hyerarchicus ordo ſecundum Dionyſium, vt inferiorum virtutes ſint in ſuperioribus perfectiori modo repoſitæ; quęadmodum ſapientia perfectior eſt in Seraphim, quàm in Cherubim. Eſt autem Maria ſuper choros Angelorũ per gratiã, & gloriã ſubleuata: erũt igitur in ea perfectiones creaturarum irrationabilium, & rationabiliũ etiam Angelicarum eminentiori quodã modo reperibiles*. Quòd ſi rurſus in vertice montis illius Aethiopiæ filius Regis ſolitus erat educari, rectè quidem id in Beatam Virginem quadrat, cùm apud ipſam filius Dei ſupremi omnium Regis non ſolum nutritus, & educatus fuerit, ſed ex ea humanitatis purpuram acceperit, & ab ea tanquam ex Regio thalamo prodierit, Eccleſia canente, ex Hymno Sedulij:

Apoc. 12. — D. Hieron. — Gerſ. Cancell. — Sedul.

Beatus Auctor ſæculi,
Seruile corpus induit:
Vt carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.

Vnde cùm Chriſtum Dominum intra viſcera Virginis habitantem contemplor, continuò in memoriam venit, aptè Beatam Virginem comparari poſſe monti illi, de quo Pomponius Mela, lib. 1. cap. 4. affirmat fontem ſalis ab eo emanare. *Ad Catbabatmon* (inquit) *Cyrenaica Prouincia eſt Africæ pars, in eaque rupes eſt, ac fons ſalis appellatus*. Ex Virgine enim fons ſalis ſapientiæ, hoc eſt Chriſtus Dominus, ſapientia Patris, in quo (vt ait Apoſtolus: *Sunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi*, ad præſeruandum nos ab æterna corruptione in hunc Mundum prodijt. Memoriæ etiã ſimiliter occurrit mons ille Indiæ infimæ, de quo Ludouicus Viues in Commentarijs ad librũ 21. de Ciuitate Dei, cap. 4. tradit tanta magnetis quantitate ſcatere, vt ſi naues, quæ iuxta illum pertranſeunt, ferreis clauis ſint confixæ, nulla ratione poſſint vltra progredi, quia magnes illas ad ſe pertrahit, vnde iam clauis ligneis ad naues fabricandas incolæ illius vtuntur Regionis. Quis quæſo non dicat, Beatiſſimam Virginem Chriſtum in ſe continentem, montẽ magnetis, non eſſe, cum tanta ſit Chriſti inſtar magnetis, ad ferreos mortaliũ animos ad ſe trahẽdos efficacitas, vt veraciſſimè dixerit: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Certè magnes ille ſolum trahebat naues ſibi approximantes: at diuinus hic magnes etiam remotiſſimas quaſque pertrahit ad ſe, Gentiles, Idololatras, Perſas, Indos, Arabes, & Garamantas, Scitas. Venit quoque in memoriam ille alter mons Bactriane, de quo Strabo, libro vndecimo, refert adeò Imperatori Alexandro placuiſſe propter florum eius ſuaueolentiam, & arborum amęnitatem, vt in eo nuptias cum Roſiana celebraret. *Fuit* (inquit) *ibi ſplendidè, regio more epulatus, ducta in vxorem Roſiana Oſiartis filia*. Mons iſte Marianum montem mihi deſignat, in quo tantoperè cœleſtis Alexander Dei filius ſibi complacuit, vt in eo nuptias per hypoſtaticam vnionem cum humana carne celebrare non dubitarit. Vnde Dauid dixit, vidiſſe illum tanquam ſponſum è thalamo Virginis egrediẽtem.

Pomp. Mela. — Ad Coloſſ. 2. — Ludou. Viu. — Ioan. 12. — Strabo.

Ceterum, vt ad monrem Aethiopiæ redeam, à quo nonnihil diſceſſi. Si magna adeò erat illius montis altitudo, vt vix luminum acies ad illam pertingere poſſet; certè Mariani montis altitudo tanta eſſe perhibetur, vt Iſaias ſuper cacumina omnium montium fundandum prædixerit: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*. Super quæ verba Diuus Gregorius Magnus in primum librum Regum, cap. primo, dixit: *An non mons ſublimis Maria, quæ vt conceptio-*

Iſai. 2. — D. Greg.

ceptio-

ceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros vſque ad ſolium deitatis erexit? huius enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans; ait: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit. hæc Diuus Gregorius, quibus conſonant illa *D. Damaſc.* Diui Ioannis Damaſc. oratione 1. de Natiuit. dum ait: *Clariſſimus mons, Virgo, qui omnem collem, ac montem, id eſt Angelorũ, & hominum ſublimitatem exuperat.* Vnde *D. Anſel.* D. Anſelmus libro de excellentia Virginis, cap. 4. hanc tantam Virginis celſitudinem contemplans ait: *Poteſt ne quæſo, vllus hominũ, aut Angelorum ipſius amoris immenſitatem penetrare, vel dignitati honoris illius quidquam cogitatu percipere comparabile?*

Verum, vt ſublimitatem hanc Virginis inacceſſibilẽ melius percipiatis; aduertite quæſo Dauidem Beatam Virginem cõparaſſe monti Syon: *Pſal. 2.* *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon montem ſanctum eius.* *Genebrar.* Omitto dicere, quod Genebrardus hic adnotauit, montem hunc duobus collibus conſtare, in quorum vno Regis palatium erat extructum, in altero Dei templum erat erectum; ad ſignificandum in Beata Virgine duo hæc reperiri. Nam eius anima, templum fuit Deo ſacrum, in quo varia ſacrificia, & holocauſta Deo offerebat: corpus verò Regia domus fuit, in qua Rex Regum Chriſtus Dominus per nouem integros menſes corporaliter habitauit. Præterea, quod de monte Syon idem Regius Vates cecinit: *Pſal. 47.* *Lætetur mons Syon propter iudicia tua Domine.* Nam Beata Virgo rectè ſibi vſurpare poſſet verba illa *Eſther 14.* Eſther 14. *Nunquam lætata fuit ancilla tua, ex quo huc translata ſum, vſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus Abraham.* Vnde & in Cantico ſuo intonuit: *Luc. 1.* *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Non ait, ſe exultaſſe in diuitijs, quia diuitiæ tanquã ſpinæ, (ſic enim illas Chriſtus Dominus vocauit,) mentem lacerant. Diuitijs affluebat Rex *Budæus,* Creſus adeò, vt Budæus affirmet, ex ſolis Cenſibus, qui illi ſingulis annis reddebantur, ſcutorum milliones quinque haberet; *Plutarch.* ait autem Plutarchus, nihil aliud hanc tantam diuitiarum copiam ſibi deſeruiſſe, niſi, vt infelicius viueret, obiret infeliciſſimus. Non ait, ſe exultaſſe in delicijs, quia hæ (vt expertus fuit Salomon) amaritudinem generant, & dolorem pariunt. Solam ergo montis Syon ſignificationem ſingulari myſterio grauidam obſeruo: interpretatur enim Syon, aceruus, vt cum Nicolao de Lyra Hebraicæ linguę *Nicolaus.* periti ibi adnotant. Ad quod explicandũ, meminiſſe iuuabit, quod (vt tradit Pomponius Mela lib. 1. cap. 6. *Pomp. Mela.* & refert Maiolus in ſuis noctibus canicularibus colloquio 16.) *Maiol.* ea propter celebris fuit olim hic mons, quia in eo media nocte videbantur hac, & illac diſcurrentes quidam ignes, qui tandem ad ortum Solis in vnum globum coibant, & copulabantur. *Cogit ſe, ac rotũdat, & fit ingens globus,* inquit Maiolus. *Maiolus.* Non diſſimiliter in media illa caliginoſa tàm naturæ, quàm ſcriptæ legis nocte, varij ignes viſi ſunt hac, & illac diſcurrere: Noë, Abraham, Iacob, Moyſes, Ezechias, Samuel, Dauid, & alij permulti clariſſimi viri. Paulò tamen ante Solis Iuſtitiæ ortum, omnes iſti ignes in vnum globum conuenerunt, quia virtutes, gratiæ, ac diuina horum omnium chariſmata in his omnibus diſperſa, in Beata Virgine ſimul copulata ſunt, vt meritò proinde, mons Syon, id eſt, aceruus compellari debeat. Aceruus (inquam) omnium virtutum: aceruus cœleſtium monilium: aceruus omnium ſupernorum donorum, aceruus omnium diuinorum chariſmatum, aceruus omnium ſupernaturalium munerum, aceruus tandem omnium gratiarum, & priuilegiorum tàm Angelis, quàm hominibus conceſſorum. Atque huc facit, quod narrat Heſiodus in libro, *Heſiod.* cuius titulus: *Opera, & dies*. Ait enim Deos omnes conueniſſe, vt Pandoram varijs dotibus ornarent, ſinguli ſingula dona ei elargientes: vnus pulchritudinem, alius fortitudinem, alius ſapientiam, alij ſimiles alias perfectiones in eam conferebant, vt ſic aptior redderetur ad vindictã ſumendam de Prometheo, qui cœleſtem ignem furatus fuerat, qui mortalibus vitam dabat. Ad eundem modum, non multi Dij, multæ tamen diuinæ perſonæ in eo conuenerunt, vt Beatam Virginem, tanquam diuinam Pandoram, varijs muneribus cumularẽt. Pater impertiuit fortitudi-

titudi-

titur cœlitus ei Angelicus nuncius, conce
ptionem, ac parturitionem ei prænun-
cians, & conſenſum in eam ab illa expo-
ſtulans, prudenter, & maturè per inter-
rogationem ſuam, re explorata: *Quomo-
do fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?*
continuò nulla mora interpoſita aſſenſit,
Luc. 1. in illa verba prorumpens: *Ecce ancilla
Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*
Quid cùm iam grauida diuina prole, & ad
celſiſſimam Dei matris dignitatem eue-
cta, confeſtim ad inſeruiendum Eliſabe-
thæ prægnanti ſe celeri greſſu contulit, D.
Luc. 1. Luca dicente: *Exurgens Maria, abijt in
montana cùm feſtinatione?* Quid quod he-
rodiana perſecutione cõtra Chriſtũ orta,
noctu accepta diuina reuelatione de receſ
ſu in Aegyptũ, Cogitat & eadẽ nocte ſur-
gẽs abſque vlla mora, in barbarã illam Na
tionem iter arripuit, vt diuinam, & hu-
manam prolem ab Herodis ſæuitia inco-
lumem ſeruaret? Quid quòd in via Euan-
gelicæ perfectionis celeri adeò motu per-
gebat, vt quolibet charitatis actu tantum
augmenti gratiæ mereretur, quantum gra
tiæ in illa præexiſtebat, qua celeritate
nihil maius dici poteſt, cùm vnico momen
to temporis, tantum ſpiritualis huius viæ
ſpatium percurreret, quantum toto antè
actæ vitæ tempore præcurriſſet. Quid tan-
dem, quòd reliquorum omnium Sancto-
rum vel nullus ad immortalem vitam hu-
cuſque in corpore ſurrexit, vel ſi quiſpiam
eo fauore donatus eſt, id multo tempore
poſt mortem obtinuit, vt illis accidiſſe
putant nonnulli Doctores, de quibus, aper-
tis monumentis in morte Chriſti, Euan-
Matth. 27. geliſta dixit: *Et multa corpora Sanctorum,
qui dormierant, ſurrexerunt.* At Beata
Virgo tanta celeritate iam iam defuncta
ſurrexit, vt tertio poſt obitum eius die,
inſtar filij ſui, ad vitam immortalem in
corpore fuerit ab eo reuocata; & ſtipan-
tibus Angelis ad Thronum eiuſdem filij
Regio diademate coronata, & ingenti ce-
leritate perducta. Quid tandem, quòd ad
dexteram Dei ſedens, iuxta vaticinium
Pſal. 44. Dauidis: *Adſtitit Regina à dextris tuis,*
peccatoribus auxilium ſuum implorauti-
bus citius, ac velocius præ cæteris omni-
bus ſanctis impertitur? Vt enim Luna, vt
Aſtrologi demonſtrant, omnibus Planetis
vicinior eſt Terræ, atque adeò citius re-

liquis omnibus in eam influit, fouet, at-
que protegit; ita Beata Virgo, inſtar ve-
lociſſimæ Lunæ, nobis proximior, & vi-
cinior, velocius, ac celerius noſtris neceſ-
ſitatibus opitulatur. Atque hinc Diuus
Bernardus de natiuitate Virginis, pecca- D. Bernard.
tores hortatur, vt quantumcumque fa-
cinoroſi ſint, ad Virginem confugiant,
eiuſque patrocinium inuocent. Mellifluæ
exhortationis illius verba hæc ſunt: *Ad* D. Bern.
*Patrem verebaris accedere, ſolo auditu
territus ad filium fugiebas, Ieſum tibi de-
dit mediatorem. Quid non apud talem
Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur
itaque pro reuerentia ſua: pater enim di-
ligit filium. An verò trepidas & ad ip-
ſum? frater tuus, & caro tua eſt, tentatus
per omnia abſque peccato, vt miſericors fie-
ret, hunc tibi fratrem Maria dedit.
Sed forſitan & in ipſo maieſtatem verea-
re diuinam, quòd licet factus ſit homo,
manſerit tamen Deus? Aduocatum habe-
re vis & ad ipſum? ad Mariam recur-
re; pura ſiquidem humanitas in Maria,
non modo pura ab omni contaminatione,
ſed & pura ſingularitate naturæ; nec du-
bius dixerim, exaudietur & ipſa pro re-
uerentia ſua. Exaudiet vtique matrem
filius, & exaudiet filium Pater. Ecce
inuitaris accedere confidenter ad Ma-
riam: quod ſi recuſas, caue ne ſi in hac vi-
ta piam matrem reſpuas, deinceps poſt
mortem, diram nouercam aduerſum te
inſæuientem illam experiaris.* Vt enim
dixit Diuus Matthæus: *In die extremi iu-* Matth. 24.
dicij, Luna non dabit lumen ſuum; hoc
eſt non ſolùm materialis hæc Luna ab
illuminando, & fouendo terram, ſed &
Maria myſtica Luna à fouendo, & pro-
tegendo peccatores pœnitus ceſſabit.
Nunc ſplendet hæc Luna, inferiora hæc
beneuolo aſpectu proſpicit: preſſuris no-
ſtris occurrit apud filium: pro nobis orat,
ſupplicat, & excuſat impetrat reconci-
liat. In horrenda autem illa die, quæ
nox potius caliginoſa dicenda eſt, ful-
gentiſſima hæc Luna non dabit lumen
ſuum: fons ille miſericordiæ exhaurietur,
oceanus ille pietatis exſiccabitur: & quæ
commune peccantium refugium, miſero-
rum auxilium, aſylum errantium, pharus
naufragantium eſſe agnoſcitur, tunc im-
mitem, diram, & immiſericordem ſe

exhibebit; benignitatis viſcera exuet, ſanguinem iracundiæ ſpirare videbitur, ad vindictam peccatorum ſe armabit, æterniſque cruciatibus eos addicet. Vnde ſicut olim Regina Eſther, vt libro eius *Eſther. 7.* legimus, capite ſeptimo, Iudæos ad ſe confugientes à morte liberauit, & ſententiam contra illos latam cancellauit, Aman verò impium eorum hoſtem in Crucem egit; ita Regina Maria peccatores, eam inuocantes ab æternæ mortis damnatione eripit; impios verò, & in ſua iniquitate pertinaces Amanes in hac vita ad illam confugere recuſantes, non ſolum fouere ipſa recuſabit, ſed in eos *Ierem. 18.* acriter inuehetur, illud Prophetæ Ieremiæ capite decimooctauo ſibi vſurpans: *Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea deduc eos in manu gladij*. Ne igitur fratres, iraſcentem hanc matrem in extremo iudicio iſta dicentem audire cogamini, confugite, obſecro, nunc omnes ad Mariam, cum Diuo Bernardo dicente ſer- *D. Bernar.* mone ſecundo de Aſſumptione: *Accipe quaſcumque exiles; quaſcumque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cùm ſuſceperis vota, culpas noſtras orando, excuſa. Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antydotum reconciliationis. Sit per te excuſabile, quod per te ingerimus: accipe quod offerimus: impetra, quod rogamus: excuſa quod timemus, quia nec potiorem meritis inuenimus quàm te ad placandam iram Iudicis, quæ meruiſti eſſe mater Redemptoris, & Iudicis. Succurre ergo miſeris, &c.*

Ceterum, ſi officia pietatis, & miſericordiæ huius clementiſſimæ pientiſſimæq; matris, quibus erga fideles ad ſe confugientes frequenter vtitur, clarius cognoſcere peroptatis, tertium ſolis epithetum quo illam diuinus ſponſus condecorat, *Cant. 6.* attentè quæſo perpendite, *Electa, vt Sol*. Chriſtus Dominus eximiam Dei miſericordiam hominibus manifeſtam facere volens, dixit: *Qui Solem ſuum oriri* *Matth. 5.* *facit ſuper bonos, & malos*. Ad eundem ergo modum, vt declararet miſericordiam, & beneficentiam Beatæ Virginis erga fideles, Soli illam comparauit, dicens; *electa, vt Sol*; quia *inſtar Solis, omnes fouet, omnes exhilarat, omnibus ſinuum aperit*, vt Diui Bernardi verbis vtar *D. Bernar.* ſermone quarto de Aſſumptione. Vnde ipſius Dauid, Pſalm. 86. illa vox eſt: *Memor* *Pſal. 86.* *ero Rahab, & Babylonis*, ac ſi dicat; licet à me auxilium expoſtulent laſciui, prophani; ac ſcelerati homines, opem meam non continebo; ſed inſtar Solis, conſuetæ miſericordiæ radios in eos liberaliter diffundam. Verba etiam ſequentia (vt obiter id dicam) eandem maternam Virginis benignitatem, & miſericordiam perſpicue ſatis indicant, dum eam omnium miſerorum hoſpitium eſſe regius vates prædicans ſubdit: *Ecce alienigenæ,* *Ibid.* *& Tyrus, & Populus Aethyopum, hi fuerunt illic*, quaſi diceret: ad illam, tanquam ad commune, & vniuerſale miſerorum hoſpitium confugiunt omnes peccatorum nationes. Ad eam inuocandam veniunt Tyrij mercatores, Sydonij vſurarij, libidinoſi Aethiopes, *hi fuerunt illic*: omnes illos capit longitudo, ac profunditas Marianæ charitatis. Quòd ſi à Dauide ſciſciteris, quid eſt, quòd omnes confidenter adeò Beatam Virginem adeunt, ad varia beneficia ab illa obtinenda? Ipſe ibidem reſpondet, quia, vbi noſtra vulgata transfert: *hi fuerunt illic*, originale Hebræum legit (vt Diuus Hie- *D. Hieron.* ronymus, & Lyranus adnotarunt) *iſte* *Lyranus* *natus eſt ibi*: quaſi dicat: ideo confidentius ad illam confugiunt peccatores omnes, quia credunt, Chriſtum conceptum in ea, ac veram Dei matrem eſſe; & conſequenter potentiorem præ ceteris ad impetrãdum ab eo quicquid ei poſtulauerit. In cuius figuram legimus libro tertio Regum *3. Reg. 2.* capite ſecundo, quòd cùm Adonias cuperet certum quendam fauorem à Rege Salomone ſibi impendi, ipſius Regis matrem adijt, iudicans nullam, quam matris, efficaciorem interceſſionem eſſe. Sed nec ſilentio præteribo Ionatæ paraphraſim (id referente Genebrardo, in *Genebrar.* Pſalm. 86.) qui prædicta verba in hæc vertit: *Hic Rex vnctus, vel magnificatus eſt*. Quæritis à me rationem, quare omnes indiſcriminatim multa fiducia Virginis opem implorant? ecce reſpondeo, rationem eſſe, tum quòd in vtero eius Rex gloriæ fuit vnctus oleo non

mate-

materiali inſtar aliorum Regum, ſed oleo miſericordiæ, ex quo non potuit mater eius eodem oleo non manere tota perfuſa. Tùm quòd magnificauit illam Deus, non ſolùm magna in Virgine operans, ſed magna mortalibus per Virginem beneficia conferens. Longè certè aliter viſus fuit Chriſtus à Ioanne ac videtur à Virgine: ab illo viſus fuit habens enſem euaginatum in ore ad feriendum peccatores; at in Virgine viſus eſt vnctus oleo, quod miſericordiæ Symbolum eſſe noſcitur, ad eorum vlcera medicanda. Vnde ipſius illa vox eſt, Ioſue 6. *Rahab meretrix viuat*. Super quæ verba Diuus Chryſoſtomus homilia quinta de pœnitentia, tomo quinto perbelle dixit: *Reſpice vera clementia prædicatorem. Qui in lege dicit; non mœchaberis, verbum transmutans de clementia, clamat per B. Ieſum Naue: Rahab meretrix viuat.* Ieſus ille qui dicebat: *Rahab meretrix viuat*, imago erat (vt mihi videtur, expreſſa Domini Ieſu dicentis Matth. 21. *Meretrices, & Publicani, peruenit in vos regnum Dei.* Sed dic mihi Domine Ieſu, ſi viuere debet, quare meretrix? & ſi meretrix, quare viuet? quia proprium eſt mihi miſereri ſemper, & parcere.

Ioſ. 6. — *D. Chryſ.* — *Matth. 21.*

Solem Poetæ (vt Author eſt Ennius) propter ſplendorem eius, album nuncupabant:

Ennius.

Intereà Sol albus receſſit in infera noctis.

Beatæ Virginis candor Solis candorem, ſeu ſplendorem in eo ſingulariter perſimilis eſſe perhibetur, quòd ille nunquam ab eo recedit, in quo valde à Luna diſcriminatur. Nam hæc cùm per interpoſitionem terræ inter ipſam, & Solem, à quo candorem, & ſplendorem ſuum mutuat, eclypſatur; neceſſe eſt tunc amittat illum. At quia Sol non aliter eclypſatur, quàm ex eo, quod nos impedimur ab aliquo corpore interiacente, eius claritatem intueri, nihil ſui candoris, & ſplendoris amittit. Hoc igitur diſcrimen intueor inter Virginem, & nos omnes, quòd nos eclypſamur, inſtar Lunæ per interpoſitionem alicuius terreſtris affectus, per quem gratiæ candorem amittimus, quem à Sole Iuſtitiæ, qui candor eſt lucis æternæ, participabamus; at Beata Virgo, inſtar Solis, non eclypſatur in ſe lucis ſuæ candorem amittens; ſed in Hæreticis tantùm, qui tetra errorum caligine inter ipſos, & Virginem interiacente, eximium lucis illius candorem non vident, Dauidica maledictione eos comprehendente: *Oculos habent, & non videbunt*. Fauſtus affirmat, Solem non ſemel frementes maris vortices compeſcuiſſe, & inſurgentes eius tempeſtates ſedaſſe.

Pſal. 113. — *Fauſtus.*

Fulgidus, vt pulſa Sol tempeſtate, ſerenat.

idque confirmat Maiolus in ſuis canicularibus colloquijs dicens, id ſæpè experientia compertum fuiſſe; immò, & Diuus Ambroſius conſenſit, dum cecinit.

Maiolus. — *D. Ambr.*

Hoc nauta vires colligit.
Pontique miteſcunt freta.

Quis quæſo ignoret, quot ante partum Virginis, procellis, huius Mundi turbulentium mare fuerit conquaſſatum? Diluuij inundationem tempore Noe: ignem, & ſulphurem de Cœlo cadentem tempore Loth: peſtem per mille Regiones graſſantem ſubſtinuit; & quod deterius eſt, idololatriæ cultui miſerè erat quaſi vniuerſus Orbis addictus. At Beata Virgo Chriſtum enixa, continuò inſtar Solis, tumentes huius maris fluctus compreſſit, & idolorum cultum extinguens, vniuerſum Orbem ſedauit. Quòd ſi verum eſt, quod Plinius libro ſecundo, cap. 103. immò, & Diuus Baſilius in exameron. Homilia 2. tradunt, quòd ſi ingruente maris tempeſtate, oleum inter fluctus maris effundatur, confeſtim furorem eius miteſcat, & leniat; conſequens eſt, Beata Virgine inter vndas huius frementis maris Chriſtum Dominum effundente, de quo ſponſa dixit: *oleum effuſum nomen tuum*, continuò illud ſedandum, ac pacandum fore.

Plin. — *D. Baſil.* — *Cant. 1.*

Deinde, ſicut ea eſt claritas Solis, vt non ſolum inferiora hæc micantibus ſuis radijs illuſtret, ſed & ſuperiora, etiam cœleſtia illuminet. Vnde Author lib. de proprietatibus rerum, ait: *Sol in medio ſigniferi incedens, biſſenos radios emittit, quibus ſuperiora, & inferiora illuminantur*; ita B. Virgo, inſtar Solis non ſolū inferiorem hanc Eccleſiam militantē fulgentiſſimis doctrinæ, & ſanctitatis ſuæ radijs illuſtrat, & inſtar eiuſdē coloris detegit, faciens

Incognitus

Digitized by Google

ciens nos diſcernere bonum à malo, & falſum à vero. Vnde Alexander de Ales *Alenſis.* ſuper Pſal. 18. dixit: *Sol dicitur B. Virgo, quia ſicut Sol illuminat; & ipſa quia abſtulit omnes hæreſes Mundi ſicut cantat Eccleſia: Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo.* Non ſolum (inquam) id præſtat, ſed & ſuperiorem, & triumphantem Eccleſiam miris fulgoribus micans vultu ſuo irradiat; vt non immeritò in illam conueniāt *Eccl. 26.* verba Eccleſiaſtici 26. *ſicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.*

His addo, quod ſicut ſolare aſtrum vehementem adeo calorem producit, vt ſi lignum ſiccum, vel ſtuppam contra ſpeculum concauum apponas, Solis radijs expoſita, continuò inflammetur, & comburatur; vt longa, & quotidiana experientia ſatis comprobat; ita Beata Virgo mentes puras, ac ſibi deuotas, quæ ſunt, velut ſpecula terſa, & munda, in Dei dilectionem inflammat, ob idque *Eccl. 24.* *Mater pulchræ dilectionis* vocatur.

Tandem quia longiſſimū eſſet, & ab inſtituto meo alienum, proſequi velle omnes ſolis proprietates, effectus, & munera, quibus perſimilia alia in Virgine reperiuntur; contentus ero paucis hoc loco ex priſcorum Doctorum monumentis *D. Ambroſ.* illa indicare. Diuus Ambroſius in exameron, inquit: *Sol eſt oculus mundi, iucunditas Dei, pulchritudo Cæli, menſura temporum, virtus & vigor omnium naſcentium, domus planetarum, decor & perfectio omnium ſtellarum*, & Martianus Philoſophus (vt refert Author incognitus libro de proprietatibus rerum) dicit: *Martia. apud Incognitum.* *Sol eſt principium lucis, Rex naturæ, mens Mundi, fulgor Olympi, & moderator firmamenti*, & Plato in Timæo ait: *Plato.* *Sol à Deo factus eſt, quaſi conditor rerum.* Ad quod alludens Ariſtoteles dixit: *Ariſt.* *Sol, & homo generant hominem*, & hiſtoria Scho- *Hiſt. Scholaſt.* laſtica capite quarto vocat Solem, *fontem perennem totius luminis*. Diuus Dio- *Dion. Areop.* nyſius libro de diuinis nominibus capite quinto addit, quod *non ſolum illuminat, ſed etiam renouat, nutrit, cuſtodit, perficit, diſcernit, vnit, refouet, fœcundat, auget, mutat, collocat, plantat, remouet, & viuificat omnia.* Quæ verba exponens ibidem Commentator, ſubiungit: *Sol in ſua ſubſtantia habet ſummam ſimplicitatem, & perpetuam permanentiam, ac incorruptibilitatem, ſummam ad motum habilitatem, & agilitatem, ſummamque actiuitatem, & virtutem*; lateque ibi relatos omnes effectus elucidat, & illuſtrat. Sol item oritur ex alto, magno fulgore coruſcans: omnium Planetarum pulcherrimus eſt, & ideo aſpectu valde delectabilis: incapax eſt omnis peregrinæ impreſſionis, terræ vtiliſſimus agnoſcitur, auri, & argenti mineralia, ac precioſas gemmas in ea producit, conſolidat debilia, dura liquefacit, inſtar horologij regulat actiones hominum, & vt Machrobius te- *Macrobius* ſtatur, cùm ſit octies maior tota terra, propter celſitudinem ſui loci vix bipedalis apparet, & in eius conſpectu viſus humanus decipitur, cum maior in ortu, & occaſu ſibi videtur, quando ab eis magis elongatur, quàm in puncto meridiei, cum propinquior ei ſit. Quæ omnia excellentius, & cumulatius in Beata Virgine, quàm in Sole reperiri non dubitat Salomon Sapien. 7. cum de illa dicat: *Hæc* *Sap. 7.* *eſt ſpecioſior Sole.* Vnde verba illa Dauidis: *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, &* *Pſal. 103.* *in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam*, Virgini quam ſponſus Solem appellat. *Electa vt Sol:* perfectius quam ipſi Soli quadrant. Orta enim Maria, *ortus eſt Sol*, & tunc *congregati ſunt*, ſcilicet dœmones, *& in cubilibus ſuis collocabuntur*; quia ad inferna abire illos coegit, ne nos infeſtarent, iuxta illud: *Ortus eſt Sol, & auolauerunt locuſtæ:* Na- *Nahum. 3.* hum. 3. *Exibit homo ad opus ſuum* quia ad benè operandum pia mater expeditos, ac promptos reddit eius ſeruituri addictos. *Et ad operationem ſuam vſque ad veſperam*, quia perſeuerantiam in bonis operibus vſque ad veſperam mortis efficaciter eis impetrat, quo nihil vtilius excogitari poteſt.

Ad extremum, iam tempus eſt, vt de quarta aciei benè ordinatæ præclara, & honorifica nomenclatura nonnihil dica- *Cant. 6.* mus: *Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata:* Salomon dixit Prouerb. 31. de femina proba, quod Virginis apte ſatis *Prou. 31.* congruit: *Fortitudo, & decor, indumentum eius.* Decor certe Solis, quo velut indumento ornatam vidit Ioannes Beatā

Vir-

Digitized by Google

Apoc. 12. Virginem: *mulier amicta Sole.* Fortitudo verò aciei benè inſtructæ,& ordinatę,quæ pauorē ſolo ſuo terribili aſpectu hoſtibus incutit, *terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata.* Symmacus: *terribilis cum acie.* Sexta editio, *terrefaciens inter eas, quæ ſunt magnificatæ:* alij *terribilis, vt acies inſtructa:* alij *tanquam aduentus ſplendoris*; ac tandem originale Hebræum: *terribilis, vt vexillata Caſtra.* adeo dœmones Virginem exhorreſcunt, vt vlulantes clamitēt illud Gen 32. Gen. 32. *heu heu quia caſtra Dei ſunt hæc:* Claud. Min. Claudius. Minote emblemate 70. narrat Turcis formidabilem adeò fuiſſe Chriſtianū,ac fortiſſimū Ducem, Vnniadem nūcupatum, vt multis etiam poſt obitum eius tranſactis annis nutrices, ad incutiendum infantibus, & pueris timorem,& tremorē, dicere conſueſcerent: *ecce venit Vnniades.* Non diſſimiliter Beata Virgo tenebrarum Principibus adeo formidabilis eſt, vt non ſolum ad eius aſpectum, aut ad eius figuram, ſed ad ſolum nominis Mariæ au- D. Bern. ſuper miſſus. ditum, fremant,& tabeſcant, Bernardo dicente: *Non ſic timent hoſtes viſibiles quālibet Caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ Poteſtates Mariæ patrocinium, vocabulum, vel exemplum.*

Claudo tandem totum hunc orationis noſtræ diſcurſum, velut fulgentiſſimo dyademate illum coronans, diſertiſſimi pariter, & pientiſſimi Doctoris Guillelmi expoſitionē opportunè apponēs hic alterius loci huic noſtro perſimilis. In caput enim Cant 6. 6. Cantic. elucidans verba illa: *Pulchra es amica mea ſuauis, & decora ſicut Hieruſalem, terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata;* ait: *Vox Dilecti eſt alloquentis dilectam.* Pariſienſis. *Vox (inquam) pij Ieſu blande alloquentis, leniterque mulcentis piam matrem ſuam, quippe nec aſſumptus in Cœlum, ſedenſq; ad dexteram Patris, dulciſſimus eam filius deſerebat, ſed ei iugiter à dextris, & à ſiniſtris aſſiſtens, diuino quodam, ſecretoque ſuſurro, intus cum materna conſcientia diſſerebat: Et quidem ipſa circa nouam eius plebem, pia ſollicitudine ſatagens, nunc cum ſodalibus eius, ideſt ſanctis Apoſtolis: nunc verò cum filiabus Hieruſalem, ideſt nouitijs fidei ſacra, & ædificatoria foris miſcebat eloquia. Interea illi intus à filio dicebatur verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcipiebat aure interiori venas ſuſurri eius, & gaudebat propter vocem ſponſi dicentis: Pulchra es &c. Amicam appellat more ſolito familiariter blandiens; atque eximiam dilectionem, qua in eum illa flagrat, præclarè commendans. Pulchram dicit, & ſuauem, & decoram, & terribilem: quatuor ſanè Cardinalibus virtutibus, quibus benè viuitur, illam excellenter pollere inſinuant. Pulchram dicit, propter iuſtitiam: ſuauem propter prudentiam: terribilem, propter fortitudinem:*

Pulchra (inquam) dicitur propter virtutem Iuſtitiæ, quæ nimirum animi pulchritudo eſt; nam pulcher,& gratus eſt talis animus oculis diuinæ maieſtatis, ſicut propter iniuſtitiam deformis, & fœdus.

Suauis dicitur propter virtutem prudētiæ, quæ nimirum non tantum ſapienter, ſed & ſuauiter, & tanto ſuauius, quanto & ſapientius operatur. Vnde ſapientiæ ſpecialis, & præcipua laus eſt, quòd diſponat omnia ſuauiter.

Decora dicitur propter virtutem Temperantiæ, quæ caſtigat animæ ſimul, & carnis motus indecoros, quantum per illam anima eſt decora, hoc eſt immunis à dedecore, & turpiter diffluens.

Terribilis dicitur propter virtutem fortitudinis, quæ dum hoſtiles impetus conſtanter tolerat, hoſtilem audaciam potenter frenat, iuxta illud Apoſtoli Iacobi: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*, tanta eſt fortitudo Virginis, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Iacobi 4.

* *
*

Homilia VI.

Serpenti, Naui, & Aquilæ in ſublime volanti Beata Virgo comparatur: Volaſſe autē oſtendimus duabus alis vitæ actiuæ, & contemplatiuæ; & inſtar Aquilæ dum volauit, oculos ſuos nō auertiſſe à filiorum tutela; nonnullaque alia Aquilæ propria, Beatiſſimæ Virgini in Cœlum aſſumptæ adaptantur.

INter alia non pauca, quibus Beata Virgo à Sanctis Patribus comparari ſolet, Aquilæ certè comparatio minimè poſtremum locum ſibi vēdicat, tum ad elucidandum præſens glorioſæ Aſſumptionis argumentum, tum ad exprimenda beneficia, quibus in Cœlum aſſumpta, noſtram indigentiam locupletat. Salomon Prouerb. 30. tria ſibi aſſeruit eſſe valde difficilia: *Colubrum ſuper petram, viam Nauis per mare, & viam Aquilæ per aera volitantis*: Hæc ſi materialiter, & ſecundùm corticem literæ accipiantur, nemo ſanæ mentis inficiabitur, difficilia non fuiſſe cognitu ſapientiſſimo Salomoni, cuius tanta fuit rerum naturalium cognitio, vt de illo lib. 3. Regum cap. 3. ſcriptum ſit *Deum dediſſe illi cor ſapiens vſque adeo, vt nemo ante illum ſimilis fuerit, nec poſt eum futurus eſt*. Oportet ergo intelligantur in ſenſu myſtico. Multi Patres, quos nos ſecuti ſumus ſupra lib. 7. ad Chriſtum Dominum illa referunt; nos modò in Mariam etiam conuenire poſſe arbitramur: fuit enim inſtar ſerpentis ab infantia, ſingulari prudentia prædita, implens illud: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes*. Nec mirū, ſi ſerpentem vocemus matrem, cuius filius ſe ſerpenti comparare non exhorruit. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*. Maximè quòd cùm Virgo contriuerit caput antiqui ſerpentis, & mos increbuerit, vt victor nomen victi accipiat; Africanus, Aſiaticus, Germanus; inde fit, conuenienter ſatis eſſe, vt quę victrix antiqui ſerpētis fuit, ipſius ſerpentis deuicti nomine inſigniatur. Ex alio etiam capite non incongruè Maria, ſerpens appellatur, quia ad imitationem ænei ſerpentis, ſicut in illum aſpicientes à veneficis morſibus, quibus exulcerati erant, protinus ſanabantur, ita oculos intendentes in faciem Beatæ Virginis, ab omni prorſus libidinis æſtu liberabantur, & in miros Caſtitatis amores excitabantur, vt expreſsè tradunt Diuus Ambroſius de Inſtitutione Virginum cap. 7. & S. Thomas in tertio diſt. 2. q. 1. art. 2. ad quartum cum alijs multis, quos retuli ſupra lib. 2. Homilia quinta: Id ſanè dignum erat, vt ſapientiſſimum Salomonem in admirationem duceret. Sed & ſecundum, quod adiecit: *Nauem in medio mari*: non in minorem admirationem illum rapuit; eſt enim Beata Virgo myſtica quædam nauis, cuius gubernaculum, eſt ſapientia, & diſcretio. Remi, ſancti affectus. Malus, ſublimis, & alta contemplatio, munda, & caſta Conuerſatio. Corda, funiculi amoris, vnitatis, & concordiæ. Anchora, ſpes firma, & fiducia in Deum. Operimentū, externa, ac ſancta cōuerſatio. Velum, munditia Corporis cum rubore verecundiæ coniuncta. Naucleros, Spiritus ſanctus, qui illā agebat; nā ſi hi, ſpiritu Dei aguntur, qui filij Dei ſunt; quanto magis agetur, quæ nō ſolùm filia, ſed pariter Mater Dei, naturalis eſſe agnoſcitur?

Verùm, vt clarius innoteſcat, quàm benè in B. Virginem comparatio nauis cōueniat, obſeruo, quòd ſicut illa eſt figura, & forma nauis notiſſima, quod ſuperius eſt aperta, inferius clauſa, in principio ſtricta, in fine anguſta, in medio lata, & profunda ita B. Virgo ſecundum portionē ſuperiorē animæ, aperta erat ad cœleſtia charismata recipienda; ſecundū inferiorē verò portionem omnino clauſa terrenis affectionibus. Fuit inſuper in principio ſuæ Conceptionis ſtricta adeò vt originale peccatum aditum ad illā maculandā non inueniret. Fuit in fine Paſſionis anguſta, dum ob mortem filij ſui, varijs fuit anguſtijs oppreſſa. In medio lata, & capaciſſima, quia quē coeli Cœlorū capere non poſſunt, vteri ſui gremio contulit. Tandē profunda per humilitatē, cum ad culmen celſiſſimæ Dignitatis

Prou. 30.

3 Reg. 3.

Matth. 10.

Ioann. 3.

S. Ambr.

S. Thom.

Matris

Matris Dei euecta, ancillam ſe vocaret: *Ecce ancilla Domini*. (Luc. 1.) Malus autem, ſeu arbor huius nauis valdè erectus, Christus Dominus fuit, qui ſitidem arborem ſe vocauit: *Si in viridi ligno hoc fit, in arido quid fiet?* (Luc. 23.) Erectus etiam, Paulo dicente: *Excelſior Cœlis factus*. (Hebr. 7.) Arma hulus ſacri nauigij, variæ eius virtutes tàm infuſæ, quàm acquiſitæ erant, quibus velut tormentis bellicis aduerſus hoſtium incurſus, præmunita ſemper adeò extitit, vt cùm illos millies profligaret, ac deuinceret, ab eis nunquam nec in minimo deuicta fuerit. Vnde ſi in Agrippæ nummo nauis tridentali roſtro, inſignis victoriæ naualis erat indicium; certè Mariana nauis triplicis virtutis infuſæ, Fidei, Spei, & Charitatis, tanquam tridentali roſtro inſignita, victoriæ aduerſus hoſtes malignos egregium hieroglyphicum fuit, Deo ipſo à primordijs conſtitutionis Mundi dicente: *Ipſa conteret caput tuum*. (Geneſ. 3.) Item ſicut nauis grauiſſima pondera, quæ nullo humano artificiò alioquin ex vno loco ad alium tranſuehi poſſent, facilè portat, ſic Beata Virgo vtero ſuo deferens Chriſtum Dominum, qui grauiſſima peccatorum noſtrorum onera ſupra dorſum ſuum portabat, Iſaia dicente: *Poſuit in eo Deus iniquitatis omnium noſtrum*; (Iſai. 53.) magna pondera in carne filij, quæ caro eius erat, detulit. Deinde ſicut nauis aſportare ſolet frumentum ex vberrimis Regionibus ad ſteriles, vt illarum abundantia iſtarum inopiam ſuppleat; ita Beata Virgo, vt ait Salomon Prouerb. vltimo: *Facta eſt quaſi nauis Inſtitoris, de longe portans panem ſuum*. (Prouer. 31.) Ex vberrimis enim paſcuis cœleſtis Paradiſi, detulit in ſterilem, ac infœcundam huius Mundi plagam, ſuperſubſtantialem illum panem, Chriſto Domino dicente, Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi*, (Ioan. 6.) quo fideles aliuntur, & nutriuntur. Illud tamen valdè mirabile eſt in hac ſacra naui, quod ipſa intra ſe hunc cœleſtem panem confecit, vt propterea meritò ſignificata fuerit, Matth. 13. quæ tria ſata farinæ commiſcuit: ipſa enim corpus, animam, & diuinitatem ſimul coiunxit, & copulauit medio fermento ſui conſenſus, quem verbis illis expreſſit, cum Angelo ab ea illum poſtulanti reſpondit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*. (Luc. 1.) Atque hinc videre eſt, quàm egregiè Beata Virgo verbum incarnatum nobis deferens, naui illi Salomonis comparetur, quæ, vt legimus libro 3. Regum, ex Ophyr precioſiſſimum aurum deferebat, ad ornamentum Templi, quod ipſe ædificauerat. (3. Reg. 10.) Attulit certè nobis Mariana Nauis Chriſtũ Dominum, aurum mundiſſimum, cuius meritis, velut olim filię Hyeruſalem Salomonis rubicundis capillis capita exornabant, Eccleſia Catholica perpolitur, & condecoratur: cuius valore, & inæſtimabili precio magna peccatorum debita ſoluuntur: cuius mirabili virtute, velut pręſentiſſimo antidoto, infirmi curantur, & corda fidelium lætificantur: cuius tãdem micanti ſplendore Eccleſiæ Templum miris fulgoribus coruſcat. Vnde ſi Omnirocritæ obſeruabant, id referente Henrico Schualen in ſuis Aphoriſmis, lib. 4. (Schualen.) *Nauis in ſomno viſo nuncium ex longinqua peregrè confeſtim affuturum præſagiebat*; certè cum primùm hęc ſacra nauis fuit fabricata, & à Salomone, ſpiritũ prophetico præuiſa in ea naui panem de longe portante, præſagium illa ſibi fuit, æterni Patris nuncium, ac legatum eius à latere filium ſibi conſubſtantialem, intra breue temporis curriculum, de Cœlo ad terram eſſe venturum. Quòd ſi eodem Auctore id ſcribente prædictato loco, Nauis apud veteres, fuit felicitatis Hieroglyphicum, verè cùm primum ſacerrima hæc nauis in Mundo apparuit, non ſolum hieroglyphicum, ſed indubitatum, ac certiſſimum noſtræ felicitatis argumẽtum extitit, cùm ex fabricatione illius, aduentus Verbi diuini, in quo tota noſtra felicitas ſita erat, dependeret. Ad hæc ſicut illud intereſt diſcrimen inter nauem, & triremem, quòd illa vento agitur, hæc verò nonniſi adhibitis remis, & labore coactè remigantium iter ſuum conficit; non diſſimiliter illud interfuit diſcriminis inter Beatam Virginem, & reliquos Sanctos; quòd alij fuerunt, veluti Triremes, quæ ſummo labore ex renitentia carnis, & fomite peccati orto, ad cœleſtis patriæ portum pergebant; Beata autem Virgo, inſtar nauis, placido Spiritus ſancti vento, ac ſuauiſſima aura agebatur. Si enim (vt naturales Philoſophi cum Ariſtotele in Meteoris docent) (Ariſtot.) nauis à duodecim ventis moueri ſolet, Subſolano, Euro, Vulturno, Fauonio, Auſtro, Euro Auſtro, Euro Aphrico,

co, Aquilone, Borea, Choro, Cyreino, Septentrionali, & Euronoto; ita Beata Virgo inſtar feliciſſimæ nauis duodecim fructibus Spiritus ſancti, quos enarrat D. Paulus, velut ſecundiſſimis ventis, nulla carnis rebellione, aut fomitis peccati impugnatione, ceu remora curſum eius retardante, in cœleſtis patriæ portum agebatur. Quid plura? Sicut olim nemo ſaluus factus eſt tempore inundantis diluuij Iræ Dei, quando omnem carnem fluctibus aquarum inuoluit, niſi qui ad nauem Noë in modum arcæ fabricatam confugit; ita peccatorum nemo à diuinæ iracundiæ inundante diluuio liberatur, niſi qui ad Mariam confugere nouit, Bernardo dicēte ſuper Miſſus: *Nihil voluit nos habere Deus, niſi per manus Mariæ tranſeat.* Ad extremum, in eo inter alia pleraque ſingulariſſimum habuit hæc ſacerrima nauis quòd reliquæ omnes præ humana fragilitate, peccatorum naufragia patiuntur, varijſque tempeſtatibus in magnam earum iacturam conquaſſantur, & quandoque confringuntur, & pereunt. Vnde Eccleſiaſticus dixit, cap. 43. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Naues enim tempeſtatibus, & procellis expugnantur, quæ ab infeſtis, & importunis ventis generantur, Belluarum ictibus offenduntur, Plinio atteſtante de hiſtoria Animalium, Serram maris dorſo ſuo cingere nauem, & Monocærontem marinum acutiſſimo ſuo cornu illam perforare. Hecchenidi ingenti robore, nec non & magnetis virtute nauis detinetur, ne iter ſuum peragat. Arenarum ſyrtibus turbatur, Carybdis voraginum ſorbetur hauſtibus. Piratarum grauatur rapinis, ac Syrenum perdi ſolet canticis. At Beatiſſima Virgo, cū ex vna parte rabidus canis fomitis peccati penitus in ea extinctus eſſet, ita vt nullam internam rebellionem contra eam tentare poſſet; & ex alia aduerſus inſidias diaboli, diuinæ gratiæ ſubſidijs munitiſsima eſſet; certè nec tentationum tēpeſtates, nec carnalium affectionum, velut Belluarum ictus, nec diabolici Hecchenidi tentata retardatio in via famulatus Dei, nec diuitiarum Syrtes; nec mundani honoris Carybdis, nec Piratarum dæmonum vſque ad fundamentum exinanitio, nec tandem dulces Syrenum voluptates fortiſsimos quoque animos plerunque

D. Bernar. *Eccli. 43.* *Plinius.*

demulcentes, illam ſuperare, & quoquomodo lædere poſſent. Hæc ſanè prodigia digna erant, vt Salomonem ea præuidentem in magnam admirationem traherēt. Meritò ergo dixit, Semitam nauis difficilem viſam ſibi fuiſſe. Verùm quod ibidē aſſerit, viam Aquilæ verſus Cœlum volātis ſibi difficilem videri, ad præſens Marianæ Aſſumptionis argumentum propius accedit. Beata enim Virgo aptè ſatis per Aquilæ metaphoram ſignificatur, vt ad præſens inſtitutum ſpectat. Iob cap. 39. ait: *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & ponet in arduis nidum ſuū? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt.* Aquila Regia fuit Beata Virgo, tùm quia ex Regali Regia orta progenie, tùm quia Regio diademate, tāquam vera totius Orbis, tàm terreſtris, quā cœleſtis Regina caput eius redimitū viderit Ioannes, & in capite eius coronam duodecim ſtellarum. Hæc ad præceptum Domini eleuata eſt in Cœlum, dum non propria, ſed Dei omnipotentis virtute ad eam gloriæ altitudinem, quam nulla Creaturarū vnquam attigit, aſſumpta fuit, vt non immeritò dicere poſsit: *Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael Regis noſtri.* Quod autem ait, quòd inſtar Aquilæ in arduis ponet nidum ſuum, & inacceſsis rupibus; excellentiam gloriæ ſoli Mariæ acceſsibilem apertè commonſtrat. Vt autem explicaret gradus, per quos ad tantæ gloriæ culmen aſcendit, ſubdit: *Inde contemplatur eſcam.* Ecce vitam contemplatiuam, quæ Deo vacat: *Oculi eius de longè proſpiciunt.* Ecce vitam actiuam, quæ proximorum vtilitati inſeruit. Duæ quidem iſtæ vitæ actionis, & contemplationis fuerunt huic Regiæ Aquilæ, inſtar duarum alarum, quibus ad ſupremum ſolium cœleſtis Hieruſalem euolauit. Vnde Diuus Ioannes, poſtquàm retulerat viſionem illam: *Signum magnum apparuit in Cælo, Mulier amicta Sole,* poſteà ſubiungit: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum;* hoc eſt, in Cœlum, quod meritò, *deſertum,* nuncupatur, quia ab Angelis deſertum fuit. Vnde Chriſtus Dominus dixit: *Nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad ſolam ouem errantem, quærens?* Videamus

Prouerb. 30. *Iob 39.* *Pſal. 88.* *Matth. 18.*

mus igitur nunc, quomodo Beata Virgo, tàm in Terra, quàm in Cœlo, tàm in Eccleſia militanti, quàm triũphanti, actiuæ, & contemplatiuæ vitæ operibus incubuit.

Ad ſeptem reuocantur; vt ex ſacris literis colligimus, & rudimenta Eccleſiæ Catholicæ docent, opera miſericordiæ corporalia, quæ omnia adamuſſim Beatam Virginem erga Chriſtum exhibuiſſe,
Matth. 25. manifeſtiſſimè oſtendam. Priora ſunt: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere*. Beata Virgo in infantia Chriſtum, ſuo lacte pauit, & potauit.

Fœno iacere pertulit,
Præſepe non abhorruit,
Paruoque lacte paſtus eſt,
Per quem nec ales eſurit.

In illa enim infantili ætate non alia Chriſtus, quàm ſuæ matris ſuxit vbera,
Eccleſ. Rom. Eccleſia canente: *Sola Virgo lactabat vbere de Cœlo pleno*. Quo etiam faciunt verba illa
Cant. 2. Canticorum 2. *Qui paſcitur inter lilia*. Paſcebatur enim Chriſtus Dominus inter caſtiſſima illa lilia, Mariam, & Ioſephum, qui labore manuum ſuarum in pueritia illum alebant; niſi dicamus cum D. Bernardo de Natiuitate Beatæ Virginis, per lilia candidiſſima, intelligi mundiſſimas manus Mariæ, quæ Chriſto Domino cibũ,
D. Bernar. & potum porrigebant: *Manus Mariæ* (inquit ille) *quædam lilia candidiſſima ſunt, nec cauſabitur liliorum amator inter lilia non inuentum quicquid inter Mariæ manus inuenerit*. In ætate etiam adulta vſque ad tempus Prædicationis, quo Chriſtus Mundo ſe manifeſtans, ex piorum eleemoſynis viuebat, ipſa alimenta ei miniſtrabat tàm ante mortem, quàm poſt mortem viri ſui Ioſeph. Immò cùm ieiunauit quadraginta diebus, & totidem noctibus in deſerto, & poſtea eſurijt, non defuerunt, qui putauerint Beatã Virginem, cibum illi paraſſe, quem Ange-
Matth. 4. li ei detulerunt, Matthæo dicẽte: *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei*. Tertium miſericordiæ opus commemorat Chriſtus
Idem c. 25. Dominus: *Hoſpes eram, & collegiſtis me*. Alij egenos, vagoſque inducunt in domos luteas, lateribus, & lignis afabrefactas, Beata autem Virgo non hominem ſolum, ſed Chriſtum Deum hominem in domo ſui pectoris per fidem viuam, ac ventris ſui domicilio per nouem menſes hoſpitio excepit:

Domus pudici pectoris, Eccleſ. Rom.
Templum repentè fit Dei,
Intacta neſciens virum,
Verbo concepit filium.

Quartum opus miſericordiæ eſt, nudum veſtire: *Nudus eram, & cooperuiſtis me*. Ibidem 25.
Ante verbi diuini Incarnationem Chriſtus in pura forma Dei nudus erat, nullo humano veſtimento induebatur; illi verò in vtero Virginis deſcendenti, continuò Beata Virgo ex propria ſubſtantia, purpuream corporis veſtem adaptauit, & humanitatis habitu illum induit, Apoſtolo dicente ad Philip. 2. *In ſimilitudinem* Philipp. 2.
hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Vnde rectè illud Iob cap. 10. ſibi vſurpare poſſet Chriſtus Dominus, Matri ſuæ dicens: *Pelle, & carnibus veſtiſti me:* Iob 10.
oſſibus, & neruis compegiſti me. Cùm poſtea etiam ex Virgineo thalamo in natiuitate exijt, in porticu Betlehemitico, cõfeſtim pannis eum inuoluit, & reclinauit in Præſepio (vt teſtatur Diuus Lucas, ca- Luc. 2.
pit. 2.) infantiliaque membra ſtricta conſtrinxit faſcia, iuxta illud, quod Eccleſia Catholica ait:

Vagit infans inter arcta Eccleſ. Rom.
Conditus Præſepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo Mater alligat,
Et manus, pedeſque, & crura
Stricta cingit faſcia.

Quintum miſericordiæ opus, eſt Infirmos Matth. 25.
viſitare: *Infirmus eram, & viſitaſtis me*. Infirmus certè fuit Chriſtus Dominus bifariam, primò ea infirmitate, de qua ipſe per Prophetã dixit: *Infirmata eſt in pau-* Pſalm. 30.
pertate virtus mea; & de qua Apoſtolus loquens ad Hebræos 5. *Pontifex eſt pro no-* Hebr. 5.
bis conſtitutus à Deo, vt offerat dona, & ſacrificia, qui condolere poſſit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam, & ipſe circundatus eſt infirmitate, hoc eſt, infirma carne, multis laborum, ac pœnarum infirmitatibus obnoxia. Secundo modo infirmatus eſt Chriſtus Dominus in cruce iacens, Iſaia dicente: *A planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*. In om- Iſai. 1.
nibus ergo his infirmitatibus, Beata Virgo filio ſuo, varia miſericordiæ opera compatiendo, & conſolando impendit; & dum in Crucis lecto acerbiſſimos dolores pa-

tereretur, piiſſimo affectu viſitauit, & vſque ad vltimum halitum ei aſſuit, vt teſtatur **Ioan. 19.** D. Ioannes dicens: *Stabat iuxta Crucem Ieſu mater eius.* Ibidem etiam ſextum mi- **Matth. 25.** ſericordiæ opus: *In carcere eram, & veniſtis ad me*, perfectè Beata Virgo adimpleuit. Erat enim acerba illa Crux, veluti carcer, qua clauorum vinculis Chriſtus Dominus detinebatur. Cùm ergo illa materno affectu, indiuidua Chriſti crucifixi comes toto Paſſionis, & mortis tempore extiterit, nemo ſanæ mentis inficiabitur, hoc etiam operis miſericordiæ genus in filium ſuum exercuiſſe. Septimi tandem miſericordiæ operis Eccleſiaſticus memi- **Eccli. 38.** nit cap. 38. *Fili in mortuum produc lachrymas, contege corpus illius, & ne deſpicias ſepulturam eius.* Hoc quis non videat exactiſſimè Beatam Virginē filio ſuo exhibuiſſe? Siquidem pariter cum Nicodemo, & Ioſepho ab Arimathia, qui emortuum Chriſti corpus è Cruce depoſuerunt, ſyndone mundiſſima inuoluit, & vberrimam lachrymarum imbrem profundens, in ſepulchro nouo, in quo nullus vnquam poſitus fuerat, religiosè collocauit. Accedit, quòd ſi quæ alij opera miſericordiæ exercent, illa certè verſantur circa creaturas: Beata autem Virgo omnia hæc miſericordiæ opera Creatori ipſi in carne aſſumpta impendit, ſimul in vnum diuiti, & pauperi varijs modis ſubueniēs, & ſubminiſtrans, ſcimus enim, *Gratiam Domi-* **2. Cor. 8.** *ni noſtri Ieſu Chriſti*, (ait Apoſtolus) *quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues.* In hac ergo tanta egeſta- **Matth. 8.** te, conſtitutus vt ipſe diceret: *Vulpes foueas habent, filius autem hominis nō habet, vbi reclinet caput ſuum;* Beata Virgo miſericordiæ viſcera ei aperiens, *Manum ſuā* **Prouer. 31.** *aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem,* ad pauperem inquam illum, in **Pſal. 87.** cuius perſona Dauid prædixerat: *Pauper ſū ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Vn- **Rupertus.** de Rupertus tomo 2. in Cantica, c. 4. lib. tertio, in fine, ait, Beatiſſimam Virginem varias eleemoſynas Chriſto erogaſſe; explicans enim verba illa: *Odor vnguētorum tuorum ſuper omnia aromata;* hæc **Cant. 4.** præclara ſcribit: *Quæ ergo ſunt vnguenta tua ſoror mea ſponſa? eleemoſynæ tuæ, quas expendiſti in me. Audiunt, & audituri ſunt amici de quadam muliere effundente oleum ſuper caput, & ſuper pedes dilecti tui recumbentis; & dicunt, quia domus impleta eſt ex odore vnguenti, & intelligunt in illa muliere Eccleſiam noſtram, quæ quoties impendit eleemoſynam pauperibus noſtris, toties vnguenta ſua, pedibus meis ſuperfundit, & aromata diſtribuit. Hæc enim ſunt aromata vera, & vnguenta precioſa: eſurienti cuilibet ex inimicis meis cibum dare: ſitienti potum præbere: hoſpitem, ſiue peregrinantem colligere: nudum veſtire: infirmum viſitare, & ſi in carcere eſt, ad eum venire. Super omnia hæc aromata eſt odor vnguentorum tuorum, id eſt ſuauitas eleemoſynarum tuarum, quia non vt ceteri in membris meis, ſed in memetipſo tu mihi munificentiſſima extitiſti.* Hoc idem argumentum pertractans D. Anſelmus in homilia ſuper verba illa: *Mulier quædam* **Luc. 10.** *Martha nomine, excepit illum in domum ſuam.* Hæc omnia miſericordiæ opera à Beata Virgine Chriſto exhibita in hunc modum proſequitur: *Alij hoſpitem quem-* **D. Anſelm.** *libet in domo ſua ſuſcipiunt; iſta non quemlibet, ſed proprium Dei filium, qui non habet, vbi caput reclinet, non in domo, ſed in vtero ſuſcipit. Alij nudum quemlibet veſte mutabili, atque corruptibili vndelibet compoſita operiunt: illa verbum Dei in eadem virginea carne in vnitate perſonæ aſſumpſit, qua ſine fine incommutabilis, atque incorruptibilis permanet. Alij quemlibet eſurientem, & ſitientem, cibo, vel potu exteriori reficiunt: iſta Deum hominem, & humanitatem indigentem non ſolum exterioribus cibis, & potibus pauit, verum etiā interiori ſuo lacte aluit; & breuiter illa ſex miſericordiæ opera percurramus, quæ cùm vni ex minimis ſuis fecit, Deus ſibi facta confitetur. Iſta non quemlibet ex minimis, ſed ſummum Dei filium, hoſpitem ſuſcepit: nudum carne, vel etiam pannis operuit: eſurientem pauit: ſitientem lacte potauit: infirmum per infantiam, & iacentem non ſolùm viſitauit, ſed etiam balneando, fouendo, leniendo, geſtando frequentauit, vt meritò de ea dicatur: Martha ſatagebat* **Luc. 10.** *circa frequens miniſterium. Comprehenſo, & crucifixo, quaſi in carcere poſito aſſuit.* hæc D. Anſelmus, quibus non diſsimilia apud noſtrum Sanctum Bernardinum **D. Bernardinus.** lego, dum ſermone 51. artic. 3. cap. 3. ait: *Sicut nulla vnquam fuit ſimilis contēplatrix, ſic nunquam fuit Virgini ſimilis miniſtratrix. Alij induunt pauperes de la-*

na

Digitized by Google

na ouis; ipſa induit filium ſuum de puriſſimis ſanguinibus ſuis. Alij paſcunt pauperem pane extrinſeco: ipſa pauit humanatum Deum de lacte proprio. Alij ſuſcipiunt pauperem hominem in tugurio: ipſa verò ſuſcepit immenſum Deum in corde, & corpore ſuo. Alij propter Deum miniſtrant infirmis: ipſa Deo in pauperculo corpore miniſtrauit. Alij ſolliciti ſunt, ne aliquid deficiat inopi: Virgo ſollicita miniſtratrix fuit, & manibus ſuis laborauit, vt ſubueniret Deo homini indigenti. Alij incarceratos, & vulneratos homines viſitant, & eis compatiuntur, dum viuunt, & mortuos ſepeliunt: Virgo, Chriſto pro nobis capto, ligno Crucis affixo, vulneribus dilaniato tanto dolore compaſſa eſt, vt inexpreſſibile ſit, etiam Angelicæ linguæ. hactenus D. Bernardinus. Addit tandem ex Alberto Magno, Auctor Pomerij, lib. 7. par. 2. articul. 1. quædam alia, quæ non parum commendant excellentiam operum miſericordiæ Beatiſsimæ Virginis. Verba eius ſunt hæc; Auctor Pom. *Iſta opera exercuit Beata Virgo in ſummo ſuper omnes viatores, quia operum miſericordiæ alterum altero eſt maius, & excellentius quinque modis. Primò ſi ſit ex maiore charitate: ſecundò ſi ſit magis indigēti: tertiò ſi ſit magis digno indigenti: quartò ſi fuerit cum maiore effectu impēſum: quintò ſi ſit magis ex neceſſario, & minus ſuperfluo. Hæc omnia fuerunt in Beata Virgine in ſummo. Charitas enim eius præcellit omnium creaturarum charitatem, ex qua ſumma charitate iſta opera circa Chriſtum exhibuit. Item maximè indigenti tribuit, quia nemo inter viatores pauperior Ieſu iuxta illud Matthæi:* Matth. 7. *Vulpes foueas habēt, & volucres Cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Item digniſſimo pauperi tribuit, quia nemo dignior mendicus fuit, quàm mendicus Deus. Magnum quippe eſſet opus miſericordiæ, quod fieret pauperi Layco: maius quod fieret pauperi Clerico, vel Religioſo: adhuc maius, quod fieret pauperi Epiſcopo. & ſummum, quod fieret Papæ mendico. Ergo improportionabiliter fuit ſummum opus miſericordiæ, quod factum fuit à Virgine glorioſa pauperrimo Deo. Item maximum effectum miſericordiæ impendit, cùm ſe totam pauperrimo Chriſto in ſeruitutem tradidit; & cùm nobis miſeris, captiuis, & mēdicis Deum filium ſuum ipſum dedit in redemptionem; & cum ipſo dedit nobis Regnum Cælorum, & omne bonum. Item de non ſuperfluo, ſed omninò neceſſario opus miſericordiæ exercuit circa pauperrimum Deum, quia de proprio ſanguine, & puriſſima propria carne ei tunicam in Incarnatione miniſtrauit, & in ſuo vtero de puriſſimo ſuo ſanguine eum aluit, atque de proprio lacte cibauit eum natum, & lactauit,* hæc ille.

Vidiſtis hucuſque fratres, ex duabus alis datis huic Regiæ Aquilæ, primam, vitam ſcilicet actiuam; nunc (ſi placet) intueamini ſecundam alam vitam ſcilicet contēplatiuā. Illam certè intuēs inſignis ille Doctor Gulielmus ſuper caput ſecundum Cantic. hæc præclara ſcripſit: Pariſienſ. *Dormiebat pia mater inter medios Cleros, & erant pennæ eius, pennæ columbæ deargentatæ. Quis dabit mihi alas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Quippè non illi datum eſt ſicut ceteris, ſed ſic, vt inter omnes participes veritatis, habeat priuilegiū mater veritatis. Pennæ eius deargentatæ, ideſt, nitidæ, nihil obſcuræ, vel ſordidæ admixtionis habentes, cùm dormiret in medio duorum Clerorum, ideſt ſortium. Sors vna, dextera erat, & alia ſiniſtra. Porrò vtraque attingebat columbam illam: Sors dextera, incarnatio Saluatoris, ea quippè Virginem matrem pia exultatione repleuit; ſors verò ſiniſtra, eiuſdem Redemptoris paſſio, quæ ſcilicet piam matrem mæſtificauit ad tempus. Toto autem tempore, quod erat inter duos Cleros, Incarnationem, & Paſſionem, dormiebat pia mater dulciſſimo ſomno contemplationis, ſomnians iugiter dilectum; & quidem circa humanitatem eius materna ſollicitudine pro tempore ſatagebat; attamen in diuinitatem eius iugiter intenta, contēplatiuæ quietis dulcedine fruebatur; & ita in ſe circa filium perfectè, atque excellenter implebat negocium Marthæ ſimul, & otium Mariæ. Negocioſa erat circa humanitatem filij, ac diuinitatem eius otioſa. Sic dormiuit à dextro Clero vſque ad ſiniſtrum; nempè vbi ventum eſt ad ſiniſtrum Clerum, Paſſionem vnici filij. Sequeſtrata paululùm, quiete contemplationis pijs ſe doloribus totam impendit, & totam ſe cùm eis expendit; impletaque eſt illa præſagi Simeonis Prophetia: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Luc. 2. Equidem Beata Virgo cùm ex vna parte plenum

dominium ſuorum actuum haberet, nunquam præter voluntatem diſtrahebatur, voluntariè autem nunquam à dilecto ſuo ſe auertebat; & cùm ex alia parte, nullo fomitis peccati, qui in illa penitus erat extinctus, rebellione, ad exercitium contemplationis tardaretur, etiam dum vitæ actiuæ vacabat, à diuina contemplatione minimè ceſſabat. Vnde Ambroſius lib. 2. de Virginibus dixit: *Intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere*: & paulò inferius: *ad ipſos ingreſſus Angeli, inuenta domi, in penetralibus ſine comite, ne quis obſtreperet; neque enim comites feminas deſiderabat, quæ bonas, comites cogitationes habebat.* Subſcribit Beatus Petrus Damianus, oratione prima de Natiuitate Virginis, dicens: *Vita actiua, & contemplatiua Virginem ambierunt adeò, vt nec actio contemplationem minueret, & contemplatio non deſereret actionem. A primo ergo inſtanti ſuæ conceptionis, in quo ratione vti cœpit, vſque ad vltimum vitæ halitum, à diuinorum contemplatione nunquam deſtitit: ſiue Chriſti actiones, & paſſiones: ſiue diuina beneficia in ſe, & in genus humanum collata; ſiue diuinæ naturæ maieſtatem, & incomprehenſibilia eius attributa profundiſſima meditatione euoluens.* Ita & teſtatur Dionyſius lib. 2. de laudib. Virginis, art. 8. dum ait: *Nulla vnquam inordinata affectio, diſtractio, fragilitas mentem Virginis à contemplationis lumine reuocauit, nec occupatio vlla exterior.* Sed quod mirabilius eſt, adeò intenta fuit diuinæ contemplationi, vt non ſolum vigilans, ſed dormiens ab ea non deſiſteret; id atteſtante noſtro Diuo Bernardino Senenſi, qui tomo 2. ſermone 51. art. 1. cap. 2. inquit: *Licet in vtero matris dormiret, attamen ſomnus, qui abiſſat, & ſepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per conſequens actum merendi, non credo, quòd talia in Virgine fuerit operatus. Sed anima eius libero, & meritorio actu tunc tendebat in Deum.* Atq; ad hanc continuam Marianam diuinorum contemplationem tendere arbitror verba illa ſponſi illi dicentis: *Capilli tui ſicut greges Caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Per capillos Caprarum, quæ ſunt acutiſſimi viſus, cogitationes intelligo B. Virginis, acutiſſimè diuina arcana penetrantes, has autem dicit aſcendere de monte Galaad, qui, *Aceruus teſtimonij*, interpretatur; quia dum varia Sacrarum Literarum teſtimonia mente ſua verſabat ad magnam diuinorum contemplationem mens eius aſcendebat. Vnde ipſius verba ſunt: *Gyrum Cœli circuiui ſola*; quaſi dicat: Sola mortali corpore induta, veloci, ac continuò contemplationis motu circundedi diuinæ Maieſtatis Cœlum, diuinæ eius naturæ vnitatem: Perſonarum trinitatem: generationem filij à Patre, proceſſionem Spiritus ſancti à Patre, & Filio: infinitatem, omnipotentiam, æternitatem, ſapientiam, bonitatem, immenſitatem, immutabilitatem, charitatem, miſericordiam, & iuſtitiam cum reliquis eius attributis continua meditatione ruminans. Quod autē ait, ſe ſolam circuiſſe gyrum Cœli, excellentiam contemplationis illius valdè cōmendat; quia licet adeò ſublimis fuerit Iſaiæ contemplatio, vt diceret: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſoliū excelſum, & eleuatum, & plena erat domus à Maieſtate eius, & ea, quæ ſub ipſo erant replebant templum.* Et quamuis D. Pauli contemplatio adeò mentem eius eleuaret, vt diceret: *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*; vt ſignificaret tamē Virgo ſupremū ſuæ contemplationis gradum, neminem vnquam attigiſſe, ſolam ſe teſtatur gyrum Cœli circuiſſe. Exiſtimo autem, quòd non ſolum aſcendebat, ſed deſcendebat de Chriſto Deo, ad Chriſtum hominem, vt his egregijs verbis hūc eundem Canticorū locum elucidans nobilis Doctor Guilelmus, in hunc modum edifferit: *Quis deuotius aſcendit, vel humilius deſcendit vnquam hunc mōtem, quam Maria? Aſcendebat ſuper filium hominis, certiſſimè credendo filium eſſe Dei: deſcendebat ſuper eundem ei maternæ pietatis ſollicitudinem humaniſſimè impendendo: leuabat oculos contemplationis à gremio ſuo vſque ad ſummum Cœlum, & de Cœlis Cœlorum reflectebat, eos vſque in gremium ſuum demittens. Illic erat, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent: hic erat nihilominus idem, quem Euangeliſtæ conteſtantur; hic, & illic aceruus teſtimonij. Sic alternabat pia Mater cogitando à ſinu ſuo, vſque ad ſinum Patris, vbi verbum erat Deus, & à ſinu Patris in ſinum ſuum, vbi Verbum caro factum.* Sic ſi de Galaad

Marginal notes: D. Ambroſ. — B. Pet. Dam. — D. Dionyſ. Carthuſ. — D. Bernardinus. — Cant. 4. — Eccl. 24. — Iſai. 6. — 1. Cor. 12. — Pariſienſ.

monte aſcenderant Patriarchæ, & Prophetæ, & omnes Iuſti. Sed quis, vt Deipara? Illi tantum aſcendebant, quia crediderunt; hæc credidit, & contrectauit.

Reſtat, vt iam dicendi vela contrahamus, oſtendentes quomodo Beata Virgo etiam in Eccleſia triumphanti adhuc exercitijs contemplatiuæ, & actiuæ vitæ, quantum illius ſtatus excellentia patitur, ſemper incumbat. Et quidem quod ad contemplationem attinet, cùm diuinam eſſentiam per viſionem beatificam, quæ perfectiſſima eſt omnium contemplatio, clarè intueatur; ſatis per ſe notum, & exploratum relinquitur, in Eccleſia triumphanti à vitæ contemplatiuæ exercitio nunquam ceſſare. Quod autem vitæ actiuæ inceſſanter attendat, verba ip-

Eccli. 24. ſius aperte indicant, dum ait: *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.* Sicut enim filius eius non dedignatur Beatis mi-

Luc. 12. niſtrare, ipſo dicente: *Et faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*; ita etiam ipſa fidelibus, & præcipuè amicis ſuis miniſtrare non abhorret; immò quantò ſublimiorem ſedem occupat, tantò magis alijs miniſtrare deſiderat, non

Luc. 22. immemor Chriſti verborum: *Qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator.* Miniſtrat autem inſtar Regiæ Aquilæ (vt à propoſita ſuperius metaphora non diſcedamus,) quia ſicut Aquila, cùm in ſublime euolat à filijs, quos in nido relinquit, oculos non auertit, vt ſi prædantes aues in illos irruant, ab earum vnguibus confeſtim liberare deſcendat; ita Beatiſſima Virgo, veluti generoſæ indolis Aquila, in cacumen Cœli empyrei, contemplatiuæ, & actiuæ vitæ alis euolans, oculos ad noſtras miſerias ſubleuandas, & à dæmonis rapacibus vnguibus nos eripiendos ſemper conuertit, Quorum intuitus ſingularem vtilitatem Eccleſia Catholica probè agnoſcens, quotidie pre-

Eccleſ. Rom. cari non ceſſant, dicens: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte.* Tria inter pleraque alia, tàm apud naturales, quàm ſymbolicos Philoſophos, de Aquila reperio, quæ præſenti argumento adaptabo. Commemorat in primis ex Plinio

Schualen. Henricus Schualen in ſuis Aphoriſmis, libro decimonono, Aquilam vnguibus ſuis draconem dilacerare, & in fruſta diſcerpere; atque adeò Aquilam draconem arreptum geſtantem, victoriæ ſymbolum fuiſſe, & ideò imaginem eius pro ſigillo vſurpaſſe Lacedæmonios. Aquila Regia eſt Beata Virgo, quæ bellum gerens cum antiquo ſerpente, hoc eſt diabolico dracone, caput eius conterens, victrix euaſit: *Ipſa conteret caput tuum.* Geneſ. 3.
Si ergo infeſtiſſimus hic ſerpens in vos irruat, fiduciam habete in generoſa hac Mariana Aquila, quæ & oculorum aciem in vos intendet, & vires eius confringet, ac omnes illius inſidias longè propulſabit. Deinde cùm Aquila (vt idem Henricus adnotauit) ſemper fuerit Imperij inſigne, ac magni dominij ſymbolum, vnde apud Ezechielem capite decimoſepti-
mo, Regnum Babylonicum, & Domi- Ezech. 17.
nium Aegyptiacum Aquila deſignatur; & apud Xenophontem, libro ſeptimo, de Cyri diſciplina, exercitus Perſæ ſignum Xenophon.
fuiſſe Aquilam legimus; atque etiam nunc Imperij Romani idem inſigne eſt. Hinc infero, cùm Beata Virgo per Aqui-
lam ſignificetur: *Aquilam magnarum* Ezech. 17.
alarum, nobis non obſcurè manifeſtari magnitudinem poteſtatis dominij, & Imperij, quo in cœleſti Patria gaudet, vt quæcunque bona in nos conferre velit, facilè ſuis precibus impertiri poſſit. Licet enim Reginæ diademate inſignita ſit, non dedignatur pro nobis in Curia Summi Pontificis Ieſu Chriſti filij ſui Referendariæ munus exercere. Vnde ipſa recipit precum Memorialia, quæ à Iuſtis, & peccatoribus exhibentur, eaque Summo Pontifici Ieſu præſentans, poſtulat, vt filia chariſſima, & imperat tanquam dilectiſſima mater, vt ea per ſuum *Fiat*, ſignare dignetur, iuxta pollicitationem ſibi factam cum ad ingreſſum in Regnum Cœlorum ei dixit; illud tertio Regum ſecun-
do: *Pete mater mea à me, quod vis, ne-* Ezech. 17.
que enim fas eſt, vt auertam faciem meam. Annuit filius precibus Matris; & ipſa, cuius manus tornatiles sũt, quas à fidelibus ſupplicationes manu ſua acceperat eiſdẽ per manus ſuas Regio *Fiat*; ſignatas reſtituit. Atque hinc facilè deprehendetis, quàm magna ſit Beatiſſimæ Virginis gratitudo erga famulos ſuos deuote ei inſeruientes. Inter volucres, Aquilam

valdè gratam ſuis benefactoribus exiſtere paſſim commemorant antiqui Auctores; ſolum tamen, quod ex Plinio narrat Bercorius, libro ſeptimo Reductorij Moralis, capite ſecundo, idque ſanè valdè ſtupendum de Aquilæ gratitudine, hic apponam. Ait ille, in Vrbe quadam nomine *Seſto*, Aquilam à quadam Virgine educatam quaſi beneficium educationis ei rependentem, aues, quas venabatur, illi ſolitam offerre. Addit tamen, quod mirabilius eſt, quòd cum Virgo illa vita functa iuxta Regionis illius inueteratam conſuetudinem loco, ſepulturæ in ardentem rogum conijceretur, Aquila illa pariter cum Virgine, in eundem ſe iniecit; in cuius inſignis gratitudinis memoriam erectum fuit ibi phanum in Iouis, & Virginis illius honorem, eò quòd Ioui hæc auis ab Ethnicis ſacrata eſſet. Si igitur Aquilam rationis expertem tali gratitudine præditam agnoſcimus, qualem putamus Beatiſſimam Virginem ſingulari gratitudine, & liberalitate præfulgentem, ſe fore exhibituram erga fideles ſuos famulos, & præcipue illos, qui varia obſequia frequenter ei impendunt? Arbitror quidem, quòd non ſolum in hoc ſæculo, multa beneficia, tàm ſpiritualia, quàm temporalia in illos conferet, ſed & in futuro, inſtar Aquilæ, quæ prædam alijs communicat, benedictum fructum ventris ſui eis oſtendet, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Bercor.

Homilia VII.

Beatam Virginem nullam paſſam fuiſſe internam tentationem ex peccati fomite dimanantem; ſubſtinuiſſe tamen externam ex ſuggeſtione Diaboli ortam, quam tamen ſemper viriliter ſuperauit, aduerſus quoſdam moderniores Doctores apertè commoſtramus.

CVM de vita actiua, & contemplatiua Deiparæ Virginis ſermonem inſtituerimus, argumenti huius exacta ratio poſtulare videtur, vt de tentationibus, quas pertulit, viriliterque ſuperauit, nunc diſſeramus. Illud autem, ante omnia, ſupponendum eſt, Beatam Virginem, internã tentationem ex fomite peccati manantẽ, nunquam expertam fuiſſe, quia cũ talis fomes à principio primæuæ ſanctificationis ipſius fuerit totaliter extinctus, vt docent Alenſ. 3.p.q.9.n.2.ar.1. Scot. Gabr. Almayn. diſt. 3. & Doctores omnes aſſerentes, Deiparam conceptam fuiſſe abſque peccato originali. Vel ſaltẽ ab eo momento fuerit ligatus, vt volunt Diuus Thomas 3.par. art. 4. ad primum. Caietan. in opuſc. de ſpaſmo Virginis, & multi alij Thomiſtæ, conſequens eſt, impeditum fuiſſe, ſiue id fuerit per aliquã qualitatem ſibi inhęrentem, vel per extrinſecam, & ſpecialem Dei manutenẽtiam, ne interna aliqua ſuggeſtione voluntatẽ Virginis ad malũ prouocaret. Et licet nõ repugnet dari carnis ſuggeſtionem, & motum aliquem concupiſcentiæ abſque vlla prorſus culpa, vtputà, cũ totaliter pręuenit vsũ rationis; quod enim D.Thom. 3.p. q.61. art. 2. ad 3. dixit: *Tentatio quæ eſt ex carne, non poteſt eſſe ſine peccato*, debet intelligi non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſub cõditione: ſi ab homine põt vitari, & pręueniri; vel certè voluit, nõ poſſe eſſe motum libidinis ſine peccato, nõ actuali; ſed quòd ſit veluti origo, & radix eius, quia

Alenſ.
Almayn.
D. Thom.
Caietan.
D. Thom.

omnis

omnis tentatio per concupiſcentiam à fomite oritur, qui ex originali peccato originem ducit. Idque neceſſariò dicendum eſſe, conſtat clarè ex Concilio Tridentino, Seſſione 6. vbi docet prædictos motus abſque vlla culpa etiam veniali in nobis pullulare poſſe. Quamuis igitur motus huiuſcemodi rationē culpæ non attingentes, non ſint contra perfectionem ſanctitatis, cùm potius ad illius augmentum ſanctis conferre ſoleant; in Virgine tamen nulla ratione ſunt admittendi, quia ſanctitas ex omni parte perfecta excludit omnem motum, qui via eſſe ſolet ad tranſgreſſionem diuinæ legis. Vnde Chriſtus hoc genus perfectionis aſſumpſit & participationem eius ſuæ Genitrici cōmunicauit, quæ ad augmentum ſuæ gratiæ pugna cū carne non indiguit: id enim ad ſtatum incipientium pertinet; ipſa verò inde incœpit, vbi alij poſt longam pugnam conſummantur. Tandem generatim omnes Patres docent nihil indecens in Beata Virgine fuiſſe, aut quoquo modo inordinatum. Vnde Diuus Bernardus in ſermone: *Signum magnum*, ait: *Nihil in ea non dico, tenebroſum, ſed obſcurum ſaltem, vel minus lucidum, ſed nec tepidum quidem aliquid, aut non feruentiſſimum liceat ſuſpicari*. Conſtat autem motum libidis etiam præuenientem vſum rationis aliquid eſſe inordinatū initiatiuè, quatenus via eſt ad culpam. Richardus etiam de Sancto Victore, lib. 2. de Emanuele, cap. 28. poſtquàm accommodauerat illi verba Pſal. 45. *Auferens bella vſque ad finem terræ*, quia in Virgine nullū internum bellum, ſed ſummam pacem agnoſcebat; ſubdit hæc verba capit. 31. *In ceteris Sanctis magnificum fuit quod à vitijs non ſunt expugnati: in Virgine autē quod nec in modico impugnata fuit*. Cùm etiam D. Ambroſius, lib. de Inſtit. Virg. cap. 7. dixerit, Virgini datum eſſe, vt ſola ſua præſentia, & aſpectu integritatis, & puritatis inſigne alijs conferret; nihil certè mirandum, quod in ſe nullum inordinatum motum ſenſerit. Et vt paucis multa dicam, cùm decuerit Dei Genitricem ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequeat intelligi; & libidinoſi motus, & quicunque alij ex fomite promanantes, ſint effectus peccati originalis, & cum culpa

Conc. Trid. Seſſ. 6. — B. Bernard. — Pſal. 45. — Richard. — D. Ambroſ.

magnam habeant affinitatem; conſequēs eſt longè ab eis alienam Virginem extitiſſe, quæ & peccato originali caruit, & quæ iure maternitatis Dei ſummæ illi affinis erat, nullam prorſus cum peccato aliquo affinitatem habuit.

His igitur ſic prælibatis, ſcio quoſdam modernos Doctores in ea fuiſſe ſententia vt putarint B. Virginem non ſolùm omni interna tentatione ex carne prouenientē, ſed ab omni etiā externa, ab hoſte maligno eam ſuggerente immunem extitiſſe: quod his fundamētis innitentes, ſibi perſuadent. Primùm quia nō ſemel Patres B. Virginē appellant *Cœlum animatum*, quia ſicut Cœlum, eſt ſedes quædam inanimata Dei, iuxta illud Iſai. *Cœlum mihi ſedes eſt*; ita B. Virgo fuit, ſedes quædam viua, & animata, in qua Dominus ſedit, iuxta illud: *Requieuit in Tabernaculo meo*. Sicut ergo Cęlum nunquā recipit peregrinas impreſſiones, vti Ariſtot. teſtatur in libris de Cœlo: ita B. Virgo inſtàr cœleſtis orbis, omnis diabolicæ tentationis expers ſēper fuit. Vnde ſicut de Cœlo dixit Dauid: *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*; ita Mariæ tabernaculū, quæ Dei erat habitaculū, tentationis diabolicę flagellū non ſolum non læſit, ſed nec illud tetigit. Secundū, quia ſponſus, vt manifeſtaret B. Virginē ita formidabilem eſſe, vt ad eam tentandā malignus hoſtis appropinquare ei non auderet, vocauit illā: *Terribilem*, dicens: *Terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata*. Ecce non vocat illam fortem, non victricem, non de hoſte triumphantem, non eius ſpolia diuidentem; ſed terribilem, inſtar aciei benè ordinatè, quia ſicut hæc non ſemel ſolo ſuo aſpectu Hoſtium turmas aduerſus eam venientes deterret, & fugam arripere compellit; ita B. Virgo ſolo ſuo aſpectu adeò terribilem ſe malignis hoſtibus exhibebat, vt ab ea longè aufugerent, nec illam inuadere tentarēt. Tertium, quia vt Sanctus Athanaſius ſermone de Sancta Deipara tradit, Beatus Gabriel Archangelus, fuit Angelus Virginis Cuſtos: explicans enim verba illa Lucæ, capite primo: *Diſceſſit Angelus ab ea*, ait: *Diſceſſit nimirum viſibili præſentia, non famuli*. Angelus autem Gabriel, qui, *Fortitudo Dei*, interpretatur, in eo ſedulam adeò Virginis curam geſſit,

Iſai. 66. — Eccli. 24. — Ariſtot. — Pſal. 90. — Cant. 6. — Luc. 1. — S. Athanaſ.

vt dœmonem compeſceret, ne illam tentare attentaret. Si enim hoc non efficeret fruſtranea fuiſſet eius cuſtodia, quia, quod attinet ad non peccandum, & alia mala præcauenda, diuinis auxilijs erat ſuffulta, & ſpeciali Dei manutenentia cuſtodita. Quartum, quia cum tentatio diabolica Virgini immiſſa, non ad aliud ordinaretur, quàm vt illam ad peccandum excitaret, longè videtur à Virgine propulſanda, cùm ob eximiam eius puritatem, non ſolum omne peccatum actuale, ſed omnis via, & tendentia ad illud longè ab ea debeat arceri. Nec refert (inquiunt) Chriſtum Dominum fuiſſe tentatum in deſerto à dœmone, quia dœmon non tentauit Chriſtum, excitando illum ad peccatum, ſed vt exploraret, an naturalis Dei eſſet filius, vt verba illius, quæ refert Diuus Matthæus, ſatis indicant: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*, &c. (Math. 4.) Piè, ſanè, & ſincero animo hæc dicta reor.

Ego verò aliter dicendum exiſtimo, magni Vincentij Lynorẽſis Martyris pulchram illam ſententiam in memoriam reuocans, qui explicans verba Diui Pauli 2. ad Thimotheum primo: *Bonum depoſitum cuſtodi*, inquit: (2. ad Thi. 1. Vinc. Lyner.) *Depoſitum cuſtodi, quod creditum eſt, non quod à te inuentum; non ducens, ſed ſequẽs. Per te poſteritas gratuletur intellectũ, quod ante vetuſtas nõ intellectum venerabatur. Eadẽ tantum, quæ didiciſti, doce; vt cùm dicas nouè, non dicas noua*. Sanè ego nouitatem omnem execrans, & præſertim in reſerandis Arcanis Deiparæ Virginis, cùm neminem antiquorum Patrum, videam diabolicam tentationem à Virgine remouẽtem, quin potius in contrariã ſententiam illos abijſſe deprehendam, non poſſum non illis aſſentiri. Et quidem in primis, vt ab eorum auctoritate exordiar, D. Bernar. ad Canonicos Lugdunẽſ. inquit: (D. Bernar.) *Cui hæc ſeruata victoria, niſi Mariæ? ipſa proculdubio caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis ſuperbia deduxit ad nihilum*. Accedit inſignis Doctor Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, qui explicans verba illa: (Geneſ. 3. Fulbertus.) *Ipſa conteret caput tuum*, in hunc modum loquitur: *Quid eſt, caput ſerpentis conterere, niſi principalem diaboli ſuggeſtionem reſiſtendo ſuperare?* Demum Gloſa ordinaria ſuper caput 3. Geneſ. ex Diui Augoſtini doctrina in idem caput tertium Geneſeos, hæc verba habet: (Glo. ſup. Gen.) *Inter ſemen diaboli, & mulieris, inimicitia ponuntur. Semen diaboli, praua ſuggeſtio: mulieris, fructus boni operis, quo ſuggeſtioni reſiſtit. Ideò obſeruat plantam, vt ſi illa labatur, delectatio illam capiat. Illa obſeruat caput eius, vt ipſum initium malæ ſuggeſtionis excludat*. Ecce Patres non dubitant, Beatam Virginem per ſuggeſtionem Diaboli fuiſſe tentatam. Deinde ſuppoſita receptiſſima lectione vulgata, quam ſequuntur grauiſſimi Patres, legente: (Geneſ. 3.) *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*; ſatis luculenter videtur mihi probari Beatã Virginem à diabolo fuiſſe tentatam, tùm quia Beata Virgo conterendo caput dæmonis, victoriam de eo retulit, quod non obſcurè indicat dæmonem illam inuaſiſſe, cùm victoriam præcedat pugnantium cõgreſſus; tum etiam quia Dominus prædixit, dœmonem inſidias fore illi paraturum: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius*. Quid autem ſunt inſidiæ diaboli, niſi prauæ eius ſuggeſtiones? Quod ſi quiſpiam cum Ruperto ſuper caput tertium Geneſ. mihi reſpondeat: (Rupertus.) *Porrò hæ inimicitiæ non per ipſam mulierem, ſed per ſemen illius ſunt exercendæ*, inde magis noſtra conſtabilitur ſententia. Nam omiſſo, quòd Beata Virgo non ſolum per Chriſtum, ſed per ſemetipſam gratia illius ſuffulta, Principem Tenebrarum deuicit; certè ſi Chriſtus Dominus inſidias Diaboli per varias tentationes paſſus eſt, vt conſtat ex verbis Diui Matthæi: (Matth. 4.) *Ductus eſt Ieſus in deſertum, vt tentaretur à Diabolo*, & ex illis Diui Pauli: (Hebr. 4.) *Tentatum per omnia*. Immò ego crediderim, Chriſtum Dominum non ſolum in deſerto, ſed alibi etiam tentatum fuiſſe à diabolo, vt apertè colligitur ex verbis D. Luc. dicentis, cap. 4. (Luc. 4.) *Conſummata omni tentatione, Diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus*; ex quibus clarè conſtat, non receſſiſſe ab illo in perpetuum, ſed vſque ad præfixũ quoddam tempus, atque adeò iterum ad illum tentandum rediſſe, quamuis reliqui Euangeliſtæ id non commemorent; certũ enim eſt illos non enarraſſe cuncta, quæ

Chri-

Chriſtus egit,atque ſubſtinuit,non eſt,cur
ſimiles tentationes à Matre eius, quę perſi
milis ei fuit,arceamus.Quis enim ſibi per-
ſuadeat,illud genus tentationis dedecere
matrem,quod non dedecebat filium?Nec
quidquam valet reſpondere, dœmonem
non tentaſſe Chriſtum Dominũ, vt ad pec
cata eum alliceret; ſed vt exploraret, an
filius Dei naturalis eſſet, quod nihil eum
dedecebat; nam licet id verum ſit de pri-
Matth. 4. ma tentatione,cum ei dixit: *Si filius Dei*
es, dic, vt lapides iſti panes fiant. Vnde D.
Auguſtinus libro nono, de Ciuitate Dei,
cap 21. dixit: *Dubitauit de illo dæmonum*
D. Auguſt. *Princeps, eumque tentauit, an Chriſtus eſ-*
ſet explorans. In ſequentibus verò tentatio-
nibus, manifeſtè illum ad peccandum ſua-
dere contendit, poſtulans ab illo Idololatriæ
cultum. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens
adoraueris me. Ad quæ verba reſpiciens
S. Leo Papa, ſerm.3. de Quadrag. cap.2.
D. Leo. dixit: *Quem verum experiebatur homi-*
nem, præſumebat poſſe fieri peccatorem.
Deinde quia ſæpè contingitur, quo quis
ſanctior eſt, eò magis à dœmone impu-
gnetur; vnde Propheta Abacuch dixit
Abac. 1. capite primo: *Cibus eius electus*, ſed &
verba Chriſti Domini Luc. 12. id ſin-
Luc. 12. gulari quadam metaphora apertiſſimè
commonſtrant, dum hoſtem malignum,
vocauit *fulgur*. Sicut enim illa eſt notiſſi-
ma fulguris proprietas, ibi maius nocu-
mentum inferre, vbi maiorem vim reſi-
ſtendi reperit; ferrum namque enſis in
cinerem conuertit, & vaginam integram
relinquit: dura oſſa comminuit,& carnem
mollem non lædit: argentum in crumena
latens conterit, & crumenæ non nocet:
ita etiam hoc eſt dœmonis ingenium, vt
eos fortius impugnare ſatagat, in quibus
maiorem ad ſibi reſiſtendum, vim expe-
ritur. Vnde cùm hæc eſſet maxima in
Beatiſſima Virgine ob eximiam eius for-
titudinem, vehementius dœmon calca-
neo eius inſidiabatur. Ac tandem cum ex
vna parte, tentatio, quæ non prouenit ex
deordinatione Potentiarum, ſicut proce-
debat illa, quam patiebatur Diuus Pau-
Rom. 7. lus cum dicebat ad Roman. 7. *Inuenio*
aliam legem in membris meis, repugnan-
tem, vel vt alia lectio vertit: *Rebellantem*
legi mentis meæ, non dedeceat eximiam
puritatem, & excellentiam Virginis, ſi-
cut nec dedecet dignitatem filij Dei ho-
minis: & ex alia parte tentatio extrinſeca
à dœmone proueniens,ad profectum ſpi-
ritualem multum Virgini vtilis eſſet, iux- 1. Cor. 10.
ta illud Diui Pauli ad Corinthios 10. *Fa-*
ciet cum tentatione prouentum; & ex alia
denique parte idem Apoſtolus dixerit: 2. Tim. 2.
Non coronabitur, niſi qui legitimè certa-
uerit, dubitandum non eſt, Beatam Vir-
ginem non ſemel à dœmone tentatam,
atque adeò varias de illo victorias repor-
taſſe, multiplicemque gloriæ coronam
ex multiplici cum dœmone certamine,
& congreſſu ſibi acquiſiuiſſe.Exiſtimo au-
tem Beatam Virginem permiſſam non
fuiſſe à dœmone tentari circa materiam
libidinis, eò quòd hoc genus tentationis
dedeceret eximiam puritatē, & dignitatē
Genitricis Dei. Nam licet alioquin certū
fore voluntatē eius ei non conſenſurā ne-
ceſſe tamē erat, vt minimum,intellectum
eius aliqua turpi cogitatione quāuis in-
deliberata, fedari: quæ tametſi inculpabi-
lis eſſet,nō poſſet materialiter turpis non
eſſe, vtpotè obiecti venerei; puriſſima
autem Virgine omnis turpitudo tàm for-
malis, quàm materialis longè abfuit, quæ
fontem omnis puritatis peperit. Quare
rectè Diuus Cyprianus dixit ſermone de D. Cypr.
tentatione Chriſti: *Honeſtius cum ſpiritu*
quàm cum carne luctamur. Illud autem
eximiam Deiparæ Virginis fortitudinem
non parum commendat: quòd cùm alio-
quin tanta ſit dœmonis fortitudo, vt de
illa dicat Iob: *Non eſt poteſtas ſuper ter-* Iob 41.
ram,quæ comparetur ei; illa tamen in om-
ni congreſſu, & in omni certamine, cum
dęmone inito, glorioſè illum ſuperauit,&
vt altera Iudith, Holophernis caput am- Iudith. 13.
putans, vel certè vt Iahel Syſaræ tempo- Iudic. 4.
ra clauo acuto confodiens, maligni hu-
ius hoſtis caput contriuit, adeòque eius
vires eneruauit,vt ſolo eius aſpectu paue-
ret, iuxta illud Iſaiæ: *Pauebit Aſſur virga* Iſai. 30.
percuſſus. Virga hac Beata Virgo deſi-
gnatur,quam etiam Iſaias, *Virgam* voca- Iſai. 11.
uit: *egredietur virga de radice Ieſſe*, iuxta
expoſitionem Diui Hieronymi, in eum D. Hieron.
locum. Hac igitur virga percuſſus anti-
quus ſerpens, exhorret, cum Virgine cer-
tamen inire. Vnde arbitror, non vnum
dœmonem tantum, ſed plures Virginem
tentare aggreſſos, ſemperque ignominio-
sè deuictos fugam arripuiſſe, & ad eam
tentandam minimè auſos fuiſſe redire.

Certè voluntas peccato cedit, & tentationi ſuccumbit, non aliter quàm per malitiam, ignorantiam, vel humanam fragilitatem, vt cum Diuo Thoma prima. ſecundæ, omnes Theologi fatentur. *D. Thomas.* Iudas peccauit ex malitia, tradens ſanguinem eius, quem ſciebat iuſtum, & innocentem. Paulus peccauit Ecclesiam Chriſti infeſtans, ſed ex ignorantia. *Ignorans feci*, ait ipſe prima ad Thimoteum 1. *1. Thim. 1.* Petrus autē ex fragilitate humana, timore mortis perterritus peccauit, Chriſtum Dominū abnegans. At Beata Virgo ex plenitudine illā gratiæ, ob quam ei Angelus dixit: *Aue gratia plena*, *Luc. 1.* impeccabilis facta erat ad omnia illa peccatorum genera, vt expreſſis verbis docuit Diuus Auguſtinus libro de natura, & gratia dicens: *D. Auguſt.* *Scimus, quòd plus gratiæ ei fuit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit illum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Si ergo vicit ex omni parte peccatum, vicit proculdubio ex parte infirmitatis, quia turris erat fortiſſima Dauid, ex qua mille clypei pendebant. Vicit ex parte ignorantiæ, cùm mater eſſet agnitionis, immò mater ipſius ſapientiæ, in qua inerat gratia omnis viæ, & veritatis. Vicit ex parte malitiæ, quia præ magnitudine diuini amoris omnem malitiā extinguentis, languebat: *Dicite dilecto, quia amore langueo.* *Cant. 2.* Ac tandem non poterat non ex omni parte vincere omne genus peccati, cùm aduerſus fragilitatem præmunita eſſet potentia, & fortitudine Patris: aduerſus ignorantiam, ſapientia Filij: aduerſus malitiam, bonitate Spiritus ſancti illam perpetuò inhabitantis, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia VIII.

Metaphoram palmæ multiplici eruditione, varijſque animi conceptionibus elucidare conamur, in illa verba: Quaſi palma exaltata ſum in Cades. *Eccli. 24.*

IVSSIT Deus olim, *Exod. 25.* vt ad ornatum Templi omnes pro facultate ſua aliquid impertirentur: ditiores aurum, & argentum: alij purpuram, & coccum bis tinctum: alij tandem pauperiores pilos caprarum, aut pelles arietum offerebant. Ego ſanè, tanquam pauper, ad ornatum ſacratiſſimæ Virginis, quæ Templum ſemper fuit Spiritus ſancti, & ſi animus grandia offerendi non deſit, quia tamen facultas non ſuppetit, palmam vnam eā ſolum offeram, verba illa Eccleſiaſtici diſcutiens: *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*, *Eccli. 24.* hoc eſt, in aſſumptione mea, quia *Cades* interpretatur *Translatio*. Quis autem non videat. Deiparæ aſſumptionem, nihil aliud fuiſſe, quàm translationem quandam eiuſdem ex hac militāti ad cęleſtem, & triumphantem Eccleſiam? Porrò inter multa, quæ Hyſtoriographi rerū naturalium de palma commemorant, illud celebratiſſimū ſemper fuit, quòd inſigne victoriæ eſt, & trophei. Vnde olim, vt adnotant D. Iſidorus lib. 17. Ethymologiarum. *D. Iſidorus.* & Lyranus ſuper caput quintumdecimum Deuteronomij, *Lyranus.* Victores in prælijs, ramis palmæ in capite, & manibus ornabantur, quare Apocal. 7. *Apocal. 7.* Diuus Ioannes ait, ſe vidiſſe Martyres victoriam de Tyrannis reportantes, manibus palmas geſtāte. *Et palmæ in manibus eorum*; immò habenti iuſtam cauſam dabatur palma in manu, quaſi victoriam iam habuiſſet in ea, vt idem Lyranus adnotat ibidem. *Lyranus.* Vnde Deuteronom. 25. dicitur: *Quem iuſtum conſpexerint, illi Iuſtitiæ palmam dabant.* *Deuter. 25.* Plinius autem libro 16. *Plinius.* de naturali hiſtoria, cap. 25. non ſolum ait,

ait, palmas triumphi, & victoriæ ſymbolum fuiſſe, ſed & præſagium. In cuius probationem refert, palmam natam in baſi Cæſaris Dictatoris ante bella ciuilia, quæ geſſit, futuræ eius victoriæ, & trophæi prognoſticum extitiſſe. Hinc etiam l. prima lib. 12. C de Princ. argen. ponitur palma pro victoria, & fine laborum. Fundamẽtum autem huius ſymbolicæ acceptionis, arbitror fuiſſe duplex. Primum, quia palma ea eſt prædita fortitudine, vt quantamcumque magnam ponderis molem ligno eius ſuperponas, nunquam flectatur, nec dorſum cedat à pondere victum, (vt tradit Bercorius lib. 12. reductorij moralis cap. 112.) Secundum fundamentum eſt, quia folia palmæ formam gladij præſeferunt, & rami illius, vt ingenioſè obſeruauit Henricus Schualen in ſuis aphoriſmis hyeroglyphicis lib. 18. figuram manus; fructus verò, nempe dactyli, figuram digitorum portendunt. Vnde & digiti dactyli ſunt appellati. Eccleſiaſticus ergo alludens ad hæc omnia, vt ſignificaret inſignem victoriam, quam Beata Virgo aduersùs omnes ſuos hoſtes retulit, comparauit eam palmæ arbori victrici dicens: *Sicut palma exaltata ſum in Cades.* Inter omnes autem Virginis victorias, illa celebris eſt valde, quam aduerſus omnes Hæreſes tulit, Eccleſia Catholica acclamante: *Gaude Maria Virgo, cunctas Hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo.* So la (inquam, quia ſola peperiſti illum, *qui contribulauit capita Draconum in aquis.* Sola poſt filium tanti eſt apud Deum meriti, & gratiæ, atque in omnes miſericordiæ, vt per hanc velit, per hanc poſſit hæreſes expugnare. Triumphauit altera Maria de Pharaone. Iabel de Siſara, Iudith de Holophernæ, Heſter de Aman, ſuis & Patriæ hoſtibus peremptis. Tu ſola inter omnes emines, & vna tot hæreſes ante triumphalem currum ducis. Hæreſes omnes interemiſti, cùm Angelo credidiſti: cùm Chriſtum Deum, & hominem peperiſti: cùm ad Crucem filij tui gemebunda ſtetiſti, ac ſola conſtantius in eum fidem, fugientibus Apoſtoli retinuiſti. Magna quidem hæc, & memorabilis victoria, quæ ſoli Mariæ diuina gratia con ceſſa eſt. Sed non hac ſola ratione hæreſum victrix, & expultrix eſt; nam hæreſes quoque omnes interemit, cùm Euangelium dilatauit, hoc eſt, cùm conceptionis, parturitionis, pueritiæ Chriſti geſta panxit. Quid cùm ſancto Iacobo Apoſtolo in Hiſpanijs apparuit, & in rebus dubijs quid agendũ admonuit? nonne quantùm ab ea Apoſtolus euangelizans confortatus, tantũ Hæreſes omnes tum emergentes ſunt labefactatæ? Quid cùm Apoſtolorum pleroſque ad mortem, & apotheoſin ſuam mirabiliter conuocauit? nonne tum quoque fidem ſtabiliuit, vt hæreſes omnes contererentur? nonne hæreſes expugnauit, cùm Gregorio Taumaturgo Catholicæ fidei formulam præſcipſit? quãdo Cyrillum Patriarcham Hieroſolymitanum ad pacem, & concordiam cum D. Chryſoſtomo reduxit? Quin nulla quoque fuit ætas hominum, qua exortis nouis hæreſibus, Maria non aut beneficijs pios in fide vera conſeruarit: aut cœleſti virtute contra peſtes eas dimicarit: aut incredibili vindicta contumaces mulctarit? Nonne de Hæreſi triumphum egit, quando Iulianum Apoſtatam, & tyrannũ Hæreſes omnes callidè in perniciem Chriſtianorum fouentem, cœlitus iuſſit occidi, & ſanguinem vomere, quem ingurgitarat? Nonne Hæreſes extirpauit, cum Duci ſuo Narſeti conſultrix, & adiutrix victoriæ ſemper in bellis contra Arianos ad fuit? Quid quòd ipſa etiam tantæ Virginis imago in bellis contra impios, magna cum pompa, & maiore cum fide tradu cta, hoſtes ſtrauit, atque deleuit? Quid plura? nonne Hæreſes interemit, quando Neſtorius Patria extorris, linguam vermibus corrodentibus viuus in terra ob conuicia in Mariam effuſa, hauſtus, & miſerabiliter abſumptus eſt? Nonne proſtratæ ſunt Hœreſes, dum Copronymus, & ipſe, Mariæ, eiuſque imaginum hoſtis acerrimus, febre æſtuat, & elephantiaſi putreſcit, ac vix demum tantis malis doctus, palinodiã canit: Mariam, vltricem ſcelerum agnoſcit, & honores eidem reſtitui iubet? nonne & ante hunc in Leone Iſaurico hæreticam impietatem ſeueriſſimè, & acerbiſſimè vlta eſt? nonne Hæreſes occubuerunt cum ſimili vltione, vt impietatis, ſic Imperij ſucceſſores, Leo Quartus, & Quintus, Michael Balbus, Theophylus, & eius filij perierunt? nonne Hæreſes interemit Maria, quando eos, qui nomini Mariano in ludo blaſphemè inſultabant, tetri Dœmones

Margin notes: 1 1 lib. 12. C. de Princ. — Bercorius. — Schualen. — Eccli. 24. — Eccl Romana — Pſal. 73.

mònes arripuerunt, afflictauerunt, occiderunt? nonne hæreſes cædit, cum in eorum fautorem ſeueriter animaduertit? Dicat hoſpes ille qui, quòd blaſphæmos in domo ſuo tolerat, Mariam ſibi membra vimine notare ſomniat, & vigilans diſſecta reperit, feroque Mariam vindicem ſcelerum publicè prædicat. Hæreſes quoque in ijs mulieribus peremit, quarum altera Mariæ nomen, & auxilium repudians, ſcropham pro infante peperit: altera per fruſta fœtum membratim effundens abortiuit. Atque propter hæc, & ſimilia alia Virginis trophæa, arbitror diuinitus factum eſſe, vt illi iam iam morti proximæ cœleſtis nûcius fuerit diuinitus miſſus, qui portans ei palmam, victrici eius manui illam

Metaphr. porrexit; vt refert ſanctus Metaphraſtes oratione de aſſumptione, cum alijs permultis, quos præcedenti libro commemo-

D. Greg. raui. Ad hæc notauit Diuus Gregorius in ſuis moralibus, palmam inferius eſſe anguſtam, ſuperiùs verò expanſam, & latam, quod mihi non obſcure ſignificat, pluſquã Angelicam fuiſſe vitam Deiparæ cunctã etſi enim in carne viueret, adeò ad apperẽdũ terrena, anguſtã ſe exhibuit, vt habens victum, & veſtitum (vt honeſtam Virginem decebat) his contenta eſſet, iuxta

1. Tim. 6. illud Diui Pauli, prima ad Thimot. 6. *Habentes victum, & veſtitum, his contenti ſumus.* Secundùm verò portionem ſuperiorem animæ tam latè ſinus aperiebat ad diuina chariſmata recipienda, quantùm charitas ſuper omnes copioſius diffuſa erat in corde eius. Accedit, quòd ſicut palma in inferiori parte aſpera eſt, aculeos & cuſpides portẽdens, in ſuperiori verò parte pulchritudinẽ foliorum, & fructus ſuauitatem oſtentat, vt quidam Poetarum eleganter cecinit.

Quæ licèt anguſto ſtet robore, & aſpera muſco
Corticis horrifici ſit parte ſub inferiori:
Cum tamen ad liquidum ſe ſubrigit aera primorum
Robur multiplicans, folijs fructuque redundans:
Arboribus reliquis, quæ dilatantur in imis,
Et facie præſtat; ſigna & victricia geſtat.

Non diſſimiliter, tametſi Beata Virgo per multos doloris aculeos ſuſtinuerit, adeò

vt Symeon ei diceret: *Tuam ipſius animã pertranſibit gladius:* *Luc. 2.* cœleſti tamen conſolatione copioſè adeò abundabat, vt melius, quàm Paulus, dicere potuiſſet: *repleta ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio,* *2. Cor. 7.* id quod non obſcurè indicant verba ipſius, cum dixit: *exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, vel, vt alij vertunt, *in Deo Ieſu meo*.

Proculus. Apuleius. Proculus, & Lurius Apuleius de palma differentes, tradunt hanc arborem, eſſe ſolarem, quia multum in ea Sol dominatur & tamdiu eam conſeruat, vt quandam ipſius Solis incorruptibilitatem participare merito cenſeatur. Ob hanc etiam rationem Deipara cum palma componitur, in qua Sol Iuſtitiæ Chriſtus Dominus adeò prædominabatur, vt non contentus in illa per gratiam inhabitare, intrà viſcera eius per nomen menſes requieuerit: iuxtà illud: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* *Eccli. 24.* Ex quo factum eſt, vt B. Virgo quandam ipſius Solis Iuſtitiæ incorruptibilitatem ab eo mutuauerit, cùm cõcipiens, & pariens, immarceſcibilem Virginitatis vigorem perpetuò cõſeruauerit; adeoque ab omni libidinis æſtu, virorem illum quoquo modo exſiccante, aliena fuerit, vt nullus vnquam in eam inordinatus affectus irrepſerit, aut quodammodo impugnarit. Quam prodigioſam nouitatem præuidens in ſpiritu regius Propheta dixit: *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem Terræ.* *Pſal. 45.* Non me latet Diuum Auguſtinum, Hieronymum, Caſſiodorum, & gloſſam interlinearem velle, *Auguſt. Hierony. Caſſiodor. Gloſſa interli.* per hanc terram, intelligi vniuerſum Orbem, qui tempore natiuitatis Chriſti Domini ſumma pace gaudebat, in cuius ſignum Portæ Templi Iani clauſæ fuere. Tamen (vt in eundem locum adnotat Diuus Baſilius) *D. Baſil.* non adeò portentoſa erant hæc prodigia, cùm alijs retro temporibus eadem non ſemel viſa fuiſſent, vt affirmant Titus Liuius, & Paulus Oroſius. *Tit. Liu. Oroſius Richar. de S.* Quare Richardi de ſancto Victore interpretationi acquieſcens per hanc terram, opinor, Dauidem intellexiſſe Beatam Virginem, de qua alibi dixerat: *Terra noſtra dabit fructum ſuum.* *Pſal. 84.* Quæ verba adeò propriè in Virginem conueniunt, vt nulli alteri adaptari queant. Nam ſi de terra materiali ſermo ſit: hæc ſi quem fructum dat

ſuum,

ſuum; fructus maledictionis eſt, diuino oraculo prædicente: (Gen. 3.) *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Virgo autem fructum edidit benedictionis, iuxta verba Eliſabeth: (Luc. 1.) *Benedictus fructus ventris tui.* Si verò loquamur de terra humana, hoc eſt, de omni matre filium producente; certè ille non eſt tam fructus ſuus, quàm fructus Patris, ex cuius virili ſemine, ipſa paſſiue ſolùm concurrente, vt docet Diuus Thomas 3. par. (D. Thom.) illum produxit. Virgo autẽ Deipara ex ſolis proprijs ſanguinibus abſque vllo virili ſemine, Spiritu ſancto cooperante, fructũ edidit proprie ſuum, cùm humani Patris virtus ad eius productionem non concurrerit. Ab hac igitur Virginea terra affirmat Propheta longe propulſandum bellũ illud Diui Pauli: (Galat. 5.) *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Id enim ſibi volunt prædicta eius verba: (Pſal. 45.) *auferens bella vſque ad finem terræ.* Sed quæſo, in quonam conſiſtit ratio huius tanti prodigij, vt ad illud intuendum Dauid totum inuitet orbem? *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram.* In eo ſitam eſſe reor, quòd cùm alioquin Beata Virgo, terra eſſet, immunis euaſit ab omni bello, Iob alioquin dicẽte cap. 7. (Iob 7.) *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* (Cicero.) Etenim, vt Cicero eloquentiæ Pater commemorat, lib. 2. de naturæ Deorum, Antiqui fingebant, quòd Tytanes legitimi terræ filij, cùm primum ex eius viſceribus prodiere, confeſtim arma ſumpſere aduerſus Saturnum, quem Cœli Deum commentabantur: à quo fulminibus cœlitus miſſis diſſipati, & interempti fuerunt, vt refert Virgilius ſexto Aeneidos, duplicique hoc carmine expoſuit Seruius:

(Virgilius.) *Hic genus antiquum terræ Tytania pubes*
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.

Cùm ergo Beata Virgo terræ filia hoc eſt, ex ſimili terreſtri, & humana carne, quemadmodũ reliqui omnes, compacta eſſet inauditũ portentum, ac ſtupendũ prodigium eſt, vt nullus vnquam terreſtris affectus mentem eius pulſauerit, & multò minus debellauerit. Vt autem ſignificaret propheta id non fuiſſe ad tempus, ſed in perpetuum per totum vitæ curriculum internam hanc pacem inter carnem, & ſpiritum eius perduraſſe, conſulto poſtquam dixerat: *auferens bella*, continuò ſubiunxit: *vſque ad finem terræ*, hoc eſt vſque ad mortem, quæ vltimam vitæ lineam apponit, vt ait Ouidius:

(Ouid.) *Et mors, vltima linea vitæ.*

Duobus nẽmpe terminis clauditur humana vita, conceptione ſcilicet, & morte; & in vtroque Maria ſumma pace gauiſa fuit; cùm in primo à peccati originalis pluſquã cruento bello, & in morte ab omni Dæmonis infeſtatione libera omnino fuerit. Ad quos terminos reſpiciens Dauid alibi dixit: (Pſal. 147.) *Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.*

Ad hæc Ariſtoteles, & Plinius, ac ceteri rerum naturalium hyſtoriographi de Palma agentes tradunt, inter palmas dari maſculum, & feminam: inter quos illud obſeruatum eſt diſcrimen, quòd maſculus citius floret, femina verò tardius. Non diſſimiliter in ſupernaturali rerum ordine, duplex adeſt palma, Chriſtus, & Maria. Dauid Chriſtum, *palmam* appellat. *Iuſtus, vt palma florebit.* (Pſal. 91.) Maria etiam palmã ſe vocat. (Eccli. 24.) *Sicut palma exaltata ſum in Cades.* Illud autem inter vtrumque intereſt diſcriminis, quòd Chriſtus multò antequam mater eius, ad vitam immortalem reſurgẽs, citius illa floruit, vt ipſe teſtatur. (Pſal. 27.) *Et refloruit caro mea.* Beata autem Virgo multos poſt ãnnos moriens, & glorioſa reſurgens mirificè refloruit. Addunt inſuper ijdem Doctores, cuius & meminit Bercorius lib. 12. (Bercor.) reductorij moralis cap. 10. & 12. quòd licet palma altiſſimè creſcat pluſquàm reliquæ arbores, nunquam tamen Cedri altitudinem, & ſublimitatem attingit. Non diſſimiliter, licèt myſtica hæc Palma (Beatiſſ. ſcilicet Virgo) adeò in ſublime fuerit euecta, vt omnium hominum, & Angelorum celſitudinem gloriæ, longo interuallo tranſcendat; ad ſublimitatem tamen gloriæ Chriſti Domini per Cedrum aptè ſignificati, tàm propter altitudinem, quàm innatam ſuam incorruptibilitatẽ, minimè vnquã attigit, quia Chriſtus Dominus tam in triumphanti, quàm in militanti Eccleſia, caput eſt huius myſtici corporis, Apoſtolo dicente: (Epheſ. 1.) *Ipſum poſuit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Conſtat autem, caput inter reliqua omnia membra primum, & ſublimiorem locum tenere; verum tamen eſt, quòd ſicut, excepto capite, nullum membrum eleuatius eſt

collo,

collo: & ſicuti excepto Cedro, nulla arbor altius, quam Palma protenditur, ita præter Chriſtum Dominum, nulla vnquam creatura in cœleſti Patria ſublimius fuit exaltata, nec precioſiora gloriæ pignora, quàm Beata Virgo, ſuſcepit. Vnde ſicut Sol in claritate Lunam excedit, & Luna cunctas ſtellas, immo ſtella ſtellam excedit; ita gloria Chriſti Solis Iuſtitiæ gloriã Mariæ cœleſtis Lunæ, & gloria huius gloriam ſtellarum, hoc eſt, reliquorum Sanctorum, longo interuallo excedit; vt ſatis luculenter dixit Apoſtolus 1. Corinth. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum: Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Vt tamen ſublimitatem Marianæ gloriæ melius percipiatis, ſciendum eſt, Iuſtinianum Imperatorem Inſtit. de Iuſt. & Iur. §. Iuſtitia, in hunc modum Iuſtitiã definiſſe. *Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens.* In cuius commentario gloſſa ibidem ſcitè adnotauit, hanc definitionem nemini alteri aptius conuenire poſſe, quàm Dei iuſtitiæ, cuius ſola voluntas adeo conſtans, perpetua, & irrefragabilis, eſt in præmijs conferendis iuxta menſuram meritorũ, vt nulla ratione in aduerſum mutari queat. *Ego enim Dominus, & non mutor.* Nec mirum, nam ſi Deus, tanquam Author naturæ in rerum creatione ſingulis creaturis, iuxta propria cuiuſque naturæ merita, locum aptum, inferiorem, vel eleuatiorem contulit: terræ & aquæ grauioribus, & imperfectioribus elementis inferiorem tribuit ſitum: aeri & igni, quæ ſubtiliora, & & perfectiora ſunt ſublimiorem: ac tandẽ Angelis, qui reliquis creaturis propriæ naturæ perfectione præſtabant, ſublimiſſimũ omnium Empyrei Cœli locum ſtatuit. Vnde, vbi vulgata noſtra tranſtulit: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*, originale Hebræum, necnõ Paraphraſtes Chaldæus legunt: *Elohym ſeptem Iudices creauit Cœlum, & terram.* Quo locutionis genere duo ſingularia myſteria indicantur. Primum, Vnitas naturæ diuinæ cum Trinitate Perſonarum. Vnitas innuitur in verbo illo: *creauit*, Trinitas verò, in voce illa: *Iudices* de plurali, ſecundum quod Deus, inſtar Iudicis, cuius munus propriũ eſt, vnicuique tribuere, ſecundum eius merita; ipſe quidem qualitates, & loca ſingulis rebus à ſe creatis iuxta naturalẽ cuiuſque exigentiam æquiſſimè donauit. Si igitur Deus, tanquam Author naturæ, iuſtitiæ diſtributiuæ ſollicitum cuſtodem ſe oſtendit, dubium non eſt, quin, vt Author gratiæ, eãdẽ in remunerandis bonis operibus cumulatius obſeruauit. Quãobrem huic veritati innitens Apoſtolus confidenter dicebat. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* In vniuerſum tamen, de omnibus hanc generalem regulam nobis tradit. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem.* Ad quod alludentes veteres illi Poetæ (Pindaro id referente) finxerunt laborem conqueſtum fuiſſe Ioui; quòd cùm reliquis præſtaret filios, & ſucceſſores, ipſe tamen ſterilis, & infœcundus abſque liberis maneret. Tunc Iupiter, habito concilio cum reliquis Dijs decreuit ex omnium illorum conſenſu, vt labori, pro filio Gloria aſſignaretur. Vnde Pindarus ibidem ait: *natus laboris Gloria.* Felix ſanè ſucceſſio, illuſtris partus laboris. Voluptas quidem, & Mundi proſperitas, ac vanus ſæculi honor non alios gignunt filios, non alios parturiunt fœtus quàm dolorem, anxietatẽ, & varias alias miſerias. *Extrema gaudij luctus occupat.* Labor verò Chriſtianus, vitæ ſcilicet aſperitas, ieiunium, prolixa oratio, & continua interioris, & exterioris hominis mortificatio, non alios pariunt filios, quàm diuina chariſmata, gratiam ſcilicet, & gloriã: *Natus laboris gloria.* Cùm igitur labor Virginis, & merita illius, omnium Sanctorum labores, & quæcumque merita longè excelluerint, conſequens eſt, premium eius, iuxta diuinæ iuſtitiæ leges, omnium Sanctorum præmia longa intercapedine ſuperare. Inter pleraque tamen, quæ in Virgine ſingulari præmio digna fuerunt, laborem, quem in infantia Chriſti ſubſtinuit, & cibum lactis, quo vbere de cœlo pleno, tenellum infantem Ieſum aluit, & nutriuit, minimè poſtremum locum teneꝛe cenſeo; quin potius exiſtimo, quod ſicut (vt olim Poetæ commenti ſunt) id referente Lactantio lib. 1. diuinarum Inſtitutionum cap. 22. & Diodoro lib. 4. cap. 5. Iupiter tanti fecit laborem ſuæ nutricis Amaltheæ, cuius educationi traditus fuerat, necnon cibum, & potum lactis, quo ſe infantulum aluit, vt in ſuæ gratitudinis argumentum pro lacte ſibi à nutrice propinato

Marginal notes: 1. Cor. 15. — Iuſtinianus. — Malach. 3. — Gen. 1. — 2. Tim. 4. — 1. Cor. 3. — Pindarus. — Lactant. Diodorus.

pinato Cornucopiam ei præberet, figuram mammellæ referentem, quæ omnis boni liquorem ad nutum illius, ita copioſè ſcaturiebat, vt cùm diuitias deſiderabat, continuò ille abundanter ſuppeteret: Si voluptates, & delicias, confeſtim emanabat: Si honorem, & gloriam, ad nutum quàm citiſſimè aderant. Equidem, ſi Nicetæ in caput 42. fidem adhibemus aſſerenti fabulam hanc in hieroglyphicum adinuentam fuiſſe, felicis & optimi, & ſtatus, quem parit Pietas, & cultus diuinus, vt non obſcurè indicant verba Dauidis Pſalmo 33. *Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus, &c.* ſatis ſuperque præſenti argumento Poetarum illud figmentum quadrat: Nam ſi Iupiter Deus falſus ita gratū ſe ſuæ nutrici exhibuit, vt cornucopiam, omnia bona continentem, ei dono porrigeret, quanto gratiorem cenſebimus ſe oſtendiſſe Chriſtum Dominum Deum verum erga genitricem ſuam? quæ non ſolum vberum ſuorum lacte, inſtar nutricis, eū cibauit, ſed ex proprio ſanguine intacta manens virgo, eundem, Spiritu ſancto cooperante, intrà viſcera ſua concepit. Certè non ero inſipiēs ſi dicam ſingulorum, & omnium collectiuè honorū, quæ Beatis omnibus Deus impertitur, cornucopiam matri ſuæ, tanquā gratiſſimum filium, munificentius, quàm Iouem tribuiſſe. Ne autem quiſpiam mihi improperet, humili fabella ingentem Virginis gloriam fruſtra illuſtrare conatum, obſeruet quæſo, latentem prophetiam in ea contineri. Nam Iob tertiæ filiæ ex nouem quas genuit, hoc nomen indidit: *Cornuſtibij*: Sic enim ait: *Nomen tertiæ Cornuſtibij*: vbi ſeptuaginta tranſtulerunt: *nomen tertiæ, cornu Amalthea.* Ad quam verſionem attendens doctiſſimus Nicetas docet, conſueuiſſe non ſemel Prophetas ad fabulas quaſdam ſapienter alludentes, falſitatis earum veneno longè propulſato, (quod vtile eſt, ad veritatē explicādam,) propheticis ſuis oraculis admiſcere. Vnde vt Iob explicaret varia venuſtatis, ac pulchritudinis ornamenta, quibus ſuper reliquas filias, alioquin perpulchras adeo, vt ſacer textus dicat: *Non ſunt inuentæ mulieres ſpecioſæ, ſicut filiæ Iob in vniuerſa terra*, tertia eius filia præfulgeret, conſultò ei appoſuit hoc nomen: *Cornuſtibij*, vel vt alij vertunt: *Cornu Amalthea.* His addo, quod ſi eximiam Dei liberalitatem contemplemur, quia alioquin parua obſequia, magnis muneribus perſoluere ſolet, adeo vt potum aquę frigidæ porrigenti vitam æternam promittat; fieri nequit, quin genitricem ſuam, quæ per pluſquam triginta annos, ſedula diligentia ab incunabulis Præſepij vſque ad lectum Crucis ei miniſtrauit, magnis gloriæ muneribus ſuper omnes Beatos cumulauerit. Memini (quod huic argumento inſeruire poteſt) Plutarchum in vita Alexandri de eo commemorare, quòd cùm ille cuidam ſacrificio intereſſet, & miniſter ab eo poſtularet incenſum, quod tunc, propter eius penuriam, in magno precio habebatur, ipſo vtraque manu magnam incenſi quantitatem in incenſarium mittente, de prodigalitatis vitio reprehenſus fuit à Leonide eius præceptore; tacuit tamen tunc Alexander, at cum Regiones expugnauit incenſi fetaciſſimas, integram nauem ex hac ſpecie aromatica plenam ad Leonidem magiſtrum ſuum miſit, dicens: *Nefas eſſe hominem erga Deum auarum ſe gerere, ſed liberalem*, Ecce pro vno incenſi pugillo, quod ipſe in ſacrificio obtulerā, integras Regiones incenſo fœcūdiſſimas ab eo accepi. Cùm ergo hoc ſit Dei ingenium, hæc inſita munificentia, vt pluſquam centum pro vno perſoluāt, iuxta illud Matth. 19. *Centuplum accipite, & vitam æternam poſſidebit*; fieri non poteſt, quin cùm Beata Virgo, gratiſſima Chriſto obſequia exhibuerit, ipſe munificentiſſimè præ omnibus alijs illam remuneraret. Prædixit regius Vates non obſcurè ſublimitatem huius præmij, cum fatetur adeo Chriſtum Dominum matrem ſuam exaltaſſe, vt non contentus ſupra omnes cœleſtium mentiū ſedes illam euehere ad dexteram ſuam eam collocarit. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Septuaginta legunt: *circumamicta*, ſeu *varietata*. Interpres Chaldæus: *In veſtibus diuerſarum figurarum*. Aquila: *in tinctura Ophyr*. Theodozion: *In diademate aureo de Saphir*. Symmachus: *in auro primo*. Originale Hebræum: *In veſtibus auro occellatis indumentum eius*. Duæ tamen verſiones, præter has omnes commemoratas, mihi valde arrident. Prima habet fundamentum in voce illa Hebræa *Lyrcamoth*, quæ (vt periti linguæ ſanctæ adno-

Margin notes: Nicetas. Pſal. 33. Iob 42. Sept. interpr. Nicetas. Iob 42. Plutarc. Matth. 19. Pſal. 44.

Origin. in Hebraeam adnotant) interpretatur: *in vacuitatibus:* Sed bone Deus, ſi Angelus Gabriel Beatã Virginem vocat *plenam*, dicens: *Aue gratia plena*, quomodo Propheta Dauid vocat illam *vacuam? In vacuitatibus:* longè namque inter ſe diſſident plenitudo, & vacuitas. Sed nulla ſanè contradictio eſt inter verba Angeli, & Prophetæ; nã ille Virginis animam contemplans, *gratia plenã*, illam vocauit: is verò ad humilem eius cogitationem reſpiciens, qua ſe, ancillam nuncupauit, cùm alioquin ad maternitatem Dei ſe deſtinatam agnouiſſet. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbũ tuum*, vacuam, illam nominauit. *In vacuitatibus*. Equidem cùm cogitatio noſtra inter medios honores vacua eſt omni elatione, tunc diuina gratia plenior incipit eſſe anima, & à Deo magis exaltari, ſicut

1. Reg. 15. contigit Sauli, cui dixit Dominus: *Cùm paruulus eſſes in oculis tuis, caput in Tribubus Iſrael factus es*. Quia igitur Beata Virgo aſcendit in Cœlum plena vacuitatibus, hoc eſt varijs humilitatis actibus inſignita, varijs etiam exaltationibus, & honoribus fuit ſuper omnes diuinitus plena. Secunda verſio, quæ mihi non minus pla-

D. Hieron. cet, eſt D. Hieron. qui vertit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in ſcutulatis*, cuius generis

Ezech. 27. veſtimentorũ meminit Ezech. 27. *Propter multitudinem operum tuorum, gemmam, & purpurã, & ſcutulata*; necnon & Iuuenalis.

Iuuen. *Cærulea indutus ſcutulata, & galbana raſa*.

Plin. Plinius etiam eiuſdem mentionem facit libro octauo, cùm dicit: *Vbi de textrina plurimis licis texere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit, ſcutulis Gallia diuidere*. Quid autẽ eſſet hæc ſcutula veſtis, non eſt vna omnium ſententia: Nam idem

Plinius. Plin. lib. 8. exiſtimat, ſcuta eſſe intertexta in ipſa tela, quibus maiorum ſuorum egregia geſta exprimebãtur: ſic enim ait:

Idem *Quã ſola ars ſcutulato textu commendat*. Varro

Varro. autẽ cuius opinioni conſentio, ait: *Scutulata veſtis dicta eſt, quaſi ſit, veluti ſcutulis quibuſdam diſtincta*. In illis autem ſcutulis, quæ aurea erant, celabantur ſtemmata propria cuiuſque, vel ſimilia alia, quæ ad commendationem perſonæ, quæ illa vtebatur, ſpectabant. His ſic prælibatis, duo præcipuè obſeruo in prædictis verbis Dauidis, primum ad gloriam Virginis, ſecundum ad noſtram vtilitatem ſpectans.

Cùm enim ait: *Aſtitit Regina à dextris tuis*, celſitudinem gloriæ illius apertè demonſtrat. Sicut enim in eo valde oſtentatur Chriſti Domini gloria, quod ad dexteram Patris ſedeat, vt D. Lucas ait, cap. 17. Luc. 17.
Aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei, & S. Stephanus Act. 7. *Ecce video Cœ-* Act. 7.
los apertos, & filiũ hominis ſtantẽ à dextris Dei; ſic in eo excellentia gloriæ Virginis mirum in modum effulget, quòd à dextris filij ſedeat: *Aſtitit Regina à dextris tuis*; hoc eſt, potioribus bonis, quæ in Patria diuina munificentia largitur, cumulatiſſima regnat. In ſequentibus verò verbis: *In ſcutulatis*, noſtrum omnium vtilitas tãgitur, dum nõ obſcurè nobis indicatur, Beatam Virginem varijs ſcutis præmunitã ad nos protegendos, & ab hoſtium incurſibus viriliter tuendos. Ad hæc ſcuta reſpiciebat ſine dubio ſponſus, cùm de Beata Virgine dilectiſſima eius ſponſa, vt interpretatur Haylgrinus, dixit: *Mille clypei pendent ex* Cant. 4.
ea, omnis armatura fortium. Finxerunt antiqui Poetæ Briareum centum brachijs, ac centum manibus armarum, quibus eodem tempore, quinquaginta ſcuta, quinquaginta manibus, & totidẽ enſes reliquis quinquaginta manibus apprehendentem, ab hoſtium telis ſe protegebat, & illos offendebat. Sed certè, vt alio tendens dixit Am- D. Ambr.
broſius lib. 1. de Abraham c. 2. *minus eſt, quod illa finxit, quam quod iſta geſſit, maiorque ambitioſo eloquentia mendacio ſimplex veritatis fides*. Nam ſi mille clypeis armatam cernimus B. Virginem, hoc eſt, innumeris, vt interpretatur Caſſiodorus; Caßiod.
iam non manus centum, ſed mille, ſed innumeras ad nos protegendum habere, fateri compellimur. Ad id enim ſignificandum (vt ad metaphoram Palmæ redeam) Spiritus ſanctus ei dixit: *Statura tua aſſi-* Cant. 7.
milata eſt palmæ, quia ſicut palma plena eſt folijs, quæ formam enſis erepti portendunt: ita B. Virgo vndique circumdata eſt tam armis offenſiuis, quàm defenſiuis in noſtram protectionem, & defenſionem. Vnde vbi noſtra vulgata legit: *mille clypei*, ſeptuaginta vertunt: *omnia iacula potentium*. Pagninus: *omnes pharetræ fortiũ*. D. Gregorius Niſſænus: *omnes haſtæ fortiũ*. ſingulariſſimè tamẽ D. Ambroſius ſermone 4. in Pſalm. 118. transfert: *mille oſtia:* quaſi dicat: hoc eſt ſingulare in B. Virgine ad protegẽdum, quòd aliæ turres, & arces

vnicum

vnicum ſolum habere ſolent oſtium,& leuato ponte nullus reſtat ad illas ingreſſus; at B. Virgo mille oſtijs circumdata eſt, quibus ad noſtram defenſionem patet aditus. Originale tandem Hebræum, cuius lectionem multi ſequuntur, legit: *Aedificata ad docendum tranſeuntes*, vel (vt alij explicant) *inſtructa ad diſciplinas*. Exempla namque heroica virtutum, quæ ſacra Virgo nobis exhibet; arma quædam fortiſſima ſunt, quibus ad expugnandos hoſtes munimur pariter, & inſtruimur. Cùm enim turbatur ad loquelam Angeli in forma viri ei apparentis, verecundiam Virgines docet: *turbata eſt in ſermone eius*. Cùm ait:
[Luc. 1.] *Virum non cognoſco*, libidinem noſtrã comprimit, & caſtitatem edocet. Cùm ait: *Ecce Ancilla Domini*, ſuperbiam noſtram retundit, & de humilitate nos inſtruit.
[Luc. 2.] Cùm ait: *Pater tuus, & ego dolentes, quærebamus te*, dolorem, & pœnitentiã ob amiſſam Chriſti gratiam nos commonet. Cùm
[Ioan. 2.] ait: *fili, vinum non habent*: ad charitatem, & miſericordiam in ſubleuãdis proximorum penurijs nos hortatur. Cum canit:
[Luce 1.] *Magnificat anima mea Dominum*, ad gratitudinem erga Deum ob beneficia nobis collata, nos impellit, & ingratitudinem noſtram damnat. Ac tandem, cum patienter
[Ioan. 19.] Cruci aſſiſtebat: *Stabat iuxta Crucem Ieſu* ad laborum tolerantiam nos excitat. Rectè ergo Originale Hebræum legit: *Aedificata ad docendum tranſeuntes*. Vnde illa eſt Mariana vox omni acceptione digna,
[Prouer. 8.] Prouerb. 8. *O Viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: accipite diſciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis quàm aurum eligite. Melior eſt enim ſapientia cunctis precioſiſſimis. Timor Domini odit malum, arrogantiam, & ſuperbiam, & viam prauam, & os bilingue deteſtor. In vijs Iuſtitia ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Hæc ſanè ſunt ſcuta, quibus B. Virgo nos protegit, & Chriſto filio ſuo nos conciliat, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia IX.

De magnitudine gloriæ eſſentialis, qua Beatiſſimæ Deiparæ ſublimia merita fuerunt ex Iuſtitia remunerata, in illa verba: [Pſal. 47.]
Iuſtitia plena eſt dextera ſua.

NOn aliter de præexcellenti Virginis gloria orationẽ auſpicabor, quàm melliflui Bernardi dulcia verba mihi vſurpans, qui ſermone 4. de aſſumpt. ita exorditur: *Tempus loquendi eſt omni carni, cùm aſſumitur incarnati Verbi mater in Cœlũ; nec ceſſare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis ſola natura ſuprà immortales ſpiritus exaltatur in Virgine. Sed de eius gloria nec ſilere deuotio patitur, nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita poteſt locutio parturire.* [D. Bernard.] Eadẽ gloriæ Deiparæ magnitudinem contemplans D. Anſelmus de excellentia Virginis c. 8. ita loquitur: *Immenſitatem gratiæ, gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare cupienti, ò Virgo, ſenſus deficit, & lingua fatiſcit.* [D. Anſel.] Sanè cum hos tanti nominis Patres pertimeſcere videam ingredi vaſtiſſimum hoc Marianę gloriæ mare, non poſſum ipſe puſillus huius maris nauigationi vela laxans ingenti timore non concuti. Verũ Dei genitrice auſpice, ſpero abſque procella, hoc pelagus peruadere, ad quod ingrediendum vtar hoc artificio. Sicut enim qui radios Solis in ipſo non ferunt Sole, in ſpeculo vel aqua limpida inſpiciunt: Sic ego, quod in tam nequeo glorioſa, hoc in ipſis quas ſuper natat aquis; aliorum inquam gloria conabor intueri; & cùm facultas deſit, iſtud ipſum eloquẽdi ſequar calculatorum morem, qui ſummas ingentes ære contrahunt breuiore. Faciam quod ſolent ſigillorum ſculptores, qui res vaſtitate maximas perexiguo gemmulæ orbiculo repreſentant. Sic ego nunc ſignabo lineamenta tantæ gloriæ, ſubducam ſolummodo breuem ſummam.

Inter alia pleraque Dei præconia, qui-

bus regius vates diuinam maieſtatẽ exal-
Pſal.47. tat, illud ſingulare eſt: *Iuſtitia plena eſt*
dextera tua. Arbitror, quòd cũ diuina Iu-
ſtitia, non ſolũ in punitione malorũ, ſed in
remuneratione etiam bonorũ mirificè ef-
fulgeat, de hac locutum fuiſſe Dauidem;
quia iuſtitia, quæ punitionem Dei reſpicit
ad ſiniſtrã eius ſpectat, ad quã mali in die
Iudicij conſtituendi ſunt, vt ait D. Matth.
Matth.25. *Statuet hædos à ſiniſtris.* Iuſtitia vero remu
nerationem concernẽs, ad dexteram Dei
pertinet, in qua boni in extremo illo iudi-
cio sũt collocandi, iuxta illud: *Statuet oues*
Ibidem. *à dextris ſuis.* Hanc iuſtitiam in bonis con
ferendis, iuxta ſingulorum merita, videtur
mihi Dñs à primordijs cõſtitutionis Mũdi
exercuiſſe, nã (vt alibi notaui) vbi vulgat.
Geneſ.1. vertit, Gen. 1. *In principio creauit Deus Cæ-*
lũ & terrã. Originale Hebrę̃ũ, & Paraphra
ſtes Chaldaicus legũt: *In principio creauit*
Helohym, idest: *Iudices, Cælum, & terram.*
Mirabile equidem eſt, quòd ſermonẽ inſti-
tuens Moyſes de Deo, quatenus Vniuer-
ſorũ Creator exitit, inter pene infinita no-
minum genera, quibus eũ cohoneſtare po-
terat, ſola Iudicis nomẽcleatura illum de-
ſcribat, quæ ad rationem creationis, & mu
nus Creatoris quatenus talis, nihil facere
videbatur. Quis quæſo nõ dicet, rationi cõ
ſentaneum magis fuiſſe, ſi Moyſes ſcripſiſ-
ſet ſic: *In principio creauit Sadai*: hoc eſt,
omnipotens; vel ſi dixiſſet: *in principio crea-*
uit El, ideſt, *fortis*, vel *Helym*, ideſt *excel-*
ſus, vel *Adonay*, ideſt *Dominus*, vel *Ieoua*,
ideſt *fons, et ſcaturigo omnis entis*? At diui-
no ſpiritu afflatus Moyſes, cõſultò vſus eſt
nomine: *Heloym*, Iudices ſignificante; quia
licet in opere creationis, Deus Opt. Max.
omnipotentiã ſuam oſtentauerit, ex nihilo
omnia creãs, vt magna illa mater Macha-
2. Mach.7. bæorum dicebat: *Peto à te nate, vt aſpicias*
Cælũ, & terrã, & ad omnia, quæ in eis ſunt,
& intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus;
Sapien.8. Licet oſtenderit ſuam fortitudinem *attin-*
gens à fine vſque ad finẽ fortiter, ſuauiterq;
diſponẽs omnia. Licet manifeſtauerit ſe ex-
Eccl.43. celſum: *Vas admirabile opus excelſi.* Licet
Eſth.13. declarauerit ſe omnium Dominum, *Tu*
feciſti Cælũ, & terrã, & quidquid Cæli am-
bitu continetur, Dominus vniuerſorũ tu es;
merito tamen, ac ſapienter valde, nomen
Iudicis, quod in fine Mundi debitum eſt,
Deo in principio creationis eius tribuit
Moyſes; quia vt rectè adnotauit Cardin.

Caiet. in c. 1. Geneſ. per hoc ſignificare vo Caiet.
luit, Deum iuſtitiæ diſtributiuæ adeò ama
torẽ eſſe, vt omnibus, & ſingulis rebus à ſe
creatis, gradus perfectiones qualitates, põ-
dus numerum, menſurã, locum, & ſitũ or-
dinem, & alia ſimilia iuxta, exigentiã, &
merita cuiuſq; naturæ eis impertierit. Vn-
de cùm Iuſtitia, vt habetur Inſtit. de Iuſtit.
& Iur. §. Iuſtitia, ſit *conſtans, & perpetua vo*
luntas, ius ſuũ vnicuiq; tribuens, & Deus in
creatione rerũ, vnicuiq; illarũ diſtribuerit
perfectiones ſuæ naturæ debitas, aptè ſatis
Deum Creatorem *Iudicẽ* compellauit, cu
ius propriũ eſt, iuſtitiæ legum cuſtodẽ eſſe.
Ceterùm in diſtributione cœleſtiũ chariſ-
matũ, & ſpiritualium bonorum, quæ ad or
dinem gratiæ pertinent, multo excellẽtius
diuina diſtributiua iuſtitia pręfulget. Ete-
nim licet Deus merè gratis, & pro libero
beneplacito ſuæ voluntatis, quoſdã præde
ſtinauerit in Apoſtolos, alios in Martyres,
alios in Virgines, alios in Doctores, alios
in Cõfeſſores, iuxta illud Apoſtoli: *Quoſ-* 1. Cor. 12.
dam quidẽ poſuit Deus in Eccleſia, primum
Apoſtolos, ſecũdò Prophetas, tertio Doctores,
deinde virtutes, exinde gratias curationum,
conſequenter tamen, iuxta exigentiã ſin-
gulorũ ſtatuum, & munerũ eorũ, ſpiritua-
lia bona eis diſtribuit, vt idem Apoſtolus
teſtatur ibidẽ dicens: *Diuiſiones gratiarũ*
verò ſunt, idem autẽ ſpiritus. Alij quidẽ per
Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autẽ ſer
mo ſcientiæ, alteri fides in eodẽ ſpiritu. Vnde
D. Chryſoſt. hom. 6. ſuper 2. ad Cor. expli-
cans illa verba eiuſdem Apoſtoli: *Idoneos* D. Chryſoſt.
nos fecit miniſtros, ait: *Fecit, vt hoc præſtare* ad Corinth.
poſſemus, eiq; muneri gerẽdo efficeremur ac-
commodi. Etenim Virginibus cõferens puri-
tatem, Doctoribus ſapientiã, martyribus for
titudinẽ, Apoſtolis vim ad conuertendas ani
mas, & facilitatẽ ad miracula perpetranda,
accommodos eos reddidit muneribus, ad quæ
eos deſtinauerat. Verùm & adhuc clarius
emicat Iuſtitia Dei, diſtributiua proprius
dicta, in pręmio glorię, quo Deus ſecundũ
menſurã meritorũ Iuſtos remunerat, iuxta
illud Pauli: *Repoſita eſt mihi corona Iuſtitię* 2. Tim. 4.
quã reddet mihi Dominus iuſtus Iudex. hęc
autẽ corona tantò precioſior erit, quantò
vberiora fuerint coronandi merita. Quare
idem D. Paulus dixit: *Alia claritas ſolis,* 1. Cor. 15.
alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtella-
rum: ſtella enim à ſtella differt in cla-
ritate, ſic & reſurrectio mortuorum.

Ego ſanè nomine Solis Iuſtitiæ Solem Chriſtum Dominũ: nomine verò Lunę, pulchram Mariam, vt Lunam; ac tandẽ nomine ſtellarũ, reliquos ſanctos, qui inſtar ſtellarum firmamẽti in cœleſti patria emicãt, nõ immerito intelligo. Vnde ſicut Sol ſplẽdore, & claritate principatum tenet, deinde Luna ſplendidior eſt cunctis ſtellis: ita poſt filium mater, gloriæ magnitudine reliquos Sanctos præcellit, adeò vt quãtum Dei genitricem decebat, ad immenſum illud glorię Chriſti pelagus appropinquarit ipſa dicente: *Ecce factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* Itaque quãuis ſolius Chriſti gloriam Virginis gloria nec excedat, nec exæquet, longè tamen ſuperat ſingulorũ beatorum, tam hominũ, quam Angelorũ beatitudinem. Id tanquam fidei veritatẽ irrefragabilem Eccleſia Catholica fatetur, dũ canit: *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorũ ad cœleſtia regna.* Vnde D. Anſelmus de excellentia Virginis c. 4. inquit: *Tota Chriſtianitas nouit, quæ illã ſuper omnes Cœlos exaltatã, & Angelicis choris prælatam certiſſimè credit.* Idipſum fatetur D. Damaſcen. orat. 1. de dormitione Deiparæ dicens: *Omnes res creatas ſuperat, omnibus dominatur operibus: ſuper Cœlos Cœlorum extollitur incõparabiliter.* Idem luculẽter aſtruit S. Ephrem oratione de laudib. Virginis, dũ hæc ſcribit: *Sanctior Cherubim, ſanctior Seraphim, & nulla comparatione ceteris omnibus ſuperis exercitibus glorioſior,* & D. Epiph. in ſerm. de laudib. Virg. celſitudinẽ gloriæ Deiparæ contemplans, in hæc verba admirabundus exclamat: *Maria ſolo Deo excepto, cũctis ſuperior exiſtis, natura formoſior es ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico: cui prædicanda cœleſtis, & terrena lingua minime ſufficit, immò verò, nec Angelorum, columba pura, ſponſa indiuiduæ Trinitatis, & à Deo ipſo in honore habita.*

Eccl. 24. — *Eccleſia Romana.* — *D. Anſel. de excel. Virg. c. 4.* — *D. Damaſcen. orat. 1. de dormit. Deipara.* — *S. Ephrem.* — *D. Epiphan.*

Accedunt his egregia verba eruditiſſima Cardinalis Cuſani lib. 4. dum explicãs illa verba: *Maria optimam partem elegit,* ſic ait: *Si Maria Magdalena ſedẽs ſecus pedes Ieſu, ex auditu verborum eius, peruenit ad electionem optimi ſuo modo, ſcilicet, vt Maria Magdalena; ò quàm excellenter tũ eleuata Virgo Maria ſuper omnes Cœlos ad electionem optimi perducta eſt, quæ electa eſt, mater Ieſu, & Verbi, & Lucis, & Rationis, & Veritatis. O quàm alte ſuper omnes viſiones intellectuales ipſa vnum illud inuiſibile videt, & quàm ſano palato vnum fontem vitæ guſtauit, & guſtat. Si Dauid ad hoc eleuatus eſt, vt diceret: guſtate, & videte quam ſuauis eſt Dominus, meritò ipſa, quanto altior omnibus Prophetis, tãtò perfectius videt, & vidit: guſtat, & guſtauit ipſum, apud quem eſt fons boni, qui ſolus eſt, hoc vnum bonum, quod omnia appetunt. Elegit igitur ipſa hanc optimam partem, quæ non auferetur ab ea.*

Card. Cuſan. lib. 4.

Horum omnium Patrum doctrina, fundamentum habet in ſacris Scripturis, in quibus, inter alias, quatuor præcipuè menſuras reperimus, per quas beatorum gloriam metiri licet. Prima eſt, Humilitas: quanto enim quis magis ſe depreſſerit in hac vita, tanto ſublimius extolletur in futura, iuxta illud Lucæ 18. *Omnis, qui ſe humiliat exaltabitur:* vt enim dixit Iob. 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos.* Etenim humilitas eſt inſtar aquæ fontis, quæ quanto ex altiori loco deſcẽdit, tanto poſteà altius cõſcendit. Cũ ergo humillima Virgo in infimã omniũ humilitatis abyſſum ſe demiſerit, ancillam ſe vocans, cùm ad dignitatẽ matris Dei ex diuina reuelatione præcognoſceret fuiſſe euectam, conſequens fit, ſublimius omnibus beatis, in cœleſti patria eſſe exaltatam. Secundam menſuram aſſignat Diuus Paulus 2. ad Cor. 1. dum ait: *Sicut ſocij paſſionum eſtis, ita & conſolationis.* Quòd & antea prædixerat Dauid: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Eſt enim euidens argumentum, quòd ſi in hac vita iuxta menſuram dolorum cõſolatur Deus amicos ſuos, abundantius multò id præſtabit in futura. Cùm ergo Beata Virgo per totum vitæ curriculum varijs doloribus fuerit oppreſſa, maximè poſtquam concepit filium Dei: doluit enim ſancium cor ſponſi agnoſcens, quòd videret illam prægnantem, & vnde id eſſet, penitus ignoraret. Doluit ſæpe in infantia Ieſu, dum illum vagientem, & eiulantem audiebat, & frigore contremiſcere intuebatur. Doluit in circumciſione, tenerum infantem ſacrum cruorem effundentẽ. Doluit exiliũ Chriſti in Aegyptũ, & immanẽ Innocentũ cędẽ. Doluit abſentiã triduanã

D. Luca c. 18. — *Iob. 22.* — *2. Cor. 1.* — *Pſal. 93.*

dilecti filij, cùm duodecim eſſet annorũ, vt
ipſa dixit: *Pater tuus, & ego, dolentes, quæ-*
Lucæ 2. *rebamus te.* Doluit grauiſſimè propter acer
biſſimam chariſſimę prolis paſſionẽ, & mor
Luc. 2. tem, iuxta vaticinium Symeonis: *Tuam ip*
ſius animam pertranſibit gladius. Igitur ſi
iuxta menſurã dolorum, in cœleſti Patria
conſolatio futura eſt, non poteſt non ea,
quæ Vigini contigit, maxima omnium eſ-
ſe: cùm maximus omnium fuerit eius do-
lor. Tertiam menſuram ſubminiſtrant no-
2. ad Cor 9. bis verba D. Pauli 2. ad Corin. 9. *Qui par-*
ce ſeminat, parce & metet. Super quæ ver-
ba D. Bernardus ſermo. 9. in Pſal. *Qui ha-*
bitat, ait; *Prudenter, dilectiſſimi, & vtiliter*
elegiſtis propter verba labiorum eius, cuſto-
dire vias duras illic ſeminantes, vbi nec mi
nima quidẽ portio veſtri ſeminis valeat de-
perire. Sanè qui parce ſeminat, nõ quidẽ non
metet, ſed parce metet: nempe qui metit, mer
cedem accipit, & ſcimus, quis promiſit, ne eũ
quidem, qui pro nomine tuo calicem aquæ
frigidæ dederit ſitienti, mercede propria ca-
riturum. Numquid tamen in qua menſura
menſus fuerit, ſibi quoque remetietur, aut in
retributione æquabitur ei, qui non aquã por-
rigens, ſed ſanguinem fundens, propinatum
ſibi biberit calicem Saluatoris? ac ſi dicat:
non æquabitur. Itaque fide Catholica cer-
tum eſt, vnicuique reddẽdum eſſe fructum
gloriæ iuxta qualitatem operum, quæ ſe-
minauerit. Inter hæc autem opera, illa
præcipuè, quæ miſericordiæ ſunt, Chriſtus
Dominus remuneranda prædixit: quid
enim ſibi volunt hæ Chriſti ſententiæ:
Marc. 9. *Quiſquis potum dederit vobis calicem aquæ*
frigidæ in nomine meo, amen dico vobis,
Ibidem. *non perdet mercedm ſuam. Quiſquis vnum*
ex huiuſmodi pueris receperit in nomine
meo, me recipit, & quicumque me ſuſce-
perit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit
me. Quamdiu feciſtis vni de his fratribus
Luc. 14. *meis mihi feciſtis*: tum alibi: *Cùm facis*
conuiuium voca pauperes, debiles, claudos,
& cæcos, & beatus eris, quia non habent
retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſur
rectione Iuſtorum. Ac ne dubitemus huiuſ-
modi retributionem, ſiue remunerationẽ
Luc. 6. locupletiſſimam fore, *menſuram*, inquit, *bo*
nam, & cõfertam, & cogitatam, & ſuperef-
fluentem dabunt in ſinum veſtrum. Quare
nullus ambigendi ſupereſt locus, quin hu-
iuſmodi promiſſiones, ordinarijs Dei ſer-
uis, ſic etiam & multo quidem copioſius,

in ipſa Dei parente, ſortiantur effectum.
quæ omnia illa opera miſericordiæ in
propria perſona filij Dei exercuit huma-
na carne induta. Vnde S. Ildephonſus. ſer. S. Ildeph orat de aſſumpt.
2. de aſſumptione præclare dixit: *Etſi im-*
partis præmia iuſtus Iudex Chriſtus Domi-
nus, ſecundùm Apoſtolum, vnicuique iuxta
opera ſua; huic tamen ſacratiſſimæ Virgini
genitrici ſuæ, ſicut incõparabile eſt, quod geſ-
ſit, & ineffabile donum, quod percepit; ita eſt
inæſtimabile, atque incomprehenſibile præ-
mium & gloriæ, nõ dico inter ceteras ſacras
Virgines, verùm etiam vltra omnes ſanctos
quam promeruit. Quartam menſurã, eamq;
omnium notiſſimã iam appono, Charita-
tem ſcilicet, ſeu ardentem in Deum amo-
rem; eſt enim concors omnium Theologo-
rum ſententia, iuxta magnitudinẽ charita
tis conferri pręmium gloriæ. Beata autem
Virgo ardentius omnibus ſanctis Deum di
lexit. Etenim, ſi ſimulatq; æternus Pater ge
nuit in æternitate Filiũ, cõtinuo ab vtriuſ-
que voluntate Spiritus ſanctus proceſſit,
qui eſt infinitus, & reciprocus amor inter
Patrem, & Filium; ſimili quadã proportio-
ne aptè colligi puto, quòd cùm B. Virgo in
tempore, eundem Dei filiũ non ſolùm mẽ-
te, ſed etiam corpore, vtero ſuo cõceperit,
ex tunc, ex voluntate Virginis ardentiſſi-
mus in Deũ amor proceſſit, ſi nõ infinitus,
ita tamẽ præcellẽs, vt in cõparatione ardo
ris eius, Seraphinorum amor, tepor eſſe vi-
deretur. Vnde ne tam vehemẽs ardor illã
abſumeret, Spiritus ſancti obumbratione
eguit, illam refrigerãte: *Spiritus ſanctus ſu* Luc. 2.
perueniet in te, et virtus Altiſſimi obumbra-
bit tibi. Quod perpendẽs D. Hieron. ad Eu-
ſtochium ſerm de aſſumpt. ait: *Puto, quod* D. Hieron ad Euſtoch.
quicquid cordis eſt, quicquid mẽtis, quicquid
virtutis humanæ, ſi totum adhibeas, nõ ſuffi-
ciat, vt cogitare valeas, quanto indeſinenter
cremabatur ardore pij amoris, quãtis moue-
batur repleta Spiritu ſancto cœleſtiũ ſecreto-
rum incitamentis. Quia etſi diligebat Chri- Matth. 22.
ſtũ ex toto corde, et tota anima, ex tota vir-
tute, nouis tamen quotidie inflammabatur
præſentia abſens deſideriorũ affectibus, tãto
ſiquidẽ validius, quãto diuinis illuſtraba-
tur intus viſitationibus, quia totã repleuerat
Spiritus ſancti gratia, quam totã incandue-
rat diuinus amor, ita vt in ea nihil eſſet mũ-
danus quod violaret affectus, ſed ardor cõti-
nuus, & ebrietas perfuſi amoris. Nõ ſolũ au
tẽ arbitror Virginẽ in perfectione viſionis
beatifi-

beatificæ ſingulos beatos, tam Angelos, quam puros homines excedere; ſed etiam vniuerſos omnes ſimul ſumptos, itavt beatitudo Virginis comparata ad beatitudines omnium, quotquot Deo fruuntur in vnum aceruum collectas, longo perfectionis interuallo trāſcendat, vt tradit S. Bernardinus to. 1. ſer. 61. idq; mihi non obſcu- B. Laur. Iuſt. re docuiſſe videtur B. Laurentius Iuſt. ſer. de Aſſumpt. dum ait: *Magnum reuera miraculum fratres dilectiſſimi, fuit ſemper B. Virgo Maria. Quid namq; illa maius, aut illuſtrius vllo vnquā tempore inuentum eſt, ſeu aliquādo inueniri poterit? hæc ſola Cœlū, ac terram magnitudine ſuperauit. Quidnā illa ſanctius? non prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, nō Seraphim, nō Cherubim, nō denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles maius, aut excellentius* S. Ephr. *inueniri poteſt.* S. Ephrem oratione de laudibus Virg. in hunc modum loquitur: *Nulla cōparatione omnibus ſuperis exercitibus glorioſior, præſtantiſſimū Orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona ob fulgo-* D. Bonauen. *rem inacceſſa.* D. etiam Bonauētura lib. de laud. Virg. ex varijs Patrū doctrinis docet Dei gloriam magis in ſola Virgine, quàm in ceteris Dei operibus, (Chriſto sēper excepto) enitere; quod vtiq; verū non eſſet, niſi omnium bona, & perfectiones gloriæ in Virgine eſſent congregatæ. Sed clarius omnibus hanc Virginis excellenriā tradit D. Thom. expreſsè Angelicus Doctor D. Thom. lib. de ſolemnit. ſanctor. explicans illa verba Eccl. 24. Eccl. 24. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano,* ait: *Per ſex arbores, quibus cōparatur exaltatio B. Virginis in iſta epiſtola, intelligi poſſunt ſex ordines beatorū. Cedrus ſignificat Angelos propter naturæ ſublimitatem.* Eccli. 31. Eccl. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei; ideſt, Angeli non fuerunt ſublimioris naturæ Lucifero. Cupreſſus ſignificat Patriarchas, & Prophetas per odoris ſuaui-* Geneſ. 27. *tatem: Vnde de vno dictum eſt.* Gen. 27. *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Palma ſignificat Apoſtolos propter glorioſum de vniuerſo mundo triumphum. Palma etiam ſignificat victo-* Apoc. 6. *riam* Apoc. 9. *Et palmæ in manibus eorum. Roſa ſignificat martyres per effuſionem ſan-* Eccl. 39. *guinis, qui habet colorem rubeum.* Eccl. 39. *Et quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate. Oliua ſignificat confeſſores pro-*

pter oleum. Pſal. 51. *Ego autem ſicut oliua fructifera.* Pſal. 51. *Platanus ſignificat Virgines propter frigiditatem, libidinis incendiū extinguentē; creſcit enim iuxta aquas, in qua frigiditas notatur. Sicut cynnamomū, & balſamum aromatizans odorē dedi ſuauitatis.* Eccl. 24. *Quanto ſubtilius, tanto melius eſt,* Eccleſ. 24. *& magis odoriferum, & per hoc intelligitur humilitas. Balſamum autē quanto grauius, & ponderoſius, tanto melius; vnde probatur in aqua, & ſi cito deſcendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem poteſt intelligi grauitas morum: hæc autem duo dant odorem ſuauitatis. Eſt ergo ſenſus, quòd Virgo eſt exaltata ſicut Angeli, Patriarchæ, & Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines. Eſt liptotē, qui pauca dicit, ſignificatq; magna; fuit enim exaltata ſuper Choros Angelorum, & ſuper omnes Sanctos: nec mirum, ſi eſt exaltata ſicut Angeli, Patriarchæ, &c. in carne enim eſſe, & ſecundum carnem non viuere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. Virginitas, ſoror eſt Angelorum: habuit etiam meritum prophetæ prophetādo.* Luc. 1. *Beatam me dicent* Luc. 1. *omnes generationes. Vidit enim ſpiritu prophetico, & prophetauit, quòd debebat beatificari ab omnibus gentibus; & quòd omnes gētes debebant recipere filium Dei: & ſuum habuit meritum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum docendo. Multa enim ſcripta ſunt, et prædicata, quæ non potuerūt ſancti, niſi per reuelationem eius ſcire, ſicut de viſitatione Angeli in conceptione, & alijs pluribus. Habuit meritum Martyris, mortem Crucis cū filio patiendo.* Lucæ 2. *Et tuam ipſius ani-* Luc. 2. *mam pertrāſibit gladius. Habuit meritum Confeſſorum deuotè Domino confitendo.* Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. *Habuit meritum Virginū, inchoando virginitatem, & conſeruādo.* Luc. 1. *Ingreſſus eſt* Ibidem. *Angelus Gabriel ad Mariam Virginē; & ſicut habuit meritum omnium, & amplius; ita congruum fuit, vt ſuper omnes ponatur ordines cœleſtium.* hæc ille. Quorum compendium paucis verbis mihi feciſſe videtur B. Laurentius Iuſtin. ſerm. de aſſum. di- B. Laur. Iuſt. cens: *Meritò quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in ſingulis, totū abundabat in Virgine.* Atque hinc eſt, quòd B. Ildephonſus ſermo. 2. de aſſumpt. præmiū Bea- B. Ildephon. tiſſ. Virginis, incomprehenſibile appellauit *Sicut eſt (inquit) incomparabile, quod geſſit, & ineffabile quod percepit; ita eſt incompre-*

benſibile præmiū gloriæ quod meruit. Illud
autem ſpeciale valde præ ceteris omnibus
alijs bearis habuit B. Virgo, quòd eius bea
titudo, non ſolùm intenſiuè, vt hucuſque
oſtendimus, ſed & extenſiuè etiam, vt mo-
re Scholaſticorum Theologorum loquar,
omnium aliorum beatitudines in vnum
quoque collectas longè ſuperauit. Videt
enim in Verbo omnia, quæcumque videt
Deus ſciētia viſionis, vt præter modernio-
res Doctores id aſſerēres docuit S. Germa-
S. German. nus ſermo. de aſſumpt. dicēs: *Spiritus tuus,
ò Maria, viuit in æternum. Omnia obſeruas
omnia intueris, & inſpectio tua ad omnes ſe
porrigit.* Ratio etiam non parum conſtans
id confirmat, quia vt D. Thom. docet 1. p.
D. Thom. q. 12. *vnuſquiſque beatus videt omnia, quæ
pertinent ad ſuum ſpecialem ſtatum*. Cùm
autem B. Virgo non ſolùm vniuerſalis do-
mina, regina, & mater, ſed ſingulari etiam
modo fuerit coopetata Chriſto Domino
ad omnium electorum ſalutem, Andrea
And. Cret. Cretenſi dicente: *Sola præter naturam fuit
electa ad naturam renouandam: ſola deſer-
uit opifici vniuerſæ naturæ*; & ex alia parte
1. Corin 3 & 2. Cor. 4. cùm omnia (teſte D. Paulo) ſint propter
electos, tàm naturalia, quam ſupernatura-
lia; conſequens eſt, ad ſtatum Beatiſſ. Vir-
ginis propriè ſpectare, quatenus ſub Chri
ſto fuit, veluti vniuerſalis cauſa inſtrumen
taria noſtræ ſalutis illi coniunctiſſima, om
nia in Verbo perluſtrare, & claré videre.
Scio ab his excipere Franciſcum Suarez
interiores animæ Chriſti cogitationes,
quas ait non videri à Virgine, quia *cùm il
Suar. 3. p. q. 37 art 4. diſp 21. ſect. 3. la* (inquit) *longe ſit Chriſto inferior, tam di-
gnitate, quam beatitudine, non decet, vt ſine
manifeſtatione, & cōſenſu eius, omnes illius
cogitationes, & interiores actus intueri poſ-
ſit.* Sed non video neceſſiratem huius ex-
ceptionis: quia ſi *Chriſtus Dominus* (vt ip-
ſe dixit) *omnia quæcumque audiuit à Patre
ſuo nota fecit diſcipulis*, nihil mirandum, ſi
omnia arcana cordis ſui nota faciat ma-
tri, nec id vnquam continget fieri abſque
conſenſu Chriſti Domini, ſed ipſo potius
libentiſſime conſentiente, vt gloria B. Vir-
ginis etiā extēſiuè cumulatior ſit: nec per
hoc illa æquabitur gloriæ illius, quia per-
fectiori lumine, & claritate, & intenſius ip
ſe videt Deum, & plura ex rebus poſſibili-
bus in Verbo penetrat, quam marer, cui ſit
honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.
Amen.

Homilia X.

De magnitudine gloriæ accidentalis Deiparæ Virginis, vbi de percelebri pompa, dulci melodia, ac regio apparatu, quo aſſumpta fuit in Cœlum, aißerimus.

QVantis magnæ matris Mariæ
pompam, & apparatum, quo
ad æthereum thalamum in
die Aſſumptionis ſuæ eue-
cta fuit, pro modulo noſtro,
& rudi (vt aiunt) Minerua, deſcripturi,
orationis materiam mutuare placuit ab
honore, & iubilo, quo filius prodigus in
domum Patris ſui rediens, ſuſceptus eſt.
Etenim ſi argumentum à minori ad maius
in eodem genere, philoſophi omnes firmū,
ac ſolidum eſſe cenſuere, non inſipienter
colligam. Si filius prodigus, qui (vt ſacer
Euangeliſta ait) *deuorauit ſubſtantiā ſuam* Luca 15.
cum meretricibus, ingrediens domū patris
ſui, magno cum honore, & iubilo, ab eo ſu-
ſceptus eſt; mater certè amantiſſima, quæ
nullam ſubſtātiam vnquam diſſipauit, ſed
ſanguinis potius propriam ſubſtantiam ad
formationem corporis Chriſti, ſubmini-
ſtrauit, cœleſtem filij aulam ingrediens,
ab eodem honorificentius ſuſcepta meri-
tò cenſeri debet.

Quatuor præcipuè facta fuiſſe cōmemo
rat D. Luc. c. 15. ad ingreſſum filij prodigi
in domū patris ſui. Primum: adfuit iubilus
muſicæ, & chori *Audiuit ſymphoniam,
& chorum*. Secundum: pater filio ad ſe
venienti obuiam iuit, hilariter eum ſuſci-
piens. *Accurrens cecidit ſuper collum
eius, & oſculatus eſt eum*. Tertium: pre-
cioſis veſtibus induit: *Citò proferte ſtolam* Luca 15.
primam, & induite illum. Ad lautum
etiam conuiuium, apud ſe conſedere fecit.
Manducamus, & epulemur. Quartum
tandem, annulo manū eius exornauit. *Da
te annulū in manu eius*. Hæc ſi in Virginē
conuertamus, haud difficile erit, oſtendere
illis omnibus Deiparā in die triumphantis
eius

Digitized by Google

eius ingreſſus,in cęleſtem filij ſui domum, lõgè cumulatius ab eo donatam fuiſſe. Et quidem, vt à iubilo, & pſallentium choro auſpiceur, S. Ildephonſus ſermone 1. de Aſſumptione, hoc idem argumentum pertractans, inquit: *Quid hodie ante Beatam Virginem, quando illa in cœleſtem Hieruſalem euebitur, quantus exercitus Sanctorum præcucurrit cum hymnis, & Canticis. Nec dubium, quin illa centum quadraginta quatuor millia, qui in conſpectu ſeniorum ſunt, tenentes cytharas ſuas cecinere cum omni fragore Cœli, Canticum nouum, quem nemo poteſt dicere, niſi ipſi, qui hodie feſtiuè veniunt obuiam cum cytharis ſuis, ac lætè in ſuo Beatam choro excipiunt Virginem, non qualemcunque, ſed vnam de numero prudentum, & primam omnium inter primas, quæ vadit poſt agnum proximior.* Huius iubili egregiam reperio figuram, 2. Reg. 6. vbi lego, quòd Dauid, & omnes filij Iſrael deducebant arcam teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ, & quod omnis domus Iſrael pſallebat, & *iubilabat in omnibus lignis affabrefactis, & cytbaris, & lyris*, quibus triplex muſices genus indicatur, triplex enim eſt ſonus muſicæ. Primus, qui voce formatur, ſicut in cantu, id quod exprimit, cum ait: *in iubilo*; nam iubilus, artificioſa, eſt modulatio. Secundus, qui fit cum flatu, id, quod ſignificat, cum ait: *cum clangore*, vt in buccina. Tertius tandem, qui ex pulſatione cauſatur, ſicut in cythara; quod verba illa indicant: *In omibus lignis affabrefactis, & cytbaris.* Si ergo Dauid, cùm veterem illam Arcam Domini, quæ Mariæ proculdubio typus erat, in meliorem domum vellet traducere, præ ſummo gaudio exiliuit, chorum pſallentium, & cantantium inſtituit, varijs Hymnis, & inſtrumentis muſicis conceptum animo gaudium declarauit, omnemque Dei populum ad edenda lætitiæ publicæ ſigna ouantem ſecum deduxit; nonnè credendum eſt, verum Dauidem Chriſtum Dominum non modò Angelos, ſed etiam cœlites omnes inuitaſſe, vt propenſo, & ardenti ſtudio, inſueta exultatione, ac ſingulari obſeruantiæ ſignificatione illi obuiam prodirent, quæ Regis æterni mater, eadem & Cœlorum Regina Imperij ſui poſſeſſionem acceptura veniebat? Itaque licet magna cum lætitia, tùm ouatione arca vetus, ex domo Aminadab deducta fuerit à Rege Dauid in eius Ciuitatem, maiore tamen cùm tripudio, & triumpho noua Dei viuentis mater ex hac Mundi plaga ad felicitatis æternæ Vrbem translata eſt à Rege Regum Ieſu Chriſto. Cerno illic populũ multum nimis, omnes electos ex Iſrael triginta millia confluxiſſe ad eamẽ deducdam: hic multitudinem innumeram video ex omnibus tribubus, gentibus, populis, & linguis, captiuam illam, quam Chriſtus duxit ſecum captiuitatem, prodire in occurſum Reginæ Cœlorum Sereniſſimæ. Video nouo currui, illam impoſitã boum iugatu traduci: hanc manibus Angelicis, ac dilecto ſuo innixam aſſumi: video Dauidem ante veterem arcam ſubſilientem, & toto corde vnà cum ſeptenis choris adiũctis, choreas ducentem. Illinc deſpectui habet Michol: Hic omnis Eccleſia Sanctorum demiratur Altiſſimum matri ſuæ ſanctiſſimæ Virgini nouenis choris Angelorum circundatæ præeuntem. atque tũc mihi videtur impletum illud, quod ſecundo Paralipom. 5. legitur, vbi poſtquam Sacer Textus dixerat: *Dauid congregauit maiores natu Iſrael, & cunctos Principes tribuum, & capita familiarum de filijs Iſrael in Hieruſalem, vt adducerent arcã fœderis Domini.* Et poſtquam ſubiunxerat: *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, id eſt ad oraculum templi, in Sãcta Sanctorum ſuper alas Cherubin.* hæc ſubſcribit, quæ ad concentum pertinent. *Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longè ſonitus audiebatur.* Similia in introductione huius myſticæ arcæ in cœleſtem Hieruſalem, accidiſſe teſtatur Sãctus Gerardus Epiſcopus, & martyr homilia de iubilatione Virginalis Aſſumptionis dicens: *Hodie Beatam Virginem Cœli ſuſceperunt lætando, Angeli gaudendo, Archangeli iubilando, Throni exultando, Dominationes pſallendo, Principatus harmonizando, Poteſtates cytharizando, Cherubim, & Seraphim hymnizando; atque ad ſupremum Diuinæ Maieſtatis Tribunal deducendo.* Et quidem, ſi (vt refert Propheta Daniel cap.

S. Ildephon. — 2. Reg. 6. — 2. Paralip. 5. — S. Gerard. — Dan. 3.

Digitized by Google

cap. 3. ad honorem ſtatuæ, quam Nabuchodonoſor Rex erexerat, intonuit ſonus multiplex tubæ, fiſtulæ, cytharæ, ſambucæ, Pſalterij, ſimphoniæ, ac vniuerſi generis muſicorum; quis quæſo ſibi perſuadeat, in erectione non ſtatuæ illius inanimatæ; quam impius Rex Nabochodonoſor conſecerat; ſed in Aſſumptione Dei genitricis, Angelicum concentum, ac omnium muſicorum inſtrumētorum ſuauiſſimam harmoniam deſideratam fuiſſe? Non ſolum autem inſtrumentotum ſonus ſed & cœleſtium Ciuium ſonora modulatio audiebatur: nam Diuus Athanaſius in ſermone de Aſſumptione, ſeu in Euangelium de Sanctiſſima Deipara, clariſſimè docet omnes Angelorum Hierarchias in celebri hoc Mariano triumpho ſuauiter

D. Athanaſ. ceciniſſe: *Beatam* (inquit) *te prædicant omnes Angelorum, & terreſtrium Hierarchiæ: & Hierarchicas manus attollentes, benedicunt tibi, quæ & in Cœlis benediceris, & in terris beata prædicaris: benedicta tu in mulierlbus, & benedictus fructus ventris tui. Iſtiuſmodi enim benedictionibus te celebrat prima acies, quæ & Thronis, Cherubinis, & Seraphinis conſtat, qui aut flammei, aut magni Regis Dei cognitores appellantur. Benedicta tu in mulieribus, & beatus vterus tuus Dei geſtator, & vbera, quæ adbuc infantulus ſuxit. Secunda verò Hierarchia, quæ Dominationes, Virtutes, Poteſtateſque complectitur, ad te reſpectans, clamat, vtpotè, quæ hæc didicerit à ſublimiori Hierarchia, pluſquam initiata ſit: benedicta tu in mulieribus, & benedictus venter tuus, qui Deum concepit, & mammillæ, quæ Deum educauerunt puerum factum. Iam tertia ex Principibus, Angelis, & Archangelis acies, quibus mandatum, & permiſſum fuit à Deo emittente, vt per vnum Gabrielem Archangelum ederet ſplendididiſſimum, & capaciſſimum Hymnum in hæc verba: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Non ſolum autem Angelici ſpiritus, ſed & vniuerſi cœlites, Mariæ triumphum glorioſum celebrarunt, cum Diuus Bernardus ſermone primo, de Aſſumptione dicat, empyreum Cœlum euacuatum fuiſſe, vt tota cœleſtis Curia in occurſum Dei genitricis veniret. Verba eius ſunt hęc: *Quis cogitare ſufficiat,*

D. Bernard. *quàm glorioſa hodie Mundi Regina proceſſerit: & quanto deuotionis affectu tota in eius occurſum cæleſtium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ Canticis ſit deducta, quàm placido vultu, quàm ſerena facie, quàm diuinis amplexibus ſuſcepta à filio, & ſuper omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta digna fuit: cum ea gloria, quæ tantum decuit filium.* Itaque nouenis Angelorum choris intermixti ſub vexillis ſeptem alij chori procedebant ante ſacratiſſimam Dei parentem. Primum agmen Patriarcharum ducebat Adam protoparens: alterum Prophetarum anteibat Moyſes vatum omnium primus. Martyribus oſtro purpureo fulgens laborum, præferebat Abel innocens à fratre occiſus. Iuſtorum qui ſanctimoniam doctrina illuſtrarunt, cærulea ſigna, antecedebat. Enos Vetus Virgineis choris præcinebat Maria ſoror Moyſi: aderant, & innocentes infantes, qui lacteo ſanguine terram pro Chriſto irrigauerant; ſequebantur. Deinde reliqui omnes electi, qui vita innocenter acta ad ſedes beatas cum Chriſto aſcenderant. Iucundum erat videre ſenes illos vigintiquatuor, retectis capitibus ante Reginam Patriarcharum incedentes: laudabant protoparentes matrem viuētium, quæ oculato ſuo pede detriuit ſerpentem. Noè arcam orbis ſeruatricem ſalutabat. Abraham, & Iſaac fęcundam ſeminis, in quo omnes gentes benedicuntur, magnificabant. Iacob domum Dei, portam Cœli, puteum concluſum, fontem aquarum viuentium, faſtigium virgarum, quod adorauerat: Mariam venerabatur. Moyſes rubum, quem inoffenſum ſacra flamma lambebat: virgam, quæ ſuæ ſuperabat miracula virgæ: petram, quæ perennantes inexhauſto fluuio fudit aquas: tabernaculum, in quo. Immenſus, velut in conopęo reſidens, delicias nobiſcum voluit habere ſuas: tabernaculum fœderis, ſub quo Deus, atque homo fœdera iungebat: aram odorati thymiamatis, quod ſuo odore mephitim noſtri criminis correxit: Sanctuarium Dei ſacris virtutibus ornatum, in quo ſedem Deus collocaret, arcam teſtamenti, propitiatorium Altiſſimi nuncupabat. Balaham, matutinum ſydus, Aaron virgam floridam, Ioſue tentor Solis, Gedeon vellus aureum, Da-

uid

uid ciſternam Bethlehemiticam,Salomon nauem inſtitoris,fauum diſtillantem,fontem ſignatum, domum ſapientiæ, ſpeculum ſine macula, pulchram vt Luna, electã vt Sol, turrim eburneam, Caſtrorum aciem ordinatam, paradiſum voluptatis, lilium inter ſpinas, hortum concluſum, ferculum aureum, thronum eburneum, vnicam columbam, amicam, ſponſam Dei collaudabat. Alij virgam Ieſſe, gloriam Hieruſalem, ſolium gloriæ Dei, honorificentiam populi, Ciuitatem refugij, Vrbem fortitudinis, torrentem mellis,& butiri,deſiderium collium æternorum, Reginam Cœli fauſtis concentibus conclamabant. Quid plura? omnes, & ſinguli,qui huic celebri triumpho aderant,Mariana trophea decantabant.Quidam genealogiam inſignem, ex qua orta, inſonabat: alius ex ſterilibus mirandam conceptionem, & ſanctificationem iam ſtatim à conceptu ordiebatur: ſubiungebant alij natiuitatem ſæculis optatã, præſentationem præmaturam, educationem planè ad normam diuinam,votum Virginitatis à teneris vnguiculis Deo emiſsũ, virtutes ſupernaturales,quibus ſe Dei matrem dignam fecerat. Alij, Dei in ipſius vtero incarnationem, genituram, cunas, faſcias, lactis guttas, labores, dolores, curas, anxietates,quas pro filio, & Eccleſia ſuſtulerat, merita, & ornamenta animi reliqua,quibus ſe ſupra ipſos Seraphinos eleuauerat, extollentes, virginitatis, & fœcunditatis aram exoſculabantur. Ac tandem cuncti cœleſtes Ciues congratulantes Virgini ſalutabant: Gaude ſacroſanctum Regis palatium, gaude thalame, in quo ſibi Chriſtus humanam naturam deſpondit. Gaude diuinum inter Deum, & homines conciliationis inſtrumentum: gaude theſaure vitæ immortalis: gaude domicilium Cœlo præſtantius,in quo Sol gloriæ reſplenduit: gaude terra ſancta virginea, ex qua nouus Adam formatus eſt, qui veterem ſeruauit: gaude fermentum ſanctum à Deo datum, ex quo totius humani generis maſſa condita, & in vnius corporis Chriſti panem euadẽs admirabili ratione coagmentata eſt: gaude gaudij mater ſempiterna: gaude noua Dei arca, in qua Dei ſpiritus conquieuit, in qua Noë noſter Chriſtus genus ſeruauit humanum,in qua nouæ gloriæ auctor, & qui natura ſanctus eſt, in tua virginali officina corpus ſibi mirabili ratione conformauit, non deſerens eſſe, quod erat, quippè immutabilis, ſed aſſumens, quod non erat. Gaude vrna aurea, quæ contines illum, qui dulce manna, & mel de petra ingrato populo dedit. Gaude Seraphica myſtici carbonis ardentis forceps. Gaude ſpirituale præcognitionis perſpicuæ ſymbolum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei ſubmiſſionem vaticinati ſunt. Gaude ſpeculum, per quod iuſtitiæ Solem venientem à Cœlo ſuſcipientes ij, qui in denſis tenebris peccatorum verſabantur, illuſtrati ſunt. Gaude tandem Prophetarum, & Patriarcharum omnium decus, & clariſſima arcanæ prædeſtinationis humanæ tuba.

Certè cum Beata Virgo, vt decebat matris Dei dignitatem, omnium Sanctorum gradus, & ordinum ſtatus ſe vna complecteretur, meritò omnes illi ei iubilantes, congratulari par erat. Ipſa inſtar Angelorum ſalutem, pacem, & gaudium toti Mundo enunciauit per ſalutiferæ ſuæ prolis partum. Ipſa inſtar Prophetarum, prophetico donata ſpiritu,ſe ab omni generatione beatam dicendam prædixit. Ipſa inſtar Apoſtolorum ſacratiſſima Dominicę Incarnationis myſteria ſuis oculis perſpecta, & quæ alta mente repoſuerat, vniuerſæ Eccleſiæ debito tempore reſerauit. Ipſa inſtar Martyrum, ancipiti gladio acerbi doloris in paſſione filij transfixa, non minores, immò acerbiores, quàm Martyres in ſuis corporibus, animi cruciatus pertulit, vt Diuus Hieronymus teſtatur, *D. Hieron.* ſermone de Aſſumptione, pluſquam Martyrem, illam vocans. Ipſa inſtar Sanctorum Chriſti Confeſſorum, contemptis huius ſæculi oblectamentis, totam vitam in paupertate, abſtinentia, & ſobrietate tranſegit, ac in pace moriens, requieuit in Domino. Ipſa inſtar Virginum, quarum nemo negabit, accepiſſe brauium, quæ Virginum Regina eſſe perhibetur, non ſolùm mentis, & corporis perpetuam ſeruauit virginitatem; ſed illorum ſtatum fecunda ſua virginitate ingenti ſplendore decorauit. Cùm igitur omnium ordinum, & ſtatuum perfectionum particeps eſſet, meritò ab omnibus illis honorari, & applaudi æquum erat.

Ceterum, vt modus, & ordo, quo hic

honor

honor Virgini delatus fuit, vobis cla-
rius innoteſcat, rem mirabilem, quam ve-
tuſtus, ac eruditus Theologus Sanctius
Sanct. Porta. Porta Ordinis Prædicatorum in ſuo peran
tiquo Mariali, ſermone ſeptimo, de Aſ-
ſumptione tradit, commemorabo. Ait
enim Sanctorum omnium ordines ſingu-
lari ratione ſecũdum locum diſpoſitos, in
die Aſſumptionis exultabundos, obuiam
veniſſe Deiparæ. Virgines, aſtabant in or-
be Lunæ: Confeſſores in orbe Mercurij:
Martyres, in orbe Veneris: Apoſtoli, in
orbe Solis: Prophetæ, in orbe Martis:
Patriarchæ, in orbe Iouis: Angelorum
omnes Hierarchiæ, in orbe Saturni. Huius
quidem tàm diuerſæ ſecundum locum po
ſitionis, rationem quærens, inuenio aptiſ-
ſimam fuiſſe, & ſingulis Sanctorum ordi-
nibus valdè conſentaneam. Congruebat
certè Virginibus orbis Lunæ, quia ſicut
iſte igni coniunctus, eius ardoris, & com-
buſtionis omninò expers eſt; ita vera vir-
ginitas, cùm alioquin igni naturali con-
cupiſcentiæ in carnem reſidenti coniun-
cta ſit, ab omni tamẽ combuſtione longè
aliena eſt. Vnde Diuus Hieronymus de
D. Hieron. Virginitate dixit: *Eſſe in carne, & viue-
re præter carnem, vita Angelica eſt, non
humana.* Orbis Mercurij congruebat con-
feſſoribus, quia (vt tradit Ptolemæus)
*Mercurius ſua conſtellationis aſpectu ſcien
tiam tribuit, & ad eloquium mentem ap-
tat.* Vnde Diuus Paulus à Græcis dictus
Actor. 14. eſt, *Mercurius*, ob eximiam eius eloquen-
tiam. Sancti autem Confeſſores practica
ſcientia ad ſalutem neceſſaria, quæ om-
nium ſcientiarum potiſſima eſt, præcipuè
claruerunt. Martyribus deinde congrue-
bat orbis Veneris, quia vt teſtatur idem
Ptolemæus. Ptolemæus, eius irradiatio eſt inſtar ſan-
guinis, rubicunda valdè, & cùm circa
hoc aſtrum veſperè rubor oritur, futuram
ſerenitatem portendit, iuxta illud:

*Serò rubens Cælum, cras indicat eſſe
ſerenum.*

Matth. 16. ad quod alludunt verba Chriſti Domini:
*Facto veſperè, dicitis: ſerenum erit rubi-
cundum enim eſt Cælum.* Non diſſimiliter
Martyres rubeo sãguinis colore pro Chri
ſti fide in veſpere huius Mundi mirificè
decorati fuerunt. Id quod certiſſimum eis fuit
futuræ in cœleſtẽ Hieruſalẽ ſerenitatis, &
gloriæ ſignũ, & pignus Congruebat inſu-
per Apoſtolis orbis Solis: nã ſicut Sol per-
ambulans in Zodiaco, 12. ſigna Cœli,
Menſes duodecim confecit, ita Apoſtoli
Chriſti, qui duodecim fuere; totum orbẽ
perambularunt, vt ab eo tenebras expel-
lerent. Vnde Chriſtus eis dixit: *Vos eſtis
lux Mundi.* Rurſus Prophetis congrue-
bat orbis Martis, quia ſicut Mars Vene-
ri aſſociatus, influit facultatem ad me-
lius canendum, ita Prophetæ facultate
diuinitus ſibi infuſa prædití, ſacra arcana
cecinere: quidam præterita, vt Moyſes:
In principio creauit Deus Cælum, & ter- *Geneſ. 1.*
ram, &c. Alij de futuro, vt Iſaias: *Ecce
Virgo concipiet, & pariet filium*, &c. Alij *Iſai. 7.*
de præſenti, vt Ioannes Baptiſta, Eccleſia
Catholica id atteſtante:

Ceteri tantum cecinere Vatum, *Eccleſ. Cathol. in hym. S. Ioan. Bapt.*
Corde præſago iubar affuturum,
*Tu quidem Mundi ſcelus auferentem
Indice prodis.*

Orbis item Iouis non malè Patriarchis
congruebat, quia vt Aſtrologi teſtantur,
aſtrum hoc iudicatur fortunatum. Sancti
illi Patriarchæ in eo fortunatiſſimam ha-
buere ſortem, quòd Chriſtus Dominus, &
Beatiſſima Virgo ab eis ſecundum carnẽ,
generoſam, & regiam originem traxerant,
vt teſtatur Diuus Matthæus, genealogiá *D. Matth. 1.*
Chriſti, & matris eius per illos Patriar-
chas enartãs: *Liber generationis Ieſu Chri
ſti, filij David, filij Abraham.* Ac tan-
dem orbis Saturni Angelorum omnium
cętui, ex eo valde conſentaneus fuiſſe
perhibetur, quia vt ijdẽ Aſtrologi cũ ſuo
Ptolem. aiunt, influxus illius potentiam
viſiuam acuit, & qui ſub hoc aſtro naſcũ-
tur, ſemper ſunt *benè videntes*, vt eorum
verbis vtar. Angeli autem licet alioquin
de eis loquens Apoſtolus, dicat: *Omnes* *Ad Hebr. 1.*
*ſunt adminiſtratorij ſpiritus propter eos,
qui hæreditatem capiunt ſalutis*; nunquam
tamẽ à clariſſima diuinæ eſſentiæ viſione,
nec per momentum recedunt, Chriſto
Domino dicente: *Angelorum ſemper* *Matth. 18.*
vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt.

Verùm, quia parum Chriſto Domino
videbatur, omnes Cœlicolas in occurſum
ſuæ genitrici venire, ipſe quidem próptius,
quàm paterfamilias, qui accurrens filio
prodigo, illum amplexatus eſt, ingenti
maieſtate, & gloria obuiam venit matri
ſuæ. In cuius figura legimus 3. Regum 2. *3. Reg. 2.*
quòd venit Berſabe ad Regem Salomo-
nem, & ſurrexit Rex in occurſum eius.

Vnde

D. Hieron. Vnde Diuus Hieronymus ſermone ad Euſtochium dixit: *Nec immeritò creditur, quòd ipſe Saluator per ſe totus feſtiuus occurrerit, & eam cum gaudio ſecum in throno collocauerit; alioquin quomodo crederetur impleſſe, quod ipſe in lege præcepit: Honora patrem tuum, & matrem tuam.* D. Bernard. Quibus non diſſimilia ſunt illa Diui Bernardi ſermone primo de Aſſumptione, dum ait: *Etenim non ſolum tota cœleſtium legionum multitudo, in Mariæ occurſum prodijt, illamque ad thronum gloriæ magna deuotionis affectu deduxit; ſed & filius placido vultu, ſerena facie, diuinis amplexibus, eandem ſuſcepit, & ſuper omnem creaturam exaltauit, ac denique dulciter oſculatus eſt.* D. Auguſt. Narrat Diuus Auguſtinus libro 2. de Ciuitate Dei, capit. 4. quòd olim inter Gentiles ingreſſura Romã matrem, quam Deorum vocabant, *Berecynthia* nomine, ingenti plauſu, & iubilo fuit ſuſcepta, adduntque alij, Romanos illud Apollinis oraculum ſuſcepiſſe, vt clariſſimus omnium Ciuium in occurſum tantæ matri egrederetur. Senatus verò decreuit, vt Scipio Naſica vir omnibus numeris abſolutus ad illud munus præſtandum illi occurreret. Cùm igitur Deipara Virgo non falſorum Deorum, ſed veri Dei genitrix eſſet, meritò non Apollinis, ſed Dei Patris decreto factum eſt, vt præſtantiſſimus omnium virorum Rex gloriæ Chriſtus in occurſum matri ſuæ egrederetur. Quod ſi, vt Strabo commemorat Strabo. libro primo, cap. quarto, pater Demetrij ad multa milliaria egreſſus eſt, cineres corporis filij ſui ſuſcipiendi gratia; quanto maiori dilectionis affectu, cenſendus eſt obſequentiſſimus filius matri ſuæ in Cœlum aſcendenti gratanter occurriſſe, non vt emortui corporis cineres, ſed viuum, ac glorioſis dotibus præditum Mariæ corpus ſuſciperet? Quod ſi humano modo exprimendum eſt, quid filius matri accurrens dixerit, putarim certè dixiſſe: Veni dilectiſſima genitrix mea, receptura materni vteri pignora, fidelis educationis mercede donanda; quæ vt nullus alius, me charitatis officijs cumulaſti, meique curam ſemper maximam habuiſti: tu me carnis tuæ veſtiſti ſubſtantia, ego te maieſtatis gloria induam: Solem nube texiſti, nunc Sole viciſſim ipſa veſtieris, vt *Mulier amicta Sole* perpetuò celebreris: me Salomonem humanitatis diademate coronaſti; nunc ego tibi, vt mea diuinitate fruaris, nouam, ſplendidamque coronam imponam. Materno in ſinu me paruulum benignè fouiſti; & tibi thronum excelſum, in quo Regina ſuauiter, perpetuòq; quieſcas, aſſigno. Me ſuper omnia ſincerè, atque aſſiduè dilexiſti, teque vt humilem ancillam infimo loco habuiſti; quare ſuper creaturam omnem, & humanam, & Angelicam te in Regno meo elegi, dilexi, exaltaui, vt longè amplius, quam primus ille Salomon ſuam parentem amauit, atque honorauit tu à me, ac à meis etiam in poſterum, tàm in triumphante, quàm in militante Eccleſia, vt ameris, & honoreris, curabo. Hæc, vel ſimilia veriſimile planè eſt, filium matri occurrentem dixiſſe. Atque hinc eſt, ſapienter quidem Beatum Petrum Damianum ſermone de Aſſumptione, excellentiam quandam triumphãtis Aſſumptionis Beatæ Virginis ſupra mirabilem Aſcenſionem Chriſti Domini, his verbis adnotaſſe: B. Pet. Dam. *Si diligenter* (inquit) *attendamus aſcenſionem filij, & matris aſſumptionem, inueniemus profectò aliquid, quod nos inueniſſe gaudebimus. Aſcẽdenti quippè Domino egreſſa eſt obuiam omnis illa Beatorum ſpirituum glorioſa ſocietas; quando naturæ ſuperiori prætulit inferiorem, & in conuertibili ſacramento ſuſceptum hominem in ipſa diuinitatis clauſit identitate. Occurrentibus autem Angelis, electorum animas, quas ſecum adducebat, adiunxit, & ſic vtrorumque triumphali pompa deductus ad Patrem, ſedet ad dextc tam Maieſtatis. Attolle iam oculos ad aſſumptionem Virginis, & ſalua filij maieſtate, inuenies occurſum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt: matri verò Cœlorum palatia penetranti, filius ipſe cum tota Curia tàm Angelorum, quàm Iuſtorum ſolemniter occurrens, euexit ad beatæ conciſtorium ſeſſionis; & ait: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Tota pulchra, quia tota deificata: macula non eſt in te, quia Spiritus ſanctus ſuperuenit in te, qui te ab omni immunditia præſeruauit. Sed & Virgo gratioſis cumulata muneribus tantæ benignitati Dauidico ſermone reſpondet, ſummæ dignitatis claritatem admirans: Tenuiſti manum dexte-*

ram

Pſal. 72. *ram meam, & in voluntate tua eduxiſti*
me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Nota
verborum poſitionem differenti graduum
diſtinctione ſignatam. Tenuiſti (inquit)
manum dexteram meam, quia & ſi laua
tua ſub capite meo; dextera tua iam am-
plexabitur me. Et in voluntate tua deduxi-
ſti me, non in mea ſublimitate; quia totum
opus gratiæ eſt, non natura; & cum gloria
ſuſcepiſti me, gloria vtique glorioſa, quam
non nonit, niſi qui dedit, & cui donare
dignatus eſt, hactenus tàm acutè, quàm
eleganter Beatus Petrus Damianus. Sed
& illud inauditum honoris priuilegium,
quod hodierna die filius matri præſtitit,
vt ſuper ipſum enixa, vſque ad thronum
ſanctiſſimæ Trinitatis progrederetur, ſi-
Eſther. 15. lentio præterire non licet. Proceſſit ergò
non vt Eſther, ancillarum humeris inni-
tens: non vt Benadab manibus fulta
Principum: non vt Helias igneo curru ve-
ctus; ſed brachio filij ſui enixa ingenti
honoris ſplendore ducta eſt. Quod ne
proprio Marte confingere videar, adeſt
diuinum oraculum non obſcurè id prædi-
cens: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſer-*
Cant. 8. *to, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum?*
Scio dici poſſe eatenus innixa ſuper dile-
ctũ, quatenus gratiæ eius cõfidebat, de vi
ribus proprijs minimè præſumens, vt quæ
ignara non eſſet, neminem ad Cœli ca-
cumen ſcandere poſſe, niſi ſubnixum
Chriſti fauore, & auxilio; qui de Cœli
cacumine deſcendit, vt latè proſequitur
D. Auguſt. Diuus Auguſtinus libro de gratia, & libe-
ro arbitrio ad Valentinum, cap. 6. Tamen
D. Bernardus ſuper cap. 8. Cant. hunclo-
cum explicans fatetur Beatã Virginem in
die Aſſumptionis eius corpore brachio fi-
lij ſui innitentem progreſſam fuiſſe vſque
ad ſedem Regiæ Maieſtatis, in qua filius
D. Bernar. eam collocauit. Verba Diui Bernardi hęc
ſunt: *Super hunc innititur mater illa feli-*
ciſſima, & in aureo reclinatorio diuinæ
Maieſtatis recumbens, inter ſponſi, im-
mò filij ſui brachia requieſcit. O quanta
dignitas, quàm ſpecialis gloria inniti ſuper
illum, quem reuerenter colunt Angelicæ po-
teſtates. hæc ille. Sanè in hoc genere ho-
noris, quem Chriſtus Dominus genitri-
ci ſuæ exhibuit, videtur mihi matris offi-
cia voluiſſe rependere. Ipſe dum infans,
& paruulus erat, innitebatur matri, pro
brachijs ſuis illum geſtanti; in cuius figu-

ra, Iacob vidit in ſomnis Dominum in-
nixum ſcalæ Beatã Virginem adumbran- Geneſ. 28.
ti; quæ myſtica ſcala eſſe perhibetur, per
quam prædeſtinati in cœleſtem Hieruſa-
lem aſcendunt. Hodierna verò die occur-
rens matri, rependit vicem, brachia ſua
ſupponens, vt illis innitens amantiſſima
mater, filiali reuerentia, ac ſingulari ho-
nore cohoneſtata, vſque ad beatiſſimæ
Triadis ſolium, penè innumeris tàm An-
gelicis, quàm humanis ſtipata ſpiritibus
progrederetur.

Porrò iam veniamus ad ſtolam, quam
diximus patremfamilias filium ſuum in-
duiſſe, & ad lautum conuiuium inuitaſ-
ſe. *Citò proferte ſtolam primam, & indui-* Luc. 15.
te illum. Manducemus, & epulemur. Lon-
gè certè honoratiori, & ſplendidiori ſto-
la, filius hodierna die, matrem ornauit, &
lauto magis, & opiparo conuiuio Mariæ
aduentum illuſtrauit; quæ ſi quomodo
delineare poſſim, varios fauores, quibus
Rex Aſſuerus proſecutus eſt Reginam Lib. Eſther.
Eſther, in memoriam reuocabo. Non tàm
anxius fuerat Aſſuerus Regum potentiſ-
ſimus ex caſu Vaſthi Reginæ, vt in eius
dignitatem aliam ſufficeret, quàm Deus
Orbis Monarcha ex lapſu Angelorum,
vt in eius ſedem Mariam eleuaret. Inſtru-
xerat ille conuiuium omnibus proceribus
Regnorum ſuorum; qui hilarius cùm
Iam intereſſent, ſeque exhilaraſſent, vt
Imperij ſic, & gaudij voluit habere Va-
ſthi conſortem. Vocauit, inuitauit, ſeptẽ
legatos miſit, qui impoſito ſuper caput
eius diademate, introducerent, vt cun-
ctis Principibus pulchritudinem eius oſtẽ
deret. Abnuit illa, contempſit, deſpexit,
ſe ſiſtere noluit; delicijs in ſuo gynęceo
occupata. Abnuentem Rex repudiauit, Eſther. 1. &
ſpreuit, abiecit, toroque, & ſceptro pri- 2.
uam fecit. Inque eius locum, Ediſſam,
quę alio nomine, vocabatur Eſther, coop-
tauit, & aſſumpſit; quam ſuper omnes
mulieres adamauit, habuitque gratiam,
& miſericordiam coram eo ſuper omnes
feminas: *Et poſuit diadema Regni in*
capite eius; fecitque eam regnare in loco
Vaſthi. Illum, quem nunc vocamus Re-
gem ſuper omnes filios ſuperbiæ, olim
creatum ad hilaria, ſua inuitauit ſum-
mus orbis dictator, pars vt eſſet in tricli-
nio cœleſti Conuiuarum, non poſtrema.
Fecerat quoque, & hic de ſe obſonium

ſemel-

Digitized by Google

ſemellis illis labantibus, & errantibus Angelis apoſtatantibus. *Similis*, (ait) *ero Altiſſimo*. Noluit, immò contempſit limen ingredi, & ne puncto quidem mouere voluit pedem; ſe ſolo, ſuaque ſpecie infeſcatus. Conremptorem Maieſtatis con tempſit Deus, ingratum depulit, indignum Cœlo exturbauit, ſceptris priuauit; diù autem expectatam, & præparatam Ediſſam, *Mariam*, aſſumpſit: in eius thronum collocauit, prima vt eſſet inter vocatos ad nuptias. Ordo igitur, & gradus, qui in conclaui parthænico Aſſueri interaſcititias feminas fuerat, tùm modus parandi, & ratio introducendi, atque aſſumendi illas ad Regium thalamum, adumbraſſe mihi videtur ordinem, & gradum filiarum Hieruſalem, quæ ad Ieſu Regis æterni complexum vocantur, eiuſque ſanguine emuntur. Tũ deinde ritum præparandi, comendi, ornandi, atque demum, & conſuetudinem, & ritus deducendi, ſiue etiam aſſumendi. Plures apud Aſſuerum fuerant, oblectando illi adductæ: ſuper omnes autem vna Regina. Non vnius tantum animæ cauſa pacificator noſter, pacificus pluſquam Salomon ſanguine ſuum fudit, ſed vt omnes ad ſe trahe-
Ioan. 12. ret, venit: *Traham* (inquit) *omnia ad me ipſum*. Omnes ſubarrare ſibi, modo ipſi non recuſent, decreuit. Sit vel Sephora Aethyops, vel Sara à ſpiritu circumſeſſa, vel Moabitis cultui Deorum dicata: vel Magdalena ſeptem dæmonijs obſeſſa, vel Hemorrohiſſa ſanguine polluta, vel Chananæa Idolorum cultrix: nullam ſpernit, omnes abluit, vngit, comit, ornat, iamque pro conditione formæ, & nitoris ornatas, ad cœleſte palatium introduci præcipit. Quemadmodum autem Regi Aſſuero præter regalem turbam erat vnica præ ceteris electa, & dilecta; ita quoque Saluatori noſtro dilecta extitit ſuper omnes illas dilecta vna, vnica Matia prin ceps animarum, Regina orbis, primiceria, & mater ſponſarum. Dicebat Eſdras:
4. Eſdr. 5. *Dominator Domine, ex omnibus floribus orbis elegiſti tibi lilium vnum, & ex omnibus abyſſis maris repleſti tibi riuum vnum: & & ex omnibus ædificatis Ciuitatibus ſanctificaſti tibimetipſi Syon; & ex omnibus creatis volatilibus, nominaſti tibi columbã vnam: & ex omnibus plaſmatis pecoribus*
Cant. 6. *prouidiſti tibi ouem vnam*. Certè non alteram, quàm Mariam, de qua idem ſponſus: *Vna eſt columba mea, perfecta mea*. Deinde ad thalamũ Aſſueri, nonniſi ſplendidè exornatæ introducebantur: nam integri anni ſpatio comebantur, lotionibus, vnctionibus, ſtrigmentis, & in primis quidem oleo myrrhino ad mundiriem, mollitiem, & glabritiem ſex menſibus vngebantur: deinde reliqui ſemeſtris ſpatio, pigmẽtis, & aromatibus nitidabantur, & odoribus imbuebantur, tùm patagio exteriore varij muliebris mundi induebãtur, & venuſtabantur. Sic lotæ, comptæ, politæ, pumicatæ, delibutæ, exornatæ, & ſeptenis virgunculis ancillis comitatę, à perductoribus paranymphis, ad Regiam auſpicato deducebantur. Ad eum modum agitur cum Chriſto deſponſis animabus: nulla incõpta, nulla habens rugam, aut maculam admittitur: abluuntur in primis in labro aureo Eccleſiæ, quando aquis ſalutaribus in Baptiſmo tinguntur. Ceterum ſi aliqua labe ſe commaculauerint, ſanguine tepenti Saluatoris noſtri dealbãtur: oleo poſtmodum magis precioſo, quàm myrrhino, participij Spiritus ſancti illiniuntur. Hinc pigmentis, & aromatibus, odoratiſſimis mortificationis, & continentiæ condiuntur. Cymmelia dehinc ex cœleſti veſtiario deptompta adducũtur, quæ ipſe apud Ezechielem expromebat, dicẽs:
Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem Ezech. 16.
tuum ex te: & vnxi te oleo. Et veſtiui te diſcoloribus: & calceaui te ianthino: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus. Sic decoratæ, Angelis, comitibus, introducuntur ad cœleſte palatium; *&*
quæ paratæ (vt eſt in Parabola) *erant, in-* Matth. 25.
trauerunt cum eo ad nuptias.

Præcipuo autem cultu ornabatur illa Eſther 2.
vnica apud Aſſuerum; aliæ hoc, vel illud poſtulabant, non omnia accipere auſæ; hæc non requirebat, ſed Egæus cuſtos virginum, quo venuſtiorem redderet Principi, omnia illectamenta amoris Regij, quibus ſciebat, illum facilius pellici, dabat ei ad ornatum. Præter ſeptem lectiſſimas vinnulas deſtinabantur ſeptem Prin-

cipes,qui hanc Regi ſiſterent, vt ex mundo cultiore, & frequentiore comitatu Princeps, & Regina ab omnibus dignoſcerentur, & colerentur. Non ſimplex paragium decebat Reginam Virginum Mariam: eminebat cunctis dignitate, vtpotè non tantum ſponſa Dei, Regina Orbis, ſed & mater Regis Regum omnium. Alia pigmenta, & aromata, aliud myrrhinum parandæ huic præparatum fuerat, ſcilicet plenitudo gratiæ, & immortalis *Plinius.* gloriæ ſplendidiſſima ſtola. Olim Reges Perſarum (vt Auctor eſt Plinius,libro 24. cap. 17.) conſueuerant ſe pollincire, helianthe, qua herba in Siciliæ montibus maritimis,folio myrthi decocta cum apide Leonino,addito croco, & palmeo vino.cenſebant ab hac miſtura corpus aſpectui reddi iucundius; ideòque eandem herbam *heliocallida* nominarunt. Non *Pſal. 62.* ſimplici, ſed regio vnguine,ſed ipſo *adipe, & pinguedine* (ait) *repleatur anima mea.* Nam non quoliber, ſed ex Leonis de tribu Iuda, ſed illius, qui ſemper deliciatur in croceis, qui flecti ad malũ neſcius, qui meus heliocallida, ex huius viſceribus apta miſtura, factis regalibus primis vnguentis, conueniebat vnguentari primã, non promiſcua ſynthesi, ſed primis ornamentis ornari primam, & ſupremam omnium par erat.

Ad extremum,ſi filio prodigo datus eſt *Luc. 15.* annulus: *Date annulum in manu eius*, alius ſanè precioſior porrectus eſt hodierna die matri à filio. Deſeruiebat olim annulus (& nunc partim viget hic mos) ad obſignandum literas, vt ſatis conſtat ex eadem Regis Aſſueri hiſtoria, vbi legimus, Amanẽ accepiſſe à Rege annulũ Regiũ ad epiſtolarum ſigillationẽ; & tradit *Blond.* etiam Blondus quæſt.de Roma triumphãte. Annulus igitur myſticus,quem Rex potentiſſimus, Chriſtus Dominus matri ſuæ donauit,facultas fuit, & poteſtas ad ſigillandas pro libito, quibus ſibi benè placeret, literas cœleſtium diuitiarum diſpenſatrices. Vnde ad hanc magnam poteſtatem diſpenſatiuam, quam mater à filio in *D.Greg. Nic.* die ſuæ aſſumptionis accepit, reſpiciens Beatus Gregorius Nicomedienſis Archiepiſcopus, oratione de edit. Beatæ Virginis in templo oblatæ, auſus eſt dicere: *Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iuſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt.* Immò quod amplius eſt,exiſtimo Beatam Virginem ab inſtanti, quo vtero ſuo concepit Chriſtum Dominum, nihil gratiæ diſpenſatum fuiſſe cœlitus, quod per manus Mariæ regio eius ſigillo obſignatum non tranſiret.Equidem Chriſtus Dominus in ventre matris deliteſcẽs, cùm verè Dei filius eſſet, ad eum pertinebat generari à Patre, & cum Patre Spiritum ſanctum ſpirare. Nec enim Pater, & Filius ab his immanentibus actionibus, nec per punctum ibi deſiſtebant. Hac autem mira, & inaudita excellentiæ prærogatiua donata fuit Deipara, vt vtramque hanc dignitatem, generandi, & ſpirandi, quoad fieri poſſet, participaret; concipiendo enim Chriſtum, verè genuit Deum, per quod ſanè ſatis liquet participaſſe Virginem potentiã generatiuam Patris, vnde reuera, nec maior, nec dignior erat filius Dei in ſinu Patris genitus, quã in vtero matris conceptus. Itidem etiam cum ipſa ſit vera genitrix filij Dei Spiritum ſanctum producentis, qui fons eſt perennis, & ſcaturigo omnium gratiarum; certè ipſa producens filium productorem Spiritus ſancti bonorum omnium largitoris, ſpiritualiter producit Spiritum ſanctum in mentibus omnium fidelium, quibus cœleſtia illa bona,interceſſionis, & fauoris ſui mirabili potentia communicantur. Accedit, quòd, *Si iuſto in terris credenti, omnia ſunt poſſibilia*, ſicut veritas *Marc. 9.* ipſa teſtatur; potiore quidem iure, matri Domini ampliſſimo fidei pignore, ſuper omnes credentes inſignitæ, hæc ampla poteſtas tribui debet, vt dare poſſit hominibus bona, à filio ſuo illa impetrans, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia

Digitized by Google

Homilia XI.

Oſtendimus, cuſtoditas diligenter à Domino Marianæ Ciuitatis portas, quæ fuerunt conceptio, & mors, in illa verba Dauidis:

Pſal. 86. Diligit Dominus portas Syon ſuper oĩa tabernacula Iacob.

INter varias cœleſtium arcanorum reuelationes Prophetę Ezechieli diuinitus factas,
Ezech. 40. illa, quã ipſe c. 40. cõmemorat nõ pauca Virginis præconia cõplectitur; ait enim ſe vidiſſe Ciuitatem magnã ſuper montẽ excelſum ædificatã, in qua erat vir, cuius ſpecies, *quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mẽſuræ in manu eius. Stabat autẽ in porta.* Omiſſo ſenſu literali huius loci, & ad myſticũ ſolum me conuertens: Ciuitas hæc ſuper montẽ excelſum B. Virginẽ delineat, tàm in monte militantis, quam triumphantis Eccleſiæ ſuper oẽs exaltatã. Vir ille, qui habitabat in ea, typus eſt Chriſti Domini in Virgine habitantis, qui ab inſtanti ſuæ cõceptionis vir
Hierem. 31. fuit, iuxta illud: *Femina circundabit virũ.* Funiculus, quem in manu ſua habebat ad menſurandã Ciuitatem, non obſcurè adũbrat in ſola manu Dei inueniri menſuram ad excellentiã Virginis menſurandã: *Ipſe*
Ezech. 10. *menſus eſt eã.* Quòd aũt ſtaret in porta huius Ciuitatis, mihi planè ſignificat ſollicitã curam, quã Dominus ſemper adhibuit in protegendo hanc Ciuitatẽ, ne aut quid coinquinatũ intraret in eã, aut hoſtes ad illã expugnandã, quoquo modo aditũ haberẽt. Duas præcipuè portas cõtẽplor in B. Virgine, quas filius Dei ſollicitè cuſtodiuit. Vna eſt, Conceptio, per quã illa ingreſſa fuit in Mundũ: altera, Mors per quã egreſſa fuit ab eodẽ: in his illuſtrandis tota hæc verſabitur oratio. Et quidẽ in primis ſancti Patres, B. Virginẽ *Ciuitatẽ* com-
D. Athanaſ. pellare cõſueuerũt, præſertim D. Athan. in
D. Auguſt. Method. Euang. Deiparæ, D. Aug. lib. 17. de Ciu. Dei, c. 16. & Method. in hypop. Domini, & meritò quidẽ, quia Maria, ſancta eſt Ciuitas Sion, cuius mœnia nullus vnquã Babylonici hoſtis aries pulſauit. Ciuitas eſt, quã inexpugnabilibus munimẽtis tutatus eſt is, qui murus eſt, & antemurale eius. Ciuitas eſt, quia in ea oĩum Ciuiũ Chriſtianorũ vnitas perficitur, & ad quã fideles oẽs confluunt, vt æternæ ſuæ ſalutis negocia peragant. Ciuitas eſt, cuius gubernator Chriſtus, ſenatores, Angeli, aduocati, Apoſtoli, ciues diuerſi fideliũ ſtatus, virginum, coniugatorũ, & viduarũ, incipientiũ, proficientiũ, & perfectorum, qui oẽs in ea habi- Eccle. Cathol.
tant, Eccleſia Cath. dicente: *Sicut lætantiũ omniũ habitatio eſt in te ſancta Dei genitrix.* Ciuitas tandẽ eſt Maria, excellẽtia ſitus, foſſatorũ depreſſione, murorũ circundatione, turriũ celſitudine, cibariũ copioſa præparatione, ac militum cuſtodia celebris, & conſpicua. Situs eius eſt ſuper oẽs ſpiritus Angelicos, cũ Eccl. canat: *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorũ ad cœleſtia regna.* Profunditas, & depreſſio foſſati, abyſſus eſt humilitatis eius: ſicut enim Dauid, vt legimus lib. 2. Reg. 2. Reg. 5.
Ciuitatẽ Soin extruxit *in Mello*, qui vallis erat, ad inſtar voraginis profundiſſimæ; ita & Deus Ciuitatem ſuã (hoc eſt Mariã) *in Mello* profundiſſimæ humilitatis cõdidit. Circundatio murorũ, ipſe Deus fuit: *Ego murus, & antemurale.* Turrium altitu- Iſai. 26.
do, ſublimitas eſt meritorũ Mariæ, quæ altitudinem meritorũ oĩum Sanctorũ tranſcendit. Cibarium copioſa præparatio nõ deſideratur, quia ibi panis vitæ, *qui de Cœlo deſcendit* ibi adeſt frumenti ſatiãtis copia, ibi ſal ſapientiæ, ibi fons aquæ ſaliẽtis in vitã æternã, ibi caro agni immaculati, ibi veſtis decoris, & honeſtatis, ibi ignis charitatis, ibi aura ſancti Spiritus perflãs, ibi paradiſus incluſus totius voluptatis, ibi inſtructio militum cœleſtium, cùm agmina Angelorum eam circundent. *Sep-* Cant. 3.
tuaginta fortes ambiunt eam; immò millia millium miniſtran huic Ciuitati: *Et* Dan. 7.
decies millies centena millium aſſiſtunt ei, ſicut & filio, qui huius vrbis Dominus, Rex, inhabitator, immò & fundator extitit, Dauide dicẽte: *Homo natus eſt in ea, &* Pſal. 80.
ipſe fundauit eã Altiſſimus. In quorũ verborũ expoſitionẽ D. Aug. ſuper Pſal. 89. quærẽs qũo in ea Ciuitate Sion, Deus homo factus fuerit, & ipſe eã fundauerit; etenim, vt ipſe in ea fieret homo opus erat prius Ciuitatẽ illã eſſe fundatam, & ereċtã? reſpondet, ratione diuinitatis dici: *Ipſe fundauit eam*, & ratione humanita-

tis: *homo natus eſt in ea*. Verba eius ſunt hæc: *Quomodo in ea factus eſt, & ipſe eam fundauit? vt in ea fieret homo iam fundata erat: ſic intellige, ſi potes. Etenim mater Siõ dicet; ſed homo mater Sion dicet: homo autem factus eſt in ea, ipſe autẽ fundauit eam; non homo, ſed Altiſſimus, ſic fundauit Ciuitatem, in qua naſceretur, quomodo creauit matrem, de qua naſceretur*. hactenus D. Aug. Verũ vt excellẽtia huius Sãctæ Ciuitatis magis innoteſcat, nõ erit abs re prophana in ſacra conuertentes, in domũ Solis mentis aciem conuertere; quam confixere Poetæ: Ouidius enim decorem eius in hæc Carmina eleganter deſcripſit:

D. Auguſt.

Regia ſolis erat ſublimibus alta colũnis
Claro micante auro flammasque imitante pyropo;
Cuius ebur nitidũ faſtigia sũma tegebat;
Nam Mulciber ibi æquora celarat.

Ouid. lib. 2. Metam.

Hæc omnia, quàm rectè in B. Virginẽ conueniant, nemo eſt, qui non videat: nam in primis, quòd domũ Solis Regiã vocat, *Regia ſolis erat*, eandẽ appellationẽ Virgini prius Dauid dederat, cũ diceret: *Ciuitas Regis magni*, cui ſimile eſt, ꝙ vbi noſtra vulgata legit: *Deus in domibus eius cognoſcetur*. alia lectio vertit, *Deus in regijs eius cognoſcetur*, Sicut autẽ illud peculiare hẽt in Curia Regis, Regia domus, vt reliquis omnibus domibus Ciuitatis tributũ pendentibus, ita vt partim deſeruiant Domino, partim famulis Regis, & Officialibus ſuæ Curiæ; ipſa tamẽ regia domus ſimile tributũ nõ pendat, ſed ab eo onere omninò exempta ſit, eò quòd habitatio, & domiciliũ Regis eſt. Ita ſimiliter licet oẽs filij Adã, quos S. Iob vocauit, *Luteas domos* peccati originalis tributũ pendant; B. tamen Virgo, quia domus regia erat, libera fuit à ſolutione huius tributi. Vnde nitẽte antiquo ſerpente eam demoliri in pugna, quã habuit contra illã, quando B. Virgo eius caput cõtriuit, iure optimo ipſa ei dicere potuiſſet, quod olim Cęſaris Cerua in torque ſcriptũ geſtabat: *Noli me tangere, quia Cæſaris ſum.* Quod aũt ſubdit Poeta, de regia domo Solis, dũ dixit: *Sublimibus alta colũnis*. Maiorẽ ſanè ſublimitatẽ Marianũ ædificium ſibi vendicat, ipſa dicẽte: *Thronus meus in colũna nubis*. Et cũ inſuper ait: *Claro micante auro, flãmaſq; imitante pyropo*, aurũ illud mihi ob oculos ponit, de quo Ioan. Apoc. 3. dixit: *Suadeo tibi emere aurũ ignitũ*, Hoc auro ſemper inaurata fuit regia hæc domus. Illud aũt ſilentio non prætermittã, quòd cùm Ouid. potuiſſet vti vocabulo latino *carbunculi*, non eſt vſus, niſi nomine græco *pyropi*, quia cũ magnalia regię domus Solis cõmemorare tentaſſet, non videbatur decere eius maieſtatẽ, vti nomine *carbunculi*, quod diminutiuum eſt *carbonis*, & paruum carbonẽ ſignificat (vt Auctor eſt Calepin. in ſuo dictionario) qui propterea translatus eſt ad ſignificandũ gemmã precioſam carbũculi, quia is perſimilis eſt paruo carboni ignito. Si hoc igitur modo licuit Poetæ regiã domũ Solis magnificare, quid quæſo oportebit nos proferre de B. Virg. quæ regia domus Solis iuſtitiæ eſſe perhibetur? Sanè quicquid virtutis eſt in Deipara plenitudine hẽt perfectionis, iuxta Angelicũ eloquium: *Aue gratia plena*. Nihil in ea diminutũ, nihil in ea exiguũ: omnia excellentiã, & magnitudinem Dei genitricis redolent. Non fuit quidẽ carbunculus alienus à pectorali ſummi Sacerdotis, nõ fuit alienus ab Angelo, cũ inter eius ornamenta connumeretur. In B. aũt Virgine non licet illũ inuenire, quia in ea oĩa magna, omnia heroica, omnia immenſa, oĩa neſcio quid infinitatis redolentia: ſed ſcio quidẽ, quia cũ ſit mater eius, qui infinitus eſt per eſſẽtiã, inde neceſſe eſt quandã infinitatẽ mutuate. Sed pergit vlterius Poeta dicens: *Cuius ebur nitidũ faſtigia ſumma tegebat*. Obſerua quæſo, ebur adeò precioſum eſſe, vt cupiens Ouid. regiã Solis domum magnificare, non auſus eſt etiam mendaciter plus eboris ei tribuere, quã opus eſſet ad tectorũ faſtigia exornãda. *Faſtigia ſumma tegebat*. At Spiritus ſanctus non ſemel veraciſſimè totã Virginẽ vocat *eburneã*. Vnde 3. Reg. 10. in figura Virginis, quã conſtat thronũ eſſe Salomonis Chriſti Domini, hæc verba legimus: *Fecit etiã Rex Salomon thronũ de ebore grandẽ*. Dauid quoq; Pſal. 44. vocat illã domũ eburneam: *Myrrha, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis*. Conſulto non in ſingulari *domum eburneam*, ſed plurali; *domos eburneas*, illam appellat ad ſignificandũ, ꝙ oẽs, & ſingulas perfectiones, quibus prædita ſũt, quotquot tã inter homines, quã inter Angelos ædificatę reperiuntur domus à Domino, vt habitaret in eis, ſola Virgo in vnum copulatas in ſe vna continere noſci-

Pſal. 47. Iob 4. Plutarch. in vita Alex. Eccli. 24. Apocal. 30. Calepinus. Luc. 1. Exod. 28. Ezech. 28. 3. Reg. 10. Pſal. 44.

noſcitur. Quid quod ebur mundũ, candidum, frigidum, ſolidum, & ad varios colores recipiendos aptiſſimum eſſe perhibetur? hæc quis non agnoſcat apertè pernotare eximiam Virginis puritatem, quæ ab omni macula ſemper extitit aliena, virginitatis candorem, ſoliditatẽ patientiæ, in laboribus conſtantiã, & ad varios cęleſtiũ charismatũ colores recipiendos mirã aptitudinem, ac ſingularem diſpoſitionem? Rurſus Ouid. Regiam domũ Solis ab artificis præſtantia commendans, ait, Vulcanum fuiſſe, quem, *Mulciberum*, appellat. *Nã mulciber ibi, &c.* Poterat quidẽ Iunonis filiũ illũ vocare, vt alibi eũ nominauit:

Oui d. 4 Met. *Indoluit facto Iunonigenaque marito.*

Poterat illum appellare, potentẽ in igne, ſicut & vocauit Virgilius:

Virgilius. *Hoc nunc ignipotens Cœlo deſcendit ab alto.*

Poterat tandẽ alijs nominibus, quorum frequens vſus eſt apud Poetas, illũ nuncupare: quid ergo eſt, quod *Mulciberu*, illum vocarit? Donatus, & Feſt. in ſuis Ethymol. docuere Mulciberũ dici à *mulcendo*. Etenim quamuis Vulcanus, licet alioquin, vt Poetæ fingebant, fulmina conficeret, vt Iupiter de Cœlo in terrã illa mitteret: cũ tamen ad fabricandã domum Solis manum admouet, nõ appellatur nomine, *Vulcani*, ſed *Mulciberi*, hoc eſt, *demulcentis*, quod ſuauitatẽ redolet. Non diſſimiliter mihi videtur in ædificatione huius Regiæ domus, B. Virgini contigiſſe. Deus, qui artifex illius fuit, vt Salomon teſtatur. *Sapientia ædificauit ſibi domũ*, antequam Regiã hanc domum conſtruxiſſet, varia ſuæ vindictæ fulmina in terrã mittebat, adeò vt *Deus vltionũ*, appellaretur, Dauide dicente: *Deus vltionũ Dominus, Deus vltionum libere egit*. Poſtquàm tamen Regiam hãc domum Virginis fabricauit, & eam inhabitauit, non ſolũ *Pacificator* à Paulo vocatus eſt: *Pacificans per ſanguinẽ Crucis eius, ſiue quæ in Cælis, ſiue quæ in terris*; ſed & Pax ipſa: *Ipſe enim pax eſt noſtra, qui fecit vtraque vnũ*. Deniq; Regiã domum Solis laudat Ouid. ab opere celatorio: *Nã Mulciber ibi ęquora celarat:* miro ait artificio, in illa eſſe maria ſculpta, ſeu celata. Sanè in B. Virgine non oportebat maria celare, cùm ipſa ſit mare magnũ, vt nomen *Mariæ* præfefert; quod *mare* interpretatur. Auctor libri de propr. rerũ; mare deſcribens,

Donatus, & Feſtus. Prouer. 9. Pſal. 93. Ad Col. 1. Ad Epheſ. 2. Ouidius. Auth. lib. de propriet. rerũ.

inquit: *Mare ſubſidiũ eſt in neceſſitatibus, refugium in periculis, itineris compendium, & laborantis lucrum*. B. Virginem refugiũ, & ſubſidium eſſe noſtrũ in neceſſitatibus, planè omnes experientia norunt, adeò vt vnuſquiſque veraciter ſibi vſurpare poſſet verba illa Tullij ad Catonẽ, qui loquens de militibus, qui tertiam exercitus partem occupabant, de quibus Plautus:

Agite nunc: ſuccidite quaſi Solem triarij, eleganter dixit: *His ergo ſubſidijs, ea ſum aſſecutus, quæ nullis legionibus conſequi potuiſſem*. Etenim multa, quæ millia milium Angelorum, & totidem Sanctorum hominum à Deo obtinere non poſſent, vna Virginis interceſſione conſequimur, & obtinemus. Eſſe autem B. Virginem itineris compendiũ, & laborantis lucrũ, ipſa etiã quotidiana experientia ſatis probat, cùm non ſemel ſceleratiſſimi homines Virginis auxiliũ enixè implorantes à ſeruitute diaboli fuerint liberati, ac æternã damnationẽ effugerint. Vnde ſapienter, ac perlepidè pariter locutus mihi videtur Card. Tolet. de quo fertur Hiſp. ſerm. dixiſſe. *La deuocion dela Virgen es aſtucia de peccadores*.

Tull. ad Cat. Plautus. Card. Tolet.

Porrò iã accedẽs ad portas huius Regiæ domus, ac ſanctæ Ciuitatis Dei. Duplex hęc fuit, vt à principio dicebã: nempè Cõceptio, per quã B. Virgo in Mundũ ingreſſa; & Mors, per quã egreſſa eſt ab eo. Fide ſanè docemur, oẽs ad ingreſſum, & egreſſum per has portas, cadere, & prolabi: nã in ingreſſu per portã conceptionis, ſit caſus in peccatum originale; in egreſſu verò per portã mortis, ſit caſus in puluerem, & terrã: *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*. B. aũt Virgo, diuina virtute pręliberata fuit ad ingreſſum, & egreſſum per has portas, vnde Dauid inquit: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula. Iacob*, has portas adeò pulchras, & nitẽtes diuina ſapientia affabrefecit, vt earum amore captus à Dauide dicatur, ſuper tabernacula Iacob, illas dilexiſſe. Scitè Dauid non cõparat tabernaculum cũ tabernaculis, & portas cũ portis, quia cum portas reliquorum tabernaculorum, hoc eſt, eorum conceptiones Deus tanquam peccato originali infectas odio habeat, neutiquam Dauid poterat dicere, portas Virginis dilexiſſe ſuper portas aliorum, cum has nullo modo diligat, ſed poſitiuè odiat. Quare ſenſus eſt adeò puram fuiſſe Virginis

Geneſ. 3. Pſal. 86.

conceptionem, & natiuitatem, vt maiore dilectione proſequeretur Deus Virginẽ conceptam, & natam quàm omnes alios Sanctos, qui *Dei tabernacula* meritò vocantur, quia Deus in eis habitat.

Eq uidẽ lict hodierna die Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis feſtũ celebretur, opportunè Conceptionis etiam illius memoriam facio, quia cum omne perfectum Ariſtot. (vt docuit Ariſtoteles) his tribus conſtet: Principio, Medio, & Fine, in quibus principium bonum, medium melius, finis optimus eſt; ſanè, vt ad finem optimum Marianæ gloriæ accedam, de quo Euangeliſta ait: Luc. 10. *Maria optimam partem elegit*, opus eſt, vt de principio eius aliqua proferam, maximè quod hac ratione, & muneri deſcribendi illas duas portas ſatisfaciã; & quam benè in Beata Virgine finis principio cohæreat, & correſpondeat, clarius innoteſcet. Hoc ſuppoſito, vt altius repetam, Beatam Virginem in ingreſſu per portam ſuæ Conceptionis minimè cecidiſſe, ipſius teſtimonium produco omni exceptione maius: Eccl. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Vt quid quæſo ait, ſe ex ore Altiſſimi egreſſam cùm ex lumbis parentum ſuorũ Ioachim, & Annæ per veram generationem prodierit? Arbitror ſanè ad ſignificandũ adeò puram, ac omnis maculæ expertem ab illis prodijſſe, ac ſi à ſolo Dei ore proceſſiſſet, à quo nihil inquinatum prodire poteſt. Vt quid etiam quæro, Maria vocat ſe, *Primogenitam omnium Creaturarum*, cũ penè infinitæ aliæ creaturæ fuerint ante illã prius genitę? Puto quidem ad id ipſum indicandum, quia licet in executione aliæ creaturę fuerint ante illam: non tamẽ in intentione, & diuina pręordinatione; ſed ipſa inter omnes puras creaturas fuit prior pręordinata, & ideò vocat ſe primo- S. Bernardin. genitã, vt notauit S. Bernardin. ſerm. 51. de B. Virg. c. 4. Vnde opus erat, vt peccati originalis omninò expers eſſet, cũ pręordinatio eius præordinationẽ Adæ, & cognitionem peccati originalis anteceſſerit. id quod non obſcurè mihi indicaſſe videtur D. Paul. dũ adducens verba illa Adæ: Geneſ. 2. *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro ex carne mea*, quæ conſtat prolata fuiſſe ab eo Epheſ. 5. ante lapſum, dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Sicut igitur ante præuiſionẽ lapſus Adæ præordinatus fuit Chriſtus Eccleſiæ ſponſus, conſequens eſt, præordinatã etiã fuiſſe matrem eius. Produco in idem teſtimonia varia Dauidis, qui Propheticis oculis contẽplans, licet à longè, Conceptionẽ Reginæ Mariæ, dixit: *Aſtitit Regina à* Pſal. 44. *dextris tuis in veſtitu deaurato.* Planè omnes creaturæ rationales, cùm cõcipiuntur, à ſiniſtris Dei ſtant, propter contractionẽ peccati originalis; videns tamẽ Dauid B. Virginẽ tunc ſtare à dextris Dei, ſatis vtique indicat, nulla originarij peccati labe inquinatã fuiſſe, ſed gratiæ potius, & charitatis inaurata veſte exornatam. Appellatio etiam *Reginæ* idipſum mirificè aſtruit, quia omnes in conceptione per peccatum originale prodeunt ſerui, duræ diaboli ſeruituti ſubiugati. B. autem Virgo quia peccatum neſciuit in ſua conceptione, Regina, non ſerua prodijt. Facit etiã ad idem egregius locus eiuſdem, qui diuinum implorans auxilium, Pſal. 45. dixit: *Deus no-* Pſal. 45. *ſter refugium, & virtus adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.* Nomine, *tribulationum*, in ſacra Scriptura non ſemel obſeruaui peccata intelligi. Vnde S. Hilarius ſuper Pſal. 59. explicans verba S. Hilarius. illa: *Da nobis auxilium de tribulatione*, affirmat idem eſſe, ac ſi diceret: *Libera nos à peccatis*, vel *da nobis auxilium.* Et meritò quidem nomine *Tribulationum*, peccata ſignificantur, quia tribulatio à nomine, *Tribulus*, deriuatur, quod vt ſpina pũgit. Conſtat autẽ nihil vehementius pungere, & lacerare, quàm peccati tribulũ, & iniquitatis ſpinã, vt cecinit Iuuen. Sat. 4.

Quos diri conſcia facti Iuuenal.
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum patiente animo tortore flagellum.

Prophetam autẽ loqui hic de tribulationibus peccati originalis, verba ſequentia ſatis indicant, cũ de illis ſubiunxit: *Quæ inuenerunt nos nimis.* Reliqua peccatorũ genera ſæpè nos quærũt, & inueniunt; nũquã tamen, niſi nobis conſentientibus per proprium actum. Peccata autem originalia filios Adæ quærunt, & inueniunt, antequam illis conſentiant per proprios actus, nec expectãt ad expugnandos eos ortum eorum extra vteros maternos; ſed intra illorũ latebras iacentes inficiunt, quod planè eſt nimis inuenire. Et ideò de tribulationi-

tionibus huius generis ait Dauid: *Quæ inuenerunt nos nimis.* Vt tamen ſignificet Propheta his peccati originalis tribulationibus, Mariam nuſquam fuiſſe oppreſſam, ſubiunxit in eodem Pſalmo: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei: ſanctificabit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Deus in medio eius, nõ commouebitur. Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Quaſi dicat: tantùm abeſt, quòd tribulatio peccati originalis Beatam Mariam contriſtaret, vt diuinæ potius gratiæ torrens illam inundans, vehementer lætificaret. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Ad quod magis ſignificandum, addit, quod quia futurum erat, vt eſſet maternum Dei tabernaculum, quod per nouem menſes æternis Patris filius inhabitare debebat, conſulto illud ſanctificauit, ne peccati labes, gratiæ nitorem in ea anteuerteret: *Sanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus;* idque adhuc ſignificatius vltima verba indicant: *Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Quid aliud aptius per *diluculum*, quod principium eſt diei, intelligi poteſt, quàm conceptio, quæ initium præbet vitæ humanæ? in hoc ergo conceptionis diluculo teſtatur Dauid, Deum adiuuiſſe Virginem, ne in peccati originalis tribulationem incideret; *Adiuuabit eam Deus mane diluculo.* Eſſe autem verborum huius Pſalmi legitimam hanc, quam tradidimus expoſitionem, titulus ipſius Pſalmi, qui clauis eſſe ſolet ad Pſalmorum abdita arcana reſeranda, ſatis aperte oſtendit: Titulus eius eſt hic: *In finem filijs Chore pro arcanis Pſalmus.* Quaſi dicat: Pſalmus iſte compoſitus eſt, vt in vltima ætate in fine temporum, quando Chriſtus, & eius Apoſtoli venturi ſunt, Eccleſiæ deſeruiat. Tempora enim Chriſti, & Apoſtolorum vocauit D. Paulus, *Fines temporum,* dicens: Nos ſumus, in quos *fines ſæculorum deuenerunt.* Quòd autem filij Chore in titulo nominentur, immaculatam Virginis conceptionem ſub inuolucris hiſtoriæ, quæ filijs Chore accidit, contexit. Nemo ignorat Num. 26. dici: *Factum eſt grande miraculum, vt Chore pereunte, filij eius non perirent.* Terra quidem abſorpſit Chore propter rebellionem contra Moyſen, & Aaron, & cum filij tunc pariter eſſent cum illo ait, facer textus ingens miraculum fuiſſe, quòd patre pereunt, non perirẽt etiam filij. Huius

Pſal. 45.

1. ad Cor. 10.

Num. 26.

autem miraculi ratio in eo conſiſtebat, quod vt tradit Epiſcopus Chriſtopolitanus ſuper Pſalmum 45. filij Chore manſerunt in aere, cum terra ſub pedibus eorũ fuiſſet aperta, vſque dum coniuratoribus abſorptis, iterum terra fuit recluſa, & reiuncta. Equidem, cum omnia in figura contigerẽt illis, vt ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. grande illud miraculum, quòd abſorbente terra Chore, non abſorberet prolẽ eius, ſed indemnis maneret, & ab illo caſu liberaretur, adamuſſim delineauit portentoſum hoc Immaculatæ Cõceptionis Deiparæ miraculum, quòd pereuntibus omnibus eius parẽtibus, immò & vniuerſo genere humano, ipſa non perierit, & peccati originalis profunda voragine omnes filios Adæ per naturalem propagationem genitos, voraciſſimè abſorbente, Beata Virgo non fuerit abſorpta, cùm per eundem propagationis humanæ modum, originem duxerit.

Epiſc. Chriſt.

1. ad Cor. 10.

Verum ne a portis B. Virginis, & præclara earum metaphora diſcedere videamur, reuocate quæſo in memoriam verba illa Thobiæ 14. portas cœleſtis Hieruſalẽ, Beatam Virginem adumbrantes: *Portæ Hieruſalem ex ſaphyro, & ſmaragdo ædificabuntur.* Saphirus in primis adeò precioſus lapis eſſe perhibetur, vt ipſe ſolus ſacræ gemmæ illuſtrem nomenclaturam ſibi vendicarit, vt notauit Lapidarius in horto ſanctitatis.

Thob. 14.

Lapidarius.

Vt merito ſacra gemmarum gemma vocetur.

Hoc ſingulare habuit Beata Virgo inter omnes Creaturas, quòd cùm reliquorum conceptio ſit maledicta propter peccati originalis maledictionem; eius tamen cõceptio fuit ſacra, quia loco maledictionis, diuinæ gratiæ benedictio eam præuenit. Saphirus deinde illud ſpeciale habet præ alijs gemmis, quod cœleſti colore fulget, & quaſi particula quædam Cœli eſſe videtur. Meritò ergo portæ Beatæ Virginis ſaphiro eſſe dicuntur, cum & portę cõceptionis, & natiuitatis ab omni peccati immunda terra penitus fuerint defœcatæ, cœleſti verò gratia cumulatiſſimæ. Plinius de natur. hiſt. de ſaphiro loquens, ait, in medio eius congenitam eſſe quandam ſtellam pulchram valde, & mirificè fulgentem. Ita ſanè Conceptio B. Virginis fulgenti diuinæ gratiæ ſtella fuit exornata,

Plinius.

nata, eo quod poſtea grandior ipſa facta, inſtar viui, & animati ſaphiri in medio vteri ſui conceptura erat Chriſtũ, quem Ioannes, Apoc. 2. *ſtellam matutinam* appellat. Illud autẽ mirabile eſt, quòd non contentus Dominus vt cœleſtes portæ eſſent ex ſaphiris, etiam fundaměta illius, voluit eſſe ex eiſdem. Iſai. c. 54. *Sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris*. In aliorum conceptione omnia prodeunt inordinata: anima intellectus, voluntas, appetitus ſenſitiuus, & aliæ huiuſmodi potentiæ; at in conceptione Virginis, quia hæc omnia ordinata prodierunt, ab omni certè culpæ originariæ obliquitate, & inordinatione aliena, ideò dicitur ei: *Sternam per ordinem lapides tuos*. Quod autem ſubiunxit: *Et fundabo te in ſaphiris* D. Hieron. S. Hieronymus teſtatur, quod exceptis ſeptuaginta Interpretibus, reliqui omnes vertunt: *fundabo te in ſtibio*: quod quàm egregie Deiparæ Conceptioni congruat, facile eſt demonſtrare, quia cum ſtibium illuſtret oculos, & clariores illos reddat; in eo Conceptio Virginis ſingularis fuit, quòd cùm reliqui omnes concipiantur, peccati originalis cataractis obnubilati, ac tetra eius caligine obcœcati; Maria tunc diuinæ gratiæ ſtibio prælinita, originariæ culpæ cœcitatem prorſus neſciuit, & intellectuales eius oculi clariores, & perſpicaciores facti ſunt. Pagninus. Scio Pagninum poſtea tranſtuliſſe: *Collocabo in carbunculo lapides tuos*. Sed & hæc etiam verſio Virginis conceptionem mirificè illuſtrat: cùm id, quod in fundamentis aliorum calx eſt, & arena, in fundamẽtis huius almæ Ciuitatis Mariæ, carbunculus ſit omnium lapidum precioſiſſimus. Ea ſingulari proprietate (vt Author eſt D. Iſidor. D. Iſidorus lib. 16. cap. 13.) præditus eſſe noſcitur hic lapis, vt inter medias tenebras ſplendeat. *Carbunculus* (inquit) *ignitum fulgorem habet, qui nec nocte vincitur, lucet enim in tenebris*. Non ſecus Beata Virgo inter caliginoſas materni vteri tenebras deliteſcens, ita diuinæ gratiæ fulgoribus coruſcabat, vt peccati originalis caligo, claritatem eius vincere, aut fulgentiſſimos eius radios quoquomodo obſcurare non poſſet. Atque hinc, vt id obiter dicam, factum arbitror diuino conſilio, vt inter duodecim lapides, quos tanquam fundamenta cœleſtis Hieruſalem commemorat Ioannes, non appoſuerit carbunculum. Apoc. 21. Cuius eam rationem fuiſſe reor, quia per illos duodecim lapides deſignabantur duodecim Chriſti Apoſtoli, vt ibidem ipſe Ioannes notauit, dicens: Ibid. *Et in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum Agni*. Et quia nullus eorum in tenebris vteri materni latens, diuinæ gratiæ luce, inſtar carbunculi, micaturus erat; idcirco carbunculum inter lapides illos fundamentales ſilentio præterijt. Soli certe Marianæ Ciuitati carbunculus lapis, velut fundamentũ ſupponi debebatur, quæ in medio nebulæ, & obſcuritatis materni clauſtri abſcondita, inſtar fulgentiſſimæ carbunculi diuinæ gratiæ illuſtrata fulgore, in inſtanti ſuæ conceptionis coruſcauit.

Porrò, iam ad ſecundam portam huius ſanctæ Ciuitatis, ac regiæ domus Dei ſermonem cõuertamus. Sicut enim, vt ſupra dicebam, Conceptio, fuit prima porta, per quam B. Virgo mundum hunc inferiorem eſt ingreſſa; ita etiam mors eius precioſa, ſecunda fuit porta, per quam egreſſa eſt ab hoc mundo, vt introduceretur in cœleſtẽ paradiſum. Loreto 54. Legimus, veteres Ethruſco ritu conſueuiſſe, vacca, & tauro ſimul iunctis, Vrbes orbiculari figura ſulco deſignare; locus tamen portæ ſulcum neſciebat, & inaratus manebat. Non ſecus, licet mors corruptionis ſulco morientium corpora arare ſoleat, corpus tamen Beatę Virginis ad mortis portam perueniens, putredinis, & corruptionis ſulcum non ſuſtinuit, inaratum manſit, & poſt triduum, ad imitationem filij, ad dexteram eius tranſlatũ fuit. Exod 37. Ad quod ſignificandum, iuſſit olim Dominus, vt ad latera Propitiatorij adeſſent duo Cherubini ſe mutuo reſpiciẽtes, quorum alter eum ſub figura viri, alter ſub ſpecie feminæ (vt adnotauit Arias Montanus Arias Mont. in ſuo apparatu) depingerentur. Apte ſatis hi adumbraſſe videntur Ieſum, & Mariam in cœleſti patria conſtitutos, vbi à diuinitatis intuitu nunquam ſe auertentes, mutuo ſemper aſpectu ſe reſpiciunt. Et quidem ſi Dauid, vt legimus lib. 2. Reg. 7. talem honorem arcæ teſtamenti detulit, vt diceret: lib. 2. Reg. 7. *Vides ne, quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei ſit in medio pellium?* vnde poſtea, & illam exornauit, & in honorifico loco conſtituit; multo maiorem honorẽ credẽdus eſt verus Dauid, Chriſtus Dominus animatæ arcæ Mariani corporis detuliſſe, in qua ipſe ſe clauſit.

Ven-

Eccl. Rom. *Ventris ſub arca clauſus eſt.*
Exornauit ergo animam eius glorioſam
immortalis corporis veſte, & in honorifi-
centiſſima cœleſtis aulæ ſede eam colloca
uit, ac varia Coronarum genera ei munifi
centiſſimè contulir, quæ ſanè haud obſcu-
rè mihi præſignata videntur in verbis illis
Iſai. 35. Iſaiæ: *Gloria Libani data eſt ei, decor Car-
meli, & Saron.* Tribus illa præclariſſimis ti
tulis noſcitur inter oẽs Creaturas inſigni-
ta. Fuit Virgo integerrima: fuit abſq; inte-
gritatis detrimẽto mater fœcunda: fuit tan
dem mater non cuiuſcumque; ſed ipſius
Dei, & Creatoris ſui. Singulis his dignita-
tibus totidem Coronæ debebantur: Virgi-
ni, corona gloriæ Libani: Matri, decor
Carmeli: Dei genitrici, pulchritudo mon-
tis Saronis. Congrue D. Mariæ corona Li
bani reſpondet quia Libanus *candidatio*
D. Hieron. interpretatur, vt docet D. Hieronymus de
nominibus Hebraic. Candidario autem
idem eſt, quòd *candidanatio*, hoc eſt, nati-
uus, & congenitus candor, cuiuſmodi eſt
candor niuis, lilij, lactis, & ſimilium, quæ
non ſuppoſititio, ſed innato candore gau-
dent: Illud certè diſcrimen intereſt inter
Virgines, & alios non Virgines, alioquin
caſtos, quòd illi naturalem, & natiuũ can-
dorem ſeruant, quem tamen iſti amiſerũt,
ſolum habentes ſuppoſititium, infuſum ſci
licet, aut acquiſitum. Et hic obiter intelli-
getis, propterea in ſtemmate Virginis de-
pingi vas candidis lilijs plenum, vt ſignifi-
cetur, tanto puritatis Virgineæ candore
illam præditam eſſe ex diuina gratia, quã-
to per naturam candore ſuo natiuo candi
dum eſt lilium. Virginitas enim interpre-
tatur, *Viror genitus*. Huic ergo tanto can-
dori virginitatis voto illuſtrato, corona
gloriæ Libani debita erat: maternitati au-
tem cum virginitate coniunctæ decor Car
meli reſpondet. Carmelus, *Agnus circum-
ciſus* interpretatur: vnde perinde fuit ac
ſi diceret: corona ſuo modo ſimilis ei, quę
data fuit immaculato agno, octaua die
circumciſo, in corpore & anima ſimul in
Cœlum aſcendenti data eſt Mariæ, vt ſi-
militer anima & corpore glorioſa in Cœ-
lum conſcendat. Tandem quia Maria nõ
cuiuſcumque mater, ſed ipſius Dei geni-
trix fuit, coronari debuit corona montis
Saronis: *Decor Carmeli, & Saron.* Interpre-
tatur Saron, *Decor principatuum*, quaſi di-
cat: corona tantæ dignitati debita, & Vir-
gini collata in vnum complectetur omnẽ
gloriæ decorem omnibus principatibus, &
Cœlicolis tàm Angelis, quam hominibus
datum, itaut Beata Virgo nihil in cœleſti
Patria, præter Deum filium ſuum glorio-
ſius ſe intueri valeat.

Ad extremum, Rupertus Abbas lib. pe- *Rupert.*
nult. Cant. ſanctiſſima primordia, media
ſtupenda, ac glorioſum finem totius vitæ
Deiparæ contemplans, de illis interpreta-
tur verba illa Canticorum 6. *Quæ eſt iſta* *Cant. 6.*
*quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens,
pulchra, vt Luna electa, vt Sol &c.* Cuius
verba quia ſupra retuli, conſulto ſilentio
prætereo, illud tamen ſubiungens, rectè
Virginem in Cœlum aſſumptã Soli com-
parari, quia ſicut Sol inter omnia corpo-
ra cœleſtia plus claritatis, & ſplendoris
à Deo accepit, & ideo plus præ ceteris om
nibus donat, in hæc inferiora munificen-
tiſſimè influens: ita Beata Virgo, quanto
plura in Cœlis, gloriæ chariſmata à filio
ſuſcepit, tanto plura bona in nos diffundit.
Vnde Oleaſter ſuper cap. 20. Exodi obſer- *Oleaſter.*
uat, quod verbo illi, *electa* correſpondet
in Hebræo aliud, quod *ſpontaneum & vo-
luntarium* ſignificat; & ſubdit, idem etiam
verbum ſignificare *hyrundinem*, quæ ſpon-
te ſua domos noſtras ingreditur, & in eis
nidificat. Quibus non obſcurę ſignifica-
tur, quòd cùm Spiritus ſanctus ait, Beatam
Virginem eſſe electam, vt Solem apertè
oſtendit non ſolum excellẽtiſſimam inſtar
Solis ſuper omnes Creaturas, ſed velut li-
beraliſſimam, in omnes ſpontaneè, & vo-
luntariè cœleſtium bonorum munera dif-
fundere; adeò vt ſicut Sol, niſi ei obijcem
apponas, oſtia ac feneſtras ei claudens, to-
tam domum fulgentiſſimis ſuis radijs illu-
ſtrat, & exornat; ita Beata Virgo, quę ele-
cta eſt, vt Sol, beneficentiæ ſuæ radios in
omnes diffundit, & veluti Ciuitas refugij
omnes ad ſe confugientes, materno affe-
ctu ſuſcipit, & fouet, vtporè quæ pia ma-
gis, & clemẽtior Ciuitas refugij eſſe perhi
betur, quàm reliquæ omnes, quarum ſa-
cra eloquia meminerunt, in tutelam, & re-
fugium miſerorum deſtinatas, Numer. 35. *Num. 35.*
Deuter. 19. & Ioſue 20. quia illę Ciuitates *Deut. 19.* *Ioſue 20.*
non poterant protegere niſi innocentes à
culpa, vt conſtat ex verbis ipſius ſacri tex-
tus. Mariana autem hæc Ciuitas refugij,
& Innocentes, & peccatores ſaluat, dum-
modo veniant pœnitentes. propter quod
de

Pſal. 76. de ea dicit Dauid, Pſal. 76. *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*: Sed quare glorioſa quia *memor es Rahab*, quæ fuit meretrix. *ſed pœnituit*, quando ſuſcepit exploratores, vt habetur Ioſue 11. Ioſue 11. *& Babylonis*, qui Ezechiam Regem, vel populum, quem tenebat captiuum ad propriam patriam liberè redire permiſit tempore Cyri Regis Perſarum, *& Tyri, & populi Aethyopum*, qui ad te fugerunt, tanquam ad Ciuitatẽ refugij. Omnes hi fuerunt per te protecti, ac defenſati ab ira filij tui, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XII.

Adductis varijs ſacrarum literarum locis, in ſenſu myſtico explicatis, glorioſam Deiparæ Virginis Aſſumptionem illuſtrare conamur.

Pſal. 47. Verba illa Dauidica: *Deus in domibus eius cognoſcetur, cũ ſuſcipiet eam*, Aſſumptionem Deiparæ Mariæ non obſcurè præſignaſſe mihi videtur. Neminem ſanè arbitror ita mentis inopẽ, qui in mirabili Creaturarum varietate velut in fulgentiſſimo ſpeculo non agnoſcat bonitatem, potentiam, & prouidentiam ſupremi earum opificis. Quicumque enim aciem conuerterit in fabricam hanc Vniuerſi, cuius baſis, terra eſſe perhibetur: prima ſuperficies, Cœlum: ſecunda, Ignis: tertia Aer: vltima Aqua, non poterit mirabilem Creatoris potentiam non valde mirari; & quamuis, inſtar aſpidis, obturet aures ſuas neceſſe erit, Cœlorum harmoniã etiam inuitus perſentire, cuius meminit Pſal. 18. Dauid: *Cœli enarrant gloriam Dei*. Quòd ſi quiſpiam Dauid obijciat, quomodo Cœli, cùm lingua careant, gloriam Dei enarrare poſſunt, maximè ipſo dicente (vt Batablus vertit ex Hebræo:) Batabl. *Non eſt verbũ, neque ſermo, non auditur vox eorum?* In promptu eſt reſpõſio ex illo Themiſtoclis, Themiſtocl. Plutarch. vt Author eſt Plutarchus, dicentis verba perſimilia eſſe tapeti figuris, quæ tametſi mutæ loquuntur. Cui conſonat illud magni Gregorij: *Pictura gentibus pro lectione eſt*. D. Greg. Papa Vnde idem Dauid de ipſis Cœlis ibidem ait: *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, quia indeficiens, & regularis eius motus, & mirabilis ordo, Creatoris magnificentiam per totum orbem Terrarum proclamat. Vnde vbi noſtra vulgata legit: Noſtra vulg. *In omnem terram exiuit ſonus eorum*, Batablus vertit: Batablus. *exiuit regula*. Aquila: Aquila. *exiuit ordo*. Pagninus: Pagninus. *exiuit linea*. Quid ſi mirabilia quæ Cœli continent, contemplemurè ſtellarum diuerſitatem, viam lacteã, Zonam torridam, Zodiacũ, circulum meridianum, Orizontem, ſaltus Lunæ, eloquentiam Mercurij, gratiam Veneris, feruidum calorẽ Solis, fortitudinem Martis, benignitatem Iouis, malẽcoliam Saturni, & alia pene innumera hęc omnia quis nõ videat, diuinarum laudum præcones eſſe? Ceterum, per hæc omnia cognoſcebatur Deus extra propriam domum ſuam: hodierna autem die cum Beata Virgo in Cœlum ſuſcipitur, ſingulari modo cognoſcitur, & innoteſcit illius magnificentia in propria eius domo. *Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam*, Pſal. 47. ſcilicet in æterna beatitudine, vt adnotat gloſſa interlinearis, Gloſſ. interl. vbi notanda eſt ſingularis verſio Pagnini, qui in hunc modum prædicta verba transfert: Pagninus. *Deus in domibus eius notus, ad eleuationem*. Quid clarius potuiſſet dici ad ſignificandum Dei potentiam valde innotuiſſe, cùm Beata Virgo ad Cœli cacumina ſuper Angelos fuit eleuata Eccleſia Catholica canente: Eccl. Cathol. *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper Choros Angelorum ad cœleſtia Regna?* Tunc Deus *fecit potentiam in brachio ſuo*, Lucæ 1. vberiorem gloriam ſoli Virgini conferens, quàm omnibus cœlicolis ſimul, per quod ſanè mirum in modum magnificentiam ſuam oſtentauit.

Deinde in idem argumentum celebris eſt locus ille Canticorum 3. Cant. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, et vniuerſi pulueris pygmentarij?* Symmachus Symmachus. vertit: *Sicut euaporatio fumi*. Aquila: Aquila. *ſicut ſimilitudo fumi ex ſuffimento*. D. Ambroſ. D. Ambr. epiſt. 62. *ſicut vitis propago, fumo incenſa odorificata myrrha, & thure*. D. Greg. Niſſ. D. Greg. Niſſ. *ſicut virgularum, ſeu ſtipitum fumi*. alij

vertunt: *Sicut palma, ſeu columna propter*
Orig. Hebr. *rectiſſimam altitudinem*. Originale He-
bræum: *vapores fumi*. Quæ omnes tranſ-
lationes varia Virginis indicant prçconia.
Illud tamen mirabile videri poſſet alicui,
quomodo Angeli Bearam Virginem in
Cœlum aſſumptam cum fumo, re deſpe-
ctiſſima comparenr, ſeu componant: maxi
mè cùm fumus ſymbolum ſit tenebrarum,
Ioan. Apoc. vanitatis, & fletus? Ioannes autem, amictã
Solis ſplẽdoribus Virginem vidit, auroræ,
Lunæ, immò & ipſi Soli eam alibi compa
rauit. Quid autem quæſo commune habet
teter fumus cum rutilanti aurora, cum pul
chra Luna, aut cum micantibus Solis ra-
dijs? Non igitur videtur Virgini fumi ſi-
militudo congruere. Sed longè aliter ſe
res habet. Audite primum Patres nodum
hunc ſoluentes, deinde quod nos adijcie-
Rupert. mus. Rupertus in commentario huius lo-
ci hanc præclaram, & ingenio eius dignã
mixtam interpretationem, cum Virgine
loquens, in hæc verba apponit: *Odor
tuus, odor humilitatis tuæ præcipuè aſcendit
ad Deum, vt vere ſacrificium contribulati
ſpiritus. Quid enim eſt fumus, & quid pul-
uis, niſi ſpiritus lacrymoſus, & conſcientia
valde humilis? & ſua quidem æſtimatione,
vere humilitas eſt, fumus innoxius, quaſi
cremij, ſiuè torris obuſti, & puluis terræ ſine
aqua, & ſitientis, iuxta illud: Quia defe-*
Pſal. 101. *cerunt, ſicut fumus, dies mei, & oſſa mea,
ſicut cremium aruerunt: & ſicut Abraham*
Gen. 18. *dixit: Loquar ad Dominum meum cùm ſim
puluis, & cinis. Sed non ita æſtimatione
Dei, aliter, & melius ille te diſcernit. Tu
dicis: puluis ſum terræ, qualem ventus di-
ſpergit, aura tollit. & ille dicit: non, ſed pul-
uis pigmentarij, puluis myrrhæ, & thuris:
qualem pigmentarius Spiritus ſanctus con-
ficit ex optimo thure, quod eſt ſuauitas mẽ-
tis, & ex myrrha probatiſſima, quod eſt mor
tificatio, ſiue incorruptio carnis. Tu dicis:
fumus ego ſum teter coram diuinis oculis,*
Apoc 8. Eſth. 14. *qualem de camino, ſicut de fumario deficiẽs
aſcendit, aſcendens deficit. & ille dicit: non,
ſed fumus ex aromatibus myrrhæ, & thuris
qualem decet aſcendere de aureo thuribulo
ante altare aureum vſque ad oculos, & olfa
ctum Dei. Talis fumi virgula tu ò Beata
Virgo Maria ſuauem odorem ſpiraſti Altiſ-
ſimo, cæleſtibus diſciplinis erudita, atque ex-
tenuata. Talis aſcendiſti per deſertum, ideſt,
animum habens valde ſolitarium. Si enim
vera cuiuſque animæ humilitas etiam in-
ter turbas poteſt eſſe ſolitaria, ita videlicet,
vt in nullo alio præterquam in Deo, ſpem
habeat: quemadmodum Eſther, cùm eſſet
Regina, veraciter tum dicebat: Domine mi,
qui Rex noſter es ſolus, adiuua me ſolitariã,
et cuius præter te nullus auxiliator eſt alius.
Quanto magis tu vera ſolitaria, & quaſi in
deſerto eras, quæ virum non cognoſcebas,
nec cognoſcere cupiebas, & ab illo, cui de-
ſponſata fueras, penè fuiſti deſerta?* hæc ille.
Sanctus Hieronymus ſermone de aſſump.
vel (vt alij volunt) Sophronius, aliam
viam ingreſſus, vt alibi diximus, eadem
verba exponens ait: *Et benè quaſi virgu-* S. Hieron. vel Sophron.
*la fumi; quia gracilis, & delicata: quia di-
uinis extenuata diſciplinis, & concremata
intus in holocauſtum, incendio pij amoris, et
deſiderio charitatis. Vt virgula (inquit)
fumi ex aromatibus: nimirum, quia mul-
tis erat repleta virtutum odoribus. manans
ex ea fragrabat ſuauiſſimus odor etiã ſpiri-
tibus Angelicis.* Ego omiſſis varijs expoſi-
tionibus à me alibi iam exhibitis, paulò
nunc longiorem explicationem accipe.
In primis explico priora illa verba: *Quæ
eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto?* quæ ſup-
pono eſſe Angelorum, vt Interpretes ibi
adnotant. Per *deſertum* primò poſſumus Cant. 3.
inrelligere cum Richardo Victorino ſuper Richard.
hunc locũ, *mundum*, quia vel a ſuis ama-
toribus ſæpè deſeritur, & contemnitur; vel
quia ſeipſum deſerit, quotidie deficiens.
Præterit enim, figura huius mundi, vt dixit 1. Cor. 7.
Apoſtolus. Vnde cùm Beata Virga prç om
nibus ſanctis, mundum ſpreuerit, ac affe-
ctu penitus, etiam cùm Mundi incola erat
mundum deſeruerit, verè ad ſuperna gau-
dia per deſertum aſcendere dicitur. *Quæ
eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* Secundò
explicatio Richardi mihi non diſplicet, dũ
ait, *Per deſertum* idem eſſe ac ſi diceretur.
Per deſertionem, quia Beata Virgo, omnia
propter Chriſtum deſerendo facta eſt pro-
pter Chriſtum, omnium domina. Etenim
ſi D. Paulus adeò omnia terreſtria deſe-
ruerat, vt diceret: *Omnia arbitratus ſum,* Philip. 3.
vt ſtercora: manifeſtum eſt, quòd multo
perfectius eadem Beata Virgo ea deſer-
uerit. In omni certamine de lucta, quam
Beata Virgo habuit cum antiquo ſerpen-
te ſemper fuit ſuperatus: nam vt rectè di-
xit D. Gregorius Homil. 32. *Si veſtitus* D. Greg.
quiſquam cum nudo luctatur, citius ad ter-

ram

ram deijcitur, quia non habet vnde teneatur: quid enim ſunt terrena omnia, niſi quędam corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, veſtimenta abijciat, ne ſuccumbat. Sanè Beata Virgo, cum omnia hæc indumenta terrena penitus deſeruiſſet, nec illis vnquam indueretur, non habebat, vnde ab hoſte in palæſtra teneretur. Tertio, per *Deſertum* aptè intelligenda venit virginitas, vt ingeniosè interpretatus eſt Guillelmus. (Guilelm. hic.) Quid enim antiquis diebus tam neglectum, atque deſertum, quam Virginitas? etenim cum ratio illius temporis officium propagationis expoſceret, in omnium ore illa verba verſabantur: (Iudic. 11.) *Maledictus, qui non fecerit ſemen in Iſrael.* Vnde filia Iepht, in ætate nubili ſine filijs moritura, virginitatem ſuam per duos menſes fleuit in mõtibus, expians eo quo poterat modo, maledictionem ſuam. Quia tamen propria illa lamentatione, à tam graui maledicto non radicitus expiata videbatur, conueniebant filij Iſrael ſingulis annis, & ſolẽni lucto per dies quatuor expiabant eam. Ecce virginitas illis temporibus præ amore ſobolis, & metu maledicti, quàm exoſa, & abominabilis, & quàm deſerta res fuerit. Per hoc igitur virginitatis deſertum Beata Virgo aſcendit, quia perpetuam Deo vouens virginitatem, vt dignum Deo fieret habitaculum, maledictionem illam nõ exhorruit. Vnde factum eſt, vt ſalua virginitate ſemen in Iſrael faceret, & benedictionem illam ampliſſimam reciperet. (Eccl. 24.) *Benedictionem omnium gentium dedit illi*, perquam, ſingulari miraculo mater Dei facta eſt. Vnde doctiſſimus Guillelmus dixit: (Guilelm. in c. 3. Cant.) *Maria amore incorruptionis parata eſt à ſua gente elogium maledictionis incurrere; & ecce ſalua incorruptionis gloria, totus ei mundus proclamat: Benedicta tu in mulieribus.* Sic ęrgo aſcendit ex deſerto.

(Cant 3.) Sed perge iam reliqua verba eiuſdem loci explicare: *ſicut virgula fumi.* Cõgrua ſanè comparatio Virgini in Cœlum aſſumptæ: tum quia ſicut fumus ex igne naſcitur, & continuò altiorem locum petit; ita Beata Virgo, amoris igne ſuccenſa, velut fumus aromaticus in ſuprema per cœleſtia deſideria ferebatur. Tum quia, ſicut fumus in ſublime euectus ſe ſubtrahit aſpectui; ita Beata Virgo in Cœlum aſſumpta, oculis Apoſtolorum illam aſcendere intuentibus ſe ſubduxit. Tum quia, vt rectè obſeruauit Guillelmus in Commentario huius loci, (Guillelm.) *Beata Virgo, inſtar virgulæ fumi ex aromatibus fuit, recta per actionẽ, fragrans per bonam famam, ſurſum erecta per mentis ſinceram intentionem*, additque acutè ad noſtros mores informãdos: *Quid prodeſt rectitudo actionis cum fragrantia boni nominis, ſi tibi facias ò homo, non Deo, ſi tibi fragres, non Deo?* ideſt gloriam propriam quæras non Dei. Iunge tertium, vt aſcendas ſimilis Mariæ, ſcilicet, mentis ſincera intentione. Subiungunt tandem: *Vniuerſi pulueris pigmentarij*, ad ſignificãdum nihil defuiſſe ſpiritualium aromatum ei, quæ cœleſtium chariſmatũ fontem genuerat. Sanè pigmẽtarius iſte, Deus eſt de quo Iacobus Apoſtolus inquit: (Iacob 1.) *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum;* quaſi dicat, omne ſpirituale pigmentum a ſummo illo pigmentario eſt. Quia tamen moris eſt, huic magno pigmentario pigmenta, quæ largitur, in pulueres contundere ad maiorem vſum, & ſuauiorem fragrantiam, varijs preſſuris iuſtos exercens, vt bonum Chriſti odorem latius ſpargant, eos cõtundit. Id certè pręſtare non prætermiſit in Virgine, in qua omnia virtutũ aromata ad maiorem redolentiam, varijs tribulationibus fuerunt contuſa; maximè cũ vniuerſis filij cruciatibus materno affectu communicabat; quorum ſanè aromata duo præcipuè nominantur, myrrha amari doloris, & thus flagrantis, & fragrantis amoris, quia quantum amabat, tantundem in filij paſſione dolebat; atque ita thuris, & myrrhæ odorem æqualiter ſpibat. Tandem vt alibi dixi, arbitror, virgulæ fumi ex aromatibus Virginem in Cœlũ aſſumptam comparari, ad ſignificandum munus aduocatæ, ad quod Beata Virgo erga filium ſuum exercendum aſcendebat; nimirum, vt pro nobis deprecans, nos cum illo reconciliaret. Olim fumo aromatico ſibi oblato, ſolitus erat Deus placari. Vnde Geneſ 8. legimus: (Geneſ. 8.) *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait: nequaquam maledicam terræ propter homines*, & Sapient. 18. (Sapien 18.) ſcimus Aaronem per incenſi odorem diuinam iracundiam mitigaſſe. *Per incenſum deprecationem allegans reſtitit iræ.* Quia ergo Beata Virgo in Cœlo orationis ſuæ odorifero fumo iræ Dei re-

ſiſtit

ſiſtit, & nos Deo reconciliat, ideo virgulæ fumi ex varijs aromatibus aſcendenti comparatur.

Illum etiam locum Canticorum ad illuſtrandã Virginis aſſumptionẽ aptum non immeritò putauit Guilelmus, *Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, et veni.* Sic enim hæc verba explicat: *Surge commortua mihi per affectũ maternũ, ſurge mecum. ego moriebar, tu mœrebas: claui mei ferrei fodiebãt mihi manus, & pedes, ſed maternum pectus tuũ transfigebant, & pertingebant in te vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, compagũ quoque ac medullarũ. Surrexi à morte, ſurge & tu à mœrore, vt ſicut ſimilis facta es morti meæ, ita fias ſimilis reſurrectioni meæ. Surge & propera quo ad gloriam immortalitatis, quo te reſurgẽdo præceſſi. Accepi enim à te mortalitatẽ, retribuam tibi immortalitatẽ: ad hanc propera amica mea, cui iampridem æternũ meũ de reparatione humani generis conſiliũ credidi: cui ſacramentũ à ſæculis abſconditũ reuelaui, quod ſcilicet oporteret Chriſtũ pati, & à mortuis reſurgere. Columba quoque propter fœcunditatẽ, ſed mea, cui ego ſingularis pullus ſum. Colũba per fœcunditatẽ, ſed nihilominus formoſa per virginitatẽ: quippe in te, ſicut virginitas fœcunditatem non impediuit, ita nec fœcũditas virginitatẽ deflorauit, ſed venuſtauit. Ita columba mea vt tamen formoſa mea: & quia columba mea, ideo formoſa mea: quia mater mea, ideo virgo mea. Quid eſt virgo mea? virgo perpetua, quia es mater mea, ideo es virgo perpetua; nempe matrem meã non tãtùm Virginem, ſed perpetuam virginẽ eſſe oportet. Sicut non potui ſeundum carnem tecum habere patrem, ita nec ex te fratrem. Proinde, non tantùm primogenitum, ſed vnigenitum tuũ me eſſe oportet. Primogenitũ ante quem nullus: vnigenitum, poſt quem nullus. Itaque quid iaces in mœroribus, quaſi lugẽs mortuũ? Surge à mœroribus, quia mortuus tuus ſurrexit ex mortuis. Noli flere viuentem cum mortuis. Surge, & per deſiderium propera ad ſtolam candidam, ſtolam Immortalitatis accipiẽdam, quo te præceſſi, & mox ſuo tẽpore, quando nouellam Eccleſiã de ſacramento Incarnationis meę plenius informaueris, veni ad filiũ, vt epuleris cũ filio, iucunderis cum filio, regnes cum filio.* hæc ille. Sed aliter eundem locum explico. Certè Chriſtus Dominus in Cœlis regnans, quaſi non patiens diutius beatus eſſe abſque conſortio ſuæ genitricis, Virginẽ inuitat, vt ad ſe veniat, his verbis: Olim ego ad te veni incarnãdus à te, nunc ad me veni glorificãda à me: olim ego requieui in tabernaculo tuo, nunc veni, vt requieſcas in tabernaculo meo. Surge ergo de tumulo mortis ad cumulũ felicitatis: ſurge de corruptibilitate ad incorruptione: ſurge de ſolo in Cœlum, Veni de militia ad triumphũ, de lachrymis ad gaudium, de preſſuris tandem, & laboribus ad ſempiternam requiem. Ad hanc autem requiẽ ſignificandam, aptè *Columbam* eam compellat: *Veni columba mea*: nam ſicuti Geneſ. 8. legimus, quòd Columba emiſſa ab arca non inuenit vbi requieſceret pes eius, donec ad Arcam reuerſa eſt; ſic & Beatiſſ. Virgo mirabilis columba toto eo tempore, quo in terris, & cum hominibus conuerſata eſt, & per aquas laborum inceſſit, vt ſanctæ Eccleſiæ vtilitatibus conſuleret, perfectam requiem inuenire non potuit. Sed quomodo quæſo illam inuenire potuiſſet, cùm omnia hic ſint in continuo motu: motùs autem, & quies ita opponuntur, vt ſimul eſſe repugnet. Vnde Frãciſcus Petrarcha de remedio vtriuſque fortunæ: *Ex omnibus* (inquit) *quæ mihi lecta placuerunt, nihil crebrius ad memoriam redit, quàm illud Heraclyti, omnia ſecundum litem fieri: ſic enim vniuerſa teſtantur. Nonne rapidæ ſtellæ obuiant firmamento? inuicem elementa confligunt, terræ tremunt, maria fluctuant, aer quatitur: bellum immortale gerunt venti, tempora temporibus concertant, ſecum ſingula, nobiſcum omnia. Ver humidum, æſtas arida, autumnus mollis, hyems hyſpida, & quæ* Viciſſitudo *dicitur, pugna eſt: & non mirum, ſi omnia litem pariant, quanta in coniugio diſſonantia, quot querelæ, quot ſuſpiciones amantium, quæ ſuſpiria, qui dolores. Immò in intimis animæ penetralibus vnuſquiſque ſecum bellum gerit aſſidue: nam & corpus, quàm contrarijs æſtuet, ac turbetur humoribus, ab his quoque quos,* Phyſicos *dicimus, comprehendimus. Quare animus, quam diuerſis ſecum pugnet affectibus, vnuſquiſque non alium, ſed ſeipſum interroget, ſibique reſpondeat, quam vario reciproco mentis impulſu, modo huc rapitur, modo illuc; nunquam totus, nuſquam vnus, ſecum ipſe diſſentiens, ſeipſum diſcerpens.* Ac tandem

Cant. 2. Guilelm. Heb. 4. Luca 24. Geneſ. 8. Franc. Petrar. Heraclyt.

cuncti huius mundi amatores requiem quærunt in honoribus, quos ambiunt, & in eis requies non eſt, Iſaia dicente: *Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*. Vel in diuitijs, nec requiem iſtæ dare poſſunt, cũ ſpinæ ſint animum pungẽtes, iuxta Chriſti Domini ſententiam. Vnde D.Greg.hom.15.dixit: *Diuitiæ ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentes lacerant*. Vel denique in voluptatibus carnis, quas tamen certũ eſt, non requiem ſed inquietem potius parere non modicam. In cuius figuram legimus lib. Iudicum, quod Dalida, per quam *laſciua caro* ſignificatur, valde infeſta erat Sampſoni, nec eum quieſcere ſinebat, immò & hoſtibus ſæpe illum tradebat: cũque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter ei adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt. Habitatores ergo terræ, in ea requiem inuenire minimè poſſunt, vt luculẽter dixit Hieremias. *Habitauit inter gentes, nec inuenit requiem*. B. ergo Virgo in Cœlo agnoſcens eſſe requiẽ ſuam, ad eam peruenire cupiens, ad Deum clamabat cum patre ſuo Dauide, dicens: *Emitte manum tuam de alto, & libera me de aquis multis*. Exaudita fuit pro ſua reuerentia, deprecatio eius, & impletum eſt in ea, quod idem Dauid prædixerat, eodẽ Pſalmo: *Miſit de ſummo & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis*. Etenim æternus Pater miſit Chriſtum Dominum de excelſo ſolio ſuo, vt aſcendẽti Virgini obuius fieret, & occurrente ſibi vniuerſa Curia cœleſti: illam ad ſecum conregnandum aſſumeret, & in æternam requiem introduceret. Quod mihi præclare ſignificatum videtur in ſequentibus verbis: *Extendit Noë manum, & apprehenſam intulit in arcam*. Sanè manus hæc extẽſa Chriſtus fuit qui à Patre miſſus, in occurſum venit matri ſuæ, vt eã ſuſciperet, & in ſolio gloriæ ſuæ collocaret. Aduertere tamen oportet, quòd ad ſignificandum aſſumptam fuiſſe matrem à filio ſecundum corpus, & animam, notanter vocauit illam, *Columbam*, alludens ad illud Leuit. 1. vbi legimus, quòd cùm boues pecora, & alia animalia in ſacrificium Deo offerebantur, in varias partes diuidi præcipiebãtur. *Detractaque pelle hoſtiæ, artus in fruſtra concident*. Cum verò offerebatur, columba diuiſionem, ſeu ſectionem in varias partes illius prohibebat Dominus. *Non ſecabit, neque ferro diuidet eam*. Sanè cùm Cõfeſſores, Martyres Virgines, immò & Apoſtoli per mortem in ſacrificium Deo ſe obtulerũt, diuiſionẽ ſuſtinuerunt: altera enim pars, nempe corpus, in ſepulchro manens iacebat, altera verò pars, nempe anima, abſque corpore in Cœlum euolabat. At licèt ita etiam id contigerit beatæ Virgini, tranſacto tamen triduo mortis illius, placuit Domino hãc columbam integram ſibi offerri, abſque diuiſione partium, vt corpore, & anima glorioſa in Cœlum migraret. Vnde ad hanc indiuiſionem denotandam non contentus vocare illam, *Columbam*, ait: *Vna eſt columba mea*. Vnum autem eſt id, quod indiuiſum, ſeu abſque diuiſione apparet, Beata etenim Virgo Maria fuit ante mortem ſpiritualiter indiuiſa, quia nullam ſui cordis partem alteri, ſed totam ſe Chriſto dabat. Fuit etiam poſt triduum mortis corporaliter indiuiſa, quia integra corpore, & anima ſuper choros Angelorum aſcendit. Quòd autem ſacer textus ſubdit: *Columba ad arcam reuerſa detulit in ore ſuo ramum oliuæ virentibus folijs*, egregie delineat officiũ *Reconciliatricis*, quo mater à dextris filij ſui adſtans pro nobis fungitur. Oliua enim, cùm pacis, & miſericordiæ ſymbolũ ſit, facile inde intelligimus, ad hoc aſſumptam fuiſſe candidiſſimam hanc columbã in Cœlum, vt ſumma pace cum Chriſto in æternum requieſcens, diuinam miſericordiã, & pacem cũ Deo nobis impetret.

Porrò, iam ex nouo teſtamẽto verba illa Chriſti Domini dicẽtis: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ recipiet*, apte ſatis accommodari poſſe arbitror præſenti Marianę aſſumptionis argumẽto. Scio ab Interpretibus varias huic loco explicationes adhiberi: nam quidam intelligunt per mercedem prophetæ, mercedem, quam illi propheta dabit, quia docebit eum Euangelium; & mercedẽ iuſti, ideſt, quam iuſtus illi impetrabit orando pro illo; aut quia eius cauſa Deus illi miſerebitur, iuxta illud: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Alij mercedem explicant quam ego illi dabo, qui propheta ſum, & iuſtus pariter per excellentiam. Alij mercedem prophetæ, & iuſti ideſt, quæ recipientibus prophetas, & iuſtos

Marginal notes: Iſai.c.57. Luce 8. D.Greg. Iudic.16. Threno 1. Pſal.17. Geneſ.8. Leuit.1. Cant.6. Gen.8 Matth 10. Luc.16.

iuſtos à Deo cõſtituta eſt. Nõ eſt cõſuetudinis noſtræ aliorũ interpretationibus detrahere. Illud tñ audeo dicere illã ſicut planiorem, ita & veriorẽ intelligentiam eſſe: *mercedem prophetæ accipiet*, ideſt, quã ipſe Propheta accepturus eſt, quia talis perinde reputatur apud Deũ, ac ſi Prophetæ officio fungeretur, ſicut Dauid dixit: *Aequa pars erit deſcendenti in præliũ, & remanenti ad ſarcinas*; & ſicut econtrario, Auguſt. dixit D. Paulũ dum lapidãtium Stephanũ veſtimenta ſeruabat, per omniũ manus lapidaſſe, vt ſæpè Principes, tã rebelles, quã illos, qui eos domo recipiunt, occultantuè eadẽ pœna punire ſolent: ita Chriſtus Dominus pari premio pollicetur, ſe Prophetã remuneraturũ, & hoſpitio recipientẽ Prophetã. Hac ſuppoſita legitima interpretatione, quã acceptat Doctiſſ. Maldonat. & auctoritate Clemẽtis 4. Stromatum eam confirmat, certè, cum Deipara Maria hoſpitio vteri ſui per nouem menſes Redemptorẽ mũdi ſuſcepiſſet, æquũ erat, vt ſicut qui prophetã recipit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipit, nõ ſecus ipſa qui recepit Redemptorẽ in nomine Redẽptoris, mercedem Redemptoris, quantum decebat eius matrem acciperet. Merces autem Redemptoris ſanguinem pro nobis in patibulo Crucis effundentis, exaltatio fuit ſui nominis, & gloria corporis, ita vt immortalis gloriæ dotibus donatus in anima, & corpore in Cœlum ſcanderit. Simili ergo premij genere gaudet Virgo, tantoq; huiuſcemodi premio Redemptoris Deiparam decebat remunerari, quanto manifeſtius eſt, ipſam ad Redemptionem generis humani cooperatam fuiſſe, prębendo Chriſto ſanguinẽ, quo mediante, tanquã vnico precio, ipſe ſolus genus humanũ redemit.

1. Reg. 24.
D. Aug.
Maldonat.
D. Clem.

Ad extremum, viſio illa Ioãnis: *Signum magnum apparuit in Cœlo; mulier amicta ſole, &c.* non obſcure mihi exprimere videtur aſſumptionem Deiparę Virginis ſecundùm animam, & corpus: quia idem Ioãnes aperte teſtatur, ſe vidiſſe ibi Virginem iam ſuſcitatam dum ait: *Mulier amicta Sole.* Etenim cum nec anima ſeorſum, nec corpus ſeorſum *mulier* dici poſſit, ſed pars dũtaxat mulieris, planè mihi ſignificaſſe videtur, vidiſſe Mariam corpore, & anima conſtantem, ſplendidiſſimiſque gloriæ dotibus conſpicuam. Atque vt iam finem dicendi faciam, cùm hodierna die B. Virgo in Cœlum anima, & corpore glorioſa ad dexteram filij ſedet, videor mihi audire verba illa ſibi vſurpantẽ, quæ Iudith triũphans, Betuliæ Ciuitatem ingreſſa protulit, *Magnificata eſt hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ*. quia reuera, nuſquam tot diuinis chariſmatibus, ac cœleſtibus donis fuit cumulata, ac infeſtiuo aſſumptionis die: nam quæ in ſingulis diebus per partes ſuſceperat, totidẽ ſimul hodie cumulatius ſuſcepit. Magna ſuſcepit in die Conceptionis, cùm à macula originariæ culpæ fuit diuinitus præſeruata: magna in die Annũciationis, filium Dei corpore, & plenitudinem gratiæ animo ſuſcipiens: magna in betlehemitico partu, Deũ intuens ex viſceribus ſuis ortum: magna in Magorum Regum aduẽtu, cùm propriã prolem à mundi Principibus adorari conſpexit: magna, cùm duodennem inter legis Doctores cum ſummo audiẽtium applauſu illum diſputantem audiuit: magna cùm vidit illum à mortuis reſurgentem: magna tandem, cùm triumphantem ingenti Sanctorum ſtipatum agmine ſuper omnes Cęlos aſcendere proprijs oculis intuita eſt. Magnalia quidem ſunt hæc omnia, & ineffabilia, ſed audet nihilominus Maria hodierna die dicere: *Magnificata eſt hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ.* idque veriſſimè affirmat, quia ſi in Conceptione, puriſſima ingreſſa eſt in mundum, nunc amicta puritate purior ingreditur Cœlum. Etſi in die Annũciationis ſuſcepit filium Dei, hoc fuit ſub vmbra, iuxta dictũ Angelicum: *Spiritus ſanctus obumbrabit tibi*, nunc autem ſuſcipit illum abſque vmbra, ſed ſub claro lumine gloriæ. Et ſi in die ſui partus, vidit filium à Principibus adorari, id tamen fuit in Præſepio iacentem: nunc autem in regali throno ad dexteram Patris ſedentem, ſumma religione ab Angelis coli intuetur, qui non ceſſant clamare quotidie, vna voce dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Er ſi filium de rebus magnis diſertiſſimè agentem inter Doctores vidit, nunc inter diuinas perſonas medium locum, ſecundum ordinem originis tenentem inuenit. Er ſi in die Reſurrectionis, necnon Aſcenſionis victorem, & triumphantem illum conſpexit, at cum gaudio illius felicitatis ſimul aderat mœror propter abſentiam dilecti filij virgineum animum excrucians; hodierna

Apoc. 12.
Iudith. 13.
Iudith. 13.
Luc. 1.

na autem die gaudium purum, & ab omni dolore defœcatum totam eius animam exhilarat, immortalis gloriæ menſuram ſuſcipiens, bonam, & confertam, & cogitatam, & ſuperfluẽtem in ſinu ſuo vt cum Chriſto in æternum regnet, cui ſit honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Homilia XIII.

Beatam Virginem in Cœlum aſſumptam in corpore glorioſo, ex ſacris Scripturis ſecundum ſenſum myſticum, ex ſanctis Patribus, ex Theologis Scholaſticis, ex vniuerſali Eccleſiæ conſenſu, ac tandem ex multis coniecturis cum ratione valde coniunctis, demonſtramus; pariterque aperimus errorem eſſe in fide id abnegare.

CRatiſſimum Deiparæ in corpore glorioſo Aſſumptionis argumentũ diſſerere aggredienti, liceat fratres, eximij Eccleſiæ doctoris Auguſt. ſermone 1. de Aſſumpt. egregia verba mihi vſurpare. *Venerabile est mihi, Domine, & præcordijs meis reuerendiſſimum, de matre filij tui loqui, & de ſanctiſſimo corpore eius linguam ſermonibus occupare, quæ ſola meruit Deum, & hominẽ paritura ſuſcipere, facta thronus Dei, & aula Regis æterni. Quæ quia humanam rationem excedunt, ſpiritus tuus adſit, qui ſuo ſacro ſpiramine inducat nos in omnem dicendorum veritatem. & quia de eius corpore, & animæ loquẽndum eſt, quod ipſe prę ter naturalem vſum ſanctificauit, & gratiam contulit, non aliena nos dicere patiatur, ſed propria ad laudem, & gloriam tuam Deus omnipotens Pater, & ad honorẽ filij tui per virginẽ nati, & eiuſdem Spiritus ſancti Dei, & Domini noſtri, cum quo eſt tibi Regnum, & Imperium in omnia ſecula.* D. Auguſt.

In hoc genere argumenti, vt iuxta morem meum perſpicuitati conſulam, irrefragabilem hanc veritatem de Aſſumptione Virginis in corpore glorioſo comprobabo. Primò ex locis ſacræ Scripturæ. Secũdò ex antiquis Patribus. Tertiò ex conſenſu, & traditione vniuerſalis Eccleſię. Quartò ex rationibus, & varijs coniecturis, quibus nonniſi proteruus, & ſuperciliosus diſſentiet.

Ex locis ſacræ Scripturæ in ſenſu myſtico expoſitis iuxta SS. Patrum ſententiam. §. 1.

SAnctus Pater Auguſtinus, vel quicumque alius fuit Author libelli de Aſſumptione Virg. cap. 1. tomo 9. non minus ele- D. Auguſt. ganter, quã vere dixit: *Quia quædam, ſcriptura ſancta veris indagationis ſtudijs quærenda reliquit, quæ non ſunt ſuperflua æſtimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta: fœcunda eſt enim veritatis authoritas, & dum diligẽter diſcutitur, de ſe gignere, quod ipſa eſt, cognoſcitur.* hæc ille. Licet autem ſenſus myſticus non conuincat rebelles Hæreticos, vt literalis, ædificat tamen fideles, quia verus eſt, & eum Author ſcripturæ per Eccleſiam ſuam, ſe in veritate, & non ſuperſtitioſè colentẽ indicauit. Igitur, ſi Dominus dixit: *Non eſt bonum, ho-* Gen. 2. *minem eſſe ſolũ*, & ideo dedit ei conſortiũ ſimile ſibi, vnde Adã, & Eua primi fuerũt introducti in Paradiſum, vt habitatores, & incolæ illius; rectè in ſenſu miſtico adumbrari intelligemus ſecundũ Adã, & ſecundam Euam, Chriſtũ, & Mariam primos fuiſſe habitatores in corpore glorioſo cœleſtis Paradiſi: Deinde verba illa Dauidis Pſal. 131 *Surge Domine in requiem tuã tu* Pſal. 131. *& arca ſanctificationis tuæ.* Niceph. lib. 2. Niceph. c. 13. & antiquiſſimus Michael Glicas in Michael. 3. par. annaliũ, de requie in corpore glorioſo Chriſti, & Mariæ interpretantur; ita vt Propheta ſermonem conuertens ad Chriſtum dicat: tu ſurge ratione humanitatis, quæ ſola capax eſt reſurrectionis; necnõ & arca ſanctificationis tuæ, hoc eſt, Maria mater tua, in qua tanquam in myſtica arca teſtamenti repoſitæ fuerunt virga, tabulæ legis, & manna, ideſt, Filius Dei Patris, virtus Dei, ſapientia, ac dulciſſimum miſericordiæ manna. Idipſum etiam confirmat, quod olim in figura præcepit Deus,

1.Reg. 6. Deus: quod arca Domini portaretur poſi-
ta ſuper plauſtrum nouum. Quid enim
aptius ſignificare poteſt, quam quod my-
ſtica arca Maria in die Aſſumptionis po-
ſita fuit in plauſtro corporis ſui, nouis &
glorioſis dotibus exornato? Ad hæc, ver-
Pſal. 44. ba illa Pſal. 44. *Adſtitit Regina à dextris*
tuis in veſtitu deaurato, circundata varie-
S.Athanaſ. *tate*, ſanctus Athanaſius ſermone de San-
ctiſſima Deipara, prope finẽ, tomo tertio,
de eadem Virginis Aſſumptione in corpo-
re glorioſo intelligit, & merito quidem:
nam quænam alia propriè magis Regina,
quàm Maria, quæ Regem vniuerſorum
peperit? & quænam alia verius dici poteſt
adſtare à dextris Dei, quam Genitrix ip-
ſius, cui maiora gloriæ chariſmata præ om
nibus alijs contulit? & quidnam aliud po-
teſt eſſe veſtitus ille deauratus, quàm cor-
pus Mariæ glorificatum? Rurſus palmes
Num. 13. qui, vt Numerorum 13. legimus, fuit cum
botro pariter adductus ex terra promiſſa
ad cognoſcendam terræ bonitatem, quid
aliud eleganti ſacrarum literarum medi-
tatori inſinuat, quàm Chriſtum, tanquam
botrum, & matrem tanquam palmitem,
ex quo pendebat, corpore, & animo iam
glorificatos nobis eſſe oſtenſos, vt cœle-
ſtis promiſſæ nobis terræ bonitatem, vir-
tutemque agnoſcamus, tanquam dulciſſi-
Exod. 14. mos eius fructus? Item mare rubrum diui-
ſum ad ingreſſum filiorum Iſrael, & poſtea
vnitum contra Pharaonem & Aegyptios,
Maria ſorore Moyſi in tympano cantãte,
quid eſt iuxta ſpiritum, niſi anima Mariæ
à corpore eius diuiſa per mortẽ; & rurſus
per Chriſtũ, quaſi per virgam Moyſis vni-
tam, confuſis dœmonibus, ac inuidis Iu-
dæis? Quid plura? verba illa ſponſi in ſuo
Cant. 7. epithalamio: *Quã pulchri ſunt greſſus tui*
in calceamentis, filia Principis, non obſcu-
re mihi indicant Aſſumptionem Virginis
in corpore glorioſo. Aptè hunc locum ex-
plicari poſſe arbitror per illum alium. Exo
di quarto, vbi legimus, quòd Moyſes cu-
piens miram illam viſionem rubi videre:
cùm ad eam videndam appropinquaret,
prohibitus eſt à Domino accedere, donec
Exod. 4. exueret ſe calceamẽto ſuo. *Tolle calceamẽ*
ta de pedibus tuis, quaſi diceret: ſi cupis
Moyſes, videre me, inſtar ignis ardere, di-
ſcalceatus accede. Diuerſimode ſe habet
in Cœlo ac in terra ignis diuinitatis, ſic
Deut. 4. enim vocat Deum ſacra Scriptura: *Deus*
noſter ignis conſumens eſt. In terra quidem
ignis eſt conſumens, quia cum primũ ani-
mã ingreditur libidinis affectus abſumit,
& laſciuiente in carnem exiccat, ac cinerẽ,
hoc eſt mortis memoriam in fronte relin-
quit; in Cœlo autem non cõſumit, ſed ædi
ficat lucens, & ſplendens, luminis gloriæ
radios in beatas mentes emittens. Vnde
ignis rubi ardens, & lucens, & illum non
conſumens, expreſſa imago fuit huius ſu-
perni ignis deitatis Dei, & viſionis beatifi
cæ illius, Quare & ibi vocat illam, *viſionẽ*
hanc grandem; ad idque ſignificandũ Do-
minus dixit ad Moyſem, quòd ſi vellet ad
hunc increatum ignem accedere, oporte-
bat illum calceamento corporis expoliari:
Solue calceamenta de pedibus tuis, quia non Exod. 4.
videbit me homo, & viuet. Meritò ergo
ſponſus laudat greſſus Virginis calceatis
pedibus in Cœlum incedentis, quia cùm
reliqui ſancti aſcendãt in Cœlum calcea-
mento corporis expoliati, (vt enim adno-
tauit D.Bernard. in comment. huius loci, D.Bernar.
calceamentum, vtpotè ex mortuorum ani
malium pellibus confectum mortale hoc
corpus deſignat) ipſa tamen corporis ſui
calceamento ornata, pulchris greſſibus in-
cedens in cœleſtem aulam proficiſcitur.
Cùm autem ſponſus, *Filiam Principis* Bea Cant. 7.
tam Virginem compellat, planè mihi vi-
detur huius tam ſingularis priuilegij ra-
tionẽ nobis exhibuiſſe. Etenim ſolus Rex,
& Regina tantummodo in palatium ſuum
Regium ingredi equo vecti conſueuerunt;
ceteri quamuis Duces, Marchiones, ac Co
mites, cùm ad palatium perueniunt, intrãt
non equo delati, ſed pedibus tãtùm, equo
ad palatij portam relicto. Chriſtus verò, &
Deipara, tanquam Rex & Regina in Cœ-
lum intrarunt equo corporis ſui vecti; ce-
teri vero ſancti homines animo tantũ, cor-
pore velut equo, in morte depoſito, & in
ſepulchro relicto. Tandem lib. 1. Reg. c. 30. 1.Reg.c.30.
legimus pręcepiſſe Dominum, vt parta vi-
ctoria in bello, æquale præmium reporta-
rent pugnantes in illo, & qui remanebant
ad ſarcinas, & ſupellectilia exercitus cuſto
dienda. Non diſſimiliter, quamuis ſolus
Chriſtus Dominus in prælio montis Cal-
uariæ cum hoſte pugnauerit, & eundẽ ex-
pugnauerit: *Nunc Princeps huius mundi* Ioann. 12.
eijcietur foras, ipſe enim ſolus ſãguine ſuo Iſaia 63.
nos redemit, & hoſtem deuicit. *Torcular*
calcaui ſolus. Ipſa tamen Virgo Deipara

Digitized by Google

remanſit quaſi ad ſarcinas, & ſupellectilia ſupremi Ducis Chriſti ſeruanda: ipſa cuſtodiuit crucem, clauos, coronam, linteū, quo erat præcinctus ad celanda, quæ natura propalare veretur. Vnde ſimili præmio, quo Chriſtus inuictiſſimus dux fuit remuneratus per glorificationem ſui corporis, meruit B. Virgo in Cœlum aſcendens, remunerari. Regnat igitur cū filio mater animę, & corporis glorioſis dotibus inſignita.

Ex Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, a liijſq; magni nominis vetuſtis Doctoribus. §. 2.

D. Ioannes Damaſc.

AVreæ huic catenæ Sanctorum Patrū tam Græcorum, quàm Latinorū primum annulum apponat D. Ioan. Damaſc. in ſerm. de dormit. B. Virginis, vbi enarratata eius morte, & ſepultura, ita ſubiūgit: *Sed quomodo, quod ex ex ea conſtitit Verbi Dei corpus ſanctum, & integrū, & interitui minimè obnoxium, tertia die reſurrexit ex monumento; ita etiam eam eripi e ſepulchro decebat, & matrem transferri ad filium. Et quomodo ipſe ad eam deſcendit, ita etiā eam illi dilectiſſimā, ad ipſum extolli in maius, & perfectius tabernaculum, nempe in ipſum Cælum. Oportebat eam, quæ Dei Verbum in ſuo vtero hoſpitio exceperat, collocari in diuinis ſui filij tabernaculis: et quomodo dixit* (Luc. c. 2.) *Dominus, debere ſe eſſe in ijs, quæ ſunt ſui Patris; ita etiam matrem oportebat habitare in Regia filij in domo Domini, & in atrijs domus Dei noſtri.* (Pſal. 46.) *Si enim in ipſo eſt habitatio omniū, qui lætantur, vbi eſt cauſa lætitiæ, oportebat eius quæ in pariendo integram conſeruauit virginitatem, incorruptū conſeruari corpus etiam poſt mortem. Oportebat eam, quæ Creatorem in ſinu geſtauit infantem, in diuinis verſari tabernaculis. Oportebat ſponſam, quam Pater deſpondit, degere in thalamis cæleſtibus. Oportebat eam, quæ ſuum filium in Cruce aſpexerat, et doloris, quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat, videre ſedentem cum Patre.* Hæc ille.

D. Athanaſ.

D. Athanaſius, cuius in Eccleſia Catholica magna ſemper fuit auctoritas, ſermone de Sanctiſſima Deipara, hæc nobis conteſtata reliquit: *Ea nunc* (nempe Virgo Deipara) *vt Regina aſſiſtens à dextris* (Pſal. 44.) *filij vbique regnantis, quaſi in veſtitu deaurato, incorruptionis, & immortalitatis circumamicta & variegata, ſacris & ſolennibus verbis celebratur; non quidem ſecūdum, aut quaſi ſine corpore, & carne aſſiſtat, ſed quod induta ſit incorruptibilitate, & immortalitate. Variegata rurſus eſt quantum attinet ad oſſa ſanctiſſima, quæ eius carnem ſuffulciunt: nam ex carne eius, & ex oſſibus eius, veluti ex veteri Adamo; nouus iſte Adam, vt viſcera eius expleret, coſtam ſibi finxit, nimirum iſtam incarnationem, eamque ſemel indutam perpetuò geſtat; ac proinde, iſta noua Eua, mater vitæ, appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.*

B. Andr. Cret.

Beatus Andreas Cretenſis Archiepiſcopus Hieroſolymitanus, qui duas edidit orationes in encomium dormitionis ſanctiſſimæ Deiparæ, quæ extant apud Simeonem Metaphraem, eam aperte corpore aſſumptam tradit, ac ſubdit ad eam conuertens ſermonem: *Te nequaquam poteſt habere ſepulchrum, corpus enim Dominicum non decent ea, quæ intereunt. Aduerſus te non valebunt Inferi, animam enim regiam non attingunt ea, quæ ſeruiunt cum alijs. Abi ergo, abi in pace, migra ex ijs, quæ ſunt in natura creata manſionibus. Placa Dominum pro communi figmento: nam quandiu quidem verſabaris in terra, te habuit parua terræ portio; ex quo autem tranſlata es è terra, te vniuerſus Mundus continet commune propitiatorium. Supra Enoch magnificare, ſupra Heliam in altum extollere, in lætitia in gaudio ineffabili, in æterna luce, vbi eſt verè, viuere, Regnum totum lucidum, perpetua Angelorum chorea.*

Idem in enc.

Idem in encomio de dormitione Virginis hoc præclarum habet: *Quæ Authorem vitæ pepererat, eo in loco iam rediuiua collocatur, vbi fons perennis eſt vitæ: vbi nihil adeſt materia fluxæ, aut caducæ: vbi nulla infeſtant moleſtiæ, aut vita huius ærumnæ: vbi ingrata denique nulla obſident rerum viciſſitudines. Quid multis? ſpectaculum inter omnia, quæ ſpectari poſſunt, pulcherrimum hodie exurgens, ac Cælos omnes latè penetrans, nos cum ſempiterna illa mente, ac ſpiritu ſermones miſcet; quos is vel ſolus, vel maxime nouit, qui corpus, & animam illius primo inter ſe iunxerat; moxque ſoluta indiſſolubili ſocietatis vinculo, inter ſe rurſum colligauerat.* Idē in ſer. quodā alio de dor-

Idem auth.

dormitione Virginis nondũ edito, habetur tamen in Vaticana Bibliotheca, inducens Virginem loquentem, ait: *Quid ſplendidius, aut magnificentius, quàm Dei matrem vocari, & eſſe? ingenij vllius acie poteſt conformari. Modum vero, & rationem, qua ex hominum conſortio, & conuictu fuit ſeparata, inde poteſtis coniectum conſequi, ſi locum, & gradum euolutatis animo, ad quem corpus noſtrum ex materia mortalis contagione compactum & concretum, fuit à Deo tranſportatum. Corpus (inquam) virginitatis flore mirifice honeſtatum, & à Dei maximi maieſtate aſſumptum: ex quo Chriſtus omnis compoſitionis expers fuit, quantum ad naturam humanam conſtitutus.*

D. Auguſt. Diuus Pater Auguſtinus ſermone de Aſſumptione, tomo 9. hæc tanto Patre digna, pro ſua in Virginẽ pietate profert: *Pater, quos dediſti mihi volo, vt vbi ſum & illi ſint mecum, vt videant claritatem, quam dediſti mihi. O magnam, & ineſtimabilem bonitatem Dei, qui habere ſecum ſuos in gloria vult, vt ſua claritate fruantur, qui hic de fide iuncti, vnum cum eo eſſe digni iudicantur. Si igitur eos ſecum habere vult, & hoc poteſt, quia omnia poteſt; quid æſtimandum eſt de matre, vbi digna ſit haberi, niſi in præſentia filij? Quantum igitur contueor, quantum intelligo, quantum credo, Mariæ anima claritate fruitur Chriſti, & glorioſis conſpectibus eum ſemper videre ſitiens, & ſemper conſpiciens, dum ineſtimabiliter paſcitur, excellentiori quadam ſpe clarificum in dextera Patris, & ſi non ſuum, per quod genuit, tamen ſuum, quod genuit. Et quare non ſuum, per quod genuit? Si enim non obuiauerit, nec dum perſpecta auctoritas, verè credo, & per quod genuit, quia tanta ſanctificatio dignior Cælo eſt, quàm terra; quoniam thronum Dei, thalamum Domini, domum, atque tabernaculum Chriſti dignum eſt ibi eſſe, vbi ipſe eſt.* Et quibuſdã alijs interiectis, hæc ſubdit: *Conſideratis igitur his vniuerſis, vera ratione confitendum cenſeo, Mariam in Chriſto, & apud* Act. 17. *Chriſtum eſſe. In Chriſto, quia in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus: apud Chriſtum, glorioſè ad æternitatis gaudia aſſumptam, benignitate Chriſti honoratius ſuſceptam, ceteris, quam hic gratia honorauit præ ceteris; nec vſque ad communem humilitatem eſſe abductam pij mortem, putredinis videlicet, & vermis, & pulueris, quæ ſuum & omnium genuit Saluatorem. In cuius ſi* Luc. 21. *poteſtate eſt, Sanctorum de capite capillum non perire, eſt & illam anima, & corpore integram poſſe ſeruare. De cuius poteſtate, ſi nullus dubitet Eccleſiaſticorum, quin poſſit matrem ſine corruptione in perpetuum ſeruare, cur dubitandum eſt voluiſſe, quod attinet ad tantæ benignitatis gratiam?*

Greg. Naz. Diuus Gregorius Nazianzenus, in Tragedia de Chriſto patiente, Aſſumptioni Virginis in corpore immortali plané conſentit, vt illa eius carmina indicãt:

O ter beata mater, ò lux Virginum,
Quæ templa Cæli lucidiſſima incolis,
Mortalitatis liberata ſordibus;
Ornata iam immortalitatis es ſtola.

Corpus Virginis immortalitate donatum vocat, *Immortalitatis ſtolam*.

S. Germ. Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſermone ſecundo de dormitione Sanctiſſimæ Virginis, in idem argumentum ſic loquitur. *Tuum virginale corpus omni ex parte ſanctum, erectũ ad ſummam incorruptibilitatem, vitæ illæſum, viuum ſpirans, perpetuum in poſterum inſomne ſeruatur, vt vas, quo Deus exceptus eſt. Pereat ergo in poſterum mors, pereat tumulus, pereat puluis, quòd ad te attinet, ò Dei genitrix.*

B. Coſm. Hier. Beatus Coſmas Hieroſolymitanus, Glyca Auctore Græco id referente, Beatã Virginem alloquens, hæc verba protulit: *Victricia trophæa contra naturam, ò Dei vera mater, erexiſti, & imitans filium tuum, tuumque opificem, omnes naturæ leges ſupergrederis. Quare verè ſemel mortua, poſtea cum filio tuo ſemper victura ſuſcitaris.*

S. Brigit. Sancta Brigita libro primo ſuarum reuelationum, cap. 8. quas conſtat à Concilio Coſtantienſi eſſe approbatas, eandẽ Beatæ Virginis Aſſumptionem in corpore glorioſo his verbis expreſſit: *Tu es, quaſi* Eccli. 24. *myrrha electa, cuius odor aſcendit ad deitatem, & deduxit eam in corpus tuum; & animam in deitatem, vbi nunc eſt cum corpore, & anima.* Et in ſermone Angelico: *Verè* (inquit) *remota omni ambiguitate, credendum eſt, quòd ſicut à Dei amicis corpus illud Virginis Beatiſſimæ ſepultu-* Ead. S. Brigit. *ræ tradebatur mortuum; ita ab ipſo Deo filio ſuo amantiſſimo ad vitam perpetuam*

viuum

Digitized by Google

uinum cum animo venerabiliter eſt aſſumptum.

B. Andreas Monach. Beatus Andreas Monachus Ciſtercienſis, & Epiſcopus Lauſaniæ, homilia ſeptima hæc ſcribit: *Maria prima poſt Deum ſuper omnes cœlicolas in ſede gloriæ collocatur: ibi reſumpta carnis ſubſtantia (neque enim credi fas eſt, corpus eius vidiſſe corruptionem) & duplici ſtola, Deum, & hominem in vtraque natura, quanto ceteris clarius, tanto ardentius vniuerſis mentis, & carnis oculis contemplatur.*

Niceph. Nicephorus libro ſecundo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, cap. 22. idipſum diſertè pronunciat in hæc verba: *Vbi ad Gethſemane peruentum eſt, ſepultura quidem illa filium imitata traditur: per illum autem ad diuina tabernacula, ad ipſum ſcilicet paradiſum, vbi & vitæ arbor conſita eſt ea ratione, quam qui hæc fecit, Deus nouit transfertur.*

Michael Gly. Accedit Michael Glycas tertia parte Annalium, vbi hæc lego: *Tametſi Virgo mater, naturæ legibus fuit obnoxia, tametſi mortem deguſtauit, tametſi, vt homo, in ſepulchrum eſt poſita; naturæ tamen fines, ac terminos ſuperauit, & exceſſit; neque ſepulchrum, nec mortalitas eam in poteſtate ſua retinere potuit. Nam & ipſa de ſepulchro reſurrexit prorſus, vti filius eius, idemque Deus, etiam fecerat, ſolis ſepulchralibus exuuijs in monumento relictis.* Tum idem ad Alipium Monachum ſcribens, inter cetera hoc etiam tradit: *Qua ratione Maria omnis labis expers, per mortem ad vitam corpore ſimul, & anima tranſierit, id admi-*

Andr. Cret. *rabiliter alicubi differit Andreas Cretenſis. Sed ne minus quoque perſpicuè, & clarè iſthæc ipſa ob oculos ponit magnus ille*

Coſmas. *Hymnographus Coſmas. Tu (inquit ille) ſacra, & caſta Virgo, quæ præter naturæ ordinem, Deum enixa es, chara victoriæ ſymbola deferens, illumque qui te genuit, æmulata ſuper naturam naturæ legibus concedis: nam & moreris, & mortuo cum filio, denuò exſuſcitaris vnà cum illo in omnem victura æternitatem.* hactenus ille.

Leo Imper. Adiungo Leonem Imperatorem, cui *Sapientis* cognomentum haud temere tributum fuit. Hic diſerta quadam oratione de obdormitione Mariæ, ſermonem ad illam conuertens, in hunc modum ad eam fatur: *O ſuper omnes benedicta, qui ſolus magnalia facit præpotens filius tuus, quid hodie tibi præſtat? quid agitur? quod ſpectaculum exhibetur? an non, obſecro te, ſanctificationis arcam, te ornatiſſimum thalamum, & diuiniſſimum thronum ad ſuum diuinum, & auguſtale templũ tranſponit? An non te illam, ex qua carnis indumentum, quo cum inter homines verſatus eſt, ſuſceperat, ad ſumma Cœlorum faſtigia cum carne deſumens, vt cum ipſo in carne verſareris euehit?* Et ne multa dicam (prolixum enim eſt omnia repetere) Mariam vnà cum corporis ſui tabernaculo ad filium translatam, ac indiſſolubili ſocietatis, conſuetudiniſque vinculo longè, arctiſſimèque Chriſto coniunctanctam eſſe, ſermone luculento te- Bapt. Mant.
ſtatur, Baptiſta Mantuanus libro octauo, Factorum, Virginis vbi hæc præclara Carmina cecinit:

Hæc eſt illa dies, qua Chriſtus in æthera matrem
Suſtulit indutam membris: ſic credere ſanctum eſt.
Nam neque erat locus in terris, vbi viſcera condi.
Fas erat, æternum, quæ progenuere tonantem.

Ac tandem, ne in referendis Sanctorũ Patrum, ac veterum Doctorum teſtimonijs prolixior videar, quam par eſt, conſulto prætereo Dionyſium Areopagitam de diuinis nominibus, cap. 3. Gregorium Turonenſem de gloria Martyrum libro 1. cap. 4. & 9 Timothæum Presbyterum Hieroſolymitanum oratione de Propheta Simeone, Iuuenalem Hieroſolymorum Epiſcopum, cuius verba refert Metaphraſtes de Aſſumptione Virginis, Richardum de Sancto Victore in Cantica, cap. quarto, Vgonem libro tertio, erudit. Theologiæ, Maximum Abbatem in orationibus de dormitione Beatæ Mariæ, acta Sanctæ Atanaſiæ apud Metaphraſtem, quæ Surius adducit, tomo quarto, die decimaquinta Auguſti. Abſalonem Abbatem, Beatum Petrum Damianum, Honorium Auguſtodunenſem, Pandulphum, Brunonem, ſermonibus de Aſſumptione. Contentus ero nunc, reuelationem factã prodigioſo, ac ſanctiſſimo viro noſtro, Diuo Antonino enarrare. Cõmemorat Auctor Pomerij, ſermonum de Beata Virgi- Auct. Pom.

ne, libro decimo, par. 1. art. 3. in fine, quod Diuus Antonius ægreferens lectionem quandam D. Hieronymi (vt ferebatur) quæ olim in die feſto Aſſumptionis legebatur (fuit tamen poſtea abolita) in qua in dubium reuocabat Aſſumptionem Deiparæ in corpore glorioſo, noluit chorum adire: cui Angelus apparens dixit: *Cur Antoni non vis ire ad Matutinum?* eam ipſe cauſam adhibuit, quò ægertimè ferret prędictam lectionem in choro audire. Hæc autem illo dicente, continuò ingreſſa eſt ad eum Beata Virgo, magno Angelorum cœtu ſtipata, ad cuius pedes procumbens Antonius, enixè ab ea poſtulauit huius myſterij certitudinem, cui B. Virgo reſpondit: *Securè Antoni veritatem hanc & credere, & prædicare potes.*

Ex communi ſententia omnium Theologorum, & quod efficacius eſt, ex vnanimi conſenſu, & traditione Eccleſiæ, tàm Gręcæ, quàm Latinæ celebri miraculo confirmata. §. III.

D. Thom.
S. Bonauen.
D. Anton.
Gerſon.

IN primis hanc veritatem docuit Angelicus Doctor D. Thomas Aquinas, qui inſtar mille eſt, tertia par. quæſt. 27. art. 2. in corpore, & opuſculo octauo. Sanctus Bonauentura in Speculo Mariæ, cap. 2. Diuus Antoninus prima parte hiſtoriali, titulo 6. cap. 3. Doctor Ioannes Gerſon Alphabeto 14. & vt paucis multos complectar, idipſum conſtanter affirmant vniuerſi Scholaſtici in 3. diſtinct. 3. & moderniores Doctores ſuper tertiam partem D. Thomæ. Accedit, (quod & veritatem hãc fortius ſtabilit), vniuerſam Eccleſiam Catholicam, celebri feſto Aſſumptionem Virginis in corpore glorioſo celebrare. Dicere, autem non celebrare niſi Aſſumptionem animæ, inane mihi videtur ſubterfugium. Nã cùm reueta animæ aliorũ Sanctorum deferantur in Cœlum, & nullius Aſſumptionẽ confiteatur, aut celebrẽt; manifeſtũ eſt, quod cùm ſolius Virginis Aſſumptionem celebrat, propriè, & in rigore intelligit Aſſumptionem, prout refertur ad corpus. Eſt autem hæc feſtiuitas antiquiſſima, non ſolum à tempore

Niceph.
Conc. Mag.
D. Bernar.

Mauritij, & Gregorij, vt refert Niceph. lib. 16. c. 28. ſed ab Atanaſio, Andrea Creten. Iuuenali, Glyca, & alijs antiquiſſimis à me ſupra relatis, qui illius meminere. Eiuſdẽ pręterea feſti, imò & pręcepti illud obſeruandi, meminit Concilium Magũtinum ſub Carolo Magno, cap. 36. & indubitata Eccleſiæ traditione, & conſuetudine ſub hac exiſtimatione recepta, præceptum hoc inuiolabiliter ab Eccleſia obſeruatur. Vnde Diuus Bernardus epiſtola 174. tantum has duas feſtiuitates Virginis, vt ab Eccleſia vniuerſaliter præceptas, recognoſcit, Natiuitatem, & Aſſumptionem, eaſque æquiparat, dicens: *Accepi ab Eccleſia illum diem cum ſumma veneratione colendum, quo aſſumpta de ſæculo nequam, Cœlis quoque intulit celeberrimorum feſta gaudiorum. Sed & ortum Virginis nihilominus in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtiuum, atque ſanctum firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens in vtero eam accepiſſe, vt ſancta prodiret.*

Niceph.
D. Auguſt.
Abulenſ.
Card. Caiet.
Mag. Sot.
Mag. Can.
Cordub.
Card. Baron.

Refert etiam Nicephorus, libro 2. cap. 22. & lib. 15. cap. 14. tanquam traditionem Virginis, reſurrectionem narratam fuiſſe in Concilio Calcedonenſi à Iuuenali Epiſcopo Hieroſolymitano, & ibi fuiſſe approbatam. Ex quibus omnibus facilè colligã gradum certitudinis, quem iam obtinet in Eccleſia Catholica veritas Aſſumptionis Beatæ Virginis in corpore glorioſo. Scio D. Auguſtinum ſermone de Aſſumptione, tanquam probabiliorem ſolum, & cum ratione magis conſentaneam illam amplecti. Scio Abulenſem, Matth. 22. quæſt. 23. non aliam certitudinem ei præbere, quàm opinionis probabilioris. Scio Cardinalem Caietanum opuſculo de Conceptione, cui conſentit Magiſter Sot. in 4. diſtinct. 43. ſolum dicere, piam eſſe ſententiam. Verum celeber Magiſter Canus, lib. 12. de locis cõmunibus, cap. 11. quem ſecutus eſt noſter Corduba, libro primo, quæſtionarij, quæſt. 17. Aſſumptionem Virginis in corpore glorioſo negaret, iudicat petulantem eſſe temeritatem. Quod idem his verbis confirmat Cardin. Baronius, dum poſtquam dixerat tomo primo Annalium, anno 48. communem eſſe hanc Patrum ſententiam, & vniuerſalem vſum Eccleſiæ, ſubdit: *Perfricatæ mentis, & procacis animi indicium eſt, Eccleſia vni-*

uerſalis

uerſalis vſui, & tot Patrum ſententijs non acquieſcere, & maximã omnium eſſe temeritatem his omnibus contradicere. Vt tamen in re hac meam ſententiam luculenter aperiam aſſero, quòd licet veritas hæc non ſit de fide, vt contendit Catharinus, libro 4. contra Caietanum, & dicto opuſculo de conceptione, quia reuera nec eſt ab Eccleſia definita, nec adeſt teſtimoniũ ſcripturæ, aut ita firma traditio, quæ infallibilem faciat fidem: illam tamen negare, planè mihi videtur erroneum, quia pugnat cum omnium Catholicorum ſenſu, nemine contradicente; ſeu cũ communi Eccleſiæ Catholicæ iudicio, quæ Aſſumptionem Virginis in corpore, ſolemni ritu colendum omnibus fidelibus proponit, & præcipit. Nihil autem reipſa falſum Eccleſia Catholica, quæ ſpiritu veritatis regitur, colendum poteſt præcipere fidelibus. Accedit, quòd in ritibus Eccleſiaſticis, cuius initium non inuenitur, ab Apoſtolis manaſſe creditur, vt vnanimi cõſenſu docent Theologi. Feſti autem Aſſumptionis Virginis in corpore glorioſo, certum, & conſtans initium non reperitur: meritò igitur ab Apoſtolis manaſſe creditur, qui teſtes illius fuerunt, vt Nicephorus, & alij ſupra relati conteſtantur. Quare exiſtimo, non minus certam eſſe in Eccleſia Catholica Aſſumptionem Virginis in corpore glorioſo, quàm ſanctificationem eiuſdem in vtero materno, cui diſſentire erroneum iudico propter rationem tactam. Immò Catharinus libro quarto, contra Caietanum, & Corduba libro primo Quæſtionarij, quæſt. 44. putant eſſe hæreticum. Illas autem duas veritates de ſanctificatione in vtero materno, & de Aſſumptione in corpore glorioſo parificat, quantum ad certitudinem D. Thom. 3. parte, quæſt. 27. art. 1. in corpore. Atque hinc factum arbitror ex diuina prouidentia, quòd vt veritas hæc tenacius fidelium animis inhæreſceret, voluit illam Deus celebri miraculo confirmare. Narrat enim Petrus Cluniacenſis vir ſua ætate, doctrina, & pietate inſignis, libro ſecundo, de miraculis, capit. 30. Romanorum morem fuiſſe, vt feſtum Aſſumptionis colerent, cereos maximos facerẽt, eoſque anteparatos, vigilia feſtiuitatis ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Maioris deferrent, atque veſpertina hora accenderent.

Catharinus.

Eccleſ. Cath.

Nicephor.

Catharin.

D. Thom.

Petr. Clun.

Pondus tamen eorum æqua lance penſatum, domi retinebant, vt ſequenti die, ſolemni Miſſa peracta, eos rurſus penſantes, quantum de quantitate eorum ignis abſumpſiſſet, iudicante ſtatera, cognoſcere valerent. Contigit autem, quòd cùm eos ſequenti die domum retuliſſent, & ponderaſſent, deprehenderunt idem eſſe pondus, atque prius erat. Quod mirabile portentum in ipſa Romana Vrbe, in templo illo, & non ſemel, ſed annuo recurſu fieri ſolitum expendit ibi grauiſſimus hic Auctor, dicens: *Oſtendit Deus hoc ſigno, nihil eorum perire, quæ in Virginis Beatiſſimæ cultum, & honorem expenduntur, ſed id totum eſſe Deo gratum, & maximè acceptum.*

Verùm dicet quiſpiam, hanc veritatem de Virginis Aſſumptione in corpore glorioſo, non ita certam eſſe in eo gradu, in quo nos contendimus, cùm Diuus Auguſtinus, & Diuus Hieronymus de illa dubitauerint. Etenim Diuus Auguſtinus ſermone de Aſſumptione, inquit: *Quo ordine hinc ad ſuperna tranſierit Regina, nulla Catholica narrat hiſtoria. Non ſolum autem reſpuere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur hæc eadem Eccleſia: ſi quidem ſunt nonnulla ſine Auctoris nomine de eius Aſſumptione conſcripta, quæ vt dixi, ita cauentur, vt ad confirmandam rei veritatẽ legi minimè permittantur. Hinc ſanè pulſantur nonnulli, quia nec corpus eius in terra inuenitur, nec Aſſumptio eius cum carne, vt in apocrypha legitur, in Catholica reperitur hiſtoria.* & infra ſubdidit: *Quid de his, de quibus loquor dicam, cùm nec ipſe; qui hæc accepit ante Crucem Domini, in ſua, ideſt Ioannes Euangeliſta, de hoc poſterius aliquid retinendum ſcriptis mandauerit: nullus enim hoc fidelius narrare potuit, ſi illud Deus manifeſtare voluiſſet, quàm ille vtique, qui hanc nutriendam ſuſcepit; nec contra amorem filius matrem reliquit. Reſtat ergo, vt homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de eius Aſſumptione ſententia hæc eſſe probatur, vt ſecundum Apoſtolorum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus ignorantes aſſumptam ſuper Angelos eam eſſe credamus.* Vnde Vſuardus, & Ado in ſuis Martyrologijs, die decimaquinta Auguſti hæc appoſuerunt ad imitationem verborum D. Aug.

D. Auguſt.

Ioan. 19.

Vſuardus, & Ado.

Decimo-

Decimooctauo Kalendas Septembris. Dormitio Sancta Dei Genitricis Mariæ, cuius ſacratiſſimum corpus, & ſi non inueniatur ſuper terram, tamen pia mater Eccleſia eius venerabilem memoriam, ſic feſtiuam agit, vt pro conditione carnis eam migraſſe non dubitet. Quod autẽ venerabile illud Spiritus ſancti templum nutu, & conſilio diuino collocatum, ſit, plus elegit ſobrietas Eccleſiæ cum pietate neſcire, quam quid friuolum, & apocryphum inde tenendo doceret. Verùm in primis, ſermonem illum non eſſe Diui Auguſtini, præter Louaniẽſem ſcholam id affirmãtem, vt tradit Cardinalis Baronius, tomo primo annalium, anno à Chriſto quadrageſimo octauo, vel vna illa ratio id manifeſtiſſimè comprobat, nam cum ibi citetur ab eo Auctore Iſidorus, manifeſtè relinquitur, Diuum Auguſtinum non eſſe illius ſermonis Auctorem, vt benè obſeruauit ibidem Baronius. Deinde manifeſtius eſt, quàm probatione indigeat, nullibi Eccleſiam Catholicam profeſſam fuiſſe, ſe neſcire Virginis Aſſumptionem in corpore glorioſo, quia licet nullum de ea re decretum edixerit, in ipſis tamen ſacris Eccleſiaſticis precibus, quas recitare conſueuit, id affirmat verſibus, reſponſorijs, antiphonis, & lectionibus Sanctorum Patrum planè id atteſtantium. *Card. Baron.*

D. Hieron. Sed venio iam ad Hieronymum, ſub cuius nomine illa verba ſermone de Aſſumptione Mariæ, ad Paulam, & Euſtochium leguntur: *Si venerit in manus veſtras illud apochryphum de tranſitu Mariæ Virginis, dubia pro certis non recipiatis, quod multi Latinorum pietatis amore, & ſtudio legendi charius amplectuntur. Monſtratur autem ſepulcrũ eius vſque ad præſens in vallis Ioſaphat medio; hæc idcircò dixerim, quia multi noſtrum dubitant, vtrum aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an abierit relicto corpore. Quomodo autem, vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum corpus eius inde ablatũ fuerit, vel vbi tranſpoſitum; vtrumne reſurrexerit, neſcitur, quamuis nonnulli aſtruere velint, eam iam reſuſcitatam, & beatã cum Chriſto immortalitate in cæleſtibus veſtiri. Verumtamen quid horum verius cenſeatur, ambigimus; melius tamen Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committimus, quam vt aliquid temerè definire velimus auctoritate noſtra. Sed & vtrũ redierit in puluerem terræ, certum non habemus.* Ceterum, ſermonem illum non eſſe Diui Hieronymi, immò nec Sophronij eius comitis, vt placuit Eraſmo, ſatis vtique illud probat, quòd ibi Auctor ille totus eſt in expugnando; errorem Neſtorij, quem longè poſt poſt Hieronymi, ac Sophronij tempora vixiſſe, nulla eſt dubitatio; maximè quòd tempore D. Hieronymi, nulla oborta fuit hæreſis aduerſus Chriſti incarnationem. Neſtorius autem, & Euthiches, cuius errores Auctor ille confutat, contra ſubſtantiam Incarnationis directè tendebant. Deinde, quia Auctor illius ſermonis expreſsè fatetur, ibi tempore ſuo Dei Genitricis ſepulchrũ omnibus eſſe manifeſtum. Incredibile autem eſt, quòd Diuus Epiphanius Hieroſolymis ſæpè verſatus non agnouerit ta le ſepulchrum. Ipſe autem ambigit, an Beata Virgo mortua fuerit, vt præcedenti libro vidimus, homilia prima. Incredibile etiam eſt, quod Diuus Hieronymus epiſtola 27. referens cuncta Palæſtinæ loca, quæ Sancta Paula Romam veniens, minutim percurrit, vt ſepulchra Patriarcharum, immò & mauſolæum Helenæ Adiabenorum Reginæ, quæ tempore Claudij populum fame laborantem pauit; minimè prætermiſiſſet ſepulchrum Deiparæ. Quis enim ita inops mentis erit, vt ſibi perſuadeat, vnum tantum Dei genitricis ſepulchrum à Paula ſpretum, vt non inuiſeret: vel Hieronymi mente excidiſſe, vt eius non meminerit? Ac tandem, etiam ſi gratis demus, Hieronymũ, & Auguſtinum de hac veritate dubitaſſe, qui tamen reuera non dubitarunt, ſed multis exornarunt, & præcipuè Auguſtinus varijs rationibus confirmauit nihil certè eorum dubitatio propoſitæ veritati officit: quia etiam Thomas, & alij Apoſtoli de Chriſti reſurrectione dubitarunt, & multi etiam libri, qui modo habentur Canonici, olim in controuerſiam vocati fuere. Nec enim, quod illa ætate non erat ſatis diſcuſſum, aut exploratum neceſſe eſt perpetuò indiſcuſſum, & ambiguum manere: modo enim de Virginis Aſſumptione adeſt vniuerſalis conſenſus Eccleſiæ, qui tamen tunc non vigebat. Eccleſia namque Catholica, inſtar auroræ, quotidie creſcens in agnitione veritatis *Eraſmus.* *D. Epiphan.*

tatis

tatis, omnem iam certitudinem, quam huic veritati poteſt præbere, præter eam, quam ſecum affert definitio, de facto illi tribuit. Quibus omnibus mirificè conſonat, quod Beata Brigita, libro ſexto ſuarum Reuelationum, cap. 67. in fine, his verbis in perſona Virginis loquens, dixit: *Quia verò Aſſumptio mea non multis, cognita fuit, nec prædicata à pluribus hoc voluit Deus, qui eſt filius meus, vt prius infigeretur cordibus hominum credulitas Aſcenſionis ſuæ, quia corda hominum difficilia, & dura erant ad credendum Aſcenſionem eius, quanto magis ſi prædicata fuiſſet ſtatim initio fidei Aſſumptio mea?* hæc illa, docens primò fidelium cordibus imprimendam fuiſſe fidem Aſcenſionis Chriſti, quàm Aſſumptionis Beatæ Virginis. Nam, vt Adam primò creatus eſt, deinde ex eius coſta Eua formata, ita primò plantanda fuit fides Chriſti, & paulatim ſanctiſſimæ matris eius ornamenta, & priuilegia tradenda.

S. Brigit.

Geneſ. 1. infra 2.

Ex varijs rationibus, & vrgentiſsimis coniecturis. §. IIII.

ILlam, tàm communem, quàm efficacem rationem primo loco appono, quæ ex verbis Diui Matthæi, cap. 27. deſumitur, dum teſtatur, Chriſto Domino reſurgente, multa corpora cum illo reſurrexiſſe: *Monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt*. Eos autem non iterum interijſſe, ſed immortalitate donatos cum Chriſto in Cœlum aſcendiſſe grauiſſimi Patres tradunt. Origenes libro primo ſuper epiſtolam ad Romanos. Diuus Clemens Alexandrinus libro ſexto Stromatum. Diuus Epiphanius hæreſ. 75. Diuus Ambroſius libro quarto de fide, cap. 1. ac tandem D. Anſelmus ſuper Matth. dum ait; *Qui reſurgente Domino reſurrexerunt, etiam cum illo aſcendente, ſimul aſcendiſſe credendi ſunt: nec vlla ratione illorum temeritati fides accommodanda eſt, qui poſtea illos reuerſos in cinerem dicunt*. Huius egregiā rationem tradit Sophronius, vel quicunque alius Auctor eſt, ſermone de Aſſumptione Virginis, quia *veri teſtes iſti non eſſent, niſi ad immortalem vitam fuiſſet eorum reſurrectio*. Vnde & Beatus Petrus Actorum ſecundo, dixiſſe legitur, cum de Dauid loqueretur: *Et ſepulchrum eius apud nos eſt*, quaſi non ſit auſus dicere, quòd ipſe, aut corpus eius apud ipſos eſſet, ſed tantum ſepulchrum; quia agnoſcebat illum iam reſurrexiſſe ad vitam immortalem. Si ergo Deus, quorundam famulorum ſuorum corpora, gloria, & immortalitate cumulata ſibi aſſociauit, credibile non eſt corpori matris ſuæ hoc ſingulare priuilegium denegaſſe.

Matth. 27.

Origenes.
D. Clem.
D. Epiphan.
D. Ambroſ.
D. Anſel.
Sophron.
Actor. 2.

Secundo, mihi efficax coniectura eſt, quam nemo ſanæ mentis abiecit, quòd corpus Beatæ Virginis nullibi in terra recondirum nouit Eccleſia Catholica, vt debitam ei (ſicut par erat) exhiberet venerationem. Etenim cùm Deus toties Sanctorum ſuorum corpora, vbi parùm honorificè iacebant, reuelauit, vt inde eruta magis cohoneſtarentur, ac maiori in veneratione haberentur. Vnde ſanctæ Crucis, Beatique Stephani reliquias detexit, & Beatorum Geruaſij, & Prothaſij corpora Beato Ambroſio aperuit: quorundam etiam ſepulchra, vt Clementis, & Catharinæ, Angelico miniſterio præparata, & exornata legimus: nec non aliorum Mauſolæa auro, & gemmis decorata, ac fidelium crebra viſitatione magnificata, variaque prodigia ad eorum præſentiam facta longa experientia docet. Cùm igitur Beatæ Virginis corpus dignius multo ſit cultu, & veneratione præ omnibus aliorum Sanctorum corporibus, nemo ſibi perſuadebit, Chriſtum Dominum hoc honore priuaſſe corpus matris ſuæ, ſi in terra permanſiſſet. Nec enim filius honori matris inuidet, aut ſacroſanctum illius corpus ſub caligine terræ latitare voluit, ne vt illud Moyſi adoraretur; cùm certè hyperduliæ adoratio propter excellentiam maternitatis diuinæ illi debita ſit. Vnde Diuus Bernardus ſermone de Aſſumptione, inquit: *Quoniam Sanctorum corpora precioſa Deus ſublimauit, utpote Petri, & Pauli, quæ tàm glorioſè venerabilia reddidit, & honore tum mirifico ſublimauit, vt & ipſis deputetur locus venerationi congruus, & ad ipſa Mundus properet vniuerſus. Si Maria corpus ſuper terram eſſe dicatur, cùm nec deuota frequentatione fidelium veneretur, nec eidem deputetur locus honoris, nimirum Chriſtus videbitur*

D. Bernar.

*bitur honorem materni corporis contempſiſ-
ſe, cùm tamen ſuper terram aliorum corpo-
ra ſic honoret*. hæc Diuus Bernardus, qui-
bus conſonant, quæ ſctibit D. Auguſtin.
D. Auguſt. ſermone de Aſſumpt. dicens: *Quia in vi-
ta præ cæteris illam gratia ſui conceptus ho
norauit, pium eſt, credere ſingulari ſalua-
tione eã in morte ſpeciali gratia honoraſſe*.

Luc. 2. Tertiò, ſi Dominus Marthæ hoſpite,
quæ domi ſuæ illum excepit ad tẽpus, tan
tum habuit honoris, vt eam cũ ſorore ſua
ſcriptis illuſtrauerit, & celebrauerit Euan-
gelicis. Si præſepe, in quo natus eſt ad ho
ram repoſitus, ita exornauit. Si Nazareth,
vbi conceptus, atque nutritus, tanta deco-
rauit gloria, vt cernere licet in domo Lau
retana, quæ in hanc vſque diem inclyta
eſt, & perilluſtris. Si Crucẽ, in qua tribus
tantum horis pependit, & ſepulcrum, in
quo ad tres dies mortuus iacuit, tantope-
rè ſublimauit; quod ferendum de matre
iudicium, quæ vera eſt Martha, tot annis
hoſpitans Dominum, verum præſepium,
in quo libenter reclinatus fuit filius Dei,
vera Nazareth, ex cuius viſceribus con-
ceptus eſt, animata Crux, præſentia
cuius in Cruce non minus Dominus af-
fligebatur, quàm externa; ſacroſanctum
ſepulchrum, quod ſpontè, magnaque cum
humilitate, ac fide, viuum Chriſtum ad
Mundi ſalutem profudit?

Quarto, quia diuinum præceptũ eſt de
Exod. 20. honorandis parentibus. Exod. 20. Deuter.
5. & Matth. 15. *Honora patrem tuum, &
Deuter. 5. Matth. 15. matrem tuam*. & Apoſtolus ad Ephеſ. 6.
Ad Ephеſ. 6 ſubiunxit: *Hoc enim iuſtum eſt*, ſcilicet,
iuſtitia naturali, iuxta Philoſophi ſenten-
8. Ethic. tiam 8. Ethic. in fine: nec non iuxta legẽ.
L. veluti ff. de iuſt. & iur. veluti, ff. de iuſt. & iure iuncto. §. legis
præcedentis. Cùm igitur Chriſtus Domi-
Matth. 5. nus non venerit ſoluere legem, ſed adim-
plere, manifeſtum eſt, non ſolum Patrem
Ioan. 8. honoraſſe, ipſo dicente, Ioan. cap. 8. *Ego
honorifico Patrem meum*; ſed & matrem
etiam; vnde & honorauit eam in vita, in
omnibus ei obediendo, vt ait Diuus Lu-
cas: *Subditus erat illis*. Honorauit eam
Ioan. 19. prope mortem commendans illam diſci-
pulo Ioanni: honoraſſe ergo illam poſt
mortem iuſtum erat. Nec ſufficit dicere,
honoraſſe eius animam, quia præter quã
C. ceterum, 86. diſt. corpori etiam matris honor debetur, &
beneficẽtia vt habetur, cap. ceterum, 86.
diſt: de tanti filij magnificentia quis ſibi
perſuadeat, dimidiatũ honorẽ matri ſuæ
tribuiſſe, animam ſolum, non corpus ho-
norans? Honorauit igitur, & glorificauit
corpus, & animam. Vnde B. Guaricus ſer- B. Guaricus.
mone 4. de Aſſumpt. in perſona Chriſti,
loquens, ait: *Ego ſum, qui Patrem, &
Matrem honorandos, filijs commendaui;
ego, vt facerem, quod docui, & exemplo eſ-
ſem alijs, vt patrem honorarem in terram* Exod. 20. & Matth. 15.
*deſcendi: nihilominus, vt matrem honora-
rem in Cælum reaſcendi, aſcendi: & præpa-
raui ei thronum gloriæ, vt à dextris Regis* Pſal. 44.
*Regina coronata conſideat, in veſtitu deau-
rato, circundata varietate*.

Quintò, quia ſi qua ratione quidam
olim dubitarunt de Beatiſſimæ Virginis
Aſſumpt. in corpore glorioſo, maxime
fuit propter vniuerſalem legem, quod in
die iudicij differenda eſt omnium Reſur-
rectio, iuxta illud D. Pauli: *Omnes quidẽ* 1. Cor. 15.
reſurgemus, ſed nõ omnes mutabimur. Hoc
autem infirmum fundamentum eſt ad id
Deiparæ Virgini denegandum, quia etiã
eſt, vniuerſalis illa lex lata: *Omnes naſci-
mur filij iræ. Puluis es, & in puluerem re-
uerteris. In dolore paries filios tuos*, & ſimi-
les aliæ; & tamen nemo Catholicus ne-
gat B. Virginem ſanctificatam fuiſſe in
vtero materno, atque adeò non eſſe natã,
filiam iræ. Nemo etiam Catholicus infi-
ciatur Dei genitricem abſque dolore, ſal-
ua integritate peperiſſe. Nemo tandem
Catholicus putat, ſacratiſſimum illud Ma
riæ corpus eſcam fuiſſe vermibus, & in ci
nerem redactum, licet alioquin de omni-
bus his lata ſit lex in contrarium. Si ergo
hæc Virgini collata priuilegia penſentur.
facilè quiſque ſibi perſuadet Aſſumptio-
nis in corpore glorioſo ſingulare priuile-
gium minimè Deiparæ fuiſſe denegatum
Vnde D. Aug. hanc rationẽ tangens ſerm.
de Aſſumpt. tomo 9. vbi poſtquam dixe- D. Auguſt.
rat: *Promeruit hoc ſingularis ſanctitas eius
& ſingularis gratia, qua ſuſceptione Dei
ſingulariter exiſtimanda eſt digna*, ſubiũ-
xit: *Non immeritò ergo excipitur à qui-
buſdam legibus generalibus, vera æſtima-
tione, quam tanta ſeruat gratia, & attollit
dignitatis prærogatiua*.

Sextò, quia ſi rectè perpendatur hoc
priuilegium Aſſumptionis Virginis in cor
pore glorioſo: maximè Deum decebat il-
lud eidem conferre, cuius potentia, quæ
olim corpus Enoch, & Heliæ ſeruauit, in

Geneſ. 1. hoc beneficio mirificè ſe oſtẽrat: illuſtrat deinde eius ſapientiam, ac in promiſſis 4. Reg. 1. fidelitatem, largiendo pro ſuo amore plu ra, quàm promiſit. Decet filium Dei, cu- 3. Reg. 1. ius honor eſt omnimoda gloria matris: vt enim ait Eccleſ. 2. *Gloria hominis eſt ex ho* Eccleſ. 3. *nore parentum*. Ad hæc conuenit Spiritui ſancto, quia *qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis*, vt ait Apoſt. *viuificauit & mortalia cor-* Rom. 8. *pora veſtra*; & vt præceſſit filij reſurrectio illam matris, & omniũ; ita illa matris debebat eam, quæ omnium eſt, præcedere. Contulit etiam ad decus Angelorũ, quos ſua aſſumptione, ac præſentia exhilarauit, Eccleſia Catholica canente: *De cuius* Eccleſ. Cath. *Aſſumptione gaudent Angeli, & collaudãt filium Dei*, ac ne habeant penes ſe dimidiam Reginam, ſed integram cor pore, & animo conſtantem. Denique propter nos ipſos ſummè id expediebat, tùm ad ſtabiliendam fidem in nobis de humana in vtroque ſexu glorificatione, & aſcenſione; tùm ob ſpem noſtram erigendam, dũ vita glorioſa à capite Chriſto per venerabile collum Virginis, ad nos tanquã mem bra deſcendit. Vnde Michael Glycas in epiſtola ad Alipium Monachum ſcitè dixit: Mich. Glyc. *Quemadmodum poſt primorum peccatum Parentum, corpora propter peccatum interitui facta ſunt obnoxia; & hinc huiuſmodi peſtis, & labes per omnem eorum poſteritatem permanauit: ſic modo duo corpora facta corruptionis ignara, & neſcia primitiæ fuere vitæ, quam expectamus ſempiternæ.* Tùm tãdem ob ebrietatem in nobis nutriendam, certamq; exauditionis præſtandam fiduciam, dũ cognoſcimus illam totam eſſe nobis intentam, & nihil de ſe, aut corpore ſuo ſollicitã. In quo oẽs alios planè vincit cœlites, quorum vota, & curæ partim ad ſeipſos corporis ſui vnionẽ expetentes, partim ad nos extenduntur.

Septimo, quia B. Virgo plenitudinẽ obtinuit gratiæ, non ſolum in anima, ſed & Luc. 1. Ibidem. in corpore, iuxta illud Gabrielis: *Aue gratia plena*. vnde illo dicente: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Manifeſtiſſimũ eſt ſuperueniſſe Dei virtutem, non ſolum in animam, ſed in corpus Deiparę, plenitudine gratiæ ei proportionata illam cumulantẽ. Caput eius plenum erat gratia, per iugem arcanorum contemplationem: facies eius plena erat gratia, adeò vt in intuentibus illam, libidinem extingueret, vt docet D. Ambroſ. de inſtit. Virg. cap. 7. D. Ambroſ. Plena erant gratia labia eius, ad imitationem filij ſui, de quo Dauid cecinit: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis*. Tanta fuit gratia labiorum eius plenitudo, vt ad pauciſſima illa verba: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, Luc. 1. ipſe Auctor in virgineum thalamum deſcenderet, vt ex eo carnem aſſumeret; ad vnicam eius ſalutationem in domo Zachariæ repleta fuerit gratia Eliſabeth, & Ioannes in vtero materno ſanctificatus: *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth.* Luc. 1. Aures eius plenæ erant gratia, quæ audire meruerunt, non ſolũ Angelica colloquia, ſed & dulciſſima verba Chriſti, tàm infantis, quàm pueri, quã iuuenis. Manus eius plenæ erãt gratia, quæ millies corpus Domini gratię fontem contrectauerunt. Plena erant gratia viſcera, & vbera Mariæ, vt coram omni populo ingenuè faſſa eſt mulier illa, quæ exclamans dixit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*. Luc. 11. Cum igitur plenitudinẽ gratiæ correſpondeat plenitudo gloriæ, certè cum Deipara Maria plenitudinẽ gratiæ obtinuerit in anima pariter, & in corpore, æquum erat, vt ei in vtroque correſponderet plenitudo gloriæ. Quod ſi quiſpiam mihi dicat, debitum quidem eſſe huiuſmodi plenitudinem, ſed ſuo tempore dandam in communi omnium reſurrectione. At quis ſibi perſuadeat, pijſſimum, & gratiſſimum filium matri ſuæ, id diſtuliſſe dare, quod vnuſquiſque noſtrum, ſi in eius poteſtate eſſet, vellet matri ſuæ impertiri? maximè, quòd ſi (vt Theologi concedũt) B. Virgo meruit accelerationem conuerſionis aquæ in vinum, nec nõ accelerationem reſurrectionis Chriſti Domini; ſatis vtrique cum ratione coniunctum eſſe cenſendum eſt, accelerationem gloriæ ſui corporis ſimiliter meruiſſe. Etenim B. Virgo adeò ſollicitam curam exhibuit in implẽda in omnibus, & per omnia voluntate filij ſui, vt per illam mereretur impleri ſibi non ſolum appetitum elicitum glorificationis ſui corporis; ſed & naturalem, innatum, & congenitum, quem anima habet ad vnionem cum ſuo corpore.

Octauo, quia omnis incuria, & inurbanitas lõgè à Chriſto Domino releganda eſt,

eſt, quem ſumma comitate præditum eſſe nemo ambigit; quis autem non videat inurbanitatem filij eſſe, precioſa veſte matrem ſpoliare? Sanè corpus, veſtis eſt, & indumentum animæ. Ergo ſi B. Virgo filio Dei in terram deſcendente indumento corporis humani illum veſtiuit, ita ne inurbanus ſuſpicandus eſt filius, vt matre ſua Cœlum ingrediente velit eam corporis ſui veſte expoliare? Illa domi ſuæ contulit ei corpus, & ipſe domui ſuæ auferet ab ea corpus? abſit, immò dabit, & non vtcumque, ſed ſplendidum, ſed immortale, ſed pulcherrimum. ſed varijs gloriæ dotibus, velut gemmis, & precioſis margaritis exornatum.

Ioan. 20.

Vltimo, quia ſi Chriſtus Dominus dixit: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic, & miniſter meus erit*, conſequens eſt, vt Virgo Deipara, quæ præ omnibus alijs impenſius Chriſto in carne ſua miniſtrauit: ſanguinem ei præbens, vt verbum caro fieret: lac ei propinans, vt natam prolem nutriret: pueritiā illius alens, in vita eius illū concomitans, in paſſione cōpatiēs, in morte aſſiſtēs modo illa ſit cum Chriſto, vt vbi ille eſt, ibi ſit vigilantiſſima eius miniſtratrix. Hanc rationem, quia eleganter proſequitur D. Auguſt. ſerm. de Aſſumpt. nolo lectorem verbis eius fraudare. Sic ille loquitur: *Suis miniſtris ipſa veritas ait: Qui mihi miniſtrat me ſequatur, & vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit. Si enim hac eſt generalis ſententia omnium, per fidem, & bonam operationem Chriſto miniſtrantium, quanto magis quodammodo ſpecialius eſt Mariæ? Mariam namque operis exhibitione, & ſi dei rigidiſſima veracem miniſtram Chriſti fuiſſe, omnis, qui ſanè ſapit, intelligit. Abſque dubio enim omni operi miniſtratrix extitit, quæ hunc in vtero geſſit, partuq; profuſum aluit, & fouit; atque vt Euangelium ait, in præſepio reclinauit, & à facie Herodis in Aegyptum fugiens abſcondit; & omnem infantiam eius pro matris affectu ita proſecuta eſt, vt vſque ad Crucem, in qua filium iam virum perfectum vidit pendentē, ab eius indubitanter miniſterio nō receſſerit conſecuta eum non ſolum greſſibus pedum, tanquam pro reuerentia Dei; verum etiam imitationis affectu. Maria ergo miniſtratrix Chriſti ſpiritualium operum qualitatibus, ſicut deuotiſſima extitit, ita abſque dubio Religionis fide, ideſt vera credulitatis charitate ſecutrix fuit. Non enim potuit, niſi diuinitatis eius eſſe credula, quæ ſe nouerat hunc nō virili ſemine ſecundum ordinem naturæ, ſed diuino ſpiramine, nunciante Archangelo, concepiſſe, videns ſemper famulantium Angelorum ei adeſſe frequentiam, vt concepto, & nato, quando videlicet facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis exercitus clamantium, & dicentiū: Gloria in Altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; & in Aegyptum fugituro, atque inde iterum redituro. Quibus liquido cognoſcere potuit, quia talia obſequia nonniſi Deum decuerant. Vnde & ſtellæ demonſtratio, & Magorum de longinquis partibus inſpirata adductio, quā maximè illi extitit indicium veritatis. Similiter Symeonis, atque Annæ Prophetali dignitate, inſolitus ceteris, & huic ſpecialis occurſus. Quæ omnia profectò Maria conſeruans his cunctis altius ad finem roborata, pio corde conferebat, in tantum, vt omninò non mutabunda, ſed certa de filij poteſtate tanquam de Dei vera virtute, deficiente in nuptijs vino, dixerit: Vinum non habent. Sciens planè hoc illum potuiſſe, quod cùm mox contigit, diuino miraculo compleuiſſe. Ecce igitur Maria fide, & opere Chriſti adminiſtratrix, & deuota vſque ad eius mortem ſecutrix, non plus greſſu, quàm imitationis affectu, vt credendum eſt: ſi ibi non fuerit, vbi Chriſtus miniſtros ſuos vult eſſe, vbi ergo erit? & ſi ibi erit, vbi æqua Dei menſura, quæ vnicuique reddit ſecundum ſua merita? Si ergo meritò Mariæ viuenti præ omnibus donata eſt gratia, mortuæ erit minuenda? abſit, quia, ſi omnium Sanctorum mors eſt precioſa, Mariæ ſanè eſt precioſiſſima, quam tanta comitata eſt gratia, vt mater Dei dicatur, & ſit. Conſideratis igitur his vniuerſis, vera ratione confitendum cenſeo Mariam in Chriſto, & apud Chriſtum eſſe*, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Auguſt.

Luc. 2.
Matth. 2.

Homilia XIV.

Proſequimur magnitudinẽ gloriæ accidentalis Deiparæ Virginis, vbi de ſublimitate throni, ad quem ex die Aſſumptionis fuit euecta, ac de multiplici corona, qua ad dexteram Filij ſedẽs fuit coronata, diſſerimus.

D. Bernardinus.

DIuus Bernardinus impa rem ſe agnoſcens ad prædicanda Beatiſſimæ Virginis præconia, ſermone de Aſſumption. in hæc verba prorupit: *Quibus laudibus ſeruitus hominum Reginam efferet Angelorum? Quæ præconia dilatet mortalis anguſtia, vel officia ſubminiſtret, cui cœleſtia parent, & famulantur obſequio cœlici Ciues? Quæ feret exenia, quas laudes attentet humana penuria; cuius gloriam Angelicæ mirantur, & prædicant poteſtates? Quibus dignam honoribus plauſus hominum acclamabit in terris, quã ſpirituum agmina beatorum iugiter venerantur in Cœlis? Non eſt profectò facultatis humanæ, Virginem glorioſam, vt meretur, efferre: nobis, qui votum gerimus obſequendi, talem credere ſufficiat, tantamque fateri, quantam nullus homo valeat explicare.* Verùm licet omnem facultatem, etiã Angelicam, cęleſtia chariſmata in dię triũphantis Mariæ Aſſumptionis Virgini collata, longè tranſcendant, ne tamen tãtę matri, ac de nobis tã benemeritæ ingrati eſſe videamur, adnitendũ nobis eſt, eã celebrando manifeſtare, & manifeſtando celebrare. Etenim hæc dies eſt, in qua mulier illa (Apocal. 12.) cui inſidiabatur draco, glorioſis corporis dotibus, velut pennis in Cœlum euolauit. Hæc dies, in qua myſtica arca Noè (Geneſ. 8.) tranſacto diluuio ſuper montes cœleſtis Armeniæ aſcendit. Hæc dies, in qua candida, ac ſimplex columba ramum oliuæ (Ibidem.) deferens pacis, & victoriæ ſymbolum ad arcam Noe rediit. Hęc dies, in qua fortiſſima Iudith (Iudith. 15.) contrito capite, non Holofernis, ſed truculentiſſimi omnium hoſtis Luciferi, communi omnium ſpirituũ applauſu excepta, ſupernam Hieruſalem ingreditur, cunctis acclamantibus: *Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri.* Hęc dies, in qua nubecula illa ſurſum aſcẽdens, Eliæ deſideratæ (3. Reg. 1.) pluuiæ certã ſpem dedit. hæc eſt dies illa, in qua vera Regina Eſther in Aſſueri palatiũ, (Eſther. 2.) Regio diademate ab eo coronanda venit. Hæc dies illa, in qua eadem Regina Eſther Regis cubiculum ingreditur, vt Hebræos (Eſther 8.) morti adiudicatos à tanto malo liberet, ac impium Amanem tantum ſcelus machinantem funditus perdat. Hæc dies (3. Reg. 2.) eſt illa, in qua pulcherrima Berſabee ad thronũ pacifici Salomonis euehitur. Hæc (2. Paral. 5.) dies illa, in qua percelebris, ac veneranda teſtamenti arca cum ſummo iubilo in honorifica collocatur ſede. Hæc eſt dies illa, in qua prudentiſſima Abigal obuia facta (1. Reg. 25.) ſupremo Regi Dauid contra Nabalem ira percito, illum ſedauit, ac omnem iracundiam deponere fecit. Hæc dies, in qua mater (Iud. 14.) veri Sampſonis dulciſſimum fauum mellis cœleſtis gloriæ lætanter accepit. Hæc dies, in qua ſapientiſſima Debora aſcendit in Cades, quæ *ſanctitas*, interpretatur, (Iud. 4.) vt aduerſus hoſtes populi Dei, pugnam doceret, & victoriam daret. Ac tandem, vt verbis Diui Bernardi ſerm. de Aſſumpt. loquar: (D. Bernard.) *Sublimior eſt iſta dies, & ſplendidior Sole refulgurans, in qua Virgo Regalis ad thronum Dei Patris euehitur, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita, naturam etiam Angelicam ſollicitat ad videndum. Tota cõglomeratur Angelorum frequentia, vt videant Reginam ſedentẽ à dextris Domini virtutum in veſtitu deaurato, & in corpore immaculato, circundatam varietate gratiarum, & diſtinctam multiplicitate virtutum.* D. Auguſtinus etiam homilia 3. (D. Auguſt.) de Aſſumptione, inquit: *Adeſt nobis dilectiſſimi fratres, dies valde venerabilis, dies omnium Sanctorum ſolemnitatẽ præcellens. Adeſt, inquam, dies inclyta, dies præclara, dies, in qua è Mundo migraſſe creditur Virgo Maria, & ideò laudes intonet vniuerſa terra, cum ſumma exultatione tãtæ Virginis illuſtrata exceſſu, quia indignum valde eſt, vt illius recordationis ſolemnitas ſit apud nos ſine maximo honore, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere.*

Ad

Ad rem tamen proximius accedens:
Certè proficiſcente Beata Virgine ab hoc
ſæculo; cuius fauore, & interceſſione
cuncta ſunt reſtaurata: tàm terreſtria, quã
cęleſtia, cuperent, vt pia cogitatione per-
pendo, omnia elementa, vniuerſi orbium
planetæ, cũcti denique Angelorum chori,
vt ſecum Dei mater cõmoraretur. Terræ
elementũ noluiſſet tanto theſauro expo-
liari: ſed cęleſtẽ Virginẽ omnis terreſtris
affectus ſemper experiẽ, terræ perpetuam
incolam eſſe non decebat, maximè Oſea
Oſee 4. dicente: *Non eſt veritas, non eſt miſericor-
dia, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledi-
ctum, homicidium, furtum, & adulterium
inundauerunt ſuper terram*, puriſſimæ autẽ
Virgini impurus locus non congruebat.
Elementũ aquæ, quod à Mũdi primordijs
Spiritus ſanctus honorauerat, Moyſe dicẽ-
Geneſ. 1. te: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:*
& cuius fluctus pedes Chriſti Domini, cũ
ſuper mare ambulauit, calcauerant, Virgi
nis præſentiã deſiderabat. Sed neque hic
locus ei conſentaneus erat, miſericordiſſi
mæ enim, & mitiſſimæ matri, aquæ elemẽ-
tũ, piſcium habitaculũ, ingenita quadam
immanitate vſque ad deuorationẽ ſe per-
ſequentium, minimè conuenire poterat.
Aeris elementũ propria diafanitate, ac ſo
laris aſtri luce, & ſplendore rutilans, Vir-
ginis domicilium eſſe vellet: at cũ tenebra-
rum caligine quotidie obſcuretur, aptus
locus non erat Virgini, quæ peccati tene-
bras ſęper neſciuit; maximè quòd in me-
dio aere non pauci commorantur dœmo-
2. ſent. diſt. 6. nes (vt Theologi docent, 2. ſent. diſt. 6.)
quæ autem conuentio lucis ad tenebras,
& Mariæ ad Belial? Elementum ignis ar-
dentis charitatis ſymbolum, & cuius no-
Hebr. 12. mine Deus ipſe inſignitur: *Deus noſter
ignis conſumens eſt*, & quod reliquis ſubli-
mius eſſe noſcitur, conſentaneum videba-
tur in habitaculũ Virginis aſſumi; tamen
D. Dion. cùm ignis, vt Auctor eſt D. Dion. de An-
gel. hierar. in ſua ſphęra deliteſcens ſplen
doris radios non mittat, propter defectum
materiæ, non ſolum Virgini indecens, ſed
& contrarius locus erat, cum nihil ſibi fa-
miliarius eſſet, quàm verbo, & exemplo cę
leſtis doctrinæ radios in omnes effundere.

Ad hæc: cum B. Virgo in die Aſſumpt.
ſuæ elementa omnia pertranſiſſet, Cęlum
Lunæ, quod primò occurrebat, habitatio-
nem Deiparæ fieri exoptabat, tum quòd à
Ioanne viſa fuiſſet Lunã pedibus ſuis cal-
Apocal. 12. cans: *Et Luna ſub pedibus eius*: cum etiam
Cant. 6. quia ipſa a ſponſo, *pulchra vt Luna*, fuerat
compellata. At cum Luna inconſtans, &
variabilis, & nõ ſemel eclypſim patiatur,
Dei genitricem, quæ in bono ſemper fuit
confirmata, & diuina gratia conſtabilita,
huiuſcemodi locus minimè decebat. Aſcẽ
dit ergò Virgo ſuperius ad Cœlum Mer-
curij. Et quidem cùm Mercurius *Deus ſa-
pientiæ, & eloquentiæ*, nuncupetur, quia,
Ptolemæus. vt docet Aſtrologorum princeps Ptole-
mæus; natos in eo ſigno reddit ſtudioſos
& facundiæ amatores; ad quod alluden-
Actor. 14. tes Lycaonij, vt legimus Actor. 14. Pau-
lum, ob miram eius eloquentiam, & in di-
cendo facundiam, *Mercurium* appella-
runt; & cùm etiam Mercurius velociſſi-
mus ſit in ſuo motu, vnde à Poetis *Deo-
rum curſor* dici conſueuit, conſentaneus
Virgini hic Mercurij locus videbatur, quæ
ad brauium ſupernæ vocationis velocius
omnibus cucurrit. Ceterum, ſi rem altius
contemplemur, minimè conſentaneus iu-
dicabatur: nam præter quàm Poetarũ de-
lyramenta prætериens aſſerentium; Mer-
curium ea infamiæ labe deturpatũ, quòd
cum Venere congreſſus fuiſſet; certè, vt
S. Iſidor. Sanctus Iſidorus adnotauit, id referente
Geminiano, lib. 1. de Cœlo, & elemen-
tis cap. 77. Mercurius *Deus paleſtræ*, di-
ctus eſt, quia cum Sole luctatur, eum vin-
cere tentans. Beata autem Virgo nullam
vnquam cum Sole iuſtitię pugnam iniuit,
ſed abſque vlla rebellione ſummo humi-
litatis affectu ſemper ei ſe ſubiecit. Hinc
igitur aſcendit Beata Virgo ad Cœlum
Veneris planetæ, cuius cum proprium
Miſael. Ptolemæus. ſit, vt tradunt Miſael, & Ptolemæus de
Planetarum natura agentes, diſponere
ad pulchritudinem, & inclinare ad pudi-
cum amorem, non videbatur incongruum
domicilium Virgini, quæ de ſe ipſa dicit:
Eccli. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis*. At cum
Venus, vt eſt in omniũ ore, laſciuiam præ-
ſeferat; vnde Poetæ dixerunt, Venerem
cũ Troiano Anchiſe, & Mercurio adulte-
Aeneid. 1. rium commiſiſſe, cuius & meminit Virgi-
lius, pudiciſſimæ, integerrimæque Virgini
hic locus aptus eſſe non poterat. Scandit
ergo ſuperius Beata Virgo, accedens ad
Cœlum Solis, & cum ipſa in ſacra Scri-
Pſal. 18. ptura *Sol* vocetur, Regio Vate canente:
In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ſpon-

Cant. 6. ſo in ſuo epythalamio dicente: *Pulchra, vt Luna, electa, vt Sol.* Cui accedit, quòd cùm hic planeta communis ſit parens omnium viuentium, & ſuper bonos, & malos lumen ſuum diffundere nō perhorreſcat, vtique videbatur conueniens locus Virgini, quæ *Mater omnium viuentium*, vocatur. At ſi Eccleſiaſt. audiamus dicentem:
Eccleſ. 26. *Sicut Sol oriens è Mundo, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ*; facilè inde deprehendemus, multo ſuperiorē eſſe domicilio Solis domum illam, quā ſpeciei ſuę pulchritudine ornatura Virgo dicitur. Quare ſuperius aſcendens Virgo, ingreſſa eſt cęlum Martis; Sanè proprietas huius planetę inuitare videbatur Virginē, vt in eo moraretur; nam huiuſmodi planeta, *Deus belli* nuncupatur, eo quòd ortos ſigno hoc prædominante, fortes, audaces, & ad victoriam de hoſtibus reportandā faciles reddat. B. autem Virgo, *terribilis, vt Caſtrorum acies ordinata*, à ſpōſo
Cant. 6. appellatur, & turri Dauidicæ contra Damaſcum reſpicienti eò, quod ſolo ſuo aſpectu fortiſſimos quoſque hoſter deterreret, illam comparat. Sed neutiquam in Marte dulciſſimæ matri ſedem ſuam figere conueniebat, cùm hic planeta ad cordis amaritudinem, & iracundiam prouocet, rixas, & conturbationes commoueat; Deipara autem Virgo concordiæ, & pacis amatrix, & cultrix ſemper extitit. Vnde Cāt. 8. ait:
Cant. 8. *Facta ſum coram eo quaſi pacem reperiēs*.
Pſal. 18. Quod ſi Dauid: *Pax multa* (inquit) *diligentibus legem tuam*, & Salomon: *Quoniā*
Sap. 3. *donum, & pax eſt electis Dei*, non potuit non eximia pace perfrui B. Virgo, quæ ardentius omnibus legem Dei dilexit, & celſitudine ſuæ electionis in matrem Dei, inter omnes electos, vno Chriſto excepto, primatum tenet. Immò cum Regius Vates
Pſal. 75. de Dèo dicat: *Factus eſt in pace locus eius*, & B. Virgo locus fuerit, in quo requieuit,
Eccleſ. 24. ipſa dicente: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; conſequens fit Mariam non ſolum pacis amatricē, ſed pacē ipſam nuncupari. Pergit deinde Virgo ſuperius ad cœlū Iouis, quia *Iuuans pater* interpretatur, cuius cùm proprium ſit inter alias eius proprietates, ad honeſtatem mouere, & naturalem malitiam Saturni compeſcere, ſympathiam quandam hic locus cū B. Virgine habere videbatur: tū quod ipſa dicat: *Flores mei, fructus honoris, & ho-*
Ibidem. *neſtatis*; tùm quia conterens caput antiqui ſerpentis, iuxta diuinum oraculum:
Geneſ. 3. *Ipſa conteret caput tuum*, Luciferini Saturni malitiam, & prauitatem reprimit, & compeſcit. Sed reuera Virgini non erat congruus hic locus, quia (vt Aſtrologi docent) Iupiter in duodecimo ſigno portendit ſeruitutem, triſtitiam, & paupertatē: B. autem Virgo in cœlum aſſumpta ingenti gaudio, ac ſummis diuitijs affluens, cęli cacumina tenet, omnia, tàm terreſtria, quàm cœleſtia Regali ſui ſceptri Imperio ſubdens. Progreditur vlterius B. Virgo in Saturni cęlum conſcendens, quod ea ratione videbatur aptum Virgini domiciliū quòd Saturnus ad ſcientiam, & doctrinā diſponit, nec non ad magnas diuitias cōgregandas. B. autem Virgo ſapientiſſima Eccleſiæ magiſtra ſemper extitit, & ad illam Salomon dixit: *Multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, tu vero ſupergreſſa es vniuerſas*. Verum cùm aliunde Saturnus, Prouerb. vlt.
vt tradit Auctor libri de proprietat. rerū, Auct. de proprietat. rerum.
planeta ſit malencolicus, maleuolus, nocturnus, & ponderoſus, falſidicus, atque inſtabilis, vnde, & ſenex depingitur, facie turpi, & colore liuido, & (vt dicunt Aſtrologi) fœtus ſub huius planeta, conſtellatione conceptus, vel facile interijt, vel peſſimis qualitatibus affectus ſuperſtes manet; manifeſtè hinc fit, Incongruū eſſe hunc locum Virgini, à qua illa omnia longè abeſſe nemo diffitetur. Ingreditur poſt hæc B. Virgo cœlum ſtellatum, quod apta ſatis videbatur Virginis habitatio, quia, & *ſtella* nominatur, & per ſtellam fuit præfigurata: *Orietur ſtella ex Iacob*; Num. 24.
& ſtellis coronata viſa eſt à Ioanne: *Et co-* Apocal. 12.
rona duodecim ſtellarum in capite eius. Ceterum; neque ibi Virginem manere decebat, quia cœlum hoc, ſicut & reliqui, ſemper mouetur, & inſtabile eſt. Vnde Ariſto- Ariſtot.
teles dixit in libris de cauſ. elemen. cœlū hoc inquietum eſſe. Beata autem Virgo, Eccleſ. 24.
quæ de ſe ait: *Et ſic in Sion firmata ſum & in Ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui*; inquietem, & inſtabilitatem maximè execratur. Procedit vltra Dei genitrix ſuper cœlum chriſtallinum ſcandens, de quo Magiſter Sententiarum in 2. diſt. 13. Mag. Sent.
ex ſententia Venerab. Beda, ait, factum eſſe ex aquis inſtar ſolidiſſimi, & fulgentiſſimi chryſtalli, Per quod quia aptè fœcunda Virginitas Mariæ delineatur, aptus

Digitized by Google

aptus hic locus videri poterat. Etenim, ſicut radius Solis chryſtallum ingrediens, & per illud pertranſiens, ſoliditatem eius nec infringit, nec minuit, ſed potius decorat, & ſplendidius reddit; ita filius Dei virgineum matris thalamum in Conceptione ingrediens, & in Natiuitate penetrans, non ſolum integritatem eius non violauit, ſed cohoneſtauit amplius, & illuſtriorem reddidit. At cùm Cœlum hoc chryſtallinum Angelorum loco inferius ſit, nō decebat Mariam Angelorum dominam ſedem ſuam ibi firmare. Tandem aſcendit Beata Virgo ad Cœlum empyreum vniuerſorum orbium ſupremum, quod in hunc modum per reuelationem Ieſu Chriſti, deſcripſit Diuus Ioannes. *Ipſa verò Ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri Ciuitatis omni lapide precioſo ornata, & portæ eius erant ex Margaritis, & plateæ Ciuitatis, aurum mūdum. Hæc Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, quia nox non eſt illic: nam claritas Dei illuminat illam, & lucerna eius, eſt Agnus. Portæ Hieruſalem ex ſaphyro, & ſmaragdo, & ex lapide precioſo omnis circuitus muri eius, & per vicos eius cantabitur, alleluia.* Hanc cœleſtem aulam ingredientem Beatam Virginem contemplor præ admiratione pulchritudinis illius, dicentem illud Dauidis patris ſui: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*, necnon & illud. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.*

Apoc. 21.

Pſal. 83.

Pſal. 131.

Ceterum quia in Cœlo Empyreo magna ſedium diuerſitas eſſe noſcitur, iuxta illud Chriſti Domini: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; oportet explicemus quanta ſit ſublimitas, & celſitudo loci, quem Deipara in cœleſti Patria occupat. Potiori quidem iure, quàm elementa, & cœleſtes omnes orbes, ac planetæ, cuperēt Sanctorum omnium ordines, qui tunc cœleſtis patriæ incolæ erant, Beatam Virginem apud ſe commorari. Tamen *quemadmodum*, vt verbis B. Laurentij Iuſtiniani vtar, *nullus mortalium, quamuis donorum cœleſtium numeroſitate ſit præditus, Virgini valet coæquari: Patriarcharum vtique, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrū, Virginum, omniumque Sanctorum merita Beata Maria tranſcendit*; ita conſequenter cū præmium ſit iuxta menſuram meritorum, ſolium B. Virginis celſitudine, & maieſtate reliquorum omnium Sanctorum ſedes præcellat, neceſſe eſt. Quare omnes illorū manſiones pertranſiens, Angelicos choros ingreſſa ſinguli excellētiam tantæ Matris ſuper omnes puras Creaturas non ignorātes, acclamarunt: conſcendat Maria ſuper nos omnes. Tranſcēdit ergo primo Chorū Angelorum, nam ſi ipſi ſingulorum hominum cuſtodes ſunt, Virgo non vnius, aut alterius, ſed Vrbium, & Prouinciarum cuſtos eſſe perhibetur. Tranſcendit chorum Archangelorum, nam ſi horum munus eſt, Vrbes, & Prouincias cuſtodire, iuxta illud Iſaiæ: *Super muros tuos Hieruſalem conſtitui Cuſtodes*, ideſt, *Archangelos*, vt interpretatur Gloſſa, Virgo cuſtos eſt vniuerſi: ita vt nemo ſit *qui ſe abſcōdat à calore eius.* Tranſcendit chorum Principatuum, quia ſi iſti Principibus præſunt, eiſque ſpeciali ratione ſuperintendunt certe Beata Virgo ſublimius id præſtitit, quæ non ſolum præfuit Principibus, & Regibus, ſed Regi ipſi immortali. & inuiſibili, ſub humana carne latenti, cum ſubditum ſibi haberet Ieſum, Diuo Luca dicente: *Subditus erat illis.* Tranſcendit chorum Poteſtatum, quia ſi horum ſpirituum munus eſt, aduerſis poteſtatibus principari, & eorum effrenem audaciam infringere, nemo ignorat Beatā Virginem omnes dœmonum poteſtates, tam in excelſo aere, quàm quæ in inferno commorantur, proſternere, calcare, ceprimere, & Imperio ſuo ſubiugare, ipſa dicente: *Omnium ſublimium, & excelſorum colla propria virtute calcaui; & profundum inferni penetraui.* Tranſcendit chorum Virtutum, quia ſi harum proprium eſt, ſtupenda miracula parare, quibus diuina virtus magis innoteſcat; certe Beata Virgo officina miraculorum eſſe perhibetur, cùm creatura generaret Creatorē, & Virgo manens, mater ſui patris eſſet, & quem Cœli capere non poterant ipſa ſuo gremio contineret; ac tandem illum, qui totum Mundum paſcit, ipſa proprio lacte pauiſſet. Vnde non ſolum Rupertus Abbas, Virginem vocat *Virtutum operatricem*, ſed & ſanctus Ignatius martyr, appellat *ſacratiſſimum monſtrum*, & *cœleſte prodigium*: nec non Diuus Ephrem *præſtantiſſimum orbis terræ miraculum*. Tranſcendit deinde chorum Dominationum; quia ſi officium

Ioann. 14.

B. Laur. Iuſt. Ser. de natiu. Virg.

Iſai 62. Gloſſa.

Pſal. 18.

Luc. 2.

Eccl. 24.

Rupert.

S. Ignatius

S. Ephrem.

D. Iſidor. cium earum eſt, vt tradit Diuus Iſidorus 7. Ethymologiarum inferioribus ſibi Angelis præſidere, & imperare, eoſque ad varia miniſteria obeunda deſtinare, & mittere: Zacch. 2. Vnde Zaccharias refert, quendam Angelum præcepiſſe alteri: *Curre cito ad puerum iſtum*; certe Beata Virgo, cum ſit omnium Angelorum Regina, omnibus illis indiſcriminatim præeſt, omnibus imperat, omnes illi ad nutum ei obediunt. Tranſcendit chorum Thronorũ, quia ſi, vt docet D. Iſidor. D. Iſidorus lib. 7. Ethymologiarum. *Throni ſunt agmina Angelorum ſic vocati, quia Conditor illis ſedens præſidet, & ſua iudicia per eos diſponit*, iuxta illud Dauid. Pſal 9. Pſal. 9. *Sedet ſuper thronum, qui iudicat iuſtitiam*; munus autem hoc Throni excellentius omnibus præſtiterat Maria, cuius virgineus vterus per nouem menſes thronus fuerat, & regia ſedes pacifici Salomonis, ſub tenella infantuli carne latentis. Tranſcendit etiam ſacra Virgo chorum Cherubinorum, in quibus licet diuinorum præcipue ſcientia effulgeat, longè tamen illa ſuperior ſciẽtia Virginis fuit. Etenim ſicut Deus plenitudine gratiæ, ita & plenitudine ſcientiæ, quæ mater erat ſapientiæ increatæ, eam donauerat. Tranſcendit denique Seraphinorũ chorum; nam quãuis hi ardentibus amoris flãmis exæſtuẽt, ardentioribus tamen Marianum cor flagrabat: Cant. 2. *lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*: cùm non ſolum Chriſtum tanquam Deum, ſed tanquam filium proprium intẽſiſſimo diligeret amore, in quo creaturam vllam, nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. D. Thom. Igitur beatiſſima Virgo, quemadmodum & Chriſtus Dominus iuxta ſententiam Angelici Doctoris, Hebr. 7. *excelſior Cælis factus*, vt loquitur D. Paulus, pedum ſuorum plantis conuexam, ac ſupremam Empyrei Cœli ſuperficiem contingit; ipſa etiam ad idem Cœli faſtigium euecta fuit, vt palam dixit ſancta Leocadia in templo Hiſpaniæ Toletano D. Ildephonſo. *Per te viuit Domina mea, quæ Cæli cacumina tenet*: omnia etenim filius, quæ Cœli ambitu continentur ſubiecit pedibus matris ſuæ. Vnde non ſolum proſpicit ſub pedibus ſuis elementa, mixta, plantas, aſtra, ſydera, orbes cœleſtes; ſed & vniuerſam Eccleſiam tam militantem, quam triumphantem, vt non obſcurè indicant verba Eccleſiaſtici: *Aedificatio Ciuitatis confirmabit nomen, & ſuper hanc mulier immaculata computabitur*. Eccl. 40. Etenim ſuperna illa Ciuitas cumulatius multò, quàm hæc noſtra, honorificum *Mariæ* nomen ſemper concelebrat. Super hanc autem Ciuitatem mulier hæc immaculata, corpore, & anima conſtituta eſt, vt præſit ei, tamquam vniuerſalis omniũ domina.

Verùm dicet quiſpiam: cùm ſinguli beati ad ſingulos Sanctorum ordines pertineãt, & ad ſingulos Angelorum choros aſſumantur, vt vacuas eorum, qui cum Lucifero ceciderunt, ſedes impleant: videtur ſanè Beata virgo non ab illis ſegreganda, ſed ad aliquem eorum ordinem redigenda, licet alioquin cũctis ſit ſuperior. Ceterum non ita ſe res habet, Beata enim Virgo ob celſitudinem ſuorum meritorum, & ob ſingulariſſimam Dei genitricis dignitatem, ſpecialem chorum in conſortio filij ſui ſibi vendicabat. Scio multorum eſſe opinionem, Beatam Virginem in cœleſti Patria ſpecialem Hyerarchiam, ſeu chorũ per ſe ſolam conſtituere: antiquus enim Author Pomerij ſermonum de Beata Virgine lib. 10. par. 2. ar. 1. cap. 3. hæc ſcribit: Author Pom. *Aliquorum eſt opinio dicentium, quòd Beata Maria eſt ſuper omnes Angelos, & beatos, ac ſuper ordinem omnium Creaturarum in quarta Hierarchia ſoli, Beatæ, & Mariæ propria; quæ non ſolum dignitate, ſed etiam loco ſit infrà diuinam Hierarchiam vbi Chriſtus eſt in Dei dextera, tanquam mediatrix inter Deum, & Creaturas*. Et Cancellarius Pariſienſis ſuper *Magnificat* Gerſon. tract. 4. inquit. *Virgo ſola cõſtituit Hierarchiam ſecundam ſub Deo trino, & vno Hierarcha primo & ſummo, apud quem Hierarcham humanitas filij ſui ſola ſublimata ſedet à dextris virtutis Dei per vnitatem ſuppoſiti*: & Barradius tom. 1. lib. 6. Barrad. cap. 12. eidem ſententiæ ſubſcribens ait: *Deus bone, tantæ Reginæ aduentu cælum mutatur: nouem hactenus erant Angelorum chori, ijs vnus ceteris omnibus celſior additur: ſupra Angelorum nouem choros Virginis collocatus eſt thronus, eaque ſola vnum eumque ſupremum chorum effecit*. Et nouiſſimè inſignis Theologus, Franciſcus Franciſ. Suar. Suarez 3. par. q. 37. art. 4. diſp. 21. in calce illius inquit: *Tandem ſequitur, Beatam Virginẽ ita in omnibus excedere alios beatos, vt ſub Chriſto, ipſa ſola ſpecialem ſedem, & ſingularem chorum in beatitudine conſtituat;*

ſtituat;

Digitized by Google

ſtituat. In ordinibus enim Angelorum ſanctorum, nouem Chori diſtinguuntur miniſterijs, & operationibus diſtincti: ſancti verò homines, vel ſub illis ordinibus collocantur, vel certè in illis ordinantur, & conſtituuntur. Nam (vt Theologi docent in 2. d.9.) ad ſingulos ordines Angelorum aliqui homines aſſumuntur; at verò Beata Virgo, quoniam habuit ſuperiorem dignitatem, quæ altioris eſt ordinis, & miniſtrorũ ſtatum excedit, ideò per ſe ſingularem chorũ conſtituit, & hoc modo dicitur ab Eccleſia exaltata ſuper omnes choros Angelorum tanquam omnium Domina, ac Regina. Verum ea ratione horum ſententia mihi non arridet, quia tam Hierarchia, quam chorus pluralitatem perſonarum ex propria ratione poſtulant. Sicut enim de ratione exercitus, eſt multitudo militum; ita de ratione chori, & Hierarchiæ, multitudo adſtantium. Quare & rationi magis conſentaneũ, & Deiparæ Mariæ multo honorificentius eſt, vt ipſa pariter cum filio ſuo chorum vnum reliquis omnibus excelſiorem conſtituat. Quod non obſcurè aſtruere mihi videtur Eccleſia Catholica, dum canit: *Aſſumpta eſt Maria ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum ſtellato ſedet ſolio.* Ratio etiam non parum congruẽs eidem opitulatur: nam ſi (vt docet D. Antoninus in quarta parte ſummæ.) omnes ſancti debent aſſociari ſingulorum ordinũ Angelis, vt nemo eorum, ſolitarius reperiatur; ſed ſinguli ſancti erunt in conſortio ſingulorum Angelorum in quocumq; ordine fuerint, iuxtà illud Deuteronomij. *Conſtituit terminos Populorum iuxta numerum filiorum Dei*, ideſt, Angelorum; minime certè decebat, vt Chriſtus Dominus, qui ſuper omnes eſt exaltatus in vertice Empyrei Cœli, ibi ſolus adeſſet. Si enim in terreſtri Paradiſo dixit Deus: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*, multo minus in cœleſti. ſecum igitur filius duxit matrẽ ſuper Empyrei cœli cacumen, vt iuxta eũ, ſuæ gloriæ, & maieſtatis conſors fieret in æternitate, quæ propriæ ſubſtantiæ, ac puriſſimi ſui ſanguinis participem eum effecerat in tempore. An verò Deipara Maria ibi proprium thronum habeat, proximum throno Chriſti? an verò ad eundem thronum filij ſui fuerit exaltata? maius dubium eſſe videtur. Diuus Auguſtinus ſerm. de aſſumptio. & refert Pomeriũ vbi ſupra hoc ſecundum planè docet in hæc verba: *Tibi Domina dignè thronus Regis gloriæ debetur: te ipſe Rex gloriæ, vt matrem veram, & decoram ſponſam præ omnibus diligens amoris amplexu aſſociauit.* Idem tradit Albertus Magnus ſuper *miſſus*, immò, & Diuus Damianus ſermo. de aſſump. hæc habet: *Virgo ad thronum Dei Patris euehitur, & in ipſius Trinitatis ſede reponitur.* Verùm mihi videtur & cũ ſacra Scriptura, & cum ratione magis coniunctum, diuerſum eſſe thronum Virginis à throno Chriſti Domini. In eius enim figura legimus 3. Regum 2. matrem Salomonis ſediſſe ſupra proprium thronum, iuxta filiũ ſuum. *Salomon ſedit ſuper thronum ſuum, poſituſque eſt thronus matris Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* Et præterea, quia ad maieſtatem, & excellentiam Chriſti Domini pertinet, vt qui caput ſit triumphãtis Eccleſiæ, excelſiorem, & ſplendidiorem thronum ſortiatur; deinde Sanctiſſima Virgo, quæ collum eſt; poſtmodum reliqua membra, ex quibus mi o ordine integrum corpus Eccleſiæ triumphantis compactum eſt. Idipſum confirmo ex Cardinali Bellarminio ſuper Pſalm. 44. vbi exponens illa verba: *Aſtitit Regina à dextris tuis*, de Beata Virgine ita loquitur: *Aſſiſtet ſponſa tua, quæ Regina eſt, cum ſit ſponſa tua, qui Rex es, à dextris tuis, ideſt, proxima tibi, & in loco ſummi honoris infra Regalem thronum.* Quare Beata Virgo ſuper omnes choros Angelorum, & cœlitũ omnium exaltata, nihil contemplatur ſuper ſe mater, niſi filium: nihil miratur ſuper ſe Regina, niſi Regem: nihil veneratur ſuper ſe mediatrix noſtra, niſi mediatorẽ ſolum. Vnde egregiè Diuus Bernardus ſer. 1. de Aſſumpt. ait: *Nec in terris locus dignior vteri Virginalis templo, in quo filium Dei Maria ſuſcepit, nec in Cœli regali ſolio, in quo Mariam filius ſublimauit.* Deinde Sophronius ſerm. de Aſſumpt. hoc ſcribit: *Hæc eſt dies omni ſæculo veneranda, in qua meruit exaltari ſuper choros Angelorum, & peruenire vltra, quam noſtræ humanitatis eſt natura: vbi non ſubſtantia tollitur, ſed gloriæ magnitudo monſtratur, cùm eleuatur in dexteram Patris: vbi Chriſtus pro nobis introiјt, Pontifex factus eſt in æternum ad Cœli palatium. Hæc eſt, inquã dies, in qua vſque ad throni celſitudinem, intemerata Mater, & Virgo proceſſit, atq;* in

Eccl. Rom. D. Antonin. Deut. 32. Geneſ. 2. D. Auguſt. Pomer. Alber. Magn. D. Dam. 3. Reg. 2. Card. Bellar. Pſal 44. D. Bernar. Sophronius

in Regni ſolio ſublimata poſt Chriſtũ glorioſa reſedit. Sic itaque vbiq; confidenter Sancta Dei canit Eccleſia, *quod de nullo aliorũ Sanctorum fas eſt credere, vt vltra Angelorum, & Archangelorum merita tranſcenderis. Hoc quippe priuilegiũ, non naturæ, ſed gratiæ eſt B. Virginis.*

D. Aug. Accedit Aug. ſerm. 35. de Sanctis. *Tu in cœleſtibus Regnis prælata es cunctis Virginum choris. Tu agnum quocumque perexeris, ſequeris: tu virgineos choros, & ab incentiuæ carnis illecebris alienos, per albentia lilia roſaſque vernãtes. ad fontes perennis vitæ potandos inuitas: tu in illa beatorum feliciſſima regia primi ordinis dignitatem adepta, plantis reſcidis oberrans inter Paradiſi amænitatẽ, gramineoſq; crocos tenero poplite pergis, felicique palma violas immarceſcibiles carpis: tu concinis ſine fine choris coniuncta, ſummis Angelis, Archangeliſque ſociata inſeſſa voce Sãctus clamare non ceſſata, cubiculo Regis beatitudine gemmis, ac margaritis ornato aſſiſtis.*

D. Ildephon. D. Ildephonſus hæc eadem confirmat in hæc verba, ſermo. 1. de Aſſumpt. Mariæ. *Quam Beatiſſima, & laudabilis diei huius celebratio recte colitur, in qua Virgo mirabilis cum laudibus cæleſtis militiæ intra polorum aulam vna cũ ingenti triumpho excipitur; ex cuius nimirum carne Dominus, Ieſus Verbum caro factũ eſt, qui cunctis in ſe credentibus ianuas Paradiſi aperire dignatus eſt; qui matrem ſuam in throno regni collocauit, & immortalitati gloriam eam tranſpoſuit, ac ſuper choros Angelorũ ſuperſolemniter erexit.* In ſublimi ergo loco conſtituta Beata Virgo ſuper omnem puram creaturam etiam Angelicã, coronata fuit à Domino. In cuius figura legimus iuſſiſſe Deum ſuper veterem illam

Exod. 25. Arcam teſtamenti fulgentiſſimam apponi coronam. Per hanc arcam, Virginem delineari ſancti Patres docent. Vnde & Eccleſia de illa ait:

Cuius ſupernus artifex
Eccleſ. Cath. *Ventris ſub arca clauſus eſt.*

Beato etiam Ioanni Deipara apparuit in Cœlo *amicta Sole*, & fulgentium ſtellarũ diadematе coronata. Ac tandem dictum

Eſther. 1. eſt Eſther 1. de hac inſigni Regina. *Ducta eſt ad cubiculum Regis, & adamauit eam Rex pluſquam omnes mulieres, & poſuit diadema Regni in capite eius, fecitque eam regnare pro Vaſthi.* equidem, ſi de ſingulis

Eccl. c. 45. ſanctorum Eccleſiaſticus ait cap. 45. *Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & ope fortitudinis;* nemo ſanæ mentis mihi inficiabitur, Dei Genitricem, quæ omnes ſanctos tàm meritorum multitudine, quàm dignitatis excellentia, longè ſuperat, ſplendidiorem coronam accepiſſe. Nec puto ſanè vna, ſed multiplici corona fuiſſe redimitam, vt ſatis indicant verba ſponſi, de excelſo ſolio ſuo illam in hunc modum inuitantis: *Veni* Cant. 4. *de Libano, ſponſa mea, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum.* Etenim, licet quidam autumẽt, ter ſponſum replicaſſe verbum *Veni*, alludens ad tres virtutes theologicas, in quibus mirificè B. Virgo præfulſit, & ob quas præſertim coronari merebatur; & quamuis alij putauerint, ter dixiſſe *Veni*, quia triplicis ſtatus coronam meruerat: nimirum, coniugalis, cui debetur fructus trigeſimus: vidnalis, cui debetur fructus ſexageſimus: & virginalis, cui debitus eſt fructus centeſimus, vt Chriſtus docet Matth. 13. D. Matt. c. 13 Ac tandem, quamuis alijs placuerit, ter protuliſſe *Veni*, ad ſignificandum propter tria merita mentis, oris, & operis fore præmiandum, ſicut mali veniunt puniendi propter peccata mentis, oris, & operis. Verius tamen eſt, ſignificare voluiſſe triplicem coronam. ad triplicem namque illius verbi *Veni* repetitionẽ triplex quoque ſubintelligenda eſt repetitio alterius illius verbi *Coronaberis*. Nemo ignorat, triplicem eſſe coronam, ſeu aureolã (vt Theologi docent in quarto ſentẽtiarum d. 49.) nimirum, aureolam Virginis, Doctoris, & Martyris Vnde cũ Deipara Maria, & Virginum vexillifera eſſet, & totius Eccleſiæ archimagiſtra, velut olim Debora in populo Iſraelitico, necnon etiam pluſquam martyr in filij ſui paſſione, vt ſanctus Hieronymus docer ſermo. de aſſumptione, D. Hieron. triplici hac aureola merebatur coronari. Cõſulto tamen hoc loco vocat illam Dominus *ſponſam*, cùm antea *dilectæ* tantummodo appellatione eam inſigniſſet; vt non ſolum iucũdius illã pertraheret, ſed vt quandam obligationem illi ſubinnueret ad veniendum ſecum; cùm ſtatim Virgo quæpiam, ſponſa efficitur alicuius, eo deceat tendere, quo ſponſus eius adeſt; nec alibi commorari, quàm vbi ipſe commoratur. Quòd autem ſemel tantummodo, & prima

vice

vice ad verbum: *Veni* hanc adiecit *ſponſæ* appellationem, deinde bis idem repetens verbum *Veni*, nullo alio eam compellarit nomine, illud ſanè arcanum latere arbitror, quòd cùm primum illam ad ſe vocauit tempore mortis eius, *ſponſæ* appellatione eam nominauit, quæ communis eſt omni animæ ſanctæ. At poſtmodũ, vt indicaret diſcrimen, quod cognomẽ iſtud matri ſuæ competere à reliquis animabus ſanctis bis adijcit *Veni*, ac ſi dicat: veni non modo, vt ſponſa cum partu, ſed veni etiam, vt ſponſa virginitate decora. Adijcit inſuper ad primam vocationem, & duas alias vocationes, abſque vllo nomine: *Veni de Libano, veni*, ſubindicans ſe non vt ceteras ſuas ſponſas, illam ad Cœlos euocare, ſed modo peculiari, quo talẽ deceat ſponſam, quæ mater ſimul, & virgo; ſit & ideò ſubiunxit: *Veni de Libano, veni*, ideſt: veni in anima, veni & in corpore, vt quæ ſingularis mihi es ſponſa, ſingulariter quoque mihi ſimilis, & anima, & corpore Cœlum petas. Subiungit tandem tres altiſſimos montes Iudeæ, in quibus ingens habitabat ferarum copia, per quas ſputciſſimi peccatores intelliguntur. Etenim *Amana* interpretatur *inquietum*, vel *turbulentum*, per quod ſignificantur inquieti amatores Mũdi. *Sannir* interpretatur *Fætor*, per quod aptè denotantur laſciui homines, Deo, & omni Populo fœtẽtes. *Hermon* interpretatur *deſtructio*, per quod intelligendi veniunt Hæretici Eccleſiam deſtruere ae funditus euertere pro viribus ſatagentes. Vt efficacius ergo ſponſus ei perſuaderet, indecens ſibi eſſe, in mundo amplius demorari, iſtorum leonum, & pardorum domicilium, illum eſſe affirmat. Sed iam eorundem verborum præclaram Ruperti Abbatis interpretationem hic ſubnectamus, qui lib. 3. in Cantica hæc ſcripſit: *Veni coronaberis. Vnde coronaberis? de capite Amana, quod interpretatur: nocturna auis. De vertice Sannir, quod interpretatur Deus vigiliarũ; & Hermon quod interpretatur Anathema. Venies de Libano, quod interpretatur Candidatio, ideſt, de corpore iſto migrabis, corpore candido, corpore virgineo, & coronaberis de omnibus his, ideſt, de corpore vel mẽbris illius, quæ nominibus iſtis rectè denotantur, de regnis Mundi huius: regna nãque Mundi huius, quædam capita, vel quidam vertices rectè dicuntur nocturnæ auis, & dentis vigiliarum, & verè anathematizati diaboli à Deo ſeparati, qui cũ ſit Princeps tenebrarum, & tanquam leo rugiens circumeat, quærens quem deuoret, rectè & nocturna auis, & dens dicitur vigiliarum. Ipſa eadem Regna, & cubilia Leonum, & montes dico Pardorum, quia videlicet Reges Regnorum, Reges Babyloniorũ, & Perſarum, atque Medorum, Reges Græcorum, Reges, & Conſules, ſiue Imperatores Romanorum, quid niſi Leones, & Pardi dicendi ſunt, qui tot bellis, tot cordibus orbem Terrarum lacerauerut? De talium Leonum cubilibus, taliumque Pardorum montibus, tu amica mea coronaberis: quomodo? videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium ſalus, corona tua erit. Ita coronaberis, vt & in Cœlis Regina Sanctorum, & in terra, Regina ſis Regnorum: vbicunque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum: Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eũ, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, prædicabitur & de te, quod ſis, ò dilecta, & mater huius coronati, ac proinde Regina Cœlorum, totum iure poſſidens filij regnum. Atque hoc intuitu Reges, atque Imperatores coronis ſuis te coronabunt, palatia ſua nomini meo ſacrabunt, & honori tuo dedicabunt, vt deſinant eſſe quod fuerãt, montes Pardorum, cubilia Leonum.* Hæc perdocte Rupertus.

Rupertus.

Porrò Deiparam Virginem non ſolùm coronauit Dominus triplici illa corona: Virginis, Doctotis, & Martyris, ſed & Reginæ Angelotum, & hominum. In cuius figura legimus, Reginam Eſther Regio diademate fuiſſe coronatam à Rege: *Poſuit diadema Regni ſuper caput eius*. Idipſum etiam ſpiritu prophetico præuiderat Dauid, cum dixit: *Aſtitit Regina à dextris tui in veſtitu deaurato, circundata varietate*. Cuius loci varias verſiones ſilentiò ptætetire non licet, cum omnes in Virginis honotem cedant. Septuaginta vertũt: *Circumamicta, & variegata*. Paraphraſt. Chaldæus: *In veſtibus diuerſarum figurarum*. Aquila: *In tinctura Hophir*. Theodoz. *In diademate aureo de Sophir*, Simmacus: *In auro primo*. D. Hieronymus: *In ſcutulatis*. Originale tandem Hebræum legit: *In veſtibus auro occellatis indumentũ eius:* quibus varia mihi detegũtur Deiparę pręconia

Eſther. 2.

Pſal. 44.

Septuag. Int.
Paraphr. Ch.

Aquila.
Theodo.
Simmac.
D. Hieron.

conia

Digitized by Google

conia. *Aſtitit Regina:* ecce regale ſceptrũ, ad quod euecta eſt Maria. *A dextris tuis:* ecce potioribus filij ſui bonis, præ ceteris omnibus beatis fruentem. *In veſtitu deaurato:* ecce auream fulgentis charitatis veſtem, qualem tantam Reginam decet. *In ſcutulatis:* ecce Virginis officium, & munus, quo fungitur in Cœlo, inſtar multiplicis ſcuti, ab ira Dei peccatores protegens, ac defendens. *Circundata varietate. Circumamicta, & variegata in veſtibus diuerſarum figurarum:* ecce multiplicem figuram, & perſonam, quam induit, & gerit Maria: Virgo eſt, mater eſt, genitoris ſui genitrix eſt, Regina eſt, ancilla eſt, ſponſa intacta eſt, protectrix eſt, bonum noſtrũ ſemper reſpiciens. Vnde quod Hebræum legit: *In veſtibus ocellatis*, ſiue quod idem eſt, *oculatis*, planè indicat, Beatam Virginem totam factam eſſe oculos, ad miſerias noſtras proſpiciendas, & ſubleuandas. Aliter etiam eadem verba in hunc modum explicare licet: ſicut enim Chriſtus Dominus de nocte reſurgẽs à mortuis, & Regnum ſuum obtinens, glorioſus in gloria animæ, & immortalitate carnis aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei,
Pſalm. 92. dicente Dauid, Pſalm. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem:* ita etiam mater eius, Regina mundi de nocte mortis, quã ſubijt temporalem, ſurrexit diuina virtute: & cũ decore ſummo beatitudinis animæ, ac fortitudine immortalitatis in corpore puriſſimo, aſſumpta eſt in Cœlum, & à dextris filij collocata, vt impleretur prophetia
Pſal. 44. Dauid patris ſui: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Aurum ſymbolũ
Clem. Alex. eſt Regni, vt Clemens Alexandrinus ait lib. 2. pædagogiæ cap. 8. ab interitu etiam eſt alienum & rubiginem corruptionis nõ ſuſcipit Meritò ergo Regina Cœlorum à dextris filij aſtans, in veſtitu regio cernitur, in ſtola immortalitatis, & incorruptionis ſplendet, vt & ipſa ſit in omnibus creatis ſubſtantijs primatum tenens; & vt quemadmodum in veſtimento filij eius
Apo. 19. ſcriptum erat: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, vt vidit Diuus Ioannes; ita & in aureo veſtimento Reginæ Cœli ſcriptum ſit: *Reginarum Regina, & dominantium Domina;* vel certe illud quod in perſona eius prædixerat idem Ioan-
Apoc. 19. nes: *Sedeo Regina, & vidua non ſum: luctum amplius non videbo.*

Sed videamus quæſo, quàm veraciter Dauid Deiparam, *Reginam* appellet: *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Sanè ſi vera eſt doctrina Ariſtotelis primo polit. cap. 1. aſ- *Ariſtot.*
ſerentis quoſdam homines à natura eſſe ſeruos, & ad obtemperandum aptos; alios autem à natura Reges, & ad imperandum habiles, quia iſti ingenio pollent, & acumine intellectus præſtant, illi verò rudiori Minerua, & habetiori ingenio præditi ſunt. Certè regia dignitas debita erat Mariæ, quæ & præclariſſimo ingenij acumine polluit, & eius Intellectus plenitudine ſcientiæ, cõſilij, ſapientiæ, ac reliquis Spiritus ſancti donis mirifice fuit illuſtratus. Deinde noſtri primi Parentes, Adam, & Eua Principes fuerunt, & Reges, vt non obſcurè indicant verba Iſaiæ cap. primo.
Vinum tuum miſtum eſt aqua, argentum *Iſai. c. 1.*
tuum verſum eſt in ſcoriam: principes tui, infideles, ſocij furum, ideſt, vt exponit D.
Bernardus ſermo primo de aduentu: *Pro-* *D. Bernard.*
toparentes tui non ſeruauerunt fidelitatem: intumuerunt ſuperbia, ſicut Lucifer, & eius aſſeclæ, in eo ſuam infidelitatem oſtẽdentes, quod ei gloriam furari, immò rapere perperam tentarunt. Si ergo Principes fuerũt primi illi Parentes terreſtres, quantò magis ſecundus Adam, & ſecunda Eua de cœlo, cœleſtes Principes, & Reges erunt, non infideles, vt illi ſed fideliſſimi? Ac tandem, ſi Regis ſponſa iure ſponſalitio Regina eſſe perhibetur, ſanè, cum B. Virgo filia Regis, mater Regis ac ſponſa Regis fuerit electa, fateamur neceſſe eſt, Reginã eſſe. Regnum autem eius ita amplum, & latum eſt, vt omnes Reges ſibi ſubiectos habeat, adeò vt ſi quiſpiam eorum eius Imperium ſubterfugere velit, continuò neceſſe ſit perire: nam præterquam ipſa
ait: *Per me Reges regnant*, Iſaias inquit, *Prouerb. 8.*
Aperientur portæ tuæ iugiter die, ac nocte: *Iſai. c. 60.*
non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum abducantur: gens enim & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Memini, quòd Themiſtocles (vt Author eſt Plutarchus oratione prima de fortuna Alexandri) cùm exulatus fuiſſet à patria, poſteà verò ad Perſas veniens, ad magnum diuitiarum, & honoris culmen euectus, famulis ſuis dicebat: *O pueri perieramus, niſi perijſſemus.* Quæ
verba Plutarchus non minus aptè conue- *Plutarc.*

nire

mirè ſubiunxit gentibus barbaris ſub Imperio Alexandri iam ſubiugatis, quia reuera nunquam manſueuiſſent, niſi domiti fuiſſent. Non diſſimiliter omnes Reges, & omnes gentes, niſi domari, & ſubiugari ſe ſinant a Regina Maria, omnes pariter peribunt. *Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit.* [Iſai. 60.] Hanc Mariani Regni latitudinem contemplans Sanctus Bernardinus [D. Bernar.] ſermone de aſſumptione, dixit: *Eleuata eſt ad culmen dignitatis latiſſimè, vt ſit Regnum eius datum.* Vnde 2. Reg. 3. dicitur: [2. Reg. 3.] *Quomodo intrauit Dauid, ſic faciam cum eo, vt eleuetur thronus eius ſuper Iudam, & Hieruſalem à Dan, vſque Berſabee. Thronus autem iſte, in quo ſedit, & requieuit Dauid, qui manu fortis, & vultu deſiderabilis, interpretatur, id eſt, Ieſus Dei filius, fuit Glorioſa Virgo Maria, quæ eleuata fuit ad latitudinem Regni: vt de ea dici poſſit, quod non ſolum dominatur à Dan vſque ad Berſabee, ſed à mari gratia, vſque ad mare gloria, & à flumine influxuum diuinorum vſque ad terminos orbis terrarum, regnans ſuper omnem creaturam.* Rectè quidem ait, S. Bernardinus: *vſque ad mare gloria*, quia quotquot gloriæ coronis in Cœlis decorãtur, ingenuè omnes fatentur, illas accepiſſe à Deo, mediante Virgine. Vt enim ait Diuus Ioannes Apoc. 4. [Apoc. 4.] *Beati adorabãt viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebãt coronas ſuas ante Thronum.* Thronus hic Mariam deſignabat, & ad indicandum, quod per Mariam à Chriſto Domino obtinuerant coronas, quas poſſidebant, idcirco ante illum thronum dicuntur proprias coronas proſternere. Aduertere tamen oportet, quòd beati mittentes coronas ante thronũ, non ſolum eas non amittebant, ſed potius duplicabant. Ad quod ſignificandum, thronus ille erat ſupra *mare vitreum ſimile criſtallo*, vt ait ſacer textus: cuius proprium eſt, duplicatum repræſentare obiectum. Quo ſanè edocemur, quod ſubijci, & ſubiugari Imperio Mariæ, & illi impenſe ſeruire, auget dignitatem etiam regiam, & ſplendidiorem illam reddit, vt contigit Dauidi, qui irriſus à Michole, quòd ſaltaſſet antè arcam Domini, vt legimus 2. Reg. 6. [2. Reg. 6.] alacri animo ipſe dixit: *Ludam, & vilior fiam, & ita glorioſior apparebo.* Sanè ſi humiliari, & proſterni antè arcam, quæ ſolùm erat vmbra cœleſtis huius, ac myſticæ arcæ Beatæ Virginis, glorioſum ſibi ducebat Dauid, facile hinc erit coniectare, multò glorioſius eſſe, ſubdi, & reuerenter proſterni ante Reginam Mariam, cui cum Filio ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XV.

Proſequimur Virginis coronationem: prius tamen oſtendimus, Beatam Virginem in Cœlum aſſumptã matris pariter, & Reginæ munere fungi, vt nec voluntatem protegendi, cùm mater, nec potentiam cùm Regina ſit, in ea deſiderari ſuſpicemur.

Celebris eſt ſententia D. Pauli dicentis: [ad Rom. 8.] *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, Vnde cùm omnes, filij Iræ naſcamur, ac antiqua mater noſtra Eua nos omnes conformes turpi imagini terreni Adami parturiat, opus ſanè erat, (diuino numine ſic diſponente) vt Maria in fecundã matrem nobis daretur, quæ nos, in filios ſuos per gratiã adoptans, conformes imagini cœleſtis Adami, Chriſti Ieſu parturiret. Itaut quemadmodum naturales hiſtoriographi tradunt, & docet Vgo Victorinus, [Vgo Victor. de beſtijs c. 6.] Vrſa immaturos adeò ſuos fœtus producit, vt non tam videatur filios peperiſſe, quàm difformem quandam carnem in lucem edidiſſe, quaſi inſenſibilem, & abſq; diſtinctione oculorum, naſi & oris: confeſtim tamen linguæ ſuæ dolabro, aut certè pennello ab Authore naturæ edocta, & in propriam prolem innato amore compulſa ita totum eius corpus reficit, & componit, vt manifeſtè appareat diuerſa eius membrorum compago, & fœtus, qui alioquin difformis, & diſſimilis naturali ſuo parenti prodierat, iam per omnia ſimilis, & Leoninæ eius imagini cõformis efficiatur. Sic ſanè non diſſimiliter nobis contingit. Pri-

ma noſtra mater Eua ambiens ſimilitudinem illam Dei, quam mendaciter pollicitus fuerat ei callidus ſerpens: *Eritis ſicut Dÿ*, nos omnes velut immaturos fœtus, peperit peccati originalis turpitudine deformatos,& iumentis perſimiles: *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Diuina tamen Redemptoris noſtri prouidentia factum eſt, vt Maria Dei Genitrix nos etiam ſpiritaliter regeneraret,& reficeret, conformeſque redderet imagini filij ſui, qui cùm pariter etiam ſit filius Dei naturalis, non falsò, vt Eua iuxta ſuaſionem Diaboli; *Eritis ſicut Dÿ*, ſed veraciter nos verò Deo pareti noſtro ſimiles reddit: idque non aliter, quàm inſtar Viſæ pennello ſuæ linguæ pro nobis interpellans,& iugiter intercedens; quæ efficaci interceſſione exuere nos facit veterem hominem cum actibus ſuis,& induere nouum, qui ſecũdum Deum creatus eſt. Et quidem ſi Aquila nonniſi Aquilas, & Leæna nonniſi Leones concipit, & parit: Maria, quæ mater eſſe perhibetur diuina, vtpotè mater eius, qui Deus eſt per eſſentiam, conſequens eſt, vt quos parturit fœtus, dij ſint per participationem. Neque id obſcurè mihi videtur ſignificare nobis voluiſſe Beata Virgo, cùm per Eccleſiaſticum ait: *Ego mater pulchræ dilectionis*, ſiue vt Tyburtina, & Vatablus vertũt: *Ego pulchræ charitatis mater*. nam cum teſte D. Ioanne *Deus charitas* ſit, *& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, conſequens ſit, vt omnes filij Mariæ, ſint Dei: naturalis quidem, & primogenitus, Deus per naturam, reliqui verò adoptiui, Dei per gratiam, & charitatem.

Gen. 3. *Pſal. 48.* *Coloſſ. 3.* *Eccl. 24.* *1. Ioan. 4.*

Obſeruaui non ſemel quòd in Pſal. 46. vbi noſtra vulgata ait, loquens de ciuitate Dei: *Hi fuerunt illic*, S. Hieron. tranſtulit: *Ille natus eſt ibi ſemper*. Certè Chriſtus Dominus ſemel natus eſt de Virgine, nec enim ſemper naſcitur ab illa; verum licet alioquin ſemel ipſe natus fuerit à Virgine in ſe ipſo, quia tamen in filijs quos ipſa inceſſanter adoptat, ſemper denuo ſpiritualiter naſcitur, ideo notanter ad id ſignificandum dixit: *Iſte natus eſt ibi ſemper*. Hinc anſam ſumere mihi liceat, verba illa Deiparæ: *A generationibus meis adimplemini* explicandi, per quę ſpiritualem hanc filiorum generationem,& renaſcentiam ſignificaſſe mihi videtur. Poſſunt ſanè explicari hæc verba per illa Paulina: *Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui*. Fœtus enim quos B. Virgo interceſſione, doctrina, & exemplo ſuo peperit, ſuas vocat generationes. Ita explicat Cornelius Ianſenius, à quo non multum diſcrepat Rodulphus, qui vt refert Laurentius Surius in feſto natiuitatis, verbum illud *in generationibus meis*, exponit, vt idem ſit, quod *ab vnigeniti mei benedictionibus implemini*. Per *benedictiones* has intelligo *iuſtificationes*, quibus peccatores à Deo miſericorditer de morte peccati ad vitã gratiæ transferuntur. Sicut enim in naturalibus omnis generatio habet comitantem corruptionẽ: vt quia Ariſt. dixit: *Corruptio vnius, eſt generatio alterius*; ita in iuſtificatione peccatoris intercedit corruptio mortis peccati,& ſpiritualis generatio vitę gratia. Et ſicut etiã augmẽtum vitæ corporalis fieri nõ poteſt abſq; deſtructione alimẽti, quod conuertitur in ſubſtantiã aliti; ita ad incrementũ ſpiritualis perfectionis, neceſſaria eſt corruptio imperfectionũ, quæ animam maculãt, & charitatis feruorem minuunt. Illud autẽ mirabile eſt, quod omnes has generationes, quas cauſat Chriſtus Dominus, ſibi etiã tribuat B. Virgo, vocãs illas *ſuas*, dicẽs: *A generationibus meis adimplemini*. Sed nõ arroganter, immò veriſſimè id affirmat: nã omnes ſpirituales illæ generationes vim omnẽ, & efficacitatẽ ſanctificãdi animas acceperũt ab vnica illa, & ſuprema Chriſti tẽporali generatione, in vtero eius virtute Spiritus ſancti & Mariæ cooperatione facta. Vnde ſicut cõceptio ipſa, & natiuitas Chriſti minimè fuerunt abſque Virginis cauſalitate,& influxu,& idcirco nõ ſolùm Deo, ſed ei etiã debet tribui; ita ſimiliter omnes ſpirituales generationes per Chriſtũ factas meritò etiã *ſuas* vocat B. Virgo, quia ad omnes mediatè per filiũ, immediatè verò per ſeipsã deprecatiuè, ſicut Chriſtus imperatiuè cõcurrit. Vnde ſicut totum genus humanũ quoad eſſe vitæ naturalis, duplicem primũ parentẽ habuit Adamũ,& Euã; ita quoad eſſe ſupernaturale duplex agnoſcit vitæ ſpiritualis primordium, Chriſtum ſcilicet, & Mariam; quia licet ſolus Chriſtus Dñs ſit Saluator mundi, ipſa tamen multum cooperata eſt, tanquã præcipuũ eius inſtrumentum ad noſtram omnium ſalutem, vt late oſtendi ſupra lib. 12. hom. vlt.

Pſal. 46. *Epheſ. 4.* *Corn. Ianſen.* *Rodulph.* *Laur. Surius.* *Ariſt. de gen.*

Ad hæc ab antiquis Terra vocabatur
magna mater, quam tanquam Deam ve-
nerabantur; vnde cum primum infans na-
ſcebatur, gremio terræ illum tradebant, &
continuò in altum illum ſubleuabant, &
hanc eleuationem cuidam Deæ, nomine
Leuana dedicabant. Eundem infantem,
vt in cunabulis cuſtodiretur, Deæ Cuninæ
committebant, vagituſque eius Vagitan-
do Deo offerebant: & infantilibus tremo-
ribus, quibus infantes facilè expaueſcere
ſolent, Deam Pauentiam deſignabant; ac
tandem pro cibis in fruſta comminutis,
necnon & pro potu, qui infantibus à nu-
tricibus adhiberi ſolent, Deam Eduſſam,
& Potinam aſcribebant. Quia tamen Dij
õmnes iſti terræ fructibus veſcebantur, &
nutriebantur; ideò Terram, Deorum ma-
trem eſſe dicebant. Præter hoc tamen no-
men, his etiã nominibus cohoneſtabatur:
Cibale, Veſta, Rea, Ceres, ſed & *Ops* ab *ope*
nominata fuit, quia ipſa eſt, quæ præ cete-
ris frequentius egentes adiuuat, & copio-
ſius ad humanam vitã neceſſaria tribuit;
Homerus. vnde Homerus vocauit illam *Vitæ elargi-
tricem*. Pauſanias vero, ſimulacrum quod-
dam refert, quod ab Acaiam incolentibus
fabricatum fuit in modum cuiuſdam aræ,
Pauſanias. quam *Auri ſternam* vocitarunt, ideſt, *am-
pliſſimum puteum*, quia nullus adeò miſer,
& abiectus eſt, quẽ ipſa non capiat, & am-
plectatur. Hæc omnia munera, & materna
pietatis officia, quæ decepta gentilitas fal
ſis illis deabus tribuebat, vna ſola Maria
Dei Genitrix, pientiſſima mater noſtra, er
ga filios ſuos exercet: ipſa nos materno
ſuæ pietatis gremio ſuſcipit: ipſa ab infan-
tiæ cunabulis per lauacrũ ſacri baptiſma-
tis mundatos, in adoptionem filiorum ad-
mittit: ipſa orationis noſtræ vagitus Deo
offert: ipſa de æterna ſalute vacillantes,
& trementes, immò iamiam deſperantes,
diuinæ miſericordiæ fiducia firmat, & con
ſtabilit: nos famelicos cibo, & potu car-
nis, & ſanguinis vnigeniti filij ſui per Eu-
chariſtiam paſcit; ac tandem vitam ſpiri-
tualem ſua interceſſione nobis benignè
largitur, & ad illam conſeruandam, om-
nia neceſſaria, tanquam amantiſſima ma-
ter, abunde ſubminiſtrat; adeoque huius
conſeruationis ſollicitam curam gerit, vt
eius ſollicitudo omnem humanam in pro-
tegendo ſollicitudinem longo interuallo
præcellat. Certe olim pijſſima Sara bono
filij ſui Iſaach proſpiciens, ne filius eius ex
Iſmaelis cõſortio inficeretur, prauos illius
mores induens, Abrahamũ monuit, vt ma Geneſ. 21.
trem, & filium à domo eijceret: *Eijce ancil*
lam hanc, & filium eius. Rebeccha, ſollici- Geneſ. 27.
ta, vt Iſaach filius eius à Patre ſuo Iacob
benedictionem obtineret; nullum lapidem
immotum reliquit. Rachel partus infando Geneſ. 35.
dolore, & preſſura vſque ad mortẽ ipſam
Beniaminum in lucem edidit. Thecuites il 2. Reg. 14.
la inſignis Dauidem adijt; ſupplex ei veniã
poſtulans inobedienti eius filio Abſaloni
parceret. Berſabee ingreſſa eſt ad Dauidẽ 3. Reg. 1.
iam moribundum, vt Salomonem futurũ
Regẽ nutu aliquo omnibus manifeſtaret.
Eſther, quod dilectiſſimus Regi Mardo-
chæus precibus quantũuis importunis ex-
torquere nullo modo poterat, nempe reuo Eſth. 8.
cationem capitalis ſententiæ in populum
Hebræum latæ; ipſa ſemel allocuta Regem
continuò id obtinuit. Thermut filia Pha- Exod. 2.
raonis Regis Aegypti ſaluauit Moyſen ab
aquis, ne mergeretur, eundemq; adoptauit
in filiũ. Abigail vxor Nabal Carmeli pla- 1. Reg. 25.
cauit Regem Dauidẽ contra ipſum Nabal
ira percitum, ne inter cruentas manus eius
interiret. Mulier ſapiens locuta eſt ad Ioab
& abſciſſo capite Sibæ, ac per murũ demiſ
ſo, liberauit Abellam Ciuitatem, ne ab ho 2. Reg. 21.
ſtium incurſu funditus deuaſtaretur. Femi
na illa nomine Reſpha cilicium ſubſtrauit
ſibi ſupra petrã ab initio meſſis, donec ſtil
laret aqua de Cœlo ſuper terrã, ſeruauitq;
corpora crucifixorum, nec dimiſit lacerare
ea per diem, nec beſtias per noctem. Pia 2. Reg. 16.
quædam mulier, cùm Ionathas, & Achi-
meas fugerunt à facie Abſalonis eos occi
dere quærẽtis, illorum miſerta, abſcondit
eos in os putei ſui, & expandit velum ſu-
per ipſum; & ſerui Abſalonis illos præte-
rierunt. Ioſaba filia Regis Iorã Ioas filium 4. Reg. 11.
Ochoziæ furata eſt de medio filiorũ Regis
qui interficiebantur, & abſcondit eum, ne
interficeretur. Harum omnium feminarũ
curam in protegendis miſeris longè ſupe-
rat ſollicitudo Beatæ Mariæ Virginis, om
nium viuentium matris, cùm inceſſanter
in cœleſti Patria pro peccatoribus mater-
no affectu intercedat, & diuinam iram ab
eis auertere continuò ſatagat.

Ad hæc cùm ex vna parte B. Virgo ſit
mater noſtra, de cuius pietate non licet
ambigere, an opitulari velit filijs ſuis; & ex
altera, tanquam Reginæ, data ſit ei pote-

ſtas in Cœlo,& in terra,vnde ipſa ait: *in Hieruſalem poteſtas mea*,hoc eſt: in Hieruſalem,tam militante,quam triumphante;nulla ratione timendum eſt, quòd vel nobis materna viſcera claudat,aut iuſta noſtra deſideria non compleat.

Eccli. 24.

Certè Beatam Virginem in Aſſumptione ſua conſtitutam eſſe vniuerſorũ Reginã tam cœleſtium,quam terreſtrium,& inferorum, non obſcure indicat D. Ioannes, dum teſtatur,ſe vidiſſe illam fulgentiſſimo Sole veſtitam,ſtellarum diadem ate caput eius redimitum, & Lunam, velut ſcabellũ ſub pedibus eius.D.Auguſtinus, & D.Bernardus hunc locum interpretantes, nomine Lunæ, quæ varietatibus, & defectibus obnoxia eſt, omnem temporalem creaturam, quæ mutabilitati, & varietati ſubiecta eſt,intelligunt;nomine verò ſtellarum, Cœli ſpiritus Angelicos, & Dœlorum incolas ſignificari aiunt.Dum ergo B.Virgo à Ioanne depingitur ſtellis coronata, & Lunam ſub pedibus habens, apertiſſimè oſtendit ipſam, Reginam eſſe tàm cœleſtium,quàm terreſtrium. Quod autem vidit illam amictam Sole coniunctionem Solis Iuſtitiæ cum illa ſignificauit,non ſolùm per auxilium, protectionem, atque inhærentem gratiam,ſed per intimã proximitatem carnis Chriſti in vtero eius aſſumptæ.Ex quò *ſpeciali ratione* (vt ait Damaſcenus) *rerum omnium conditarum domina effecta eſt, cùm Creatoris mater extitit, & ſuper omnes creaturas primatum tenuit.* Verùm, vt rem hanc altius repetamus,placet cum noſtro Diuo Bernard.Senenſi aperire, qua ratione regia dignitas debita ſit Deiparæ Mariæ,ſecundum ius naturale, & ciuile: hæreditarium, & morale: diuinum,& humanum. Primò enim ius naturale poſtulat, vt mater ſicut ius in filium habet, ita quoque habeat in ea, quæ ſunt filij, cùm filius ſit quædam parentis pars, vt dixit Ariſtoteles 8.Ethic.c.17. Ad quã rationem reſpiciens Diuus Damaſc. oratione 2.de aſſumpt. *Decet* (inquit) *matrem ea quæ ſunt filij, poſſidere.* In iure etiam ciuili, quadruplici via nouimus dominium ſecundùm leges alicui acquiri:vel ratione emptionis, vel per precij ſolutionem: vel ratione operationis; opera enim pecunijs adæquatur,vt habetur. l. Procuratores.§. de tributo q.penul. vel ratione electionis, ſicut Prælatis ius acquiritur per electioné.

Apoc. 12.
D. Aug.
D. Bernar.
D. Damaſc.
D. Bernar.
Ariſt.
D. Damaſc.

ſic Deiparæ ius dominandi competit:primò,ratione exhibitionis precij, ſubminiſtrans Chriſto Domino ſanguinem, quo velut precio nos redemit.Morali autẽ iure,regiam dignitatem Deiparę competere, ex eo quod tradit Ariſtoteles, facilè perſuadetur: ait enim his,qui ſapientia,& pulchra diſpoſitione corporis vigent, regalem dignitatem deberi.Fuiſſe autẽ Virginẽ ſapiẽtiſſimam inter puras creaturas, cùm æterni Patris ſapientia in vtero eius requieuerit,nemo inficiatur. Fuiſſe etiam pulcherrimam, magna cum Chriſto ſimilitudo, qui *ſpecioſus* erat *præ filijs hominum*,ſatis cõprobat. Scribit autẽ Strabo, Indos tantopere corporis elegantiam, & pulchritudinem in precio habuiſſe, vt illũ dumtaxat in Regem eligerent, qui ſingulari corporis forma ceteros ſuperaret. Quod etiam Aethyopes obſeruaſſe Bion ſcripſit in libro de rebus Aethyopicis. Ad quod item ſpectat vulgatum illud Euripid. prouerbium.

Ariſt.
Pſal. 44.
Strabo.lib.17
Bion.

Priami facies digna eſt Imperio.

Iure naturali etiam quia primogenitis Regum, ex iure primogenituræ regia dignitas competit: ipſa autem dixit: *Ex ore altiſſimi prodiui, primogenita ante omnẽ creaturã*;in cuius confirmatione ibidẽ ſubdit: *In omni populo, & in omni gente primatum tenui, & omnium ſuperborum colla propria virtute calcaui*.vnde D.Bernard.loco pręcitato ait: *Data eſt tibi, ò domina, poteſtas in Cœlo, & in terra, vt quicquid volueris, valeas efficere.*

Euripides.
Eccl. 24.
D. Bernar.

Porrò merito Eccleſia Catholica in celebri illo cantico,*Salue Regina*,B.Virginẽ *Matrem miſericordiæ* cõpellat. Certè Regnum Dei vniuerſum his duobus partibus Iuſtitia ſcilicet, & Miſericordia conſtituitur,iuxta illud Dauidis: *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi:iuſtitia,& pax oſculatæ ſunt.*Deus quidem, quaſi diuidens hoc Regnum,vt Beatam Virginem ſingulari honore cohoneſtaret, iuſtitiam ſibi, & filio reſeruauit; conſtituens illum, Iudicem vniuerſorum, arguentemque mundum de peccato,de iuſtitia, & de iudicio. Alteram verò Regni partem, ſcilicet Miſericordiam, & maternam pietatem Reginæ matri conceſſit. In cuius figura, legimus, Aſſuerum Eſther Reginæ dimidiam partem Regni ſui his verbis obtuliſſe. *Quid petis, vt detur tibi, & pro qua re poſtulas?*

Pſal. 44.
Ioan. 16.
Eſther 5.

ſtulas: etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis. Quod ſi Raguel de omnibus quæ poſſidebat, (inquit inter textus) Thobiæ dimidiam partem dedit, & fecit ſcripturam, vt pars dimidia, quæ ſuperer at, poſt obitum eorũ Thobiæ dominio deueniret: cur non Chriſtum Mariæ, pluſquã id præſtitiſſe dicemus? Moyſes quidem dimidiam partem ſanguinis vittimarum, quas filij Iſrael immolauerant, accepit, & miſit in crateres: partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Sic Deus, quaſi dimidiam Regni, hoc eſt, ſanguinis Chriſti partem, illam nempe, ex qua noſtro modo intelligendi, Miſericordia emanat, in cratere, & vaſe admirabili Mariæ concluſit; reſiduam partem Iuſtitiæ ſuper altare, ideſt, Chriſtum effudit. Atque hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus cum vniuerſis hominibus, vt per Mariam, tanquam per aquæductum, eius miſericordia ad peccatores profluat. Alia etiam præcipua ratione Deipara *Miſericordiæ mater* nuncupatur: nam cum peculiare patrimonium Chriſti ſit *Miſericordia*: Dei enim enim proprium eſt *miſereri ſemper, & parcere*; certe ipſa, tanquam eius mater Ius, auctoritatem, & illius diſpenſationem ab eo obtinuit, vt non immeritò dici poſſit: *Conſtituit illam Dominus, dominam domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ*. Vnde in Cœlis hæc eſt præcipua Virginis cura, & ſollicitudo, & ad hunc ſcopũ omnem ſuam potentiam, & fortitudinem dirigit, vt peccatoribus miſericordiam impetret. Itaque ſicut diuinam iuſtitiam peccata noſtra ad vltionem prouocãt: ita materna viſcera Mariæ ad excitandam Dei miſericordiam diuino conſpectui inceſſanter ſe obijciunt. Eſt namque Deipara Porticus ſolij hoc eſt Eccleſiæ Catholicæ, in quo adeſt tribunal Dei ad miſericordiam conſequendam: eſt inſtrumẽtum tabernaculi Dei ad exhibendam, & ſuſcipiendam diuinam miſerationem. Eſt Arca Noe per quam ſceleſtiſſimi quoque homines liberantur à peccatis, calamitatibus, procellis, & flagellis. Eſt ſicut nauis Inſtitoris por tãs de longè, hoc eſt de Cœlo, lacteum panem miſericordiæ. Eſt lecythus olei miſericordiæ non deficiens, neque imminutus in Dei Eccleſia. Eſt aquæductus è Paradiſo exiens, ſimilis aquæductui regio: eſt canalis, in quem effunduntur cœlitus aquæ diuinarum miſerationum ad fidelium animos refocillãdos. Eſt cœleſte Cellarium, in quo diuina Bonitas ordinauit charitatem, vt in nos illam exerceret. Eſt cubile, in quo aromata, vnguenta & odoramenta diuinæ miſericordiæ collocata ſunt.

Tob. 8.

Exod. 24.

3. Reg. 7.

Exod. 18.

Gen. 6.

Prouerb. 31.

3. Reg. 17.

Eccleſ. 24. Geneſ. 30.

Cant. 1.

Iſai. 39.

Ceterum vt ad regiam Virginis dignitatem redeã, vnde nonnihil digreſſus ſum: nemo eſt, qui ignoret, illud latũ eſſe diſcrimen, (vt ſummus Philoſophorum docuit) inter Regem, & tyrannum, quòd hic vtilitati ſuæ ſolum proſpicit, & quę ſua ſunt ſolum quærit: Rex verò, quia propter vtilitatem ſubditorum, eis præeſt, commodis illorum, & totius Regni diligenter conſulit. Potiſſimum igitur Regis munus eſt, Regnum viriliter tueri aduerſus eius hoſtes, eorum audaciam confringere, & effrænatam dominandi libidinẽ compeſcere. Præſtitit hoc per excellentiam ſereniſſima Regina Maria: in cuius figura legimus, quod accedens olim Abimelech iuxta turrim, ſummo conatu illam demoliri tentans, appropinquanſq; eius hoſtio, ignẽ ſupponere nitebatur, vt funditus corrueret. *Vna autem mulier* (vt ſacer textus ait) *fragmen molæ deſuper iaciens, eliſit capiti Abimelech & confregit cerebrum eius*. Certè antiquus humani generis hoſtis per Abimelech deſignatus, fortiſſimã turrim Eccleſiæ Catholicæ, varijs diabolicæ ſuæ aſtutiæ machinamentis vtens, igne ſuæ malitiæ concremare tentauit. At vna mulier vnica certe Maria, quæ animi magnitudine, ac inuincibili fortitudine, nec ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentẽ, non tota ſua potẽtia, ſed fragmine eius dumtaxat eius, vt ira loquar, audaciam eius coercẽs, glorioſè debellauit; & vt illa altera mulier contra Abimelech inſiliens, cerebrum eius confregit: ipſa illius caput contriuit, iuxta diuinũ oraculũ: *Ipſa cõteret caput tuum*. Cuius cõtritionis modus comparatione Iſaiæ adamuſſim mihi explicari videtur: *Comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & nõ inuenietur de fragmẽtis eius teſta, in qua portetur igniculus*. Hoc ipſum etiam præfiguratũ fuit in victoria, quã habuit Arca de Idolo Dagon, *Inuenerunt* (inquit ſacra Scriptura) *Dagon iacentem ſuper faciẽ ſuam in terra coram arca Domini. Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant*. In primis Beatam Virginem per hanc arcam præſignari his verbis eleganter

3. Reg. 11.

Geneſ. 3.

Iſaiæ c. 30.

1. Reg. 5.

D. Ambroſ. ganter edocuit Diuus Ambroſius ſermone ſexto infine: *Arcam autem, quid niſi ſanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinſecus portabat teſtamenti tabulas: Maria autem ipſius teſtamenti geſtabat hæredem. Illa intra ſemetipſam, legem: hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat: hæc Verbum. Verumtamen arca intus, foriſque auri nitore radiabat, ſed & Sancta Maria intus, foriſque virginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, iſta cœleſti.* Hoc ſuppoſito, Beatam Virginem ſignificari per arcam: Idolum Daghonem ante ipſam iacere humi abſque capite, & manibus, manifeſtè oſtendit, Beatam Virginem, taliter dœmonem ſuperaſſe, adeoque viribus illum deſtituiſſe, vt neque conſilium, neque induſtria per caput ſignificata, nec fortitudo, aut vires ei ſupereſſent ad nocendum Beatæ

D. Bonauent. Virginis filios. Diuus Bonauentura tomo ſecundo, titulo: Laus Beatæ Virginis ait, Beatam Virginem figuratam fuiſſe per Iudith, quæ Holofernem peremit, & Populum liberauit. Narrat diuina Scriptura, quòd cùm Nabuchodonoſor Rex triumphum tuliſſet de Arphaxad Rege Medorum, *exaltatum eſt regnum eius, atque ele-*

Iudith 1. *uatum eſt cor eius.* Vnde miſit nuncios ad omnes finitimas Regiones, vt ei ſubderentur. Cùm tamen omnes renuerent, Holofernem fotiſſimum Ducem contra illas miſit, qui bellum eis indixit, & obſidionem conſtituere decreuit. Videns tamen Iudith ingentem huius tyranni inſolentiã; decreuit caput eius amputare; idque poſteà opere compleuit, illum interficiens, & exercitum eius fugam arripere compellens. Non diſſimiliter dœmon infeſtiſſimus humani generis hoſtis, poſtquam multiplici ſtratagemate abuſus, de primis parentibus Adam, & Eua triumphauerat, ita exaltatum, & eleuatum fuit cor eius, vt omnes gentes ſuo Imperio ſubiugare poſtularet. Cui petitioni cum multi contradixiſſent, vt olim tempore Iudith, qui

Ibid. omnes vno animo contradixerunt: *Et remiſerũt eos vacuos, & ſine honore,* ipſe cun

1.Pet.1. ctis obſidionem poſuit, *circuens quærens quem deuoret:* adeoque præualuit, vt Aegyptios, Aſſyrios, Perſas, Medas, Romanos, & alias penè innumeras Nationes ad ſacrilegam ſuam adorationem fraudolenter attraheret. Hanc tamen tantam tyrannidem ferre non valens beatiſſima Virgo, acriter in hunc hoſtem inſurrexit, & caput eius contriuit, ita vt melius, quam de Iudith dici poſſit: *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor,* quia Iudith caput abſcidit, Maria verò contriuit. quod maiorem importat deſtructionẽ. Vnde vt quanto glorioſior hæc Virginis victoria, quàm illa Iudith fuerit, magis innoteſcat, perpendite quæſo. Primò, Iudith non præcidit caput Regis, ſed cuiuſdam dumtaxat Ducis ab illo miſſi: tamen Deipara Maria caput contriuit Luciferi ſupremi Principis tenebrarum. Iudith, ſi Holofernis caput amputauit, id ſanè fuit, illo dormiente, cum ſe minimè defendere poſſet. *Porrò Holofernes iacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus;* at cùm Beata Virgo Luciferi caput comminuit, & illum ſuperauit, certè non dormiebat, ſed ſtrenuiſſimè vigilabat, & quantum poterat, humano generi inſidiabatur. Iudith ſi triumphauit de Holoferne, fictæ pacis, & ſimulatæ beneuolentiæ fraudolentum ſtratagema adhibuit, vt muliebris imbecillitas induſtria huiuſmodi compenſaretur; Beatiſſima autem Virgo, nullo vtens ſtratagemate, nullam pacis ſimulationem tentans, in faciem Lucifero reſtitit, & glorioſè de illo triumphauit. Ac tandem, ſicut peracta victoria, Iudith locuta eſt ad Populum dicens: *Audite me fratres: ſuſpendite caput hoc ſuper muros noſtros, & exite cum impetu: ite poſt illos ſecuri, quoniam Dominus conteret illos ſub pedibus veſtris.* Ita Beata Virgo iubet Concionatoribus, vt ſuſpendant caput Diaboli ſuper ſuggeſti muros, hoc eſt, vt omnibus manifeſtent victoriam, quam ipſa tulit de Lucifero, conterens eius caput: & ad vos omnes clamat: *exite cum impetu, ite poſt illos ſecuri, quoniam Dominus conteret illos.* Ita ſanè experientia compertum eſt, cùm & tenellæ puellæ, & imbecilles pueri de dœmone, carne, & mundo glorioſiſſimè triumphauerint.

Iudith 14.

Iudith 13.

Iudith 14.

Ad extremum, huçuſque dicta arbitror in vobis, quantumcumque peccatoribus, magnum excitaſſe deſiderium, huic magnæ matri, ac inuictiſſimæ Reginæ inſeruiendi, ac eius vos famulatui mancipandi; & ad eam, tanquam ad ſecuriſſimum portum, & firmiſſimum aſylum confugiendi: cùm pariter mater ſit, quæ pro-

Digitized by Google

propterea velit, & Regina, quæ facilè poſſit vobis opitulari. Maximè quòd ſi diadema eius intueamur, repetiemus, non alijs gemmis contextum, quàm peccatoribus ex corde illam inuocantibus. Scio Ioanni (vt ſupra vidimus) Mariam in Cœlo duodecim ſtellis coronatam oſtenſam fuiſſe: non tamen vna eſt omnium ſententia, quid per illas intelligi debeat. Quidam exiſtimant, per has duodecim ſtellas ſignificari duodecim ordines Beatorum, nouem ſcilicet choros Angelorum, & tres hominum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, quibus totus Beatorum cœtus comprehenditur; horum enim omnium duodecim ordinum præro gatiuis Beata Virgo coronatur. Alij per duodecim illas ſtellas, duodecim Apoſtolos intelligunt, qui fuerunt totidem Eccleſiæ Catholicæ micantes ſtellæ. Si enim Diuus Paulus diſcipulis ſuis dicebat: *Vos eſtis corona mea*, potiori iure id dicere poterit Beata Virgo Apoſtolis, qui permulta cœleſtia arcana ex ore eius didicerunt. Alij ſtellas, quibus compactum eſt Marianum diadema, putant eſſe duodecim ſigna Zodiaci, quæ ſi myſticè intelligantur, totidem diuina chariſmata deſignãt, quibus velut precioſiſſimis gemmis ornatur Virginis corona. Alij melius arbitrantur, per has ſtellas, duodecim corporis glorioſi dotes, quibus B. Virginis corpus, & anima, velut fulgentiſſimis ſtellis coronatur, portendi. Etenim ſimulatque Regina Maria in Sion cœleſti firmata fuit, & in Ciuitate ſanctificata requieuit; & in ſuperna Hieruſalem poteſtas eius manifeſtari cœpit, & in populo honorificato radicauit, ac in plenitudine Sanctorum detentio eius fuit; continuò Dominus eam coronauit: non lapidibus precioſis, vt reliquos Beatos, de quorum ſingulis Dauid ait: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*; ſed ſplendidiſſimis ſtellis; vt quanto cœleſtis ſtella, quocunque lapide precioſo fulgentior eſt, tanto glorioſior prę ceteris corona Virginis eſſe intelligeretur. Dicunt ergo, has duodecim ſtellas eſſe claram Beatiſſimæ Trinitatis viſionẽ, amorẽ ardentiſſimum gaudium eximiũ, excellentem creaturarum cognitionem in Verbo, corporis impaſſibilitatem, miram agilitatem, ſubtilitatem magnam, claritatem ſummam, ſuper Angelicos choros exaltationem, ſceptrum Reginæ Cœlorum, fulgentem virginitatis aureolam, ſingulare etiam inſigne, quo Deipara, propter ineffabilem dignitatem Matris Dei in Cœlo inſigniri creditur. Ceterum noſtro argumento inſeruientes, aptè ſatis intelligi putamus per illas ſtellas Beatæ Virginis clientulos filiali amore ad eã confugientes: illos enim adeò diligit Regina Maria, adeo honorat, adeò exaltat, vt ſupra ſe, ac ſupra regium ſuum caput, illos conſtituat, ac ex eis regalem ſibi coronam conficiat; immò & cum Filio ſuo conregnare faciat, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Apocal. 12.

Philip. 4.

Pſal. 20.

Homilia XVI.

Deiparæ in Cœlum Aſſumptionem valde nobis vtilem eſſe oſtendimus, cùm ibi munus Aduocatæ pro peccatoribus inceſſanter exerceat.

QVantum hodierna die aſſumptæ Virginis in Cœlum præſentia ſupernis ciuibus triumphantis Eccleſiæ attulit lætitiæ, & alacritatis, tantumdem mihi videtur terreſtribus incolis militantis Eccleſiæ Intuliſſe triſtitiæ, & meroris eius abſentia. Vnde egregiè D. Bernard. ſerm. primo de Aſſumpt. dixit: *Nobis chariſſimi, quæ in Aſſumptione, ſolemnitatis occaſio? quæ cauſa lætitiæ? quæ materia gaudiorum? Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeò vt ipſa iam cœleſtis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiante fulgore. Meritò proinde reſonat in excelſis gratiarum actio, & vox laudis; ſed plangendum nobis, quam plaudendum magis eſſe videtur. Quantum enim de eius præſentia Cœlum exultat, nunquid non conſequens eſt, vt tantum lugeat hic noſter inferior Mundus eius abſentiam?* Ceterum in triſphanti Beatæ Virginis Aſſumptione, & à lachrymis nos temperare, & mirum

D. Bernar.

rum in modum exultare debemus, ſiue
ad Virginis gloriam, & honorem, ſiue
ad noſtrã reſpiciamus vtilitatem. Si enim
filij veri ſumus tantę matris, equum ſanè
eſt, vt eius exaltatione vehementer gau-
deamus. Vt enim Chriſtus Dominus pro-
ximus in Cœlos aſcendere, videns diſci-
pulos ſuos ob futuram eius abſentiam in-
genti cœpiſſe mœrore confici, dixit eis:
Ioan. 14. *Si diligeretis me gauderetis vtique, quia*
vado ad Patrem: ita Beata Virgo ſimilia
verba ſibi vſurpans, nobis ait: *Si dilige-*
retis me, gauderetis vtique, quia vt filia,
vado ad Patrem; vt mater, vado ad fi-
lium: vt ſponſa vado ad Spiritum ſan-
ctum. Quòd ſi etiam noſtræ vtilitati con-
ſulimus, de Virginis certè in Cœlos Aſ-
ſumptione mirificè lætari neceſſe erit.
Quemadmodum enim Chriſtus Dominus
iam iam aſcenſurus ad Patrem, ſacris illis
Ioan. 16. alumnis ſuis dixit: *Expedit vobis, vt ego*
vadam; ſi enim non abiero paraclitus non
veniet ad vos: non diſſimiliter Beata Vir-
go nobis dicere poteſt: Multum intereſt,
filij, matrem veſtram in Cœlum conſcen-
dere, vt ſicut filius aduocatus eſt apud
Patrem, ita & matrem in cœleſti patria
aduocatam habeatis apud filium. Vnde
hæc conſiderans idem Diuus Bernardus,
eodem ſermone primo de Aſſumptione,
D. Bernard. inquit: *Ceſſet tandem querela noſtra, quia*
nec nobis hic eſt manens Ciuitas, ſed eam
inquirimus, ad quam hodie Maria bene-
dicta peruenit; in quam ſi conſcripti ciues
ſumus, dignum profectò eſt, etiam in exilio
etiam ſuper flumina Babylonis eius nos re-
cordari, eius nos communicare gaudijs, eius
participare lętitiam, maximeque eam,
quæ tàm copioſo impetu lætificat hodie Ciui
tatem Dei; vt ſentiamus & ipſi ſtillicidia
ſtillantia ſuper terram. Præceſſit nos Regi-
na noſtra, præceſſit, & tàm glorioſè ſuſce-
pta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominũ
ſeruuli clamantes: trahe nos poſt te, in odorẽ
vnguentorum tuorum curremus. Aduoca-
tam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tan-
quam Iudicis mater, & mater miſericors,
ſimpliciter, & efficaciter ſalutis noſtræ ne-
gocia pertractabit. Precioſum hodie munus
terra noſtra direxit in Cœlum, vt dando,
& accipiendo, felici amicitiarum fœdere
copulentur humana diuinis, terrena cœle-
ſtibus, ima ſummis. Illo enim aſcendit fru-
ctus terræ ſublimis, vnde data optima, &
dona perfecta deſcendunt. Aſcendens ergo
in altum Virgo Beata, dabit ipſa quoque
dona hominibus: quidni daret? Si quidem
nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas.
Regina Cœlorum eſt, miſericors eſt, deniq;
mater eſt vnigeniti filij Dei. hactenus D.
Bernardus. Atq; huc mirificè facit, dixit
quod Mardocheus de Regina Eſther, c. 4. Eſth. 4.
Quis nouit vtrum, idcirco ad Regnum ve-
neris, vt in tali tempore parareris? ideſt,
vt tali tempore populo tuo afferres opem,
eumque ex mortis faucibus eriperes? De
noſtra verò Eſther, ait Eccleſia in oratio-
ne vigil. Aſſumptionis: *Idcirco Virginem*
de præſenti ſæculo tranſtuliſti Domine, vt
pro peccatis noſtris apud te fiducialiter in-
tercedat, quaſi dicat: Nouimus noſtram
Eſther ad cœleſte Regnum veniſſe, vt ſuo
populo omni tempore aduocata para-
retur.

Ceterum, vt hoc *Aduocatæ* munus,
quo Beata Virgo fungitur in Cœlo, pro
nobis inceſſanter intercedens, varijſque
beneficijs nos frequenter cumulans, al-
tius repetamus, præſupponere oportet,
officium hoc *Aduocatæ*, iniunctum fuiſ-
ſe Virgini à filio ſuo, dum à ligno Crucis
penderet. Etenim clementiſſimus Ieſus
eo tempore, quo acrius iuſtitia, & miſe-
ricordia inter ſe dimicabant cùm illa à la
tere ſuo tot fautores haberet, quot vul-
nera Chriſto inflicta, quot iniurias ei illa-
tas, quot blaſphemias in eum prolatas,
quo dolores tandem, & cruciatus, qui-
bus ſupra modum angebatur. Quæ omnia
vindictam de peccatoribus enixè à Deo
poſtulabant, vt aduerſus totum hunc iu-
ſtitię exercitum miſericordia præualeret;
voluit Dominus matrem ſuam munere
aduocatricis fungentem, miſericordiæ
partes agere, ne peccatores penitus peri-
rent. Vnde proximus morti illos omnes
Ioanni Virgini commendans, dixit ei:
Mulier ecce filius tuus. Quam commen- Ioann. 19.
dationem arbitror piiſſimum Ieſum con-
ſulto vſque ad illud mortis tempus diſtu-
liſſe, quia ſciebat ea, quæ in puncto mor-
tis alicui commendantur, libentius ſuſci-
pi, & tenacius memoriæ impreſſa retine-
ri, vt adnotauit Diuus Gregorius, homi- D. Greg.
lia 29. in Euangelia. Atque hinc factum
arbitror, quòd Beata Virgo, vt huius ſi-
bi iniuncti *Aduocatæ* officij quaſi poſſeſ-
ſionem acciperet, pro bono latrone, tunc
effica-

efficaciter interceſſit. Vt enim aderat cor-
pore media inter crucem filij ſui, & cru-
cem latronis, ita & mente mediatrix ex-
titit inter eoſdem, vt facinoroſum homi-
nem Chriſto recõciliaret, ac iniunctо ſibi
muneri ſatisfacere incœpiſſet. Scio in
Iure ciuili cautum eſſe, ne feminæ admit-
tantur ad officium aduocandi, tàm in
cauſis ciuilibus, quàm criminalibus. ita
habetur l. feminæ, ff. de regul. iur. & l. 1.
ff. de poſtulationibus. Meritò quidem id
ſtatutum eſt, ne alioquin ſui ornatus ſplẽ-
dore, pulchritudine vultus, ac verborum
fallaci melodia, Iudicum animum peruer
terent. Si enim fortiſſimus Holofernes,
ex ſolo aſpectu ſandaliæ Iudith, amore
Iudith 15. eius captus fuit: *Sandaliæ rapuerunt ani-
mam eius*, facilè quidem Iudices mulie-
bri feminarum mundo, pulchritudine,
& verborum ſuauitate illaquearentur, &
iuſtitiæ iura perirent. Nec etiam me latet,
in eodem iure diſponi, vt conſtat ex l. do-
meſticus, C. de aſſeſſ. & domeſt. ne filius,
ſeruus, aut quæcunque alia perſona dome
ſtica aduocandi officium ſubeat, in cau-
ſa, in qua pater, aut dominus illius fami-
liæ Iudex eſt. Quam legem cum ratione
coniunctam eſſe, vtique vel illud vnum
ſatis perſuadet, quòd amoris affectus, ve-
lut falſa ocularia multo aliter res faciat
apparere, quàm reipſa ſint. Ieſus autem
omnes has leges infringens, vult pulcher-
rimam omnium feminarum Mariam, &
ſibi omnium maxime domeſticam, vtpotè
matrem, à qua conceptus, natus, enutri-
tus, & educatus fuit, in aduocatricem
peccatorum deſtinare: vt ſic & pulchritu-
dine, & amore, & precum dulcedine tan-
tæ matris allectus, facilius ad noſtras ſub-
leuandas miſerias flectatur, & impenſius
ſpiritualibus, ac temporalibus noſtris com
modis incumbat. Addo deinde, quòd ſi
in cauſis pupillorum, & orphanorum, ſi-
miliumque aliorum pauperum, feminis
aduocare, & ſuffragari permiſſum eſt in
iure, vt habetur 3. quæſt. 6. cap. ſunt au-
tem, cum nemo magis orphanus, & miſer
Apocal. 3. quàm peccator, vnde Angelus Apocal. 3.
ei dixit: *Neſcis, quia miſer es, & miſera-*
3. Reg. 1. *bilis, pauper, & cæcus?* & Berſabee, 3. Reg.
1. dixit: *Erimus ego, & filius meus pecca-
tores*, vel vt alia verſio habet: *Erimus pau
peres*, vtique decebat Virginem in hoc
officiũ *Aduocata* à Deo deſignari. Quod
ſi (vt Auctor eſt Plutarchus, tractatu de Plut.
magnificentia) moris fuit apud Roma-
nos, ſingularem aliquam perſonam piam
à Senatu deſignari certis ſtatis ſtipendijs,
vt in pauperum cauſis aduocaret, eiſque
patrocinaretur; & nunc quoque in l. nec
quiſquam: ff. de offic. Proconſ. idem ſta-
tuitur; rationi conſentaneum erat, vt in
cœleſti Curia non deficeret aduocata,
quæ peccatoribus ſuffragaretur, & diui-
nam iracundiam longè ab eis auerteret.
Vnde egregiè Diuus Bernardus, ſerm. de
Natiu. Virginis dixit: *Ad Patrem vereba* D. Bernard.
*ris accedere, ſolo auditu territus ad filium
fugiebas: Ieſum tibi dedit mediatorem: quid
nõ apud talem patrem filius talis obtineat?
exaudietur itaque pro reuerentia ſua: pa-
ter enim diligit filium. An verò trepidas
& ad ipſum accedere? frater tuus, & caro
tua, tentatus per omnia abſque peccato, vt
miſericors fieret, hunc tibi fratrem Maria
dedit. Sed forſitan, & in ipſo maieſtatem
vereare diuinam? quod licet factus ſit ho-
mo, manſerit tamen Deus. Aduocatum
habere vis & ad ipſum? ad Mariam re-
curre: pura ſiquidem humanitas in Ma-
ria non modò pura ab omni contaminatio-
ne, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec
dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro re-
uerentia ſua. Exaudiet vtique matrem fi-
lius, & exaudiet filium Pater.* Memini,
quod huic argumento mirificè facit) exẽ-
pli, quod Valerius Maximus in hæc ver-
ba refert: *Coriolanus maximi vir animi,* Valer. Max.
*& altiſſimi conſilij, optimeque de Republi-
ca meritus, iniquiſſimæ damnationis ruina
proſtratus, ad Volſcos, infeſtos tunc Roma-
nis confugit. Magno vtique precio virtus
æſtimatur. Itaque quo latebras quæſitum
venerat, ibi breui ſummum adeptus eſt Im-
perium. Euenitque, vt quem pro ſe ſaluta-
rem Imperatorem ciues habere noluerunt,
pænè peſtiferum aduerſus ſe Ducem experi-
rentur. Frequenter enim fuſis exercitibus
noſtris victoriarum ſuarum gradibus adi-
tum iuxta mœnia Vrbis Volſco militi ſtru-
xit. Quapropter faſtidioſus ille in æſtimã-
dis bonis ſuis Populus, qui reo non peperce-
rat, exuli coactus eſt ſupplicare. Miſſi ad eũ
deprecandum legati, nihil profecerunt: miſ-
ſi deinde Sacerdotes cum inſulis, æque ſine
effectu redierunt. Stupebat Senatus, trepi-
dabat populus: viri pariter, ac mulieres exi
tium imminens lamentabantur. Tunc Ve-*

turia

turia Coriolani mater, Volumniam vxorem eius, & liberos ſecum trahens Caſtra Volſcorum petijt. Quam vbi filius aſpexit. Expugnaſti (inquit,) & viciſti iram meam; patria, precibus huius admotis, cuius vtero te, quamuis merito mihi inuiſam, dono: continuoque Romanum agrum hoſtilibus armis liberauit. Ergo pectus dolore accepta iniuriæ, ſpe potiundæ victoriæ, verecundia detrectandi miniſterij, metu mortis refertum totum ſibi pictas ſuperauit vniuſque parentis aſpectus, bellum atrox ſalutari pace mutauit.

Hanc Virginis protectionem non obſcurè indicant (ſi Platani metaphoram penetremus,) verba illa, quibus Salomon
Eccli. 24. in perſona Virginis vtitur: *Sicut platanus exaltata ſum,* &c. Etenim præterquam Platani folia figuram clipei portendunt, quod ſymbolum eſt protectionis, & quot folia tot ſcuta habere videtur; illa eſt notiſſima huius arboris commendatio, quòd æſtate ab infeſtatione radiorum ſolarium homines protegit, hyeme illos admittit: habet namque folia ita inter ſe connexa, & intexta, vt ſub vmbra illius quieſcentes tempore æſtatis, radij ſolares minimè offendere queant. Hyeme tamen accedente, folia illa inter ſe connexa ſic ad inuicē explicantur, & ſeparantur, vt radijs ſolaribus facilis pateat aditus ad fœcundãdas ſuo calóre radices eius. Hæc duplex Platani proprietas, duplex pientiſſimæ Virginis officium, quo erga nos vtitur, egregiè adumbrat. Ipſa enim tempore æſtatis, diuinæ iracundiæ, velut platanus ſe interponit, ne radij diuinæ vindictæ peccatores offendant. Tempore etiam hyemis, cùm dura peccatorum corda frigeſcunt, ipſa viam parat, & iter pandit, quo radij ſolares diuinæ miſericordiæ, velut ceram, rebelles eorum voluntates emolliant, vt dignos pęnitẽtiæ fructus faciant. Indicat etiam eandem Virginis protectionem communis illa Lunæ appellatio, qua Beata Virgo *Pulchra, vt Luna* cohoneſtari ſolet. Dicunt Aſtrologi, & Albumazar, quod ſi Luna nocte omninò non radiaret vapores aſcendentes de terra, adeò condenſarentur, vt animalia reſpirantia ſuffocarentur. Non diſſimiliter Maria quaſi Luna conſeruat hominibus vitam ſpiritualem. Quis enim eſt, qui non ſentiat continuo vapores de terra cordis ſui aſcendere, quibus ferè ſpiritus hominis ſuffocantur? Vapores namque inanis gloriæ ſurgunt ex ſanguine: triſtitiæ ex melancholia: ignauiæ ex phlemagte: iracundiæ ex colera. Ex his vaporibus ſurgentibus, mirum eſt, quòd non ſuffocantur ſpiritus vitalis animæ; ſolum eis obſtat, quòd dicit Abacuh: *Sol, & Luna* (id eſt Chriſtus, & Maria) *ſteterunt in tabernaculo ſuo*, ideſt, in Cœlo, vitam gratiæ hominibus conſeruantes.

Porrò munus hoc: *Aduocatæ* Virgini collatum, licet tempore gratiæ cœperit clarius manifeſtari, adeò tamen peruetuſtum eſt, vt antequam procrearetur, iam in Dei conſpectu illud exerceret. Quod quantumuis mirabile, ac difficile videatur, multis argumentis aſtruemus. In primis Galatinus lib. 7. de Arcanis, refert, quod fidei celeberrimus Rabbinus Accha
Galatinus. dos in libro, cuius inſcriptio eſt: *Reuelator Arcanorum*, in ſexta interrogatione, in qua Antoninus Conſul ab eo rationem petierat, ob quam Deus populum Iſraeliticum, alioquin ſæpè idololatram, & non ſemel Dei detractorem, multiſque alijs peccatis infectum in populum ſibi charũ eligeret? Reſpondit, quòd videns Deus ex Iſrael excidendam eſſe, velut petram primariam, Mariam, ex qua Meſſias futurus erat; qui miſericordias ſuas extenderet per vniuerſum orbem, idcircò charum illum habebat populum, & Iſrael, pater vocari volebat. Ecce quomodo, antequam eſſet Beata Virgo, Deus intuitu illius populo Iſraelitico beneficia conferebat. Deinde Gregorius Venetus in harmonia Greg. Venet.
Mundi, Cant. 1. tomo 5. capit. 7. refert, Hebræos inter ſacra ſua Arcana hoc memorandum tradere, ſemper ante faciem ſummi Imperatoris aſſiſtere quandam creaturam reliquis omnibus excellentiorem, quam *Mitraton* appellabant, ideſt: *Principem facierum*, quia ſemper aſſiſtat ante tribunal Chriſti Domini duplicẽ faciem habentis, Dei ſcilicet, & hominis: poteſtatemque habeat, reliquos ad diuinam faciem intuendam introducendi; Hanc autem creaturam eſſe Beatam Virginem, ex eorundem obſeruatione non obſcurè poteſt colligi, dum aiunt literas, ex quibus conſtat hoc nomen: *Mitraton*, conficere numerum, *nongentorum nonaginta nouem*; quem eundem numerum

reddunt

Digitized by Google

reddunt literæ nominis *Mariæ*. Tàm aũt grata Virginis interceſſio apud Deũ eſſe perhibetur, quàm verba illa, Canticorum quarto, indicant: *Fauus diſtillans, labia tua, ſponſa: mel, & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris*. Alloquitur hic Chriſtus in Cęlo glorioſus Beatam Virginem, dum precibus ſuis munus *Aduocatæ* pro nobis gerit. Vnde perinde eſt, ac ſi diceret: dum precibus tuis ò Virgo, & mater mihi dilectiſſima, peccatoribus veniam, & gratiam à me niteris impetrare, labia tua, mihi videntur, fauus diſtillans dulciſſimum mel gratiæ, quam ex meis contraxiſti labijs, cum ea deoſculabaris: diſtillans etiam lac, quod mihi miniſtraſti vbere de Cœlo pleno. Mel enim hoc, & ſuauiſſimum lac ſub lingua tua ſeruas prompta ad illud proferendum: diſtillas verò illud, in memoriam mihi reuocans precibus tuis, quas à me ſuſcepiſti gratias, & quæ mihi miniſteria, me educando, exhibueras. Quid dicam de fragrantia tuorum veſtimentorum, decore ſcilicet, & fortitudine, iuxta illud: *Fortitudo, & decor indumentũ eius?* Sanè eorum ſuaueolentia me vincis: *Odor namque veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris:* quia ſicut huiuſmodi odor, quem Sacerdos in Altari adolet, placare me ſolet contra ſceleratos commotum, efficacius odore iſtorum veſtimentorum tuorum, quibus præcincta, dulcem precibus tuis vim mihi infers, placabor erga peccatores, pro quibus mihi illas effundis. Ac tandem D. Iren. lib. 5. c. 19. contra Valentinum expreſsè affirmat, Mariã aduocatam fuiſſe Euæ. Cenſet ergò à primordijs Mundi Mariam officium aduocatæ in die præcognitione exercuiſſe. Nõ ergò adeò videri debet alienum, ſi hanc ſuã aduocatam Eua non ſolum habuiſſe dicatur, ſed etiam eandem in ſpiritu cognouiſſe, immò & amaſſe, & deſideraſſe credatur. Etenim ex promiſſorijs Dei verbis haud obſcurè percepit, venturam talem aliquando mulierem, quæ cum ſuo benedicto ſemine nequiſſimi ſerpentis cõtereret caput, atque lapſum genus humanum; & idcircò vtrumque ſexum erigeret, reſtitueretque. Hac fide ſuffulta Eua, & mariti oratione haud dubiè confirmata, cùm in ſui Redemptoris matrem eminus intueretur, quæ ſumma illi proculdubio, conſolatio fuit, an non illam pro aduocata ſua ſuſpexit, ac licet abſentem, multumque remotam meritò venerata eſt? In quem ſenſum dixit etiam Epiphanius orat. de laudibus S. Mariæ Deiparæ: *Angeli accuſabant Euam, nunc verò Mariam gloria proſequuntur; quæ mulierum infirmitatem verè glorioſam reddidit, quæ lapſam Euam erexit*. Obmuteſcat igitur impius Chemnitius temerè effutiens, abſurdum videri, ſi Maria fermè quatuor mille annis poſt primorum hominum lapſum condita, Euæ aduocata dicatur. Quandoquidem nondum nata, pro Eua non potuerit Deum inuocare: *Quis igitur* (inquit) *per febrim ſomniabit, Euam tunc, cùm eſſet Virgo, inuocaſſe Mariam aduocatam ſuam, quæ nondum nata erat?* At mihi Chemnitius, quaſi per febrim hic ſomniare videtur; cùm ex munere aduocati, vel aduocatę inuocationem neceſſariam colligit: velut hæc duo ſint inſeparabilia, aduocatam agere, & inuocare. Quod autem hæc diſiungi queant, etiam Valla ſeuerus latinæ linguæ cenſor annotauit, multoque rectius ille Grammaticus, quàm Chemnitius Theologus iudicat, cùm in hunc modum ſcribit: *Quicunque alteri adeſt in cauſa, officij gratia, aduocatus appellatur, etiam ſi nihil dicat, neque agat*. Vnde Chemnitius aduertere debuiſſet, Mariam in hoc diuinitus electam, & per Gabrielem Angelum vocatam fuiſſe, vt ſciens, & volens, mater fieret Emmanuelis; ac eo ipſo, non Euæ tantummodo, ſed & omnium mortalium cauſam ageret, & redemptionem humanam in Chriſto complendam fideliſſimè procuraret. Procurantis autem vox illa fuit, quæ ſumma, & fide, & charitate conſtabat, & orbi redimendo, quaſi fundamenta præſtruebat: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Confirmat hæc omnia noſter Sanctus Bernardinus ſermone 61. de Virgine benedicta his verbis: *Hæc benedicta puella in lumbis erat Adæ, ſecundum ſeminalem rationem; potentiaque producenda puella in primis parentibus impreſſa erat, donec educeretur in actum. De ipſa namque naſci debebat Dei filius Ieſus Chriſtus, qui ſecundum corpulentam ſubſtantiam in Adam exiſtens, erat ſolum de Virgine, & de nulla alia educendus. Indulſit ergo miſericors Deus primis*

paren-

Cant. 4.
Prouerb. 31.
D. Irenæus.
Geneſ. 3.
D. Epiphan.
Chemnitius.
Laur. Valla
Luc. 1.
S. Bernardinus.

parentibus, neque eos annihilauit; quia ſic non fuiſſet exorta Beata Virgo; nec per conſequens Chriſtus, ſiue Deus carnem veſtiſſet humanam. Ergo propter iſtam nobilem Geneſ. 2. *creaturam Deus ſaluauit parentes primos de prima eorum transgreſſione:* Geneſ. 7. *Noë diluuio inundante. Abraham de Hur Chaldaeorum.* Geneſ. 14. *Iſaach de Iſmaele. Iacob de Eſau.* Geneſ. 21. *Iudaicum populum de Aegypto, & de impia Pharaonis manu,* Geneſ. 27. Exod. 14. *& de mari rubro, de manibus diuerſorum Regum,* Exod. 32. *& Tyrannorum, ſcilicet Nabuchodonoſor, de captiuitate Babylonia, & Aſſyriorum. Dauidem de leone, & vrſis, de gygante Goliath, & de Saule infeſtiſſimo eius hoſte.* Daniel. 3. *Et vt breui ſermone, cuncta comprehendam, omnes liberationes, & indulgentias factas in veteri teſtamento, non ambigo Deum feciſſe ſolum propter huius benedictæ puellæ reuerentiam,* Iſai. 23. *& amorem, quibus eam Deus in æterna ſua prædeſtinatione honorandam* 4. Reg. 19. 2. Reg. 17. 3. Reg. 18. *cunctis operibus ſuis ab æterno præordinauit.*

Ad munus itaque aduocandi, & intercedendi tria præcipuè deſiderantur, quæ neceſſe eſt, non deſiderentur. Poteſtas, Prudentia, & pia voluntas: quæ tria, quia antiquus Auctor Pomerij, ſermone de Beata Virgine, piè licet, alioquin humili ſtylo proſequatur, eius verba hic apponenda cenſui: ſic enim ait: *Primò Maria* 3. Reg. 2. *habet maximum poſſe in Curia cæleſtis Regis, tum propter cognationem, quia eſt mater Regis, & ideò nihil ei poteſt denegare,* Auctor Pom. *iuxta illud: Pete mater quod vis, neque enim fas eſt, vt auertam faciem meam; tum etiam propter complacentiam, & dilectionem, quia ipſa Beata Virgo præ omnibus Beatis, & Creaturis diligitur à Rege Chriſto, tum propter obſequia ei exhibita, quia ſi apud Regem aliquem multum poſſunt, & merentur, qui multum ſeruierunt illi, certè Maria ſuper omnes gratiſſima erit, quæ plurima ſeruitia impendit Chriſto.* D. Anſel. Hinc Anſelmus de Conceptione Virginis, cap. 12. dixit: *Scimus Beatam Virginem tanti eſſe meriti, & gratiæ apud Deum, vt nihil eorum, quæ velit efficere, poſſint aliquatenus effectu carere.* Secundò, ipſa Beata Virgo habet ſummam prudentiam, & ſcientiam, vtpotè illuminatiſſima, quia Maria *illuminata* interpretatur, D. Hieron. ſecundum Hieronymum; & ideò nouit noſtri miſereri, quia ſcit omnes defectus noſtros, & pericula, ac neceſſitates. Scit inſuper Deum prudentiſsimè inclinare ad miſericordiam, & reconciliare, ac irã eius auertere. Quapropter ipſa figurata eſt per Abigail, quę ſcribitur fuiſſe mulier prudentiſsima, & quod occurrit velociter ipſi Dauidi irato cum muneribus, eiuſque iram mitigauit, & prudenter placauit, ne occideretur Nabal peſſimus. 1. Reg. 25. Nota autem, quòd ipſa prudentiſsima Abigail legitur, ſex genera munerum obtuliſſe Dauidi ira commoto, quibus eundẽ placare ſtuduit. Primò, obtulit panes: ſecundò: vini vtres: tertio coctos arietes: quarto ſata polentæ, ideſt, menſuras, vel modios accuratiſsimæ farinæ: quinto ligaturas vuæ paſſæ: ſexto maſſas Caricarum, ideſt ficuum. Ita ſpiritualiter hæc prudentiſsima mediatrix, & reconciliatrix noſtra Maria ſex genera offert, allegando, & intercedendo pro nobis apud Chriſtum, quæ ſignificatur per oblata Dauidi; ne æterna morte nos peſsimos peccatores occidat. Primò panem, ideſt, carnem Chriſti, qui eſt *panis vitæ*. Ioan. 7. Secundò offert vinum, per quod ſignificatur, ſanguis Chriſti, quem effudit pro nobis in Cruce, quia ex vino ſanguis Chriſti conficitur in calice. Tertio offert arietes coctos, per quos ſignificantur obſequia Mariæ in operibus miſericordiæ, circa Chriſtum exhibitis, alendo illũ, portando, fouendo, balneando, &c. Nã aries miſericordiam ſignificat, quia ſua, quæ habet, ideſt lanam, carnem, & pellẽ in vſus hominum erogat. Quartò offert ſata polentæ, ideſt dolorem, & compaſſionem, quam ipſa ſuſtinuit in Chriſti nece. Sicut enim ſata polentæ, ideſt, farina multum eſt contrita, & molita; ita vehemẽter Beatæ Virginis anima fuit mœroribus attrita in Chriſti paſsione. Quintò offert ligaturas vuæ paſſæ, per quod ſignificatur amoris dulcedo, quo cor Mariæ fuit alligatum, & vnitum per affectum maternum ipſi dulciſsimo Ieſu. Sextò, offert ficus, per quod delineatur fides Mariæ formata: Sicut enim ficus habet plura grana, & dulcem humorem, ita fides in Maria multa meritoria opera in dulcedine charitatis facta: *Fides* namque *ſine operibus mortua eſt*. Iacob. 2. Sic ergò ſapientiſsimè Maria pro nobis per ſingula hæc intercedendo, in hunc modum deprecatur: Memento

dul-

dulciſſime fili Ieſu, quia ego dedi tibi carnem, & ſanguinem, quem effudiſti in Cruce pro peccatoribus: memento doloris, & compaſſionis meæ ſub Cruce, nec non amoris, quem habui ad te, fidei, ac omnium meritorum meorum, & propter me parce huic recurrenti ad me. Ecce ergo habet Maria, primò ſcire placare, ſecundo poſſe, tertiò fideliter velle, & optare ex eius indita diuinitus pietate, vt noſtri miſereatur. Vnde Diuus Bernardus ait: *Non deeſt Mariæ poteſtas, quia mater eſt omnipotentiæ: nec impetrandi induſtria, quia mater eſt ſapientiæ: nec voluntas, quia mater eſt miſericordiæ.* hactenus ille. Quæ ſanè non ignorans S. Ephrem Diaconus, de ſanctiſſimæ Dei matris laudibus, aduocatam Mariam in hæc verba inuocat: *Ex vlnis equidem maternis tibi, Domina mea, deditus ſum miſerabilis, & cliens tuus vocatus ſum, ne maleuolus Sathanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, ò Virgo inuiolata, & præſes auxiliatrix. Denique ſub tutelà, & protectione tua totus ſum. Crebris lacbrymis, ò celeberrima mater imploro, & adnoluor tibi Domina mea, ſuppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vitæ omnium dator ob multa, quæ patraui ſcelera, tollat me de medio, & miſeram animam, ceu leo, diripiat, vel vt ſterilem ficum, in felicem me excidat; ſed obſecro, vt Chriſtum meum adeam, & ſub eam aulas illas Beatorum, vbi non ſunt lacbrymæ, non vexatio, non moleſtia, non mors, non tormenta, non locorum anguſtiæ, ſed lætitia inexhauſta, voluptas iuſtorum, deliciæ, & exultatio, gloria, & ſplendor,* quem nobis præſtare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Bernar.

S. Ephrem.

Homilia XVII.

Proſequimur magnitudinem potentiæ Reginæ Mariæ ad benefaciendum, implorantibus eius auxilium; pariterque oſtendimus, quotquot ſaluantur, aut cœleſtia chariſmata recipiunt, vel certè à malis liberantur; id totum mediante Virginis interceſſione ſibi diuinitus præſtari.

EXordior ab ea figura Reginæ Eſther, à ſacris Doctoribus frequenter decantata, quæ Reginæ Mariæ miram potentiam in ſubueniendo generi humano, egregiè obumbrat. Legimus libro Eſther, tyrannum Amanem à Rege Aſſuero obtinuiſſe, vt totum Hebræorum genus gladio interiret: *Literæ ſignatæ ipſius annulo miſſæ ſunt per Curſores Regis ad vniuerſas Prouincias, vt occiderent, atque delerent omnes Iudæos, à puero vſque ad ſenem, paruulos, & mulieres vno die, hoc eſt, tertiodecimo menſis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.* Mardochæus autem, cui huiuſmodi literæ valde diſplicuerunt, ſacco indutus, ac cinere conſperſo capite, lugēs egreſſus eſt per plateas, & Reginam Eſther adijt, dicens ei: *Loquere Regi pro nobis, & libera nos de morte.* Illa verò pro ſua pietate, eius precibus annuens, cum primum ingreſſa eſt ad Regem, ille dixit ei: *Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi, & quid vis fieri, etiam ſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* Ad quem illa reſpondit: *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & Populum meum, pro quo obſecro.* Fuit hæc petitio Reginæ Eſther efficax adeò, vt confeſtim Rex latam ſententiam aduerſus Hebræos

Eſth. 3.

Eſth. 4.

Eſth. 5.

Eſth. 5. & 7.

bræos publico edicto reuocaret: in quo inter alia hæc verba dixit: *Eas literas, quas ſub nomine noſtro ille*, (ſcilicet Aman) *direxerat, ſciatis eſſe irritas.* Nunc ad rem noſtram accedam. Aman, D. Hierom. qui ſecundum Diuum Hieronymum de nominibus Hebraicis, interpretatur *iniquus*, ſeu *coanguſtans*, & *comprimens*, communem humani generis hoſtem deſignat, qui peccatoribus miſericordiã Dei coanguſtat, & comprimit, adeò vt non ſemel in deſperationis baratrum miſerè detrudat. Mardochæus autem, qui ſecũdum eundem Hieronymum, idem pollet, quod Ibidem. *amare conterens*, vel *amara contritio*, peccatorem pœnitentem, & contritum ad Reginam Mariam confugientem, vt pro ſe, & pro reliquis peccatoribus intercedat, non obſcurè ſignificat. Regina deinde Eſther liberationem Populi ſui à Rege poſtulans, & impetrans, Reginam Mariam apertè refert, quæ pro peccatoribus intercedens, ſententiam mortis à ſupremo Rege contra eos latam, reuocare facit. Aſſuerus autem Rex, quem Eſther deprecabatur, vt Auctor eſt idem Diuus Hieronymus cum ſignificet, *beatitudinis Dominum*, manifeſtiſſimè delineat Ieſum Chriſtum gloriæ Dominum, & beatitudinis diſpenſatorem. Quemadmodum autem Aſſuerus dixit Reginæ Eſther: Eſth. 15. *Si dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis*; ita Beatæ Virgini non verbis, ſed reipſa dimidium ſui Regni Chriſtus Dominus impertiuit. Etenim ex iuſtitia, & miſericordia roboratur Regnum Dei, vt Dauid teſtatur Pſal. 61. *Quia po-* Pſal. 61. *teſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia:* ex his autem Deus reſeruans ſibi iuſtitiam, miſericordiam Virgini communicauit. Vnde ſi de Cæſare dictum eſt:

Virgilius. *Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet.*

potiori iure nobis licebit dicere:

Diuiſum Imperium cum patre, mater habet.

2. Reg. 14. Huc etiam facit, quod ſapiens illa mulier Thecuites, quæ ad Dauid venit, & hiſtoriam contexuit de duobus filijs in agro corrixantibus, quorum alter alterum interfecit, ſuiſque precibus interfectorem ad mortem damnatum liberauit. Beatiſſima Virgo aduocata noſtra ſic Deo cauſam hominum propoſuit. Aduocata ſum peccatorum, mater iuſtorum, audiri debeo: neque enim inaudita parte ſententia ferenda eſt. Duos filios habeo, alterum naturalem, etſi ſupernaturaliter conceptum, alterum adoptiuum. Hi corrixati ſunt in agro huius Mundi; & impius interfecit iuſtum, Cain Abel, peccator Deũ, qui reuera mortuus nõ fuiſſet, niſi propter delicta noſtra. Ardenter cupio (ait B. Virgo, vt illa altera Thecuites) ne extinguatur ſcintilla, quæ relicta eſt filij adoptiui. Tũc miſericors Dominus Mariæ precibus inclinatus, ne miſericordiæ mater abſque multis liberis maneat, decernit, ne filius eius adoptiuus moriatur. Eandem & Reginę Marię potẽtiã in miſerijs noſtris ſubleuandis præclarè mihi adũbraſſe videtur inſignis illa pulchræ Rebeccæ hiſtoria. Illa enim, cùm agnouiſſet Iſaach vocaſſe filium ſuum Eſau, vt vltimam benedictionem ei impertiret: *Affer, vt comedam, &* Geneſ. 27. *benedicat tibi anima mea:* continuo filio ſuo Iacob ipſa dixit: *Nunc ergo fili mi acquieſce conſilijs meis, & affer cibum Patri tuo, & benedicat tibi priuſquam moriatur.* Cui conſilio Iacob acquieſcens, & pelliculis hædinis manus cooperiẽs, iuxta Rebeccæ iuſſionem, vt piloſas manus fratris ſui Eſau ſimularet illã benedictionẽ, à Patre obtinuit: *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, abundantiã frumenti, & vini.* Non diſsimiliter, cùm diuinus Iſaach Chriſtus Dominus omnibus iuſtis promiſerit cęleſtem illam benedictionem: *Veni-* Luc. 11. *te benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod paratũ eſt vobis à conſtitutione Mundi*, B. Virgo, vt illam obtineamus, tùm intercesſione, tùm conſilijs ſuis hortatur fideles, quamuis peccatores Chriſto inſeruire. Quare non dubito, quin prædeſtinati omnes per eius preces æternam benedictionem adipiſcantur. Quod ſanè nõ obſcurè mihi docuiſſe videtur Eccleſia Catholica, dum in celebri illo Cant. *Salue* Eccl. Cath. *Regina*, ab ea poſtulat oſtendi ſibi Chriſtũ Dominum in gloria triumphantem, vt eo fruatur dicens: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* O miram, & inauditam potentiam quòd cum propriũ ſit Patris æterni oſtendere filium. Vnde Dauid dicebat: *Oſten-* Pſal. 79. *de faciem tuam, & ſalui erimus*, filium Dei Exod. 33. appellat *Faciem*, quia imago eſt bonitatis

illius

illius. Quare ipſe Moyſi poſtulanti ab
eo, vt oſtenderet ſibi faciem ſuam, dixit:
Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum:* nihilo ſecius
Eccleſia fatetur tantam eſſe potentiam
Virginis, vt quod Deo per naturam competit,
id Mariæ per gratiam conueniat,
quatenus interpellãs pro nobis, vt remiſſione
peccatornm accepta, ipſe filius poſt
obitum noſtrum, faciem ſuam nobis detegat;
ipſa Deipara verè dicatur oſtendere
nobis poſt hoc exilium filium ſuum:
Quo munere per multa retrò tempora
perfunctam illam intueor: nam paruulum
in cunabulis oſtendit Chriſtum paſtori-
Luc. 2. bus in Bethlehem: deinde poſt treſdecim
dies à natali eius eundem infantulum
tribus Regibus Magis videndum, & ado-
Matth. 2. randum obtulit: eundem præterea in
Luc. 2. Templo ſeni Simeoni manifeſtauit: eun-
Ioan. 2. dem Architiclino, & inuitatis in nuptijs
Canæ Galileæ prodigia patrantem exhibuit:
eundem iuxta Crucem in Caluario
Matth. 27. Patri, Angelis, & vniuerſo orbi videndum,
& diligendum obtulit: ac tandem
nunc in Cœlis glorioſum oſtendit filium,
his, quos ſua interceſſione ſaluos facit.
Etenim ſicut Deus fecit illam gratiæ theſaurariam,
ita bonorum omnium ſpiritualium,
etiam ipſius gloriæ diſpenſatricem.
Vnde cum Romæ, vbi hæc ſcribimus,
Referendariæ, & *Cancellariæ*, munera
maximè vigeant, quibus magni momenti
negocia, tàm Iuſtitiæ, quàm Gratiæ
(vt vocant) expediuntur, non abs re
erit, hæc in Virginem conuertere. Aptè
enim in primis, dixerim Beatam Virginem,
Referendariam eſſe in Curia Summi
Pontificis Chriſti Domini, quæ à peccatoribus
ſupplicationes accipiens eaſdem
Luc. 1. ei præſentat, dicens illi: *Fiat mihi
ſecundum verbum tuum.* Illo autem dicente:
quodnam eſt hoc verbum? non
aliud ipſa reſpondet, quàm: quod mihi
Curiam cœleſtem ingredienti, dixiſti:
3. Reg. 2. *Pete mater mea à me quod vis, neque
enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.*
Quæ audiens Chriſtus Dominus, continuò
ſignat ſupplicationes per *Fiat:* ac ſic
ſignatas peccatoribus reſtituit ad eorum
miſeriam ſubleuandam, quia ipſa, eſt mu-
Prou. vlt. lier illa, de qua dicitur: *Manus ſuas aperuit
inopi, & palmas ſuas extendit ad
pauperem.* Gerit etiam Beata Virgo in
cœleſti Curia, *Cancellariæ* munus. In

Cancellaria enim Summi Pontificis tria
genera literarum moris eſt expediri: quædam
ſunt ſimplicis iuſtitiæ: aliæ ſunt puræ
gratiæ: tertiæ verò mixtæ, quæ partim iuſtitiæ,
partim gratiæ eſſe cenſentur. Non
diſſimiliter in cœleſti Curia ſpiritualem
quandam Cancellariam contemplor, in
qua ſimiles literæ expediuntur: ad Michaelem
Archangelum ſpectat, literas
puræ iuſtitiæ expedire. Ad quod ſignificandum
Eccleſia Catholica conſueuit il-
lum ſtaterã manu tenentẽ depingere, qua *Eccleſ. Cath.*
merita, & demerita animarũ põderare ſi-
gnificat: vt enim ait Salomon: *Pondus, &* *Prouer. 16.*
ſtatera iudicia Domini ſunt. Ad Petrum
autem Apoſtolum, Cœli ianitorem pertinet,
literas mixtas Iuſtitiæ, & Miſericordiæ
expedire, adulti enim qui, diuina
gratia adiuuante, per propria opera ſaluantur,
claue iuſtitiæ Regnum Cœlorum
eis aperit, quia cum Paulo dicere poſsũt:
Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Vnde *2. Thim. 4.*
ad Roman. 3. *Ei autem, qui operatur, mer-* *Ad Rom. 4.*
*ces non imputatur ſecundum gratiam, ſed
ſecundum debitum.* Alijs verò, qui operibus
carent, vt infantes, & qui grandiores
effecti iudicio ſemper caruerunt, alia
claue, non Iuſtitiæ, ſed gratiæ, clauſas
paradiſi portas reſerat. Beata autem
Virgo, quæ ſupremæ Cancellariæ munus
gerit, literas puræ gratiæ, & miſericordiæ
expedit, quia mater gratiæ, & miſericordiæ
eſſe perhibetur, vt Eccleſia Catholica
quotidie canit. Huiuſmodi enim
literas puræ gratiæ obtinere, cùm alioquin
nec iure iuſtitiæ, aut fidelitatis eſſent
à Deo optimo maximo debitæ, ſed
ex pura liberalitate, pura munificentia,
ac mera ſummi largitoris gratia omninò
pendeât, magnam Beatiſſimæ Virginis potentiam
commendat; & quàm multum
apud Dominum eius interceſſio valeat,
apertè commonſtrat. Et quidem ſi Salomon
ad commendationem diuinæ potentiæ
dixit, corda potentiſſimorum Principum
ita in manu eius eſſe, vt quocunque
velit, poſſit illa intorquere. *Cor Regis in* *Prou. 21.*
*manu Domini, quocunque velit, inclinabit
illud.* Quomodo non valde miranda erit
Mariæ potentia, in cuius manu, non cor ſolum
Regis creati, ſed & increati poſitum
eſſe nouimus, vt quocumque voluerit, illud
inclinet, & flectat? Vnde Beatus Petrus
Damianus Cardinalis ſerm. primo,

de Natiuitate Beatiſſimæ Virginis dixit: *Quid tibi negabitur, Maria, cui negatum non eſt, Theophilum de ipſis perditionis faucibus reuocare? infelicem animulam, totum illud, quod in te factum eſt, proprio charactere denegantem de luto fæcis, & miſeriæ ſubleuaſti. Nil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt, deſperatos in ſpem beatitudinis releuare.* Nec diſſimilis eſt locus apud Gregorium Nicomediæ Archiepiſcopum, vt qui matrem Domini hoc ſermone compellat, oratione de exitu Beatæ Virginis: *Nihil tuæ reſiſtit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus: omnia cedunt tuo iuſſui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt.* Quòd ſi, vt Auctor eſt Ruffinus, libro decimo Eccleſiaſt. hiſtor. & alij vitam Conſtantini pertractantes, hic Imperator tanti habuit Helenam matrem ſuam, vt poteſtatem ei faceret Regijs theſauris vtendi pro ſuo arbitratu; nemo ſanæ mentis dubitabit Chriſtum Dominum, vtpotè Conſtantino multo magnificentiorem, amplam facultatem impertiſſe matri ſuæ, vt ad libitum ſuum de locupletiſſimo ſuæ diuinæ miſericordiæ ærario, quibuſcunque diſpenſare poſſit. Nec hæc incredibilia videri debent: nam *ſi iuſto in terris credenti omnia ſunt poſſibilia*, vt veritas ipſa teſtatur; cur non matri Domini ampliſſimum fidei fructum in Cœlis poſſidenti tantundem attribuatur? habet namque illa præ ceteris Beatis *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam: & ſuperfluentem*, in ſinu ſuo reconditam: vt hinc etiam, ſi cũ Diuo Bernardo loqui fas eſt, ſermone primo de Aſſumptione Beatæ Virginis: *Dare hominibus dona poſſit, ſed non ſicut ille, immò duce, & præſtante illo*, de quo ſcriptum legimus: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.* Etenim non ſolum his, qui conferunt, ſed etiam, qui procurant, & qualicunque ratione impetrant nobis beneficium aliquod, idem etiam dare, vel conferre dicuntur, magnaſque illis gratias meritò agimus.

B. Petr. Dam.

D. Greg. Archiep. Nicom.

Ruffin.

Matt. 9.

Luc. 6.

D. Bernard.

Ad Ephes. 4.

Accedit ad hæc, quod & Virginis potentiam pariter, & pietatem, & liberalitatem oſtentat, nimirum omnia quæcunque bona de manu Dei ſuſcipimus, Beatiſſimæ Virginis interceſſioni, & precibus deberi. Vnde non abſque myſterio Abacuch vocauit Beatam Virginem, *Auſtrum*, dicens: *Deus ab Auſtro veniet*. Sciunt ſanctæ linguæ peritos dicere, Auſtrum idem eſſe in Hebræo, quod Theman, quod interpretatur *Dextrum*; per quod aptè intelligitur innocentia Beatæ Virginis, quæ ab inſtanti ſuæ Conceptionis ſemper fuit à dextris Dei, nunquam à ſiniſtris, vbi peccatores locantur. Diuus tamen Hieronymus noſtro argumento accommodatius, vt Auctor eſt Rabiſius in Commentario huius loci, dixit: *Auſter eſt pincerna pluuiarum*, ac ſi diceret: Auſter inſtar diſerti pincernæ pluuias diſtribuit, neceſſitatibus ſublimium rerum accommodatas. Etenim cùm hic ventus perflat, nubes congelantur, Cœlũm pluit, arida terra fœcundatur, plantæ nutriuntur, arbores frondent, ac tandem prata miro virore decorantur. Non diſsimiliter Beata Virgo, velut cœleſtis Auſter, pincerna cœleſtium pluuiarum cenſeri debet, cùm pro nobis intercedens, tot miſericordiarum pluuiæ in nos deſcendant, quot noſtræ ſunt indigentiæ, & miſeriæ. Huc etiam facit, quod ſponſus in ſuo epythalamio Virginem alloquens, ait: *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea.* Quibus verbis duo præclara beneficentiæ, & interceſſionis Mariæ ſymbola nobis proponuntur. Primum ſymbolum eſt colli, per quod ſatis tritũ eſt ſignificari, quòd ſicut per collum influxus capitis reliquis corporis membris deriuantur; ita per Virginem, velut per myſticum collũ, quotquot gratiæ, & præſidia hominibus cõmunicantur, à Chriſto capite in eos transfundũtur. Secundum ſymbolum eſt, turris quia ad Virginem, tãquam ad tutiſsimam turrim, omnes fideles cum ab hoſtibus infeſtantur ſeſe ſalutis cauſa recipiunt. Illa munita eſt, fortiſsimis propugnaculis, hoc eſt, præſentiſsimis in omni tentationum, & perſecutionum genere præſidijs: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*; non ſolum, quia mille protectionum genera interceſsione Virginis continentur, propter quæ multa etiam inuocationum genera promeruit; ſed etiam quia quotquot fortiſsimi milites, ac Duces in Eccleſia extiterunt, victorias ſuas Virgini acceptas retulerunt, & hodie

Abac. 3.

D. Hieron. Rabiſius.

Cant. 4.

quoque

quoque referunt; & idcircò arma ſua ex huiuſmodi turri, quaſi ex tholo ſuſpendunt, hoc ipſo teſtantes, ſe Virginis potiſſimum beneficio de hoſtibus, tum animæ, tum corporis victoriam reportaſſe. Vnde merito alij transferunt ex Hebræo: *Quæ conſtructa eſt ad diſciplinas*, ſiue: *quæ conſtructa eſt ad docendum tranſeuntes*, quoniam quicunque ad hanc turrim aſpexerint, viderintque tàm multa interceſſionis eius monumenta, cognoſcent facilè, quantum ſpei ſit in Virginis præſidio collocandum. Quid enim quæſo aliud vident, qui templum Beatæ Virginis ad aquas ſupias, Lauretanum, & Montisferrati, & alia ſimilia per totum orbem diſperſa ingrediuntur, quàm huiuſmodi clypeos, & armaturam fortium è turri ſuſpenſam? arma videlicet omnis generis, compedes, vincula, linteamina mortuorum, quæ cuncta huius turris præſidia omnibus tranſeuntibus clariſſimè teſtantur. Ac tandem arbitror, quòd ſi cogitatione fingamus, Beatam Virginem aliquid poſtulare, totamque Curiam cœleſtem illi reſiſtere (ſicut apud Danielem vnus Angelus alteri reſiſtebat) potentior eſſet, maioriſque efficaciæ, & valoris apud Deum, Virginis, quàm reliquorum Sanctorum omnium oratio. Idque ita ſentiūt Sancti Patres infra citandi; & dignitati matris Dei maximè eſt conſentaneū; nec non perfectiſſimæ gratiæ, & charitati Beatæ Virginis quodammodo debitum.

Dan. 10.

Ceterum, ne vniuerſam hanc de ineffabili Marianæ potentiæ magnitudine doctrinam, quiſpiam per exaggerationem à me traditam ſuſpicetur, quædam Sanctorum Patrū teſtimonia hic oportunè aſcribenda cenſui; quibus palā fiat, non ex noſtro Marte, ſed ex Sāctorum Patrum lympidiſſimis fontibus doctrinam hāc hauſiſſe. In primis ergo D. Germanus de Zona Domini ſic Virginem alloquitur: *Non eſt vlla ſatietas tuæ defenſionis, non eſt numerus tuorum beneficiorum; nullus enim eſt, qui ſaluus fiat, niſi per te Virgo ſanctiſſima. Nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per te, ò puriſſima: nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per te, ò caſtiſſima: nemo eſt, cui miſereatur gratia, niſi per te, ò honeſtiſſima*. Ibidem etiam ait: *Quis poſt tuum filium curam gerit generis humani, ſicut tu? quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? quis in ſupplicationibus, adeò pugnat pro peccatoribus? Tu enim, cùm habeas maternam apud filium fiduciam, & potentiam, nos tuis interpellationibus, & interceſſionibus ei efficis familiares, & das ſalutem, & ab æterno liberas ſupplicio*. Beatus Andreas Hieroſolymitanus, oratione de dormitione Virginis: *Sola* (inquit) *præter naturam fuit electa ad naturam renouandam: ſola deſeruit opifici vniuerſæ naturæ*. Quod infra explicans, ſic loquitur ad Virginem: *Rex deſiderauit gloriam tuæ pulchritudinis, & adamauit diuitias tuæ virginitatis, & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula, & per te Deo, & Patri nos reconciliauit*. Similiter Sanctus Ephrem oratione ad Virginem, inquit: *Per te reconciliati ſumus Chriſto, Deo meo, filio tuo: tu captiuorum redemptio, tu omnium ſalus. Aue pax, gaudium, & ſalus Mundi: aue mediatrix glorioſiſſima: aue vniuerſi terrarum orbis conciliatrix*. Deinde Diuus Petrus Damianus, ſermone de Annunciatione: *Euocatur cœleſtis ille conuentus, init Deus concilium, facit Deus ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorum, & de redemptione hominum; atque ſtatim de theſauro diuinitatis, Mariæ nomen euoluitur, ac per ipſum, cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decernitur, vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit*. Diuus Bonauentura in ſpeculo Beatæ Mariæ, ſæpius hanc docet veritatem, & nonnulla ex Scriptura, & Sanctis Patribus colligit, præſertim capit. octauo: *Quia Dominus* (inquit) *potentiſſimè tecum eſt, ideò & tu es potentiſſima ſecum, potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum, ita vt verè dicere poſſis illud: In Hieruſalem poteſtas mea*. & Diuus Anſelmus de laudibus Beatiſſimæ Virginis, capit. duodecimo, inquit: *Rogamus te Domina per ipſam gratiam, qua te pius, & omnipotens Deus ſic exaltauit, & omnia tecum poſſibilia eſſe donauit, quatenus id apud ipſum impetres, nec ſis obſecratu difficilis, quia proculdubio ideò vnigenitus filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus erit ad concedendum promptiſſimus*. B. Petrus Damianus ſermone de Natiuitate Mariæ: *Fecit* (inquit) *tibi magna qui potēs eſt, & data eſt tibi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, & nihil tibi impoſſibile, cui impoſſibile eſt deſperatos*

D. German. — Idem. — B. Andr. Hier. — S. Ephrem. — B. Petr. Dam. — D. Bonau. — Eccli. 24. — D. Anſel. — B. Petr. Dam.

ſperatos in ſpē beatitudinis releuare. Quomodo enim illa poteſtas potentiæ tuæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim ad illud aureum reconciliationis humanæ Altare, non ſolum rogans, ſed etiam imperans: Domina, non ancilla.

D. Bernard.

Diuus Bernardus ſermone de Natiuitate Mariæ: *Altius ergo intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis eam voluit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: vt proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluens.* & infra: *Totis medullis cordium, totis præcordium affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia hæc eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Ad Patrem verebaris accedere, Ieſum tibi dedit mediatorem: aduocatam habere vis, & ad ipſum? ad Mariam recurre: exaudietur & ipſa pro reuerentia ſua: exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium Pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? poteſt ne filius, aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri filius poteſt? neutrum planè.* & in fine: *Ceterum quicquid illud eſt, quod afferre paras, Mariæ commendare memento; vt eodem alueo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit: nec enim impotens erat Deus, & ſine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet; ſed tibi vehiculum voluit prouidere: ideoque modicum iſtud, quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam.* & ſermone tertio, in vigilia Natali Domini, in fine:

D. Bernar.

Sed quia indignus eras, cui donaretur, datum eſt Mariæ, vt per illam acciperes quidquid haberes; quæ per hoc, quòd mater eſt, genuit tibi Deum: per hoc quòd Virgo eſt, exaudita eſt pro reuerentia ſua in cauſa tua, & totius humani generis. Cùm ergo in prima ſit remedium, in ſecunda adiutorium eſt; quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.

Serm. 2. in die Pent.

& ſermone ſecundo, in die Pentecoſtes, ait: *Meritò in te, Maria reſpiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quicquid creauerat recreauit.*

Ser. 1. de ver. Apocal.

Et ſermone primo de verb. Apocalypſ. *Fidelis planè (inquit) & potens mediator Dei, & hominum Chriſtus, ſed diuinam in eo reuerentur homines maieſtatem: non ſolum illi cantatur miſericordia, cantatur pariter & iudicium. Iudicialem habet poteſtatem: Deus noſter, ignis conſumens eſt. Quid ni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei? opus eſt mediatrice ad mediatorem iſtum: nec alia nobis vtilior, quam Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt.*

Serm. de Natiu. Mariæ.

Et ſermone de Natiuitate Mariæ, Virginem appellat: *Aquæductum gratiæ.* Verba eius ſunt hæc: *Sanè ipſa ſeſe plenitudo exinaniuit, vt fieret nobis iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio. Deriuatus eſt fons, vſque ad nos deſcendit per aquæductum vena illa cœleſtis. Aduertiſtis iam, ni fallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis ipſius de corde Patris excipiens nobis edidit illum: noſtis enim, cui dictum ſit: Aue gratia plena.*

D. Bernardinus.

Diuus Bernardinus agens de varijs ſtellis, quibus Beatæ Virginis corona fuit contexta, hæc tanti Patris pietate digna, de exaltatione Virginis, art. 2. cap. 8. ſcripſit: *A tempore, quo Virgo mater concepit in vtero Verbum Dei, quandam, vt ſic dicam, iuriſdictionem, ſeu auctoritatem obtinuit in omni Spiritus ſancti proceſſione temporali; ita quod nulla creatura aliquam à Deo obtinuit gratiam, vel virtutem, niſi ſecundum ipſius piæ matris diſpenſationem.*

D. Bernard.

Hinc Diuus Bernardus deuotiſſimus ait: *Nulla gratia venit de Cœlo ad terram, niſi tranſeat per manus Mariæ.*

D. Hieron.

Hinc Hieronymus in ſermone de Aſſumptione, inquit: *in Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ſicut in capite influente, in Maria verò ſicut in collo tranſfundente. Vnde de Virgine ad Chriſtum Salomon ait: Collum tuum, ſicut turris eburnea: nam ſicut per collum, vitales ſpiritus à capite deſcendunt in corpus; ſic per Virginem à capite Chriſti, vitales gratiæ in eius corpus myſticum transfunduntur. Vnde iſte eſt ordo diuinorum gratiarũ defluxus; vt primo à Deo defluant in Chriſti animam benedictam; deinde in animam Virginis matris; inde in Seraphin, & ſic ſucceſſiuè in alios Sanctos ordines Angelorum; demum in Eccleſiam militantem.*

Cant. 7.

Cum

Cùm enim tota natura diuina, totum eſſe, poſſe, ſcire, & velle diuinum intra Virginis vterum extiterit clauſum, non timeo dicere, quòd omnium gratiarum effluxus quandam iuriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, quaſi de quodam diuinitatis Oceano, riui, & flumina emanabant omniũ gratiarum. Reuera maternitas Dei hanc in Mundo naturali iure obtinuit dignitatẽ, vt Regina miſericordiæ, ſicut prædictum eſt, meritò nuncupetur: & hoc propter filij magnificentiam, qui eſt Rex Regũ, & Dominus dominantium. Reperio namque in Rege noſtro Ieſu duas digniſſimas dignitates, videlicet, quod ſit æternus Deus genitus ab æterno, atque æternum Deum producat, eo quod Spiritum ſanctum ſpiret, & ipſe clauſus in virgineo vtero, in æternitate à Deo patre Deus generabatur æternus, & in eadem æternitate ipſe puer in ventre matris Deum inſpirabat, & producebat. Primam filij dignitatem: ſcilicet quòd ſit generatus à Deo, tàm infinito modo Virgo Maria participauit, quòd Ieſus non dicatur verius filius Dei, quàm filius Virginis; nec maior, nec minor, nec dignior eſt Dei filius in throno paterno ſedens veſtitus claritate, quam habuit antequam Mundus fieret, quàm pannis pauperibus inuolutus, & intra fœnũ in præſepio reclinatus: & quia talis eſt mater filij Dei, qui producit Spiritum ſanctũ, ideo omnia dona, virtutes, & gratiæ ipſius Spiritus ſancti, quibus vult quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per manus ipſius adminiſtrantur. hæc ille. Sed breuius D. Fulgentius 4. mytologiarum, omnia noſtra bona Virgini, tanquam mediatrici aſcribenda cenſens, inquit: *Cœlum, & terra iamdudum ruiſſent, ſi non Maria precibus ſuſtentaſſet.* Quod quàm veraciter dixerit, ex reuelatione facta magnis illis duobus Patriarchis, Dominico, & Franciſco, vt in eorum vita legimus, ſatis apertè conſtat. Cùm enim hi ſancti Patres confirmationem ſuorum ordinum à ſummo Pontifice enixè deprecarentur; orationi vacantes, viderunt Chriſtum Dominum in aere tres lanceas contra mundum vibrantem; & quòd Beata Virgo ei accurrens ad pedes eius genua flectens, procidit poſtulãs, quòd & obtinuit, vt peccatoribus parceret, & gladium iuſtitię in vaginam ſuæ miſericordiæ mitteret. Confirmat idem ratiocinatio Pomerij lib. 1. ſermonum de Beata Virgine p[illegible] qui in hunc modũ philoſophatur: *Cùm continuò in mundo accreſcant mala, iniquitates, & peccata, credis ne, quare parcit nunc mundo ipſe Deus; qui olim etiam multo his minora peccata acrius puniuit, prout in veteri teſtamento legitur? quòd videlicet Sodomitas ſubmerſit, totum Mundum diluuio deleuit: pro eſu, & concupiſcentia carnium in deſerto filios Iſrael viginti tria millia occidit, & pro multis alijs ſimilibus legimus filios Iſrael acriter puniuiſſe; immò omnem gentem Iſraeliticam prædictam pro offenſis, & legis præuaricationibus de terra promiſſionis perdidiſſe comperimus. Quomodo credi poteſt, quòd nunc acerbius mundũ non flagellaret, & nõ exterminaret, cum videamus multò pro nũc abundare grauiora in Mundo peccata? totũ hoc facit propter Beatam Virginem, & eius merita.* hæc ille. Nec ſolum in Beata Virgine effulget potentia ad protegendum clientulos ſuos, ſed pariter etiam mira pietas, inaudita liberalitas, & magnificentia regia. Memini Eutropium lib. 3. referre de Veſpaſiano filio alterius magni Veſpaſiani, tam inſigni fuiſſe liberalitate prędi tum, vt nulli quicquam negaret; cumq; non ſemel à famulis ſuis quodammodo increparetur, quòd prodigus eſſe videretur, reſpondit, nullum, triſtem debere ab Imperatore recedere. Simul etiam commemorat, quòd cùm quadam nocte cœnans, recordaretur, ſe nemini illo die quidquam beneficentiæ præſtitiſſe, in illa verba prorupit: *Perdidimus hunc diem.* Sanè liberalitas Virginis ita perennis eſt, vt miſericordiarum riui perpetuò ab ea in Eccleſiam copioſiſſimè deriuentur: licet enim ceſſent homines Virginẽ inuocare, ipſa tamen nullum prætermittit diem pro illis intercedere. Vnde egregiè Dionyſius Carthuſianus ſuper Ioannem, enarratione ſeptima obſeruauit, ad commendationem Marianæ miſericordiæ, & liberalitatis, quòd in nuptijs, in quibus vinum defuit, ipſa non rogata filium rogauit, vt præſenti ſubueniret neceſſitati: verba eius ſunt hæc: *Compaſſa eſt enim verecundiæ ſponſi, & ſponſæ, atque penuriæ, ſeu indigentiæ conueſcentium, piiſſima, affectuoſiſſima, atque dulciſſima Virgo. Et ſi illorum corporali inopiæ condolebat, & ſuccurrebat, etiam non rogata, quantò magis noſtræ ſpirituali indigentiæ compatietur, auxiliumque præbebit,*

D. Fulgen.

In vita S. Dominici, & S. Franciſc.

Auctor Pom.

Eutropius.

D. ſuper cap. 2. Ioann.

Dion. Carth.

bebit ſi fuerit fideliter inuocata? quod vtique facit vbertim, non petita. Cùm igitur tanta ſit Virginis potentia, & procliuitas ad benefaciendum nobis, meritò nos peccatores, qui maternæ huius pietatis indigentiores inuenimur, in ea, tanquam in potentiſſima mediatrice ſpem noſtram collocare debemus: vt & Eccleſia Catholica nos facere ſuadet, dum in percelebri

Eccleſ. Cath.

Cantico: *Salue Regina*, intonare monet Virginem alloquens: *vita dulcedo, ſpes noſtra*: immò, & ipſa Virgo de ſe ait: *Ego mater pulchritudinis, timoris, et ſanctæ ſpei.*

Eccl. 24.

D.Thom. 2. 2. q. 17. ar. 4. quærens, an liceat

D.Thom.

ſperare in aliqua creatura, an verò ſpes noſtra ſolùm in Deo collocanda ſit? reſpondet, quòd ſicut non licet aliquam creaturam, tanquam vltimum finem diligere; ita nec licet in creatura ſperare, tanquam in cauſa prima, & principali: Sicut autem Creaturas aſſumit Deus, tanquam inſtrumenta ad ſalutem noſtram, quarum cooperatione nos dirigit in æternam ſalutem, ſic licitum eſt ſperare in creatura. In Beata ergo Virgine collocare debemus totam noſtrã felicitatis æternæ obtinendæ ſpem, non tanquam in principali cauſa beatitudinis, ſed tanquam in adminiculo quodã, & efficaciſſima mediatrice ad eã adipiſcendam. Hinc arbitror ſingulare myſterium latere huic argumento ſatis accommodũ in eo, quod Sybilla Lybica, cuius meminere Euripides, & Thegonis, cùm vaticiniũ illud proferret de Beata Virgine, viridi corona caput ſuum cinxit; non quidem argenteo, aureo, vel ex varijs gemmis contexto diademate ſe ornauit, ſed viridi, vt ſignificaret ſpem noſtram, per virorem aptè ſignificatam (quia viror foliorum ſpem fructus nobis præbet) in Beata Virgine eſſe collocandam, à qua benedictum fructũ ventris eius accepturos ſperare debemus. Ad quod verba cantici: *Salue Regina* alludunt, dicentia: *& Ieſum benedictum fructũ ventris tui nobis poſt hoc exiliũ oſtende.*

Eccl in Cant. Salue Reg.

Ne autem quiſpiam propter ingentem multitudinem grauiſſimorum peccatorum ab hac in Virgine ſpe, & fiducia cadat, ipſa ait ſceleratiſſimos quoſque homines ad eam confugientes minimè deſpicere, aut aſpernari, ſed ſingularem pro illis intercedendi memoriam habere. *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me.* Pro cuius

Pſal. 88.

loci expoſitione, obſeruare oportet, nomine *Rahab* intelligi ſuperbiæ tumore inflatos. Vnde vbi noſtra vulgata legit: *Humiliaſti ſicut vulneratũ ſuperbum*: orig. Hebr. legit. *Humiliaſti ſicut vulneratum Rahab*, vt adnotarũt Rabbi Dauid, & Rabbi Abraham. Targum autẽ Ionathæ, per hos *ſuperbos* intelligit *Aegyptios* adeo ſuperbientes,

Orig. Hebr.

vt Deo etiam acriter eos punienti colla ei ſubijcere renuerẽt. Per *Babylonẽ* verò intelligit ſuperbiſſimos illos Turris Babylonicę ædificatores, nemo ambigit: qui omnes, tã Aegyptij, quam Babylonici experientia ipſa ſcientes fuerunt diuini furoris illos ſubmergentis, & confundentis: ideo ait, *Scientium me*. Cum ergo tam Aegyptij, quàm Babylonici atrociſſimi fuerint peccatores, ideò vt B. Virgo ſignificaret, omnibus peccatoribus, patrociniũ eius implorantibus, materno affectu, & cõgenita ſibi diuinitus pietate ſubuenturam, conſultò Aegyptij, & Babylonis mentionem fecit: *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me*. Sed ad quid quæſo memor eris illorũ? certè vt ex peccatoribus iuſti fiant; & qui, tanquam infœcundę, & ſteriles terræ, nonniſi ſpinas, & tribulos, iuxta antiquam maledictionem germinabant, iam nõniſi odoriferos flores, ac dulces fructus bonorum operũ producant, vt ingenioſè adnotauit Rupertus ſuper caput 4. Canticorum, vbi verſans illa verba: *Emiſſiones tuæ, Paradiſus*, ait: *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium Mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt: vt vbi prius erant ſpinæ, & vepres, cardus, lappa, & tribulus, vrtica, paliurus, vniuerſitas nequitiarum; ibi ſit cyprus cum nardo, crocus, fyſtula*, & *cynamomum, myrrha, & aloë; per quas ſeptem aromaticas ſpecies, ſeptem dona Spiritus ſancti intelligit.* & vt ſignificaret, etiam ſe Ciuitatem eſſe refugij & tutiſſimum aſylum, ad quem omnes peccatores indiſcriminatim ſecurè confugere poſſint, adiecit continuò: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethyopum, hi fuerunt illic.* Atque in hoc ſenſu aptè explicari poſſe cenſui verba illa Virginis. Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Poſſet quiſpiam meritò interrogare: vt quid, ſi Beata Virgo oſtentare cupiebat curam, & ſollicitudine ſuam, intellectum, & voluntatem eius, vigilantes eſſe non dixit? Sanè Aegyptij (vt Author eſt Pierius) in ſymbolum ſollicitudinis, & curæ, quam

Rupertus.

Pſal. 88.

Cant. 5.

Pierius

Reges

Digitized by Google

Reges in Reipublicæ regimine adhibere debent, virgam, ſuperpoſito oculo aperto in eius cacumine depingere conſueuere. Vt huic difficultati ſatisfiat, in memoriam
Alciatus oportet reuocare, quod vt Author eſt Alciatus, in ſuis emblemmatibus, Amorem depingebant cœcum, vel velatis oculis.

Tela, alaſque ferens, lumina nulla tenet.

Cuius ſanè picturæ, quamuis nonnulli eã reddiderint rationem, quia Amor amãtes
Proper. excœcat: iuxta illud Propertij 2. elegiarũ.

Scilicet inſano nemo in amore videt.

& illud Ouidij:

Ouidius *Quid deceat, non videt vllus amans.*

Mihi tamen ſic amorem depinxiſſe videtur, ad ſignificandum illum, verum, & perfectum amantem cenſendum qui clauſis oculis abſque diſquiſitione meritorum rei dilectæ, aut propriæ obligationis, ad illi benefaciendũ amoris pondere fertur. Qui enim merita diſcutit, aut obligationes explorat, prudẽtis quidem, ſapientis, aut grati, non tamen veri amantis appellationem meretur. Vt ergo Beata Virgo ſignificaret, beneficentiam ſuam ad omnes extendi, inſtar Solis, qui in bonos, & malos ſuã lucem diffundit, ideò conſulto dixit clauſos, & dormientes habere oculos mentis: *Ego dormio*: volũtatem verò per cor ſignificaram, in qua reſidet amor: *& cor meum vigilat*, vigilantem eſſe ad ſuccurrendum miſeris abſque vlla perſonarum acceptione, quia amor eius operit multitudinem peccatorum. In hac ergo amantiſſima matre ſpem noſtram collocantes, Virginis auxilium inuocemus, vnanimes, cum ſum-
Innoc. 3. Papa mo Pontifice Innocentio Tertio canentes.

Aue Mundi ſpes, Maria,
Aue mitis, Aue pia,
Aue charitate plena:
Virgo dulcis, & ſerena.
Sancta parens Ieſu Chriſti,
Electa ſola tu fuiſti;
Eſſe mater ſine viro,
Et lactare modo miro.
Angelorum Imperatrix,
Peccatorum conſolatrix;
Conſolare me lugentem,
In peccatis iam fœtentem.
Precor te Regina Cœli,
Me habeto excuſatum
Apud Chriſtum tuum natum.

cui ſit honor, & gloria, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XVIII.

Beneficentiam B. Virginis adeo in omnes ſe diffundere, vt illius participes ſint cœleſtes Incolæ: viatores omnes, tam fideles, quam infideles: Animæ ergaſtulo Purgatorij detentæ; immò & nonnulli qui pœnas Inferni ſuſtinentes, Virginis tamen interceſſione ad vitam reuocati, facta pœnitentia in Cœlum euolarunt.

EA quæ ſcripta inuenio, Danielis cap. 4 de arbore illa, quam Rex Nabuchodonoſor in ſomnijs *Dan. 4.* vidit, mihi ante oculos ponunt, adamuſſimque exprimunt, quam longè, lateque Deiparæ Virginis miſericordia, & beneficentia in omnes ſe diffundat. *Videbam* (inquit) *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens Cælum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in ea. ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres Cæli: & ex ea veſcebatur omnis caro.* Apte ſanè Virgo Beata, arbor, quæ egreſſa eſt de radice Ieſſe, in medio terræ conſtituta appellari poteſt, cùm in Palæſtina nata, & educata *Iſai. 11.* fuerit, quam medium Terræ multi cẽſent, iuxta illud Dauidis: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Arbor quidem alta, & pro- *Pſal. 73.* cera, quæ altitudine meritorũ Seraphicos ſpiritus præcellit. Rectè etiam ei quadrat, aſpectũ eius extẽdi *vſque ad terminos vniuerſæ terræ*, cũ in Verbo creaturas omnes, tam ſuprà, quam infrà cœlos degentes clarè perluſtret. Folia eius deinde (verba nimirũ) quis dicat, non eſſe pulcherrima, cum illis ſolùm quinque: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, captus filius Dei, in vterum eius deſcenderit. Quod autem ait: *fructus*

eius

eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea, ſa-
tis ſuperque in Mariam conuenit, cùm de
eximio, & præclaro fructu ventris eius fi-
deles omnes, per ſumptionem Euchariſtię,
veſcantur. Quod inſuper ait: ſubter eam
habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis
eius conuerſabantur volucres Cæli: quid
aliud inſinuat, niſi tam iuſtos, quàm pec-
catores: tam homines, quàm Angelos
ſub eius protectione commorari? Et qui-
dem, vt à beneficentia Beatę Virginis erga
Angelos exordiar, id certum, & indubita-
tum eſt, nullo obiecto præter Beatiſſimam
Trinitatem, plenius delectari Angelos,
quam humanitate Chriſti, & genitrice
eius. Hæc enim eſt præcipua, & potiſſima
accidentalis eorum gloria, clara Chriſti,
in quantum homo, & matris eius viſione
perfrui. Præter hoc etiam, certè beneficiũ
reſtaurationis ſedium eorum per Virginẽ
accepiſſe author eſt D. Bernardus ſermo-
D. Bernar. ne 4. de aſſumptione, dum ait: Quis miſe-
ricordiæ tuæ, ò Virgo benedicta, longitudi-
nem, latitudinem, ſublimitatem, & profun-
dum queat inueſtigare? nam longitudo eius
vſque in diem nouiſſimum, inuocantibus
eam ſubueniet vniuerſis. Latitudo eius re-
plet orbem terrarum, vt tua miſericordia
plena ſit omnis terra; ſic & ſublimitas eius
Ciuitati ſupernæ inue- it reſtaurationem, &
profundum eius ſedentibus in tenebris, & in
vmbra mortis obtinuit Redemptorem. hæc
Diuus Bernardus, cuius ſententiam ſecu-
tus Idiota nomine, re doctiſſimus lib. de
Virgine Maria cap 4. hæc eximia pietate,
& eruditione referta nobis conteſtata re-
Idiota. liquit: Inter omnia opera æterni opificis poſt
illam operationem, qua naturæ noſtræ vni-
tus eſt filius tuus, ſpeciale opus fuiſti, ò Bea-
tiſſima Virgo Maria, quia ad hoc te fecit,
vt quod de primo opificio fuerat deformatũ,
per te reformaretur. Hinc enim ſummus opi
fex primò condiderat Angelicam naturam,
quæ in parte ceciderat: & humanam, quæ
corrupta erat: & corpoream inferiorem, quæ
peccato hominis fuerat deterior effecta. Sed
ad hæc omnia fecit te Deus, Virgo Maria,
ſanctiſſimam, vt ex tuo ſuperbenedicto fru-
ctu Angelica natura repararetur, humana
renouaretur, inferior à ſeruitute liberare-
tur. Aedificauit ergo Angelis te Reginam,
hominibus medicinam, creaturæ inferiori li-
Prou. 9. bertatem, & paulo poſt. Ideo dicitur: ſapien-
tia ædificauit ſibi domum, ideſt, te Virginẽ
Mariam, vt in te habitaret per humanæ na
turæ aſſumptionem; & non tantum ſibi ipſi
ſoli, te fecit, ſed te Angelis dedit in inſtaura-
tionem, hominibus, & noſtræ naturæ in re-
parationem, inferiori creaturæ in liberatio-
nem: ſibi in matrem, dæmonibus in hoſtem
detentis in limbo ereptionem. Nam in prin-
cipio, cùm ceciderunt Angeli, natura erat
corrupta, Deus offenſus, & diabolus victor:
ſed per te, ò ſuperbenedicta Virgo Maria
innocentia reparatur, vita Angelica redu-
citur, Deus homini pacificatur, & vnitur;
diabolus vincitur, atque conteritur. Ac tan-
dem compendioſius B. Petrus Damianus B. Petr. Dam.
ſermone de natiuitate Mariæ, inquit: Per
hanc Beatiſſimam Virginem, non ſolũ amiſ
ſa olim vita hominibus redditur, ſed etiam
beatitudo Angelicæ ſublimitatis augetur:
quia dum homo ad ſuperna reducitur, illorũ
numerus, qui diminutus fuerat reparatur.

Porrò quod attinet ad beneficentiam
Virginis in homines, præter incomparabi-
le illud beneficium humano generi ab ea
collatum, vt liberè conſenſerit mater Re-
demptoris noſtri fieri, nobiſque vitæ Au-
thorem pepererit, quo nihil ſublimius dici
poteſt, vnde Diuus Bernard. ſermo de na- D. Bern.
tiuitate Mariæ, hac ratione Mariam voca-
uit Aquæductum, per quem filius Dei ad
nos pertranſit. Sane (inquit) ipſa ſeſe pleni-
tudo exinaniuit, vt fieret nobis iuſtitia, ſan-
ctificatio, & redemptio: deriuatus eſt fons,
atque ad nos deſcendit per aquæductũ vena
illa cæleſtis. Aduertiſtis iam (ni fallor) quẽ
velim dicere aquæductum, qui plenitudinẽ
fontis ipſius de corde Patris excipiens nobis
edidit illum. Noſtis enim cui dictum ſit:
Aue gratia plena. Quamuis (inquam) id
maximum fuerit Virginis beneficium, in
eo etiam ipſa noſtræ vtilitati maximè cõ-
ſuluit, quòd in matrem ſe nobis exhibere
nõ fuerit dedignata. Primam illam Euam
omnes norunt ab Adamo appellatã fuiſſe
matrem viuentium: quam honorificam
appellationem non deſunt, qui putent per
ironiam ſic illam appellari, ſicut Græci
Furias infernales appellarunt Eumenides,
ideſt, mites à contrario ſenſu, quippe cùm
ſint duræ, & inexorabiles. Vnde Lyranus Lyranus
interpretatur nomen Euæ, quod ſignificet
non ſimpliciter matrem omnium viuen-
tium, ſed cum hac reſtrictione: ærumnoſe,
ac miſere viuentium. Sed quod mirabilius
eſt, Rupertus Abbas de Trinit. lib. 3. c. 26. Rupertus
affir-

affirmat Adamum ſuperbiæ ſpiritu intumeſcentem, quaſi non timens mortem, quam minatus fuerat ei Dominus vocaſſe vxorem ſuam *matrem viuentium*. Verba
Rupertus. eius ſunt hæc: *Quid inſanius, quàm in illo talis cauſæ iudicio, illam nuncupare, Euam, ideſt vitam, quæ vitam in ſe non habebat; eamque dicere matrem cunctorum viuentium, quæ potius eſt mater cunctorum morientium? Omnes in peccato eius moriuntur: & nemo filiorum eius viuit, niſi qui per vnũ hominem Chriſtum viuificantur. Mirabile itaque eſt, quòd vbi mortis corporeæ ſententia ferebatur, iam ſpirituali morte mortuus, & poſtea corporali etiam moriturus, illic vxorem ſuam Euam, ideſt, vitam appellauit. Igitur cùm hoc narrauit Moſes, Adamum accepta mortis ſententia vxorem ſuã*
Geneſ. 2. *appellaſſe nomine vitæ, hoc proculdubio ſignificare voluit. Quemadmodum ſuperius. Deo dicenti: in quocumque die comederis ex*
Geneſ 3. *hoc ligno, morte morieris, non credidit, ſed comedit, quia mulierem, quæ prior comederat, non ſtatim corporaliter mortuam eſſe vidit; ſic & nunc dicenti Deo: quia puluis es, & in puluerem reuerteris; adeò non credidit, vt econtrariò vocaret nomen vxoris ſuæ: Euam, ideſt: vitam, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* hactenus Rupertus. Alij arbitrantur, quod & mihi valde placet, proprium, ac primarium nomen vxo-
Geneſ. 2. ris Adæ, non fuiſſe *Euam*, cum *Virago* primum appellata fuerit, vt prudenter Steu-
Steuchus chus obſeruauit. Vnde nomen *Eua*, ſeu *Vita*, impoſitũ illi arbitror propter aliud, nempe in figuram, & typum Deiparæ, quæ & Chriſti, qui eſt vera vita, & omnium, qui in Chriſto, & per Chriſtum regenerantur, & viuificantur, parens futura erat, vt
Epiph. notat Epiphanius hæreſ. 78. *Beata* (inquit) *mater Dei Maria, per Euam ſignificatur, quæ in ænigma accepit vt mater viuentium vocetur; à Maria verè hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret mater viuentium.* Et contra Antidicomarianitas, lib. 3. contra hæreſ. cap. 3. ſic loquitur: *Quandoquidem, vt omnis hominũ generatio ex prima illa, quæ primæuam nobilitatem inobedientia vitiauit, infeliciter exorta eſt; ſic vera vita qua Deo ſecundum ſpiritum viuimus, per alteram matrem Mariam verè obedientem, nobis perditis quaſi reſtituitur, dum hæc ipſum vitæ fontem, & Authorem Chriſtum nobis exhibet. Vetus Eua fœtus ſuos, priuſquã pareret, extinxit, nouerca potius, quam mater appellanda: ſed noua hæc Eua, non morientium, ſed reuiuiſcentium mater extitit: quæ incogitabili myſterio, de cuius eſſe fuerat genita, eum ipſum de ſua carne viciſſim genuit, nec ab alio fœcundata, quàm ab eo, quem peperit.* Hinc Beatus Laurentius Iuſtinianus ſermone de annunciatione contemplans beneficentiam Virginis, tam erga Angelos, quam hominem, dixit: *Magna profectò fuit Ma-* B. Laurent.
riæ gratia, exuberans, atque completa, quæ Cœlis dedit gloriam, Terris præbuit Deum, gaudium præſtitit Angelis, ſæculoque pacẽ refudit; fidem docuit gentes, vitijſque finem impoſuit: humanæ vitæ inſtituit ordinem, atque ſpiritualem edidit moribus diſciplinã.

Ceterum Virginis beneficentia, & miſericordia non ſolum erga Chriſtifideles ſe manifeſtat, ſed & circa infideles, & paganos mirifice ſe oſtentat. In cuius figurã legimus non ſolum Iſraelitas, ſed etiam Ethnicos, Templum Salomonis adeuntes orandi cauſa, Dei virtutem in ſeipſos ſenſiſſe, multipliceſuè ex eo templo fructus reportaſſe; vt liquido conſtat ex Ioannis cap. 12. & Actorum 8. quod & fatetur Heliodorus 2. Machab. 3. cùm & Dei flagella Ioann. 12. 2. Machab. 3.
in templo receperit, & in eo Dei virtutem verè adeſſe cognouerit, vt ipſe faſſus eſt. Act. 8.
Non diſſimiliter infideles Ethnici, & pagani ad Mariam confugientes, ſacerrimũ Dei Templum, experti ſunt Regiam eius munificentiam. In cuius veritatis atteſtationem, conſulto præteriens quæ commemorant ſanctus Ioannes Damaſc. orat. de Io. Damaſc.
dormitione Virg. S. Greg. Turonen. lib. in S. Greg. Tur.
gloriam plurimorum martyrum c. 8. Me- Metaphr.
taphraſt. 15. die Aug. Glycas 4. par. An- Glycas
nalium: ſolùm referam, quæ in Annalibus Eccleſiaſticis Lauretanis reperio. Tradunt Annal. Laur.
illi, Corcutum Turcarum Prætorem, ſeu Eccl.
Baſſam anno 1551. dum eſſet Conſtantinopoli, ex graui, occultoque pectoris apoſtemate, ad extremum vitæ diſcrimẽ veniſſe, & à pio eius ſeruo Chriſtiano iam moribundũ admonitum fuiſſe, vt Lauretanã Virginem, cuius admirabilem vim in morbis cuiuſcumque generis depellendis, illũ edocuerat, inuocaret: vouens ſi morbum depuliſſet, ſe in eius gratiam illi ſeruo libertatem daturum. Cùm itaque votum emiſiſſet, mox dirupto apoſtemate Baſſa ſanatur, & ſeruum illum libertate donatũ

cum

cum litteris, ac muneribus mittit Laretũ ad Virginem. Tenor harum literarum hic fuit, vt ex originali arabico cognoſcitur, quod in vernaculum linguam conuerſum, Laureti aſſeruatur, & Latinè verſum, ſic ſe habet: *Quod bonum, fortunatumque nobis eſſe velit magnus, ac miſericors mundi Dominus. Cùm mihi ipſi diuinitus quiddam euenerit: ego Corcut Baſſa (nè meo deſim officio, tantæque rei monumentum aliquod poſteris extet) rem omnem ordine exponã. Ortum erat atrox apoſtema nobis in pectore, iamque haud dubium imminebat exitiũ, cum deſperata à medicis ſalute, meus me ſeruus adyt, & ſanè fidenter: ſi mihi libertatẽ polliceris, inquit, Dei mei matrem exorabo, vt tibi priſtinã reſtituat valetudinem. Itaque ego confeſtim accerſito tabellione, libertatem ei repromiſi, ſi ipſe promiſſa præſtaret. Ex templo ſeruus poſitis humi genibus, & quędã ſuper ſe ſigna ducens manu, rogitat, vt ſemet verbo præeuntem ſequar. Inde ipſe præire bis verbis cœpit: Ego Beatæ Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obſecutus, triduò poſt, Deo fauente, conualui: ego ſeruo in libertatem vindicato, hoc chyrographum dedi cum votiuis donis, quæ meæ obſeruantiæ, gratique animi monumenta ſunt Beatæ Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos ſaluos velit.* Vides etiam Barbaros Lauretanæ Virginis opis expertes non eſſe? Narratur quoque in iiſdem annalibus anno. 1529. Baſſam quendam Turcarum, argenteam aræ veſtem margaritis inſuper adornatam, Lauretanæ Virgini donum miſiſſe, Clemente Septimo Pontifice Maximo; vt intelligeremus, Lauretanam Virginem communem omnium gentium eſſe patronam; quicumque eius patrocinio vti velit. Iudæis quoque opem ſuam Virginem non denegare, Annales Lauretani Rieræ abunde perhibent. Narrant enim ſexagenarium Hebræum ob patratũ graue quoddam facinus, à Turcis comprehenſum perpetuis addictum fuiſſe vinculis, & tandem ærumnis confectum, corporis ſalute deſperata, ad animam, cunctam ſuam cogitationem conuertiſſe: veniaque ſuorum peccatorum à Deo ſuppliciter poſtulata, Ieſum Chriſtianorum Meſſiam, & matrem eius Mariam religioſiſſimè adorare cœpiſſe. Cùmque noctu ſpei, & fiduciæ plenus cubaſſet, in quiete Chriſtus ei apparuit, quem cùm ex ſpecie, qua à Chriſtianis coli ſolet, agnouiſſet, verum Deum atque Meſſiam profeſſus etiam ſupplex in ſomnis adorauit. Sed quid? ſtatim ei Virgo Beatiſſima, eximia pulchritudine, ac maieſtate prædita præſto fuit, quæ Luciæ Virgini eius comiti iuſſit, vt Hebræum catenis, quibus vinctus tenebatur eximeret, & reſeratis carceris foribus, ad portum deduceret: admonens illum, vt opidum Laureti in Picæno Italiæ Regione ſitũ, ſtatim peteret, ibique Chriſtiana Sacramenta ſuſciperet. At Hebræus euigilans Chriſti, & Mariæ eius matris auxilio permotus, & excitatus, nauicula, quam clementiſſima Virgine hortante conſcendit, per mare ſua ſponte incredibili celeritate delata, non ſine diuino ductu atque impulſu, Anconã biduo ex Nazaret appulit: & illico Lauretum pergens, ibi Chriſtianis myſterijs inſtructus ingenii ſuo, & aliorum gaudio ſacrũ baptiſma religioſiſſimè ſuſcepit. Erat hic Hebræus origine Nazaræνus, vir grauis, ac prudens, qui Nazareth habitabat in vico, vbi Lauretanæ domus veſtigia relicta fuerunt, cum ad Picænum per manus Angelorum deducta fuit, & Mariæ ſuæ ciui ſemper fauebat, à qua tam magnam miſericordiam deinceps eſt conſecutus.

Annal. dom. Laure. — *Annal. Lauretana Riera.*

Sed veniamus iam ad liberalitatem, & magnificentiam, qua B. Virgo vtitur circa animas defunctorũ in igne Purgatorij detentas. Nam in primis in die Aſſumptionis, ingentem multitudinem animarum à pœnis Purgatorij eripuit, quæ ouantẽ Virginem, & ad filij dexteram aſcendentem comitatæ ſunt, vt latè ſcribit Ioannes Gerſon Cancel. Pariſ. ſuper *Magnificat*, tract. 4. in fine. Cuius rei eam aſſignat rationem, quoniam tunc Regina coronabatur, & è carcere dimitti animas, Reginamq; ſuam ſequi par erat. *Non eſt quidem* (inquit) *incredibile, Chriſtũ fuiſſe ibi, cuius currus erat decem millibus multiplex, per Angelos, ducens ſecum multam ex Purgatorio captiuitatem ob honorem nouæ coronationis ipſius, quæ Regina miſericordiæ, & domina gratiæ, ſub cuius Imperio ſunt omnia Iura Regnorum, vt in ſuo nomine flectatur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ, quamuis aliter ad filium benedictũ, qui tamen ſubditus dignatus eſt eſſe illi.* Sed & præter diem Aſſumptionis, ſæpe aliàs Virginem animabus Purgatorij frequenter opitulatam fuiſſe, vel illud vnũ perſpicuè

Ioan. Gerſon.

probat,

probat, quòd feruentiſſima ſit charitas Virginis: vnde cùm illi conſtituti ſint non ſolum in graui, ſed pluſquam extrema in neceſſitate, conſequens eſt plura charitatis illius officia experiri, vt adnotauit Sanctus Bernardinus ſermone ſecundo de Pentecoſte. Quòd ſi Sanctus Petrus in ſua Canonica ſecunda, capite primo dixit: *Dabo autem operam frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, ideſt (vt Interpretes huius loci commentantur) *dabo operam habere vos in memoria, atque adiuuare, vt hac impleatis*. Cur non etiam Deipara, quæ charitate, & miſericordiæ Petrum longè ſuperat, poſt obitum ſuum in Cœlis iam regnans diligenter curabit, non ſolùm viuis ad conſecutionem, vel conſeruationem gratiæ ſubuenire, ſed etiam defunctis ſuffragia deferre, vt à Purgatorij pœnis liberentur: maximè, cum enixè cupiat, animas eorum, qui in Domino moriuntur, quantocyus ad cœleſtem beatitudinem peruenire? Quare Eccleſia Catholica, in quadam defunctorum collecta inquit: *Intercedente Beata Maria ſemper Virgine cum omnibus ſanctis ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas*. Etenim Beata Virgo duplici via poteſt illas adiuuare, tum preces pro eis Deo effundens, tum ſatisfactiones ſuas ei offerens ad diuinam iuſtitiam compenſandam, quas benignè poſtulat à Deo recipi; vel certè, vt alijs placet, filium ſuum deprecans, vt breui tempore per intenſiorem dolorem, totam pœnam taxatam exoluant, vt ſic citius in Cœlum euolent, & acceleratius vltimum ſuum finem conſequantur. Conſolationem autem non modicam experiri animas Purgatorij ſolo Mariæ nomine audito, teſtatur Dionyſius Carthuſianus, libro tertio de laudibus Virginis, capite vltimo, vbi refert, Sanctam Brigitam in ſuis reuelationibus narrare, ſibi Beatam Virginem ſibi apparuiſſe, & in hunc modum locutam fuiſſe: *Audi quantum filius meus nomen meum honorauit: Meum nomen dum Angeli audiunt, gaudent, Deoque gratias agunt, quòd per me, & mecum talem gratiam fecit; & quoniam vident humanitatem filij mei in deitate glorificatam, qui in purgatorio ſunt, gaudent nomine meo audito, quemadmodum æger iacens in lecto, cum audit verbum ſolatij.*

S. Bern. | 2. Pet. 1. | Eccl. Cath. | Dionyſ. Carth. | S. Brigit.

Tandem idipſum confirmant grauiſſima quædam exempla, quæ non pigebit hìc apponere. Scribit Thomas Cantipratenſis in vita ſanctæ Lutgardiæ apud Suriū menſe Iunij Duciſſam Brabantiæ, quæ fuit filia Philippi Regis Francorum, cùm grauiſſimè ægrotaret, inſtanter à Sancta Lutgardia, quæ ſanctimonialem vitam agebat in quodam Monaſterio in ſua ditione poſito petijſſe, vt pro eius ſanitate acquirenda feruentiſſimas ad Beatiſſimā Matrem Virginem preces funderet. Quibus fuſis ſignificauit illi, ex eadem infirmitate ipſam non conualituram: quo circa præfata Duciſſa media pœnitentia, & ſuſceptione Eccleſiæ Catholicæ Sacramētorum ad moriendum ſe præparauit; & in Domino religioſè quieſcens, non largo interiecto temporis interuallo, anima eiuſdem Duciſſæ iam glorioſa ſanctæ Lutgardiæ apparuit, dicens illi ſe ex purgatorio iam citò egreſſam eſſe precibus, ac interceſſione Beatiſſimæ Virginis, cui dum viueret, pie inſeruiuit, & deuotiſſimas orationes ad eam direxit.

Tho. Cantipr.

Secundum exemplum habetur in eadem hiſtoria ſanctæ Lutgardiæ, cui Innocentius Tertius Papa, poſt ſuum obitum apparuit, horribilibus ignis flammis vndequaque aduſtus, inquiens illi ſe à pœnis quidem inferni, media pœnitentia inter viuos ab eo peracta immunem eſſe; non autem à pœnis Purgatorij, à quibus liberari, cùm acerbiſſimæ eſſent, ſuis precibus, ac ſuffragijs Chriſtianis ab ea exhibendis, omnino petebat; ſubdens Beatam Virginem ob Monaſterium in eius honorem ab ipſo Innocentio conſtructum, impetraſſe à Deo facultatem, vt eidem ſanctæ Lutgardiæ ad eius expoſcenda ſuffragia ipſius anima poſſet apparere.

Innoc. 3. Papa

Ad hæc, tam longè, lateque Virginis clementia, & miſeratio ſe diffundit, vt ab ipſis etiam inferis, vbi damnati puniuntur; nonnullos efficaciſſima ac potentiſſima ſua interceſſione, graues quidā Hiſtoriographi eduxiſſe cōmemorent. Etenim licet veriſſima ſit ſententia Sancti Thomæ tertia parte quæſt. 52. art. 6. & in additionibus quæſt. 14. art. 5. & quæſt. 74. quæſt. 2. adeò damnatorum ab Inferno li-

S. Thom.

berationem, vel eorum mitigationem pœnarum exhorreſcentis, vt nec per Chriſti paſſionem, nec per eius deſcenſum ad inferos ereptionem à reatu pœnę infernalis, vel conſolationẽ vllã in eo degentes, conſecutos fuiſſe affirmet: quod idem docuerunt Durandus diſt. 45. quęſt. 2. Antoninus 3. p. tit. 32. cap. 2. §. 2. Scotus eadem diſt. q. 2. art. 2. Vnde D. Auguſt. lib. 2. de Ciuitate Dei cap. 24. ait: *Nimis præſumptuoſum eſt, dicere, cuiquam eorum, ſupplicium æternum non futurum, quos Deus ituros in ſupplicium dixit æternum.* Licet enim doctrina hæc certiſſima ſit, quam & clarè docuit Dauid Pſal. 66. dicens: *In inferno nulla eſt redemptio,* & Eccleſia illud acceptat in reſponſorio defunctorum: cum eo tamen rectè ſtat, quod ex occultis Dei iudicijs, aliquos in mortifero peccato decedentes ad vitam reuocarit, & peracta legitima pœnitentia, ſuſceptiſq; ſacramentis, tandem ad ædes cœleſtes eos tranſtulerit. Etenim tales homines licet interim ad tempus fuerint puniti in inferno, ſecundum præſentem eorum iniuſtitiam; abſolutè tamen prædeſtinati fuerant ad æternam ſalutem per medium illud prodigioſum ex immenſa Dei benignitate, & Virginis interceſſione, qui habent, licet diuerſimode, claues mortis, & inferni, vt docent S. Thom. in quæſtionibus de veritate quæſt. ſexta, artic. 6. ad 4. Altiſiodorenſis lib. 4. cap. de damnatis. Henriquez lib. 9. c. 16. ac tandem Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus lib. 2. de anno Iubilæi, cap. 45. vbi ait, quoſdam ad vitam reuocatos ex Inferno, & ex ſtatu damnationis, cum ad illum non eſſent tunc finaliter deputati. Quare nec ratio prædeſtinationis, vel reprobationis vllo prorſus modo variatur, ſed firma, immutabilis, & perpetuò ſtabilis perſeuerat. Id autem ita de facto contigiſſe per interceſſionem B. Mariæ Virginis; omiſſis varijs exemplis, de quibus lib. vltimo agam, ſolum illud referam, quod ex diſtinct. 3. ſpeculi exemplorum exemplo 46. Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus in expoſitionem. Pſal. 86. cap. 32. in hæc verba commemorat. *Cùm enim quædam matrona in territorio Lionicenſi, ſeu Lingonenſi, licet aliàs Religioſè viueret, in eo defecerit, quòd facinus quoddam in iuuentute commiſſum, nunquã in ſpecie, ſed tantùm in communi, atque generaliter confeſſori in ſacramento pœnitentiæ aperuiſſet: ac proinde, poſtquam, è vita diſceſſit à dæmonibus ad flammas infernalis ignis raperetur; illico Beata Virgo Ieſum filium enixè exorauit, vt ab eiuſmodi æternis pœnis eam liberam eſſe vellet, eò quod cùm viueret, quotidie coram eius imagine illam piè exoraſſet, ne ob tale peccatum damnationi addiceretur æternæ. Annuit filius, & mulier vitæ reſtituta occultum, ac tam diù non propalatum peccatum integrè cum alijs confeſſa eſt; Virginiſque precibus iterum moriens, in Cœli gloriam recepta fuit.* hæc ille. Quibus addo, quòd ſi Apoſtolis ex priuilegio conceſſum fuit, vt nonnullos Ethnicos, qui ad infernum iam deſcenderant, reſuſcitarent, qui ſic ad vitam reuocati, peracta pœnitentia, iterum mortui ſalui fierent, vt ſcribit Egeſyppus libro tertio, capite ſecundo, & ſanctus Thomas in quarto diſtinct. 45. artic. ſecundo, q. 2. & Beatæ Agneti, vt filium Præfecti, quem diabolus occiderat ob ſtuprum in Virginem tentatum, reſuſcitaret, vt narrat S. Ambroſius ſer. 90. & S. Maximus ſerm. 2. necnon reliquijs B. Stephani, quæ puerulum ante baptiſmum mortuum excitarunt; Immò, vt ex Diuo Ioanne Damaſceno, Ioanne Diacono, & quamplurimis alijs refert Alphonſus Ciacconius de vita Traiani, precibus Beati Gregorij hic Imperator fuit ex Inferno ad vitam reuocatus, vt pœnitentiam ageret, & ſaluus fieret; cur matri Dei negandum erit, potuiſſe, ex ſummo filij priuilegio, portas Inferi infringere, & quos voluiſſet ad vitam mortalem iterum reuocare; vt peracta debita pœnitentia, tandem ſalui fierent?

Ad extremum, cùm ex ſententia Diui Thomæ prima parte quæſt. 21. articulo quarto, ad primum, omnium Theologorum calculo probata, doceamur, quòd etiam in damnatione reproborum apparet miſericordia, non quidem totaliter relaxans, ſed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum; in quo mirificè impleri video illud Iacobi epiſtol. capite ſecundo: *Superexaltat miſericordia iudicium,* vel, vt alij vertunt: *Triumphat de iudicio, ſeu de iuſtitia miſericordia:* & ex alia parte, Sancti Patres late à me ſupracitati, relatis eorũ teſtimonijs, luculẽter doceant quæ-

Durandus. Antonin. Scotus. D. Aug. Pſal. 66. Eccl. Cath. Altiſiodor. Henriquez. Rutil Benz. Specul. Pſal. 86. Egeſipp. S. Thom. S. Ambr. S. Maximus. D. Damaſc. Ioann. Diac. Alph. Ciacc. D. Thom. Iacob 2.

quæcumque beneficia diuinitus deſcendunt à Patre luminum, per Virginis preces, & interceſſionem communicari; manifeſtè inde efficitur, beneficiū punitionis citra condignum ipſis damnatis ex Dei miſericordia collatum beneficentiæ, & interceſſione Virginis aſcribi debere, prout aſcribit Rutilius Bēzonius Epiſcopus Lauretanus ſuper Pſalmum 86. capite 32. dicens: *Quantitas pœnæ damnatorum ex Dei miſericordia, & interceſſionibus Beatæ Mariæ Virginis citra condignum taxatur*, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Rutil.Bonz.

Homilia XIX.

In illa verba : Martha ſatagebat circa frequens miniſterium *explicatur, in quo conſiſtat vita actiua, quis eius ſcopus, & finis, quæ propriæ eius actiones, quibuſque tandem indigeat, vt opera eius ſint meritoria?*

Luca 10.

MAGNI Ioannis Caſſiani in doctrina rerum ſpiritualium diſertiſſimi, ac verſatiſſimi Magiſtri veſtigia ſequens, qui libro ſuarum collationum, collatione prima capite ſecundo, vt Lectores ad perfectam vitam alliceret, eius ſcopum prius ante oculos eis propoſuit, vt enim ipſe perdoctè dixit: *Omnes Artes, ac Diſciplinæ ſcopum, & finem proprium habere noſcuntur, ad quem reſpiciens vniuſcuiuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores, & pericula, atque diſpendia æquanimiter, gratanterque ſuſtentat.* Quod ſatis nobis innoteſcet, ſi in agricolam, negociatorem, & militem oculos conijciamus: quorum primus perceptionem copioſarum frugū: ſecundus diuitiarum quæſtum: tertius adeptionem honoris, ac dignitatis, tanquam finem reſpicit. Quia igitur finis, eſt velut calcar, nos incitans, & ad currendum vrgens, & velut gemma precioſa, quam nitimur poſſidere; vel certè eſt, velut præmium, aut brauium certantibus propoſitum, oportet, incedentem in via diuini famulatus, mentis oculos in illum figere, ne alioquin curſus operum illius ſit lentus, & ſegnis, aut fortè inanis apprehendendi illud conatus. Vt enim, qui iaculum, aut ſagittam emittit, ſi in ſcopum aliquem illam non dirigat, operam ludit, & priuatus manet ſui laboris effectu; ſic qui in nullum finem mentis oculos figens, ſpiritualem aliquam vitam ingredi ſatagit, nullum aut modicum capit ſuorum operum profectum. Finis igitur vitæ actiuæ nihil eſt aliud, quàm vniuerſorum vitiorum extinctio, paſſionum mortificatio, virtutum moralium acquiſitio, & in bonis operibus rectitudo. Vnde Diuus Iſidorus libro tertio ſententiarum, capite decimoquinto, numero primo, actiuam vitam vocat: *Innocentiam bonorum operum.* Quare, ſi hæc vita actiua pro fine habet, bonum, ac innocentem reddere poſſeſſorem ſuum, & bonus, & innocens non eſt, qui vitijs fœdatur, ac operum probitate caret; conſequens eſt, vt in hæc omnia, tanquam in proprium ſcopum tendat. Quantùm autem detrimentum ſit, ſine iſto fine benè operari, docet Hugo Victorinus his verbis: *Quæcumque magis proſunt, meliora ſunt, vt omne opus ſecundum fructum ſuum iudicari oportet. Multi hanc diſcretionem non habentes, plurimum laborauerunt, & parum profecerunt: quoniam oculum habuerunt foris tantùm ad ſpeciem operis, & non intus ad fructum virtutis. Gauiſi ſunt enim magna ſe facere magis, quàm vtilia exercere; & dilexerunt potius illa, in quibus videri poſſent, quàm emendari.*

Ioan.Caſſian.

D.Iſidorus

Hugo Victor

Hinc illā arbitror vitæ actiuæ egregiā deſcriptionē. *Vita actiua eſt, quæ peccata deflet, affectus moderatur, bella tentationū diſſoluit, proximos in rebus corporalibus, & ſpiritualibus iuuat, omniumque virtutum moralium functiones exercet.* Perſimilis huic eſt illa, quam apud Iſaiam capite 58. lego. *Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes dimitte*

Iſai.58.

eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti pane tuũ, & egenos, vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Equidem ſi in his te exercueris operibus, *tunc erumpet quaſi mane lumen tuum*, gratiæ ſcilicet ſplendor, qui tenebras peccatorum tuorũ fugabit; *& ſanitas tua citius, ac velocius orietur*, vt qui minus potens eras ad implenda diuina mandara, iã facile, & ſuauiter illa exæquaris; *& anteibit faciem tuam iuſtitia tua*, vt tanquam iuſtus, non vanis, ſed veris laudibus extollaris. Tandemque *gloria Domini colliget te*: illa ſanè gloria, quam paratam habet timentibus ſe: etenim ſcriptũ eſt in Pſalmo: *Quis aſcendet in montem Domini; aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* Cuius interrogationi ipſa Veritas ſumma reſpondit. *Innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam ſuam: nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Mons iſte, Chriſtus homo eſt, de quo dixit Iſaias. *Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Benedictio, gratia contemplationis eſt, quoniam eam cupiens iuſtus, tanquam alter Iacob luctatur cum Deo; neque ipſum dimittit, donec benedicat ſibi. Miſericordia, ignis charitatis eſt, quẽ Dominus in corde pauperis miſeratus accendit, vt omnes eius miſerias, paupertateſque conſumat. Ille igitur ad montem Chriſtum per contemplationẽ aſcendit: ille in diuinitate eius per amorem requieſcit: ille aptus efficitur hanc amplam benedictionem, & eximiam miſericordiam ſuſcipere, qui in operibus innocentiam tenet, & in cogitationibus munditiam ſeruat: qui vitam ſuam rebus inanibus, & tranſitorijs non deputat, & ab iniurijs proximorum abſtinet. Quæ omnia, munera ſunt vitæ in actione conſtitutæ. Vt autem, velut in compendium, omnia vitæ actiuæ munera redigam, oportet, vt eius cultores, qui antea magna peccata, veluti aquam, bibebant, minimos nunc defectus aufugiant: carnem ſuam cilicijs, flagris, & omni afflictionis genere ſpiritui ſubijciant: ſenſuum inſtrumenta, præcipuè oculos, aures, & linguam cohibeant, ac ſtrictiſſimam tenentes ſilentij cenſuram, cogitationi acriter imperent: eamque vanis recordationibus aſſuetam, ſanctarum meditationum vinculis ligent: paſſiones, & affectus immoderatos mortificent: nimiam familiaritatem, & ineptas amicitias animæ peſtes fugiant: vitia præſertim ſuperbiam, iracundiam, amorem poſſidendi, libidinem, & alia huiuſmodi extirpent: virtutes præcipuè humilitatem, manſuetudinem, paupertatem, & pudicitiam Angelorum ſponſam acquirant: ſeipſos contemnant, conculcent, & proterant: ab vniuerſis contemni, & pro nihilo haberi appetant: & honoris, gloriæ mundanæ, ac dignitatum appetentiam pœnitus (ſi fieri poteſt) extinguant: omnibus ſe tractabiles, & amabiles præbeant, maioribus obedientes, æqualibus gratos, minoribus virtutis ſe formam exhibeant: fugiant, taceant, quieſcãt, abſcondãtur, elongentur, ament neſciri, diſcant mori, lugeant præterita, ſpernant præſentia, meditentur futura. Ac breuiter hæc ſit eorum cura, hoc ſtudium, vt per labores huius vitæ, ad charos tandem pulchræ Rachelis, hoc eſt, vitæ contemplatiuæ amplexus perueniant. Interim tamen, ſi multum anxiamini diuini ſponſi amplexibus, & oſculis non frui, accipite conſilium veſtri Diui Bonauenturæ in ſtimulo, capite 3. & deſiderijs veſtris, quantum patitur vita actiua, non fraudabimini. Sic enim ait: *Cur anima tota die anxiaris poſt Chriſtum? indicabo tibi quem diligit anima tua, ò ſponſe dilecti: Certe in infirmaria iacet, & ibi anguſtiatur, & ibi torquetur: curre, & ſibi miniſtra, ſibi compatere infirmanti. Cur inſtas ſponſa quotidie, vt ſponſi oſculo oſculeris? accede ad leproſum, & oſculare eum, quia ibi iacet ſponſus. Cur ſponſa miſerrima præ ſponſi amore languere te dicis, & ipſum quotidie nudum, diſcalceatum, & afflictum ante te vides tranſire, & negligis, neque etiam compateris ſibi?*

Pſal. 23.

Iſai. 2.

Geneſ. 32.

D. Bonauent.

Sed perge iam dicere, quibus opus habeant actiones vitæ actiuæ, vt bonæ, ſtudioſæ, ac Deo gratæ ſint. Reſpondeo, ad bonitatem noſtrorum operum non ſufficere, quod illa ſint ex ſuo genere quoad ſubſtantiam bona, ſed & quòd debitis circũ-

ſtantijs cohoneſtentur. Nam cum bonum ex integra cauſa conſurgat, malum verò ex quolibet defectu reſultet, non ſolum deficientibus omnibus circumſtãtijs, quas D.Thomas ſeptem eſſe tradit Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt.7. art.primo, ſed vna dumtaxat deficiente, totum commaculatur opus. Bonum erat ſacrificium, quod durante veteri lege, Deo offerebatur, quis neget? Sed ſacrificium Oziæ malum fuit ex defectu primæ circumſtantiæ, nempe ex defectu perſonæ; quia Regibus datum eſt, gubernare Populum, non tamen, more Sacerdotum, ſacrificia, & hoſtias ma- 2.Paral.26. nibus proprijs offerre. Quare Dominus, vt Oziam ab hoc flagitio compeſceret, in ipſo templo eum lepra percuſſit, & Vrbs Ioſephus (narrante Ioſepho) terræmotu contremuit. Bona erat illo tempore pecudum immolatio; ſed illorum Sacerdotum mala erat, qui poſt reditum à captiuitate Babylonica, Domino animalia maculoſa immolabant; quia nimirum deerat ſecunda circumſtantia, quæ aut quantitatem, aut qualitatem, aut effectus ex actione noſtra prouenientes deſignat; & ideo Malach.1. eos Dominus per os Malachiæ vehementer increpuit: *Si offeratis* (inquit) *cæcum ad immolandum, nonnè malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum, nonne malum eſt?* Bona erat emptio, & venditio rerum, quæ in Templo deberent offer- D.Aug. ri, vt *quæ* (vt inquit Auguſtinus) *opus habebant homines in ſacrificijs illius temporis:* at mala erat emptio, & venditio ſacta in Templo, quia nimirum apta non erat tertia circumſtantia loci: nam templum non ad exercendas nundinas, ſed ad Ioann.2. orandum conſecratum eſt. Et in huius ſignum Dominus, *cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes vendentes, & ementes eiecit de Templo, oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas* Geneſ.25. *ſubuertit.* Rationi conſonum eſt, neceſſitati corporis prouidere, & cibos ad depellendam famem comparare; at malum fuit, quod Eſau etiam cum opido laſſus erat, coctionem ruſam primo genituræ, ſacerdotij venditione, quæreret; quia in quarta circumſtantia defecit, nimirum in auxilijs, & inſtrumentis, quibus ad ſuam indigentiam ſubleuandam eſt vſus; neque enim debuit pro eſca tàm vili, ſuã

dilapidare ſubſtantiam, ideoque Paulus eum *prophanum* appellat, & tantorum bonorum profuſionem damnat. *Ne quis* Hebr.12. *fornicator* (inquit) *aut prophanus, vt Eſau, qui propter eſcam vendidit primitiua ſua.* Similiter iuſta erat defenſio Regis Aſæ, qua propulſabat iniuriam ſibi illatam à Baala Rege Iſrael: ſed mala fuit, Dominoque diſplicuit, quia vſus eſt auxilio Regis Syriæ. Quare dixit ei Ananias Propheta miſſus à Domino: *Quoniam habui-* 2.Par.c.16. *ſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Stultè egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Similiter bona eſt elee- Tob.12. moſyna, *quoniam à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.* Mala verò eſt, ſi propter ventum inanis gloriæ fiat; abeſt enim quinta circumſtantia, nempè debitus finis, in quem hoc miſericordiæ opus debuit ordinari. Tandem bonum eſt beneuolentiæ opus admittere, cùm ab illo ad prandium inuitaris; ſed peccauit ille Propheta, qui in tempore ſibi vetito conuiuium admiſit, ob idque inuenit eum Leo in via, qui ſcilicet, ex imperio Domini, illum quærebat, & ipſum occidit: cuius cauſa ſtatim exprimitur, cum alius, qui Prophetam ad cibum vocauerat, ita reſpondit: *Vir Dei eſt, qui inobediens fuit ori Domini,* 3.Reg.13. *& tradidit eum Dominus Leoni, qui confregit eum.* Hoc (inquam) ideo crimen fuit, quia vltima circũſtantia temporis, eſt prætermiſſa. Aduerto tamen quod vt huiuſmodi operationes, alioquin bonæ, ex omnibus circumſtantijs, ſint meritoriæ, omnino requiritur, operantem eſſe per gratiam Chriſto vnitum; vt enim ipſe dixit. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſe-* Ioann.15. *metipſo, niſi manſerit in vita; ſic & vos, niſi in me manſeritis.* hinc eſt, quod cum ſacra Scriptura dixit, opera Abelis grata extitiſſe Deo, prius ait, Abel ſibi placuiſſe. *Reſpexit Dominus ad Abel, &* Geneſ.4. *ad munera eius.* Ecce, vt complaceret Deus in operibus Abelis, opus fuit, vt prius ſibi complacuiſſet in illo. Non diſſimiliter, vt opera tua ſint in diuino conſpectu grata, & meritoria, oportet prius te gratum, & amicum Dei eſſe.

Tandem concludo Beati Laurentij Iuſtiniani de diſciplina, & perfectione monaſtica ſalubre conſilium ante oculos tibi proponentis, hoc loco inſerendũ. B. Laur. Iuſt. Verba eius ſunt hæc: *In actionibus exterioribus ſerui Dei prudenti ſe circumſpectione cuſtodiant; nam ſolet interdum in eiſdem animus effrænari, & lingua, itaut omiſſa omni grauitate, ſpiritu leuitatis totus feratur in præceps; neque quid agat, vel quomodo conſiderare velit. Facile tunc verba proferuntur nullo ſapientiæ ſale condita, quæ audientium corda impatientiæ iaculo feriunt, & totam diſſipant dulcedinem charitatis.* & poſt pauca. *Ideo ſanctis cogitationibus occupanda mens eſt, cum corporale ſit opus, vt pariter cordis, & corporis gratum Altiſſimo offeratur holocauſtum. Quod ſi hoc fieri nequit, verbum pronuncietur ædificationis, vel vocalis ſaltem non deſeratur oratio, vt Dominus dupliciter laudetur.* Debent quippe qui Deo placere cupiunt, nihil horum prætermittere, quæ valeant cor accendere, aut proximum ædificare in gloriã eius, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XX.

Luca 10. *In illa eadem verba:* Maria optimam partem elegit, *explicatur breuiter natura vitæ contemplatiuæ, & ſcopus, quem reſpicit, necnon quæ ſint eius propria munera, & operationes.*

ANtequàm de vita contemplatiua ſermonem inſtituã, operæpretium duxi, prius monere, huiuſcemodi vitæ genus non eſſe indiſcriminatim omnibus fidelibus aptum, ſed illis dumtaxat, qui ad illud ſectandum ſpecialiter vocantur à Deo. Non enim ad idem inſtitutum vocat Deus vniuerſos, ſed quoſdam ad vnum, alios ad aliud ſuauiter, & potenter inuitat. Act. 9. Paulum etiam reluctantem, immò, & fideles perſequentem ad Apoſtolatum trahit: virum autem à dæmone liberatum, ſe vltro offerentem, & inuitantem non admittit; dimiſit enim illum Ieſus, dicens: *Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.* Luca 8. Hic itaque minimè ad contẽplationem vocatus, qui enim à quiete mẽtis arcetur, & ad exteriora virtutum opera mittitur, fruſtra erigit oculos ad cœleſtes conſolationes ſibi inacceſſas; fatigabitur namque, & laborabit, ſed numquam eas poterit obtinere. Vnde Salomon dixit: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia faciunt ſibi pennas, quaſi Aquilæ, & volabunt in Cælum.* Prou. 23. Quam ſententiam venerabilis presbyter Beda de ſpiritualibus diuitijs intelligit: Beda *Ne erigas mentem* (inquit) *ad perſcrutanda diuinitatis arcana, quæ penetrare non potes; hæc enim cæleſtibus ſolùm ciuibus patent. Ille autem contemplationis diuitias non poteſt habere, cui conceſſa non eſt à Domino contemplatiuæ vitæ vocatio: quia illas, gratiæ diuinæ præſidium, & non ſola naturalis acquirit induſtria.* Quod ſi quiſpiam dicat: quomodo agnoſcam, vocatus ſim, necne? cognoſcet ſanè ſe vocatum, ſi conſtanter vitæ contemplatiuæ ſuſcipiendæ efficaces afflatus, & inſpirationes ſentiat; quæ ſunt veluti voces Dei, eum quem tanto beneficio dignum reddit, allicientes, & inuitantes. Si fortiter obſtantibus impedimẽtis reſiſtat: ſi ad orationis exercitia aptitudinem, hoc eſt, mentem placidam, & quietam habeat. Verum eum, qui hæc in ſe experitur, oportet ſubaudire Diuo Ambroſio libro de fuga ſæculi, cap. 5. hanc præparationem ad vitam cõtemplatiuam exigenti: *Tranſi ſicut Moyſes, vt videas Deum Abraham, Iſaach, Iacob, & videas viſum magnum; ſed ſi videris: ſolue calceamentum pedum tuorum, ſolue omne vinculum iniquitatis, ſolue vincula ſæculi; relinque calceamentum, quod terrenum eſt: Ideò Ieſus ſine calceamento, auro, & argento Apoſtolos deſtinauit, ne ſecũ terrena portarent.* D. Ambroſ. Dominus quidem ſecundam Moyſi legem daturus iubet illi: *Præcide tibi duas tabulas lapideas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.* Exod. 34. Antea Dominus tabulas præcidit, dominus ipſe

dolauit;

dolauit, & legem digito ſuo conſcripſit; ſecunda autem vice dolatas, & præciſas tabulas à Moyſe poſtulauit, vt in illis ſuā voluntatem ſcriberet: Quid hoc? niſi quòd Dominus in illo aureo innocentiæ ſtatu, primi parentis potentias, & affectus ſine vllo labore compoſuit, vt diuinæ voluntatis notitiā, & cœleſtes conſolationes, quaſi inſculptas, & celatas reciperet. At in iſto ſtatu planè ferreo, in quo regnat peccatum, vult nos tabulas, ideſt potentias, & affectiones noſtras mortificatione polire, & leuigare, vt lucem demiſſam cœlitus, & puriſſimos amoris amplexus valeamus accipere. Quia autē hæc mortificatio à multis contemplatiuis abeſt, ideò nomen tenent, ſed re, & veritate contemplationis fructum non poſſident. Optimè enim dixit Bernardus: *Non conſolatur Chriſti infantia garrulos: non conſolantur lachrymæ Chriſti cachinantes: non conſolantur panni eius ambulantes in ſtolis: non conſolantur præſepe, & ſtabulum amantes primas Cathedras in Synagogis, ſed æquanimiter fortè vniuerſam hanc conſolationem expectantibus in ſilentio Dominum lugentibus, pannoſis pauperibus cedere videbuntur.* Anima igitur ſe ipſa emundet ſuum intellectum, vt affectum deſiderijs terrenis euacuet, & cœleſtis luminis, & diuinarum conſolationum ſit capax. Anima namque ſaturata porris, & alijs Aegypti, calcabit fauum; eſuriens autem, & harum rerum vacua, etiam amarum pro dulci ſumet, dum in ipſis lachrymis incredibilem experietur dulcedinem. Nec ſolum hæc præparatio vitiorum expulſionem, ſed & virtutum decorem, & pulchritudinem ſibi vendicat. Certè pueri Hebræorum, qui in aula barbari Regis erant miniſtraturi, bone Deus, & quam apti, & decori futuri fuiſſe memorantur, *Et ait Rex* (dicit Scriptura) *Aſphenez præpoſito Eunuchorū, vt introduceret de filijs Iſrael, & de ſemine Regio, & Tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina.* Si ad ſeruiendum terreno Regi, & barbaro, & idololatræ tanta requiruntur naturæ dona, quid in nobis deſiderandum eſt, Domine Deus meus meus Rex Regum, & Domine dominantium, vt aſſiſtamus tibi, ſeruiamus tibi, & familiaritatem tecum, ac neceſſitudinem habeamus? Sanè exiſtimo non ſatis eſſe, vt ſimus de ſemine regio, quod gratia nos tibi gratos faciens, & diuinæ naturæ conſortes exhibet; neque vt vitiorum, & inordinatorum paſſionum maculis careamus, niſi etiam virtutis decor, ſapientiæ lumen, circumſpectionis donum, & diſciplinæ pulchritudo noſtram mentem perſeueranter circundent.

D. Bern. ſer. 5. de Natiu. Domini.

Dan. 1.

Hac igitur præparatione facta, licebit Sancta Sanctorum vitæ contemplatiuæ ingredi, quam ſi noſſe deſideras, in quo conſiſtat compendio, tibi reſpondeo ex Sanctorum Patrum doctrina: *Contemplatiua vita, eſt ab omnibus rebus externis alienatio, & Deo adhæſio continua, quantū huius vitæ fragilitas patitur, non ſolum per gratiam, ſed per cognitionem, & effectum.* Hanc definitionem contemplatiuæ vitæ me docuit Ioannes Caſſianus, libro collat. collat. 19. cap. 8. dum ait: *Heremitæ perfectio eſt, exutam mentem à cunctis habere terrenis, eamque quantum humana imbecillitas ſinit, vnire cum Chriſto.* Hinc facile eſt agnoſcere finem, & ſcopum vitæ contemplatiuæ non eſſe intellectu ſpeculari Deum, ſed ſimul per voluntatem affectu in eum ferri. Vnde Diuus Gregorius homil. 14. in Ezechielem, non tam per actiones intellectus, quam per ignitos affectus voluntatis vitam contemplatiuam deſcripſit: *Contemplatiua* (inquit) *vita, eſt charitatem quidem Dei, & proximi tota mēte retinere, ab exteriori actione quieſcere, ſoli deſiderio conditoris inhærere; vt nihil iam agere debeat, ſed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem ſui Creatoris animus inardeſcat.* Itaque cùm omnis conſideratio rerum cœleſtium non propter ſeipſam ſuſcipiatur, ſed vt ea, tanquam inſtrumento, mens ad amorem ſupernorum erigatur, non debet vitæ contemplatiuæ cultor, tanquam finem ſibi proponere rerum altiſſimarum cognitionem, ſed præcipuè per ardentem amorem cum Deo intimè vniri. Qui enim ex cognitione non aſſurgunt; vt malum deteſtentur, & Deum ſuper omnia diligant, tantum abeſt, vt ſpeculatio eis proficiat, vt potius illis obſit, iuxta ſententiam Domini: *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis.* Qui ergo ſola conſideratione rerum cœleſtium, nutritur, & ad mortificationem

Ioan. Caſſ.

D. Gregor.

Luc. 12.

nem concupiſcentiæ, & internæ puritatis nitorem nanciſcendum eam non dirigit; pennas non habet Aquilæ, ſed Struthionis, quæ ad ornatum, non ad volatum deſeruiunt, & inter aues immundas annumeratur. *Deuteron. 4.* De illo myſticè legimus: *Pennæ Struthionis ſimiles ſunt pennis herodij, & accipitris:* *Iob 39.* pennas quidem ſpeculationis habet ille, ſed inſtar Struthionis, quæ ad intellectus ornatum ſolum deſeruiunt, in altũ tamen reuera illum non euehunt, quia pondere terrenorum affectuum grauatus, ad ima deijcitur, ac ſemper per terram ſerpit. In perſona huius loquens Hugo Victorinus, lib. 2. de clau. animæ, cap. 23. *Hugo Vict.* veraciter ait: *Quaſi Struthio volatum ſimulo, ſed tamen pedibus terram tango: volito habitu, ſed terram tango affectu*; pennas ſiquidem contemplationis à terrenis non eleuat, quem corpulentia carneæ fragilitatis pondere ſuo grauat. Non ſic ſe gerebat Dauid, qui non ad alium ſcopum dirigebat cogitationem ſuam, quàm ad amorem Dei, & cuſtodienda eius mandata. *Pſal. 34.* Pſalmo enim 34. poſtulans à Deo mentis illuminationem: *Da mihi intellectum* (ait) *& ſcrutabor legem tuam*; non quidem ſiſtit in perſcrutatione, ſed continuò ſubiungit: *Et cuſtodiam illam in toto corde meo.* Vide D Bern. ſer. 85. in Cant. loquens de anima contemplationi dedita, inquit: *D. Bernar.* *Quærit anima verbum, cui conſentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutẽ, quo reformetur ad decorem; cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatẽ.* De huiuſmodi anima loquens Oſeas, cap. *Oſee 10.* 10. viti frondoſæ copioſum fructum ferenti illam comparat: *Vitis frondoſa Iſrael fructus adæquatus ei.* Dum enim cœleſtia contemplatur, ſanctis meditationibus, quaſi frondibus decoratur, & eruditis cogitationibus, velut pampinis ad maiora diſtenditur. Tunc autem fructus adæquatur ei, cũ meditationes eius, & accenſa deſideria, virtutũ opera parturiunt. Quæ autẽ ſint officia, & operationes vitæ contemplatiuæ, *D. Thom.* Diuus Thomas partim docendo, partim obiectionibus ſatisfaciendo, 2. 2. quæſt. 180. art. 8. ad ſeptem reuocauit, nimirum, ad verbi Dei auditionem librorum ſpiritualium lectionem, ſacrarum literarum ſtudium, rerum ad animum illuminandum, & perficiendum ſcriptionem, diuinorum officiorum auſcultationem vocalem orationem, quæ horis Canonicis, aut ſacrificio Miſſæ, aut alia quapiam oratione perficitur, ac tandem mentalem exercitationem, quæ mentis cogitationem, & voluntatis affectum complectitur. Verbum quidem Dei auditum mouet, lectio docet, ſtudium illuſtrat, ſcriptio ſtabilit, ſtudium acquiſitum perficit, vocalis oratio præparat, cogitatio colligit, meditatio eleuat, contemplatio mundat, & affectus mentem Deo infert, ac rebus diuinis aſſimilat.

Concludo inſigni ſcientia, & vitæ ſanctitate Dionyſij Richelij flammigera verba hoc loco annectens: *Hic eſt finis ſolitaria vitæ: In ſæculo iſto, Deum excelſum, & benedictum purè, ac ſtabiliter contemplari, feruenter, & indeſinenter diligere, Deo perfectè, & aſſiduè adhærere, affici, frui, amplecti; ſicque vitam Angelicam, & cœleſtem inchoare in terris, copiosè, & abundanter futuram beatitudinem in illo auxilio prælibare, ac tam dulciter prægustare, quam dulcis eſt Deus. Inſuper glorioſiſſimæ Trinitati gratiosè aſſimilari: immò, & vnum fieri, & eſſe cum ipſa,* cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. *Richelius.*

Amen.

Homi-

Homilia XXI.

Præconia non pauca vitæ ſolitariæ, & bona, quæ ſolitudinis capacibus affert, in medium producuntur, in illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. (Luc. 10.)

Concors eſt præceptorum
omnium vitæ ſpiritualis ſententia, tria præcipuè deſiderari in eo,
qui ſolitariam, ſeu hereniticam vitam agere
cupit. Primum complexionis conuenientiam; qui enim melancolia laborat, vel
obſcura habet phantaſmata, aut cerebri
debilitatem ſentit, facile infatuatur, niſi
conuictu humano iuuetur. Secundum, vt
eo robore polleat, quod neceſſarium eſt,
ad quæcunque dura ſuſtinenda, teneros
enim, & molles longè à ſe excludit heremus. Vnde Exod. 16. legimus, molles
Iſraelitas in ſolitudine degentes dixiſſe:
Exod. 16. *Vtinam eſſemus in Aegypto.* Tertium, vt
habeat per ſe ſufficientiam, quę ſecundum
Andronicum, eſt habitus facultatem prębens, vt ſine adminiculo ſocietatis humanæ poſſit quis præſtare, quæ ſibi conueniunt. Quod cùm ſolum ſit virorum perfectorum, & hi pauciſſimi ſint, illis duntaxat hæc præconia damus, non vt alij imperfecti, his alliciantur ad temerè amplectendam vitam ſolitariam.

Primò igitur ſolitudinem verbo, &
exemplo Dominus non ſemel commen-
Iſai. 40. dat. Nam Iſaias cap. 40. *Rectas facite*
Exod. 5. *ſemitas Dei noſtri in ſolitudine.* Exod. 5.
Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi
Hierem. 51. *in deſerto.* Hierem. 51. *Fugite de medio*
Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam
Oſee 22. *ſuam.* Oſee 22. *Ducam eum in ſolitudinē,*
3. Reg. 17. *& loquar ad cor eius.* 3. Reg. 17. *Dixit*
Dominus Eliæ: Recede hinc, & vade in
Orientem, & aſcondere in torrente Carith,
Pſal. 12. *qui eſt contra Iordanem.* Dauid Pſalm. 12.
Audi filia, & vide, & inclina aurem tuā,
& obliuiſcere populum tuum, & concupiſcet Rex decorem tuum. In Pſal. 54. *Quis* Pſal. 54.
dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? ecce elongaui fugiens,
& manſi in ſolitudine. & Pſal. 62. *In terra* Pſal. 62.
deſerta, & inuia, & inaquoſa ſic in ſancto
apparui tibi, vt viderem virtutem tuam,
& gloriam tuam. Et Pſal. 101. *Similis fa-* Pſal. 18.
ctus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum
ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, &
factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.
Alludit ad pellicanum, qui ſecundum
Iſidorum, libro duodecimo Ethimolog. D. Iſidor.
cap. 7. eſt auis in Aegypto habitans in
ſolitudine iuxta fluuium Nyli. Caſſiodo- Caſſiodor.
rus ait, eſſe Cyconiæ magnitudinis. Hierem. 9. *Quis dabit me in ſolitudine, & di-* Hierem. 9.
uerſorium viatorum derelinquam? Chriſtus Dominus (vt ait Diuus Matthæus,
cap. 4. *Ductus eſt in deſertum à ſpiritu,* & Matth. 4.
vſque ad trigeſimum annum turbas hominum fugit: & vt idem Diuus Matthęus
ait: *Aſcendit in montem ſolus orare;* & ali- Matth. 5.
bi: *Auulſus eſt ab eis,* ſcilicet Diſcipulis. Luc. 22.
Beata Virgo amantiſſima ſolitudinis, ſola
in penetralibus, quam ſolam Angelus ſalutauit, *abijt in montana cum feſtinatione,* Luc. 2.
ne cuiquam occurſaret. Ad Hebr. 11. Hebr. 11.
Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis,
egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus
non erat Mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Diuus Hieronymus epiſtola
39. ad Ruſticum Monachum, quæ incipit: *Nihil Chriſtiano felicius* ait: *Mihi* D. Hieron.
oppidum, carcer, & ſolitudo, paradiſus.

Secundo illam commendant verbo, &
exemplo Sancti Patres, Vincentius enim Vincentius.
Speculo hiſtoriali, libro octauo, cap. 63.
refert, Arſenium quendam Arcadij, & Ho- Arſenius.
norij Imperatorum pedagogum, poſtea
Abbatem, audiſſe vocem de Cœlo, dicentem: *Arſeni fuge, tace, quieſce.* Vnde idem
Arſenius, cum eum Theophylus Alexan- Theophil.
driæ Vrbis Epiſcopus, eiuſque ſocij rogaſſent, aliquem dicere ſpiritualis doctrinæ
ſermonem, reſpondit, ſe facturum, ſi ſibi
quod ab eis poſtularet, & ipſi concederent. Illis annuentibus ait: *Hoc à vobis*
flagito, vt vbicunque Arſenium eſſe audieritis, eo nunquam accedatis. Cumque iterum idem Theophilus facultatem illius
adeundi, per nuncium petiſſet, reſpondit:

Quod

Quod poſtulas concedam, ſed tamen hoc lo co cedam. Idem interrogatus à quodam Abbate, cur ſic, cum ab alijs ipſe non periclitaretur, alij ab eo iuuari poſſent? ait, ſe cum Deo, & hominibus ſimul eſſe non poſſe, ſe diuidi Deo, & hominibus, Deo facilius placere, quã iſtis hominibus infinitas voluntates habẽtibus. Vide Surium (*Surius.*) tom. 4. in vita eius. D. Bonauen. in vita (*D. Bonauen.*) Seraphici noſtri Sancti Patris Franciſci: *Solitaria* (inquit) *loca quærebat Sanctus Pater noſter, amica mœroribus.* Seuerus Sulpitius dialog. lib. 2. cap. 13. de Virgine (*Seuer. Sulp.*) quadam, quæ ſe ab omnium oculis remouerat, refert, quòd cùm illac tranſiret Sanctus Martinus illius loci Epiſcopus, illam inuiſere voluit: illa verò per alteram mulierem ſe excuſauit, nec ab eo videri voluit. Quod ille æquè tulit, & laudauit vehementer. Plato in Academiæ (*Plato.*) ſolitudine philoſophatur. Demoſthe- (*Demoſthenes.*) nes ſe in locum, vnde nulla exaudiri vox, nihilque proſpici poſſet, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi, vt Plutarchus tradit in vita Demoſthenis. (*Plutarch.*)

Tertiò, ſolitudo eſt fons diuinorum beneficiorum. Iſai. 51. *Ponit deſertum* (*Iſai. 51.*) *quaſi delicias, & ſolitudinem, quaſi hortum Domini.* Idem cap. 35. *Exultabit ſo-* (*Iſai. 35.*) *litudo, & florebit, quaſi lilium germinans germinabit, & exultabit gaudio, florebit puritate vitæ, germinabit bonis operibus.* Pſal. 64. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti.* Iſai. (*Pſal. 64.*) 54. *Multi filij deſerta magis quàm eius,* (*Iſai. 54.*) *quæ habet virum.* Ioel 2. *Nolite timere* (*Ioel 2.*) *animalia Regionis, quia germinauerunt ſpecioſa deſerti.* Iſai. 4. *Ponam deſertum in* (*Iſai. 4.*) *ſtagna aquarum, dabo in ſolitudinem Cedrum, & ſpinam, & myrthum, & lignum oliuæ.* Thren. primo. *Bonum eſt præſto-* (*Thren. 1.*) *lari cum ſilentio ſalutare Dei.* Geneſ. cap. (*Geneſ. 21.*) 21. Agar in ſolitudine habet Angelum conſolatorem, & conſultorem. Geneſ. 28. (*Geneſ. 28.*) Iacobus fugiens fratrem Eſau, arripiens iter Haram, inclinata iam die, dormiens in ſolitudine vidit ſcalã, & Angelos, &c. Oſtenditur illi Chriſtus ex eo naſciturus, ac deſcenſurus, tanquam ex ſcala, cuius gradus primus, eſſet Abraham, ſecundus Iſaach, tertius Iacob, &c. vt narrat Matthæus veniẽs tandẽ ad Chriſtũ in ſummitate ſcalæ. Gen. 18. Videt Abraham Ange- (*Geneſ. 18.*) los ſolus in valle Mambræ ſoli, & egreſſo domo narratur excidium futurum Sodomorum, &c. Exod. 3. In ſolitudine paſcens gregem Moyſes, vidit rubum arden- (*Exod. 3.*) tem, & dicit myſterium, &c. Ibi fit legatus Dei, Dux populi. Exod. 19. in monte Synai ſolus loquitur cum Deo, vt ami- (*Exod. 19.*) cus amico. Exod. 16. *Reſpexit ad ſolitu-* (*Exod. 16.*) *dinem, & ecce gloria Domini apparuit.* 3. Reg. 19. Elias in ſolitudine Berſebeæ, Iu- (*3. Reg. 19.*) da Angelo conſolatore vſus, pane, & carne à Coruis paſtus, & ſolus in ſpelunca vidit Deum. 4. Regum 2. Heliſæus in ſo- (*4. Reg. 2.*) litudine accipit duplicem ſpiritum Eliæ. Iſai. 6. Solus Iſaias videt Seraphin, ab eo- (*Iſai. 6.*) que carbone mundatur. *Beata Virgo Chri-* (*D. Ambroſ.*) *ſtum concipit ſola in penetralibus, quem nemo videret,* vt loquitur Diuus Ambroſius: *Ab Angelo ſalutatur, mater Dei eligitur.* Luc. 3. *Factum eſt verbum Domini ſuper* (*Luc. 3.*) *Ioannem Zachariæ filium, in deſerto.* In ſolitudine videt Ieſum venientem ad ſe, & ei baptizat. Act. 1. Apoſtoli recipiunt (*Actor. 1.*) Spiritum ſanctum in cubiculo, vbi erant ſedentes. Actor. 8. Eunuchus Candacis (*Actor. 8.*) Reginæ Aethiopiæ docetur, baptizatur ambulans in ſolitudine à Philippo. Diuus Bonauentura In vita Sancti Franciſci: (*D. Bonauen.*) *Pater noſter Diuus Franciſcus in ſolitudine in monte Aluernæ ſtygmatibus honoratur, vnius, ac ſolius eius honos iſte fuit à Chriſto illi tributus, nec Paulo, nec Catharinæ Senenſi.* Reuelationes fiunt ſolitarijs. Oſeæ (*Oſee 2.*) 2. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Multa ad fidam aurem amici, vel amicæ dicuntur, quæ non publicè. Cãtic. 6. *Amici auſcultant te* (ait ſponſus ad (*Cant. 6.*) ſponſam in horto): *Surge anima mea, & veni.* Licèt auſcultatores, amici eſſent, & honeſta futura colloquia, noluit ſponſus coram amicis loqui ſpõſæ, ſæpè nec Deus Cant. 2. *Ego flos campi, & lilium conual-* (*Cant. 2.*) *lium,* ait ſponſus. In campum, in conualles ergo eundum, vt inueniatur.

Quartò, quod ſola vita ſolitaria vera cenſenda ſit, prout cenſuit Similius: Etenim Dio. Caſſius antiqu. hiſtor. in vita (*Dion. Caſſ.*) Adriani Imperatoris, dicit ſimilium hunc fuiſſe ducem Imperatoris, maximè familiarem, & glorioſi nominis, ac virtute, auctoritate prætoria olim, dignitate, nobilitate, modeſtia, prudentia, rerum experientia illuſtrem, audacem, liberum, in verbis fortem, belli, militiæque inſignem. Is igitur multis Romanæ Curiæ vndis inuoluebatur, ac tandẽ meditatus exitum,

ex il-

ex illo labyrintho curarum, publica prætura iam ſenex exceſſit, & procul ab Vrbe Roma, habitauit in ſua ædicula; ibique notus multis, ſed paucis familiaris, vixit ſeptennium. Vicinus ergo iam morti, inſcribi iuſſit monumento, quod iam diximus: *Hic iacet Similius, qui annoſus fuit, & tantum ſeptennio vixit*; quod ſcilicet, annos actos in Curia, & publico perijſſe, priuatim actos verè vixiſſe ſe æſtimaret; publicam illam, & negocioſam vitam, mortem: ſolitariam verè vitam arbitrabatur. Vt enim verè liquor infuſus vaſi pleno rimarum, hac, illac effluit, ita vita, quæ in tot, & tam varia negocia conſumitur, perire credenda eſt.

Quinto, quia ſolitudo aufert de medio occaſiones, & offendicula peccandi. Oculi non depredantur animam, vt dixit Hierem. 3. nec cantus puellarum, qui etiam, vel elephantes decipit, illic aure percipitur: nec ibi videtur ſpecies Virginis, quæ vel Rhinocerontem animal fortiſſimum capit, ſi gremium offerat: nec ibi lingua crebro peccat, quia ibi crebra ſilentia, ibi crebri anacherſydes. Iacob. 1. *Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, huius vana eſt religio*. Diuus Auguſtinus libro de ſingularitate Clericorum: *Minus voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt, vbi adeſt frequentia voluptatum. Et mitius auaritiæ moleſtias patitur, qui diuitias non videt*. Ac tandem in ſolitudine alienus eſt ſolitarius à violando conſiliū illud tanti momēti omnibus Monachis, ne nimis cum ſecularibus hominibus conuerſentur; huiuſmodi enim conuerſatio, & valde nociua, & longè aliena eſt ab inſtituto Monachi. Primò ratione differentiæ finis: Monachus habet propoſitum Cœlum, alij tendunt ad infernum. Iob 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto temporis ad infernum deſcendunt*. Peregrinorum alter intelligens alterum intendere Genuam, cum ipſe tendat Hieroſolymam, ſtatim alteri; *Vale* dicit. Videns igitur Monachus alios tendere ad Infernum, ſe in Cœlum, debet *Vale* dicere. Prouerbiorum primo. *Fili mi ne ambules cum eis, pedes illorum ad malum currunt*. Secundo ratione differentiæ motus: nam licet ſæculares tendant ad Cœlum, tamen gradu nimis tardo

Sequiturque Patrem non paſſibus æquis. Monacho autem currendum, & volandum. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Peregrinorum alter alteri, *Vale* dicit, ſi illum negocia currere vrgeant, & velit, & poſſit; alter autem accelerare gradum, aut nolit, aut non poſſit, aut non oporteat. Monachus ergo ſimiliter. Geneſis trigeſimo tertio, Iacob refugit ſocietatem Eſau dicentis: *Ego ſocius itineris tui?* quod grex, & paruuli properantem aſſequi non poſſent, aut nollent: *Quæ conuentio lucis ad tenebras?* Tertiò ratione periculi. Ioannes Clymacus ſcalæ Paradiſi gradu tertio: *Qui poſt abrenūciationem cum ſæcularibus verſatur, ſiue iuxta illos, commodi cogitatione inquinabitur, aut certe ſi non inquinatus fuerit, eos, qui inquinantur, iudicans, atque condemnans, & ipſe inquinabitur*. Diuus Baſilius in quæſt. fuſ. diſputat. reſp quæſt. ſexta. *In ſæculo, qui plurimorum peccata videt, in comparatione deteriorum, ſe optime vitam agere exiſtimat*. Confirmat Diuus Chryſoſtomus homilia trigeſima ſexta, oper. imper. in Matth. vbi ait: *Sicut difficile eſt, arborem iuxta viam ſitam fructus ſuos vſque ad maturitatem ſeruare; ſic difficile eſt virum fidelem iuxta iſtum Mundum viuentem, in ſuis operibus immaculatam iuſtitiam vſque ad finem tenere: Recede ergo de via, & planta te in loca ſecreta, vt nec Mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum Mundo*. Ouidius elegenter de nuce dixit:

Nux ego iuncta viæ, cum ſim ſine crimine vitæ,
à populo ſaxis prætereunte petor.
Cauſabor, quare ſit lapidoſus ager.

vnde (proh dolor) frequenter contigit, vt ſicut arbor in publica via poſita non ſolum arroditur à beſtijs, læditur à curribus, ſpoliatur à viatoribus, ſed ſæpè ictus lapidum temerè iactorum læditur, fortuitò quoque alias fructiferas arbores plantatas in horti meditullio; ita Monachus ſæculum frequentans non tantum ipſe periclitabitur, ſed alijs erit cauſa periculi.

Diuus Athanaſius in vita Sancti Antonij: Antonium Abbatem Alexandrinum ferunt ſolitum dicere, nec expedire Chriſtus ſeruis eorum, qui ſæculo ſeruiūt domos frequentare, aut conſuetudine vti.

Hierem. 3.
Iacob. 1.
D. Aug.
Iob 21.
Prouer. 1.
2. Aeneid.
Pſal. 54.
Geneſ. 33.
Ioan. Clim.
D. Baſil.
D. Chryſoſt.
Ouidius.
D. Athan.

vti. Sicut enim piſces de aqua educti, continuò langueſcere, & emori ſolent; ita Monachum extra Cœnobij ſepta vagantem, ſi quidquam confabulationi vacauerit alienorum, ad cordis tepiditatem redigi, & circa ſpiritualia exercenda, effici tardiorem neceſſe erit.

Quarto ratione officiorum.

Vlterius: deſertum, locus flentium, & coram alijs difficile, & indecorũ eſt flere.
Matth. 26. Petrus egreſſus fleuit amarè. Ioſeph iubet egredi cunctos foras; eleuauitque vocem cum fletu in agnitione fratrum.
Geneſ. 45. Geneſ. quadrageſimoquinto, qui triſtes ſunt, ſoli eſſe deſiderant: Solitaria loca amica mœroribus. Turtur viduata ſemper ſola gemit, & luget. Virgilius quarto Aeneid.

Virgil. *Ouaque culminibus feriali carmine bubo*
Viſa queri:

Pſal. 101. Pſalm. 101. *Factus ſicut nycticorax in domicilio*, nycticorax nocte in deſertis domibus vlulat, & plangir.

Quintilian. Quintilianus libro decimo, Inſtit. cap. tertiò. *Demoſthenes, oraturus, ſcilicet, coram populo, ſe in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilque proſpici poſſet, recondebat; ne aliud agere mentem, cogerent oculi:* Monachus oraturus cum Deo, id ipſum faciat.

Quinto, ratione reputationis: *Nimia familiaritas parit contemptum.* Vnde Plutarchus tomo primo, vit. in Peryclem. di-
Plutarch. xit: *Perycles Athenienſis poſtquam Rempublicam cœpit curare, nunquam poſtea viſus eſt ambulare per Ciuitatem, niſi in forum iter, aut Senatum inuitatus: ad conuiuia non ibat, omnem talem amicorum conſuetudinem reliquit, & toto illo prolixo tempore, quo Rempublicam curauit, nunquam ad cuiuſdam amici cœnã iuit, dempto quod conuiuio nuptiali Euryptolemi nepotis ſui interfuit tantum ad gratias vſque, quando vinum Dijs offertur; ſtatimque poſt ſurrexit; quia* (vt ibi addit idem) *huiuſmodi familiaritates mirè deyciunt omnem grauitatem affectatam; & difficile eſt, vti ſeueritate perpetuò ne vileſcas, cum omnibus familiariter conuerſando.* Decet autem Monachum non vileſcere.

Sextò, in ſolitudine Deus, inſtar nutricis, dulci ſuæ conſolationis lacte animam nutrit. Vnde vbi noſtra vulgata in Oſea legit: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ei ad cor:* alia lectio vertit: *& lactabo eam.* Oſee 2.
Hinc D. Baſilius oratione de laudib. heremi, enarrat delicias ſolitudinis: *Sunt quidem in deſerto, pugna Edom, & Amalech, ſed ad habendam victoriam: ſunt ſerpentes quidem ignes, & venena ſpirantes, ſed eſt aneus, qui ſanet: ſunt aquæ amaræ, ſed lignum eſt, quod dulces reddat. Eſt panis penuria, ſed ſequitur manna; ſed eſt Angelus ferens ſubcinericium panem. Abſunt carnes, ſed pluet Deus coturnices: ſaxa ſunt, ſed percuſſa dant fontes aquarum, mellis, & olei. Solis ardor terret, ſed umbra ſeptuaginta palmarum, & duodecim fontes refrigerant; arma deſunt, ſed plus vincit Moyſes orando, quàm Ioſue dimicando.* Quid plura? Iſai. 21. promittit heremà colentibus diuinæ conſolationis exuberantem plenitudinem: *Ponam deſertum in ſtagna aquarum, dabo in ſolitudinem Cedrum, & ſpinam, & myrthum, & lignum oliuæ.* Nec Propheta id ex proprio Marte pollicetur, ſed in perſona Dei, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. D. Baſil. Iſai. 21.

Homilia XXII.

Proponuntur encomia, & vtilitates maiores vitæ cœnobiticæ ſupra vitam ſolitariam, in illa eadem verba: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10.

OMNIA fermè præconia vitæ cœnobiticæ, quam profitemur, ad hęc mihi videntur reuocari poſſe: Habemus in ea, quæ neceſſaria ſunt ad victum, & veſtitum abſque inani cura, & ſollicitudine. Habemus ad impetrandam diuinam gratiam per preces à tota Congregatione effuſas, efficaciſſimum remedium: habemus vſum talentorum, quæ quiſque de manu Domini accepit;

habe-

Digitized by Google

habemus multarum bonarum actionum in proximorum vilitatem vberrimū meritum: habemus lucem ſplendidiſſimam ad obtinēdam noſtri cognitionem: habemus in tentationibus præſidium fratres, qui verbo, & exemplo nos ad perfectionem prouocent: Prælatos, qui noſtros errores corrigant;. ac tandem ſpirituales Magiſtros, qui nos frequenter inſtruunt.

Sed iam pergo ſingula hæc oſtendere. Primo, ſolitarius non pōt non diſtrahi ob curam ſui victus, & quantumuis neceſſaria ei præbeantur, cura illa conſeruandi, & præparandi ad quotidianum prandiū, mentem ad terrena trahet, & à contemplatione diuellet. Et ecce hominem, qui elongauit ſe fugiens, & manſit in ſolitudine, vt totus contemplationi vacaret, ſua ſpe fruſtratum. Quid ſi non ſolum ſibi, ſed etiam hoſpitibus ad eum ędificationis gratia venientibus, debeat alimenta parare? tunc neceſſe erit ab interna quiete præpeditus, turbari, vt Martha erga plurima. Vnde Ioannes Caſſianus colla. 19. refert, ob hanc ſolam cauſam Abbatem Ioannē ſolitudinem reliquiſſe; & ad cœnobium confugiſſe, egregiam illam ſentētiam proferentem: *Id, quod mihi de illa theoretica ſublimitate ſubtrahitur, obedientiæ ſubiectione penſabitur.* — *Ioan. Caſſia.*

Secūdò, facilius impetrat humilis oratio non ab vno ſolo, ſed ab vniuerſa Congregatione profuſa. Vnde Leo Papa, ſerm. 3. de ieiun. 7. menſ. c. 3. ait: *Pleniſſima obtinebitur peccatorum abolitio, quando totius Eccleſiæ vna eſt oratio, & vna confeſſio.* Si enim duorum, vel trium Sanctorum, pio conſenſu omnia, quæ popoſcerint, Dominus præſtanda promittit; quid negabitur multorum millium plebi, vnam obſeruantiam pariter exequenti, & per vnum ſpiritum concorditer ſupplicanti? Tanti ſanè momenti eſt oratio ab vna Congregatione progrediens, vt impiorum Niniuitarū deprecationi Dominus aures non obturauerit, ſed eam benignè, miſericorditerq; ſuſceperit. Denique *miſertus eſt Deus ſupra malitiam, quam loquutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Si tantū potuit multorum impiorum communis oratio, vt eorum iniquitatibus nō minus quàm peccata Sodomæ pro vltione clamantibus, veniam, & miſericordiam impetraret, quid non poterit vno corde, & vno ore fuſa deprecatio iuſtorum? quid non ab illo obtinebit, cuius *oculi ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum?* Hoc itaque validiſſimo ſanctitatis præſidio illi priuati ſunt, qui ſolitarij viuentes, non conſtipantur fratribus, qui irruente tentatione aliqua, aut occurrente quapiam neceſſitate, pro ipſis exorent. — *Leo Papa.* *Matth. 18.* *Iona. 3.* *Pſal. 33.*

Tertiò, eſt in vita ſolitaria magnum aliud incommodum, nempè talentorum nobis commiſſorum abſconſio. Cū enim nemo ferè ſit, qui aliquo Dei dono polleat, nam vt inquit Apoſtolus: *Alij quidē per ſpiritum detur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum;* conſequens eſt, vt ſolus in heremo poſitus, hoc donum Dei, quod accepit, habeat abſconditum, nullamque ex eo, aut in ſe, aut in alijs vtilitatem percipiat: *Nam ſapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* qui huiuſmodi eſt, *abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.* Nam vt inquit Diuus Gregorius prima parte paſt. cap. 9. *pecuniam in ſudario ligare, eſt percepta dona ſub otio lenti corporis abſcondere.* Benè ſanè iſta donorum effoſſio, pecuniæque ſpiritualis ligatio, ex ipſa tua, ò ſolitarie, operatione cognoſcitur. Nam literatus, quem doces, prædicator, quem ad bonam frugem conuertis, vbi ſunt? Certè cum Eliu dicere poteris: *Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei. En venter meus tanquam muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit.* Prudens, cui conſilium præbes? Sacerdos, cui ſacramenta miniſtras? Sanctus, quem ædificas? robuſtus, in cuius vtilitatem laboras? time ne ſeruus malus, & piger voceris, & dona accepta dilapides, dum ea infructuoſa relinquis. Hæc omnia in ſolitudine otioſa ſunt, in cœnobio verò negocioſa, quæ ſuis laboribus in hac vita vſum, in futura verò præmium ſuper menſuram recipiunt. — *1. Cor. 12.* *Eccleſ. 20.* *Matth. 25.* *D. Greg.* *Iob 32.*

Quartò, quia vitæ ſolitariæ neceſſarium eſt, vt deficiat multitudo illa meritoria bonorum operum, quæ cœnobiticæ vitæ nunquam deficit. Nam cœnobium, eſt veluti vnum corpus ex diuerſis parti-

partibus, membriſque compactum. Vnde ſicut hominis corpus vno, eodemque tempore, & oculis videt, & auribus audit, & lingua loquitur, & manibus laborat, & pedibus graditur, & vnumquodque membrum, non tantum labore proprio, ſed laboribus quoque ceterorum membrorum perfruitur; ita prorſus in cœtu multorum, (qui vnum eſt myſticum corpus) dum ille orat, iſte legit, alius prædicat, alius ignorantes inſtruit, & alius manibus laborat, vnuſquiſque, & propria actione gaudet, & particeps laborum aliorum fratrum efficitur. *Contra* D. Baſilius. *verò eſt* (inquit Baſilius) *in eo, qui ſolus eſt: dum enim vnum exequitur, ab alio impeditur; veluti ægrum viſitans, hoſpitem recipere non poteſt, neque in opere faciendo, ſtudium retinere, qui in partiendis, diſtribuendiſque ad vſum vitæ neceſſarijs rebus occupetur; præſertim, quando in miniſterijs hiſce obeundis, fratres diutius neceſſe ſit deſtinare, ſeu detineri.* Tantum ergo diſtat vita heremitica, & cœnobitica, quantum homo incolumis, & omnibus membris conſtans ab eo, qui vſu ſuorum membrorum eſt deſtitutus.

Quintò, quia facilius in cœnobitica vita, quam in ſolitaria adipiſcitur homo cognitionem ſui, ſuorumque defectuum, quæ valde neceſſaria eſt, ad incrementum humilitatis. Quod non obſcurè indicant verba illa ſponſi, Canticorum primo, vbi animam ſolitariam alloquens, Cant. 1. dicit ei: *Si ignoras te (ò pulcherrima inter mulieres) egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum.* Inter greges ergò, hoc eſt, inter Sanctorum cœtus, & Religioſorum familias, anima locum, vbi Chriſtus paſcat, inueniet. Paſcat hædos ſuos, hoc eſt, inordinatas affectiones, *iuxta*, ſeu in Tabernaculis Prælatorum comprimat; illiſque libens ſe ſubijciat, & in ſeipſa floridum ſponſi cubile, nimirum ſpiritum virtutibus, tanquam floribus reſperſum reperiet. Si autem neque iſtos greges imitatione ſequatur, neque Tabernacula iſtorum Paſtorum adeat, non facilè valebit agnoſcere, an in ſeipſa locum Chriſto parauerit, neque quantum in ſanctitate profecerit.

Sexto: In vita cœnobitica non deſideratur multitudo earum virtutum, quæ contubernium poſtulant, quæ tamen neceſſe eſt deficiat vitæ ſolitariæ, fratrum ſocietate carenti. Obedientia namque ſine Imperio Prælati corruit: manſuetudo ſina illatore iniuriarum euaneſcit: beneficentia ſine indigente non ſubſiſtit; & ſic aliæ quamplurimæ ſine externa materia, circa quam verſentur, otioſa ſunt, & veluti occaſionum defectu compeditæ. Hunc multiplicis virtutis exercendæ defectum, qui in ſolitaria reperitur, Sanctus Baſilius his verbis eleganter deſcribit, regula ſeptima fuſ. diſput. *Qua enim re humilitatis ſuæ documentum* D. Baſil. *dabit, qui neminem habeat, quo ſeipſum humiliorem declaret? Quod item ſpecimen edet ſua in alios commiſerationis à plurium cõmunione diſſectus, cui cum nullo penitus commercium ſit. Ad patientiam verò quomodonam tandem ſe exercebit, cùm voluntatibus illius obſiſtat nemo?* Quod ſi quis dicat, ad componendas animi ſui affectiones, moreſque rectè inſtituendos, ſufficere ſibi diuinarum literarum doctrinam; is ſimilis illi perhibetur, qui ædificare quidem didicit, attamen nunquam ædificauit: & illi, qui æs cudere didicit, ſed nunquam illud in actum deduxit. Sine dubio autem, in huiuſmodi hominem probè Apoſtoli illud conuenit: *Non auditores legis, iuſti ſunt,* Rom. 2. *apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*

Septimò. Deficit vitæ ſolitariæ in tentationibus, fratrum iuuamen, qui exemplo ſuo, mutuoque conuictu ad omne genus virtutis incitant; vt enim dixit Eccleſiaſt. cap. 4. *Melius eſt* in bello aduerſus Eccleſ. 4. dœmones *duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur.* & alibi: *Amicus fidelis, protectio fortis, qui au-* Eccli. 6. *tem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum inuenient illum.* Ac Prouer. 18. tandem Prouer. 18. Salomon ait: *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi Ciuitas firma.* Hac autem firmitate neceſſe eſt, careat ſolitarius fratre carens. Hinc Diuus Hieronymus, epiſtola quarta ad Ruſticũ,

monet

monet illum, vt cœnobiticam vitam am-
D. Hieron. plectatur: *Mihi quidem placet, vt habeas*
Sanctorum contubernium, ne ipſe te doceas,
& abſque Doctore ingrediaris viam, quam
nunquam ingreſſus es, ſtatimque tibi in
partem aliquam declinandum ſit; & errori
pateas, pluſque, aut minus ambules, quam
neceſſe eſt, ne aut currens, laſſeris, aut mo-
ram faciens, obdormias. In ſolitudine citò
ſubrepiit ſuperbia, vt ſi parumper ieiuna-
uerit, hominemque non viderit, putet
ſe alicuius eſſe momenti, oblituſque ſui,
vnde, & quo venerit, intus corde, lingua
Ad Rom. 14. foris vagatur. Iudicat contra Apoſtoli vo-
luntatem alienos ſeruos; quo gula volue-
rit porrigit manum, dormit quantum vo-
luerit, omnes inferiores ſe putat; crebriuſ-
que in Vrbibus, quàm in cellula eſt, &
inter fratres ſimulat verecundiam; qui
platearum turbis colliditur.

Octauò, vitæ ſolitariæ negari non po-
teſt Prælatorum correctionem deeſſe, quæ
adeò iuuat cognitionem, vt illa ſublata;
difficulter animus noſter vitia agnoſcat, &
difficilius illa emendet. Vnde Diuus Iſi-
D. Iſidorus. dorus libro de ſummo bono, ait: *Facilius*
reprehendimus vitia aliena, quam noſtra:
Nam ſæpè, quæ peruerſa in alijs iudica-
mus, in nobis nocibilia eſſe minimè
ſentimus. Et Dominus huius correctionis
inſtrumento, ſeruos ſuos ſe gubernatu-
Zachar. 11. rum promittit: *Et aſſumpſi* (inquit per Za-
chariam) *mihi duas virgas: vnam voca-*
ui: decorem, & alteram vocaui: funiculum,
& paui gregem. Virga, quæ vocatur *de-*
cor, eſt correctio Prælati ſuauior, qua pu-
ſillos, & facilè obſequentes corripit. Vir-
ga, quæ appellatur *funiculus*, eſt correctio
Prælati ſæuior, qua duros, & proteruos
emendat. His duabus virgis paſcit Do-
minus Religioſorum greges, & in vberri-
ma paſcua deducit. Beati qui huiuſcemo-
di virgis reguntur, & correctionis doctri-
nam ſuſcipiunt, & reprehenſionis onus nõ
detrectant. Erunt enim illius benedictio-
Pſalm. 22. nis particeps: *Dominus regit me, & nihil*
mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collo-
cauit.

Vltimò, inter præſidia vitæ ſpiritualis,
nemo ignorat Magiſtrorum inſtructio-
nem, ac frequentem doctrinam magni
momenti eſſe; qua tamen carent ſolitariæ
vitæ cultores. Vnde meritò exorare debe-
rent, quod olim Moyſes, Numerorum 27.
Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis Num. 27.
carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudi-
nem hanc: & poſſit exire, & intrare ante
eos, & educere eos, vel introducere: ne ſit
Populus Domini, ſicut oues abſque Paſtore.
Quæ verò ex his ſolitarijs magiſterio di-
uino interius inſpirante, ſufficienter ſibi
prouiſum eſſe nouerit, audiat quæſo piiſ-
ſimum Dionyſium Richelium in hunc mo-
dum loquentem: *Quamuis omnipotens,* Richelius.
omniſciens, & vbique præſens Deus, per
ſe, & per Angelos ſanctos, ac ciues ſuper-
nos, in omnibus valeat planè ſuccurrere; at-
tamen naturale, & connaturale eſt homini
per eos quoque, qui ſibi ſimiles ſunt in natu-
ra, & in eiuſdem ſecum ſunt ſtatus, vtpotè
viatores, dirigi, & iuuari, doceri, ac gu-
bernari, in tantum, vt ſerui Dei dicantur
eſſe, quaſi oues ſine Paſtore, & ſicut grex
ſine cuſtode; nec diù poſſe durare, niſi hu-
iuſmodi ſibi ſimilem in natura, ac ſtatu paſ-
ſibili, quem poſſint videre, & alloqui, ha-
beant directorem, ac præſidentem. Accedit
ad hæc, quod Seneca epiſtola 25. dixit:
Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet. Et Seneca.
Auguſtinus lib. 1. Polit. capit. 3. inquit:
Virtutem habens in gradu heroico, aut nul- D. Auguſt.
lo indiget, aut nulli conuenit; quid quod
ſolitudo audacem facit malitiam. Vnde
Daniel 13. *Senes Suſannæ dixerunt, ne-* Dan. 13.
mo nos videt.

Ne autem quiſpiam me inſipienter ſo-
litariam vitam deſpicere, aut vilipende-
re arbitretur, audiat precor Diuum Hie-
ronymum pro me reſpondentem epiſtola
quarta ad Ruſticum, vbi hæc verba pro-
fert: *Quid igitur ſolitariam vitam reprehẽ-* D. Hieron.
dimus? minimè quippe, quam ſæpè lauda-
uimus; ſed de ludo Monaſteriorum huiuſce-
modi volumus egredi milites, quos heremi
dura rudimenta non terreant, qui ſpeci-
men conuerſationis ſuæ multo tempore de-
derint: qui omnium fuerint minimi, vt
primi omnium fierent: quos neque eſuries
aliquando, nec ſaturitas ſuperauit: qui
paupertate lætantur, quorum habitus, ſer-
mo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum
eſt: qui neſciant ſecundum quoſdam
ineptos homines, dæmonum pugnantium
contra ſe portenta confringere, vt apud
imperitos, & vulgi homines, miraculum
ſui faciant, & exinde lucra ſectentur.
Similia tradit Diuus Diuus Benedictus in
regula, cap. primo, vbi inquit: *Secundum* D. Benedict.

Digitized by Google

genus Monachorum eſt Anachoretarum, ideſt Heremitarum hominum, qui non conuerſionis feruore nouitio; ſed Monaſterij probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio, iam docti pugnare; & benè inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam heremi, ſecuri iam ſine conſolatione alterius, ſola manu, vel brachio contra vitia carnalis concupiſcentiæ, vel cogitationum, Deo auxiliante, ſufficiunt pugnare. In eãdem ſententiã conſpirat Caſſian. coll. 18. c. 4. vbi ab illis, qui vitã ſolitariam aggreſſuri ſunt, & virtutum perfectionem, & iugem prius in cœnobijs habitationem requirit. Sic enim ait: *Secundum genus Monachorum eſt Anachoretarum, qui prius in cænobijs inſtituti, iamque in actuali conuerſatione perfecti ſolitudinis elegere ſecreta.* Quod confirmat noſtri Saluatoris exemplo, qui priuſquam in Deſertum ſecederet, baptizari voluit, & Spiritus ſancti in ſe manentis ſignum viſibile oſtendere, & ſic omnem implere iuſtitiam. Accedit Angelicus Doctor, qui ſecunda ſecundæ, quæſt. 188. horum Patrum doctrinam amplectens, hæc ſcripſit: *Solitarius debet eſſe ſibi per ſe ſufficiens:* Hic autem eſt, cui nihil deeſt, qui ſcilicet, aut Dei ſolo munere, vt Ioannes Baptiſta repletus Spiritu ſancto *ex vtero matris ſuæ*; aut exercitatione virtutum, vt alij Sancti ad perfectionem, aut conſummatam virtutem peruenit. Subſcribit Beatus Laurentius Iuſtinianus libro de vita ſolitaria, in hæc verba: *Qui humano deſtituti ſolatio, quoad vixerint, laudabiliter queant in cella perſiſtere, illorum tantum eſſe arbitror, qui Paracletum poſſident, atque virtute prudentiæ, ac naturali pollent ingenio*; qui (vt ait Apoſtolus) *non ignorant aſtutias Sathanæ, ſciuntque eſurire, abundare, & penuriam vtriuſque hominis pati.* Hinc Diuus Bernardus in Cantica ſermone 64. permultos docet deceptos, qui prætextu maioris perfectionis ad ſolitudinem confugerunt, & imperfectiores euaſerunt. Præclara eius verba ſunt hæc: *Quantos ex Monaſterijs ſpiritu ferventes heremi ſolitudo ſuſcepit, & aut tepefactos euomuit, aut tenuit contra heremi legem non modo remiſſos, ſed etiam diſſolutos; ſicque apparuit vulpeculam affuiſſe, vbi tanta facta eſt vaſtatio vineæ, ideſt, vitæ, & conſcientiæ hominis detrimentum. Cogitabat, ſi ſolus degeret, multò ſe copioſiores fructus ſpiritus percepturum, quippe qui in communi vita tantum ſpiritualis gratiæ fuiſſet expertus, & bona viſa eſt ſibi ſua cogitatio. Sed rei exitus indicauit, magis eandem illi cogitationem, vulpem demolientem fuiſſe.*

Ioan. Caſſ. a. 1.
D. Thom.
B. Laur. Iuſt.
2. Cor. 2.
D. Bernar.

Ad extremum, ſpiritualem ſolitudinem omnibus vitæ mixtæ cultoribus valdè curandam exhortamur, quam illi exercent, qui corpore poſiti in aulis, curis, & negocijs mundi huius, animo tamen maximè ſunt cum Deo, ſalutis ſuæ non obliuiſcuntur, & aiunt: *Noſtra conuerſatio in Cælis eſt.* Neceſſaria hæc omnibus.

Philip. 3.

Cyprianus de ieiunio, & tentatione Chriſti: *Animi omninò neceſſaria eſt ſolitudo, vbi erecta ſpecula mens ſibi inſopita prouideat, & deterſa rubigine coruſcantibus armis, importunum hoſtem terreat, & repellat.*

D. Cypr.

Diuus Bernardus ſermone quadrageſimo, in Cantica: *Solus eris, dummodo vanis, & communibus cogitationibus valè dicens non appetas præſentia: ſi contemnis, quæ Mundus miratur: ſi tua deſideria contemnis: ſi fugis lites: ſi iacturam rerum temporalium paruipendas: ſi non memineris iniuriarum. Nam aliter, & ſi ſolus ſis corpore, non poteris eſſe ſolus ſpiritu, nec viuere.*

D. Bernar.

1 Daniel cap. 6. Cum non poſſet Daniel media Babylone, & medijs curis poſitus corpore eſſe in Templo Hieruſalem: *Ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Hieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturque coram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat.* Babylon ideſt, *Confuſio*, Hieruſalem, *viſio pacis*, in confuſione pacem animo ſequebatur. Tu in Babylone negociorum, feneſtras animæ verſus Hieruſalem aperi: animo, & idealiter eſto in Hieruſalem, nam *animo quolibet ire licet.* Ouid. in Triſtibus.

Dan. 6.

In turba, non in turba,

Ouidius.

vt Ioſeph in medijs negociorum Aegypti turbinibus.

Geneſ. 41.

Ad hæc ſi fortuita cogitatio efficit, quandoque, vt obuios non videamus, non audiamus vel tympana, &c. vt in itinere deerremus, nunquid id non poterit voluntariè aſſumpta muſica, ſi placet? Si lectio Virgilij placet, dum canitur,

tur, dum legitur, nec in medio ſtrepitu ſtrepitum audiamus. Si cœleſtia placent, terrena faſtidiuntur, nec Mundum ſtrepentem audies, & cogitatione in Cœlo verſaberis ſolus cum multis.

Faetor tamen etiam Monachis cœnobiticam vitam agentibus ſollicitè curandam eſſe non ſolum ſolitudinem hanc, quam prædiximus ſpiritualem, ſed etiam corporalem à ſæcularium hominum conuictu, quantum abſque ſpiritualis proximi vtilitatis præiudicio fieri poſſit ſequeſtrationem, hoc enim, & nomen ipſum *Monachi*, præſefert, quod *Vnum*, græcè ſignificat. Vnde Diuus Hieronymus epiſtola ad Heliodotum,

D. Hieron. inquit: *Interpretare vocabulum Monachi: hoc eſt: vnum: quid facis in turba, qui ſolus es?*

Si cupis eſſe, quod diceris, Monachus, ideſt, ſolus, quid facis in Vrbibus, quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum. Ioannes Caſſianus col-

Ioan. Caſſian. lat. decima octaua. Abbatis Piemonis, cap. quinto, ait: *Inde Monachus dictus eſt, quod coniugijs abſtineret, & à Parentum ſe conſortio, ac Mundi huius conuerſatione ſecerneret.* Diuus Dionyſius cap. ſexto, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ tradit:

D. Dion. *Monachos appellari, quod viſibilibus relictis, Monadi, ideſt, Diuinitati ſoli placere contenderent*, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

* * *

Homilia XXIII.

Varias in medium producimus figuras, & tropos, vitam miſtam repræſentantes, quorum Sancti Patres meminere; permultaque docemus ad hoc vitæ genus pertinentia, in eadem verba: Maria optimam partem elegit, &c. Luc. 10.

CVM de vita actiua, & contemplatiua hucuſq; diſſeruerimus, reliquum eſt, vt de vita miſta, quę vtramque illam amplectitur, ſermonem inſtituamus. Hanc in ſacris eloquijs video egregiè adumbratam in animalibus, in feminis, & in viris. Prima imago à Patribus multum decantata, ex Ezech. 1. animalibus Ezechielis deſumitur: narrat ille cap. primo, ſe vidiſſe ventum rapidum venientem è Babylonia, & nubem tenebroſam à vento ipſo raptam, & ignem ipſam circundantem, à quo ſplendor egrediens, nubem circumuallabat, atque de medio ignis ſpeciem puriſſimi electri apparentem. Et ſubdit: *Et in medio eius* (ſci- Ezech. 1. licet, *ignis*, vt exponit D. Hieronymus) *ſimilitudo quatuor animalium*. Hæc quatuor animalia vitæ miſtæ ſectatores adũbrant; quia ſicut illa non dicuntur eſſe animalia, quæ vilia, & terreſtria ſunt, ſed animalium ſimilitudines; ita iſti, licet inſtar animalium, quibuſdam terreſtribus bonis ad vitam ſuſtentandam indigeant, operibus tamen ſuis minimè animalia, ſed Angeli cenſeri debent, cum dicere illud Pauli poſſint: *In carne ambulantes,* 1. Cor. 10. *non ſecundum carnem militamus*. Hi inter caligines nubium inter tempeſtates, & flammas ignium venire dicuntur, quia non in ſolitudine, ſed inter mundanos vitam agunt, à quibus perſæpè varias perſecutiones patiuntur, vt expertus eſt Diuus Paulus vitæ miſtæ Archimagiſter cum di-

 cebat:

2. Cor. 3. cebat: *Cum veniſſemus in Macedoniam nullam requiem habuit caro noſtra: ſed omnē tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ,* Ibidem. *intus timores.* Et ibidem: *Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui.* Ezech. 1. Quod autem poſtea ſubdit: *Et hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis.* Chri Philip. 2. ſtum ſignificat, qui *formam ſerui accipiēs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus eſt, vt homo.* Etenim animalia illa minimè ſancta fuiſſent, niſi huius Dei hominis ſimilitudinem exprimerent, humilitateque, manſuetudine, doctrina puritate, charitate, & zelo animarum illum æmularentur. Poſtea ait ſacer Text. Ezech. 1. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Pedes eorum, pedes recti; & planta pedis eorum, quaſi planta pedis vituli, & ſcintillæ, quaſi aſpectus æris candentis.* Hæc ſancta animalia, facies, & pennas, & pedes habent: facies ad Dei cognitionem: pennas ad amoris affectum: pes verò ad actionem refertur. Vnde ita Deo cognitione, & amore iunguntur, vt tamen actionem non deſerant, & ita actioni vacant, vt tamen lucem contemplationis, & ſuauitatem amoris non derelinquant. Pedes autem eorum recti ſunt, & inſtar pedum vituli efferati, qui & graues ſunt, & fortes, & vnguem habent diuiſam, vt ipſi animarum miniſtri ſuorum operum intelligant qualitates, ſi facies, & pennas, hoc eſt contemplationis donum nolunt amittere; debent namque ſeruare maturitatem in opere, fortitudinem in perſeuerantia, & diuiſionem vngulæ in diſcretione. Vt enim inquit Gregorius: *Non facilè prędicatio eius accipitur, ſi leuis in moribus eſ-* D. Gregor. *ſe videatur, & nulla erit maturitatis oſtenſio, ſi contra aduerſa omnia, non adfuerit operis fortitudo.* Virtutis autem meritum, ipſa fortitudo operis ammittit, ſi diſcretio in intellectu non fuerit. Ait inſuper: Ezech. 1. *Et manus hominis ſub pennis eorum.* Manus vitam actiuam, & penna contemplatiuam ſignificat. Quid igitur erit, iſta ſacra animalia habere manus ſub pennis, niſi opera vitæ actiuæ non impetu appetitus naturalis effundere, ſed diſcretione contemplationis dirigere, & in principiū omnis boni, nimirum in Deum reuocare? manus hominis ſub pennis abſcondere, Prouer. 4. eſt illud Salomonis obſeruare: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* hoc eſt (vt exponit Venera- Beda. bilis Beda) *Iter iuſtitiæ, quo ingredi debeas diligenter ediſce, & in cunctis, quæ agere diſponis, ſollicitus ad quem ſint finem ventura, præuide. Hoc eſt enim, palpebras rectas videntium oculorum tuos præcedere greſſus, bonum opus, quod acturus es, ſedula cogitatione præuenire, & quod ſecundum Deum ſit meditatio.* Cum ſic manus ſub pennis ſunt, tunc erunt in quatuor partibus, quia vineæ Domini cultor generale deſiderium in ſe ſentiet, omnibus proficiendi, neque huic, aut illi generi hominū ſuum miniſterium alligabit. Qui enim hos (exempli gratia) nobiles, ac diuites libenter iuuat, & alios, nimirum plebeios, & pauperes moleſtè ſuſcipit, nondum habet manus ſub pennis, quinimò ratione nō ſe regit, ſed naturæ procliuitate ſe ſeducit, quia non tàm animarū ſalutem, quàm inanem applauſum, & vanum honorem inqoirit. Iſte non habet ſicut ſancta animalia, manus in quatuor partibus, quia in vnam tantum partem inclinatus, ei prodeſſe cupit; reliquas verò, ac ſi nullius eſſent momenti, contemnit. Quid autem amplius quæſo boni percipiunt ex manibus ſub pennis conſtitutis? certè illud: *Iun-* Ezech. 1. *ctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Super quæ verba Diuus Gregorius Nazianzenus eleganter dixit: *Iunctæ pen-* D. Greg. Naz. *næ, pacis, ac concordiæ indices ſunt: mutuò ſe conſtringunt propter ſocietatem, & concordiam.* Prædicatores enim, ad quos magis pertinet miſtam vitam agere, oportet ne ſe inuicem mordeant, nullius alterius bonum nomen, & auctoritatem denigrare contendant; ſed arctiſſimo pacis vinculo ſocientur, iuxta diuinum Chriſti oraculū: Marc. 9. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* hæc index eſt veræ ſapientiæ: nam vt ait D. Iacob. in ſua Canonica, cap. 3. *Quæ* Iacob. 3. *deſurſum eſt ſapientia, primum pudica eſt, deinde pacifica.* Quare qui mutuò ſeipſos detractionibus dilaniant, mundana ſapientia potius tument, & actionū manus, non ſub pennis ſanctæ orationis, & contēplationis ponunt, ſed ſub vitio propriæ gloriæ, & ambitionis abſcondunt. Eſt etiam & aliud, quod ex manibus ſub pennis poſitis ſubſequatur, nimirum, quòd *non reuertebantur, cum incederent, ſed vnum-* Ezech. 1. *quodque ante faciem ſuam gradiebatur.*

Qui-

Quibus non obſcurè innuitur, id maximè curare debere miſtæ vitæ ſectatores, ne exercitia propria illius deſerant, ſed propriæ, & proximorum ſaluti pariter incumbant, memores ſententiæ Domini: *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retrò aptus eſt Regno Dei*; illudque ſemper timentes, ne ſicut vxor Loth poſt ſe reſpiciens, in ſtatuam ſalis conuerſa eſt, ita nec ſibi ipſis, nec proximis proſint.

Luca 9.

Geneſ. 19.

Ceterum, cùm propheta Ezechiel huſque dixerit, vnumquodq; iſtorum animalium quatuor faciebus cōſtare, neque earum figuras declarauerit; nemo profectò erit, qui iſtarum facierum lineamenta ſcire non appetat: cui legentium deſiderio ipſe ſatisfacit dicens: *Similitudo autē vultus eorum: facies hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum quatuor: facies autē bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Talis eſſe debet miniſter Euangelicus, cui tractandarum animarum cura committitur. Homo, qui ſciat puſillis, ac miſeris peccatoribus compati. Leo, qui nouerit aduerſus peccata rugire, & comminationes diuinas terribiliter tonare. Bos qui poſſit ſollicitudinum onera ſuſtinere. Tandem Aquila, quæ contemplādo cœleſtia, valeat res terrenas effugere, & ad Deum ſublimiter auolare. Alio modo iſtas perfecti hominis facies expoſuit D. Greg. *Omnis* (inquit) *qui in ratione perfectus eſt, homo eſt: & quoniā ſemetipſum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus eſt: qui verò ipſa ſua ſpontanea mortificatione contra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet, vnde ſcriptum eſt: Iuſtus autem, quaſi Leo confidens abſque terrore erit, Leo eſt. Qui verò ſublimiter contemplatur ea, quæ cæleſtia, atque terrena ſunt, Aquila eſt.* Ambroſius aliter: *Nam in omni ſapiente viro* (ait) *prudentes Græciæ eſſe meemorauerunt Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, atque Iuſtitiam. Prudentia enim rationis humanæ eſt. Fortitudo vim quandam ferociētis virtutis habet, mortiſque contemptum: Temperantia ſeruat vincula charitatis, myſteriorumque contemplatione cæleſtium, negligit corporis voluptates: Iuſtitia in alto quodam ſuggeſtu locata & videt, exploratque omnia, quæ alijs potius nata, quàm ſibi: non tam ſuas vtilitates, quam publica emolumenta rimatur. Meritoque anima operata iuſtitiam formam aquilæ accipit, quod terrena effugiens totaque cœleſtis, ſublimis, & intenta myſterio Reſurrectionis gloriā, precio æquitatis adipiſcitur.* Verùm non eſt ſilentio relinquendum, quare facies Leonis à dextris, facies bouis à ſiniſtris, & facies Aquilæ deſuper eſſe memoretur? exiſtimare enim, quòd hæc facierum diſtributio, myſterio vacet, nimis rèputatur abſurdum. Facies hominis prima ſe offerebat, & in primo proſpectu vatis aſpicientis erat: quia hæc eſt, veluti præcipua, & magis curandis animabus neceſſaria; prædicatoris virtus, humanitas, atque benignitas, quæ peccatores alliciat, & ad quęrendum à tam pio Patre remedium inuitet. Facies Leonis, erat à dextris, quia increpationes ea prudentia, & circumſpectione debent eſſe conditæ, vt felicem ſucceſſum, in dextera ſignatum accipiant. Facies bouis ad ſiniſtris, vt cum aliquid ſiniſtrum, vel aduerſum acciderit, ibi ſit fortitudo vituli, quæ impoſitum onus non deſerat, & aduerſitates pro fratrum ſalute ſuſtineat. Facies verò Aquilæ deſuper apparebat, nam diuinorum contemplatio, & recurſus ad Deum omnibus alijs debet eminere, benignitatem dirigere, aduerſitati ſe opponere, & increpationem temperare. Quia tamen in longum abiret oratio, ſi ſingulas horum animalium proprietates proſequi tentarem, ſolum illam apponam, quam indicant verba illa: *Vnūquodque eorum coram facie ſua ambulabat.* Quo non obſcure docetur, huius vitæ miſtæ ſectator, ſollicitam curam ſui gerere debere, vndequaque ſe, & ſuas actiones omnes circumſpiciens, non ſanè hac, & illac à ſenſibus ſuis duci, ſed illa ſancta animalia imitari ſatagat, de quibus idem Propheta, & eodem loco ait: *Vbi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.*

Ezech. 1.

D. Greg.

Prou. 28.

D. Ambroſ.

Ezech. 1.

Ibidem.

Sed ad inſignes feminas commemorandas venio, quæ vitam hanc miſtam adamuſſim repræſentarunt. Prima fuit, vt Author eſt Hugo Victorinus libro de clauſ. animæ cap. 20. Regina Saba, cuius iter diſcendi graria ſacra Scriptura commemorat. Nam relicto patrio ſolo venit Hieroſolymam tentare Salomonem in enigmatibus; à quo, cùm ei ſuas propoſuiſſet ſubtilitates, ita eſt luculenter edocta, vt nullum ſcrupulum Salomon, nullum nodum inſolutum reliquerit. Videns autem apparatum

Hug. Vict.

3. Reg. 10.

para-

paratum domus regiæ, & profundiſſimè
conſiderans, veluti in extaſim rapta dice-
Ibidem. bat: *Verus eſt ſermo, quem audiui in terra
mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapien-
tia tua, & non credebam narrantibus mihi,
donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & pro-
baui, quod media pars mihi nunciata non
fuerit: maior eſt ſapientia, & opera tua,
quàm rumor, quem audiui*. Nec ſola hac
magnifica laudatione contenta, dedit *Re-
gi centum viginti talenta auri, & aromata
multa nimis, gemmaſque precioſas*, vt tum
amoris, tum grati animi ſignificationem
oſtenderet. Quænam eſt iſta Regina, niſi
aut vita miſta, aut anima religioſa, quæ hu
ius vitæ ſe officijs conſecrauit? *Quæ eſt
Richard. iſta Regina auſtri* (inquit Richardus) *& il-
lius calidæ regionis habitatrix, & domina,
& videndi Salomonis deſiderio ſuccenſa?
quæ (inquam) eſt Regina iſta, niſi quæli-
bet anima ſancta, ſenſibus, & appetitibus
carnis, cogitationibus, & affectibus mentis
fortiter præſidens, & ſummi Regis, verique
Salomonis dilectione feruens, videndique
deſiderio ardens?* hæc anima in Regina
Aethyopiæ figuratur. *Talis quippe erat
Theodor. Regina Saba*, (vt Theodoretus ait) *ni-
gra & pulchra, quia poteſt rectiſſimè dicere:
Cant.1.5. nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem,
ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salo-
monis. Nigra quidem cura, & ſollicitudi-
ne actionis, formoſa verò requie, & tran-
quillitate contemplationis: nigra laboribus
animarum gratia ſuſceptis, formoſa affecti-
bus feruidis ex diuini amoris abundantia
comparatis: nigra miſericordiæ operibus,
quæ mentem, & corpus affligunt: formoſa
meditatione diuinorum, quæ moleſtias, &
labores alleuiat. Iſta igitur anima prius
ſuam regionem deſerit, hoc eſt, ſemetipſam,
& proprium amorem, ac commoda derelin-
quit, vt pacificum Regem alloqui, & eius
Gregor. conſpectu frui poſſit*. Vt enim inquit Greg.
*quis à ſemetipſo deficiat ad eum, qui ſupra
ipſum eſt, non appropinquat*. Deinde
Salomonem de dubijs interrogat, & hu-
militer audit, cum Chriſtum verum Re-
gem, & Dominum in intimo orationis, lo-
quentem, & inſpirantem auſcultat. Do-
mus eius opes ſuperbas, & aulæ magnifi-
centiam videt, cùm & cœleſtium rerum
meditatione fructus carpit, vtilitatemque
non modicam experitur. *Parum namque
videtur, captiuo liberato, conuerſo, & accen-
ſo* (vt Hugo ait) *audire prædicationem,* *Hugo.*
*niſi probet per affectum; & videre per co-
gnitionem, niſi probet per effectum.* Et tan-
dem affert Domino aurum, aromata, &
gemmas precioſas, cùm animas prædica-
tionis verbo conuerſas in eius domum, &
poſſeſſionem traducit. Quod namque au-
rum anima peccatoris iam conuerſi pre-
cioſius? quod aroma ſuauius? quæ gem- *Sapien.18.*
ma, aut margarita pulchrior? cuius gra-
tia verbum Patris omnipotens de Cœlo à
Regalibus ſedibus in medio exterminij ad
terras proſiliuit. Et ſanè, cum ex bonis
operibus ſibi præmium æternum donan-
dum coniectet, & in diuinis colloquijs
vix aliquam ſtillam futuræ felicitatis de-
guſtet, meritò dicit, neque dimidiam bo- *3.Reg.10.*
norum partem, quæ ſperat, ſibi narratam
fuiſſe; quia illa bona futura ſine vlla com-
paratione omnibus bonis huius ſęculi ma
iora ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris
audiuit, neque vnquam cor hominis ap-
prehendit. Sed iam ſecundam feminam,
eiuſdem vitæ imaginem producamus in
medium, quæ non minus apertè eius of-
ficium, & inſtitutum declarat. Ipſa eſt, De-
bora prophetiſſa, vxor Lapidoth, quæ vi-
ris (qui verè eſſent viri) deficientibus, gu-
gubernabat Populos, & ciuibus iura decer
nit. Hæc profectò miſtã, ſiuè compoſitam *Iudic.4.*
vitã aptiſſimè repræſentat. Debora namq;
interpretatur *apis*, quæ in alueario com-
moratur, & nonniſi ad colligendos flores,
ex ſuo receptaculo egreditur; aculeum ha
bet, quo pungat, & dulcorem, quo alli-
ciat: eius labor ad hoc tendit, vt ſuauia
mella componat, quæ omnibus, tàm ma-
gnis, quàm paruis reputantur vtilia. Vnde
Origenes: *Cuius opus tale eſt, vt eo Reges,* *Origenes*
& mediocres vtantur ad ſanitatem. Ita vi-
ta miſta, eſt quaſi apis ſtudioſa, atque ſol-
licita, quæ duobus miniſterijs occupata,
vel potius vno, quod duo diuerſa officia
comprehendit, ita diligenter in vtroque
laborat, vt neutrum aliorum queribũdum
derelinquat. Cellam quaſi aluearium,
libens inhabitat, vt in ea ſanctarum me-
ditationem, & feruentium affectuum mel-
la conficiat. Inde autem egreditur, non
vt otioſa maneat, non vt in negocijs inuti-
libus per plateas, & vicos diſcurrat; ſed vt
flores animarum colligat, & ad fauum
cœleſtis Patriæ conſtruendũ inquirat; nec
deeſſe illi debet aculeus iuſtitiæ, & zeli,

quo

quo procernos impellat; nec miſericordiæ ſuauitas, cuius dulcedine puſillos ad virtutem inuitet. Quare Gregorius de Prælatis loquens, qui præcipuè hanc vitam profitentur,

Gregor.

ſic inquit: *Ineſſe bonis rectoribus debet iuſtè conſulens miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina, nè iuſtitia, ſit inanis, & aſpera, & pietas ſit remiſſa.* Sit igitur amor, ſed non molliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non pluſquam expedit, parcens. Nec tandem labor ſuus talis eſt, vt ſolis Principibus, & diuitibus proſit; hoc enim indicium ambitionis, & ſuperbiæ eſt, ſed talis, vt etiam pauperibus, paruuliſque proficiat.

Rom. 1.

Græcis, ac Barbaris (ait vas electionis) *ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum.* vita ergo miſta dicit verbo, & præſtat exemplo: magnos inſtruit, puſillos docet, diuites vocat ad Regnum, & in plateis, & vicis Ciuitatis clamitans, pauperes, ac debiles, cœcos, & claudos intrare compellit, ac in omnium vſum, ſatum doctrinæ Euangelicæ non minore auiditate, quàm charitate componit. Erat Debora vxor Lapidoth, quòd nomẽ interpretatur *fulgur*, & Iudex Populi à Domino conſtituta:

Iudic. 4.

ſedebat ſub palma inter Rama, & Bethel in monte Ephraim: aſcendebantque ad eam filij Iſrael in omne iudicium. Quis non videat, hæc omnia ſatis aptè vitæ miſtæ congruere? Hæc profectò vxor eſt fulguris, hoc eſt Chriſti Ieſu, de quo dicitur:

Matth. 24.

ſicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Hic ergo Dominus ab ipſo die ſui ortus vitam miſtam in ſponſam elegit, & ſibi arctiſſimo coniugij vinculo copulauit; & vſque ad diem Aſcenſionis in Cœlum à latere ſuo minimè diſceſſit. Quòd autem Debora, habitaculũ haberet ſub palma, non obſcure ſignifiat, vitam hanc mixtam ſub palma Crucis ſedere. *Inter Rama, & Bethel*, ideſt, inter contemplationem illius cœleſtis Patriæ, & inter vtilitatem, quam proximis conferre ſatagit. Quòd verò ad Deboram aſcenderent filij Iſrael, illud ſanè denotat, ad hanc vitam miſtam ſub palma Crucis commorantem veras Iſraelitas venire, vt mentes eius illuminentur, & ad bonum accendantur. Poſtremò Debora Barach, & ex Imperio Domini incitauit eum ad pugnandum contra Siſaram Principem exercitus Regis Iabin. Barach autem onus impoſitum reluctante, ſi non ipſa Populi gubernatrix in dimicationem pergat; audit ab ea.

Iudic. 4.

Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara: & hæc quoque ad vitam miſtam pertinere, non dubium eſt; nam vita iſta virum religioſum vacantem monet, dormientem excitat, vt fratribus ſuis conſulat, prò Eccleſia laboret, & aduerſus vitiorum Principem, ſcilicet Diabolum, expeditionem ſuſcipiat. Iſte autem prudenter ſalutis ſuæ, huius vitæ ſocietate, & adiutorio ad prælium exire detrectat, quia nõ eſt tutum ſine orationis præſidio, & laboris induſtria aduerſus vitia, & pecata bellum inire, & contrà dœmonem dimicare. Ipſe enim cum exercitu ſuo non oſcitando vincitur, ſed intentè orando, & fortiter laborando à cordibus fidelium profligatur. Quo pacto victus eſt Amalech? certè Moyſe orante, & populo pugnante victus eſt: nam

Exod 12.

cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael, ſi autem paululum remiſiſſet, ſuperabat Amalech; ita & nunc animo deprecante, & oculis Scripturam ſacram, non libros vanos legentibus, & auribus impiorum errata in confeſſione excipientibus, & lingua verborum diuinorum ſagittas iaculante, (iſta enim efficiunt exercitum Domini) Amalechitarũ caſtra ſunt proſternenda, ideſt, vitia ab Eccleſia fuganda. Quanta igitur eſt huius viri prudentia, qui ad certamen ineundum illius vitæ, in cuius poteſtate eſt proſper euentus, ſocietatis præſidium expoſcit; &

D. Ambroſ.

quanta huius vitæ virtus, (vt verbis Ambroſij vtar) *cui Dux exercitus dicit: niſi veneris, non ibo.* Quanta vitæ fortitudo, quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu, immò ad victoriam hortatur dicens, quod in manu mulieris ſit ſumma victoriæ. Sed quid eſt:

Iudic. 4.

Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria nõ reputabitur tibi: quia in manu mulieris (ipſa eſt Iahel) *tradetur Syſara?* Profectò non ceſſat Dominus mille modis oſtendere, quoniam hæc ſpiritualis peccatorum victoria non vocibus, ſed precibus, non eloquentiæ præcipuè, ſed orationi tribuenda eſt. Iahel (vt ait Origenes) interpretatur *Aſcenſio*, & lac moralem ſcripturæ inſtitutionem; clauus verò, vel (vt ſeptuaginta verterunt) Tabernaculi, *Crucem* ſignificat. Quid ergo

eſt,

Digitized by Google

Scala illa myſtica, vitam ſpiritualem ſignificat, per quam à terra in Cœlum conſcendimus; quid aliud erit, ſcalam, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes aſpicere, niſi propriæ vitæ contemplationes, quibus vir Apoſtolicus Deo intendit, & actiones, quibus viuat, examinare? Vnde D.Gregorius in par. 2. prol. cap. 5. *Iacob*, (inquit) *prædicatores ſignat, qui non ſolùm caput Eccleſiæ, ideſt Chriſtum, contemplando, appetunt, ſed ad membra illius miſerando deſcendunt: quod Angeli aſcendentes, deſcendenteſque demonſtrant.* Nec vacat myſterio, quòd Iacob non in terra Canaam, ſed in itinere, & poſt Solis occaſum ſcalæ viſionem conſpexit; hoc enim ſignificat (vt adnotauit Beda) *vnumquemque non videre viſiones ſpirituales, niſi deſerat peccata, & vitia: nec niſi poſt occaſum gloriæ mundialis cœleſtia myſteria conſpicere.* Denique ſi illæ duæ mulieres (vt diximus) duas prædictas vitas figurant, quid erit, Iacob ambas, in vxores accipere, niſi virum, quem ille ſignat, actioni, & contemplatione vacare?

Gregor.

Beda in Gen. cap. 28.

Moyſes etiam egregiæ huius vitæ miſtæ typum geſſit, vt his verbis luculenter oſtendit Diuus Gregor. in ſuo paſtorali par. 2. cap. 5. dum ait: *Moyſes crebrò tabernaculum intrat, & exit: & qui intus ad contemplationem rapitur, foris infirmantium negocijs vrgetur. Intus arcana conſiderat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubijs ſemper ad tabernaculum recurrit, coram teſtamenti arca Dominum conſulit: exemplum proculdubio rectoribus præbens, vt cùm foris ambigunt, quid diſponant, ad mentem, quaſi ad tabernaculum redeant: & velut coram teſtamenti arca Dominum conſulant, ſi de his in quibus dubitant, apud ſemetipſos intus ſacri eloquij paginas requirant.* Sic enim hanc vitam profitentes ſe gerere debent, vt Moſes. Qui ſcilicet, nunc mentis tabernaculum ingrediantur, vt Dominum videant, nunc ad proximos egrediantur, vt eorum ſpirituali neceſſitati ſubueniant: prius contemplentur, vt poſtea, quæ apud Dominum facienda, & dicenda cognouerint, ea in vtilitatem fratrum, & faciant, & dicant. Antea Dominum conſulant, & eius voluntate cognita, quod ipſe præſcripſerit, actione perficiant. Hac ratione, contemplatio erit pręſtantior, & actio tùm fratribus noſtris vtilior, tùm laboranti fructuoſior. Iſtud ſanè faciebat Paulus, illuſtriſſimum eorum, qui miſtam vitam ſequuntur, exemplar. Iam enim in tertium Cœlum rapitur, iam inde deſcendens, ad coniugatorum ſtatum mentis oculos reuocat, & qualiter in occultis conuerſari debeant, non ſanè ſine diuini ſpiritus illuminatione diſpenſat. *Propter fornicationem* (inquit) *vnuſquiſque ſuam vxorem habeat & vnaquæque ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autē & vxor viro: Ecce iam cœleſtibus ſecretis inſeritur* (ait Gregorius) *tamen per condeſcenſionis viſcera carnalium cubile perſcrutatur: & quem ſubleuatus, vſque ad inuiſibilia erigit, hunc miſeratus, ad ſecreta infirmantium oculus cordis flectit.*

D.Greg.

1. Cor. 12.

D. Greg.

Accedit his vir inſignis, quem ſcriptura, *Saluatorem* vocat, qui vtraque manu pro dextera vtebatur: talis enim eſſe debet, qui vitam miſtam profitetur. Certe animarum liberator quem Deus voluntariè genuit verbo, veritatis, vt ſit initiū aliquod creaturæ eius; vt ſcilicet populum ſuū, velut alter Aod ab ſpiritualibus Moabitis eripiat, in quibus Dœmones ſignificantur, & in filiorum Dei libertatem aſſerat. Certe robuſtus, & fortis, qui intrepide pugnet, & aduerſus Domini hoſtes ſine timore prælietur, & vtraque manu pro dextera vtatur. Manus dextera (vt mihi quidem videtur) oratio: manus ſiniſtra, actio externa eſt. Ille igitur, ſicut Aod, vtraque manu vtitur pro dextera, qui pariter, & ex inſtituto inter altiſſimam orationem, & vtiliſſimam operationem, temporis ſpatia partitur, & fortaſſis gladij, quos Domini Diſcipuli obtulerunt, dicentes: *Ecce duo gladij hic*, & Dominus ad eos, eſſe ſatis, magna aſſeueratione pronūciat: quia in perfecto viro nihil aliud, niſi actionis, & contemplationis perfectio requiritur, & hoc modo. Abbas Theophylus apud Ioannem Euiratum, hos duos gladios interpretatur, dicens: *Duo gladij duas vitas ſignificant, actiuam, & contemplatiuam. ſi quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit.* Qui itaque ad perfectionem aſcendere cupit, non vno tantum gladio pugnet, ſed duobus, oratione ſcilicet, & actione, & ſic dimicando vitia ſua, & proximorum feliciſſima victoria proſternet.

Iudic. 3.

Lucæ 22.

In prato ſpirituali c. 40.

Nec

Nec minus clarè (vt opinor) imago expreſſa huius vitę miſtę fuit Elcana, de quo 1.Reg.1. ſacra Scriptura ait: 1.Reg.1. quod habuit duas vxores, Annam, & Phœnennam, & quod habitabat in Ramathaimſophim de monte Ephraim. Quæ omnia, ſi attente perpendamus, miram imaginis ad prototypum conformitatem deprehendemus. Nam inprimis Elcana interpretatur *poſſeſſio Dei*: & magnus profectò eſt ille, cuius inter ingentes Creatoris opes, ratio habetur, & qui in poſſeſſionibus Regis ditiſſimi numeratur. Si enim non conſueuimus vocare, poſſeſſionem Regis, aliquod paruum, & exiguum, vt denarium, aut obolū; ſed aliquod magnum, atque precioſum, vt Vrbem, aut Prouinciam, aut Regnum; nunquam Scriptura ſancta hunc virum in Dei poſſeſſionibus recenſeret, ſi non aliquid nobile, precioſum, & illuſtre denotaret. Hoc quid aliud ſignificat, quàm quòd vitæ miſtæ ſectator ideo in magno precio habetur apud Deum, vt illum, tanquā propriam poſſeſſionē habere glorietur? Quod autem Elcana duabus vxoribus Annæ, & Phœnennæ copularetur, perfectionem vitæ miſtæ denotat, quæ non contenta per contemplationem Deo vacare, actioni etiā in proximorum vtilitatem pariter incumbit. Quod verò in Ramathaimſophim habitaret, Origenes & in monte Ephraim, id ipſum apertius denotat: nam vt adnotauit Origenes ſupe lib. 1. Regum, Ramathaim: *altitudo*; Sophim; *ſpecula*, quæ altiſſimam ſpeculationem, vitæ contemplatiuæ præſeferunt. Ephraim *fructificatio* interpretatur; quæ vitam actiuam deſignat, in proximorum vtilitatē vberes fructus producentē.

Ad extremum, à veritatis ſcopo non ab errabo, ſi dixero Regem Dauidem optimā omnium imaginem, ac perfectiſſimū exemplar vitæ miſtæ extitiſſe. Ille *manibus fortis* (ſic enim Auguſtinus, & Gregorius, eius Aug. Greg. nomen interpretantur) qui in manibus corporis ita laborabat, vt veniente Leone, vel Vrſo, preſequeretur eos; erueretq; prędam de ore eorum; 1.Reg.17. & manibus mētis, quæ affectiones ſunt, ita Deum apprehendebat vt ipſius Deus eſſet pars, atque beata poſſeſſio. Ille magnus contemplator, & fortis bellator: magnus quidem contemplator, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, regius Pſaltes in Iſrael, qui vere ait: 2.Reg.23. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam*, Robuſtus autē bellator: nam *ſedens in Cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, ipſe eſt, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit vno impetu*. Ibidem. Hæc eadem præſtat vita miſta, quæ iam proximos iuuat, & à Diaboli poteſtate eripit, dicens cum Iob: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam*. Iob 28. Iam ad Deum toto pectore anhelat, ita ſuſpirans: *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea*. Pſal. 26. *Faciem tuam Domine requiram*. Iob 74. Iam ſedens in Cathedra nō ſine imperio inſtruit ſcientia ignorantes, puſillanimes manſuetudine mulcet, & proteruos increpationibus, ac minis exterret. Iam cum magna humilitate ad pedes proſtrata Domini, tanquā egregia pſaltrix, eius perfectiones commemorat, & amore flagrans, miſericordias, beneficiaque collaudat: planè ad omnia parata, quæ (Dominus eius opera, & miniſterio præſtare voluerit) ſicut Dauid, de quo hæc inquit Bernardus: D. Bernar. *Audi hominē quem ſecundum cor ſuum inuenerat Deus. Paratum* (inquit) *cor meum Deus: paratū cor meum*. Pſal. 16. *Paratum ad aduerſa, paratum ad proſpera, paratum ad humilia, paratum ad ſublimia, paratum ad vniuerſa quæcumque præceperis. Vis paſtorem ouium facere? vis conſtituere Regem Populorum? paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis vt Dauid fidelis, ingrediens, & pergens ad imperium Regis?* Ita miſtam vitam amplectens paratus eſt, & in publicum prodire, & ſecum in ſpe, & ſilentio commanere, animarum lucra ſectari, & proprijs profectibus inhærere: vacare Deo, & ad tempus, proximorum cauſa Deum propter Deum derelinquere. Certè paratus ad omnia, quæ Dominus per illum, & in illo diſpoſuerit operari: cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Homilia XXIV.

Figuræ variæ ſacræ Scripturæ proponuntur, quæ communi Sanctorum Patrum calculo actiuam, & contemplatiuam uitam adamuſsim exprimunt, in eadem verba: Maria optimam partem elegit, *&c.* *Luc. 10.*

QVEMADMODVM inter omnia bona naturalia homini collata, nullum excellentius meritò putamus; quàm creatum fuiſſe ad exemplar, & imaginem ipſius Dei. *Gneſ.1.* *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; Ita, inter ſupernaturalia dona nullum maioris momenti iudicandum eſt, quàm quòd humanas noſtras actiones diuinis (quoad fieri poſſit) conformemus. Cupit quidem Deus Optimus Maximus, cuius bonitatis immenſum eſt pelagus, non ſolum naturam eius à nobis exprimi per eam, quam gerimus, eius imaginem; ſed & in exemplar a nobis aſſumi, operibus noſtris imitandum. Quod grandiloquus, & eloquentiſſimus Pontifex Leo verſans locum illum Dauidicum, Pſalm. 24. *Pſal.24.* *Vniuerſa via Domini miſericordia, & ver tas*, *D.Leo.* his verbis ſapienter edixit: *Forma conuerſionis fidelium ab exemplo venit operum diuinorum: & merito Deus imitationem ſui ab eis exegit, quos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fecit, cuius vtique dignitate non aliter potiemur; quàm ſi nobis miſericordia inueniatur, & veritas. Per quæ enim ad ſaluandos ſaluator aduenit, per hæc ad ſaluantem debent properare ſaluati*; hactenus D. Leo. Certè (ſi ita fas ſit loqui) neminem cernere eſt, deditum magis vitæ contemplatiuæ, & actiuæ, quàm Deum, cum nec à comprehenſiua ſui cognitione, nec à generatione Filij per intellectum, nec ab ſpiratione Spiritus ſancti momento vno diſcedat. ecce vitam contemplatiuam: nec à conſeruatione Creaturarum, & regimine illatum vllatenus vnquam ceſſet. *Act.17.* *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*, vt ait Apoſtolus. Vnde & Chriſtus Dominus dixit. *Ioann.5.* *Pater meus operatur, & ego vſque modo operor*. ecce vitam actiuam, quæ in externis operibus ſe exercet. Non tamen ſufficit exercitijs actiuæ, & contemplatiuæ vitæ vacare, niſi illa in bonum finem, & ſcopum dirigantur: nam licèt opera vtriuſque huius vitæ ex ſe bona ſint, ex diſtorto tamen fine pœnitus infici, & fœdari poſſunt, Chriſto Domino dicente: *Matth.6.* *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Super quæ verba Diuus Gregorius libro vigeſimo octauo, moralium capite ſexto inquit: *D.Greg.* *Quid per oculum exprimitur, niſi opus ſuum cordis intentio, quæ priuſquam ſe in actionem exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur? & quid appellatione corporis deſignatur, niſi vnaquæque actio, quæ intentionem ſuam, quaſi intuentem oculum ſequitur? Lucerna itaque corporis, eſt oculus, quia per bonæ intentionis radiũ merita illuſtrantur actionis. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit, quia cùm perverſa intentione quid vel rectum agitur, & ſi ſplendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Iudicis obſcuratur.* Vt autem Deus ipſe exemplo ſuo vitam actiuam, & contemplatiuam ſectari monet, ita & docet finem, & ſcopum in illius exercitijs non alium nobis reſpiciendum, quàm eundem, quem ipſe in eiſdem ſibi præfigit. Hunc ſi noſſe deſideras, audi Salomonem dicentem: *Prouer.16.* *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Cuius rationem reddit Diuus Thomas prima parte, quæſtione 44. articulo quarto, *D.Thomas.* quòd cùm Deus actione ſua, quâ Mundum vniuerſum condidit, nullam ſibi perfectionem quæſierit, reliquum eſt, vt tantum voluerit ſapientiam, bonitatem, & potentiam manifeſtare, ſuaſque diuitias in vniuerſas creaturas effundere. In omnibus ergo operibus diuinis tam ad intra, quàm ad extra (vt Theologorum more loquar) non alium ſcopum reſpicit Deus, quàm gloriam ſuam; cuius

adeò zelotes, & cuſtos eſt, vt cùm alioqui in omnes liberaliſſime ſe diffundat, Iſaiæ 48. dicat nihilominus: *Gloriam meam alteri non dabo*. Iſaiæ capite 48. Qui ergo vis actiuæ, vel contemplatiuæ vitæ te totum tradere, aduerte, vt cùm horas pſallis, ieiunas, comedis, vigilas, dormis, corpus componis, doces, verbum Dei ſeminas; vel quidpiam aliud præſtas, mentis aciem in Deum conuertas, gloriam, & honorem illius, tanquam ſcopum, & finem omnium tuarum actionum tibi ante oculos proponas; & quantumuis perfectius, & vtilius conſilium eſſet, ſingula opera hoc modo in Deum referre, vt minimum tamen initio diei id omnino præſtandum Pſal. 43. eſt, cum Regio vate dicendo, Pſalm. 43. *Dico ego opera mea Regi*, vt his verbis Beatus Laurentius Iuſtinianus libro de diſciplina, & perfectione Monaſtica, capite decimo ad finem, prudenter con- B. Laur. Iuſt. ſuluit: *Omnes Chriſti ſerui, & cuncti Deo placere cupientes, primordia diei, & actionum conentur conſecrare Altiſſimo, quatenus cetera ſequutura opera à ſuo non declinent principio. Vnde mox vt à ſomno euigilant, ſemper cor ſurſum erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus diuinam reſonet laudem, ignitam ad Deum dirigat ſupplicationem; & illi ſe ſincero corde committat, qui valet potenter de imminentibus periculis liberare*. hactenus Beatus Laurentius Iuſtinianus. Doctrinam hanc docuit nos Chriſtus Dominus verbo, & exem- Matth. 6. plo. Verbo quidem, dum ait: *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*. Exemplo autem Ioann. 8. quia *ego* (inquit) *non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet*. Ac tan- Ioan. Caſſ. dem, ſi vt rectè docuit Caſſianus collatione prima, *omnes artes, ac diſciplinæ ſcopum, & finem proprium habere noſcuntur, ad quem reſpiciens vniuſcuiuſque artis induſtrius appetitor, cunctos labores; & pericula, atque diſpendia æquanimiter gratanterque ſubſtentat*. Quod argumentum, propoſitis exemplis agricolæ, negociatoris, & militis, quorum primus perceptionem copioſarum frugum, ſecundus diuitiarum quæſtum, tertius adeptionem honorum, ac dignitatum tanquam finem reſpicit, latè, & eleganter proſequitur. Si (inquam) omnes diſciplinæ, ac artes oportet certum ſibi præſtituere finem, & ſcopum, ad quem dirigantur, non minus id opus habet diſciplina, & ars ſeruiendi Deo. Nam ſicut, qui ſagittam emittit, ſi in ſcopum aliquem illam non dirigat, operam ludit, & priuatus manet ſui laboris fructu; ita qui in vita actiua, & contemplatiua, vel ad nullum finem reſpiciens, vel (quod deterius eſſet) extortum, & indebitum finem ſibi proponit, oleum certè, & operam perdet. Si vero Dei gloriam, & cum diuina voluntate in omnibus conformationem, tanquam proprium ſcopum quærat, ineſtimabiles ſpiritualium, & diuinorum chariſmatum diuitias ſine dubio nan ciſcetur.

Hoc præiacto fundamento, ad omnes noſtras actiones, ſiue vitæ actiuæ, ſiue contemplatiuę munera reſpiciant, orationem conuertamus, varias imagines, & figuras, quæ vtramque vitam perbelle adumbrant proponentes.

Prima imago vitæ actiuæ ex duabus vxoribus Iacob, filiabuſque Laban, Lya, & Rachele deſumitur. *Habebat verò* (inquit ſacra hiſtoria, Geneſ. 29. ſcilicet Laban) *duas filias nomen maioris Lya,* Geneſ. 29. *minor verò appellabatur Rachel. Sed Lya lippis erat oculis. Rachel decora facie, & venuſto aſpectu*. Iſtarum illa prior, quæ laborioſam, vel fatigatam ſonat vitam, in actione poſitam innuit: nam & labor in actione eſt; & qui curarum onere premitur, moleſtijs ac ſollicitudinibus fatigatur. Hæc verò, quæ ouem, vel paſcentem, vel viſum principium ſignificat, (vt D. Cyprian. placuit beatiſſimis Cypriano, & Grego- D. Gregorius. rio) vitam præfert in contemplatione conſtitutam. Nam ſicut ouis manſueta ſimplicitate gaudet, cœleſti doctrina paſcitur, atque verbi diuini conſideratione perfruitur; quod his verbis docuit Gre- D. Greg. gorius: *hæ vtraſque* (ſcilicet vitas) *ſicut, & ante nos dictum eſt, duæ Beati Iacob mulieres ſignauerunt, Lya videlicet, & Rachel. Lya quippe interpretatur laborioſa, Rachel verò, ouis vel viſum principiũ*. Actiua autem vita laborioſa eſt, quia deſudat opere: cõtemplatiua verò ſimplex ouis, ad

ſolum

ſolũ videndũ principiũ anhelat: videlicet ipſum, qui ait: *Ego ſum principiũ, qui & loquor vobis*, obſeruandum tamen eſt, prius ſancto Patriarchę Lyam minus gratam, ac minus formoſam in coniugem datã eſſe, quàm Rachel em pulchram, pro qua ſeruierat, & quam ſemper concupierat, in vxorem acciperet, Laban ſocero non ſine rationis prætextu ſe excuſante; quia *non eſt* (inquit) *in loco noſtro conſuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias*. Similiter viro Chriſtiano prius actiua vita coniungitur, quàm contemplatiua diù deſiderata copuletur. Prius ad fletum pro peccatis commiſſis, & ad mortificationem ſui, deinde ad rerum diuinarum contemplationem euehitur. Prius in atrio pœnitentiæ debet expectare, poſteà vero regium Palatium ingredi, vt concupitis, diuino amore inflammatus, fruatur amplexibus. Quod ſi quis à cœno peccatorum exurgens, continuò vult ad contemplatiuæ vitæ delicias admitti, neceſſe eſt, audiat: *Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores filias ante tradamus ad nuptias*. vt enim dixit Diuus Bernard. ſermone 47. in Cantica. *Præpoſterus ordo eſt, ante meritum exigere premium, & ante laborem, ſumere cibum, cùm dicat Apoſtolus. Qui non vult operari, nec manducet*.

Ioan. 8.

Gen. 29.

Ibidem.

D. Bernar.

2. Theſſ. 3.

1. Reg. 1.

Secundam figuram mihi ſubminiſtrant duæ Elcanæ vxores; nomen vni erat, Anna, & nomen alteri, Phenenna. Elcana virum Chriſtianum animas Domino generantem, & verbum Euangelicum adminiſtrãtem ſignificat. Hic ſatis ſtultus erit, ſi Annam non diligat, & ſoli Phenennæ filios concipienti iungatur. Anna typus eſt vitæ contemplatiuæ, cùm Anna, vt tradit Beda in expoſitione nominũ Hebræorum, *gratia*, vel *reſpondens*, vel *donans* interpretetur. Eſt enim proprium animæ contemplatiuæ, gratioſa eſſe in oculis Dei eo quòd diuinæ vocationi, ac ſanctis inſpirationibus præſto reſpondeat, ac totam frequenter Creatori ſuo ſe donet: longè ab imperfectione illius aliena, quæ vocata dixit: *Exſpoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Phenenna verò quæ vt idem venerabilis Doctor tradit, *conuerſam*, ſeu *conuerſionem* ſignificat, vitam actiuam præclare exprimit, cuius opus eſt, mentem à vitijs, & peccatis auellere, & ad Deum per exercitium bonorum operum conuertere. Proprietates quoque & actiones vtriuſque huius vxoris hoc idem magis aſtruunt, nam *fuerunt Phenennæ filij, Annæ autem non erant liberi*, vt legimus primo Regum primo. Sic contemplatiua vita ab hominum conſortio ſe ſequeſtrans, & ſoli Deo inhærens, ſterilis putatur; actiua verò dum in proximorum vtilitatem laborat, fœcundior iudicatur. Dixi conſultò: *ſterilis putatur*, quia reipſa vita contemplatiua, ſterilis, & infœcunda non eſt, vt multi cœci iudicant, nec enim ſola vita actiua ſpiritualem generat ſobolem filiorum; immò perſæpe cùm vita actiua in conſpectu hominum appareat, ad bonam frugem peccatores conuertere; reuera tamen contemplatiua eſt, quæ hos filios parit, quia eorum generatio non tam dependet à verbis actiuæ, quam à gemitibus contemplatiuæ. Vnde Paulus ad Coloſſenſes quarto admonet illos: *Orationi inſtate, vigilantes in ea, in gratiarum actione orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti*. Vnde non dubito, quin multis verbi diuini Præconibus vitæ contemplatiuæ oblitis, & actiuæ dumtaxat vacantibus, illud in die Iudicij eueniet, quod perdici accidit, de qua Diuus Ambroſius libro ſexto in exameron. capite tertio, hæc ſcribit. *Perdicem aſtutam, quæ aliena oua diripiat, hoc eſt, perdicis alterius, & corpore foueat ſuo, fraudis tamen ſuæ fructum habere non poſſe, quia cum eduxerit pullos ſuos, amittit eos, quia vbi vocem eius audierint, quæ oua generauit, relicta ea, ad illam ſe naturali quodam munere, & amore confirunt, quam veram ſibi matrem ouorum generatione cognouerint: ſignificantes, hanc nutricis fungi officio, illam parentis. Sic itaque incaſſum proprios fundit labores, ac fraudis ſuæ precio mulctatur. Vnde Ieremias ait: clamauit perdix, & congregauit, quæ non peperit, ideſt, oua congregauit, & clamauit quaſi ouans ſua fraudis affectu: ſed ludit operam, quia impenſo labore, alij educat quos ipſa diuturno fœtu ſedulitatis animauerit*. Hoc (inquam) nimis actiui experiuntur, qui non charitate ſuccenſi, ſed iactantia in-

Beda

Cant. 5.

Beda

1. Reg. 1.

Coloſſ. 4.

D. Ambr.

Ierem. 17.

ſtati ſpiritualibus animarum miniſterijs vacant; & Dei verbum ſeminant, atque in magna populorum ſequentia concionantur: modò ſibi ſpirituales filios attribuunt, & tanquam proprios fœtus aſciſcunt, non contradicentibus veris parentibus, qui ſcilicet, multum fleuerunt, multum orauerunt, multum pro animarum ſalute ad Dominum clamauerunt. Sed veniet tempus, cùm Deus veritatem pafaciet, quando nimirum animæ à peccatis ereptæ deſpectum laicum charitate feruentem, qui multum orauit, & non ſuperbum, ac ambitioſum Prædicatorem, qui multum vociferatus eſt, patrem agnoſcent. Tunc idiotæ anima admirans, & ſtupens, non ſine exultatione illud Iſaiæ

Iſai.49. dicet in corde ſuo: *Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua: & iſtos quis enutriuit? ego deſtituta, & ſola: & iſti vbi hic erant?* & accipiet diuinum reſponſum: Quia orationes tuæ, & lachrymæ tuæ, quas pro animarum conuerſione fundebas, te iſtorum matrem fecerunt, quos litteratus, arrogans, nec Dominum rogans, & ſolo verbo, & oſtentatione laborans, ſibi in filios arrogauerat. Non itaque vita contemplatiua ſterilis eſt, ſed potius ſpiritualis fecunditatis origo, quam oportet, vt veram matrem animarum ſuſpicere, atque infecundam aſpernari.

Illud tamen hoc loco dicere non parcam, perperam quoſdam in ipſo ſpiritualis vitæ tyrocinio cupere ſtatim matres fieri, & filios procreare. At hoc fructificandi extra tempus deſiderium, iaculum dœmonis eſt, vt homo proximis nihil proficiens, ſibi plurimum obſit. Vnde Beatus Laurentius Iuſtinianus libro de diſciplina, & perfectione monaſtica cap.

B.Laur. Iuſt. 12. dixit: *Hortatur etiam dæmon ad prædicationes, ad ſæcularium conuerſionem, & ad virorum, mulierumque indiſtinctam colloquutionem, illud Apoſtoli commemo-*

1.Cor.9. *rans: Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifaciam; non aduertentes, quòd in his latent fraudes, & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur, qui carent prudentia, & elatum habent ſupercilium. O quot, qui iam inter aſtra nidos ſuos collocaſſe credebantur, occaſione fraternæ charitatis in lutum carnalis concupiſcentiæ turpiter corruerunt.* hactenus ille. Oportet quidem tyrones indiſcreto zelo, alios docendi, & inſtruendi æſtuantes, Salomonis ſententiæ meminiſſe: *Omnia tempus* Eccl.3.

habent. Nunc in principio conuerſionis, tempus eſt naſcendi, & ad diuinum amorem perueniendi: & poſtea erit tempus moriendi pro fratribus, ita vt cum Paulo poſſis dicere: *Quotidie morior per veſtram* 1.Cor.15.

gloriam fratres. Nunc tempus eſt plantandi, & in te ipſa virtutes inſerendi: poſtea erit tempus euellendi de cordibus aliorum quod perperam à veternoſo hoſte plantatum eſt. Nunc tempus occidendi, vt ſcilicet, inordinatum tui amorem extinguas, & in matutino interficias omnes peccatores terræ: & deinde erit tempus ſanandi, cùm apta eris aliorum vulneribus mederi, & verbo doctrinæ infirmis mentibus curationẽ afferre. Nunc tempus deſtruendi quæ malè in ſæculo ædificaueras: & poſtmodum erit tempus ædificandi, cùm opes aggregaueris, quibus valeas virtutum arcem in alijs extruere. Nunc tempus flendi propria delicta, & poſtmodum erit tempus ridendi, atque gaudendi de impiorum à te facta conuerſione; quia de Prædicatoribus ſcriptum eſt: *Euntes,* Pſal.12.

ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Nunc tempus plangendi propter propria mala, & deinde erit tempus ſaltandi ex deuotionis affectu propter fratrum bona. Nunc tempus colligendi lapides, & parandi arma neceſſaria ad prælium; ac impoſterum erit tempus diſpergendi eos, & infigendi in fronte Phyliſtæi. Nunc tempus amplexandi ſponſum, *qui paſcitur inter lilia*, ac dein- Cant.6.

ceps erit tempus longè fieri ab amplexibus, cùm charitatis dono perfecta dicas cum Paulo: *Optabam ego ipſe anathema eſ-* Rom.9.

ſe à Chriſto pro fratribus meis. Nunc tempus acquirendi dona, quæ poſteà diſtribuas; & deinde erit tempus perdendi teipſum, hoc eſt laborandi: & te affligendi, vt lucrum animarum requiras. Nunc tempus cuſtodiendi arcem mentis tuæ, & poſtea erit tempus abijciendi curam tui, & aliorum quoque curam admittas. Nunc tempus ſcindendi cor tuum, & peccatorum dolore moliendi; & deinde erit tempus conſuendi, hoc eſt in bonum proximo-

tum

rum conficiendi ſermonem ex ſententijs ſcripturarum. Nunc tempus tacendi, & poſtea tempus loquendi, quia (vt inquit Hugo) *prius per ſilentium tempore tacendi diſcitur, quod poſtea per verbum tempore loquendi proferatur.* Denique nunc tempus dilectionis Dei, & tempus belli aduerſus ea, quæ huic dilectioni obſiſtunt; & in poſtremum erit tempus exercendi odij aduerſus ea, quæ tuus dilectus odit, & tempus inter occupationes quietis, & pacis.

Hugo

Tertiam iam figuram appono duarum filiarum Saul, quas ex Achinoam vxore ſuſcepit: & *nomina* (inquit Scriptura) *duarum filiarum eius*, (ſcilicet Saul) *nomen primogenitæ, Merob, & nomen minoris Michol*. Has duas ſorores, vitam actiuam, & contemplatiuam expreſſiſſe, magnus Gregorius his verbis explicuit: *Si quis autem velit, per primogenitam filiam, contemplatiuam vitam, per minorem, actiuam, poteſt accipere: & tunc quidem Merob, de multitudine dicitur, quia multitudinis turbas deſerit, & ad rariorem numerum hominum in contemplatione perfectorum venit. Non ergo multitudo, ſed de multitudine eſſe dicitur, vt non hi, cum quibus eſt, ſed vnde venerat, agnoſcatur. Michol vero, ex omnibus, dicitur vt in actiua vita, vniuerſalis vita Sanctæ Eccleſiæ deſignetur. Illa ergo de multitudine, iſta verò, de omnibus dici poteſt, quia actiua vita omnes continet: contemplatiua omnium conſpectum declinat, vt ſe conſpectu mentis cœleſtibus iungat*. Sed parumper has imagines inſpiciamus, & ſtatim ex eis, vitæ actiuæ, & contemplatiuæ proprietates eliciemus. Iſtæ feminæ, ſorores ſunt, filiæ Regis ſunt, quas Achinoam vxor ſibi genuit. Maior, ſcilicet, Merob, quæ (vt dixi) *de multitudine* exponitur: & minor, nempe, Michol (vt ait Beda) à qua: *omnis* interpretatur illa Dauidi promiſſa eſt, ſed nunquam data: hæc primum quidem promittitur, deinde conceditur. Michol Dauidem exoptat, eum ante initum coniugium amat, & poſt coniugium celebratum, in amore perſeuerat. Dauid verò huic ſponſæ ſuæ amori gratus exiſtens, eam non gratis accipit, non centum præputijs incircumciſorum comparat, quæ ſibi fuerunt à ſocero poſtulata;

1. Reg. 14.

D. Greg. lib. 5. in lib. 1. Reg. ad c. 14 longe a fine.

ſed precium auget, & adiungit eam ſibi ducentis præputijs Philiſtinorum. *Et percuſſit ex Phyliſtym* (inquit ſacer textus) *ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi, vt eſſet gener eius.* Vt ſæculi tamen huius inſtabilitatem videamus, hæc tandem eſt, quæ Dauidem ſibi dilectum irridet, atque ſubſannat, dicens illi: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi nudetur vnus de ſcurris.*

1. Reg. 18.

2. Reg. 6.

Narrauimus hucuſque hiſtoriam, audiamus nunc myſterium. Duæ vitæ, actiua, & contemplatiua, quas prædictæ feminæ filiæ Saulis repreſentant, ſorores ſunt, quia ab eiſdem parentibus genitæ, quia moribus ſimiles, quia operibus, & voluntate concordes: vnum patrem, & vnam matrem agnoſcunt, quia à Deo inſpiratæ, & à bona voluntate ſpiritu gratiæ fecundata generantur. Similes ſunt, quoniam idem habent principium, ſcilicet diuinum præſidium: in eundem tendunt finem, nam in vitam æternam diriguntur. Idem quodammodo opus exercent, quia altera operando, altera contemplando, non aliud, quàm Deo placere, & obſequi ſtudent. Magna pollent operum, voluntatumque concordia, quoniam mutuo ſe iuuant. Contemplatiua actiuam dirigit, & actiua contemplatiuam accendit. Iſta vitam humanam conſeruat, illa vitæ ſpiritualis meritum, atque feruorem; nam ſine bonis operibus humana vita in ferinam, & beſtialem vertitur: & ſine contemplatione futurorum, ſpiritualis vita in mundanam, & carnalem commutatur. Illa facit (ſi decepta non eſt) vt actiui contemplatiuos honorent: iſta efficit (ſi non ſit deluſa) vt contemplatiui actiuos ſuſpiciant. Quarum igitur idem eſt pater, eadem eſt mater: quarum tanta eſt ſimilitudo, tanta conſpiratio, atque conſenſus, non dubium, quin meritò ſorores vocentur. Filiæ quoque Regis ſunt, ſiue quia Deum, Regem Regum, patrem appellant, ſiue quia cultores ſuos in hac vita ſuper cordis affectus regnare faciunt, & in futura regalibus ſertis coronant: ſiue quia regios, & planè cœleſtes filios parturiunt. Nam *illa*, (vt inquit Gregorius) *parit multitudinem bonorum operum, iſta*

D. Greg. lib. in 1. Reg. cap. 14.

verò internorum pulchritudinem gaudiorũ. Contemplatiua in Merob maiore, actiua In Michol minore ſorore ſignatur. Merob enim *de multitudine* dicitur, & vita contemplatiua de multitudine ac turba hominum extracta eſt, quia vt Deo vacet, turbas Populorum declinat: & Michol *omnis* exponitur, eo quòd actiua vita Deo placere cupiens, omnium bonarum actionum labores, & curas exoptat. Contemplatiua vita, maior eſt, non ſolùm ætate, ſed etiam præſtantia, & dignitate Maior quidem eſt ætate, quoniam prius cœpit, & cor humanum ſuis operationibus occupauit. Primus ehim parens in humanæ conditionis exordio ante præcepti tranſgreſſionem, Deum contemplatus eſt, & conſideratione diuinorum myſteriorum extaſim paſſus. Poſt tranſgreſſum verò præceptum laborare cœpit, atque in pœnam commiſſi delicti hanc vocem audiuit: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Eſt etiam dignitate præſtantior; quoniam & Deo propinquior eſt, & nobilioribus inſiſtit actionibus. Optimè enim Hieronymus in Thræn. cap. 3. in illud: *bonum eſt viro* &c. *Sed tamen* (inquit) *quantũ ſuperexcellat ſerenitas tranquilla vitæ turbulentiam ſæcularis conuerſationis, nouit, qui hanc expertus eſt, & dominicum iudicium in Euangelio inter duas mulieres cernit, ad Martham dicens: Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et Dauid ſolum hoc neceſſarium homini eſſe definiens, Deo iugiter adhærere deſiderat dicens: mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam*. Vna ergo, & ſola eſt theorica, ideſt, contemplatio Dei, cui merito omnia iuſtificationum merita, vniuerſa virtutum ſtudia poſtponũtur. Actiua etenim vita cum corpore deficit, contemplatiua autẽ vita hic incipitur, vt in cœleſti patria perficiatur, quia amoris ignis qui hic ardere incohat, cùm ipſum, quẽ amat, viderit, in amore eius amplius igneſcit. Iure itaq; optimo contẽplatiua vita in Merob filia Saul maiore ſignatur, quæ omnibus modis maior eſt, ſiue tẽpus cõſideres, ſiue opus animaduertas, ſiue tranquillitatem, ſanctitatemque reſpicias. Merob

D. Greg.

Geneſ. 3.

Hieron.

Luc. 10.

Pſal. 72.

deindè maior promiſſa eſt, & non data, Michol verò minor, & oblata, & à Dauide in vxorem accepta. Quod D. Gregorius in hũc modum explicat, libro quinto in 1. Regum, capite decimoquarto. *Quam profectò*, ideſt Merob, *in coniugium Pater Dauid dare promiſit, ſed ei minorem dedit, quia nonnulli contemplatiuæ vitæ pulchritudinem diligunt, ad cuius amplexus accedere nequaquam permittuntur. Quia enim regendis fidelibus gregibus flores neceſſarij ſunt, ſic ſummus Rex ordinat, vt Michol minorem accipiant, & Merob maiorem nunquam comprehendant.* hæc Diuus Gregorius, quibus perſimilia ſunt alia Diui Bernardi ſermo. 41. in Cantica. *Vide quomodo illa, ſcilicet ſponſa, aliud cupit, & aliud accipit, & nitenti ad contemplationis quietem, labor prædicationis imponitur; & ſitienti ſponſi præſentiam, filiorum ſponſi pariendorum, alendorumq; ſollicitudo iniungitur*. Quod autem Michol Dauidem obiurgat ante Arcam, præfigurat, illos qui videntes quempiam in via Dei proſperè currere, varijs murmurationibus ſic illum impetunt, vt rationi conſonum ducat ſe ſubducere, ac vxorẽ ad tempus deſerere, & à bonis operibus conſuetis ceſſare, illud Dauidicum eloquium ſibi vſurpans: *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis: & dolor meus renouatus eſt*.

D. Greg.

D. Bernar.

Pſal. 38.

Ad extremum, quartam imaginem, vitam actiuam, & contemplatiuam ante oculos nobis proponentem hodiernum profert Euangelium, dum commemorat, Martham, & Mariam ſorores eſſe, per quas conſtans eſt omnium Patrum ſententia, illa duo vitæ genera adamuſſim repreſentari. Præſertim tamen id docet Diuus Auguſtinus dum ſermone 27. de verbis Domini capite tertio ait: *Remanſerunt in illa domo, quæ ſuſceperat Dominum, in duabus feminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles: vna laborioſa, altera otioſa, nulla facinoroſa, nulla deſidioſa, ambæ innocentes. Ambæ (inquam) laudabiles, ſed vna laborioſa, altera otioſa. nulla facinoroſa, quã cauere debet laborioſa: nulla deſidioſa, quam cauere debet otioſa*, nec non & Bernardus inter alia: *Intrante* (ait) *Ieſu*

D. Aug.

D. Bernar.

ſu in hoc Caſtellum, duæ ſorores Martha, & Maria, ideſt operatio, & intellectus excipiunt illum. Excipiunt dixerim, an excipiuntur? Sed ſiue hoc, ſiue illud dicatur, vtrumque prodeſt illis, non Ieſu. Et Ieſus quidē cùm ad illas venit, duo confert eis congruentia ſingulis, virtutē, & ſapientiā: virtutem operationi, ſapientiam intellectui. Vnde etiā ab Apoſtolo prædicatur Dei virtus, & Dei ſapientia. Sed quid eſt, quòd intrantem eum Martha excipit, diſcurrit, miniſtrat; Maria verò ſecus pedes ſedens ingreſſi, in eius verbum cor ſuum ſuſpendit; niſi quòd prius actio, poſtea verò contemplatio ſubſequitur? Martha igitur, typus eſt vitæ actiuæ, Maria, imago vitæ contemplatiuæ. Illa diſcurrit, laborat, miniſtrat, & ad ſummum ſtat: iſta ſedet, & ſecus pedes Domini, omnium terrenorum oblita requieſcit, quia actiua vita, veluti in tranſitum, ſomnum contemplationis ſuſcipit, quoad operando amiſſas vires recuperet. Contemplatiua verò ex profeſſo contemplationi diuinorum vacat, eamque tanquam finem, & ſcopum ſuæ exercitationis aſſumit. Vtrumque Gregorius pulchrè verbis, quæ ſubijciam expreſſit, de actiua enim vita ſic ait: *E contra autem actiua vita, quæ*

Greg. 5. in 1. Reg.

frequens circa miniſterium ſatagit, rara eſt in ſecreto contemplationis, nam quæ æterna ſibi præparare, non ſedendo, & audiendo, ſed ſatagendo, & miniſtrando propoſuit, non damnum, ſed diſpendium putat, ſi ſibi vacans, & ſua petens, & non quæ aliorum, à ſolita obſequiorum oblatione requieſcat. Plus igitur operando laborat, minus obſecrat. Vnde & Martha, quæ circa frequens miniſterium ſatagebat, ſtetit & locuta eſt. Quæ enim ſtetit, ei nimirum ſedere non licuit, quia ſi ad audiendum ſederet, imperatum fortaſſe miniſterium, & inſufficiens impendiſſet. Et notandum, quia tranſeundo Dominum Martha vidit, non tamen tranſeundo, ſed ſtando loquitur. Nam Euangeliſta cautè expreſſit dicens: quæ ſtetit, & ait. Quo profectò exemplo inſtruimur, vt qui fratribus miniſteria exhibemus, ſi per moram ſedere ad redemptionis pedes non poſſumus, per quantulam morulam Redemptori aſſiſtere debeamus. Sed bene ei aſſiſtimus, ſi tranſeundo, & ſeruiendo videamus. Quid eſt autem tranſeundo Dominum cernere, niſi in omni noſtro bono opere ad ipſum cordis dirigere intentionem? Tranſimus enim, quando huc illuc diſcurrendo in membris ſuis Domino miniſtramus. Sed tranſeundo Dominum cernimus, ſi per omne, quod agimus, præſentem nobis ipſum, cui placere cupimus, contemplamur. De contemplatiuis verò idem præmiſerat: *In tranſitu ergo operationem habent, quia, & ſi aliquando operentur, quaſi currendo, hoc deſerunt, qui ad locum dilectæ ſolitudinis magno ſpiritus impetu impelluntur. Nam quia totis deſiderijs in æternorum amore requieſcunt, videre magis, quàm miniſtrare appetunt. Rari ergò ſunt in publico operis, aſſidui in ſecreto contemplationis: foris parùm, ſatis intus immorantur. Nam & fornicationem eſſe, ſolent iudicare vel ad momentum à Chriſti contemplatione diſcedere.* Merito ergo actiua vita ſtans tanquam parata ad laborandum, & contemplatiua ſedens, tanquam vocata ad quieſcendum introducitur, quoniam illius finis eſt, bonis operibus, atque fructuoſis actionibus inhærere; iſtius verò Creatori ſuo intendere, & ſponſo intelligentia, & amore copulari: *Benè Martha ſtetiſſe* (inquit Beda in caput decimum Lucæ,) *& Maria ſecus pedes Domini ſediſſe deſcribitur, quia vita actiua laborioſè deſudat in certamine, contemplatiua verò pacatis vitiorum tumultibus optata iam in Chriſto mentis quiete perfruitur.*

Idem.

Beda.

Vide iam, quàm aptè iſtæ ſanctæ ſorores duplicis huius vitæ referant miniſteria, & omnimodam perfectionem repræſentent. Martha enim ſatagit circa frequens miniſterium: hoc eſt, mundat domum, in qua Chriſtus excipiendus eſt: ornat cubiculum, in quo commoretur: parat eſcas, quibus libenter veſcatur: ſternit lectum, in quo dormiat, & fatigata membra acquieſcant; ac tandem propter amorem Domini diſcipulos etiam excipit, & benignis fouet obſequijs. Ita actiua vita contritione purgat animam à peccatis, quam Chriſtus inhabitet: exornat virtutibus cubile mentis, vt digna ipſius habitatio fiat: cibum compuncti cordis, atque humanitatis ſubminiſtrat: ſpinas prauorum affectuum euellit, & in lectulo ſpiritus, bonorum deſideriorum flores ſpargit. Legerat enim, quia lectulus ſponſi floridus, & propter eum virtutum mo-

Cant. 1.

ralium

talium contemplatione, ſeu actionibus occupata proximis obſecundat. At Maria ſedens ſecus pedes Domini audit verbum illius: non ſollicita diſcurrit, ſed ſedendo requieſcit, omis externæ occupationis oblita, in rerum dinarum meditatione mentem figit, milleque ſacrificia, immò & holocauſta ad pedes Chriſti, illi offert, vt his verbis eleganter dixit Sanctus Cyprianus libro de cardinal. operibus Chriſti, tractatione de ablutione pedum, in hæc verba: *Mactata intrinſecus anima, proprium in ſancta ſanguinem intulit, ſigna ſua præbuere miniſterium, cor cōtritum erupit in lacbrymas, fides lauit, charitas vnxit. Hæc multa in conſpectu tuo congerens holocauſta de fonte cordis fletus hauſit, quos protulit: de pænitentię pyxide, vnguenta, quæ obtulit, caputque pro ſuppedaneo ſtrauit: crinibus circumfuſis, pedes ſacros inuoluit, & terſit: nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi deuouit; & tu affectum proprius, quam factum attendens, vngebas vngentem, abluebas lauantem, tergebas intrinſecus pænitentem.* Obſeruandum autem eſt, Martham, & Mariam non ſolùm miniſteria vitæ actiuæ, & contemplatiuæ nos docuiſſe, ſed & modum quo cum magna perfectione illa exerceātur. Phenenna quidem inſultat Annæ, & quaſi infœcundam, ſterilemque contemnit; Lya & ſi non ſpernit Rachelem, tamen nullam rationem habet. At Martha tantum abeſt, vt Mariam ſororem contemnat, aut ſuum opus pro nihilo ducat, quòd potius eius iuuamen impēsè cupiat, & non ſine quærimonia à Domino expoſcat: *Domine* (inquit) *non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adiuuet.* Quæ autem maior perfectio actiuæ vitæ poteſt excogitari, quàm quod exiguitatem propriam agnoſcens, orationem ſuſcipiat, & ad propria onera ſubſtinenda contemplationis adiutorium exquirat? Anna plorat, & ægrefert à ſocia contemni, Rachel inuidet ſorori ſuæ, & filios habere concupiſcit. Maria tacet, & nec querelis reſpondet, nec aliud optat, quàm verba Domini aure mentis excipere, eius conſpectu frui, & amore lætari, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

D. Cyprian.

Luc. 10.

Homilia XXV.

De natura, ſcopo, & operibus vitæ miſtæ diſſeritur, eamque perfectiorem eſſe vita actiua, & contemplatiua, apertiſsimè commonſtratur, in eadem verba: Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

SI ea, quæ in ſuperioribus de vita actiua, & contemplatiua protulimus, attentè perpendantur, haud difficile erit, naturam vitæ miſtæ, ſeu propriam eius rationem venari. Cùm enim hæc vita ex vtraque illa coaleſcat, neceſſe eſt, nihil aliud eſſe vitam miſtam, quàm continuum contemplationis, & actionis ſtudium, ita vt actio contemplatione fulcita vtilior, & contemplatio actione interrupta feruentior exiſtat. Hāc vitæ miſtæ definitionem mirum in modū illuſtrat vetus illud ſacrificium vàccæ rufæ, Num. 19. in quo Dominus Cedrum, hyſſopum, & coccum bis tinctum offerri, & comburi præcepit; vt hoc mutuum adiumentum, quod ſibi præſtant actio, & contemplatio, figuratum videamus. Etenim vacca rufa, carnem noſtram ſignificat illecebris, & peccatis extinctam, ac Domino, per vitam Religioſam conſecratam. Cuius oblationi, Cedri adiungitur arbor alta, atque procerai, cum perſeuerantiam in virtute tenemus. Hyſſopus herbula modica adijcitur, cùm humilitatem, & noſtræ fragilitatis diffidentiam amplectimur; & coccus bis tinctus immittitur, cùm in noſtræ charitatis affectibus contemplationis ardorem, & actionis feruorem non deſerimus. Sed ita hæc duo attemperamus, vt contemplatio actionē dirigat, & actio, velut aqua fornaci aſperſa, contemplationem accendat. Etenim actio, & contemplatio ſe habent inſtar corporis, & animæ: nam ſicut anima, & corpus, ita ſunt contemperata, vt anima cor-

Num. 19.

Digitized by Google

corpus vegetet, moueat, augeat, ſanum, incolumem, robuſtum, & pulchrum reddat; & corpus opem fert animæ, vt ſentiat, appetat, & multas ſibi iucundas operationes eliciat; ita labor quietem perficit ne nimis protracta moleſta ſit, & ſalutem à moderata exercitatione pedentem eneruet, & minuat. Quies verò laborem roborat, ne immoderatus exiſtens, vires naturales conficiat, & nullo otio interruptus, laſſitudini, atque languori ſuccũbat. Atque ex hoc non obſcurè liquet, finem, & ſcopum vitæ miſtæ, nullum alium eſſe, quàm conſequi perfectam contemplationis gratiam, & abſolutum actionis donum, ita vt neque contemplationis amore zelũ animarum deſerat, nec zelo iuuandi animas in ardore contemplationis, intepeſcat: Hunc finem. Magnus Gregorius libro quinto in lib. 1. Regum ad capit. 14. egregiè explicat verba Iſaiæ ſibi vſurpans, & hæc ſcribens: *Qui ſunt iſti, qui, vt nubes volant, & quaſi columba ad feneſtras ſuas? Volant quippe, vt nubes, quia à grauedine culpæ ſunt leues, & gratia Spiritus ſancti in bono opere veloces. Quaſi columba verò ſunt ad feneſtras, quia ad exemplum per bona opera ſe nobis, quaſi per foramina porrigunt. Sed de oſtenſa vitæ munditia, laudis appetitu nequaquam capiuntur.* Volare igitur in cœleſtia per contemplationem, & dimitti ad inferiora per varia opera in proximorum vtilitate impenſa, hic eſt finis, & ſcopus vitæ noſtræ. Hinc nemo eſt, qui non videat, vitam miſtam cõplecti exercitia vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, vt in eo, quod contigit primo noſtro parenti Adamo apertè monſtratum eſt. Etenim Dominus in Padiſo voluptatis illum cenſtituit, non vt in illo quieſceret, & deſidioſus maneret; ſed vt operaretur, & cuſtodiret illum; & dum dedit, non contemplandi, ſed abſtinendi mandatum; poſtea verò homini iam mandato laborandi diſpoſito, & legi non comedendi præparato ſoporem, hoc eſt, (vt Hieronymus, & Procopius, & Rupertus volunt) ecſtaſim contemplationis immiſit. Ac tandem ex latere dormientis, aut contemplantis coſtam eduxit, ex qua Euam vxorem, conſortemque vitæ formauit. Nam quod in hoc homine vniuerſorum parẽte hiſtoricè factum eſt, myſticè in iuſtis animarum parentibus ſpiritualiter perficitur. Primò, malis abſtineant, nec cibum vetitum guſtent: deinde dormiant, & in rerum cœleſtium conſideratione quieſcant: tandem generent & filios ſpirituales enutriant. Qui nec dũ laborauit, non poteſt pacatè, ſuauiterque dormire: & qui nec dum affectus inordinatos cohibuit, neque ſe actibus virtutum exercuit, purè, & tranquillè contemplari non valet. Vnde Beatus Laurentius in ligno vitæ, tractatu de oratione, c. 5. ait *Quicunque ad Arcem orationis, & contemplationis pulchritudinem attingere deſiderant, prius ſemetipſos in campo per exercitium operis probent, quàm ad quietẽ tranſeant; quatenus ſciant, an illata conuicia à proximis æquanimiter portant: an oblatis temporalibus bonis, mens lætitia ſoluitur: an ſublatis, vehementi dolore ſauciantur: an cùm ad ſe introrſus redeunt, in eo, quod ſpiritualia rimantur, ſecum vmbras tranſeuntium rerum ferunt, vel fortaſſe tractas à mente, manu diſcretionis abigunt.* Quiſquis hæc patitur, & in actiuæ vitæ operibus non eſt purgatus, neque ad ſanctæ orationis opus idoneus, vt compendioſè tradidit Diuus Paulus, primo Timoth. quarto, dum ei ſcripſit: *Attende tibi, & doctrinæ.* Tibi per vitam contemplatiuam in propriam tuam vtilitatem. *Doctrinæ*, per vitam actiuam, vt alijs proſis. Multa in ſacris Scripturis mihi ob oculos proponunt, vtraque hæc vitæ miſtæ exercitia. Etenim in primis, ſicut fortiſſimus ille Iudas Machabæus in bello ſtrenuus, in pace prouidus, qui ſtante bello, fortiter ſe geſſit: lo, bello autem ceſſante, loca polluta mundauit, ſancta renouauit, diruta ædificauit; *Ecce* (ait) *contriti ſunt inimici noſtri; aſcendamus nunc mundare ſancta, & renouare.* Sic prorſus, qui hoſtes Chriſti eſt proſtraturus, oblata oportunitate, miſeros peccatores ſanctis miniſterijs iuuet, dœmonũ tendiculas detegat, aduerſus cuneos vitiorum oblatret; ceſſante verò occaſione pugnandi, ſemetipſum lachrymis purget, ſancta deſideria reficiat, & quæ ex mundanorum conuerſatione corruerant, orando, & gemendo reſtauret. Ioſue etiam, cùm Deus in locum Moyſis Principem, & Ducẽ ſuæ plebi præfecit, exercitia huius vitæ miſtæ voluit illum protinus amplecti: actionem enim ei commendauit, dum dixit: *Confortare, & eſto robuſtus: tu enim*

forte

Margin notes: Iſai. 60. D. Gregor. — Geneſ. 2. — D. Hieron. Procopius. — B. Laur. Iuſt. — 1. Timoth. 4. — 1. Mach. 4. — Ioſue 1.

ſorte diuides populo huic terram, pro qua
iuraui Patribus ſuis, vt traderem eam illis.
Contemplationem verò, cùm poſt pauca
Ibidem. ſubiungit: *Non recedat volumen legis hu-*
ius ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus,
ac noctibus, vt cuſtodias, & facias omnia,
quæ ſcripta ſunt in eo.

Sed ad magnum Ioannem Baptiſtam
me conuerto, qui tanquam vitæ miſtæ ful
gentiſſimum ſpeculum, ac perfectiſſimus
Magiſter, propria illius officia exemplo
nos docuit. Erenim Chriſtus Dominus
Ioan. 5. vocauit illum: Accenſam, & lucenrem lu-
cernam, dicens: *Ille erat lucerna ardens,*
D. Gregor. *& lucens.* Vt autem dixit Diuus Grego-
rius homilia 11. in Ezechielem, ardor
cœleſtia deſideria, & lumen, vebum præ-
dicatiunis deſignat; & vtrumque contem-
plationis, & actionis abſolutionem quan-
dam, & perfectionem demonſtrat. Ille
enim in ſecreto orationis cœleſtibus deſi-
derijs, & igne veriſſimæ dilectionis ardet,
qui non commune aliquod orandi donū,
ſed magnā, & conſummatā contemplan-
di gratiā accepit. Et ille in publico actio-
nis lucet, qui bona, non vtcumque, ſed
optimè præſtare nouit; & imperfectionum
feditate ſplendorem verbi non obſcurat,
& opera proximis vtilia, prauis exemplis
non inficit. Cum ergò vocatur Ioannes:
Lucerna ardens, & lucens, perfectus præ-
dicator vocatur, qui finem vitæ prædica-
toris fuit aiſecutns, qui prius contemplan-
do Deum, & ſeipſum maceratione carnis
affligendo in deſerto arſit, & poſtea ex
amore Dei, & zelo animarum cum ma-
gno ſpiritu prædicando, in medijs popu-
lis, caligine iniquitatum excæcatos illumi
nauit. Arſit quidem ille, quia ſanctiſſimè
in omnibus ſe geſſit, quia puriſſimè vixit,
quia viam planè cœleſtem in turris inſti-
tuit. Arſit ille, quia tota eius vita nobis
loquitur, tota nobis ſermo eſt, tota nos
à malo reuocat, & ad bonum exhortatur.

Ad exrremum, ſi cupis vitæ huius exer
citia perfectè exequi, imitandum tibi pro-
pono Angelum tuum cuſtodem, quem
accepiſti ab ortu tuo, vitæ ducem, imbe-
cillitatis defenſorem, ac virtutis magi-
ſtrum. Angelus namque perfectiſſime
Deo miniſtrat, & diligenriſſimè tuam
ſalutem curat, & ad omne bonum inſtan-
tiſſimè prouocat, ille enim, & omnes alij
Ad Hebr. 1. cœleſtes ſpiritus. *Sunt adminiſtratorij ſpi-*
ritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui
hæreditatem capiant ſalutis. Sed ſimul ſuā
tranquillitatem conſeruat, & ſpirituales
oculos in vniuerſornm conditorem inten
dit: *Et ſemper videt faciem Patris, qui in* *Matth. 18.*
Cælis eſt. Itaque neque adminiſtratio lu-
cem obnubilat, quia Deus eſt ſine vlla in-
termiſſione videndus: nec viſio Dei ad-
miniſtrationis curam laxat, qua puſilli
erudiendi, & cuſtodiendi ſunt. Sic & tu
ab iſto indiuiduo comite, & manſuetiſſi-
mo protectore diſciplinam perfectionis
ediſce: proximos iuua, ſpiritualibus peri-
culis, eripe viam cœleſtis patriæ demon-
ſtra. Nec enim parum eſt tibi Angelorum
miniſterium obire: ſed ita vt mentis quie-
tem non perdas, lumen internum, quo ad
fieri poſſit, non fuſces, quo, & in ipſa
actione, Deum quaſi abſconditè, & diſſi-
mulanter aſpicias, & horis orationi deſti-
natis ſine vlla diſtractione vaces. Deum
mentis oculis contemplari inſuper, & bra
chijs dilectionis tenere valeas. Similiter
attende tibi, & magna ſollicirudine ſaluti *Tob. 4.*
tuæ mentis inuigila. Eſto ſilentij, Cellæ,
& contemplationis zelator, ſed ita vt opor
tuno tempore in publicum prodeas, mini
ſterijs animarum vaces, & eas doctrinæ
pane ſuſtentes. Illud tamen in his exerci-
tijs vitæ miſtæ admonendum te cenſui, ne
impenſius, & maiore conatu actioni in-
tendas, quam contemplationi; ſed potius
è contra, niſi neceſſitas proximi grauiter
vrgear. Hanc doctrinam, duorum filiorum
Parriarchæ Ioſephi hiſtoria dilucidè edo-
cer. Cùm enim duos filios generaſſet,
quorum maior natu vocabatur *Manaſſes*,
ſecundus *Ephraim*; & eos coram Patre *Geneſ. 48.*
Iacob benedicendos collocaſſet ille, *ex-*
tendens manum dexteram, poſuit ſuper ca-
put Manaſſes, qui maior natu erat, commu
tans manus. Quiſnam eſt iſte Ioſeph, qui
Domini ſui vxorem tangere recuſauit,
qui è carcere eductus, annulum Regium
accepit, & ſtolam byſſinam induit, & col-
lo torquem aureum circumpoſuit, qui tā-
quam fidelis diſpenſator populis alimen-
ta diſtribuit, niſi huius præſtantiſſimæ vi-
tæ cultor, qui & proximorum ſalutem, &
æterni Regis, à quo tantnm accepit digni-
tatem, quærit obſequium? Iſte namque
eſt, qui ſponſam, Creatoris ſui gloriam ſci
licet & honorem, illi puram, illibatam-
que conſeruat, ſciens, ſcriptum eſſe: *Glo-*
riam

Digitized by Google

Iſai. 42. riam meam alteri non dabo. Iſte ſtola puritatis præcinctus, & torque charitatis ornatus, annulo poteſtatis ſibi daræ liberationem peccatorum contritorum obſignat, vt in Cœlis rata, & immobilis habeatur. Iſte in proximos confert alimenta doctrinæ, ne aut fame pereant, aut *ſalutis*, tentationumque imbecillitate ſuccumbant. Qui autem ſunt duo filij huius ſpiritualis Patriarchæ, niſi vtilis actionis labor, & feruidæ contemplationis ſtudiū? Illū Manaſſes ætate maior, iſtud Ephraim minor natu deſignat. Nam Manaſſes *obliuionem* ſignificat, & bonorum operum labor interdum reprimendus eſt, & vtili quadam prudentia obliuiſcendus, ne in profectum aliorum penitus effuſus, noſtræ mentis feruor intepeſcat. Ephraim verò *frugiferum*, ſiue *creſcentem* denotat; & ſtudium cōtemplationis in dies recipiet perfectionis augmenta, vt ſit & noſtri profectus: & fructus, quem in proximis exoptamus initium, labor actionis macerat, & apud imperitum vulgus maioris momenti eſt, atque carnalibus oculis maiore pollet ſplendore. Studium autem contemplationis eadem ratione eſt minus, quia pauciores horas occupat, & in opinione ſtultorum non tantum habet precij, atque laboris. Sed nos, qui humanam ſapientiam contemnimus, & manifeſtam ſtultitiam vulgarium hominum deteſtamur, & ſapientiam cœleſtem profitemur, ſi nolumus in magno errore verſari, cōmutemus manus, & minori filio, hoc eſt contemplationis ſtudio, manum dexteram, maiorem conatum, feruentiorem curam, & inteniſſimum deſiderium porrigamus. Maiori verò filio, ideſt labori actionis, manum ſiniſtram, ideſt minorem ſollicitudinem admoueamus. Si autem aliquis reprehendat, & noſtrum propoſitum moleſtè ferat, manuſque noſtras commutare curet, & maiorem ſollicitudinem actioni, contemplationi vero minorem velit aſcribere, protegamus nos verbis Sancti Iacob, qui licet externis luminibus captus eſſet, internos tamen oculos clariores, & ſapientiores acceperat: *Scio* (inquit) *fili mi, ſcio & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: ſed frater eius minor, maior erit illo: & ſemen illius creſcet in gentes.* Genes. 49. Dicamus (inquam) illi, quia & ſi cœci videamur, ſtulti ab ſtultis reputemur, at à Magiſtro magiſtrorum edocti, optimè nouimus quid expediat. Nam pulpitum, aut Cathedra, aut quoduis aliud miniſterium proximorum, gratia eſt gratis data, in bonum, aut augmentum aliorum attributa, cui ſatis ſufficiens eſt manus ſiniſtra. At mortificationis, orationis, humilitatis, & puritatis ſtudium ad ſolidas, & perfectas virtutes pertinet, quibus gratiam, & Dei amicitiam comparamus; & miniſteriis proximorum fructum, & efficaciam acquirimus. Quare æquum eſt, vt ei manus dextera tribuatur.

His iam ſic prælibatis facilè mihi probari videtur, quòd licet Chriſtus Dominus dixerit: *Maria optimam partem elegit*, Luc. 10. quæ ſolum contemplationi vacabat; id tamen nihil obſtare, quominus vita miſta perfectior ſit, quàm illa: quia Chriſtus Dominus locutus eſt ibi de vita contemplatiua, vt pars quædam eſt vitæ ſpiritualis, & in comparatione ad aliam partem, quæ ad vitam actiuam ſpectat, dixit illam eſſe optimam, vt ſcitè adnotauit Cardinalis Caietanus in Diuum Lucam, cap. decimo. Caietanus. Minimè tamen primatum ei contulit per comparationem ad totum, cuiuſmodi eſt vita miſta, quæ ex partibus illa coaleſcit, & componitur. Et quidem ſi ſolo lumine naturæ, ac philoſophiæ doctrina rem hanc metiri liceat ſicut homo conſtans ex animo, & corpore perfectior eſt, animo ſolo, aut corpore ſeorſum accepto; nam ſi animum cogites ſupra illum habet naturā, & ſenſus corporis per ſe ſatis pulchros, atque perfectos: & ſi corpus conſideres, ſupra ipſum conſtat ſubſtantia animę ſpiritualis, immortalis, & quaſi diuinę; ita vita hęc præſtārior eſt, aut vita actiua, aut vita contēplatiua ſeparatim acceptis, quoniam actioni contemplationis ardorē adijcit, & contemplationi actionis fructū, & vtilitatem addit. Eſt itaque hoc diſcrimen inter vitam miſtam ex vna parte, & vitam actiuam, & contemplatiuam ex alia, quod eſt inter totum, & partem, inter Regnum, & Vrbem, inter Ciuitatem, & familiam, inter theſaurum, & gemmā, inter manticam, & monetam, ac inter vniuerſum orbem, ac vnicum elementum. Deinde, ſi Dominus non ſolum animam dedit homini, ſed etiam corpus, & ex varijs partibus, ac membris illud compegit, Geneſ. 1. manifeſtum eſt, quia non ſolius animæ, ſed

ſed etiam corporis poſcit famulatum, & ſeruitutis obſequia. Sicut autem anima fidei, ſpei, charitati, contemplationi, & alijs affectibus internis obſecundat: ita corpus labore, diſcurſibus, laudatione, & prædicationis miniſterio, alijſque exterioribus actibus ſeruit. Perfectioris ergo vitæ genus vtraque munera complectitur, exteriorem ſcilicet adminiſtrationem, & internam functionem, quæ per illam interpellatur. Sed Patres in mediũ producamus, quos omnes vnanimi conſenſu video docentes, vitam miſtam tàm actiuæ, quã contemplatiuæ præferendam propter maiorem eius perfectionem. Hieronymus

D. Hieron.

enim ait in Hierem. cap. 3. in illud: *Bonũ eſt viro, &c. Is verè, & non ex parte perfectus eſt, qui & in heremo ſqualorem ſolitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate ſuſtentat. Ideò in vtraque profeſſione per omnia conſummatũ inuenire difficile eſt, quia nec Anachoreta contemptum, ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita theoriam ad integrum poteſt aſſequi puritatem.* Ioannes Caſſian. collatione 19. cap. 9. loquens de Moyſe, Paphnutio, atque duobus Macharijs, hæc

Caſſian.

ſcribit: *Ita erant in vtraque profeſſione perfecti, vt cum vltra omnes heremi accolas ſecedentes, inſatiabiliter ſecreto ſolitudinis paſcerentur, quantumcũque in ipſis erat nequaquam inquirerent humana conſortia; tamen ita frequentiam, ac fragilitatem ad ſe concurrentium ſuſtinebant, vt cum ad eos viſitationis, vel profectus gratiâ innumera fratrum multitudo conflueret, tam ingem penè ſuſceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud didiciſſe, vel exercuiſſe omni vita ſua tempore crederentur, quam vt communibus tantum aduenientium officijs deſeruirent.* Accedit Diuus Auguſtinus epiſtola ad Aurelium, qui quoddam vulgarium, & inſipientium dictum deplorans; nempè, quod

D. Auguſt. epiſt. 76.

Malus Monachus bonus Clericus eſt, hæc Sanctiſſimus Pater verba ſubiecit: *Nimis dolendum, ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam Monachos ſurrigimus, & tàm graui contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero ſumus, cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamen deſit inſtructio neceſſaria, aut perſonæ regularis integritas.* Et rurſus

D. Auguſt.

in epiſt. 138. ad Valerium: *Cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.* Diuus Chryſoſtomus libro 6. de Sacerd. non minus luculenter maiorẽ vitæ miſtæ perfectionem extollit, in hæc verba: *Proinde ne Monachum quidem* D. Chryſoſt.
magnoperè, ac ſupra modum admirabimur, quòd is apud ſe viuens, neque commoueatur, neque in multa, aut magna peccata prolabatur; neque enim ei res illæ adſunt, quibus ipſe animo irritetur, exſtimuleturque. Si verò quis ſe ipſe turbis vniuerſis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre coactus, cum eſſet inconcuſſus, immotuſque perſtiterit, animum ipſum, vel tempeſtate actum, tanquam in malitia, ac tranquillitate gubernans, hic verò dignus eſt, quem omnes plauſu, atq; admiratione proſequantur: abundè enim ille ſuæ virtutis periculum fecit. Diuus Bernardus perlepidè vitæ miſtæ præſtantiam ſuper reliquas in hunc modum tradit: *Eſt tantum lucere, vanum: tantum ardere, parum: ardere,* D. Bernar.
& lucere, perfectum. Illi lucent, qui ex prædicationis miniſterio, auram ſolum popularem captant, & non Dei gloriæ, ſed propriæ ambitioni ſeruire ſtudent: hoc autem vanum eſt: nam, quid inanius, quàm ex tàm ſanctis, ac præſtantibus laboribus, non fructum premij cœleſtis decerpere, ſed inanis gloriæ, & inſipientis laudationis ventũ aucupari? Illi ardent, qui ſibi ſolis vacant, Tit. 3.
& contemplationi ſe tradunt, ac ſola cordis proprij puritate contenti, alijs doctrina non proſunt; & hoc parum eſt: Sancta enim ruſticitas ſibi ſoli prodeſt, quæ nullo modo poteſt cum illius ſanctitatis opulentia conferri, cuius tàm eximiæ opes ſunt, vt habeat, vnde abundè ſibi prouideat, & vnde in alios ſine ſui detrimento, doctrinæ diuitias effundat. Illi verò ardent, & lucent, qui in ſimilitudinem Solis ſplendorem igneum, & ardorem ſplendidum habent: qui ardore charitatis ſeipſos ſupra omnia creata efferunt, & Deo Creatori intellectu, & affectu ſe copulant; & luce doctrinæ proximos docent; ac vitijs liberatos, in viam virtutis adducunt. Sed hoc ſanè perfectum eſt. Diuus Thomas non eſt ſilentio prætermittendus, qui 2. 2. quæſt. 188. art. 6. Religionum

perfe-

perfectionem expendens, etiam perfectionem exiſtimat, quæ ex plenitudine contemplationis ad opus doctrinæ, ac prædicationis progreditur. Verba eius ſunt hæc: *Sicut maius eſt, illuminare, quàm lucere, ita maius eſt, contemplata alijs tradere, quàm ſolum contemplari*. Ac tandem Innocentius Tertius in cap. licet, de Regul. ait: *Sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præfertur: & in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſollicitudo contemplationi, & labor quieti*.

D. Thom. — Innoc. Tert.

Deinde nemo mihi inficiabitur, Chriſtum Dominum, Beatam Virginem, & Apoſtolos perfectioris vitæ ſectatores fuiſſe: at conſtat manifeſtè vitam miſtam illos coluiſſe. Non ergò id leue argumentũ eſt, hoc genus vitæ reliqua alia longè ſuperare. De Chriſto Domino Diuus Gregorius libro ſexto Moralium, cap. 17. inquit: *Humani generis Redemptor per diem miracula Vrbibus exhibet, & ad orationis ſtudium in monte pernoctat, vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam more ſpeculationis, ſun ditus deſerant; nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; ſed quietè contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos, loquentes refundant*. Etenim quemadmodum Sol per diem nos illuminat, & radijs lucis ſuæ, ac calore huius emiſphœrij corpora fouet: nocte autem diſcedit, & ſe à nobis abſcondit, non vt otioſus maneat, ſed vt oppoſitis & in alio Mundi contractu viuentibus ſplendeat; ita Chriſtus verus Iuſtitiæ Sol, in die hominibus doctrinæ ſuæ ſplendore lucebat, & eos beneficiorum calore fouebat: noctu verò in montibus, & locis ſolitarijs deliteſcens, à mortalibus ſe ſubtrahebat, vt cum æterno Patre noſtra negocia peragens, Angelos orbis illius immortales incolas, orãdo, reuerentiam, & amorem erga Patrem doceret, & ſua præſentia exhilararet. Habemus igitur huius vitæ miſtę Chriſtum Dominum Ducem, & antesignanum, dum vitam mortalem egit, immò vt mihi videtur, non ſolum in terris nobiſcum manentem, ſed etiam ad dexteram Patris ſedentem; nam ita aſcendit, vt nobiſcum manſerit: & ita manſit, vt qui ſecundum diuinam naturam vbique eſt, ſecundum humanam etiam Cœlos ſua præſentia repleuerit. Ita eſt ad dexteram Patris, vt tamen ibi interpellet pro nobis; hoc ipſo monſtrans, quòd ita gerit munus beati ad contemplationem pertinens, vt munus Aduocati nõ reliquerit, ad actionem ſpectans. Hinc Diuus Bernardus ſermone vigeſimotertio in Cantica perbellè dixit: *Oportet itaque ſponſam ſponſum ſuum imitari, & petentem nimirum Cœlos, & nihilominus in terris cum ſuis ſe fore vſque ad conſummationem ſæculi pollicentem. Sic & iſta quantumuis proficiat, quantumlibet promoueatur, cura, prouidentia, atque affectu ab eis, quos in Euangelio genuit, nunquam amouetur, nunquam ſua viſcera obliuiſcitur*.

D. Greg. — D. Bernar.

Venio iam ad Deiparam Virginem, quam ardens in filium amor non ſinebat idem vitæ miſtæ genus non ſectari. Quod ſatis manifeſtãt communia illa Epitheta, quibus Eccleſiæ Patres frequenter illam exornant: *Mater, Domina, Regina, Hara, Aduocata*, & *Virtutum operatrix*. Vt *Mater*, filiorum ſollicitudinem gerit: vt *Domina*, ſeruis neceſſaria miniſtrat: vt *Regina*, aulicos ſuos multis fauoribus proſequitur: vt *Hara*, famulis iura imperat, & obedientiam eorum præmiat: vt *Aduocata*, egenorum patrocinium ſuſcipit: vt *Virtutum* autem *operatrix*, in noſtram vtilitatem miranda multa præſtat, & diuerſarum virtutum exempla nobis præbet. Hæc ad alteram partem vitæ miſtæ, quæ actiua eſt, pertinent. *Alma* verò *domus Dei, Triclinium Trinitatis, Scala Cœli*, & ſimilia, alteram partem vitæ miſtæ, quæ ad contemplationem pertinet, redolent. Vt *Alma*, quæ *abſcondita* interpretatur à conſortio hominum, ad loca abſcondita ſe ſequeſtrabat: vt *domus Dei*, diuinam præſentiam ignitis deſiderijs affectabat: vt *Triclinium Trinitatis*, domicilium erat, & habitaculum trium perſonarum, quæ mediantibus tribus virtutibus: fide inconcuſſa, ſpe certa, & charitate inflammata, in ea ſumma iucunditate regnant. *Vt Scala Cœli*, aſcenſum ad Deum, & deſcenſum ad proximos præbet. Vnde ſapienter Sancti Patres, dum de Virgine ſermonem inſtituunt, nunc quæ contemplatiuæ vitæ,

nunc ea, quæ actiua ſunt prædicant, quia reuera in vtraque omnes excelluit, & in vnum, idemque inſtitutum, vtramque coniunxit. *D. Ildephon.* Ildephonſus Toletanus antiſtes ait, eam multo melius quàm Magdalenam ad pedes Domini conſediſſe, & verba eius ardentius auſcultaſſe. *Guaricus.* Guaricus ſermone decimoquarto, aſſerit ineffabilem voluptatem percepiſſe ex conſideratione eius myſterij, quod ſit Deus, quia ſuper omnes puras creaturas magis amauit. *Richel.* Dionyſius Richelius, libro ſecundo de laudibus Virginis, articulo vltimo, poſt glorificationem filij, multò verius ſæculum illi viluiſſe, & cœleſtibus intenſius inhiaſſe. *Rupert.* Rupertus in Cantica, cap. quinto, eam ſicut ſacrificij adipem, igne amoris fuiſſe liquefactam, quoties Chriſti myſteria cogitabat. *Sophr. de Aſſ.* Tandem Sophronius, amorem Chriſti, Mariæ deſiderium peperiſſe. Deſiderium verò nouos ardores reparaſſe, adeò vt omnia mente relinqueret, & ſeipſam etiam in extaſes raptam tranſcenderet. Iſta munia ſunt vitæ contemplatiuæ. *D. Bernar.* De actiua verò Diuus Bernardus, ſermone quarto, in Miſſus, ait, Mariam melius quàm alios, tanquam magis edoctam, ſacri Euangelij myſteria reſeraſſe. *Rupert.* Rupertus in Matthæum, cap. ſecundo, tenuiſſe illam tempus tacendi ante Chriſti filij ſui aſcenſionem in Cœlum, & poſt illam tempus loquendi illi aduenifſe. Optimo ergò iure *Beata Virginis vita vocatur mixta*, (vt ait Idiota in *Idiot.* libro contemp. cap. tertio,) *quæ ita in contemplationem incubuit, vt actionem fidelibus vtilem non omiſerit: & ita actionem iſtam impleuit, vt tamen nunquam à perfectiſſima contemplatione diſceſſerit.*

Tandem idem genus vitæ mixtæ Apoſtoli Chriſti Domini diligenter coluerunt veſtigia Magiſtri ſui, & Beatæ Virginis ſequentes. *Act. 6.* Vnde Actorum ſexto, dixerunt: *Nos orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Ecce contemplationi vacabant, vt contemplata per verbi diuini prædicationem, fidelibus traderent. Vnde omnibus Apoſtolis illud Pauli certiſſimè conuenit: *Siue enim mente excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus vobis.* *2. Cor. 5.* Hæc namque duo ad Apoſtolicam vitam pertinēt: amoris ſcilicet diuini ebrietas, quæ ſobrietatem fraternæ charitatis non auferat: & benigna ſobrietas, quæ ebrietatem contemplationis non tollat. Hinc Diuus Bernardus, vir verè totus Apoſtolicus ſuper caput ſecundum Canticorum, vitam hanc miſtam amplectens, hæc de ſeipſo pulchra valde ſcripſit: *Pariter ego* *D. Bernard.* *auellor ab infecunditate Rachelis amplexus, vt mihi exuberet fructus profectum veſtrorum. Minimè prorſus pigebat me inturbata quietis pro cura ſermonis, cùm video in vobis germinare ſemen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Charitas enim, quæ non quærit quæ ſua ſunt, iam id dudum facile perſuaſit, nil deſiderabilium meorum veſtris præferre vtilitatibus, orare, legere, ſcribere, meditari, & ſi qua alia ſpiritualis ſtudij lucra, hac arbitratus ſum propter vos detrimenta.*

Ceterum, vt incœptum hoc argumenti genus iam abſoluam, oportet quorundam obiectiones diluere, qui contemplatiuam vitam miſtæ præponere ſatagunt. Aiūt enim, quòd ſicut melior, & pretioſior eſt gleba auri fulgentiſſimi, atque puriſſimi, cui nullum eſt extraneum metallum admixtum, quàm ſi ei aliquid plumbi, vel æris, vel argenti miſceretur; ita nobilior eſt, atque præſtantior vita purè contemplatiua, ſolum ſapientiæ ſplendorem, & charitatis ardorem habens, quàm ſi rerum humanarum ſollicitudinibus, & proximorum curis offuſcetur. Hæc enim ſunt inſtar plumbi, vel æris, aut certe inſtar argenti, quæ mentem noſtram deprimunt, & inter homines ſonant, & alicuius valoris cenſentur; at nullo modo poſſunt cùm precio auri, ideſt puriſſimæ charitatis conferri. Sed reſponſio ad hæc non eſt difficilis, quia in hac mortali vita, quæ ob humanam infirmitatem, aurum contemplationis non poteſt eſſe, vndequaque purum, & nulli occupationi externæ mixtum. Vnde Diuus Auguſtinus epiſtola 121. ad Pro. & Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione octuageſimatertia, articulo decimoquarto, inquiunt, orationem, in deſiderio quidem debere eſſe diuturnam, in ſe autem ipſa eſſe non poſſe continuam, quia neceſſe eſt, alijs operibus occupari, atque certè, vel ſtatus obligatio conſtringit, aut lex charitatis mittit, aut certè ipſa fragilitas *D. Auguſt.* *D. Thom.*

litas

litas carnis impellit. Si igitur ob has cauſas mortalis hæc vita non patitur, ab omni externa occupatione hominem alienari, illa perfectior cenſenda erit vita, quæ non Deo, ſed proximo propter Deum attendit? Immò auſim affirmare, quòd tametſi naturæ humanæ infirmitas ferret, vt quis perpetuò, & ſine interruptione poſſet, inſtar ſpiritus Angelici contemplationi vacare, adhuc perfectius eſſet, & Deo acceptius, illam ad tempus pro operibus charitatis, & pro ſalute fratrum intermittere, & ad bonum aliorum feſtinare. Nam ignis ille charitatis in camino contemplationis accenſus, ſi ardens eſt, ſi magnus, atque perfectus, haud intra ſeipſum ſe continebit, an potens, ad exteriora non exibit? an alios non illuminabit, & calefaciet? an in res ſibi propinquas ſuæ efficaciæ ſcintillas nõ effundet? An non mirum fuit, quod ignis fornacis Babylonicæ tres adoleſcentes ligatos, & in media fornace coniectos non exuſſit? Et quare non eſſet etiam mirabile, ſi charitatis ignis multo potentior in corde Iuſti ſuccenſus, nullum illuminaret, nullum accenderet, nullum verbis, tanquam ſcintillis ardentibus ad bonum inflammaret? Denique *nunquam eſt Dei amor otioſus*, (vt Gregorius ait) *operatur etiam magna, ſi eſt: ſi verò operari renuit, amor non eſt*. Vnde Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 184. articulo ſeptimo, ad ſecundum dixit, maioris eſſe dilectionis indicium, ſi quis propter amicum, etiam alij ſeruiat, quàm ſi ſoli amico velit ſeruire. Nam amor faciens, vt ſeruiamus amico, eſt velut fluuius alueũ ſuum occupans, & placidè, ſenſimque decurrens. At impellens nos, vt alijs propter amicũ famulemur, eſt veluti fluuius aluei anguſtias prætergrediens, & omnia ſata, atque agros inundans, qui non ſolum amico, ſed omnibus rebus eius cupit dona, & beneficia præſtare. E contra verò amor Dei, qui cùm poſſit, vſque ad amorem proximi non decurrit, & in proximum exortationis verba, & virtutis exempla non effundit, ſatis tepidus, & exiguus eſſe conuincitur: immò ex ſententia Diui Gregorij prima parte paſtor. capit. quinto: *Qui virtutibus pollens gregem Dei paſcere renuit, Paſtorem ſuum conuincitur non amare*. *Merito itaque Dominus*

Dan. 3. D. Gregor. D. Thom. D. Gregor.

à Petro paſtoris curam, in ſignum, aut affectum amoris perfecti poſtulauit: Symon Ioannis, inquit, diligis me plus his? ipſique reſpondenti: etiam Domine, tu ſcis; quia amo te, agnorum ſuorum curam demandauit illis verbis: paſce agnos meos. Ioan. 21.

Quia tamen piiſſimus Amianus totam hanc doctrinam eruditè, & ſapienter ex ſacra Scriptura illuſtrauit, verba eius licet non pauca hic adſcribere non grauabor. Ille (vt Theodoretus refert in ſua hiſtoria cap. quarto,) ſpiritualia documenta Euſebio præbens, ait illi: *Quoniam ergo Deum amas, ego tibi modum oſtendam, per quem & amorem magis accendes, & ei quem amas; ſeruies. Nam quòd omnia tua cura, & induſtria in teipſum conuertantur, non effugies (vt ſentio crimen) nimij in te ipſum amoris; lex enim diuina iubet, proximum amare, vt te ipſum. Multos autem opum ſumere participes, hoc eſt proprium verè muneris charitatis. Hanc autem Diuus Paulus appellauit, legis plenitudinem. Rurſus quoque clamat: Tota lex, & Prophetæ in hoc ſermone ad ſummam rediguntur, nempè: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Porrò autem Dominus quoque in ſacris Euangelijs Petro, qui confeſſus eſt, eum amare, plus alijs præcepit paſcere oues ſuas. Eos autem, qui hoc non fecerunt, acriter reprehendens, clamat per Prophetam. O Paſtores, nonne greges à paſtoribus paſcuntur? & ideò magnũ quoque Heliam, qui hanc vitam perſequebatur, iuſſit verſari in medio impiorum; & ſecundũ Heliam tantoperè celebratũ, Ioannem, intelligo, qui amplectebatur ſolitudinem tranſmiſit ad ripas Iordanis ibi baptizare iubens, & prædicare. Quoniam ergò tu quoque es Dei, qui te fecit, ardens amator, multos quoque tecum alios effice amatores. Hoc enim eſt valde gratum communi Domino. Propterea Ezechielem quoque appellauit, & peccatoribus iuſſit teſtificari, & Ionam iuſſit currere Niniuem, nolentemque tranſmiſit in vinculis.* Hæc omnia Amianus pulchrè quidem, & eruditè, quibus apertè vitam miſtam, ex contemplatione, atque actione compoſitam, quæ ob animarum vtilitatem ſuſcipitur, vitæ purè contemplatiuè præponit.

Amianus. Theodoret. Ad Rom. 13. Ad Gal. 5. Ioan. 21. Ezech. 34. Ezech. 2. Ion. 1.

Ad extremum illud adijcere non parcam ad excitandum lectorem ad hoc genus vitæ miſtæ capeſſendũ, quòd hæc vita

facilior ſit, illa difficilior, vt ex principijs Ariſtotelis deduco: ille enim in problematibus particula ſexta, problemate decimo inquirit, quare magis homo laborat, ambulando viam planam, quàm non planam; ſed partim monruoſam, & partim planam? & reſpondet rationem eſſe, quod ambulando viam planam, continuò inceditur vniformiter, & vniformiter defatigantur membra, & inſtrumenta, quibus motus exercetur, nimirum, genua, crura, tybiæ, quia in his ſeruatur continuè vnus modus, & vna figura illa mouendi. Motu verò non plano, vbi aliquando aſcenditur, aliquando deſcenditur, non eadem figura motus obſeruatur, & ſic membra aliqua plus, aliqua minus vexantur. Aſcédendo enim plus laborant tybiæ, & genua, deſcendendo verò plus femora, & ob hanc laboris alternationem, minor reſultat fatigatio. Non diſſimiliter fragilitas humana nullo modo ſuſtinet, vt mens hominis vniformiter exerceatur in contemplando, & aſcendendo ad cœleſtia, quia corpus vltra modum defatigaretur. In cuius figura legimus, neruum femoris Iacob in lucta cum Angelo emarcuiſſe. Nec item expedit, quod homo ſemper deſcendat ad terreſtria per opera vitæ actiuæ, quia his temporalibus, proximis diſpenſandis ſemper vacans, anima deſiccaretur, quæ alioquin per cœleſtium contemplationem impinguatur. Ad perfectam ergo vitæ rationem inſtituendam, oportet hæc ad exemplum Chriſti Domini alternare, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ariſtot.

Geneſ. 32.

Homilia XXVI.

In illa verba: Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, *de virtute hoſpitalitatis præcipuè erga pauperes diſſeritur.*

CVM pauciſſimos reperiam præſens argumentum pertractantes, eiuſque vtilitatem non modicam eſſe cenſeam, idcircò oblata præſēti occaſione hoſpitij, quo Martha Chriſtum domi ſuæ excepit, vberius de illo diſſerere, Deo auſpice, aggredior.

Ex ſacrarum Scripturarum, & Conciliorum monumentis hoſpitalitas ſuadetur. §. I.

PErmulta ex veteri Teſtamento, ad ſuadendam hoſpitalitatem potuiſsē proferre teſtimonia; illud tamen præcipuè Iſaiæ, quod inſtar mille eſt, recitabo: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſq; induc in domum tuam.* nec non illud Iob 7. iuxta græcam tranſlationem, ſeu vt alij volunt, græcam paraphraſim: *Inuenerunt eum iuxta portam, & cùm ſalutaſſent eum pacificè, ille pacificè reſpondit, & ſuſcepit eos cum gaudio.* Ex nouo verò teſtamento plura, in medio producam D. Paulus: *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes,* & rurſus: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* & apud B. Petrum: *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Huc referri poteſt, quod ait Dominus: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet.* Etenim ſi quis furem, aut læſæ maieſtatis reum hoſpitio reci-

Iſai. 57.

Iob 7.

Ad Hebr. 13.

Ad Rom. 12.

1. Petr. 4.

Matth. 10.

recipit eandem incurrit pœnam, rationi conſentaneum eſt, vt qui bona operantē in hoſpitio excipit, illius operum meritum ſuſcipiat. Quod apud Lucam monet Chriſtus: *Cùm facis prandium, aut cænam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione Iuſtorum.* Declarat hoc officium charitatis neceſſarium eſſe ad vitam æternam: nam apud Matthæum, Chriſtus Iudex ijs, qui à dextris erunt, dicet: *Hoſpes eram, & collegiſtis: nudus eram, & cooperuiſtis me*; qui verò à ſiniſtris: *Hoſpes eram; & non collegiſtis me. Et ibunt hi* (ſubdit Euangeliſta) *in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* Chriſtus Dominus, Lucæ cap. ſeptimo, conqueritur de Simone, quod officium lauandi pedes peregrinis, & hoſpitibus ſolitum fieri, ſibi non præſtitiſſet: *Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dediſti.* Moris erat tunc, quod & nunc etiam eadem conſuetudo viget, peregrinis, & hoſpitibus pedes lauare. Vnde Abraham trium Angelorum, quos ſpecie peregrinorum ſuſceperat, pedes lauare voluit: Sic etiam Loth Angelis illis. Sic etiam Paulus viduis præcepit, peregrinorum lauare pedes. Hac de cauſa debuit Phariſæus lauare pedes Chriſti: nam peregrinus venerat, qui eo die Ciuitatem Naym intrauerat, quando ad portam filium viduæ ſuſcitauerat; & ingreſſus miſſos à Ioanne ſuſceperat, & ſermonem ea occaſione ad populum habuerat; tunc enim inuitatus fuit à Phariſæo. Diuus Paulus ſingillatim à Sacerdotibus, & Epiſcopis exigit virtutem hoſpitalitatis: *Oportet* (inquit) *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, pudicum, hoſpitalem*. Et iterum: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium.* Atque etiam à Viduis: *Vidua* (ait) *eligatur in operibus bonis teſtimonium habens: ſi filios educauit; ſi hoſpitio recepit; ſi Sanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus conſilium ſubminiſtrauit.* Denique Sanctus Ioannes Apoſtolus epiſtola tertia, Gaium ab hac virtute laudat, dicens: *Chariſſime fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ, in conſpectu Eccleſiæ: quos benefaciens, deduces digni Deo.* Contra verò Diotrephen inſimulat inhoſpitalitatis: *Is* (inquit) *qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recepit nos.* Certè antiqui illi Chriſtianæ Religionis cultores in hoſpitio excipiendis peregrinis, & pauperibus diligentes adeò ſe exhibuere, vt impius Iulianus Apoſtata, id referente Hiſtoria Tripartita, libro ſexto, cap. vigeſimo-primo, in quadam epiſtola, quam ad Aphraſium ſcripſit, exprobraret ſuorum inhoſpitalitatem, Galilæorum hoſpitalitatem, (ſic ille vocabat Chriſticolas) in faciem eis objiciens; quos ita huic muneri deditos aiebat, vt non ſolum proprios, & notos, ſed exteros, ac ignotos, & cultu religionis omnino diſpares, officioſè in hoſpitium reciperent.

Luc. 14. — Matth. 25. — Luc. 7. — Gen. 18. — Gen. 19. — 1. Thim. 5. — Luc. 7. — 1. Thim. 3. — Tit. 1. — 1. Thim. 5. — Ioan. Apoſt. — Ibidem. — Hiſtor. Trip.

Iam producamus ſacra Concilia, quæ hoſpitalitatem nobis commendant. Concilium Matiſconenſe ſecun. capit. vndecimo: *Sectatores nos hoſpitalitatis non ſolum Dominus Ieſus admonet, cùm ſe dicit in hoſpitem receptum fuiſſe, ſed etiam eis Apoſtolus, omnibus penè ſuis præceptis: Propterea vnumquemque noſtrum oportet non ſolum ſemetipſum ad hoc opus hortari, ſed etiam omnium fidelium mentes vt poſſint apud Deum miſericordiæ operibus pro noſtris peccatis intercedere, & nos ei per puram hoſpitalitatem reconciliare. Si quis ergo noſtrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis ſuæ ipſe prius non comprobauerit opere, indignationem proculdubio incurret Dominicæ Maieſtatis. Prædicetur hoc noſtræ mediocritatis ſtatutum in auribus omnium Chriſtianorum*, &c. Idem Concilium capite decimotertio, dicit, Epiſcopalem domum inſtitutum eſſe, *vt omnes ſine perſonarum acceptatione hoſpitalitate recipiat.* Concilium Aruernenſe, vt allegatur in Codice quinque librorum partialium, libro ſecundo, cap. 103 ſic habet: *Placuit, vt Presbyteri ſuas plebes admoneant, vt hoſpitales ſint & nulli iter facienti manſionem denegent; & vt omnis rapinæ occaſio tollatur, nihil carnis vendant tranſeuntibus, niſi quanto in mercato vendere poſſint. Quod ſi carius*

Concil. Mati. — Idem c. 13. — Conc. Aruer.

vendere voluerint, ad Presbyterum tranſeuntes hoc referant, & illius iuſſu cum humanitate eis vendant. Concilium generale 6. Cano. 9. hoſpiralitatem ſummoperè commendat, prohibens ne merces pro hoſpitalitate recipiatur, vt nulli hoſpitiũ denegetur. Hoc & Carolus Magnus in ſuis Conſtitutionibus renouat, & Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Primo Imperatore, cap. 141. omnibus Epiſcopis, & Prælatis iniungit, vice ſua cuidem committere curam ſuſcipiendi hoſpites peregrinos, vtpotè Chriſtum in membris ſuis, qui ei neceſſaria libenter pro viribus adminiſtret. Hinc & præcepit Clericis, vt ſi alijs temporibus non liceat, ſaltem Quadrageſimæ tempore pedes pauperum in competenti loco, & hoſpitali lauēt: *Quapropter expedit (ait) vt incompetenti loco hoſpitale ſit pauperum, vbi perfacilis ad illud veniendi conuentus fratrum poſſit fieri. Is autem, cui hæc cura recipiendi hoſpites, & pauperes incumbit, ſi negligens fuerit, acerrimè corripiatur: potiſſimè ſi res pauperum in ſuos vſus aptauerit.* Præterea Concilium Pariſienſe 3. libro primo, cap. decimoquarto, ſic loquitur: *Operæpretium duximus nos exhortando admonere, & admonendo exhortari, vt hoſpitalitatem præcipuè Sacerdotes Domini ſectari meminerint.* A Hieronymo etiam inter cetera virtutum præconia, quæ Epiſcopo ineſſe debent, hoſpitaliras etiam habenda prædicatur: *Epiſcopi* namque *domus*, (vt ipſe B. Hieronymus ſcribit in epiſtola ad Titum, cap. primo) *omnium commune debet eſſe hoſpitium. Laicus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens, implebit hoſpitalitatis officium Epiſcopus, niſi omnes recipiat, inhumanus ab eo ſcribitur.* Hoſpitalitas porrò, quam Dominus remuneraturum ſe eſſe aſſeruit, illa eſt intelligenda, quæ membris Chriſti, tecto ſcilicet indigentibus, & diuerſas neceſſitates patientibus, prouidet. Multa etiam de ſectanda hoſpitalitate Concilium Aquiſgranenſe cap. vigeſimo octauo affert, dũ de Epiſcopo viſitante tractat. Præterea ad amplectendam hoſpitalitatem Epiſcopos hortatur. Concilium Oxonienſe in Anglia, cap. primo, vbi etiam de pauperibus audiendis certa datur Conſtitutio. Vide denique Concilium Tridentinum generale, ſeſſione vigeſima quinta, quæ fuit nona ſub Pio Quarto, cap. octauo, decreti reformationis, ſic loquens: *Admonet ſancta ſynodus quoſcumque Eccleſiaſtica beneficia ſæcularia, ſeu regularia obtinẽtes, vt hoſpitalitatis officium à ſanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, promptè, benignèque exercere aſſueſcant: memores eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere.*

Concil. gen.

Carol. Mag.

Conc. Aquiſ.

Conc. Pariſ.

D. Hieron. Stridon.

Conc. Aquiſ.

Concil. Oxon.

Concil. Trid.

Deus Optimus Maximus exemplo ad hoſpitalitatem exercendam nos commonet. § II.

SVpremus totius Mundi opifex adeò ſollicitum, ac diligentem ſe exhibuit in benigna hoſpitum ſuſceptione, vt præterquam Angelis Cœlum empyreum, in hoſpitium dederit, ac hominem in Paradiſi voluptatis amenißimum locum à primordijs conſtitutionis Mundi hoſpitio exceperit; ipſa etiam bruta animantia hoſpitati non fuerit dedignatus, ſed ſumma prouidentia ſingulis hoſpitia proportionata, & accommodata proprijs eorum naturis diſtribuerit: aerem auibus: aquam piſcibus: terram quadrupedibus: & quod mirabilius meritò videri debet, animalia à venatorum canibus oppreſſa cùm ad Dei templa confugerunt in ſacrum hoſpitium, non ſolum non renuit illa excipere, ſed tanquam hoſpites, domi ſuæ benignè excepit, quæ illius pietati, & patrocinio ſe crediderant; ac euidentiſſimis miraculis à morte illa eripuit. Vnde Gagin. lib. 3. cõmemorat, quòd Lotharius filius Regis Galliæ, quodam die ægreferens inſolentiam ſui pedagogi Sadragiſili Aquitaniæ Ducis, laxandi animi cauſa ad venandum ſe in ſyluam contulit. in qua cùm ſyluestrem quandam feram ſuis canibus tàm ipſe, quam famuli eius acriter inſectarentur, illa in Templum quoddam ingreſſa, adeò benignè à miſericordioſiſſimo Domino, hoſpitio illius ſacræ domus fuit excepta, vt non abſque ingenti miraculo, tàm venatorum, quàm ipſorum canum ingreſſum in eam omninò eis prohibuerit, qui nihil aliud, quam foras clamare, & latrare potuerunt. Cuius miraculi obſtupefactus Princeps ab inſectatione deſtitit,

Geneſ. 2.

Gagin.

& illi

& illi deinceps Eccleſiæ ſpecialem honorem detulit. In chronica etiam noſtra Hiſpaniæ, illud mirandum contigiſſe lego Sancio Regi Caſtellæ, quòd cum apro ſi venationi vacans, quidam aper à canibus fugiens, in quandam introiſſet Eccleſiam quæ in forma erat ſpeluncæ, ipſe in eandē ingreſſus, præ ardore deſiderij aprum feriendi, brachium eleuans, vt telum eum confoderet, continuo illud paralyſi aruit; quia volebat Dominus hoſpitem ſuum, quem domi ſuæ exceperat indemnem eſſe; & (vt ita dicam) immunitate Eccleſiaſtica gaudere. Tunc Rex ad ſe reuerſus, contritus veniam petijt à Domino, & voto emiſſo Eccleſiam illam, quæ ſancti Antolini domicilium fuerat, reædificandi, & illuſtrandi, priſtinam ſanitatem obtinuit. Votum ille poſtea impleuit cumulatiſſime, cùm eius expenſis Palentina Eccleſia Cathedralis fuerit ædificata, & multis redditibus locupletata. Hinc ad ipſius Dei imitationem, ad Marinum Monachū, vt in vita eius habetur, ſub tugurio in ſolitudine habirantem, aprum aliquando à venatorijs canibus actum confugiſſe legimus, quem ille apud ſe tandiu latere permiſit, donec ei ſine periculo ad ſua luſtra redeundi, facultas affuit. Quid plura? animalia ea vrbanitate etiam vtuntur, vt alia ad ſe confugientia defendant, & hoſpitentur, vt tradit D. Baſilius homil. 8. exameron, vbi ait: *Mores Ciconiarū haud longè dixeris à prudentia, rationeque diſtare, ita verò tempore omnes in noſtras Prouincias, ſiue Regiones veniunt: ita & ſub vno ſigno quaſi militari quapiam teſſera hinc à nobis auolant: Cornices autem noſtrates, veluti lictores, ipſas ſatellites qui comitantur, atque deducunt. Quæ vt mihi videntur, & ſocias ſe offerunt, auxiliaque; aduerſus aues ipſis aduerſarias, atque hoſtes. Cuius rei argumento ſunt illa primum, quod noſtris in prouincijs illo tempore nulla Cornix prorſus conſpicitur; deinde cùm vulneribus redeuntes, aperta tutelæ indicia vobis offerunt. Quis apud ipſas hoſpitalitatis iura præſcripſit? Audiant hæc homines hi, qui nullo hoſpitio homines excipiūt; ianuiſq; ſuis excludunt, & neque hyeme, neque noctu ſolum tegmine peregrinos, aduenaſque ſuſcipiunt.* hæc Diuus Baſilius. Ex quibus apertè conſtat, quòd cum hæc animalia non tam agant, quàm agantur ab Authore naturæ, à quo diriguntur, & mouentur in ſuis operationibus, non ſolum Deus exemplo ſuo per ſeipſum, ſed & per animantia ſua hoſpitalitatem nobis commendarit.

Cron. Hiſp. — D. Baſil. — D. Baſil.

Antiquorum Patrum præcipuè veteris teſtamenti, nec non & quorundam Ethnicorum geſta producimus, qui exemplo ſuo hoſpitalitatem nobis ſuadent. §. III.

De Abrahamo qui non minus hoſpitalitatis, quam obedientiæ virtute floruit, à quo vno, vt ſancti Patres notarunt, præclara multa hoſpitalitatis rectè exercendæ documenta diſcere poſſumus. De magno (inquam) Patriarcha hæc lego: *Apparuit autem ei Dominus in conuall. le Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei. Cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum: ſed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum, poſtea tranſibitis: idcirco enim declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Qui dixerunt: fac vt locutus es. Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dicitque ei: Accelera, tria ſata ſimila commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero: qui feſtinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit corā eis: ipſe verò ſtabat iuxta eos ſub arbore. Cumque comediſſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? ille reſpondit: Ecce in tabernaculo eſt. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* hæc ſcriptura. Videmus virtutem hoſpitalitatis meruiſſe, beneficium beneficio compenſari. Itaque Abraham in valle Mambre ante oſtiū tabernaculi ſedet, ne quis pertranſeat, quem ad ſe diuertere non roget. Tres venire videt, neque donec

Geneſ. 18.

donec aduenîant, expectat; ſed currit obuiam, utque adorat, vt hoſpites non fouendos ſolum, ſed etiam honorãdos ſcias. Orat, ne ſe prætereant, quaſi accepturus, non daturus beneficium: & primum aquá pedibus parat, vt doceat, omnium virtutum fundamentum, eſſe humilitatem. Subcinericios panes, butyrum, & lac, & vitulum coctum apponit, vt copiosè potius, quàm luxuriosè hoſpites paſcendos eſſe demonſtret. Denique diſcedentes deducit, vt quos benignè accipimus, eoſdem cum honore: diſcamus dimittere ne ſi incomitati, hoſpitij limen exierint, expulſi magis, quàm dimiſſi eſſe videantur. Nec arbitteris, ideo illos ab eo ſic acceptos, quia ſcierit Angelos eſſe; ſed potius, quia ſic homines acceperit, Angelos quoque accipere meruiſſe; & tales Angelos, in quibus ſub Trinitatis typo maieſtas vnius Dei adoranda facile appareret. Sed audiamus Patres Abrahami gratiſſimam hanc hiſtoriam vatijs modis expendẽtes.

D. Chryſoſt. Geneſ. 1. S. Chryſoſtomus homil. 41. in Geneſ. c. 1. hæc eleganter dixit: *Currit & volat ſenex: vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis ſuæ ratione habita ad venationem cucurrit: & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilque ruſticitatis, neque deſidiæ quicquam præſtulit; quaſi diceret: magnus theſaurus eſt, magna negociatio, per memetipſum hanc mercedem inferre debeo, ne labatur tantum lucrum:*

Geneſ. 15. *Et vide liberalitatem Abrahæ: Vitulum mactauit, fermentauit & farinam. Audi & alacritatem: per ſeipſum, & uxorem hoc facit: Conſidera etiam, quam alienus eſt à faſtu, adorat, & obſecrat.*

Ab eadem hoſpitalitatis virtute inſigniter commendabilis ſanctus Loth redditur, qui non ſolum, vt Abraham, inuitabat peregrinos ad hoſpitium, ſed & eos cogebat, domum ſuam venire. Poſtquam

Geneſ. 19. enim ſacer textus Geneſ. 19. recitauerat verba Loth cum peregrinis loquentis: *Obſecro domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi,* ſtatim ſubdit: *Compulit illos opido, vt diuerterent ad eum: ingreſſiſque domum illius fecit conuiuium, & coxit azima: & comederunt.* Deinde aliud ſingulare beneficium in eos contulit, quia cùm nefandi quidam homines vellent peregrinis illis in ſuam libidinem abuti, nec ab eo peccato illos diuertere potuiſſet, duas filias virgines eis obtulit, vt ſaltem eos, & à turpiori peccato deterreret, & hoſpites ſuos indemnes ſeruaret: Adeo placuit Domino huiuſcemodi genus hoſpitalitatis, vt ipſo vniuerſam illam Regionem igne, ſulphure comburente, Loth ab eo voraciſſimo incendio omnia deuaſtãte incolumis remaneret. Perſimilis huic Sancto Patriarchæ mihi fuiſſe videtur ſenex ille Leuita de quo lib. Iudic. habetur, quòd cũ *Iudic. 19.*

quidam viator ei diceret: *Nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere, habentes paleas, & fœnum in aſinorum pabulum, & panem, ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vſus, & pueri, qui mecum eſt: nulla re indigemus niſi hoſpitio. Cui reſpondit ſenex: Pax tecum ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt: tantum quæſo ne in platea maneas. Introduxitque eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit.* Cum autem poſtea vidiſſet hoſpiti ſuo Leuitæ vim parari ab infrenatæ libidinis viris, loco ipſius filiam eius virginem illis tradere voluit. Hoſpes verò, ne illi, à quo benignè exceptus fuerat, dedecoris ignominiæque cauſa exiſteret, ſua qua ſecum habebat, coniuge, raptoribus, ſatisfecit, qua illi ſic abuſi ſunt, vt extinctam penè reddiderint. Quid dicam de Laban, qui vt legimus Geneſ. 24. permagnificum, & hoſpitalem ſe exhibuit erga ſeruum Abrahæ, dum ei dixit: *Ingredere benedicte, cur foris ſtas? præparaui domum, & locum camelis tuis.* Deinde *Geneſ. 24.*

cum Sunamitis Eliſæum Prophetam hoſpitio ſuo frequenter donauerit, meruit filium etiam viro ſuo prouectæ admodum ætatis concipere, & parere: & cum fenore hanc hoſpitalitatis gratiam compenſauit Eliſæus, nam eundem filium mortuum *4. Reg. 4.*

à morte excitauit. Inſuper cum Sareptana Virgo. 3. Regum 17. tantillo cibo pauit Heliam Prophetam, pro hoc pietatis *3. Reg. 17.*

officio cumulatiſſimum beneficium precibus tanti viri extorſit à Domino: nam hydria farinæ non defecit, nec lecythus olei imminutus eſt vſque ad diem, in qua Dominus dedit pluuiam ſuper faciem terræ. Nec ſilentio prætermittendus eſt Iob: qui *Iob cap. 21.*

adeo impenſe hoſpitalitatis officio vacabat, vt cap. 21. diceret: *Foris non manſit peregrinus: hoſtium meum viatori patuit.* In Actis etiam Apoſtolorum legi- *Act. 16.*

mus de muliere quadam nomine Lydia. *Cum autem ipſa baptizata eſſet, & domus*

eius

eius deprecata eſt, dicens: ſi iudicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos. Ecce tanquam ſignum, & pignus fidelitatis, conſtituit officium hoſpitalitatis. Zacchæus, Lucæ 19. *gaudens excepit Chriſtum Dominum in domum ſuam*, & ipſe ac tota eius familia largam benedictionem à Domino accepit, ipſo ei dicente: *quia hodie facta eſt ſalus domui huic*. *Luca 19.*

Luca 10. His iungo Marthæ mirandam ſedulitatem: poſtquam enim excepit Ieſum in domum ſuam, miniſterio intenta, parandique conuiuij ſollicitudine ardens, nequibat facere animo ſuo ſatis: ac proinde Mariam ſororem vti ſe adiuuet, ſecumque collaboret, citat. Nec adeò nos negligentes eſſe debemus, aduenam aliquem ſuſcipientes, quia ſeruum, non Dominum ſuſcipimus, cùm ipſe proteſtetur, ac dicat: *Qui ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit.* & iterum: *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Nec quem quam moueat, quod Maria ſedens ſecus pedes Ieſu, & verbum illius audiens, optimam partem dicitur elegiſſe. Non enim propterea hoſpitalitatem Marthæ improbatam credimus, ſed bono melius prælatum, actioni contemplationem: ad quam tamen non poteſt peruenire, qui nô prius iuſtitiæ exercitationibus labem expiauerit delictorum, vt tunc demum ad conſideranda Dei inuiſibilia animus attollatur, cum liberum ſe eſſe perſenſerit onere peccatorum. Item duo illi ex diſcipulis, in Caſtellum Emmaus tendentes, cum Ieſu ſimul eunt, ſimul fabulantur, & extemû ac peregrinum eſſe putantes, donec compulerunt ſecum manere, & ſecum recumbere, & in fractione panis agnouerût eum. Sic igitur hoſpitalitatis officium ad agnitionem Dei nos adducit, vt quem nunc in enigmate, & per ſpeculum videmus, poſt hæc facie ad faciem, & ſicuti eſt, videre valeamus. *Matth. 18.* *Luca 10.* *Luca 24.*

Oneſiphorus Oneſiphorus hoſpitio ſolitus Chriſti diſcipulos excipere, ita ab Apoſtolo Paulo benedicitur, vt dubitandum non ſit, quin hoſpitalitatis æternæ vitæ premia ſibi côparatit. *Det* (inquit) *miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: ſed cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Deo in illa die. Et quanta Epheſi miniſtrauit mihi, tu melius noſti.* O felix igitur Oneſiphore, qui aliquando auditurus es optatiſſimam vocem illam vocantis Domini: ac dicentis: veni, benedicte Patris mei, poſſide tibi regnum paratum à conſtitutione mundi. Hoſpes enim eram, & collegiſti me. Publius Princeps, vt habetur Acto. 28. Paulum cum ſocijs de confracta naui euadentem recepit hoſpitio, quo patrem liberauit febribus, & dyſſenteria laborantem. Illud tandem hoc loco dicere non parcam, rarò Principes hoſpitio domi ſuæ pauperes recipere; frequenter tamen id præſtant pauperes homines, & plebei. Vnde Iudicum 19. in Gabaa Beniamin non inuenit Leuita hoſpitium, niſi apud ſenem de opere, & labore ſuo reuertentem. Petrus Apoſtolus. Actor. 10. apud quendam Symonem Coriarium hoſpitabatur. Paulus diuertebat apud Priſcillam, & Aquilam opifices. Idem etiam Paulus, & ſocij eius ad preces Lydiæ purpurariæ apud domum ſuam diuerſati ſunt. *2. Timoth. 1.* *Matth. 21.* *Act. 28.* *Iudic. 19.* *Act. 10.*

Venio iam ad exempla Ethnicorum: neque enim ſolum apud veri Dei cultores ſanctè honorata, cultaque eſt virtus hoſpitalitatis, ſed etiam apud Ethnicos veræ pietatis exortes; eoſque inſuper barbaros, quibus nulla honeſti cura incumbit. Nam cùm ceterarum virtutum negligerent officia, ius ramê hoſpitij fidemq; ac benignitatem hoſpitalem inuiolabili rigore colebant; neque nouum apud eos, quod rarum nunc apud Chriſtianos peregrinum compellere, domum ſubire. Camul Prouinciæ (Tartarorum ſubiecta Imperio Regio eſt, vt refert Marcus Paul. Ven. lib. 46. Orien. Regio.) incolæ ad prodigium hoſpitales peregrinos quoſcumque, vel inuitos ſuſcipiunt: domo cedit paterfamilias, vxorem, & liberos illi commendat; nec ante redit, quam ipſi diſceſſerint. Apud Lucanos lege cautum erat, vt ſi quis Sole Occidente, diuertentes hoſpites notos, ignotosuè domo non acciperet, inhoſpitalis teneretur, multamque eo nomine penderet pecuniâ. Quin? vſque adeo ſancta apud Ethnicos hoſpitalitas ſemper fuit in precio habita, quod in tutela ipſius Iouis hoſpites potiſſimum eſſe dixerint, ideoquè Iouem Hoſpitalem appellauerunt. Quo ſpectat ille verſus Maronis. *Marc. Paulus* *Ælianus lib. 4 hiſtor.*

Iupiter,

Virgilius *Iupiter, hoſpitibus nam te dare iura loquuntur.*

Ioan. Magnus lib. 4. cap. 2. His adiungo, quòd Carolus, antiquus Gothorum, & Suetiorum Rex inter leges à ſe traditas conſtituit, vt Gothi, & Suetij inter ſe, & maximè in omnes aduenas, hoſpitalitatem ſeruarent, ſummumque nefas ducerent, quenquam tecto arcere. Vnde ſi quis per idoneos teſtes id tertio feciſſe conuinceretur, immiſſo igne, eius ædes incendebatur, ita vt propria domo ſpoliaretur, qui illius debitum proximo vſum denegaſſet: & hi quidem ſolo humanitatis intuitu, hanc hoſpitalitatis virtutem amplectebantur.

Adductis exemplis clariſsimorum hominum vtriuſque ſexus, qui tempore legis gratiæ hoſpitalitatis virtute præfulſerunt, variaque ob id à Deo præmia obtinuerunt, virtus hoſpitalitatis ſuadetur. §. IV.

INter clariſſimos, & piiſſimos viros, qui hoſpitalitatis ſollicitos ſectatores ſe exhibuere, primum refero ſanctum Syluestrum, qui (teſte Metaphraſte apud Suriū) Sur. 3. Dec. omnes peregrinos Romam venientes libēter excipiebat: menſam hilariter apponēs aqua pedes abluens, & ad quieſcēdum in ſtragulis eos collocans. Die 12. Sanctus Spiridion teſte eodem, ad labores iter facientium recreandos, cum iam eſſet Archiepiſcopus Cypri, erat adeò dexter, & officioſus, vt ipſe ſine famulis, menſam eis apponeret, pedes ablueret, aliaque officia humanitatis exhiberet. Sanctus Gregorius Nazianzenus, pietate inſignis qui teſte Gregorio presbytero Greg. presb. in vita Nazianzeni, pro peregrinis, & hoſpitibus excipiendis hoſpitalem domum, à fundamentis erexerunt. S. Hieronymus, qui in procemio ſeptimi libri Commentariorum in Ezechielem, S. Hieron. ita ſcribit: *Fateor me explanationes in Ezechielem multo ante tempore promiſiſſe, & occupatione de toto huc orbe venientiū implere non poſſe, dum nulla hora, nullumque momentum eſt, in qua non fratrum occurramus turbis, & Monaſtery ſolitudinē hoſpitum frequentia commutemus, ut tantum vt aut claudendum ſit nobis oſtium, aut ſcripturarum, per quas aperiendæ ſunt fores, ſtudia relinquenda.* Et in Apologia in Ruffinum: Idem in Ap. *Nobis in monaſterio hoſpitalitas cordi eſt; omneſque ad nos venientes læta humanitatis fronte ſuſcipimus; veremur enim ne Maria cum Ioſeph locum non inueniat in diuerſorio.* S. Goar presbyter, Sur. die 7. Iul. qui Authore Vandelberto Prumienſi monacho, paterno Aquitaniæ Prouinciæ ſolo deſerto ad Ripam Rheni, Eccleſiam cùm Monaſterio extruxit, diu noctuq; vacans orationibus, & hoſpitibus præcipui excipiendis. Quo charitatis officio tantam apud Deum promeruit gratiam, vt multis in vita, & etiam morte claruerit miraculis. Sanctus Sampſon, hoſpitum exceptor Sur. 27. die Iunij. dictus, qui (teſte Metaphraſte) licet genere clarus, ex Vrbe Romana, poſtquam Theologiæ, & Medicinæ operam dediſſet, Conſtantinopolim ſe contulit, ædeſque inibi extruxit pauperibus, peregrinis hoſpitio recipiendis idoneas, quos poſtea Sacerdos factus ſpiritualiter, & corporaliter iuuit. Sic S. Ruo, qui ex Iudice Eccleſiaſtico, Sur. die 19. Maij. moderator Eccleſiæ in minori Britannia factus, ſemper pauperes, vel peregrinos menſę adhibuit, totoſque nouem annos domi ſuæ virum quendam cum vxore, & quatuor liberis aluit. Sanctus Gregorius S. Greg. homilia 23. in Euangelia, hæc narrat his verbis: *Quidam paterfamilias cum tota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio ſeruiebat; cumque quotidie ad menſam ſuam peregrinos ſuſciperet, quadam die, peregrinus quidam inter alios aduenit, ad menſam ductus. Dumque paterfamilias ex humilitatis conſuetudine, aquam vellet in eius manibus fundere, conuerſus, vrceum accepit. Sed repente eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat non inuenit. Cumque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte Dominus per viſionem ei dixit: Ceteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti: ecce in iudiciū veniens, dicet: quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. Similia de ipſo ſancto Gregorio commemorat in eius vita Ioannes Diaconus: Ioann. lib. 2. cap. 22. *Tanta* (inquit) *hoſpitalitatis Gregorius in ipſo etiam Patriarchio permanſit, vt exceptis his, quos tàm per diuerſas Regiones, quàm Romæ quoque Longobardorum perfidiæ gladio fugientes, Eccleſiaſtica ſtipe miſericorditer nutriebat,*

bat, ad menſam ſuam quotidie peregrinos quoſlibet inuitaret. Inter quos die quadam vnus acceſſit, in cuius manibus, dum ipſe ex humilitatis miniſterio aquam fundere vellet, conuerſus vrceum accepit, ſed repente eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat, inuenire non potuit. Cùmque hoc factum ſecum ipſe miraretur, eadem nocte Dominus ei per viſionem d[illegible] Ceteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me in memetipſo ſuſcepiſti. Qua narratione non obſcure apparet, illum patremfamilias, de quo Diuus Gregorius in præcitato exemplo, ipſum ſanctum Gregoriũ extitiſſe, cuius nomen ipſe modeſtiæ cauſa reticuerat.

Sed audiamus quid de eiuſdem Gregorij hoſpitalitate commemoret idem Ioan. Diaconus eodem lib. 2. in vita illius c. 1. *idem Greg.* *Alio quoque tempore* (inquit) *idem Gregorius iuxta conſuetudinem ſuam præcepit ſacellario, vt duodecim peregrinos ad prandium inuitaret. Qui pergens iuſſa compleuit, & eos ad menſam pariter ordinauit. Dum autem ſimul diſcumberẽt, intuens Papa tredecim numerauit, & accerſito ſacellario, cur contra iuſſione ſuam, tertiumdecimũ inuitare præſumpſerit requiſiuit. Ille obſtupefactus conuiuãtes peregrinos curioſius numerauit, & duodecim ſolos inueniens, veluti ſecurus reſpondit: Crede mihi, honorabilis Pater, non ſunt niſi duodecim, ſicut ipſe iuſſiſti. Ergo dum conuictus ſepius duodecim identidem numeraret, ac tertiumdecimum, quem ſolus Papa videre poterat, non videret: animaduertit ſpiritualis pater Gregorius virum propius diſcumbentem vultus crebro conuertere, & nunc adoleſcentem, nunc verò vetulum veneranda quadam canitie ſimulare. Finito conuiuio, duodecim quidem abire permiſit: tertiumdecimũ verò manu ſuſcipiens, in cubiculum ſuum induxit, vehementer adiurans, vt ei ſe, nomenque ſuum ſimpliciter prodere dignaretur. Qui reſpondit dicens: Et cur interrogas de nomine meo, quod eſt mirabile? Verũtamen ſcito, memoria recognoſcens, quia ego ſum naufragus ille, qui quondam veni ad te, quando ſcribebas in cella monaſterij tui ad cliuum Scauri, cui dediſti duodecim numiſmata, & argenteam ſcutellam, quam tibi miſerat, cum infuſis leguminibus beata Syluia mater tua. Et hoc tibi pro certo ſit cognitum, quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuiſti, deſtinauit te Dominus fieri præſulem ſuæ Eccleſiæ, pro qua, & proprium ſanguinem fudit, & eſſe te ſucceſſorẽ, atque vicarium Apoſtolorum Principis Petri, cuius virtutem imitatus es, cùm ſubſtantias offerentium diuideres, prout cuique opus erat. Hæc audiens Diuus Gregorius dixit: Et tu quomodo noſti, quòd tũc me Dominus præeſſe Sanctæ Eccleſiæ deſtinarit? At ille inquit: quoniam ego Angelus eius ſum, & nunc ab eo ad tuum inquirendum propoſitũ deſtinatus. Tunc Gregorius, quia nondum manifeſtè viderat Angelum, prorſus expauit, ſibique hunc taliter dicentem audiuit: Ne timeas, neque formides: ecce enim remiſit me Dominus, vt ſim tibi cuſtos, quandiu fueris in iſto mortali ſæculo: quatenus quamcumque rem petieris, per me apud eũ fiducialiter valeas impetrare. Illico Gregorius in faciem ſuam corruit dicens: Si propter meæ paruitatis munuſculum tanta mihi retribuit omnipotentiſſimus Dominus, vt Pontificem me Sanctæ ſuæ Eccleſiæ faceret, & cuſtodem mihi ſuum Angelum deputaret, quanta putem mihi reſtitui, ſi in præceptis eius totis viribus permanens, plura ſtuduero de pluribus erogare?*

Tertullianus Carthaginenſis lib. 2. ad vxorem, Chriſtianis maximopere hoſpitalitatem antiquitus commendabilem profitetur. *Tertull.* Hoc & Baſſianus Ephæſinus Epiſcopus cum Epiſcopatu eſſet deiectus, agens cauſam ſuam coram Valẽtiniano, & Marciano Imperatoribus ſic à iuuenili ætate obſeruaſſe dicitur: & vixiſſe cum pauperibus, & ptochiam ideſt, locum ad recipiendos mendicos feciſſe, & in eo poſuiſſe ſeptuaginta lectos, & omnes languentes, & vlceratos hoſpitio ſuſcepiſſe. Hæc habentur, & leguntur actione ſecunda Concilij Chalcedonenſis. *Conc.Chalc.*

Venerabilis Beda libro tertio hiſtoriæ Anglicanæ cap. 6. hæc narrat de Oſualdo viro inſigni: *Vener.Beda.* *Sanctus Oſualdus Britanniæ Regni ampliſſimi culmine ſublimatus, quod dictu mirum eſt, nihilominus pauperibus, & peregrinis ſemper humilis, benignus, & largus fuit. Fertur enim, quod tempore quodã cùm die ſancto Paſchæ cum Aydano Epiſcopo conſediſſet, ad prandium; poſituſque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus regalibus epulis refertus, iamque eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, intrauit ſubitò miniſter ipſius, cui ſuſcipiendorum inopũ*

erat

erat cura delegata, & indicauit Regi, quia multitudo pauperum vndecunque adueniẽs maxima per plateas ſederet, poſtulans aliquid eleemoſynæ à Rege. Qui mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus iuſſit, ſed & diſcum confringi, atque iiſdem minutatim diuidi præcepit. Quo viſo Pontifex qui aſſidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquam inueterèſcet hæc manus. Quod & ita iuxta votum benedictionis eius, prouenit. Nam cùm interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cetero eſſet corpore reſecta, contigit, vt hactenus incorrupta perduret. Denique in Vrbe Regia, quæ à Regina quadam vocabulo Bebba cognominatur, loculo incluſa argenteo, in Eccleſia ſancti Petri ſeruatur, ac digno à cunctis honore veneratur; vt quam meritò id olim ab Epiſcopo prolatum fuerit, tam certus euentus teſtis etiam poſteris foret; & nemo vnquam dubitaret, ipſius animam fulgere in Cœlo, cuius corporis partem tot iam annos incorruptam permanere cerneret in ſepulchro.

Theodor. Anth. Hiepes

Theodoricus Apolia lib. 8. (vt refert eruditus Author Hiepes de var. hiſtor. diſcurſu 43.) commemorat, quòd cùm ſanctiſſimus pater Dominicus tres ex fratribus ſuis ſanctimonia, & doctrina inſignes in Hungariã, diſſeminandi Euangelij gratia miſiſſet: appropinquantes illi cuidam Caſtello, vbi diuinum verbũ publicè vniuerſo populo in Eccleſia congregato, prædicarent, ſingulis poſtmodum in proprias domos redeuntibus, ipſi, Eccleſia foribus clauſis, foras manſerunt, nemine ad hoſpitiũ eos inuitante. Accidit tamen, quod cum illos intueretur quidam pauperrimus piſcator, illorum miſertus, vxori ſuæ dixit, valde cruciari, quòd nihil ad manus haberet, quo poſſet reficere, & ad hoſpitiolum ſuum fratres illos Prædicatores inuitare. Illa reſpondit ſe tantum habere parũ milij, quod poſſet eis præbere. Maritus autem ſummopere inſtauit, vt conſuleret marſupium, ſi forſan aliquid pecuniæ inueniret. Vxor licet alioquin certo ſciret, nullam ibi adeſſe pecuniam, vt tamen viro ſuo pareret, manum miſit in marſupium & inuenit duos argenteos quibus ille emens panem, & vinum optimum, præparanſque paruos piſciculos, nec non miliũ, quod habebat, ad prandium fratres illos inuitauit; ac domi ſuæ perhumaniter excepit. Qui poſtquàm refecti fuere. Deum optimum deprecati ſunt, vt hoſpitem remuneraret, qui eius amore illos beneuolo animo, hoſpitio exceperat, & victum, & potum neceſſarium tribuerat. Exaudita ſanè fuit eorum oratio, quia ex illo die, quo fratres illos ſuſcepit, quoties in marſupiũ manum mittebat, duos argenteos inueniebat. Quo perenni miraculo omnia neceſſaria domui ſuæ, oues, & boues, vineas, & prædia nõ pauca emit. Quorum bonorũ vt ille heredem haberet, filiũ eis Deus dedit, qui in hæc bona ſuccederet. Tamdiu autem inuenri ſunt argentei illi, quamdiu opus fuit, vt omnia neceſſaria acquireret: ac tandem miraculum ceſſauit. quod & nouum beneficium meritò cenſeri debet, ne ſi ſuperflua bona ex continuatione illius miraculi acquireret, ſpirituale animi aliquod detrimentum pateretur.

Ad hæc, prima parte Chronic. Seraphici Patris Noſtri Franciſci lib. 1. cap. 45. refertur, quòd rediens in Italiam ex peregrinatione, quam confecerat ad ſepulchrum ſancti Iacobi in Compoſtella, quidam frater, eius ſocius, fame in itinere preſſus, ad vineam quandam diuertens, vuarum racemũ carpſit. Quod cuſtos vineæ obſeruans, ira percitus, ad eum perueniens, pallium illi abſtulit, nec precibus B. Patris noſtri Franciſci vllo modo acquieuit, vt illud reſtitueret. Quare opus fuit, vt ſimul in domum Domini vineæ ſe conferrent, à quo ita beneuole excepti fuere, vt præter pallium, quod ſtatim reſtitui fecit, ex eo die pollicitus eſt, omnes Fratres Ordinis Minorum illac tranſeuntes ſemper domi ſuæ hoſpitio fore recepturum: quod per totum vitæ ſuæ curriculum ita impleuit. Accidit autem, vt cùm ipſe è vita diſcederet, vxor eius ægre ferret, Fratres Minores non adeſſe funeri viri ſui. Ecce repente Eccleſiam, vbi corpus in feretro iacebat, triginta duo fratres, (cum tamen per totam circum Regionem nullum eorũ eſſet cœnobium) ingredientes, funeralia officia præſtiterunt. Quibus peractis, in momento temporis diſparuerunt, omnibus non immerito iudicantibus, vel diuinitus adductos fuiſſe fratres alibi commorantes, vel certe Angelos ſub fratrum figura ibi comparuiſſe. 1. p. Chronic.

Card. Baron.

Cardinalis Baronius tomo ſexto, anno Chriſti 475. hæc narrat: *Tempore Sydonij Epiſcopi*

Epiſcopi, magna Burgundiā fames oppreſſit: Cumque populi per diuerſas regiones diſpergerentur, nec eſſet vllus, qui pauperibus alimoniam largiretur, Etdicius quidam ex Senatoribus huius Sydonij propinquus, magnam tūc rem in Deo confiſus feciſſe perhibetur. Nā inualeſcente fame, miſit pueros ſuos cum equis, & plauſtris per vicinas ſibi Ciuitates, vt eos, qui hac inopia vexabantur, ſibi adducerent: At illi euntes, quotquot pauperes inuenire potuerunt adduxere ad domos eius, ibique eos per omne tempus ſterilitatis paſcens, ab interitu famis exemit. Fueruntq; vt multi aiunt, amplius, pluſquam quatuor millia promiſcui ſexus: Adueniente autem vbertate, ordinata iterum euectione vnumquenque in locum ſuum reſtituit. Poſt quorum diſceſſum vox ad eum e Cælis lapſa peruenit dicens: Etdici, quia feciſti rem hanc, tibi, & ſemini tuo panis non deerit in ſempiternū eo, quod obedieris verbis meis, et famem meā refectione pauperū ſatiaueris.

Cantipratan. lib. 2. cap 21. par. 2.

In ſpeculo exemplorum hoc mirabile exemplum lego: Fuit Romæ vir pius, & bonus, qui indifferenter homines religioſos, & pauperes ad hoſpitium inuitabat. Cōtigit autem eum confectum ſenio attenuari rebus temporalibus, qui quidē anguſtiabatur plus, quòd ſolitam hoſpitalitatem exercere non poſſet, quam quòd ad vſus ſuos ſufficientiam non haberet. Cùmque vna noctium, anxius pro talibus iaceret in lecto, ſemiuigilans audiuit vocem dicentem ſibi: vidi charitatem tuam, quā in exhibenda hoſpitalitate multo tempore infatigabiliter habuiſti, & per hāc ad vitam deueniſti pauperem. Volo ergo nō ſolum in futuro remunerare te, verum etiā in præſenti. Loquere illi diuiti, & de vinea tua, quæ melior eſt, cum vinea illius cōcambium facias. Ipſe libēter annuet verbis tuis: habita illius vinea, in medio illius aceruum fodias in profundum, & ſub eo reperies, quod Romanis copijs eſt inuiſum. Ad hanc vocem cum protinus homo non obediret, ſecundo, & tertio idem, quod prius vox diuina præcepit. Tunc ad diuitem veniens obtulit concambium vinearū. Cui diues: Libenter (inquit) id faciam, & quò melior vinea tua, mea tibi ſoluam? Cui pauper: Nolo ait, ſed æquo valore concambium fiat: & factum eſt ſic. Mox pauper communicato ſecreta rei conſilio filio, quem habebat, & duabus pariter filiabus, ad aceruum cum eis ſupradictū accedit in vinea, & incipiūt fodere cum ſpe magna. Cùmq; diù fodiſſent, nec adhuc effectus ſui ſignū aliquod inueniſſent, cæperunt patri ſuo filius cum ſororibus inſultare. Quibus pater, nullo (ait) modo poſſum credere, quod fruſtrabor aceruo. Igitur pater cū filijs viriliter inſiſtentes, tādem in profundo inter ingentes lapides, vas marmoreū plenum aqua, & in ore ipſius vaſis ollam vitream plenā balſamo, & in orificio ollæ vas paruū fictile, & in eo tres lapides precioſos, ſmaragdū, ſaphyrum, & carbunculum quantitatis non modicæ repererunt. Nihil ergo aquam in vaſe marmoreo reputantes, eam effuderūt, quæ mox, vt eſt effuſa, inſtrumenta ærea, quibus laborauerant, perfuſione continges, æris colorem in pulcherrimi auri ſpeciem cōmutauit. Erat autem aqua ex ſanguine, & carnibus baſiliſci in modū aquæ roſaceæ per eleuationem facta, qua ſolet ab Alchimiſtis aurum fieri ſophiſticatū. Sed hac aqua Deus noluit dicti viri innocentiam maculari, & ideo effuſa diſperijt: balſamo verò, cum debilitatus viſu, vſus fuiſſet, neſcius, quaſi cōmuni oleo per dies aliquot, recuperauit integerrimè viſum. Et poſt cognito per presbyterum ſuum, quòd eſſet balſamum, vendidit illud inæſtimabili precio. Et pro lapidibus quos inuēnerat, precioſis, pecunias copioſiſſimas, & multas accepit, factuſque diues, & inclytus glorificauit Deum, & poſt ſe filios, & nepotes ſuos multis copijs ditatos reliquit.

Idem Cantip.

Ex eodem ſpeculo lib. 2. c. 25. p. 13. hoc reperi. Quòd autē egeni hoſpitijs ſint inducendi, venerabili feminæ Adæ de Belometi tali miraculo demonſtratur. Recedente viro ſuo nobiliſſimo milite, nec vt ipſa exiſtimauit, diebus plurimis redituro, petens leproſus hoſpitium, receptus eſt. Illo ergo gemente, & cauſante debilitatem corporis fatigati, petit in lectum ſuauiſſimum ſe deponi. Domina autem nullum lectum habens Domini ſui meliorem, in eum leproſum hominem mox deponit. Nec mora, inſperato Dominus rediens, petit in thalamū intromitti. Diſſimulante ergo domina, coniecit ille aliquem eſſe in thalamo, & irruptione facta, hyemali tēpore lectum ſuum roſis fragrātiſſimis coopertū inuenit. Admiratus igitur, quærit, quid factū ſit, indicat vxor: nec mora, in laudem Chriſti, ambo cum lachrymis reſoluuntur.

Vincen. Belu.
Gothſc. Hol.

Vincentius Beluacen. cap. 21. art. 11. & Gothſcalc. Holen. ſer. 32. partis hyemal. narrant. Cùm Germanus Epiſcopus Altiſiodorenſis in Britannia prædicaret, die quodā

Regis Britanniæ palatiũ cum ſuis diſcipulis introiuit, & directo ad Regẽ nuncio pro vehementi frigore, & ſuperueniente nocte hoſpitium poſtulauit. Sed cùm Rex immitis cõcedere noluiſſet, Germanus cum diſcipulis ſuis ſubdio perſiſtens, niuem & grandinẽ patienter ſuſtinuit; iamq; veniẽte nocte ſubulcus Regis regreſſus à paſcuis, accepta in palatio præbenda ſua ad proprium tuguriũ redibat. Is cum S. Germanum conſpexit, vehementi frigore cum diſcipulis tabeſcentẽ; perſonæ dignitate permotus: Oro (inquit) quiſquis es domine, vt tibi, & ſocijs parcas, & veniens ad hoſpitiũ meum, officium paupertatis meæ ſuſcipias benigne. Cumq; Germanus ad eũ humiliter declinaſſet, porcarius ille vxorem ſuã monuit, vt vitulum vnicũ, quem habebat, occideret, & hoſpitibus cœnaturis apponeret. Poſt cœnam ergo Germanus mulierẽ euocat, iubetq; vt oſſa vituli diligẽter collecta ſub pellem eius ante matrem in præſepi collocet. Quo facto, vitulus ſine mora ſurrexit, matriq; conſtans, comedere fœnum cœpit. Tunc Germanus hoc audiens rogat hoſpites ſuos, vt ſaluo iure hoſpitij, hoc interim beneficium acceptarent. Facto autem mane, Germanus ad palatium regreditur, & Regẽ egreſſurum de palatio præſtolatur: exeunti feſtinus occurrit, & cur ei ſerò hoſpitium negaſſet? patienter inquiſiuit. Rex ſtupore defixus, & Sancti authoritate attonitus reſpondere non potuit. Tunc Germanus, egredere (inquit) & Regnũ meliori dimitte. Illo hæſitante, Germanus conſtanter cunctantẽ impellens: Egrediaris (ait) & ſicut Dominus definiuit, nequaquã deinde poteſtate regia abuteris. Rex autem poteſtatem cœleſtem in præſule reformidans, cum coniuge, & liberis indifferenter exiuit, & vlterius ingredi non præſumpſit. Tunc Germanus ſubulcum cum coniuge venire fecit, & vniuerſo ſtupente palatio Regem conſtituit. Ex tunc Reges ex ſubulci genere prodeuntes genti Britanniæ dominantur; Deo res humanas mirabiliter ordinante per beatum Germanum.

Matt. Timpij Matthæus Timpij in ſuo Theatro hiſtorico, hæc memoranda in idem argumentũ *Hiſt. Bonif.* narrat ex hiſtoria Bonifacij de rebus Hungaricis lib. 1. decad. 2. & ex Epiſc. Char- *Epiſc. Chart.* tuitio de vita Stephani: *S. Stephanus Pannorum Hungariæ Rex, & pater in Chriſto, quia gentem illam omnium primus ad Deũ traduxit; cum multa præclara miſericordiæ opera feciſſet, tandẽ ædificauit Romæ Collegium Canonicorum: domos quoque, & hoſpitia Pannonum ad eam Vrbem, quæ Eccleſiæ caput eſt, Religionis cauſa conuenientium, benignè conſtituit. Denique Conſtantinopoli Eccleſiam ædificari iuſſit, non paſſus imperatoriam Ciuitatem ſuæ manere liberalitatis expertẽ. Quadam verò nocte diuino inſtinctu ſolus, & nemine conſcio ad egentes conſolandos cum nummis ire conſtituit. Verumtamen à mendiculis pecuniam adorãtibus, atque ipſa occupandi cupiditate tẽtatis, nummos diſtribuenti, barba regalis indignè, temereque conuellitur. Dum enim Regem quiſque trahere nititur, iniurioſius ab vnoquoque vel impudenter, vel rapaciter expilatur. Ille gaudio incredibili lætitiaque perfuſus, ſe ad beatiſſimam Dei matrem contulit, humique ante ſacrum altare procumbens, his verbis exclamauit: Vide Cœli Regina, qualem honorem tui milites & homini habuerint, quem ipſa Regem creauiſti. Equidem ſi mihi ab aliquo Religionis hoſte hæc illata eſſet iniuria, tuo fretus auxilio, vlciſcendam, perſequendamque curaſſem: nunc à meis auidius, quam par eſſet, atque impudentius, peculiolas exigentibus hæc paſſus, mei ſimilis permanebo: non iraſcar, non indignabor: quippe cum ſciam his gradibus ad Cœlum aſcendi, me mutum, ſurdum, mancumque præbebo. Neque enim illa me Chriſti fugit oratio, ſuos diſcipulos conſolantis, & ad omnem caſum confirmantis: Capillus de capite veſtro non peribit. Promiſit etiam in liberalitatis propoſito ſe eſſe permanſurum. Non enim is erat Stephanus, quem ab inſtituto vitæ curſu iniuria vlla retardaret. Ergo huic Regi hoſpitali, benigno, miſericordique tributum à Deo eſt, vt eius mortui dextera manus per multos annos incorrupta perſtaret, quæ egentibus tam multa porrexiſſet, totque nummos ad Templi virginei, piorumque monumentorum, tum ſubſtructionem, tum ornatum ex æris deprompſiſſet. Stephani quoque pietati diuina bonitas dedit, vt in ferijs aſſumptæ Virginis, quas præcipuo ſemper honore coluerat, ex hac vita demigraret.*

Vtrumque ſecutus eſt Cœnobiarcha Theod. vt ad ſanctitatẽ, & vitæ perfectionẽ, plurimos erudiret, & indigẽtibus, quorũ numerus, ingens eſſe ſolet, neceſſaria ad victum ſuppeditaret. Erat ægrotantium, eſurientiũ, peregrinantium, frigentiumq;

com-

commune perfugiũm: charitate aduerſus hoſpites tanta fuit, vt vno die centies mẽſa poneretur: neminẽ excluſit, vel nauſea, vel horrore deuictus: deſpicatiſſimi quique apud Theodoſium lautè ſoliti ſunt dinerſari. Tribus hominum ordinibus totidem valetudinaria conſtituit: primum Religioſis: alterũ iјs, qui populariter viuũt, ſuntq; honeſtiores: tertium infimę ſortis hominibus. Monachis porrò ſenectute confectis locum attribuit, in quo à laboribus quieſcentes, leuationem ſuperioris vitæ certaminibus debitam inuenirent. Cùm aliquãdo in Deiparæ ferijs, ad quas celebrandas ingens multitudo conuenerat, ita eſſet à cibo imparatus, vt multos conuiuas vix vnus panis attingeret, non tamen deſpondit animum, ſed in eo ſpem omnem, fiduciamque defixit, propter quem erat in hoſpites liberalis: qui inopię tam larga manũ prouidit, vt panem augeſceret, ceteraq; cibaria creſcerent adeo, vt qui accumbebãt non modo ſaturarentur, ſed etiam multa de menſa auferrent, & domum comportarent. Qui autem prandij adminiſtratores fuerant, iјs etiã omnia abunde ſuperarunt. Quia enim mater illa clemẽtiæ ferias ſuas viderat agitari, & illã turbã, ac multitudinẽ ſanctiſſima Cœli, & terrę Regina coegerat, vt olim vinũ conuiuis; ſic iũ panem à cariſſimo filio ſuis hoſpitibus impetrauit.

D. Hieron. Ad extremũ, quæ D. Hieron. de inſigni illa femina Fabiola ſcribit, hic apponam. Ille tom. 1. epiſt. in epiſtola ad Octianum ait: *Omnem cenſum, quem habere poterat (erat autem ampliſſimus, & reſpondens generi eius) vendidit, & inde pecuniam congregatam vſibus pauperum præparauit; & prima omnium Xenodochium conſtruxit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus, atque inedia miſerorũ membra foueret. Quoties morbo regio, & pedore confectos, humeris ſuis ipſa portauit? quoties lauit putulentam vulnerum ſaniem, quam alius aſpicere non valebat? Præbebat cibos propria manu, & ſpirans cadauer ſorbitiunculis irrigabat. Ille, quem deſpicimus quem videre non poſſumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nobis ſimilis de eodem nobiſcum formatus eſt luto, iјſdem compactus elementis. Quicquid patitur, & nos pati poſſumus: vulnera eius exiſtimemus propria, & omnis animi in alterum duritia, elementi in noſmetipſos cogitatione frangetur. Non mihi, ſi linguæ centum ſint, ferrea vox, omnia morborum percurrere nomina poſſem, quæ Fabiola in tanta miſerorum refrigeria commutauit, vt multi pauperum ſani languentibus inuiderent: quanquam illa ſimili liberalitate erga clericos, monachos, ac virgines fuerit. Quod monaſterium non illius opibus ſuſtentatum eſt? quem nudum non Fabiolæ veſtimenta texerunt? in quorum ſe indigentiam non effudit preceps, & feſtina largitio? anguſta miſericordia eius Roma fuit. Peragrabat ergo inſulas, & totum Etrbuſcum mare, Volſcorumq; prouinciam, & reconditos curuorum litorum ſinus, in quibus monachorum conſiſtunt chori, vel proprio corpore, vel tranſmiſſa per viros ſanctos, ac fideles munificentia circuibat.* Hæc ille. His addo Tertullianum, qui memoranda quædam de Spiridionis hoſpitalitate commemorat, lib. 8. Eccl. hiſt. c. 42. ac alia de Mela lib. 11. cap. 38. ille enim tantum hoſpitalitatem diligebat, vt etiam tempore Quadrageſimæ cum nihil haberet hoſpitibus apponendum, non erubuerit carnes illis porrigere. Exemplum mirandnm, ſed non immitandum, niſi grauiſſima neceſſitas vrgeret. Mela autem, ita ſe hoſpitalitatis cultricem exhibebat, vt etiam ſuis infeſtiſſimis inimicis hoſpitium ſuum non denegaret. Addo etiam, quæ habebtur apud Gratianum in decreto d. 42. per totum, necnon, & inclytum Epiſcopum Sardicen. qui (id referente Euſebio Cęſarien. lib. 24. Eccl. hiſt.) elegantiſſimum librum ſcripſit de hoſpitalitate.

Tertul. lib 8. Eccl hiſt. c. 42 Idem auth. lib. 11. c. 38.

Gratianus in decret. d. 42. per totum. Epiſcop. Sardicenſ. Euſeb. Cæſar. lib. 14. Eccleſ. hyſtor.

Ex doctrina priſcorum Patrum hoſpitalitatis virtus ſuadetur. §. V.

Patres olim, ad ſuadendam hoſpitalitatis virtutem, multa præclara edixerem, ex quibus nonnulla ſeligam hic apponenda. Antiquiſſimus Origenes homil. quinta in cap. 19. geneſ tomo 1. ait: *Miſſi Angeli ad ſubuerſionem Sodomorum, cum iniunctum cuperẽt maturare negocium, curam prius gerunt hoſpitis Loth, vt eum de imminenti ignis excidio contemplatione hoſpitalitatis eximerent. Audite hæc, qui peregrinis clauditis domum: audite hæc, qui hoſpitem, velut hoſtem vitatis. Loth in Sodo-*

Origen. homil. 5. in cap. 19. geneſ. tom. 1.

*mis habitabat, alia eius bene geſta non legi-
mus, hoſpitalitas in eo ſola ex vſu veniens
memoratur. Euadit ignes, euadit incendia,
ob hoc ſolum, quod domum ſuam patefecit
hoſpitibus. Hoſpitalem domum Angeli in-
greſſi ſunt, clauſas hoſpitibus domos ignis*
Idem. *ingreſſus eſt.* Idem in lib. 1. Iob ait: *Talis
fuit beatus Iob, apud quem nunquam hoſpes
foris manſit: cuius ianua omni aduenienti
patuit, quem inualidi nunquam prætermi-
ſerunt rogare de ijs, quæ opus habuerunt: qui
non deſinit, nec permiſit pauperem exire de
domo ſua vacuum: ad cuius tõſuram, ouium
omnium pauperum ſcapulæ calefactæ ſunt.
Ob hoc enim, & iſtam multitudinem peco-
rum nutriuit, & maximam agriculturam
exercuit, vt plurimis impertiret, vt pluri-
mis benefaceret, vt plurimorum memor eſ-
ſet. Non os ſuum tantum, ſed vt multos
eſurientes ſaturaret, atque plurimos nudos
veſtiret, & multis miſerabilibus, atque in-
felicibus refrigeraret, & miniſterium eius
nimis copioſum, quod miniſtrabat hoſpiti-
bus, & infirmis miſerantibus deſtitutis, &
peregrinis, & pauperibus. Pro horum ergo
omnium ſuſceptione, puto quòd & in Cælo,
& in excelſis copioſum nimis habuerit mi-
niſterium. Plurimi miniſtrauerunt ei ſuper
terram, pro miſerorum ſuſceptione; ſed plu-
res miniſtrabant eì in Cælis cæleſtes Ange-
li, incorruptibiles eleemoſynas, atque bona
opera eius in memoriam coram Deo in Cæ-
lum deferentes, ſicut dictum eſt ad Corne-*
Act. 10. *lium: Orationes tuæ, & eleemoſynæ aſcen-
derunt ſurſum coram Deo. Atteſtantur au-
tem Angeli non ſoli Iob, ſed & omnibus, qui
ſimiliter, vt Iob eleemoſynas miſeris, ac be-
neficia infelicibus impertiunt.*

Idem lib. 9. in c. 12. ad Rom. elucidãs il-
Idem ad Ro. la verba Pauli. *Hoſpitalitatẽ ſectantes, &c.*
ait: *Quàm digne hoſpitalitatẽ ſectantis ma-
gnificentiam vno ſermone comprehendit: di-
cens enim ſectandã eſſe hoſpitalitatẽ, non il-
lud ſolùm oſtendit, vt venientẽ ad nos hoſpi-
tẽ ſuſcipiamus; ſed & requiramus, & ſollici-
ti ſimus, & ſectemur, ac perquiramus vbiq;
hoſpites, ne forte in plateis ſedeant, ne extra
tectum iaceãt. Recordare Loth, & inuenies,
quod non illum hoſpites, ſed ipſe quæſierit ho
ſpites, & hoc erat, hoſpitalitatem ſectari.*

D.Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus homil. 84. in
Matthæum ſic loquitur: *Zacchæi domum
cogitatione ingredere, & conſidera, cum
audiſſet Chriſtum apud ſe manſurum, quo-
modo eam ornauit. Non enim curriculo, ad
vicinos contendit, menſas, ſedes, ſubſellia
petens eburnea, nec extraxit è loculis laco-
nica quædam menſarum velamina; ſed or-
natu Chriſto gratiſſimo decorauit. Quod por
rò iſtud? dimidium bonorum meorum, Do-
mine, do pauperibus. Sic & nos, oro domus
noſtras exornemus, vt Chriſtum ſuſcipere
mereamur. Hæc pulcherrima portarum ve-
lamina: hæc in Cælis ſolummodo fiunt: ibi
texuntur: ibi Cælorum Rex habitat. Sic
Matthæus, ſic Centurio domũ ſuam eleemo-
ſynis ornauit. Vnde factũ eſt, vt vſque in ho
diernã diem fulgẽtiſſimam habitet regiam.*

Idem Homil. 15. ex varijs in Matthæũ Homil. 5. in Matth.
inquit: *Mulier illa Sunamitis pauper erat,
ad quam venit Helias in tempore famis,
quando totus ſiccitate penè aruerat Mun-
dus, & inopia ingenti tabefactis animanti-
bus victum negabat: quando Cælum æſtiuo
igne exaruerat: quando non herbæ, nõ flores,
neque vlla germina pullulabant. Tunc He-
lias vir, cui totus mundus erat inferior, ad il
lam inopem viduã venit. Quare ergo vir il
le, qui verbo ignẽ de Cælo eduxerat, non ſimi
liter ipſe ſibi panes depoſcit? numquid nõ po-
terat? vtique poterat. Sed nõ hoc fecit, ne pr̨æ-
parata ad bonum opus vidua hoſpitalitatis
mercedibus priuaretur; vt & illam modicã
pugillam farinæ, & ſtillicidium olei, more
Prophetæ ſuſcepti, viduæ domus multiplica-
ta benedictione rependeret. Nõ enim pro ſua
tantùm requie ad eam miſſus eſt Propheta,
vt ab inope paſceretur, quantum vt egentem
paſceret.* Deinde nonnullis interiectis hæc Idem.
ſcribit, valde notãda: *Illa ſimpliciter, quod
habebat confeſſa eſt, dicens: Viuit Dominus,
ſi eſt in repoſitione niſi hoc modicũ farinæ,
& exiguum olei. O rem laudabilem, quòd in
tanta eſcarum penuria, ipſum modicũ, quod
ei reſiduum erat, non denegauit. O deteſtan-
da, & inſatiabilis hominum auaritia: quan-
ti verò nunc, qui aurum, & argentum, ve-
lut lutum habent, cùm rogantur, vt indi-
gentibus opem præſtent, ſcripturas, et cautio-
nes ordinant: inſuper fideiuſſores, & inter-
uentores fœnoris commodati accipiunt. Il-
la autem paupercula noſtra ab vna voce,
quod poſtulata eſt, habere, non negauit pu-
gillum farinæ: & illa quidem necdum
Chriſtum loquentem, vt nos, audierat:
Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ
mercedem Prophetæ accipiet: & qui præ-
buerit ſitienti calicem aquæ frigidæ, non* Matth. 10.
perdet

perdet mercedem ſuam. Quod autem ait: feſtinas, docere illũ voluit, *prompto animo, & feruenti ſpiritu, & hilarem, & manu paratam ad boni operis effectum, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate præbentem: hilarem enim datorem diligit Deus.* 2.Cor. 9.

D. Chryſoſt. Rurſus, idem ſanctus Chryſoſtomus homilia 7. in Lucam, ſeu concione ſecunda de Lazaro, quædam tradit digna, vt aureis literis inſcribãtur, & ab omnibus memoria tenaciſſimè retineantur. Sic enim loquitur: *Diues Lazarũ in ſinu vidit Abrahæ: Hoſpitalitatis inſecutor erat Abraham, vt igitur arguatur diuitis inhoſpitalitas, propterea Lazarum cum illo videt. Ille etiam prætereuntes venabatur, & in domum pertrahebat ſuam: hic verò etiam intra domum, iacentem deſpexit. Cumque talem theſaurum haberet, ſalutis parandæ materiam præteribat quotidie: nec in quod oportebat, vſus eſt pauperis propinquitate: At Patriarcha præ foribus ſedens, introducebat prætereuntes omnes: & quemadmodum piſcator, iacto in mare rete, piſcem quidem attrahit, attrahit autem frequenter aurum, & margaritas: & hic itidem receptãs homines, piſcatus eſt tandem & Angelos: quodque meritis etiam inſciens, in quo &*

ad Hebr. vlt. *Diuus Paulus in huius laudibus dixit: ſectare hoſpitalitatem, per hanc enim quidam inſcientes, hoſpitio receperunt Angelos: ac rectè dixit, inſcientes. Nam ſi ſciens illos excepiſſet tanta cum humanitate, nihil magni, mirificè feciſſet; ſed eos credẽs, homines viatores, cũ alacritate vocauit intro. Abraham non excutiebat, quales eſſent prætereuntes, nec vnde venirent, quemadmodum & nos nunc facimus; ſed ſine delectu prætereuntes excipiebat omnes. Nam eum, qui præſtat humanitatem, non oportet expoſcere vitæ rationem, ſed inopiæ mederi: vnicum habet opus, patrocinium, pauper quo eget, ne quid ab illo, poſtules amplius. Sed etiamſi fuerit omnium improbiſſimus, & neceſſario victu eguerit, ſedemus eius famem. Ita enim Dominus dixit: eſtote ſimiles patris*

Matth. vlt. *veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Portus eſt in neceſſitate: omnes, qui in naufragium inciderint, excipit, liberatque, ſiue mali fuerint, ſiue boni. Tu proinde, ſi videris hominem, qui in huiuſmodi neceſſitatis naufragium inciderit, ne iudica, ne vitæ geſta examina, ſed medere miſeriæ. Liberabit te Deus omni tali ſollicitudine, & curioſitate. Cur ergo curas ſuperuacaneas nobis acceſſimus? aliud eſt Iudex, aliud, eleemoſyna largitor. Ideo vocatur: eleemoſyna, quòd eam etiã indignis damus. Vnde & Diuus Paulus dixit: quod bonum* ad Gal. 6.
eſt, facite erga omnes: maximè autem erga domeſticos fidei. Quare infidelibus etiam benefaciendum docuit. & Iob Abrahæ nepos aiebat: Oſtium meum iugiter patebat cuiuis aduenienti: non ſic huic patebat, vt alteri eſſet occluſum, ſed indifferenter apertum erat omnibus.

Diuus Gregorius in Euangelia homil. D.Greg.
23 agens de diſcipulis Emmaus, qui Chriſtum hoſpitio ſuſcipientes, illuminati ſunt ait: *Audiendo ergo præcepta Dei illuminati non ſunt: faciendo, illuminati ſunt, quia ſcriptum eſt: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* ad Rom. 2.
Quiſquis ergo vult audita intelligere, feſtinet ea, quæ iam audire potuit, opere implere. Ecce Dominus non eſt cognitus, dum loqueretur, & dignatus eſt cognoſci dum paſcitur. Hoſpitalitatem ergo fratres chariſſimi diligite: charitatis opera amate; hinc enim per Paulum dicitur: Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem ad Hebr. 13.
nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis. Hinc Petrus ait: Hoſpitales inuicem ſine murmuratione. 1.Pet. 4.
Hinc ipſa veritas ait: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Penſate fratres, quanta hoſpitalitatis virtus ſit: ad menſas veſtras Chriſtum ſuſcipite, vt vos ab eo ſuſcipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modo peregrino Chriſto hoſpitium, vt vos in iudicio, non quaſi peregrinos neſciat, ſed vt proprios recipiat ad Regnum. hæc ille. D.Matth. 25.

Sanctus Auguſtinus de verbis Domini ſermone 23. in Lucam. *Agnoſcite* (inquit) D.Auguſt.
hoſpitalitatem, per quam peruentum eſt ad Dominum: ſuſcipite hoſpitem, cuius & tu es comes in via, quia omnes, peregrini ſumus. Ipſe eſt Chriſtianus, qui & in domo ſua, & in Patria ſua peregrinum ſe eſſe cognoſcit. Patria noſtra ſurſum eſt, ibi hoſpites non erimus: nam vnuſquiſque hic, & in domo ſua hoſpes eſt: ſi non eſt hoſpes, non inde tranſeat. hactenus D.Auguſtinus. D.Hieron.

Diuus Hieronymus in epiſt. ad Titum cap. 1. ſcribit: *Epiſcopi domus omnium commune debet eſſe hoſpitium: laycus enim vnũ, aut duos, aut plures recipiens, implebit hoſpi-*

*talitatis officium. Epiſcopus niſi omnes reci-
piat, inhumanus ab eo ſcribitur. Hoſpita-
litas vero, quam Dominus remuneraturum
ſe eſſe aſſeruit, illa eſt intelligenda, quæ mem
bris Chriſti, tecto videlicet indigentibus,
& diuerſas neceſſitates patientibus exhibe-
tur. Proinde, ſtudendum ſummoperè Epi-
ſcopi eſt, vt cùm hoſpitalitatem ſubditis ha-
bendam prædicant, ipſi eam ante omnes pri
mùm factis adimpleant.*

D. Hieron. Idem Diuus Hieronymus in Epiſtola
ad Titum, ait: *Ante omnia hoſpitalitas fu-
turo Epiſcopo denunciatur; ſi enim omnes
illud de Euangelio audire deſiderant: hoſpes
fui, & ſuſcepiſtis me, quanto magis Epiſco-
pus, cuius domus omniũ commune eſſe debet
hoſpitium? Laycus enim vnum, aut duos,
aut paucos recipiens, implebit hoſpitalita-
tis officium, Epiſcopus verò, niſi omnes re-
ceperit, inhumanus eſt.* hæc Diuus Hie-
ronymus.

Dion. Richel. Dionyſius verò Richelius de vita Ca-
nonicorum, & aliorum Eccleſiaſticorum
ſcribens: *Timeant* (inquit) *Canonici, &
miniſtri Eccleſiæ, ſi non ſuſceperint hoſpi-
tio, & piè tractauerint pauperes, & men-
dicos: quid reſpondebunt, qui tales dedi-
gnantur penitus hoſpitare? quique vix ſuum*
Matth. 25. *panem, aut viles ciborum reliquias eis lar-
giuntur, cùm Dominus dicet: Hoſpes fui,
& non collegiſtis me? Quod in perſona ſuo-
rum membrorum, videlicet pauperum, &
indigentium dicet, non in perſona diuitum,
& potentium; quos tamen, & propinquos
ſuos ſuſcipiunt reuerẽter, tractant ſolẽniter,
precioſè, & lautè reficiunt, molliterque
cubant. Audiant hi, & formident, atque
implere conentur, quod Chriſtus in Euan-*
Luca 14. *gelio loquitur: Cum facis prandium, aut
cœnam, noli vocare amicos tuos, neque
cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne
forte & ipſi te reinuitent, & fiat tibi retri-
butio. Sed cùm facis conuiuium voca pau-
peres, debiles, claudos, & cæcos, & beatus
eris, quia non habent tibi retribuere; retri-
buetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.
Ecce aperta ſententia, ſaluberrimaque do-
ctrina. Verumtamen non ita intelligenda
ſunt iſta, quin Canonici, & ſacerdotes li-
cite poſſint interdum ex pia, & rationabili
cauſa hoſpitalitatem decentem diuitibus po-
tentibus, & præſidentibus, & cognatis im-
pendere. Quod tamen raro, & ſine exceſſu,
ac pompa agendum eſt, intentione ſincera,
ne derogetur pauperibus, & vera opera mi-
ſericordia relinquantur, in quæ conuertenda
ſunt bona, quæ Eccleſiaſticis ſuperſunt, quo-
niam Eccleſiaſtici redditus ſunt patrimoniũ
Chriſti, & eleemoſynæ pauperum ſtipendia.*

Sanctus Cyprianus Epiſt. 36 ad presby- S. Cyprianus.
teros, & Diaconos: *Viduarum* (inquit)
*& infirmorum, & omnium pauperum curã
peto diligenter habeatis; ſed & peregrinis,
ſi qui indigentes fuerint, ſumptus ſuggeratis
de quantitate mea propria, quam apud Ro-
gatianum compresbyterum noſtrum demiſi.*

Lactantius lib. 6. Diuinarum inſtitutio- Lact. inſt.
num. *Præcipua igitur virtus, eſt hoſpitali-* Luca 20.
*tas, quod Philoſophi quoque aiunt, ſed eam
detorquent à vera iuſtitia, & ad commodũ
rapiunt. Rectè* (inquit Cicero) *à Theo-* Cic. lib. 2.
*phraſto eſt laudata hoſpitalitas: eſt enim
(vt mihi quidem videtur) valde decorũ,
patere domus hominũ illuſtrium hoſpitibus
illuſtribus. Eodem modo rurſum errauit, quo
tum idoneis eſſe diceret largiendum.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus. *In* S. Greg. Naz.
*nouam dominicam peregrinum ne contem-
nas, pro quo Chriſtus, cuius nos omnes hoſpi-
tes ſumus, & aduenæ, peregre egit, ne para-
diſo, vt prius exturberis: egenti tectum, ci-
bum, veſtem ſuppedita, qui his ad luxum,
& vltra neceſſarium vſum oblectaris.*

Sanctus Ephrem in doctrina varia de S. Ephrem.
hoſpitalitate: *Non opus habetis, vt quid
ſcribatur vobis: noſtis enim hanc multis
virtutibus eſſe maiorem. Etenim hac Pa-
triarcha Abraham Angelos hoſpitio ſuſcepit.
Loth iuſtus, per eam in ſubuerſione Sodomæ* Gen. 18.
non perijt. Per hoſpitalitatem ſimiliter Ra- Ioſue 2.
*hab meretrix non interijt, cũ incredulos ex-
cepit exploratores cum pace: ait enim Do-* Matth. 25.
*minus: Hoſpes eram, & collegiſtis me: &
beati miſericordes, quoniam ipſi miſericor-* Matth. 5.
diam conſequentur. & in doctrina de perfe-
ctione Monachi: *De hoſpitum* (ait) *& pe-
regrinorum ſaturitate, cum Abrahamo dili-
gens ſtudium adhibeamus: de ratione indul-
gendi, & compatiendi fratribus, ſedulo in-
dagemus.*

Seneca tandem Moralis vitæ ductor, Seneca.
hæc ſcripſit. *Oſtende quam ſacra res ſit men
ſa hoſpitalis: præbe in facie tua legendum
iſtud decretum, quo cauetur, ne miſeros te-
cto iuuare capitale ſit. Magis iſta conſtitu-
tio, ſic erit rata, quam ſi illam in æs inci-
diſſem.*

Suade-

Suadetur hoſpitalitatis officium ex varijs vtilitatibus, & fru- ctibus tàm temporalibus, quàm ſpiritualibus, quos ex eius exercitio decerpunt illius ſectatores. §. VI.

INuitamentum eſt, conſideratio pia, quod rem noſtram agimus quotieſcunque ſuſcipientes hoſpitio peregrinum in terris, hoſpitio excipiemur, & nos à Deo in Cœlis; & quòd omnes hic aduenæ, peregrini, & hoſpites ſumus ſupra terram. Vnde magnus ille Rex libro primo Para-
1. Paral. 24. lipomenon ad Deum orabat, dicens: *Peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ ſunt*
Pſal. 83. *omnes Patres noſtri.* Et in Pſalterio: *Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei.* Et
1. Petr. 2. Sanctus Petrus in priori epiſtola: *Chariſſimi, obſecro vos, tanquam aduenas, & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſide-*
D. Ambr. *rijs.* Diuus Ambroſius libro primo, cap. quinto, *Omnes in hoc incolatu,* (inquit) *hoſpites ſumus; ad tempus enim habitandi habemus hoſpitium. Emigremus propere, caueamus, ne ſi nos duri, aut negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus, etiam nobis poſt vitæ huius curſum Sanctorum hoſpitia denegentur.* Et Sanctus Auguſtinus de ver-
D. Auguſ. bis Domini, ſermone 32. *Agnoſcite hoſpitalitatem, per quam peruentum eſt ad Dominum: ſuſcipite hoſpitem, cuius & tu es comes in via, quia omnes peregrini ſumus. Ipſe eſt Chriſtianus, qui & in domo ſua, & in patria ſua peregrinum ſe eſſe cognoſcit. Patria noſtra ſurſum eſt: ibi hoſpites non erimus; nam vnuſquiſque hic, & in domo ſua hoſpes eſt. Si non eſt hoſpes, non inde tranſeat: ſi tranſiturus eſt, hoſpes eſt. Non ſe fallas, hoſpes eſt: velis, nolis, hoſpes eſt; ſed dimittit illam domum filijs ſuis, hoſpes, hoſpitibus: quare? & in ſtabulo ſi eſſes, non alio veniente diſcederes? hoc facis & in domo tua. Ceſſit tibi locum pater tuus, ceſſurus es locum filijs tuis.* Ad hæc Theophy-
Theophyl. lactus ſuper Lucam hæc habet: *Ita Petrũ quia illum in nauim exceperat, remunerare volebat: bifariam enim ei benefecit, quia & multitudinem piſcium ei donauit, & diſcipulum ſuum fecit; ita decebat miſericordiæ opera copioſa mercede donari.*

Deinde hoſpitalitas plus prodeſt hoſpites ſuſcipienti, quam ſuſceptis. Nec mirũ quia *Saluator noſter apud Matthæum por-* Matth. 10.
rigenti calicem aquæ frigidæ, (inquit Ambroſius libro primo de Abraham, cap. 5.) *promittit cæleſtia præmia.* Et apud Lucam: D. Ambroſ. Luc. 16.
Facite (ait) *vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in tabernacula ſua;* quanto magis, qui potum, cibum, lectum, tectum, & viaticum præbent hoſpitibus, merebuntur Regnum Cœlorum? *Bona eſt hoſpitalitas* (inquit Diuus Am- Idem.
broſius) *habet mercedem ſuam, primum humanæ gratiæ, deinde, quod maius eſt remunerationis diuinæ.* Idem medium acutè exſculpſit Sanctus Chryſoſtomus homi- S. Chryſoſt.
lia 41. in Gen. ex verbis Abrahæ, quibus inuitat hoſpites, tum adhuc ignotos, dum ait: *Domine, ſi inueni gratiã in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum. Dicere enim: Domine* (inquit) *eſt captantium beneuolentiam. Dicere autem: ſi inueni gratiam in oculis tuis, hoc eſt admirabile. Beneficium* (inquit) *das, non accipis. Verè enim huiuſmodi res hoſpitalitas eſt, quæ magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet. Deinde varijs vtitur modis, vt precibus eos vincat, nempè geſtibus verbis, & operibus. Primo enim eos adorauit, tum dominos vocat, deinde extenuat res ſuas. Aquam enim tepidam, inquit, habeo ad lauandos pedes, & panem, & tectũ ab arbore. Scio quantus ſit caloris æſtus, ideò paululum vos refrigerare volo, qualem pater filijs tenerè dilectis exhibet benignitatem. Et quia magna alacritate venationem proſecutus eſt, prædam quoque inter retia concluſit. Nam reſponderunt: ſic fac, vt dixiſti, ſeni excitatus eſt iuuenilis vigor: In manibus, ait, habeo theſaurum: diuitias hinc ſumam, ſenectutis obliuiſcar. Et vide eum exultantem in opere, & quaſi præ gaudio ſaltantem, perinde atque multa bona manibus afferret; ita ſe oblectante.*

Ad hæc fructus alios ex hoc charitatis officio profectos, & à Spiritu ſancto in Scriptura ſacra notatos breuiter percurrit Diuus Ambroſius libro ſecundo off. cap. D. Ambroſ.
21. in hæc verba: *Abraham pro hoſpitalitatis mercede fructum poſteritatis recepit. Loth quoque nepos eius non ſolum genere, ſed etiam virtute proximus, propter hoſpitalitatis affectum Sodomitana à ſe, ſuiſque ſupplicia detorſit.* Et rurſus: *Iacob oues*

ada-

Digitized by Google

Idem lib. 1. de Abr. c. 5o. Geneſ. 29. *adaquauit, Rachel & gratiam reperit; & uxorem acquiſiuit. Vnius horæ hoſpitio vidua illa, quæ ſuſcepit Heliam, & exiguo* 3. Reg. 7. *cibo perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam de hydria farina deficeret.* 4. Reg. 4. *Heliſæus quoque defuncti pignoris reſuſcitatione donata, reſoluit hoſpitij penſionem. Et Dominus Ieſus in Euangelio eum* Matth. 10. *quicunque dederit hoſpiti potum aquæ frigidæ, cœleſtium aſſerit premiorum non exortem futurum.* Iſai. 58. Iſaias quoque Propheta cũ hortatus eſſet ad hoſpitalitatem præſtandam egenis, & vagis, mox ſubiungit: *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciẽ tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet. Clamabis, & dicet: ecce adſum.* Quæ verba expendens Sanctus Cyrillus Epi- S. Cyrill. ſcopus Alexandrinus, libro quinto Commentariorum in Iſaiam: *Maximam* (inquit) *emphaſim habet hæc oratio. Non enim dixit ſimpliciter: dabitur tibi à Deo lumen, ſed erumpet potius, inſtar fulguris cuiuſdam cum impetu, & curſu demiſſum à Deo. ex quo perſpicuè patet ſuppeditantis promptitudo, & alacre ſtudium. Nouit enim, nouit noſtrarum rerum cuſtos Deus, ſpiritualium bonorum largitor oportunitatem munificentiæ ſuæ ſingulis accommodã,* &c. Luc. 24. Certè lumen hoc erupit duobus Diſcipulis Emmaunticis, ſimul atque Chriſtum in hoſpitium traxerunt. Vnde Sanctus Auguſtinus cap. vltimo, libro ſecun- D. Auguſt. do quæſtionum Euangelicarum: *Quia hoſpitalitatem* (ait) *ſectati ſunt, eum, quem in expoſitione Scripturarum non cognouerant,* Ad Rom. 13. *in panis fractione cognoſcunt. Non enim auditores legis, iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Idem Sã- D. Gregor. ctus Gregorius in Euangel. homilia 23. *Menſam* (inquit) *duo Diſcipuli ponunt: panes, ciboſque offerunt, & Deum, quem in ſacra Scripturæ expoſitione non cognouerant, in panis fractione cognoſcunt. Audiendo ergo præcepta Dei illuminati non ſunt,* Ad Rom. 2. *faciendo illuminati ſunt. Non auditores legis, iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Quiſque ergo vult audita intelligere, feſtinet ea, quæ iam audire potuit, opere implere.* Luc. 19. *Ecce Dominus non eſt cognitus, dum loqueretur, & dignatus eſt cognoſci, dum paſcitur.* Rurſus: *Intrauit Dominus aliquando in domum Zacchæi, & excepit illum gaudens; ſed ſuo ingreſſu mox benedixit Dominus hoſpitio ſuo ac domui eius, inquiens: hodie ſalus domui huic facta eſt.* Et vt Diuus Ambroſius ponderauit, libro ſecundo, de Cain capit. 4. D. Ambroſ. *Excipiendo Chriſtum, excluſit auaritiam, relegauit perfidiam, renunciauit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Chriſtus, niſi vt vitia excludat.* Vide omnia vitia excluſa à domo Zacchæi, & Publicanum mirabiliter mutatum intrãte Domino, ait enim: *Domine ecce dimidium bonorum meorum* Luc. 19. *do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Hæc verba non Publicani ſunt, ſed Chriſtiani, & non cuiuſcunque, ſed magni, & iuſti: *Fugerunt crimina* (ait Ambroſius) *poſtquam Chri-* D. Ambroſ. *ſtus intrauit. Si domui Zacchæi ſic benedixit Dominus ad ſui introitum, dici non poterit, quàm abundanti benedictione, quàm copioſa benedixit Marthæ, & Mariæ, apud quas tàm frequenter ſuſcipiebatur, & tanta cura, tanta pietate, hoſpitalitas quę paſcebatur.* Felix Martha prouocatrix fidelium omnium ad pietatis, & miſericordiæ opera: ſuo enim exemplo prouocat ceteros ad expediendos peregrinos, ad alendos pauperes; cui iure dicere poſſumus cum Paulo: *Veſtra æmulatio prouocauit* 2. Cor. 9. *plurimos.* Sed multo felicior, propterea quòd Chriſtum Dominum non ſolum in domum excepit carne paſcendum, ſed potiſſimum in corde ſuo, & anima ſuſcepit, vt ab ipſo illuminaretur, paſceretur ſpiritu, & cœleſti beatitudine ditaretur, & repleretur. O quam rectè dixit Diuus Auguſtinus ſermone 171. *Nonne iſte eſt* D. Auguſt. *hoſpes, qui dicit: Ego ſto ad oſtium, & pul-* Apocal. 3. *ſo: ſi quis aperuerit mihi intrabo, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Quàm bona domus, vbi pater, & filius ingreditur hoſpes, amicus, qui & Spiritus ſanctus? ipſe ibi exhibet in officio, & hoſpitio puritatis diuerſa pulmentaria. Quæ ſunt iſta? Gaudium, Longanimitas, Continentia, Fides, Caſtitas. Ipſe ſibi portat dulcedines deliciarum, vt paſcat ibi lætantes exercitus Angelorum. Cum illo hoſpite pax eſt, & iucunditas, qui venit ad hoſpitem ſuum paſcere, & ſanare.* hæc Auguſtinus.

Ad extremum, ille ſpiritualitatis ſupremus, ac optimus eſt fructus, quòd ſicut canibus prædam, ita pauperibus, & peregrinis,

Amad. Prin. nis, quos alimus Cœlum venamur. Vnde Amadæus Princeps (vt refert Ioannes Ioan. de Crit. de Crit〈…〉a in ſua ſylua verbo *Eleemoſyna*) interr〈…〉tus à quibuſdam Oratoribus, qui cum e〈…〉rmonem conferebant, haberet ne canes ve〈…〉ticos? ille oſtendit eis mendicorum multi〈…〉dinem diſcübentium: *Hi ſunt* (inquit) 〈…〉*es mei, quos alo quotidie; quibus cæleſtem* 〈…〉*riam ſpero me venaturum, quia feneratur* 〈…〉*omino, qui miſeretur pauperes. Quid eſt ſem*〈…〉*ri,* (inquit Diuus Auguſtinus ſermone 14. de tempore, tomo decimo.) *maius dare* D. Auguſt. *& plus accipere. Nemo ſuperbiat, quia dat pauperi, Chriſtus pauper fuit: Melior eſt, qui ſuſceptus eſt, quàm ſuſcipiens. Ipſe* Matth. 25. *enim dicit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Qui fecit hominem factus eſt, quod fecit; qui fecit omnia, factus eſt inter omnia.*

Hiſtor. Eccl. Tandem libro ſeptimo Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum, mirabilem quendam hoſpitalitatis fructum lego, quem quidam Sacerdos Apollinis ex ea decerpſit. Hic quendam Catholicum Epiſcopum neceſſitatis cauſa ad eum declinantem hoſpitio recepit, poſt cuius receſſum dæmon, per cuius reſponſa Sacerdos venit, ſe per hoſpitem ſuum victum afferens, reſponſa dare renuit. Sacerdos dolens Epiſcopum ſecutus, ab eo literas obtinuit, in quibus continebatur, quod permitteret eũ ad locum ſuum redire, & facere ſicut conſueuerat. Sacerdos verò tantam videns virtutem, poſtmodum ab eodem Epiſcopo baptizatus eſt, & poſt mortem eius in Epiſcopatu ei ſucceſſit.

Varijs rationibus hoſpitalitatis virtus ſuadetur. §. VII.

Prima ratio. PRimo loco eam rationem ſatis notã appono: quia quotquot bona peregrinis, & hoſpitibus largimur, tot theſauros in Cœlo nobis accumulamus, quorum baiulatores, ſunt ipſi peregrini, de quibus ſcitè Sanctus Petrus Chryſologus Petr. Chryſol. ſermone ſeptimo, dixit: *Præmittamus fratres, theſauros noſtros in Cœlum: ſint vectores, pauperes, qui poſſunt ſinu ſuo, quæ noſtra ſunt, ad ſuperna portare. Nemo de fraude dubitet, baiulorũ tuta eſt iſta transuectio, per quam noſtra ad Deum, Deo fideiuſſore portantur.* Sanè diues timere poſſet committere ſibi deportanda, & transferenda in Cœlum bona ſua homini, qui nihil habet in terra, & quem ſcit deuotaturum omnia, quæ ſibi tradiderit. Ne timeas, nam inquit Diuus Chryſologus, *tuta eſt iſta transuectio: Deo fideiuſſore portantur.* Committis res tuas homini, quem cognoſcis, ſi adſit fideiuſſor, & vades ſecurus: vide Deum eſſe fideiuſſorem eorum, quæ pauperi committis. Hanc rationem eloquentiſſimè proſecu〈…〉 fuit Diuus Chryſoſtomus, homilia quin〈…〉 de pænit. & in illud Pſal. 38. *Vni-* D. Chryſoſt. *uerſa va*〈…〉*as*, obſeruans illud, quod ſcriptum eſt: *F*〈…〉*ratur Domino, qui miſeretur pauperi.* Id 〈…〉tem duplici de cauſa dictum conſiderat, 〈…〉 noſtræ Deus conſuleret auaritiæ. Primo 〈…〉im non dixit, *dat* Prou. 19. *Deo*, minus namque ben〈…〉 auarus verbum *dandi*, audit, ſed *fenerat*〈…〉 *Domino*. O *verbum ſapientiſſimum* (inqui〈…〉 D. Chryſoſtomus) *Scriptura noſtram auaritiam intuetur: nouit inſatiabilem cupiditatem noſtram reſpicere, & additamentum quærere. Non dicit ſimpliciter: dat Deo, qui miſeretur pauperis, quo non ſimplex datum, mercedemque ſimplicem putes; ſed: Deo feneratur. Is ergo debitor eſt nobis.* Secundo, ſecuritatem nobis tradere voluit eorum, quæ pauperibus contulerimus. *Quoniam* Idem. *vidit* (inquit idem) *noſtram auaritiam ab incremento pendere, & habentem pecuniã in ſtabili, & ſolido non feneraturum, nec velle fenerari: poſtulat enim fenerans hypothecam, vel pignus, vel æquipollens, atque per hæc tria pecuniam tradit, vel vades accipiens, vel hypothecas, vel pignus. Quoniã igitur, vidit Deus præter hæc fenerantem neminem, & clementia ſola neminem moueri, ſed lucro intentos ſolum habere animos, & pauperem horum omnium priuatũ, non hypothecam habentem, nihil enim poſſidet: nec pignus ferentem, nudus eſt enim: non æquipollens exhibentem, nihil enim ſibi inopea creditur. Vidit pauperem periclitantem, & diuites per ſæuitiam peſſum abire: medium ſeſe iniecit vadem, quippe pauperi pignus. Feneranti, dicit Deus, non credis huic per inopiam? mihi per diuitias crede: ſemetipſum dedit pignus, nihil habenti,* hæc Diuus Chryſoſtomus. Securè igitur D. Chryſoſt. pauperi committere potes bona tua, qui

Deum

Deum ipſum habens fideiuſſorem, & vadem. Immò vt optimè Beatus Ambroſius in Pſal. 40. & libro de Naboth cap. ſeptimo, proſequitur, *tua miſericordia, & eius, quod pauperi dediſti, & commiſiſti debitorem*. Quibus illa concinit Spiritus ſancti ſententia, omni annotatione digna: *Eleemoſina viri, quaſi ſignaculum cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit*. Vbi quamplurimi Codices legunt: *Quaſi ſaculus cum ipſo*, quomodo communiter legunt Sancti Patres. Qua metaphora oſtendit, quod vir faciens eleemoſynam potius ſibi repor[illegible] quàm det alteri. Quicunque iter [illegible]re-pturus eſt, ſecum defert saccu[illegible], aut peram, vbi quæ itineri age[illegible]o conducunt, tollat; incongruèqu[illegible] iter agitur ſine eo, præſertim ſi ager[illegible]um eſt, vbi nihil quis eſt inuenturus, [illegible] quod ſibimetipſi depoſuerit. Ita [illegible]xit illa: *Vir meus abijt via longiſſim[illegible] ſacculum pecuniæ ſecum tulit*. Ecc[illegible], quidnam ſit eleemoſyna, quam fa[illegible]s: Sacculus, quem tecum te portes. Acturus es iter, & per viam ambula[illegible]urus, per quam non regredieris, ſolum ea inuenturus, quæ tibi repoſueris; cum eleemoſynam facis ſacculum præparas, quem tecum in huiuſmodi itinere portes, iuxta illam Diui Ambroſij ſententiam: *Sola eleemoſyna comes eſt defunctorum: & id ſolummodo homo ad ſui ſolatium, & leuamen potabit moriens, quod viuens in pauperum ſubſidium contulerit*. Quibus fortè Chriſtus Dominus alludere voluit, quando dixit: *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt*, id eſt, qui non conſumantur, nec deficiant, neque exhauriantur, quos vobiſcũ poſſitis portare. Ceterum correctior lectio eſt: *quaſi ſignaculum*, aut vt in Græco habetur *quaſi ſigillum*, quomodo Regia legit, & non potuit meo iudicio melius explicari, quantũ ſibi homo ſecurũ conſeruet, quod pauperi dat: quantaq; cura Deus illud ipſi danti cuſtodiat. Nihil homo magis apud ſe retinet, quàm ſigillum, quod à manu ſua nunquã ſeparat, nec à digitis ſuis amouet, aut à ſuo conſpectu diuertit, vt in ipſa Scriptura ſacra videre licet. Nihil homo magis ſibi, & in manibus ſuis retinet, quàm eleemoſynam, quam dat pauperi. Inſeparabilis iam eſt à manu ſua, quantum eſt ex natura eleemoſynæ, ſiue viuat, ſiue moriatur, ſiue permaneat in Mundo, ſiue egrediatur. Omnia, quæ habes in domo tua recondita, non ita ſunt [illegible] manu tua, quin ab illa non ſeparen[illegible]r, ſiue per eorum corruptionem, ſi[illegible] per furtum, ſiue per tui mortem, in [illegible]ua omnia illa, quæ manu tenebas di[illegible]ttere neceſſum eſt. Id quod egregiè [illegible]ctus Iob dixit: qui poſtquam diui[illegible]n auarum deſcripſit dicens, habere [illegible]omum plenam, redundantemque [illegible]itijs, benè ſuo iudicio concluſam, & [illegible]curam: *Domus enim eorum ſecuræ, & pacatæ*. habere inſuper armenta copioſa, & greges quamplures, &c. *Sed quia non ſunt* (inquit) *in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit à me*. Quem locum egregiè ad hoc inſtitutum exponit Beatus Gregorius libro 15. Moralium, cap. 28. Quis recenſere poterit conſilia, diſcurſus, computa, rationes, & diſpoſitiones diuitum, erga ſuas diuitias? Quidam cogitant, ſicut ille, quem Chriſtus refert, apud ſe dicentes: *Deſtruam horrea mea, faciamque maiora*. Alij de augendis redditibus in locis tutis conſiliantur, qui cenſus grandi precio emunt, vt irredimibiles ſint, & perpetui. Alij cogitant vtilius emere villam, aut populum cum iuriſdictione, vt firmiores ſint diuitiæ. hacque in re videntur ſapientiſſime diſcurrere. Hos auſcultare videtur Sanctus Iob dum dicit: *conſilium eorum longe ſit à me*. quare? *quia non ſunt in manu eorum bona ſua*. Quantumcunque conſilientur, diſcernant, & modos quærant, quibus ſecuras ſibi faciant diuitias; nullatenus per talia conſilia id obtinebunt, quod bona ſua perpetuò in manu ſua teneant, tanquam domini eorum. Conſule, diſpone, ordina, præcaue quicquid volueris circa diuitias conſeruandas, retinẽdas, & augendas, nullatenus per talia iſta conſilia id comparabis, vt diuitias tuas perpetuò tibi in manu tua retineas: *Dormierunt enim ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis*. Dicit: *Somnum ſuum*, Id eſt, mortem ſibi ſtatutam, quam vitare nullus poteſt, eſt enim cuique hic ſomnus conſtitutus, quem dormiat; aut vt Diuus Ambroſius libro de Nabuthe, cap. 19. explicat: *Dormierunt ſomnum ſuum, quia huiuſmodi homines non Chriſti ſomnum dormiunt, & ideò non habent Chriſti quietem: nec ſurgunt*

Marginal notes: D. Ambr. — Eccl. 17. 18. — Prou. 7. — D. Ambroſ. — Luc. 12. — Iob 21. — D. Greg. — Luc. 12. — Pſal 75. — D. Ambroſ.

gunt Chriſti reſurrectione; quia ipſe ait: Ego dormiui, & quieui, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me; & quid factum eſt? & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum
Ibidem. *in manibus ſuis.* & ſequitur: *Omnes dixit,*
nullum excepit, & bene viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum, vt oſtenderet eos, non poſſeſſores diuitiarum eſſe, ſed à ſuis diuitijs poſſideri: poſſeſſio enim poſſeſſoris debet eſſe, non poſſeſſor poſſeſſionis. Quicumque igitur patrimonio ſuo, tanquam poſſeſſione non vtitur, quique largiri pauperi, & diſpenſare non nouit, is ſuarum ſeruulus eſt, non Dominus facultatũ: quia aliena cuſtodit, vt famulus, non tanquã dominus ſuis vtitur. In huiuſmodi ergo affectu dicimus, quod vir diuitiarum ſit, non diuitiæ viri.

Secundam rationem iam ſubiungo; quia reuera, cũ officia hoſpitalitatis præſtamus, non tam hominibus, quam Angelis, vel certe ipſi Chriſto ea impendi-
ad Hebr. 13. mus. Verba D. Pauli ſunt ad Hebr. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis* nempe Abraham, & Loth: & Chriſtus ipſe apud D. Matthæum omnibus ſaluandis
D. Matt. 25. dicit: *Hoſpes eram, & collegiſtis me:* & ipſi ſaluandi id fantur: *Quando te vidimus hoſpitem, & collegimus te?* ibidemque hæc ſubdit Chriſtus: *Amen dico vobis: quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Deinde iam ante dixe-
Matth. 10. rat: *Qui recipit vos, me recipit, & qui recipit me recipit eum, qui me miſit.* Vnde S.
D. Hieron. ad Pammach. Hieronymus ad Pammachium: *Diues erat Abraham auro, argento, pecore, poſſeſſione, veſtibus: tantam habebat familiam, vt ad ſubitos nũcios iuuenibus electis armare poſſet exercitum: & tamen poſt tam crebra hoſpitalitatis officia, dum non refutat homines, ſuſcipere meruit Deum.* & ad Nepo-
D. Hieron. epiſt. 2 ad Nepotianum. tianum: *Menſulam tuam pauperes, & peregrini, & cũ illis Chriſtus nouerint.* S. Am-
D. Ambroſ. broſius de officijs: *Vides quia Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit? Vides, quia Loth Angelos ſuſcepit? Quid ſcis an & tu, cum ſuſcipis hoſpitem ſuſcipias Chriſtum, cùm in hoſpite ſit Chriſtus, quia*
Matth. 25. *Chriſtus in paupere eſt, ſicut ipſe ait: In carcere eram, & veniſtis ad me: nudus eram, et operuiſtis me: hoſpes erã, et ſuſcepiſtis me.*
Lib. 1. de Abr. & lib. 1. de Abraham: *Vide primo fidei myſterium. Deus illi apparuit: & tres aſpexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt: nec ſine Filio Patrem ſuſcipit: nec ſine Spiritu ſancto Filium confitetur:* & S. Auguſtinus D. Auguſt.
in ſermonibus de tempore: *Diligenter* (inquit) *hæc audite fratres, qui hoſpitalitatem exercere non vultis, qui hoſpitem, velut hoſtem excipitis. Ecce beatus Abraham dum homines feruenter exciperet, ipſum Deum ſuſcipere hoſpitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in Euangelio Chriſtus confirmauit dicens: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Nolite ergo negligere peregrinos, ne* Matth. 25.
forte, quem non excepiſtis, ſit ipſe Chriſtus. Idem ſermone ſeptuageſimo: *Noli deſpicere peregrinum, ne forte, quem non exceperis, ipſe ſit Chriſtus.* Ac tandem Ioanne D. Greg.
Diacono id referente in vita S. Gregorij cap. 1. num. 22. & 23. ſæpe Chriſtus Domi- D. Auguſt.
nus ſub pauperis figura inter eos, quos ſanctus Gregorius ad hoſpitium inuitabat, Ioan. Diac.
comparuit, vt ſupra latius diximus.

Ad hæc: prædicta omnia cõfirmat illud Eccleſiaſtes vndecimo. *Mitte panem tuum* Eccl. 11.
ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum. Gloſſa ordinaria ſuper hunc locum, ait: *Per has aquas tran-* Gloſſ. ord.
ſeuntes, peregrinos intellige, qui ex vno loco ad alium tranſeunt: & ſemper ſunt, inſtar aquarum fluminis in quodam tranſcurſu. Originale Hebræum legit: *Mitte panem* Orig. Hebr.
tuum ſuper faciem aquarum (ideſt) *ſuper faciem terræ aquis irrigatam.* Certè feraciſſima, ac fœcundiſſima terra, eſt peregrini, & hominis pauperis facies lachrymarũ aquis madefacta. In hac ſemina panem tuũ, & magno cum fenore ſemen reddet. Vnde D. Hieron. in commentario huius lo- D. Hieron.
ci dixit: *Quomodo quis ſuper irrigua ſeminat, fructum ſementis expectat: ita qui largitur egentibus non granum ſeminis, ſed ipſum panem ſerit, fænore quodam multiplicationem ipſius præſtolans: & cùm dies Iudicij aduenerit, multo amplius, quam dederat recepturus.* hæc ille. Poſſumus etiam aliter in hunc modum eadem verba ſic explicare: *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas,* ideſt: mitte panem tuum in mare, vt in longinquam Cœli regionem nauibus deportetur, & poſt tempora multa cum efflaueris animam, inuenies illum. Sed quænam ſunt naues: quibus panis noſter deportatur? pauperes ſunt. Quemadmodum enim nauibus merces minoris precij in longinquas Regiones exportantur, vt cum alijs precioſioribus commutentur;

ſic

Digitized by Google

ſic pauperum manibus panis, pecunia, & eiuſmodi in Cœlum deferuntur, vt pro ijs parui precij rebus, in finiti precij gloria re tribuatur. Hoc Chriſtus docet, cum diuitem quendam ſic alloquitur. *Omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo.* Quaſi dicat: onera tuis diuirijs naues, ideſt, pauperes vt in cœlum viles opes deferant, & cum precioſiſſimo theſauro commutabunt. Solent naues mercibus onuſtæ ſæpe facere naufragium: at hæ naues, ideſt, pauperes, in portum ſemper ſaluis mercibus inuehūtur; quod enim pauperi dederis, Deus abſque dubio rependet. Quamobrem aureum Diui Chryſoſtomi os, vt opes ex terra in Cœlum hac tutiſſima nauigatione trāsferamus, homil. 48. in cap. 24 Geneſeos his verbis nos adhortatur: *Omnia faciamus, ne alibi, egeni ſimus futuri; nam quæ vtilitas in aliena regione multas diuitias relinquere, in Patria autem neceſſarijs carere? Itaque oro feſtinemus, dum adhuc tempus eſt, vt illuc transferamus etiam quæ in hac aliena habemus: Facilis tranſuectio eſt, ſecure illuc transferimus, & in theſauro indepredabili reponimus quæcumque per pauperum manus præmittimus.* hæc ille.

Luca 18.

D. Chryſoſt.

Tertiam rationem deſumo ex verbis illis regij vatis. Pſalm. 111. *Iucundus homo qui miſeretur, & commodat: diſponet ſermones ſuos in iudicio.* Titelmannus, ita illa explicat: *Benignus, ſuauis, & amabilis eſt tam apud Deum, quàm apud proximos, qui miſericordiæ vacat operibus. Primum quidem, ſui ipſius miſertus, deinde, & aliorum: qui quæ paratus eſt indigentibus commodare ſua, atque etiam largiri, vbi congruum viderit, vel neceſſarium de his, quæ accepit à Domino, paratus proximorum ſubleuare inopiam. Qui deinde ſermones ſuos vniuerſos, atque omnes operationes ita gubernat, ita diſpenſat, ita dirigit in iuſtitia, & æquitate, vt non loquatur, aut agat, niſi quæ iuſta, & æqua ſunt. Talis profectò in ſempiternum non conturbabitur à ſententia æternæ damnationis.* Eodem modo interpretātur hunc locum permulti alij Commentatores, cum beato Theodoreto. Alijs placet, quòd in verbis prioribus dicitur de iuſto, qui miſericordiam ſeruauit: *Iucundus, qui miſeretur, & commodat,* in ſequentibus vero: *Diſponet ſermones ſuos in iudicio,* laudatur à iuſtitia in eo, quòd quaſi-

Pſal. 111.

Titelmannus.

B. Theodor.

tus in iudicio in negocijs ciuilibus, & criminalibus, præmeditatus eſt verba, quæ dicturus eſt: ne temerè aliquid dicat, aut ſuis verbis, quemquam iniuſte lædat. Alij ad verſionem græcam attendentes, quæ non vertit: *diſponet ſermones*, ſed *diſponit rationes, & negocia,* putant, iuſtum laudari, quod cum multo iudicio, & maturitate res ſuas agat. Alij opinantur, tam in ſecundo, quàm in primo verſu laudari iuſtum à miſericordiæ operibus. Vnde aiunt, per verbum illud: *ſermones ſuos*, non ſignificari verba, ſed opera, iuxta illud, Lucæ 1. *Videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Illo etiam verbo: *in iudicio,* quod idem eſt, ac *iuſtitia*, putāt ſignificari eleemoſynam, quæ non ſemel in ſacra Scriptura appellatur *Iuſtitia*, vt videre eſt apud Danielem: nam vbi vulgata noſtra vertit: *Eleemoſynis peccata tua redime*. Originale Hebræū habet: *Iuſtitijs*. Noſtro tamen argumento inſeruientes, illa mihi videtur germana huius loci expoſitio, vt in eo Dauid enarret ſpiritualia præmia, & fructus, quos colligit, qui miſericordiā facit proximo ſuo: ſubueniens eius neceſſitati. Primò apponit velut præmium, iucunditatem, quod proprium eſt operantis ex habitu miſericordiæ: quia ſecundum Philoſophum 2. Ethic. ſignum habitus generati, eſt delectatio in opere. Deinde ſecuritatem comparendi ante Tribunal Chriſti in die iudicij; quia cum diuitiarum talenta ſibi commiſſa in pauperes, & peregrinos, & ſimilia alia miſericordiæ opera diſtribuerit, magna cum confidentia tunc aderit. Afferēs enim oleum miſericordiæ in lampade ſua ſecurus erit, ſe non auditurum: *clauſa eſt ianua, neſcio te, &c.* Vnde Chriſto interroganti de talentis ſibi commiſſis, alacriter dicet: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* Tu promiſiſti Regnum Cœlorum te daturum ei, qui te in paupere hoſpitio reciperet, ego te recepi: imple quod promiſiſti. Qui hoc modo præmeditatur, ſuis operibus reſponſurum Deo in die iudicij, hic ſanè mihi videtur, de quo Dauid ait: *Diſponet ſermones ſuos in iudicio*. Ne autem cuipiā videatur hæc noſtra expoſitio extorta, aut literæ parum, vel nihil conſentanea, prout hiſce auribus à quibuſdam audiui, authoritate grauiſſimorum Doctorū eam conſtabiliam. Nam in primis gloſſa ordina-

Græca verſ.

Luca 1.

Daniel.
Noſtra vulg.
Hebræū Orig.

Ariſt. 2. Ethi.

Matth. 25.

Ibidem.

Pſal. 111.

Gloſſ. ordin. ordinaria in Commentario huius loci ait: *Hæc facta ſunt ſermones, quibus defendetur in iudicio, quod non erit ſine miſericordia, quia miſericordiam facit. Hoc à ſimilitudine præmeditantis cauſam dicitur, vt eã firmis allegationibus, & accerſionibus in iu-* *Doct. Aymon.* *dicio præmuniat*. Sed clarius Aymon, qui in hunc modum loquitur: *Sermones ſuos, ideſt, opera ſua: Opera dico valitura in iudicio futuro. Per ſermones ideò accipimus opera, quia ſicut ſermones alicuius oratoris benè diſpoſiti defendunt reum in iudicio; ſic opera iuſti rationabiliter exhibita defendũt reum in futuro iudicio*. Eidem expoſitioni *Magiſt. ſent.* conſentit Magiſter ſententiarum, qui ſuper Pſal. 111. hæc ſcribit: *Diſponet, ideſt, diſponit ſermones ſuos, quibus defendatur in iudicio futuro, quia hæc facta ſunt, quaſi ſermones, quibus defendetur in iudicio: quod non erit ſine miſericordia, quia ipſe miſericordiam fecit; & dicitur hoc à ſimili alicuius præmeditantis cauſam ſuam, vt eam firmis allegationibus in iudicio muniat.* Eandẽ expoſitionem, & iiſdem ferè verbis tradit *Incognitus.* Incognitus, & Epiſcopus Chryſtopolita- *Epiſc. Chryſt.* nus. Nec mihi ei diſſentire videtur D. Hieronymus, ſed eandem potius aſtruere, dũ *D. Hieron.* ait: *Diſponet ſermones ſuos in iudicio, hoc eſt, Iudex ſuimetipſius eſt, ait apud ſemetipſum, Dñs dicit: dimittetur tibi ſi dimiſeris; ſi das dabitur tibi: quia ille, qui ſic ſe iudicat hic in præſenti, Deus illũ coronat in futuro.*

Vltima ratio. Finem his rationibus impono, eam ſolùm D. Ambroſij apponens lib. 1. de Abra- *D. Ambroſ.* ham dicentis: *Ad tempus, habitandi habemus hoſpitium, emigremus propere, caueamus, ne ſi duri, aut negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus, etiã nobis poſt huius vitæ curſum, ſanctorũ hoſpitia denegentur.*

Quibus circumſtantijs oporteat hoſpitalitatẽ exercere, vt gratior ſit Deo, & hominibus.

§. VIII.

INter has circumſtantias, illam non cõtemnendam primo loco appono; vt qui velit hoſpitem ad ſe diuertere, non ſolum eum roget, ſed etiamſi renuat, cogat: vti fecerunt duo diſcipuli in Emmaus profecti, cum Chriſto Domino. *Non ſola facilitas* *D. Ambr.* *ſuſceptionis* (inquit loco citato D. Ambroſius) *ſed etiam ſedulitas ſuſcipientis, & affectus in hoſpitalitate quæritur. Vtrumque ſe Abraham docet: cucurrit obuiam, rogauit prior dicens: Domine ſi inueni gratiam ante te, ne præterieris ſeruum tuum.* & D. Ioannes Chryſoſtomus homilia 45. *Ne-* *Geneſ. 18.* *que enim ſic admirabile erat, ſi ſuſcipiendo* *D. Io. Chryſ.* *hoſpites Abraham, curioſius exploraſſet, qui eſſent; ſicut nunc ignorans quinam aduenerint, tanta alacritate, & honore accẽdit, verbis ſuis, quaſi ſeruus bono eis vincula iniicit, & ſupplicat eis ne renuant.* De Chriſto verò ad hoſpitium coacto ita ſcribit S. Greg. *D. Gregor.* *Ex quo nimirum exemplo colligitur, quia peregrini ad hoſpitium non ſolum inuitandi ſunt, ſed etiam trahendi*. Id ipſum latè, & *Alber. Magr.* eruditè his verbis proſequitur Albertus Magnus ſuper Lucã: *Neque ſanè prætereũdus eſt ille viſitationis modus: Rogabat (inquit) ſunt namque peregrini, maximè verbum Dei annunciantes, vocandi adducendi: rogandi, attrahendi, & cogendi. Vocandi.* Lucæ 14. *Vocauit multos, & miſit hora* *Luca 14.* *cœnæ ſeruum ſuum, dicere inuitatis; vt venirent. Adducendi.* Geneſ. 43. *Introduc viros* *Geneſ. 43.* *in domum, quia mecum comeſturi ſunt in meridie.* Tobiæ 2. *Vade, & adduc aliquot de* *Tobia 2.* *tribu noſtra timentes Deum, vt epulentur nobiſcum. Attrahendi etiam ſunt violentis precibus, quaſi quibuſdam adiurationibus.* Gen. 18. *Domine ſi inueni gratiam in* *Geneſ. 18.* *oculis tuis, ne tranſeas ſeruũ tuum, ſed offeram pauxillũ aquæ, et lauẽtur pedes veſtri, ponamq; buccellam panis, & confortetur cor veſtrũ, & quieſcite ſub arbore, & trãſibitis. Cogendi etiam quandoque ſunt, ad inſtar Chriſti.* Lucæ 24. *Sic enim duo diſcipuli coegerunt illum dicentes: Mane nobiſcum* *Luca 24.* *Domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Neque verò tantum Chriſtum rogant, vt in ſuam domum diuerteret, ſed vt manducaret cum illis. Sunt qui præ foribus pauperes admittant, illiſq. eleemoſynã largiantur, aut eis mittant quod velint: & hi quidem benè faciunt. Sunt qui in domos recipiãt, & foueri iubeant: & hi melius faciunt. Sunt qui ad menſam, velut ſocios, & contubernales admittant: & hi optime faciunt. De primo ordine* 2. Eſdræ 8. *legitur:* *2. Eſdr. 8.* *Mitte partes his, qui non præparauerũt ſibi: De ſecundo* Tob. 31. *Foris non manſit pere-* *Tobia 31.* *grinus, & oſtium viatori patuit. De tertio* Geneſ. 43. *Ioſephi factum recenſetur.* *Geneſ. 43.*

Secunda circũſtantia eſt: ne declinet hoſpitalitatis officiũ propter inopiã, aut do-

D. Hieron. micilij anguſtias. Vnde S.Hieron.in Matt.
Matth. 10. ſcribens in verba Chriſti: *Quicumque potũ
dederit vni ex minimis illis calicẽ aquæ fri
gidæ tantùm in nomine diſcipuli: Amen di-
co vobis, nõ perdet mercedem ſuã.* ait rurſus:
*Poterit alius cauſari, & dicere: paupertate
prohibeor, tenuitas me retinet, vt hoſpitalis
eſſe nõ poſſim; & hanc excuſationẽ leuiſſimo
præcepto diluit, vt calicẽ aquæ frigidæ toto
animo porrigamus. Frigidæ (inquit) aquæ,
non calidæ, ne & incalida paupertatis ex pe
tia lignorũ occaſio quæreretur. Tale quid, et*
ad Galat. 6. *Apoſtolus ad Galat. præcipit: Cõmunicet au-
tem is, qui cathechizatur verbo ei, qui ſe ca-
thechizat in omnibus bonis. & diſcipulos ad
Magiſtrorum refrigeria hortatur. Quia po-
terat quilibet obtendere paupertatẽ, & præ-
ceptum eludere; priuſquam ille proponat, im
minentem ſoluit quæſtionem dicens: Nolite*
Ibidem. D.Chryſ. *errare, Deus non irridetur.* & D.Chryſ. in
acta: *Quomodo enim non abſurdũ, ſi milites
venerint, inueniri apud vos ordinata domi-
cilia, & omnia ſuppeditari eis, quia iuuant
vos in ſenſibili bello; hoſpites autem non ha-
bere vbi maneant? Habe domum, in quam
veniat Chriſtus. dic: hæc cellula Chriſti eſt:
cubiculum hoc ei ſegregatum eſt: licet humi
ſitum ſit, ac vile, non deſpiciet. Sit etiam in-
ter miniſtros fideliores hoc officiũ, vt cæcos,
pauperes, & tecti egenos introducat. Hæc di
co ad confuſionem: non oportebat quidẽ ſur-
ſum in domo illos recipi. Si autem non uis,
licet infra etiam, vbi muli, vbi miniſtri, ac-
cipe Chriſtum. Abraham vbi ipſe manebat,
ibi & hoſpites ſuſcipiebat, & vxor, vt ancil-
la ſtabat: illi autẽ, vt domini erant. Neſcie-
bat, quod Chriſtũ ſuſcipiebat, neſciebat, quod
Angelos. quod ſi quidem ſciuiſſet, erogaſſet*
Idem. *omnia:* hæc Diuus Chryſoſtomus qui & ſu
per cap. 12. ad Romanos homilia 21. in-
quit: *Noli ergo pecuniarum reſpicere ſum-
ptum, ſed ex ſumptu prouentum. Si enim
qui ſeminat, gaudet licet in incertum ſemi-
net; multò magis, qui Cœlum, quaſi agrum
colit. Nam ſic etiamſi dederis pauca, multa
dediſti; ſi verò, cum mæſtitia dederis, licet
multa, pauca feciſti.*

D.Cypr. Ad hæc D.Cypr. ſer. de eleemoſyna ele
ganter dixit: *Si vereris, & metuis ne ſi ope
rari plurimum cœperis, patrimonio tuo lar-
ga operatione finito, ad penuriam fortè re-
digaris, eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecu
rus: finiri enim non poteſt, quod in vſus Chri
ſti impenditur, vnde opus cœleſte celebratur.
Non hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de ſancta-
rum Scripturarum fide, & diuinæ pollicita-
tionis authoritate promitto. Loquitur per
Salomonem Spiritus ſanctus, & dicit: Qui* Prou. 28.
*dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem
auertit oculum ſuum ab eis, in magna penu-
ria erit. Quo oſtendit miſericordes, atque
bene operantes egere non poſſe.*

Tertia circumſtantia ſit omnino ſeruan
da: ne videlicet ſollicitus ſcrutator, &
explorator ſit meritorum hoſpitis, quaſi
ſolum putet, bonos excipiendos, malos au
tem reſpuendos. Ita annotauit D.Chryſo- D. Chryſoſt.
ſtomus in Geneſ. homil. 41. de Abraham:
vbi ait: *Ante tabernaculum ſuum in meri-
die ſedens, eos, qui præteribant, venabatur:
non curioſe explorans eos, qui præteribant,
neque requirens, an noti, vel ignoti eſſent;
neque enim hoſpitalitatis fuerit, diligenter
ſingula perſcrutari, ſed omnibus ſimpliciter
ſuam communicare benignitatem. Audia-
mus dilecti, & hoſpitio excepturi, nunquam
quæramus quis, & vnde. Nam ſi Patriar-* Idem.
*cha in rogando fuiſſet curioſus, fortè peccaſ-
ſet.* Idem etiam S. Chryſoſt. ſermone de D.Chryſoſt.
eleemoſyna, & collatione in ſanctos, hæc
habet. *Dicis: pauperes iſti fugitiui ſunt, &
peregrini, & nebulones, relictaque patria
ſua, in noſtram confluũt. Et tu hac ne de cau
ſa ſtomacharis, Ciuitatiſq; huius coronã præ-
cipuam vellicas, quoniã communem patriã,
& portum omnes eam putant, & alienã pro-
priæ præferunt? ne tantum præconium adul-
teres, ne principalem hanc patriæ laudẽ de-
curtes. Olim cum fames totum orbem inuaſu
ra eſſet, habitatores huius Ciuitatis hĩ, qui
Hieroſolymis erãt, per manum Barnabæ, &
Sauli ſubſidia miſerunt no parua. Qua ergo
venia digni erimus, quomodo excuſabimur,
cùm patres noſtri ſuis opibus pauebant eos,
qui à longè habitabãt, & ad ipſos currebãt;
nos verò etiam aliunde ad nos confugientes
fugamus, & vt de eis pœnæ ſumantur, pe-
timus? Quod ſi Deus ita diligenter nos ſcru
taretur, vti nos cauſam pauperum, nullam
vnquam miſericordiam, vel veniam aſſe-
queremur.*

Idem ſanctus Chryſoſtomus homilia Idem.
vigeſimaprima, ad Romanos inter alia
multa, quæ in hoc genere argumenti di-
cit, hæc ſcribit: *Ne igitur ſcruteris pau-
perum vitam atque negocia, nam extre-
mæ illud inſolentiæ eſt, pro vno pane to-
tam miſeri hominis vitam inquirere cu-
rioſe.*

rioſè. Nam etiamſi làtro ſi homicida, aut aliud huiuſmodi fuerit, nonne videtur pane dignus? & tamen Dominus tuus ſuper illum, Solem ſuum oriri facit, & tu cibo quotidiano illum priuandum iudicas? Ego verò addam, quòd etiamſi manifeſtè cognoueris, illum innumeris refertum eſſe malis, nec ſic excuſationem habeas ſi quotidiano cibo priuaueris illũ. Seruus enim illius eſt, qui dicit: neſcitis cuius ſpiritus ſitis. Famulus eſt illius, qui lapidantes ſe curare laborabat; immo & qui crucifixus eſt pro eis. hæc ille. Contra eos autem qui dicunt peregrinos, aut pauperes ſimulare paupertatem, hæc habet homil. 37. ad Populum

Idem. *Si pauper ſimulas, ex neceſſitate ſimulas, propter ſæuitiam, & in humanitatem tuam, quæ talibus pauperibus ſupplicantibus non flectitur ad miſericordiam. Quis enim tam miſer, & ærumnoſus, vt nulla premente neceſſitate pro ſolo pane velit ita detur pari, talemque pœnam ſuſtineret? Illius igitur ſimulatio fertur inhumanitatis tuæ præco; quia enim ſupplicans, & deprecans, & miſerabilia fundens verba: gemens, & plorans, totum circumiens diem, neque neceßariũ inueniebat alimentum; forte hanc artem excogitauit, non ſibi tantum quantum tibi dedecoris, & accuſationis inferentem: nam ille quidẽ miſericordiam inuenire dignus erat, quòd in tantam deuenit neceſſitatem; nos autem innumeris digni ſupplicijs, quòd pauperes talia cogimus pati. Si enim de facili flecteremur, numquam ille talia ſubire maluiſſet.* Ita ſanctus Chryſoſtomus.

Ad extremum, qui importuni peregrinorum, & aliorum pauperũ exploratores ſunt, perſimiles mihi videntur ſtulto ac inſipienti Nabal. Nam cum quidã ſerui Dauid defatigati ex longo itinere, ad illũ appropinquarent, dicentes:

1.Reg.25. *Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus. quodcumque inueneris manus tua, da ſeruis tuis, et filio tuo Dauid;* ipſe ſtultè explorare volens conditionẽ, & ſtatum Dauidis, hæc auſtera verba reſpondit: *Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui, qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi, tonſoribus meis; & dabo viris, quos neſcio vnde ſint?* At dices, Spiritus ſanctus, Eccleſiaſt.

Eccl.12. 12. ait: *Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari.* Non ergo indiſcriminatim boni, & diſcoli hoſpites ſunt admittendi, & conſequenter ſunt explorandi. Sed reſpondeo ex doctrina D. Aug. in Pſal. 102. ibi ſolum prohiberi recipi improbum, quia improbus eſt, quia *hoc nihil aliud eſſet* (vt ipſe ait) *quam diligere iniquitatem:* poteſt tamen, & quandoque debet improbus recipi, quia egenus eſt, & graui neceſſitate premitur. Fateor tamen, quod hoſpites meliotis opinionis, & maximè Eccleſiaſtici, & Religioſi præferẽdi ſunt alijs nõ ita probis, vt his verbis docuit D. Ambroſius lib. de offic. c. 21. D. August.

In officijs hoſpitalibus, omnibus quidem humanitas impertiẽda eſt: iuſtis autem vberior deferenda honorificentia: quicumque enim iuſtum receperit in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet, vt Dominus pronunciauit. D. Ambroſ. Matth.41.

Quare ſi certè conſtat hunc eſſe probum, illum verò improbum, nec poteſt niſi vnus recipi, ille admittendus, hic excludendus eſt, vt tradidit S. Ephrem in pareneſi par. 42. vbi ait: D. Ambroſ.

S. Ephrem. *Si quis dicat, rem bonam eſſe hoſpitalitatem; conſenſio et ego. At hoſpitalis vir imitari debet eũ, qui aurum in fornace probat, purumque ſibi accipit, improbatum verò deſpicit.*

Quarta circumſtantia ſit, ne expectet, vt hoſpes adueniens ab eo petat hoſpitio ſuſcipi; ſed ipſe, cum id fieri poteſt, præueniat illum ſuſcipiendũ, exemplo Abrahæ, de quo ſcriptura dicit:

Geneſ.18. *Cũque eleuaſſet oculos apparuerunt ei tres viri, ſtantes propè eum, quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorũ de oſtio tabernaculi.* Quæ verba S. Ambroſius lib. 1. de Patriarcha Abraham. D. Ambroſ.

Nõ ocioſus (inquit) *ſedet qui longè aſpicit, nec aſpexiſſe contentus, cucurrit obuiam. Feſtinauit occurrere, quia non ſatis eſt rectè facere, niſi etiã matures, quod facias: vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Diſce ergo, quòd impiger eſſe debeas, vt poſſis præuenire hoſpitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet copia.* D. Ambroſ.

& S. Ioann. Chryſ. in eadẽ verba: D. Io. Chryſ.

Currit (ait) *& volat ſenex: vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis ſuæ ratione habita, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilq; ruſticitatis, neque deſidia præſetulit, quaſi diceret: magnus theſaurus eſt, magna negociatio per memetipſum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Diſcamus & nos, ac imitemur iuſti virtutem.* Luc.14.

Quinta circumſtantia eſt, vt omni hu-

manitate, ſtudio atque animi alacritate
exceptum hoſpitem tractet. Vnde D. Chry-
D. Chryſoſt. ſoſtomus ita loquitur ſcribẽs in Acta Apo
ſtolorum: *Vide liberalitatem Abrahæ: vi-
tulum mactauit, fermentauit & farinam.
Audi & alacritatem: per ſeipſum, & vxo-
rem hoc facit. Conſidera etiam, quam alie-
nus eſt à faſtu: adorat, & obſecrat. Omnia
illa habere oportet hoſpitio excipientem; ala-
critatem, feſtiuitatem, liberalitatem: Hoſpi-
tis anima erubeſcit, & confunditur, ſi non
cum excellentia declaretur: gaudiũ abalie-
natur, & mox deterius fuerit, quam non eſ-
ſe ſuſceptam. Idcirco adorat, idcirco ſermo-
ni comi, & ſedili excipit. Quis idem facere
dubitarit; ſciens quòd ille hoſpitalitati ope-
ram dederit?* Auget virtutẽ Abrahæ, quod
non per famulos, ſed per ſe omnia huma-
nitatis, & humilitatis officia hoſpitibus
detulerit. Vnde S. Hieronymus ad Pam-
D. Hieron. Pammach. machium ſuper obitu Paulinæ vxoris. *Nõ
ſeruis, & ancillulis* (inquit) *imperabat, vt
miniſtrarent hoſpitibus; nec bonũ, quod exer
cebat, per alios minuit; ſed quaſi reperta præ
da cum Sara ſua humanitati ſolus incubuit.
Ipſe pedes lauit, ipſe pinguem vitulum por-
tauit humeris de armento: Stetit vt ſeruus
peregrinis prandentibus; & Sara manibus
coctos cibos ieiunaturus appoſuit.* & Diuus
D. Chryſoſt. Chryſoſtomus in Epiſtolam priorem ad
Timotheum: *Prætereuntes homines via-
tores (vt putabat Abraham) ſuſcepit ho-
ſpitio; neque tamen permittebat ſeruis om-
nia, ſed vxori miſcere farinam imperabat;
& quidem, cum trecentos haberet, decem, &
octo vernaculos, quorum vxores itidem ha-
buiſſe famulas, dubium non eſt. Sed ipſe cum
vxore mercedem ſibi comparare feſtinat, nõ
impenſa tantum, verum miniſterij quoque.*
Tandem hoſpiti nequaquam aſpera ver-
Eccl. 21. ba dicenda ſunt, iuxra illud Eccleſiaſt. 21.
Non exaſperes pauperem in inopia ſua.
Sexta, & vltima circumſtãtia ſit, vt fru
gali, & obuio cibo hoſpitem recreare, non
exquiſitis epulis, & lauto conuiuio illum
ſaturare ſatagat. *Non opes* (inquit Diuus
D. Ambr. Ambroſius) *à te hoſpes requirit, ſed gratiã:
non ornatum conuiuium, ſed cibum obuium.
Prou. 15. Melior eſt* (inquit Salomon) *hoſpitalitas
cum oleribus ad amicitiam, & gratiam,
quàm ſi vitulos occidas ad præſepia cum
inimicitijs.* Hæc eſt grata omnibus, & ac-
Matth. 10. cepta Deo. Vnde Dominus Ieſus in Euan-
gelio, cum quicumque dederit hoſpiti po
tum aquæ frigidæ; cœleſtium aſſerit pre-
miorum non exortem futurum. S. Baſilius D. Baſil.
etiam in Regulis fuſius diſputatis, poſita
quæſtione: quæ ratio ſit Monachis tenen-
da in accipiendis hoſpitibus? reſpondet
primo, Monachos non decere, vt appo-
nant exquiſitas epulas hoſpitibus, & rem
eſſe praui exempli: ſiue illi, Monachi ſint
ſiue ſæculares. Illis enim ſufficit domeſti-
ca menſa; hi verò diſcunt formam vitæ fru
galioris, & ſi tractatio non placeat, haud
facilè redibunt. Secundo, Martha à Domi- Luc. 10.
no reprehenſa eſt, quòd ſollicita eſſet cir-
ca plurima, nempe fercula paranda. Chri- Ioan. 6.
ſtus quinque hominum millibus fruga-
lem menſam poſuit. Salomon in prouer- Prou. 30.
bijs poſtulat tantum ſibi tribui victui ne-
ceſſaria. Tertio ait, in communi hoc ſta-
tuendum eſſe, vt cibaria quæ promiſcuè
omnibus apponuntur, eiuſmodi ſint, quæ
cum vili precio, tum paruo etiam negocio
comparentur, omniumque neceſſitati ſa-
tisfiat; ſeruata ſimul omni munditia men-
ſæ, & elegantia. Sic B. Ephrem in doctri- B. Ephrem.
na varia: *Monache* (inquit) *ſi acceſſerit
ad te Monachus, ſiue ſæcularis quiſpiam;
noli ſuprà vires offerre te ei, ne poſt fratris
diſceſſum doleas de bonis inſumptis apud
fratres tuos; ſed appone quod tibi Dominus
largitur. Melius eſt enim apponere olera
cum charitate, quàm victimas cum triſti-
tia: hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.
Quòd autem Monachus in aduentu hoſpi
tum de ſeueritate conſueti ſui ieiunij re-
laxare aliquid poſſit, ad recreandum
hoſpitem, docet B. Proſper lib. B. Proſper.
2. de vita contemplatiua
c. extremo. & Ioan-
nes Caſſianus Ioan. Caſſian.
collatio-
ne
21. cap. 14. & 24. & collatione
vigeſimaquarta cap.
20. & 21.

Homilia XXVII.

Aurea apponitur catena hodierni Euangelij ex doctrina Sanctorum Patrum, & ex alijs à nobis excogitatis contexta; quæ tam litteralem, quam moralem illius ſenſum amplectitur.

Lucæ 10. Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum. §. I.

D.Anſelm.& Innoc. III. Quamuis D. Anſelmus, & Innocentius III. ſermonibus de aſſũptione, myſtice loquẽtes, videantur per Caſtellum, intelligere arcẽ, quæ figuram, & typũ Deiparæ Mariæ gerat; aſſerere tamen in ſenſu litterali, prout quidam indoctè aſſeruerunt, per Caſtellum arcem ſignificari, quod *Magdalum* appellabatur, vnde Mariæ cognomentum fuit Magdalenæ, & ſapientes ad riſum prouocauit, & hæreticis calumniandi occaſionem præbuit. Nam certe Caſtellum hic idem eſt, quod pagus, aut oppidum, non arx, quæ in ipſo oppido ſita eſſet. Erat autem illud Caſtellum
D.Ioann. Bethania, vt conſtat ex D.Ioanne cap. 11. & 12. quæ & diſtabat ſtadijs quindecim ab Hieruſalem, vt ibidem habetur. Quòd verò dicitur, Caſtellũ illud eſſe Marthæ, & Mariæ, non ex eo dictum putari debet, quod ipſæ eſſent Dominæ illius Caſtelli, ſed quod in eo habitarent, quemadmodũ
Ioann.1. Bethſaida dicitur Ciuitas Petri, & Andreæ: Ioann. 1. non quòd Domini, ſed quòd habitatores illius ipſi eſſent: maximè, quia nullibi legitur, Iudæum vllum præſertim tempore, quo Romani dominabantur, vllius oppidi Dominum fuiſſe. Ac tandem, quod nonnulli in dubium vertũt, an ſolus Chriſtus intrauerit in illud Caſtellum, non verò Diſcipuli, quia D.Lucas
Lucæ 10. ait: *Factum eſt, dum irent, & ipſe intrauit in quoddam Caſtellum:* per quæ verba ſignificari contendunt, quod ſolus ipſe intrauerit. Certè veroſimile non eſt, ipſum diuertiſſe ad cibum capiendum abſque diſcipulis, qui illum comitabantur. Dicitur ergo, ipſum intraſſe, non ad excludendum quod illi intrarint; ſed quod ipſe ſolus cogitarit in eum locũ diuertere, quia cũ vel Caſtellum illud non eſſet recta via, vel certe nõ videretur tunc tempus diuertẽdi, alij de eo cogitare non poterant. Sed ad Patres iam accedamus myſticam eorum interpretationem in medium proponentes.

D. Bernardus ſerm. 5. de aſſumpt. ait: D.Bernard.
Quod eſt autem hoc Caſtellum, niſi cor humanum, quod priuſquam Dominus ad illud veniat, cupiditatis foſſa vallatur, muroque obſtinationis clauditur, atque in interiori ſua latitudine Babylonica turre erigitur. Tria certè in omni oppido ſunt maxime neceſſaria: victualia, quibus incolæ illius ſuſtententur: munitio, qua protegantur: arma, quibus hoſtibus reſiſtant. Sic ergo, & huius Caſtelli incolæ victum habent, voluptatem corporis, & ſaculi vanitatẽ, quibus paſcuntur: habent, & qua teguntur, proprij cordis duritiam, vt verbi Dei ſagittis potentibus vix, aut nunquam penetrari valeant. Accincti ſunt armis, carnalis ſcilicet ſapientiæ argumentis, quibus contra hoſtes repugnant. Vnde ſcriptum eſt: Filij huius ſæculi pruden- Lucæ 16.
tiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. At verò Chriſto viſitante, & intrante, Caſtellũ hoc euertitur, & pro eo, nouum aliud pulchrum, ac ſpirituale conſtruitur: impleturq; quod dicitur: Si qua in Chriſto noua creatu- 2. Cor.5.
ra, vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia noua. Sublata quippe cupiditate, expanditur ingens ſinus deſiderij, vt ad eius aduentum multo magis anhelet mens ad cœleſtia, qua prius terrenis incubuerat. Iam ponitur murus continentia, antemurale patientiæ. Surgit autẽ hoc corpus à fundamento fidei, & creſcit per dilectionem proximi vſque ad charitatem Dei, quæ eſt in ſuperiori tabulatu, & in propugnaculis eiuſdem muri: quia nimirum tunc perfecta eſt virtus continentia, quando in vnitate fidei cum proximis communiter viuentes, non ſupplicij metu nec humana laudis appetitu, ſed ſolo diuini amoris obtentu, à peccatis nos continemus. hæc ille.

D.Anſelmus ſermone de aſſumptione: D.Anſelm.
Quid (inquit) *ad gloriam Dei Genitricis lectio iſta pertineat, vt in feſtiuitate eius, legatur*

legatur, ad laudem eiuſdem Virginis, & matris Ieſu, humiliter aggredior ſcribere. Licet ergo Caſtellum alias malum ſignificet, vt illud, de quo dicitur: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, tamen hoc caſtellum, in quo intrauit Ieſus ſingularem, intemeratam
Matth.21. *Virginem eiuſdem Ieſu genitricem, per ſimi*
Machab. 11. *litudinem accipimus. Caſtellum enim dicitur quælibet turris, & murus in circuitu eius, quæ duo ſeſe inuicem defendunt, ita vt hoſtes per murum ab arce, & à muro per arcem arceantur. Huiuſmodi ergo caſtello non incongruè Virgo Maria aſſimilatur, quam virginitas mentis, & corporis, quaſi murus ita vndique vallauit, vt nullus vnquam libidini ad eam eſſet acceſſus, nec ſenſus eius aliqua corrumperetur illecebra. Et quia virginitatem, cum libido non poſſit, ſolet impugnare ſuperbia, eſt in eadem Virgine turris humilitatis, quæ à muro virginitatis omnem repellit ſuperbiam. Et quia humilitatem, cum ſuperbia non poſſit, ſolet impugnare libido, murus virginitatis à turre humilitatis omnem repellit libidinem. Itaque hæc duo, murus videlicet virginitatis, & turris humilitatis ab alterutro ita muniuntur, vt nunquam in humili Virgine fuerit, nec ſuperba virginitas, nec inquinata humilitas. Singulare Caſtellum fuit Virgo Maria: quamuis enim & multæ aliæ murum virginitatis habeant, & turrim humilitatis; ideſt, & humiles ſint, et Virgines; tamen, & ſalua virginitate matres eſſe non poſſunt, neque filios generare, quod dicta ſola fecit: ideo Caſtellum hoc merito, quoddam, ideſt, ſingulare dicitur, quia iſta ſingulariter, & mater, & virgo, quod nulla alia eſſe potuit, vel poterit, eſſe meruit. Verùm concedamus, aliquam, & matrem eſſe, & virginem, quamuis per naturam ſit impoſſibile, etiā ſic Virgo Maria ſingularis erit, quia vnicum Dei filium genuit, qui ſicut eſt vnus vnico patri, ita & vnicus vnicæ matri; & ideo etiamſi virgo pariat, nulla vel eundem, vel talem generabit filium. Eſt ergo Caſtellum quoddam, in quod intrauit Ieſus, porta verò, per quam intrauit, eſt fides: quia enim credidit, perfecta ſunt à Domino quæ & ab Angelo dicta ſunt, ſicut ait ad eam Eliſabeth. Nec quia Ieſus intrauit*
Luca 1. *Caſtellum hoc violatum eſt: Ieſus enim ſaluat, non violat: confracta ſolidat, non confringit ſolida, ſecundum enim nomen eius, ita & opus eius.* hactenus D. Anſelm.

Summus Pontifex Innocentius III. ſermone primo de aſſump. verſās hæc verba: *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum*, poſtquam dixerat myſtice loquens: *Caſtellum* Innoc.3.
illud quod intrauit Ieſus eſt Virgo Maria, quando verbum caro factum eſt, quærit quomodo verificetur, quod verè intrauerit in vterum Virginis. *Nam* (inquit) *ſecundum diuinam naturam non intrauit, cū intus iam eſſet, propter ſuam immēſitatem; quod autem intrat de foris venit: non ergo intrauit inquantum Deus. Non etiam intrauit ſecundum naturam humanam; nec enim Virgo quippiam ab extrinſeco agente in vtero ſuo recepit, ſed concepit interius ex Spiritu ſancto virgo manens: nō ergo intrauit in eam in quantum homo* reſpondet, quod *cum ſecundum Philoſophos, initium exiſtendi, ingreſſus in ſubſtantiam appellatur, quacumque res habet initium, habet pariter ingreſſum: Vnde cùm Verbum Dei ſecundum humanitatem aſſumptam incœperit eſſe in vtero virginali, profectò ſecundum eandem intrauit in illum, non de foris veniens, ſed intus aſſumens.*

Ad hæc, vt expendamus verbum illud: *Intrauit Ieſus*, obſerua frequens eſſe in ſacris litteris, dicere Deum intrare, cum præclarum aliquod opus patraturus eſt. Intrauit Dominus in Ciuitatem, templum purgaturus: intrauit in conuiuium, vt hominem veſte nuptiali non veſtitum à con- Ioan. 18.
uiuio excluderet. Sic nunc intrat in
Caſtellum Marthæ, vt ſupremo ſuo magi- Matt.22.
ſterio, vitam actiuam, & contemplatiuam approbaret, & hanc illi præferret. Arbitror autem, non vocatum intraſſe, vt ſatis indicat Euangeliſta: vt inde intelligamus, tantam eſſe diuinæ miſericordiæ magnitudinem, vt nullis noſtris præcedentibus meritis nos adiuuare dignetur. Vnde Apoſtolus ait, Iacob dilexiſſe, antequam quidquam boni faceret; & 1.Regum 19.legimus, Saulem quærentem aſinas in Re- Rom.9.
gem elegiſſe, & Dauidem paſcentem oues 1.Reg.19.
ad culmen regiæ dignitatis erexiſſe.

Tandem (licet obiter id dicam) cum de Chriſto dicatur, quod ambulabat per Caſtella, & D. Lucas teſtetur in præſēti Euāgelio, quod *Ieſus intrauit in quoddam Caſtellum*, vbi præclara vitæ docu- Luca 10.
menta Mariæ, & Marthæ præbuit, volens prius eas paſcere, quàm ab eis paſceretur, exemplum non contemnēdum diuini verbi

bi præconibus proponitur: ne dedignentur, ad opidula, ſeu Caſtella, quod idem eſt, ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium diuertere. Quemadmodum enim Chriſtus Dominus pro diuitibus, & pauperibus, pro deſpectis, & honoratiſſimis hominibus non ſolum verbum, & ſanguinē ſuum fudit; ita concionatores ſpiritum Chriſti habentes, non ſolum in opulentiſſimis Ciuitatibus, vbi Principes, & Magiſtratus, ac magna nobilium caterua habitat, ſed in pauperrimis opidulis, vbi nonniſi egeni, & ruſtici commorantur, verbū diuinum diſſeminant, fidelium animabus prodeſſe magis, quam populi auram venari ſatagentes.

Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat Soror nomine Maria. §. II.

D.Bernar. Diuus Bernardus reddens rationem ſermone ſecundo de aſſumptione, quare hic Lazarus non nominetur, ſed ſolum vtraque ſoror eius? reſpondet in hæc verba: *Intrat domum Saluator, quam Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi. Sed forte curioſus quiſquam requiret, cur in præſenti Euangelica lectione nulla prorſus Lazari mentio fiat? arbitror ſanè, ne id quidē à propoſita ſimilitudine diſſidere. Virginalem etenim domum ingredi volēs Spiritus, ſiluit non incongruè pœnitentiam, quæ malū vtique comminatur: abſit enim vt propriј quicquam inquinamenti domus hæc aliquādo habuiſſe dicatur, vt in ea proinde ſcopa Lazari quæreretur:* hæc Diuus Bernardus, myſtice, & ſpiritualiter reſpondens. Sed ſecundum litteralem, & hiſtoricū ſenſum puto, Lazari mentionem non factam ab Euangeliſta, quia tunc ibi non aderat ille, quādo Chriſtus diuertit. Etenim ſi adfuiſſet, minimè eum Euangeliſta præteriret; nam & ille aliquid in Chriſti ſubſidium feciſſet, nec Martha ſe ſolam in miniſterio derelictam quereretur, aut certe nōn de ſola ſorore Maria, ſed & de Lazaro forte apud Chriſtum queti propoſuiſſet.

Idem Idem etiam Diuus Bernardus ſerm. 2. de aſſumptione prędicta verba Virgini accommodans, vt ſæpe alibi factitare ſolet, hæc melliflua verba protulit: *Sed quid introiſſe eum dicimus in Caſtellum? etiam in anguſtiſſimum virginalis vteri diuerſorium introiuit. Denique & mulier quadā excepit illum in domum ſuam. Felix mulier, quæ iam non exploratores Hierico, ſed potius fortiſſimum illum ſpoliatorem ſtulti illius, qui verè, vt Luna mutatur: non legatos Ieſu filiј Naue, ſed ipſum magis ſuſcipere meruit verum Ieſum filium Dei. Felix (inquam) mulier cuius domus, Saluatore ſuſcepto inuenta eſt munda quidem, ſed planè non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam ſalutat Angelus gratia plenam? neque hoc ſolum, ſed adhuc quoque in eam ſuperuenturum aſſerit Spiritum ſanctum: ad quid putas, niſi vt etiam ſuperimpleat eam? ad quid niſi, vt adueniente iam ſpiritu, plena ſibi eodem ſuperueniente, nobis quoque ſuperplena, & ſuperfluens fiat? Vtinam fluant in nos aromata illa, chariſmata ſcilicet gratiarum, vt de plenitudine tanta omnes accipiamus. Ipſa nempe mediatrix noſtra, ipſa eſt, per quam ſuſcepimus miſericordiam tuam Deus: ipſa per quam, & nos Dominum Ieſum in domos noſtras excipimus.*

Deinde ſermone tertio ait: *Martha igitur in domum ſuam Saluatorem in terris ſuſcepit: Maria potius cogitat quemadmodum ſuſcipiatur ab ea in domo non manufacta, æterna in Cœlis: forte tamen et ipſa Dominum ſuſcepiſſe videtur, ſed in ſpiritu: Dominus enim ſpiritus eſt.* hæc Diuus Betnardus. D.Bernar.

Diuus Auguſtinus de verbis Domini ſuper Euangelium Lucæ ſermone 26. tomo 10. hæc habet: *Suſcepit eum Martha, ſicut ſolent ſuſcipi peregrini: ſed tamen ſuſcepit famula Dominum, ægra Saluatorē, creatura Creatorē: ſuſcepit autem ſpiritu paſcenda in carne paſcendū. Voluit enim Dominus formā ſerui accipere, & accepta forma ſerui in illa paſci à ſeruis, dignatione, non conditione. Nam & iſta dignatio fuit ſe præbere paſcendum: habebat carnem, in qua eſuriret quidem, & ſitiret; ſed neſcitis, quia in heremo eſurienti Angeli miniſtrabant? Ergo quòd paſci voluit, paſcenti præſtitit. Quid autem mirum, ſi & de ſancto Helia præſtitit viduæ, quem prius coruo miniſtrante paſcebat? nunquid paſcendo defecerat, quando ad viduam mittebat? non, ſed religioſam* D.Auguſt. Philip. 2. Matth. 4. 3. Reg. 17.

viduam per obſequium exhibitum ſeruo ſuo, benedicere diſponebat. Sic ergo ſuſceptus eſt Dominus, tãquam hoſpes, qui in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt: ſed quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem (Ioann. 1.) *filios Dei fieri: adoptans ſeruos, & liberos faciens: redimens captiuos, & faciens cohæredes. Martha ergo Dominum paſcere diſponens, & præparans ſe, circa frequens miniſterium occupabatur. Maria verò ſoror eius paſci à Domino magis elegit: deſeruit quodammodo ſororem ſuam circa multum miniſterium laborantem: & ſedit ipſa ad pedes Domini, & vacans audiebat eius verbum. auris fideliſſima audierat: vacate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* (Pſalm. 45.) ſic ille.

Diuus Anſelmus ſermone de aſſumpt. (D. Anſelmus.) beatæ Mariæ, inquit: *Alij hoſpitem quemlibet in domo ſua ſuſcipiunt: iſta non quemlibet, ſed proprium Dei filium, qui non habet vbi caput reclinet, non in domo, ſed in* (Luca 9.) *vtero ſuſcipit. Alij nudum quemlibet veſte mutabili, atque corruptibili vndelibet compoſita, operiunt: illa verbum Dei in eadem virginea carne in vnitate perſonæ aſſumpſit, quæ ſine fine incommutabilis, atque incorruptibilis permanet. Alij quemlibet eſurientem, & ſitientem cibo, vel potu exteriori reficiunt:* (Matth. 25.) *iſta Deum, & hominem humanitatis indigentem, non ſolùm exterioribus cibis, vel potibus pauit, verum etiam interiori ſuo lacte aluit: & vt breuiter illa ſex miſericordiæ opera percurramus, quæ cum vni ex minimis ſuis fiunt, Deus ſibi facta confitetur.*

Diuus Gregorius libro ſexto moralium (D. Gregor.) cap. 28. ad moralem ſenſum duas ſorores Mariam, & Martham reuocans, egregia hæc ſcribit: *Quid per Mariam, quæ verba Domini reſidens audiebat, niſi contemplatiua vita exprimitur? quid per Martham exterioribus obſequijs occupatam, niſi actiua vita ſignatur. Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur; quia magna ſunt actiuæ vitæ merita, ſed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur, quia actiuæ vitæ opera cum corpore tranſeunt; contemplatiuæ autem gaudia melius ex fine conualeſcunt. Quod benè, ac breuiter Ezechiel Propheta exprimit, cùm volantia animalia contemplatus, ait: Et ſimilitudo manus hominis ſubtus pennas eorum erat.* (Ezech. 10.) *Quid enim per pennas animalium, niſi contemplationes poſſumus ſentire ſanctorum, quibus ad ſumma tranſuolant; & terrena deſerentes, ſeſe in cæleſtibus librant? Quid per manus, niſi operationes accipimus? quia cum in proximi amore ſe dilatant, bona, quæ præualent, etiam corporaliter adminiſtrant. Sed manus eorum ſub pennis ſunt, quia actionis ſuæ opera virtute contemplationis vincunt.*

Euſebius Epiſcopus Emiſſænus homilia (Euſeb. Epiſc.) de aſſumptione, ſic ait: *Omnia opera Saluatoris noſtri plena ſunt Sacramentis: quicquid vbique agit, ſignificatio eſt. Quod enim tunc temporis in quodam Caſtello corporaliter egit, quotidie in ſancta Eccleſia ſpiritualiter agit. Nam hæc Eccleſia, Caſtellum eſt, & non qualecumque, ſed forte, & inſuperabile, vtpotè ſuper montem poſitum, muro circumdatum, turribus munitum, & Angelorum exercitu, virtutumq; præſidijs armatum. In hoc igitur Caſtellum Dominus Ieſus quotidie ingreditur, hoc aſſiduè viſitare non dedignatur. In hoc à Martha ſuſcipitur eiuſque in domum inducitur. Videamus itaque, quid ſignificet Martha: videamus, quid ſignificet Maria: vtraque enim magnum aliquid ſignificat. In his enim duabus Eccleſia conſiſtit: altera enim actiuam, altera contemplatiuam vitam deſignat; & actiuam quidem Martha Maria verò contemplatiuam: vnde non Maria, ſed Martha Chriſtum in domum ſuam ſuſcepiſſe dicitur: Maria enim non habet domum, quia vita contemplatiua omnẽ huius ſæculi ſpernit habere poſſeſſionem. Sufficit ei ad pedes Domini ſedere, ſufficit ei ſemper legere, & orare, & in Dei contemplatione vacare: ſufficit ei præterea verbum Dei ſemper audire, & mentem potius quam ventrem nutrire. Tales enim Prophetæ fuerunt, tales & Apoſtoli, tales & multi alij: omnia relinquentes mundum fugientes, Domino adhærentes,* (2. Cor. 6.) *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Hanc autem vitam non habent niſi boni: actiuam verò habent ſimul & boni, & mali. Inde enim & actiua dicitur, quia ſemper in actu eſt, ſemper in fatigatione, & labore eſt; & vix aliquando in quiete eſſe poteſt. Sed nos de illa actiua non dicimus, quæ latrones exercet, tyrannos mouet, auaros ſollicitat, adulteros inquietat, & omnes iniquos ad iniquitatis opem incitat. Sicut enim non loquimur de alia Martha niſi de illa, quæ ſoror eſt Mariæ, ita non*

loqui-

Digitized by Google

loquimur de alia vita actiua, niſi de illa, cui proxima eſt contemplatiua. Illa enim actiua, quæ munda, & ſine peccato eſt, contemplationi proxima eſt. Act.10. 2. Theſſ.3. 2.Cor. 11. *Quod enim Apoſtolus prædicat, quòd baptizat: quòd manibus proprijs laborat, vnde viuat: quòd diſcurrit per Ciuitates: quòd ei ſollicitudo eſt omnium Eccleſiarum, ad quam vitam, niſi ad actiuam pertinet? vnde & hic de Martha dicitur: quia ſatagebat circa frequens miniſterium. Vidimus enim vſque hodie, Eccleſiarum præpoſitos, & miniſtros ſollicitos diſcurrere, laborare, æſtuare, & multis modis fratrum neceſſitatibus inſudare, vt eos quoque non immeritò circa frequens miniſterium ſatagere dicamus. Quamuis igitur contemplatiua vita melior ſit, quàm actiua quia ſine ſollicitudine eſt, & nunquam fallit; actiua tamen tam neceſſaria eſt, vt ipſa contemplatiua quoque in hac vita ſine ea eſſe non poſſit. Altera igitur indiget altera; hæc enim orat, illa laborat: altera mentem, & altera ventrem replet.* 1.Cor.9. *Vnde Apoſtolus: Si nos (inquit) vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? qui enim ſic ſeminat, ad ſupernæ felicitatis contemplationem mentes audientium eleuat.* hæc Euſebius.

Inno. Tertius. Innocentius Tertius ſermone primo, de aſſumptione, inquit: *Audi, quomodo Paulus Apoſtolus, tanquam actiuus ſollicitus erat, et erga plurima turbatus.* 2.Cor. 11. *Quis (inquit) infirmatur, & ego non infirmor quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Ibidem. *inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarũ. Sed audi, quod idem ipſe, tanquam contemplatiuus raptus eſt vſque ad tertium Cœlũ, & audiuit arcana Verba, quæ non licet homini loqui. Ad hoc, tanquam ad vnum aſpirabat, cùm diceret: cupio diſſolui, & eſſe cũ Chriſto.* ad Philip.2. *Sed illud, tanquam neceſſarium ſuſtinebat, cum adderet: Manere autem in carne neceſſarium eſt propter vos. Ergo & illa neceſſaria ſunt, circa quæ ſatagit Martha, & illud eſt neceſſarium, quod elegit Maria. Sed illa ſunt neceſſaria, ideſt vtilia; iſtud aut neceſſarium, ideſt, commodabile iuxta quem modum in Logica facultate docetur; quod aliud eſt verum contingens, aliud neceſſarium. Contingẽs eſt illud, quod ita eſt verum, quòd poſſit non eſſe verum. Neceſſarium autem eſt illud, quod ita verum eſt, quod non poſſit non eſſe verum. Nõne cum Virgo dixit ad filium:* Lucæ 2. *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, quaſi cum Martha dixiſſe videtur: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. Et cùm ipſe reſpondit: quid eſt, quòd me quærebatis, neſciebatis, quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? nonne, quaſi Dominus videtur reſpondiſſe ad Marthã, Martha Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum eſt neceſſariũ: Maria ergo optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ? Hoc vnum optabat, & petebat Propheta, cum diceret: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini* Pſal.26. *omnibus diebus vitæ meæ. Præponitur vnũ multis, quia ſicut omnia procedunt ab vno, ſic omnia procedere debent ad vnum: ad illum videlicet, qui eſt α, & ω: primus, & nouiſſimus: principium, & finis.* hactenus ille. Apoc. 1.

D. Gregorius lib. 5. Regum cap. 4. prope finem, putat, Martham non ſediſſe ad pedes Domini, ſed totam occupatam fuiſſe in præparando prandio hoſpiti Chriſto. D.Gregor. vnde ait: *Quæ enim ſtetit, ei nimirum ſedere non licuit: quia ſi ad audiendum, ſederet, imparatum fortaſſe miniſterium, & inſuffitiens impendiſſet.* Videns autem Diuus Gregorius, non poſſe in Martha vitam actiuam ſignificari, niſi aliquo modo Chriſto aſtitiſſet, ſubiunxit, non quidem ſediſſe, & audiſſe Chriſtum interrupte per aliquas morulas, ſed diſcurrendo huc, & illuc, & à miniſterio non ceſſando; vidiſſe Chriſtum; & in hoc ſignificari, oportere vitam actiuam adiunctam ſibi habere aliquam de Chriſto meditationem. Verba Diui Gregorij ſunt hæc. Idem. *Notandum eſt, quod Martha tranſeundo Dominum vidit, non tamen tranſeundo, ſed ſtando locuta eſt: nam & Euangeliſta expreſſit, dicens: quæ ſtetit & ait. Quo profecto exemplo inſtruimur, vt qui fratribus miniſteria exhibemus ſi per moram ſedere ad Redemptoris pedes non poſſumus, per aliquantulam morulam Redemptori aſſiſtere debeamus. Sed benè ei aſſiſtimus, ſi tranſeundo, & ſeruiendo videamus. Quid eſt autem tranſeundo Dominum cernere, niſi in omni noſtro bono opere ad ipſum dirigere cordis intentionem? Tranſimus enim, quando huc, illucque diſcurrendo in membris ſuis Domino miniſtramus: ſed tranſeundo Dominum cernimus, ſi per*

omne,

Digitized by Google

omne quod agimus, præſentem nobis ipſum,
cui placere cupimus cõtemplamur. hæc ille.
Card. Tolet. Cardinalis Toletus contrariam omni-
no ſententiam amplectẽs, ſuper caput 10.
Lucæ, annotatione ſexageſimaſexta cen-
ſet omnino dicendum, Martham quoque
ſimul ſediſſe cum Maria ad pedes Domi-
ni, idque aperte ſignificari per illa verba:
Quæ etiam ſedens, quæ copulant ſeſſionem
Mariæ cum ſeſſione Marthæ. Verba eius
ſunt hæc: *Illa particula* (etiam) *cogit nos*
affirmare, Martham ſimul cum Maria ſe-
diſſe ad pedes Domini ad audiendum ver-
bum eius, licet Martha frequenter diuerte-
ret ad miniſterium, præparandaſque eſcas;
Maria autem aſſidua, & permanens ſede-
ret intenta doctrinæ. Cùm enim nulla fiat
mentio in hac lectione aliorum, niſi ſororum
oportet, cum dicitur (etiam) *referre parti-*
culam hãc; ad Martham, vt quoque ipſa
conſideret, ſed non aſſidua, vti diximus. Ra-
tio etiam ipſa id poſtulat. Non enim eſt ve-
riſimile, Chriſto intranti domum, & ſedenti
ac docenti, Martham, nec ad minimum tem
poris conſediſſe, vt ſermonis verbũ aliquod
audiret. Hoc etiam quadrat vitæ actiuæ,
cuius Martha figuram gerebat; licet enim
magis operi, quam contemplationi ſtudeat,
non tamen omni contemplatione, & medita-
tione vacua eſt.
Maldonatus. Doctiſſimus tamen Maldonatus in Cõ-
mentario huius loci, poſtquam, duabus ap
poſitis expoſitionibus, quarum primam
confutat; ſecundam verò, quam Cardina-
Card. Toletus lis Toletus amplexus eſt, non ſibi diſplice-
re aſſeruit, aliam prorſus contrariam viam
ingreditur in hæc verba: *Quam vim ha-*
beat dictio illa (etiam) *non ſatis apparet.*
Quidam ſic interpretantur: quæ etiam ſe-
dens ſicut aliæ mulieres: at nonniſi duarum
mulierum Marthæ, & Mariæ mentio fit,
nec eſt veroſimile domi fuiße plures, niſi for
taſſis ancillas, quas non eſt credendum ſediſ-
ſe, ſed miniſtraſſe. Alij etiam ſediße, ideſt
ne ſolum ſtando, & quaſi aliud agendo, ſed
etiam ſedendo ex otio attentam, contempla-
bundamque docentem audijſſe Chriſtum.
Non diſplicet, ſed magis accommodatè ad
id, de quo agitur, exponi poſſe arbitror, vt ſi-
gnificetur, illam non ſolum non fuiſſe ſolli-
citam in parandis, miniſtrandiſq; rebus ne-
ceſſarijs ſicut erat Martha; ſed etiam omnis
quodammodo alterius oblitam curæ, ad pe-
des Domini ſediſſe, ſicut ſedebat Chriſtus;
hoc excepto, quod ad eius altius ſedentis ſe-
debat pedes, & mulieris, & diſcipulæ nimi-
rum more. hæc Maldonatus.

Sedens ſecus pedes Domini.
§. III.

LYranus in Lucam cap. 10. ex Philo- Nic. de Lyra.
ſopho dicit 7. Phyſicorũ: *Sedendo, &*
quieſcendo fit anima ſciens, & prudens. Se-
datis enim paſſionibus, & earum tumulti-
bus, per exercitium virtutum moralium di
ſponitur anima, vt libere poſſit eleuari in
contemplationem veritatis. Egregiè ſanè
hoc loco deſignatur vitæ contemplatiuæ
eius ſtatus, & perfectio. Primo enim ſede-
bat, quieti & otio ſancto dedita, & ab ex-
terioribus occupationibus, atque ſollicitu
dinibus libera, & feriata. *Otium enim ſan-*
ctum quærit charitas veritatis, vt D. Augu
ſtinus dicit lib. 19. de Ciuitate cap. 19. & D. August.
rectè vocauit, *otium ſanctum*: eſt enim
otium illud quietis, & pacis, omnium ne-
gociorum negocium maximũ, & opus ma-
ius, vt apud Ambroſium habes ſuper Pſal- D. Ambroſ.
mum. 118. ſerm. 21. verſ. 2. de quo Apoſto
lus dicit ad Theſſal. 4. *Quieti ſitis, & ve-* 1. Theſſ. 4.
ſtrum negocium agatis. Eſt etiam otium
iſtud filijs, quos tenerè diligit Dominus,
conceſſumnam vt Gregorius dicit lib. 26. S. Greg.
moralium c. 16. *Omnipotens Deus, & miſe-*
ricors, quos tenerè diligit, ab externis actio-
nibus abſcondit. Nam & paterfamilias ad
eum laborem ſeruos dirigit, à quo filios
ſuſpendit. *Abſcondes eos in abſcõdito faciei* Pſalm. 30.
tuæ à conturbatione hominum. In abſcon-
dito enim contemplationis vultus ſui ab-
ſcondit Dominus quos amat, vt ab exte-
riori negociorum ſtrepitu, & ab hominum
turbatione ſint expediti. Antea cùm pec-
catrix, & pœnitens eſſet Maria, *ſtabat ſe-*
cus pedes Domini; ſed iam modò illius ope
ſanata, & ad amicitiam eius redacta, fa-
miliariter ſedebat. Secundò ſecus pedes
Domini, Maria hæc ad pedes Domini cœ-
pit ſanari, & illuminari doctrina ſana. Ibi
primo cœpit audire Dominum, & amare;
ideo perſeuerat, & non recedit ab ijs pe-
dibus, donec perficiatur. Scriptũ eſt enim:
Qui cœpit in vobis opus bonũ ipſe perficiet: ad Phil. 1.
& ab Auguſtino in Ioannem tractatu 5.
Charitas cum fuerit nata, nutritur: cum fue- D. August.
rit nutrita roboratur: cùm fuerit roborata
perſi-

perficitur. Sic præcipuus Mariæ Magdale-
næ amor, quæ à pedibus Domini non re-
cedebat, in hoc loco natus eſt, & in eodē
educatus, atque nutritus. Apud illos ſa-
cros pedes roboratus eſt, & mirabiliter
perfectus, atque conſummatus. Nihil er-
go mirum, ſi pedes illos tantopere ama-
ret, tam firmiter teneret, nec dimitteret,
eo vel maximè, quod *ij, qui contemplationi*
diuinorum vacant, non omnes eodem modo
D. Bernar. *Deum inueniunt:* (ait Bernardus ſerm. 23.
in Cantica:) *Thomas in latere inuenit,*
Ioannes in ſinu, Paulus in Tertio Cælo, Ma
ria ad pedes Domini ſtrauit ſibi locum, in
quo eam Dominus collocauit: noluit alium
quærere ad quem eam Deus non vocabat.
1. Cor. 7. Scriptum eſt enim: *Vnuſquiſque in quo vo-*
catus eſt ſtatu, in eo permaneat. Nunquam
enim contemplationi Dei perfectè vacare
poteſt qui per multa diſtenditur, per diuer
ſa vagatur, atque variare non deſiſtit. Ait
Zach. 11. enim Dominus per Zachariam: *Contracta*
eſt anima mea in eis: ſi quidem anima eo-
rum variauit in me. Deinde ſeſſio illa
Marthæ ſecus pedes Domini orans, ora-
tionis vtilitatem, & fructum in memoriā
Geneſ. 15. reuocat, vt eo inſiſtamus. Sanè poſtquam
egreſſus eſt Abraham de terra ſua, & ve-
nit in terrā, quam monſtrauit ei Deus, in
feruore contemplationis poſito apparuit
3. Reg. 9. ei Dominus. Heliæ fugienti a facie Ieza-
bel, ideſt, virtutis ſtudioſo fugienti à fa-
cie libidinis, oſtenſum eſt quòd Dominus
non erat in ſpiritu vehementi ſuperbiæ,
neque in cōmotione auaritiæ, nec in igne
luxuriæ, ſed in ſybilo auræ tenuis, ideſt,
quiete contemplationis, & meditationis:
Geneſ. 33. Iacob requieſcens ſuper lapidem, vidit
ſcalam, & Angelos per eam aſcendentes,
Tobia 3. & deſcendentes. Sara cum ancillis ſuis ſe-
ceſſit in cubiculum ſuperius, vt meditatio-
Daniel. 3. ni, & orationi vacaret. Danieli recedenti
à ſæculi turba, & orationi vacanti, myſte-
Geneſ. 24. ria cœleſtia reuelata ſunt. Iſaach cùm
habitaret in terra auſtrali, relicta familia,
ad meditandum ſeceſſit in agrum. Item
Geneſ. 32. Iacob poſt tranſitum fluminis, ſolus rema-
nens, contemplatus eſt Angelum luctantē
1. Reg. 4. ſecum. Heliſæus cum voluit orare pro filio
Sunamitidis, ſolus remāſit, & clauſit oſtiū,
& ſuſcitauit mortuum. Dauid meditatio-
nem, & contemplationem feruenter deſi-
Pſal. 54. derans dicebat: *Quis dabit mihi pennas,*
ſicut columba, & volabo, & requieſcam
Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudi-
ne: expectabā eum, qui ſaluum me fecit, &c.
Moyſes in ſolitudinis interiora deſerti ſe- *Exod. 30.*
cedens, meruit videre Dominum. Ietro *Exod. 18.*
dixit Moyſi, vt ipſe præeſſet populo in his,
quæ ad Deum pertinent, ideſt, in contem-
platione, & meditatione. Zaccharias of- *Luca 1.*
ferens Deo ſacrificium, & preces meruit vi
dere Angelum Domini, & bonum nunciū
audire. Moyſes in cōtemplatione, & me- *Exod. 24.*
ditatione manſit cum Domino quadragin
ta dies. Helias in contemplatione, & me- *3. Reg. 19.*
ditatione poſitus, cœleſti cibo refectus eſt.
Samuelem in templo conſtitutum, & me-
ditationi vacārem, Dominus ad ſe voca- *1. Reg. 3.*
uit. Danieli oranti dixit Angelus: *Egreſ-* *Daniel 9*
ſus ſum, vt docerem te, & intelligeres, &c.
Iudith per orationem, & meditationem *Iudith. 8*
ſingularia beneficia diuinitus impetrauit.
Eſther orationis beneficio magna præſti- *Eſther 4.*
tit atque conſecuta eſt. Dimiſſa turba, *Matth. 14.*
aſcendebat Ieſus in montem, vt oraret.
Ioanni à Mundi ſtrepitu exulanti reuelata *Apoc. 1.*
ſunt cœleſtia myſteria; & in ipſa quiete,
& tranquillitate Dominū contemplamur,
& eius benedictionem reportamus, ſicut
fecit Iacob: non autem vagabundi, & flu- *Geneſ. 27.*
ctuantes eam benedictionem accipimus,
ſicut etiam nec eam accepit Eſau. Maria
quieti ſe tradens, præpoſita fuit Marthæ *Luca 10.*
ſorori. Petro in ſuperiori domo oranti re- *Act. 10.*
uelatum eſt gentiles non eſſe repellendos.

Quid plura? Maria ſedebat ad pedes
Ieſu, quia dictum eſt: *Qui accedunt ad pe-*
des eius, accipient de doctrina illius. Sede-
re ad pedes, humilitatis argumentum eſt;
cuius defectu in ſapientia ſua Philoſophi
turgidi perierunt, quia ſe humiliare nolue
runt, id Apoſtolo atteſtante: *Dicentes ſe*
eſſe ſapientes, ſtulti ſunt. Sapientes ſeſe *ad Rom. 1.*
dicebant, & magna inſcitia, & ſtultitia la-
borabant, Deum non glorificantes, & ei
vt par erat, immortales gratias non agen-
tes, à quo velut inexhauſto fonte, quic-
quid habebant, dimanauit. Eadem ferè
dementia ducti Hæretici noſtræ tempeſta-
tis, & qui ante hac fuere, non ad pedes
Ieſu ſedere ſatagunt, captiuantes intelle-
ctum ſuum in obſequium Chriſti; ſed in- *2. Cor. 10.*
genti arrogantia inflati, Sacroſanctæ Ro-
manæ Eccleſiæ mandatis parere contem-
nunt. Vnde ſerpentis verſuti dogmata le-
thalia ſectantes, infeliciter in dies in ba-
rathrum deſcendunt, commeritas pœnas
dan-

dantes: quos ingemiſcens Eccleſia (vt eſt pia mater) ait: *filij matris meæ pugnauerunt contra me*. Contra Chriſtum Ieſum pugnant homunculi, & fragiles, quippe qui aliquando filij fuerunt huius Eccleſiæ militantis, lauacro baptiſmatis abluti, ac proinde hæredes gloriæ facti ſecundum præſentem iuſtitiam. Pugnant (inquam)
2. Reg. 15. vt Abſalon, contra Dauid patrem ſuū, armis peſtiferis roborati, adulterantes Scripturas ſacras, & ad ſua praua deſideria perperam intorquentes. Conuertimini er-
2. Reg. 18. go filij, & ad pedes Ieſu procumbite, ne forte, vt improbus Abſalon, in quercu pendentes, & lanceis vulnerati, morte turpiſſima pereatis, dicente Propheta: *mors*
Pſal. 33. *peccatorum peſſima*.

Audiebat verbum illius. §. IV.

OPeræ prætium erit nunc indagare, quod verbum audiebat Maria ex
S. Aug. ore Domini. Equidem (ſancto Auguſtino teſte) bene Martha circa corporalē Chriſti neceſſitatem miniſtrabat carni mortali, *ſed qui erat mortalis in carne, erat in*
Ioann. 1. *principio Verbum apud Deū & Deus erat verbum*. Ecce quod Maria audiebat, *Ver-*
Lucæ 10. Iſaia 50. *bum, caro factum eſt, & habitauit in nobis*. vnde tertio dicitur: *Audiebat verbum illius*, quaſi diceret cum Eſaia: *Dominus manè erigit mihi aurem, vt audiam illum quaſi magiſtrum*. Ab illo enim mane ſuæ conuerſionis, quo ei oriri cœpit noua lux Solis iuſtitiæ, & ad pedes Chriſti poſita, verba vitæ æternæ audiuit ab ipſo, ſemper dilexit locum pedum eius, & ſedens ſecus illos, audiebat Dominum, & in auditu auris ei obediebat. Illius vox erat illa Da-
Pſal. 84. uid. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquitur pacem ſuper ſeruos ſuos; & in eos, qui conuertuntur ad cor*. Ait: *In me*, hoc eſt, *intra mè*. Vt enim
D. Bernar. inquit, D. Bernardus ſerm. 32. in Cantica: *Cùm mala in corde verſamus, noſtra cogitatio eſt: ſi bona, Dei ſermo eſt, illa cor noſtrum dicit, hæc audit*. Itaque pacem, pietatem, iuſtitiam Deus in nobis loquitur; nec talia nos cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus. Loquitur Deus per ſeipſum in homine, cùm inſpirat ei, quæ diuina ſunt, cùm de verbo eius ſine verbis cor docetur, vt D. Gregorius ait lib. 28. Mo-
ralium cap 2. cùm occulta vi, quæ agenda D. Greg.
ſunt, intimat, & repentina luce ignorantiæ noſtræ tenebras illuſtrat. Loquitur pacem ſuper ſanctos ſuos, qui contemplationi vacare volentes, conuertuntur ad cor ſuum, & clauſo illo, ſolum audiunt pacis verba ex ore Dei. Sed quæ verba, niſi pacis procedant à Deo pacis? quid enim loquatur Deus niſi ea, quæ cogitat. *Ego cogito co-* Hierem. 29.
gitationes pacis, ait Dominus per Prophetā Hieremiam. Has cogitationes ſuas, antiquas, fideles, æternas, & pacificas loquitur Deus ſuper ſanctos ſuos, orationi, ac diuinorum contemplationi vacantes. Has audiebat Maria ad pedes Domini, cùm audiebat verbum illius, ex quo enim dimiſſa ſunt illi peccata omnia ad pedes Domini, ex quo dilexit multum, ex quo audiuit verbum illud bonum, verbum conſolatorium: *Vade in pace*, ſemper audiuit Lucæ 7.
verba pacis ſemper habuit cogitationes pacis, & non afflictionis; & in altiſſima contemplatione, quaſi in viſione pacis obdormiebat.

Ceterum iam de efficacia diuini verbi nonnihil dicamus. Notum eſt, nihil eſſe potentius ad turrim lapideam euertēdam, quàm ignem, qui turres munitiſſimas facillimè demolitur, ac mœnia firmiſſima auolare facit. Vt tamen ille efficacius operetur, inuenit humana induſtria puluerem ſulphureum, qui ex ſe quidem nihilo magis eſt efficax, quàm tenuis, debiliſque puluis, quem proijcit ventus; ſi tamen ei applicatur ignis, ſubito potens flamma ſuccenditur, quæ montes ipſos firmiſſimos abſque vlla reſiſtentia tranſuertit. Procurauit Deus peccatores in peccatis ſuis, tan quam turres firmiſſimas obfirmatos, quos *defixos in facibus ſuis* vocauit Propheta Sophonias 1.
Sophonias, ab illo ſtatu perditionis auocare. Ad id autem vſus fuit virtute ignis: quiſnam ignis, niſi verbum ipſius, de quo ipſe dicit: *Quid paleis ad triticum? nonne* Hierem. 23.
verba mea, ſicut ignis, & quaſi malleus conterens petras? quaſi dicat: verba hominum ſunt, ſicut paleæ, quas facilè ventus rapit; verba autem mea ſunt ſicut triticum in cibum animæ. Verba hominū ſunt frigida, velut glacies: verba autem mea ardent, ſicut ignis. Verba hominum ſunt infirma, & futilia: mea autem efficacia, inſtar mallei conterentis petras. Potentiſſimum certè

eſt

eſt Verbum Dei, quod potuit ex nihilo extrahere mundũ, Cœlos, Stellas, Terram, &
Pſal. 149. omnia, quæ facta ſunt. *Ipſe* namque *dixit,*
& facta ſunt, &c. vnde & vocatur *Omni-*
Cap. 18. *potens ſermo*. Huiuſmodi ergo Verbi diuini ignem conſueuit Deus applicare, cùm admiranda vult opera perficere. Quis videret Saulum furijs inuectum, diro pectore virus efflantem, equo inſidentem, currentem, feſtinantem, vt Chriſtianos perderet? voluit Deus turrim iſtam ſolo æquare, id præſtitit, immittendo ignem illum ver-
Act. 9. bi ſui: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* ad hanc namque vocem ſubito cecidit in terram fortiſſima illa turris, & in totũ à ſummis ad ima mutatus, *Domine* (inquit) *quid me vis facere?* Erat quidem Ciuitas illa Niniue magna mole itinere trium dierũ, ſed maior multò malitia, quæ ad Cœlum vſque pertingeret. De Niniue autem di-
Ionæ 1. xit: *Peruenit vſque ad Cœlum malitia eius.* Voluit eam ab illo ſtatu educere: miſit Ionam, qui ignem ſuæ diuinæ ſententiæ, & comminationis ei intimaret. *Vade* (inquit) *ad Niniue, Ciuitatem magnam, & loquere ad eam prædicationem, quam ego loquor ad te.* & quænam illa? *adhuc qua-*
Ionæ 3. *draginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Abijt Ionas, verbi diuini ignem applicuit, & ſu-
D. Aug. bito tota Ciuitas (vt ſanctus Auguſtinus conſiderat) quaſi in altum iactata euerſa fuit, non ſecundum materialia ædificia, ſed ſecundum peccati ſtatum. Omnes videres ciues in viros alteros mutatos, mutantes muſicas in fletus, riſum in lachrymas, cultum veſtium in cilicium, comeſſationes, & ebrietates in parſimoniam, & ieiunium. Reuerſus eſt enim vnuſquiſque à via ſua mala: peruenit vis ignis ad regale palatium, & Regem ipſum penitus euertit: ſurrexit enim de ſolio ſuo, & in terram ſe demiſit, regales veſtes in horridum ſaccum commutauit, ſplendidam menſam depoſuit, epularum ingluuiem, in victum temperatiſſimum conuertit: tanta eſt diuini verbi vis, & efficacia. Quî igitur fieri poteſt, vt cum diuini verbi tanta ſit vis in nobis nihil penitus operetur? quot quantaque Dei verba audiſti? & tamen nihil de malitia depoſuiſti: non demiſiſti adulterium, non reſtituiſti quæ furto per vſurã ſublata tenes, non pepercisti inimico, nec ſacrilegam periurandi conſuetudinem depoſuiſti. Sunt ne Dei verba, quæ vobis proponimus, an à nobis conficta? annunciamus ne doctrinam cœleſtem; an quam quiuis noſtrum apud ſe confixit? videtur namque non Dei verbum eſſe, quod nullum effectum producit, neque ignem à nobis applicari, qui nullatenus corda hominum calefacit. Ceterum non dubium eſſe poteſt, verba Dei à nobis proponi: talia enim ſunt, quæ Catholica Eccleſia Romana, quæ ſponſi ſui vocem agnoſcit, proponenda exponit. Rem tamen admirabilem expende, quæ hanc difficultatem abſoluit.
Referunt Plinius, & Suetonius rem ſtupen- *Plin. & Suet. lib. 11. c. 37. in Calig. c. 1. & 5.*
dam, quæ in defunctione Germanici accidit. Fuit Germanicus, vir illuſtriſſimus, pater Imperatoris Caij Caligulæ, quem Romani omnes ſummo proſequebantur amore. Vnde cum occubuiſſet per venenum ei occultè propinatum à Tiberio, totus populus ingenti luctu mortem illius proſecutus fuit; & funus nobile exequi volentes, corpus eius comburere ſtatuerunt, vt in cineres redactum, aurea vrna includerent, ſicuti in Principum funere agere conſueuerunt. Grandi præterea igne ſuper tabulam alabaſtrinam ſuperpoſitum corpus combuſtum fuit: cinerem tamen colligere volentes, inuenerunt cor penitus intactum, quod nec flammarum, nec prunarum ardore potuerat comburi, nec poterat, quantumcumque prunis ardentiſſimis circumdaretur, immo nec ſuccendi, aut calefieri. Intellexerunt, veneni malitiam illud occupaſſe, & obduraſſe, & ita conſtrinxiſſe poros, vt nullum ingrediendi locum calori concederet. Probatiſſima theriaca illud vnxerunt, cuius vi venenum eneruatum fuit; potuitque tunc facile ignis illud penetrare, ſuccendere, & inflammare. Certum eſt, potentius eſſe Dei verbum quouis igne, nihilominus tamen cor tuum non penetrat, nec inflammat, quamuis iterũ, atque iterum applicetur, quia veneno obduratum conſtrictumque tenetur. Veneno (inquã) concupiſcentiæ, quod antiquus ſerpẽs inuexit; hoc totum cor tuum occupat. Concupiſcentia pecuniæ cor auari conſtringit, & obdurat. Concupiſcentia delectationis cor laſciuum exæſtuat; honoris, & humanæ gloriæ aura cor ſuperbi occupat; hæcque cauſa fuit, cur Deus conquereretur, dicẽs:
Laboraui clamans: raucæ factæ ſunt fau- *Pſal. 68.*
ces meæ, & tamen nihil profeci. Eſt etiam

& alia cauſa non proficiendi, dum Domi-
nus loquitur, quod verba eius non cuſto-
Lucæ 11. ditis: dictum eſt autem: *Beati, qui audiunt*
verbum Dei, & cuſtodiunt illud: cui con-
ſonat, quod eos, qui verbum retinent, fru-
Lucæ 8. ctum afferre dixit Dominus. In cuius ex-
plicationem, & confirmationem adnotant
Ibidem et lib. Auguſtinus, & Gregorius illam egregiam
50. homil 45. Spiritus ſancti ſententiam: *Theſaurus de-*
lib mor c 55. Prouer. 21. *ſiderabilis requieſcit in ore ſapientis: vir au-*
tem ſtultus glutit illum. Diuinum verbum
aptè vocatur *Theſaurus*, in quo omnia bo-
na, omneſque diuitiæ continentur. *Deſide-*
Pſalm. 18. *rabilia* (dicebat Dauid) *ſuper aurum, &*
lapidem pretioſum multum. Hic theſaurus
requieſcit in ore ſapientis. Quid nomine
oris intelligendum? cor ipſum, de quo Da-
Pſal. 125. uid dicebat: *Tunc repletum eſt gaudio os*
D. Auguſt. in *noſtrum*. Vnde D. Auguſtinus. *Os, fratres*
Pſal. 125. *mei* (inquit) *quod habemus in corpore, quo-*
modo repletur gaudio? non ſolet impleri,
niſi aqua, aut cibo, aut potu, aut aliqua re
tali miſſa in os: impletur aliquando os no-
ſtrum, & quando plenum os habemus, loqui
non poſſumus. Habemus autem intus os,
ideſt in corde. Vnde admonemus charitatẽ
veſtram, vt ea, quæ audiendo, tanquam in
ventre memoriæ conditis, rurſus reuoluen-
do, & cogitando, quodammodo ruminetis.
Prou. 21. *Hoc eſt enim: Theſaurus deſiderabilis re-*
quieſcit in ore ſapientis; vir autem ſtultus
glutit illum. breuiter dixit: ſapiens ruminat,
ſtultus non ruminat, hoc eſt: ſapiens cogitat
ea, quæ audierit, ſtultus autem audita obli-
uioni tradit. Neque enim propter illud in
lege, munda ea dicta ſunt animalia, quæ ru-
Leuit. 11. *minant, immunda, quæ non ruminant, nam*
creatura Dei omnis munda eſt: & artifici
Deo tàm mundus eſt porcus, quam agnus.
Geneſ. 4. *Creauit enim omnia valde bona: & omnis*
creatura bona eſt, dicit Apoſtolus, & omnia
ad Tim. 4. *munda mundis. Cum ergo in natura vtrũ-*
que ſit mũdum, ſignificatione tamen, agnus
ſignificat aliquid mundum, porcus ſignifi-
cat aliquid immundum: Agnus ſignificat
innocentiam ſapientiæ ruminantis, porcus
ſignificat immunditiam ſtultitiæ obliuiſcen-
tis, hactenus Auguſtinus. Sanè loqui vi-
detur Spiritus ſanctus metaphora ab aro-
maticis maſſulis, mutuata, quas Hiſpani,
Paſtillas de boca appellamus. Conficiuntur
iſtæ maſſulæ ex rebus cordialiſſimis, valde
ſuaue olentibus, ſapidis, & aromaticis. Vir
cordatus, dum aliquam earum recipit, re-

tinet in ore illam, vt paulatim humidita-
te linguæ liqueſiat; ſicque virtus eius ro-
boret cor, emolliat pectus, corripiat oris
fœtorem, & anhelitum: qui verò ſtultus
eſt, glutit eam, profectum, qui ex ea decer-
pere poſſet, minimè capiens. Vnde talis
permanet, poſtquam eam deglutiuit, qua-
lis ante erat, eundem oris fœtorem, ean-
demque cordis compreſſionem retinens.
Verbum Dei, eſt quaſi maſſula confecta
ex omnibus diuinæ apothecæ cordialibus
medicamentis, & aromatibus. *Virtus Dei* ad Rom. 1.
eſt (inquit Paulus) *in ſalutem omni creden-*
ti: roborat imbecilles, cor infirmum con-
fortat. *Suſtinuit anima mea in verbo eius;* Pſal. 31.
ac ſalutem præſtat in deſperatis infirmi-
tatibus: *Non enim herba, aut malagma ſa-* Sapien. 16.
nauit eos, ſed ſermo tuus, qui ſanat omnia.
Itaque ſapiens ore cordis tenet eam, &
verſat, & illa guſtum recreat, cor reficit,
mentem purgat, voluntatem inflammat.
Stultus autem glutit eam, ſtatim ac au-
dit: ab ore cordis in obliuionem tranſire
facit, & nunquam amplius eius recorda-
tur; ideoque talis remanet poſt multas
conciones auditas, qualis antea erant. Hi
ſimiles ſunt hederaceo vaſculo ex hederæ
radice confecto, de quo, tanquam rem ex-
perientia comprobatã refert Pierius, quòd Pier Valeria-
vinum defæcatum, & purum nullatenus nus lib. 52.
retinet: ſi verò infundatur vinum aqua
mixtum aquam firmiter conſeruat; vinum
per poros transfluere ſinit. Multi ſunt, qui
ſi prædicator, vinum purũ infundat, Euan- 1. Cor. 2.
gelica Euangelicè prædicans, *non in per-*
ſuabilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in
oſtenſione ſpiritus, & virtutis, nihil pror-
ſus retinent, non conſeruant, inſtar Virgi-
nis, verba Dei in corde ſuo: ſi autem quæ-
dam fabuloſa, & placentia loquatur, illa
tenaciſſimè retinent, nunquamque eorum
obliuiſcuntur.

Quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini,
audiebat verbũ illius: Obſerua, quòd Chri-
ſtus vbique prædicabat: edebat autem, vt
prædicaret: non prædicabat, vt ederet, ne-
que quæſtum ex prædicatione faciebat, vt
multi faciunt. Obſerua, quòd Maria con-
uiuij penitus oblita ſpiritui vacabat, cum
nos è contrario, propter cibum corporis
præparandum, ſpiritum negligamus, & fa-
ſtidiamus. Obſerua Chriſtum, in ipſis ædi-
bus, dum cibus pararetur, à cibo ſpirituali
dando non deſtitiſſe. Hinc ſacerdotes, &

Religioſi intelligant, dum aliorum domus
ingrediuntur, debere omnem à ſe expel-
lere leuitatem, & ea magis loqui, quæ fa-
ciant ad proximi ædificationem, & vitæ
emendationem, vt ſic plura largiantur,
1.Timot. 4. quàm recipiant. Hinc Paulus ad Timoth.
*Exemplum eſto fidelium in verbo, in con-
uerſatione, in charitate, in fide, atque caſti-
Prouerb. 2.* *tate*. Obſerua, Mariam, ad pedes Domini
ſedere elegiſſe. quod argumentum fuit hu
militatis, & docilitatis illius; nam qui ſe
tales non præſtant, diſcent numquam: vbi
autem humilitas, ibi ſapientia. Videtur
autem ſumpta metaphora à docente, qui
ſedere ſolet in Cathedra altiori, & audi-
tores, velut ad pedes eius aſſidere. Vnde
Act. 22. Paulus ait de ſe (Act. 22.) *Secus pedes Ga-
malielis eruditus iuxta veritatem paternæ
Deut. 33.* *legis*, & Deuteronomij 33. *Et qui appro-
pinquant pedibus eius* (idest Dei) *accipient
D. Auguſt.* *de doctrina illius.* Hinc D. Auguſtinus ait,
ſermone 27. de verb. Domini: *Quanto au-
tem humilius ſedebat, tanto amplius capie-
Eſai. 52.* *bat: confluit enim aqua ad humilitatem
conuallis.* Obſerua, rectè per pedes Domi-
ni, intelligi eius humanitatem portantem
deitatem, tanquam pedes caput, ad quos
pedes omnes virtutes addiſcũtur. Hauri-
tur ex his conſolatio ad labores, reſponſio
ad difficultates, victoria contra tentatio-
nes, & refectio ad alendum ſpiritum. Ob-
ſerua etiam prædicatores à Deo miſſos, pe
des eſſe Domini portantes Chriſtum, qui
eſt Euangelium noſtrum, de quo Domi-
Nahum 1. ad Rom. 10. nus ad Ananiam: *vas electionis eſt mihi
iſte*, ſcilicet Saulus, *vt portet nomen meum.*
Act. 9. de quibus etiam dicitur: *quam ſpecioſi pe-
des Euangelizantium pacem.* Ad hos pe-
des humiliari oportet eos, qui volũt Euan
gelico margarito ditari: nec ſemel ad eos
accedere oportet, ſed iterum, atque ite-
rum, vt frequentatione cœleſtis irroratio-
nis molleſcat cordis duritia. Vt enim qui-
dam poetarum dixit:

*Gutta cauat lapidem, non bis ſed ſæpe
cadendo.*

neque vno, aut altero ictu ſecuris arbor
magna cadit; neque muri Hyerico vnico
circuitu Sacerdotum turbas pulſantium
corruerunt, ſed pluribus, vt intelligas,
quanti referat iugis verbi Dei auditio, ac
frequens eius meditatio.

Martha autem ſatagebat circa
frequens miniſterium, quæ
ſtetit, & ait: Domine, non eſt
tibi curæ, quod Soror mea
reliquit me ſolam miniſtrare?
dic ergo illi, vt me adiuuet.

§. V.

DOctiſſimus Maldonatus hunc locum *Doct. Mald.*
verſans, in hunc modum explicat:
*Satagebat circa frequens miniſterium. Græ-
cè: diſtrahebatur, turbabatur, tota nego-
tioſa erat, & occupata in miniſtrando: Mi-
niſterium appellat, non opiparum (opinor)
conuiuium, ſed ſollicitudinem mulieris quæ-
rentis quibus rebus Chriſto gratificare poſ-
ſet, & ſuam erga illum charitatem decla-
rare. Vtrumque proculdubio, ex charitate
proficiſcebatur: quòd ſatagebat, ideſt, tanto
excepto hoſpite, ſollicita erat, qua ratione
illi ſatisfaceret.* hæc ille. Quod autem ſub-
dit: *Domine non eſt tibi curæ*, non ſolù in
hoc loco lego, ſed apud Marcum: nam vt
in noſtra vulgata cap. 4. vertit *Magiſter:
Non ad te pertinet, quòd perimus?* Græcus
interpres legit: *Non eſt curæ tibi, quod pe-
rimus?* quaſi dicat: vt tuæ eſt, & ad te
ſpectat aduertere, & prouidere, ne perea-
mus, ita ſimiliter loquitur hic Martha:
*non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me
ſolam miniſtrare?* Interpellat, ait D. Aug.
Martha hoſpitem: ad Iudicem deponit po- *D. Aug ſerm. 26. de verb. Domini.*
*ſtulationem querelarum, quòd eam ſoror de-
ſeruerit, & ſic laborantem in miniſterio,
adiuuare neglexerit.*

An autem verba hæc Marthæ murmu-
rationem, inuidiam, aut ſimilem aliam
imperfectionem redoleant, non eſt vna
omnium ſententia. Nam quidam docto-
res, quibus ego aſſentior, illa commendãt,
& ab omni labe immunia arbitrantur.
Etenim D. Greg. lib. 5. in lib. Regum c. 4. *D. Greg.*
prope finem, affirmat, hæc verba Marthæ
proceſſiſſe ex quadam confidentia erga
Chriſtum, quam ei dabat labor pro eo
aſſumptus in cibis præparandis: accommo
datq; ex laborantibus in vita actiua. Ver-
ba ipſius ſunt: *Notandum* (inquit) *eſt, quia
Martha confidenter loquitur, dicens: Do-
mine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reli-
quit me ſolam miniſtrare? quod certè per-*

fectis quibuſdam operarijs Sanctæ Eccleſiæ conuenire videtur, qui omnipotêti Deo preces tantò fiducialius offerunt, quantò laborioſius ei in membris ſuis miniſtraſſe meminerunt. hæc ille. Eruditus etiam Maldon. ſuper cap. 10. Lucæ, Marthæ verba in hũc modum excuſat: *Non id quidem ex indignatione dicit, ſed ex magno quodam affectu ſeruiendi dilecto magiſtro ſuo: arbitrata ambas, & omnes ad illud miniſterium, pro magnitudine deſiderij ſui dignè præſtandum, nequaquam ſufficere. Timebat enim ne quid deeſſet, quod ad Magiſtri ſpectaret obſequium, vel quod eius oculos offenderet.* Cardinalis Toletus ſuper cap. 10. Lucæ inquit: *Prudenter, & reuerenter Martha, non ad ſororem, ſed ad Chriſtum ſermonem conuertit. Sciebat enim ſororem Chriſti eloquio ita illectam eſſe, vt nullis dimoueretur precibus, niſi iuſſu Chriſti. Animaduertebat etiã, non decere eã propria voluntate à Chriſto auerti, niſi ipſo iubente: ideo prudẽter, & reuerenter non ſorori, ſed Chriſto loquitur.*

Maldonatus.

Card. Tolet.

Diuus Bonauentura ſuper cap. 11. Lucæ ait: *Martha laborioſa conqueritur de Maria otioſa, quaſi quæ non poſſit ſola pondus laboris portare: ſecundum quod conqueſtus eſt Moyſes Domino Num. 11. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi; ſic etiam Martha propter oneris grauitatem quærebat auxilium Mariæ, ſciens pertinere ad legem Chriſti illud ad Galat. 6. Alter alterius onera portate. Ideo ſecurè requirebat Chriſti iudicium, vt ſororis impetraret auxilium.*

B. Bonauent.

Numer. 11.

ad Gal. 6.

Ac tandem ſummus Pontifex Innocentius Tertius, ſerm. 1. de aſſumptione ait: *Non hæc Martha dicebat, tanquam inuideret Mariæ, & quòd ipſa laboraret, & illa quieſceret; ſed quòd actiua, cum ſibi non ſufficit, propter difficultates rerum, vel ambiguitates cauſarum, auxilium contemplatiuæ requirit; vt quod ipſa laborando, vel operando nequit efficere, illa orando, & ſupplicando valeat impetrare; quia cum Moyſes orabat in monte, Ioſue vincebat in valle.* hactenus ille. Ecce laudat Martham, quòd à Domino auxiliũ implorarit inter media vitæ actiuæ miniſteria. Quo monemur, non adeo impensè occupationibus exterioribus vacandum, vt ad Deum iaculatorijs orationibus confugere omnino deſiſtamus. Vnde Apoſtolus dixit: *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus.* Ecce dum ait, in omni loco Deum inuocandum frequentiam orationis monet. Quòd verò manus puras eleuare hortatur, ad opera ſancta pertinere arbitror vitæ actiuæ: quæ oratione condiri debent, vt diuino palato ſint dulciora. Quid? quod vita actiua infirma eſt, niſi à contemplatiua iuuetur. Eſau qui quendam typum vitæ actiuæ gerebat, fame peribat, niſi Iacob vitam contemplatiuam adumbrans, cibaria illi præberet. Vnde Caſſianus ait lib. collationum Sanctorum Patrum, ſanctos illos heremitas, in medijs occupationibus externis frequenter repetere ſolitos: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.* Hoc enim iuuamine maximè indigent miniſteria vitæ actiuæ: maxime cùm ſunt valde grauia, & oneroſa: alioquin opus erit ab eis ceſſare, vel omnino ea deponere, ſicut facere tentauit Moyſes, vt legimus Numer. 11. Hinc D. Gregorius in primum lib. Regum lib. 5. cap. 4. inquit. *Non defuit illi tempus, atque commoditas ad aliquid cum Deo tractandum: quo planè euidenter inſtruimur, quod fratribus noſtris ſeruientes, & miniſtrantes, locum etiam habeamus, & tempus ad Chriſti pedes in tranquilla contemplatione ſedendi: ſaltem modico tempore, quo inſtantes nos humiliter, ac deuote diuino conſpectui præſentemus.*

Innoc. Tertius

1. Timot. 2.

Geneſ. 25.

Caſſian.

Num. 11.

D. Greg.

Denique (quod & in Marthæ commendationem cedit) illud diſcrimen obſeruãdum trado inter eos, qui Deo ſeruiunt, & inter eos, qui Regibus, aut Principibus huius mundi miniſtrant. Abhorrent iſti omnem ſocietatem, neminemque participem in laborem volunt habere: ſi autem coniungatur illis aliquis ſocius, ægre, & moleſtè ferunt, verentes ne eis adimat familiaritatem cum principibus, & amicitiã: ideo ſoli eſſe gaudent, & multa officia exercere, vt ipſi ſoli lucrentur. At vero ſerui Dei multos volunt ſe adiuuare in Dei ſeruitio, vt participes etiam fiant ipſius boni. Sic Moyſes, Aaron petijt, cum mitteretur ad Pharaonem, & cum eſſet dux filiorum Iſrael in deſerto dixit Domino: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum*, atque ita dedit illi Dominus ſeptuaginta viros, qui eum adiuuarent. Sic Iudas dixit Symeoni fratri. *Aſcende mecum ad ſortem meam;* nunc tamen multos reperies, qui etiamſi magna ſint onera,

Exod. 4.

Num. 11.

onera; & multa,ea tamen ſuſcipiunt, neque quemquam ſocium volunt.

Alij verò Patres, & graues doctores,
Lucæ 10. opinati ſunt, verba illa Marthæ: *Domine non eſt tibi curæ,quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* aut murmuratoria,fuiſſe contra ſororem,quòd illam adiuuare negligeret, aut incuſatoria Chriſti, quòd ita fieri pateretur, nec præciperet ei, vt
D.Bernar. adiuuaret. Vnde Diui Bernardi hæc ſunt verba ſermone 5. de aſſumprione *Non miremur, ſi quempiam laborantem, & benè operantem aduerſus fratrem vacantem murmurare videamus, quia hoc in Euangelio legimus, Martham feciſſe aduerſus Mariam.* Quòd autem Maria quandoque murmurauerit aduerſus Marthā, eò quòd eius actionibus implicari vellet,nunquam omnino reperitur: neque enim vtrumque ſimul agere competenter ſufficeret, & curis ſcilicet exteriotibus deſeruire, & internis ſapientiæ deſiderijs vacare. De ipſa
Eccl. 38. quippe ſapientia ſcriptum eſt: *Et qui minoratur actu,ſapientiam percipiet.* Propterea Maria ſedet,immotaq; manet,nec vult interrumpere ſilentij quietem,ne iucundam amittat contēplationis dulcedinem, præſertim cùm intus audiat Dominū dicentē:
Pſal 45. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.*

Nicolaus de Lyra,Diuo Bernardo con-
Nic. de Lyra. ſentiens,ſuper cap. 10. Lucæ, hæc ait: *Inuenitur quidem Maria accuſata tripliciter, eò quod Chriſtum tetigit recumbentem, vt dictum eſt Lucæ 7. Item à Iuda, de prodi-
Luca 7. galitate, eo quod precioſum vnguentum effudit,& pedes Ieſu vnxit, vt habetur Ioann.
Ioann 12. 12. Tertio à ſorore de otioſitate, vt hic habetur. Vbique tamen Maria tacuit,& Chriſtus eam excuſauit.*

Eruditus Author Maldonatus ſuper c.
Maldonatus. 10. Lucæ Martham incuſaſſe Chriſtum his verbis indicat: *Non tam mirabatur,ſororem ſuam verbis Domini delectatam,omnium aliarum rerum oblitam,ad pedes eius fixam hærere, quàm Dominum ipſum,rem vt illi quidem videbatur,indignam pati,vt Maria,(ſorore ſua maiore natu miniſtrante) otioſa quodāmodo, & ſine cura ſederet.*

Alij tandem, tametſi perſonā Marthæ, & eius intentionem ſaluent; verba tamen eius: *Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo
Luca 10. illi, vt me adiuuet*, multiplicem imperfectionem inuoluere aſſerūt: tum quod ſpeciem habeant accuſationis, & querelæ: tū quòd Marthæ oſtentent diligentiam, Mariæ verò deſidiam,& incuriam notēt: tum quòd quandam inuidiam præſeferant, eo quòd apud Chriſtum ſoror eius gratioſior, & gratior eſſe videretur: tum tandē,quòd impatienter ferret totum miniſterij opus ſuſtinere. Sanè ego nulla ratione duci poſſum, hos defectus in Martham tunc irrepſiſſe, cum ex ardenti amore,& reuerentia erga Chriſtum, in illa verba prorumperet, deſiderans per ſe, & per alios tanto hoſpiti inſeruire. Illud tamen non ſolùm mihi perſuadeo, ſed experiētia comperio, perplures eſſe, qui videntes alios rerum diuinarū contēplationi deditos, tumultuoſa huius ſæculi negocia non curare, otioſos homines eos appellant, præſertim Eccleſiaſticos,& Monachos: perſimiles ſanè in hoc Aegyptijs illis, de quibus Exod 5. legimus,quod volentibus filijs Iſrahel vero Deo ſuo ſacrificare, ac debitum cultum
ei exhibere,ipſi dicebant: *Vacatis otio, &* Exod.5.
propterea vultis ſacrificare. Hi planè ignorant ſpirituale exercitium tanto fore exteriori excellentius, quanto ſpiritus corpus præcellit. Vnde Apoſtolus Timotheo ſua-
debat: *Exerce teipſum ad pietatem, nam* 1.Tim.4.
corporalis exercitatio ad modicū vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionē,habens quæ nunc eſt,vitæ,& futuræ. Caueāt ergo hi murmuratores,ne ſeruos Dei temerè iudicent,verba D.Pauli auſcultan-
tes: *Quis es tu,qui iudicas ſeruum alienum?* Rom. 14.
ſed potius ad ſe conuertētes, vitam ſuam explorent, ad imitationem illorum ſacrorum animalium, de quibus dicitur, quod coram facie ſua ambulabant; hoc eſt, vitā ſuam, non alienam explorabant, & diſcutiebant. Id enim propriè eſt coram facie ſua ambulare. Pertimeſcant etiam hi murmuratores, ne diuinam vltionem ſimilem illi, quam Iſraelitæ ſuſtinuerunt, ipſi in caput ſuum experiantur. Filij quidem
Iſrael,vt legimus Num. 21. in deſerto, iti- Num.21.
neris tœdio fatigati, aduerſus Deum, & Moyſen obmurmurare cœperunt,quòd ipſus ab Aegypto in illam ſolitudinem induxiſſet. Quo quidem ſcelere ita Dominus offenſus fuit, vt ignitos ſerpentes in illos immitteret, qui venenato morſu eos impeterent, qui optimi Ducis ſui vitæ detrahebant: vt quemadmodum Aegyptij interempti fuerant, qui aquis infantes He-

bræorum interfecerant; ita iſti ſerpentum morſibus perirent, qui viri ſanctiſſimi vitam mordebant: & à ſerpentibus peterentur, qui ſerpentum malitiam ſectabantur. Ait namque Salomon: *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Sunt quidem detractores inſtar Ceruorum, qui quærunt ſerpentes, & viperas venenatas, & eas educentes ex latibulis ſuis deuorant, atque conſumunt; ita iſti rodunt defectus, & errata proximorum ſuorum, & ea omnibus manifeſtant. (Eccl. 10.)

Reſpondens, dicit Dominus: Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. §. VI.

(D. Auguſt.) DIuus Auguſtinus ſermone 26. de verbis Domini, expendens geminatam illam vocem: *Martha, Martha,* ait: *Repetitio nominis, eſt inditium dilectionis, aut forte mouendæ intentionis, vt audiret attentius.* Hinc Dominus amico ſuo Moyſi Exodi 3. repetito nomine eum vocauit: *Moyſes, Moyſes.* (Exod. 3.) De inimicis tamen ſuis è contra ait: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Vnde narrans Chriſtus Dominus hiſtoriam diuitis Epulonis, & Lazari pauperis; illius nomen reticuit, huius expreſſit. Quia igitur dulce erat Chriſto nomen famulæ ſuæ Marthæ, idcirco non ſemel, ſed iterato dixit ei: *Martha, Martha.* Vel certè vſus eſt ea nominis repetitione ad excitandũ illam vt attenderet ſuo defectui, vt his verbis docuit D. Bonau. ſuper c. 10. Lucæ: (D. Bonauent.) *Ideo nomen Marthæ ingeminat, vt eam excitet ad conſiderandum defectum proprium, & hoc cum diuini verbi attentione: ſicut de Moyſe dicitur, quod cernens Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes.* (Exod. 3.) *Et Dominus volens excitare peccatores ad attentionem, iterat vocationem: terra, terra, terra, audi ſermonem Domini:* (Hierem. 22.) *& ſic nunc excitat Martham, oſtendens in ea eſſe triplicem defectum, ſcilicet ſollicitudinis in cogitatu, tribulationis in affectu, & diuiſionis in actu. Et iſta omnia impediunt nos, vt totaliter tendamus in Deum. Vnde nimia ſollicitudo eſt vitanda, ſecundum illud: Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione, &c. petitiones veſtræ innoteſcant apud* (ad Philip. 4.) *Deum. & Petrus: Omnem ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis.* (1. Petr. ult.) *Vitanda eſt etiam turbatio: Non turbetur cor veſtrum: creditis in Deum, & in me credite.* (Ioann. 14.) *vnde & de Chriſto Iſaias: Non erit triſtis, neque turbulentus;* (Iſai. 42.) *oculus enim turbatus, non eſt ad videndum idoneus. Vitanda eſt etiam diuiſio. vnde dicitur: Fili ne in multis ſint actus tui.* (Eccl. 11.) *& hæc incommoda habet vita actiua, non contemplatiua. Quare Diuus Paulus 1. Corinth. 7. qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt: & mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt; vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu: Quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt Mundi.* (1. Cor. 7.) *Sic ergo humiliata eſt actionis importunitas per oſtenſionẽ ſui incommodi, ſiue defectus.* hactenus D. Bonauentura. Aduertere tamen oportet, hoc loco minime Chriſtum Dominum reprehendiſſe miniſterium, & hoſpitalitatẽ Marthæ, vt his verbis obſeruauit D. Aug. ſermone 29. de verb. Domini. (D. Auguſt.) *Quid enim putamus nos reprehenſum eſſe miniſterium Marthæ, quam cura hoſpitalitatis occupauerat, quæ ipſum Dominum hoſpitio receperat? quomodo rectè reprehendebatur, quæ tanto hoſpite lætabatur? Hoc ſi verum eſt, dimittant homines, quod miniſtrant egentibus: eligant ſibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis: vacent verbo, inhient doctrinæ dulcedini: occupentur circa ſcientiam ſalutarem. Nihil eis curæ ſit: quiſque peregrinus in vico ſit, quis egeat pane, quis indumento, quis viſitandus, quis redimendus, quis ſepeliẽdus. Vacent opera miſericordiæ, vni inſtetur ſcientiæ.* hæc D. Auguſtinus. Quamuis autem Chriſtus Dominus illis verbis: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris ergo plurima,* pium hoſpitalitatis miniſterium minimè reprehenderit; multi tamen Patres putant, reprehendiſſe aliquas illius circumſtantias. Nam in primis Diuus Ioannes Chryſoſtomus homil. 43. in Ioannem dicit, eſſe reprehenſam eò quod temporis rationem non habuit. (D. Io. Chryſoſt.) Sic enim inquit: *Quod ad Martham locutus eſt Ieſus non in operando reprehenſibilem dixit, ſed quòd tempus conſiderandum ſit, & diſtribuendum, ne audiendi verbi Dei occaſio in carnalium rerum cura conſumatur. Non ergo deſidiam laudat, ſed ad audiendũ allicit. Veni (inquit) vt vos docerem; tu*

autem

autem circa prandium occuparis, Varijs ciborum generibus me vis excipere? alium cibum para, ſermonibus meis attēde, ſororis deſiderium imitare. Neque coarguebat Ieſus hoſpitalitatem, abſit: ſed doctrina tempore, alijs non eſſe vacandum negocijs, admonebat. hæc Chryſoſt. D. autem Gregor. lib. 5. in librum Regum cap. 4. docet, circūſtantiam reprehēſam à Chriſto Domino, in hoc loco nimietatem eſſe ſollicitudinis in rebus tēporalibus. Verba eius ſunt hæc: *Quia in ipſis, quæ actiuæ vita deſeruiunt, nimietas ſollicitudinis cohibenda eſt, Martha reprehenditur, quæ tam ſollicitam ſe exhibet, vt erga plurima turbetur. Actionis quidem feruor tūc rectè diſponitur, cum ſic inſiſtimus operi, vt tranquillo corde eum cui opera noſtra conſecrare nitimur, imitari videamur.* D. Greg.

Theophil. Theophilactus ſuper c. 10. Lucæ ſic loquitur: *Ieſus nihil prius dixit Marthæ, quā ab illa perſtringendi ſumeret occaſionem; poſtquam enim illa auellere tentauit ſororē ab auditu, tunc denique Dominus arrepta occaſione illam verberat. Eatenus enim hoſpitalitas veneratione digna eſt, quatenus non abſtrahit, & abducit nos à magis neceſſarijs: cum enim nos prohibet tunc illi præferendus diuinorum auditus. Immò, ſi accuratius dicendum: non hoſpitalitatem prohibet Dominus, ſed varietatem, ac turbam, hoc eſt, diſtractionem, & turbationem.*

Card. Tolet. Cardinalis Toletus ſuper cap. 10. Lucæ ſententiæ Diui Gregorij conſentiens, hæc in Commentario ſcripſit: elucidans prædicta verba: *Martha, Martha,* &c. *Reſpondet Dominus ad tria, nimirum ad cauſam, quæ inducebat Marthā ad incuſandam ſororem, petendumque ipſius in miniſtrando iuuamen; & ad ipſam accuſationem, & demū ad petitionem. Ad primum quidem reſpondet dulci quadam reprehenſione: taxat namque eam, non facti, quia bonum, & laudabile erat; ſed nimietatis in rebus, & ſuperfluæ ſollicitudinis, dicens: Martha, Martha ſollicita es, & diſtraheris in multis, pluſquam oportet præparandis. Si pauciora, & quæ ſatis eſſent, parares, non ita ſollicita, & diſtracta eſſes: modum ergo non tenes, nec in ſollicitudine, & diſtractione, nec in ipſis rebus, quàs ad eſcam preparas. Turbatio, & diſtractio multis cauſa erat ſollicitudinis nimiæ.* hæc Cardinalis Toletus. Ego tamen arbitror, verba Chriſti Domini ad Marthā non fuiſſe reprehēſoria, quaſi miniſterium Marthæ, aut aliqua eius circumſtantia fuiſſet peccaminoſa: nam cùm ipſa nimiā illam, quam vocant *ſollicitudinem* ex magno Chriſto inſeruiendi affectu proceden tem; & turbationem illam erga plurima, quam vita actiua ſecū affert, propter Chriſtum ſuſtineret; quę honorificè, vt decebat tantum hoſpitem tractare ſatageret, minimè reprehenſione, ſed laude digna erat. Sunt ergo verba illa Chriſti Domini non increpatoria, ſed doctrinalia, ſicut & illa dicta ad Virginē: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondū venit hora mea.* & illa: *Quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quare Chriſtus Dominus ſolum per illa verba ſignificare voluit imperfectionē vitæ actiuæ reſpectu contemplatiuæ: & ideo ſubiunxit: *Maria optimam partem elegit.* Per illa enim verba in hoc ſenſu accepta ſufficienter reſpondit petitioni Marthæ. Nam cùm miniſterium vitæ actiuæ, quod illa exercebat, eſſet ſollicitudinis, & turbationis tribulis inuolutum; miniſterium autē (ſi ita fas eſt loqui) vitæ contemplatiuæ mentis quietem ſecum ferret, & intentam in Deum ſolum animam redderet; non debebat Maria à quietis tranquillitate ceſſare, vt ſollicitudini, & inquietudini vitæ actiuæ Marthæ erga plurima vacaret. Nec certum eſt (vt quidam putant) ex verbis illis: *Turbaris erga plurima,* culpam aliquam à Chriſto exprobrari, cùm non omnis turbatio in ſacris litteris culpam denotet: quinimmo non ſemel reperiamus laudabilem, & meritoriam eſſe, vt patet tum in Beata Virgine, de qua D. Lucas dixit: *Turbata eſt in ſermone eius:* tum in Chriſto Domino, de quo Euangeliſta ait: *Turbauit ſemetipſum,* & alibi: *Anima mea turbata eſt.* Sent. Auctor. Ioan. 2. Luca 2. Luca 10. Luca 1. Ioan. 11. Ioan. 12.

Porrò iam audiamus præclara quædā, quæ D. Bernardus, propoſita verba elucidans ſerm. tertio, de aſſumptione ſcribit. *Quibus conuenientius videtur aptandum, quod Dominus ait: Martha, Martha, ſollicita es, quàm Prælatis, ſi tamen digne in ſollicitudine præſunt? Aut quis turbatur erga plurima, niſi qui & Mariæ vacantis, & Lazari pœnitentis, ſed & ipſorum, quibus onera ſua partitur, vniuerſa incumbit ſollicitudo? Vide Martham ſollicitam, vide Mar-* D. Bernar.

Martham erga plurima turbatam. Apoſto-
lum loquor, qui Prælatos ſollicitudinis ad-
monens, gerit ipſe ſollicitudinem omnium
2. Cor. 11. *Eccleſiarum. Quis infirmatur, inquit, &*
ego non infirmor? quis ſcandalizatur, &
ego non vror? Suſcipiat igitur Martha Do-
minum in domum ſuam, cui nimirum credi-
ta eſt diſpenſatio domus. Mediatrix eſt, vt
ſibi pariter & ſubiectis ſalutem obtineat.
Suſcipiat gratiam, ſicut ſcriptum eſt: Suſci-
Pſal. 71. *piant montes pacem populo, & colles iuſti-*
tiam. Suſcipiant & ceteri coadiutores eius
ſinguli pro qualitate miniſterij ſui. Excipiãt
Chriſtum, ſeruiant Chriſto, miniſtrent ei in
membris ſuis. Ille in infirmis fratribus, il-
le in pauperibus, ille in hoſpitibus, & pere-
grinis. Quibus ita ſollicitus circa frequens
miniſterium, videat Maria quemadmodũ
vacet; & videat, quoniam ſuauis eſt Do-
Pſal. 33. *minus. Videat (inquam) quàm deuota*
mente, quàm tranquillo ſedeat animo ſecus
pedes Ieſu, prouidens eum ſemper in conſpe-
ctu ſuo, & verba ex ore eius excipiens: cu-
ius & aſpectus delectabilis, & eloquium
dulce.

Villanoua. Quid plura? ea tantum referam quæ
Archiepiſcopus Valentinus vir doctrina,
& ſanctitate inſignis, ſermone de aſſum-
ptione in hæc eadem verba: *Martha, Mar*
tha ſollicita es, & turbaris erga plurima,
ſcripſit: *Quoties* (inquit) *profunda medi-*
tatione, irradiante Deo, veluti ex alta ſpe-
cula, ſtudia hominum, cogitatus, & opera
diligentius intueor: quoties vagos eorum
diſcurſus, & ſuperfluos labores attentius in-
ſpicio, vix me contineo à lachrymis præ do-
lore, videns filiorum Adam errorem, cæci-
tatem, tenebras, & inutilem vexationem.
Quis enim non doleat, quis non miſereatur
tantam hominum multitudinem tam impiè
deluſam atque fruſtratam, vt ſine cauſa con
diti eſſe videantur? Cuius (inquam) vi
ſcera non rumpantur, & cor mærens ſan-
guinis guttas non effundat, cum ingenuam
creaturam propter quam aſtra Cæli, maria,
elementa, & cetera omnia orbis huius cor-
pora condita ſunt, videat denſiſſimis tene-
bris inuolutam, penitus neſcire quo vadat?
Omitto nunc paganorum, Iudæorum, miſe-
rorum Hæreticorum gentem innumeram,
quibus æterna damnatio reſeruatur: quibus
vtique melius fuiſſet non naſci; cum ad ni-
hil aliud nati videantur, niſi in combuſtio-
Matth. 26. *nem perpetuam, & cibum ignis. Ex his,*
quos ſacra fides inſtituit, & illuminauit ad
vitam, perraros vbique reperis, qui veri,
& æterni boni deſiderio teneantur; qui vti-
li officio vitam expendant; ſed alios acqui- Iſai. 9.
rendis diuitijs, alios ampliandis honoribus,
alios perfruendis voluptatibus implicatos,
vanitatibuſque deditos, luſiſſe vitam, impen
ſamque, & operam perdidiſſe. Quàm im-
probo labore, quanta cura, & anxietate vm
bratiles iſtas honorum formas, fictaſque
rerum imagines, & phantaſmata perſequñ-
tur? quàm ardenti cupiditate, & deſiderio
viles carduorum lanugines, inſenſatorum
puerorum more, per aera volitantes inſectã-
tur, & ſuper his obtinendis, inueniendis, &
acquirendis quàm ſtultè, & miſerabiliter
vexantur? O curas hominum, ò quantum
eſt in rebus inane. Filij hominum, vſque- Pſal. 4.
quo graui corde, vt quid diligitis vanitatẽ,
& quæritis mendacium? Vſquequo (in-
quam) paruuli diligitis infantiam: & ſtul-
ti, ea quæ ſunt noxia, cupitis? quàm pulchrè
olim de his prædixerat Iſaias Propheta di-
cens: Opera eorum, opera inutilia: telas ara-
neæ texuerunt. Telæ eorum non erunt in Iſaia 59.
veſtimentum, neque operiẽtur operibus ſuis.
Videmus araneas euiſcerari, & exinaniri,
vt telam faciant: quam cum multo labore
et aſſidua opera exorſæ fuerint, à modico vẽ-
to diſſipatæ, in nihilum, diuturnus ille labor
euanuit: quæ tamen, etſi diu permaneant,
ad nihil aliud vtiles ſunt niſi ad capiendas
muſcas. Talia ſunt mortalium opera, huiuſ-
modi ſunt iſtorum labores: non erunt illis
telæ eorum in veſtimentum, ſed in confuſio-
nem, & nuditatem, & exitium ſempiter-
num. Cui comparabimus homines iſtos, aut
cui aſſimilabimus eos? ſimiles ſunt profectò
propellentibus prægrandem ſcropulum, &
multo cum ſudore illum euellere conantibus;
aut Ciuitati populoſæ, quæ multis expenſis,
& indefeſſo labore montem altiſſimum fru-
ſtra, & ſine cauſa ſcrobibus planare cona-
tur. Quos ſi quiſpiam viator ſenſatus vi-
derit, inutiliter deſudantes, aut miſeratione ad Rom. 1.
commotus lachrymas fundet, aut riſu perci-
tus, in cachinnum erumpet. Talis eſt vita
hominum, fratres: ſimiles ſunt hi, quos mun-
dus potentes, cordatos, & ſapientes vocat:
dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti Pſal. 13.
ſunt. Proh dolor, corrupti ſunt, & abomi-
nabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt, qui
faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Do-
minus de Cælo proſpexit ſuper filios homi-

num,

num, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauerunt ſimul, ſimul inutiles facti ſunt. Contritio, & infælicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt. Felix, cui Deus aperuit oculos, vt videat veritatem, & fugiat vanitatem. Eccleſ. 1. *Conatur Salomon in Eccleſ. reducere homines ad cor, vt intelligant fallaciam, quam ſequuntur: ne videlicet fruſtra laborent ſub Sole, & breuiſſimo vitæ ſuæ tempore inaniter conterantur. Propoſuit in corde ſuo diligenter inquirere rationes, & cauſas rerum, & inueſtigare ſapienter, quid expediat homini ſub Sole, quo facto opus ſit omnibus diebus vitæ ſuæ: qui cùm ingenio, & ſapientia omnes Mundi homines antecelleret, omnibus ſæculi bonis, quæ homines deſiderare poſſunt, ſolerti experientia perluſtratis; cùm vacua omnia reperiſſet, clamat ad cæteros:* Eccleſ. 1. *Vanitas vanitatum, filij Adam, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid miſeri fallaces has bonorum vmbras tam anxie complectimini? credite ſapienti, credite experto, credite doloſo. Vidi omnia, probaui omnia, & nihil in eis reperi præter laborem anxietatem, amaritudinem, & dolorem. Quis vnquam ab initio cunctis opibus abundauit, vt ego? Nemo ſic honoratus, nemo ſic ditatus, nemo ſic dilectus, nullus vnquam ſic in orbe celebratus, nullus à gentibus cum tanta reuerentia, & admiratione cultus.* Eccleſ. 2. *Abundaui diuitijs, magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas: feci hortos, & pomeria, & conſeui ea cuncti generis arboribus, & eſtruxi mihi riuos aquarum, vt irrigarem ſyluã lignorum viridantium, & germinantium. Poſſedi ſeruos, & ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hieruſalem: coaceruaui mihi argentum, & aurum, ſubſtantiam Regnorum, & Prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum: ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda. Denique omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui, neque prohibui cor meum, quin omnino voluptate frueretur: quadraginta millia equorũ in ſtabulo meo habui, & pluſquam trecentas feminas in delicijs. Quis ita vacauit delicijs affluens, ſicut ego? Rex potens pacificus, ſapiens, glorioſus: & tamen quid dicam vobis, ò filij hominum? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Omnia quæ deſideratis, habui: omnia, quæ concupiſcitis, expertus ſum. Nolite decipi, nolite errare, credite mihi, nulla in eis felicitas, nulla ſatietas. Nihil eſt in eis, niſi vanitas, & afflicito ſpiritus. Quod ſi ſapienti, & experto fides adhibenda eſt, dicam tibi, ò homo, quid expediat tibi ſub Sole: Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis* Eccl. 12. *homo, hoc ſolùm vtile iudicaui: cetera omnia vanitas, & afflictio ſpiritus. Omnes ergo, vt ait Propheta, declinauerunt ſimul, inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non* Pſal. 13. *eſt vſque ad vnum. Non eſt (inquam) qui bonum illud neceſſarium perquirat, & exequatur, in quo ſolo ſalus, & vita hominis poſita eſt. Omnes circa multa diſtrahuntur, & occupantur, in quibus non eſt, niſi vexatio ſpiritus.* hactenus Archiepiſcopus Valentinus.

Porrò vnum eſt neceſſarium.

§. VI.

VAriæ, ac multiplices circumferũtur Patrum opiniones circa propoſita verba. D Baſilius in regulis fuſius diſpu- D. Baſil. tatis interrogat 2. D. Cyrillus commen- D. Cyrill. tario in hunc locum, vt refert D Thomas D. Thom. in ſua Catena, & Titus Boſtren. ſuper hũc Titus Boſtr. locum arbitrantur, Chriſtum Dominum taxaſſe multitudinem ciborum, quæ cauſa erat nimiæ ſollicitudinis, & diſtractionis. Quare perinde fuit dicere: *Porrò vnum eſt neceſſarium* ac ſi dixiſſet: ſuperflua eſt ſollicitudo erga plurima fercula parãda, cùm vnum tantum ſit neceſſarium, & ſufficiens ad humanæ vitæ ſuſtentationem, vt enim fert commune prouerbium: *Paucis natura contenta eſt*.

Venerabilis Beda, & Euthymius, quos Vener. Beda. & alij ſectati ſunt in cap. 10. Lucæ, interpretantur hoc vnum eſſe verbum Dei audire. Quæ ſententia, licet multis ab ſcopo aberrare viſa fuerit, mihi non videtur à mente Chriſti Domini aliena. Opponit Chriſtus ſtudium Mariæ, ſtudio Marthæ: Maria hoc vnum curabat, vt Chriſtum audiret, & ab eo ſalutem ſuam quæreret; Martha, vt Chriſto in rebus externis omnibus, quibus poterat, miniſtraret. Illud vnum neceſſarium eſſe dicit, hæc multa non neceſſaria; non quod hæc non ſint aliquando neceſſaria; nam & corporis moderata

derata habenda cura eſt; ſed quod illud per ſe, hæc nonniſi quatenus ad illud referuntur, curari debeant, & illud ſine his ſatis ſit, hæc ſine illo non ſint. Matth.16. *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

D. Aug. D. Bonauen. Diuus Auguſtinus ſermone 29. de verbis Domini, necnon Diuus Bonauentura in Commentario huius loci, per hoc vnũ, quod Dominus dicit, neceſſarium, intelligunt charitatem, per quam fideles amoris vinculo fiunt vnum cum Chriſto, & inter ſe. D. Auguſt. Verba Diui Auguſtini hæc ſunt: *Vnum neceſſarium eſt: non vnum quaſi ſingulare opus, ſed opus eſt, expedit, neceſſarium eſt. Quod vnum elegerat Maria vnum cogitate fratres mei, & videte in ipſa multitudine, ſi delectat niſi vnum. Ecce, Deo propitio, quàm multi eſtis. Quis vos ferret, niſi vnum ſaperetis? vnde in multis iſta quies? da vnum, & populus eſt: tolle vnum, & turba eſt. Quid eſt enim turba, niſi multitudo turbata? Sed audite Apoſtolum:* 1.Cor.1. *Obſecro autem vos fratres, multitudini dicebat, ſed omnes in vnum facere volebat. Obſecro autem vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſcientia. & alio loco:* Philip.2. *Vnanimes, vnum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. & Dominus ad Patrem* Ioann.10. *de ſuis: Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. & in actibus Apoſtolorum:* Act.4. *Multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum.* Pſal.33. *Ergo magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in vnum, quia vnum eſt neceſſarium, vnum illud ſupernum, vnum vbi Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum. Videte nobis commendari vnitatem: Certè Trinitas, eſt Deus noſter, Pater non eſt Filius, Filius non eſt Pater, Spiritus ſanctus nec Pater eſt, nec Filius, ſed amborum ſpiritus; & tamen iſta tria, non tres Dij, non tres omnipotẽtes, ſed vnus omnipotens, & ipſa Trinitas vnus eſt Deus, quia vnum neceſſarium eſt. Ad hoc vnum nos non perducit, niſi multi habeamus cor vnum.* hæc Diuus Auguſtinus.

D. Bonauen. Diuus autem Bonauẽtura, quamuis in prioribus verbis videatur, hoc vnum referre ad beatitudinem, reuera tamen loquitur de beatitudine non Patriæ, ſed viæ, quæ in vnitate charitatis cõſiſtit: ſic enim loquitur: *Porrò vnum eſt neceſſarium: hoc ſcilicet, eſt Regnum Dei: quo habito, nihil deeſt. Vnde Matthæus: Quærite primum* Matth.6. *Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, & in Pſal.26. Vnam* Pſal.26. *petij à Domino, hanc requiram vt inhabitẽ in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Iſta tantum eſt vita beata, quæ eſt in Dei adhærentia, cui vacat contemplatiua: in cuius perſona dicitur: Mihi autem adhærere* Pſal.72. *Deo bonum eſt, & hoc eſt, illud vnum,* 1.Cor.6. *quod eſt neceſſarium: quia qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt, ſicut dicitur: hoc vnũ qui habet, habet omne bonum; vnde & in figura huius dicitur: Omnia ſimul in te vna* Tob.10. *habentes, te non debuimus dimittere à nobis, & Sapiens ait: Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, &c.* Sap.7.

Diuus Gregorius in 1. lib. Regum cap. D. Greg. 4. & Diuus Auguſtinus ſerm. 2. de verb. D. Auguſt. Domini, hoc vnum referunt ad finem vltimum, & ſummum vnicum bonum; & licet Diuus Bernardus, per hoc vnum, quod Chriſtus ait, eſſe neceſſarium, intelligat gratiam, & charitatem, ſicut & ceteri Patres, per quam multi fiunt vnum ſimul; tamen per hoc vnum ſignificari arbitratur vnicum illud bonum, quo beati in gloria ſunt vnum, & ad quod mens noſtra eſt dirigenda, non diſtrahenda. Verba eius ſingulari eruditione plena, ſermone quinto de aſſumptione, hæc ſunt: *Porrò erga hæc* D. Bernar. *plurima turbaris, ſed vnum eſt neceſſariũ: niſi enim opus tuum in vnitate feceris, Deo qui vnus eſt, acceptum, teſte ipſo, profectò nõ erit. Scriptum quippe eſt: Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Pſal.13. *Hinc eſt, quod in illa piſcina mouebatur aqua, & ſanabatur vnus. Hinc eſt, quod decem leproſis mundatis, vnus regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum: cui etiam Do-* Ioan.5. *minus, ceteris reprobatis, teſtimonium laudis, adſcribit dicens:* Luc.17. *Nonne, decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & gloriã Deo, niſi hic alienigena. Paulus quoque ait: Omnes quidem* 1.Cor.9. *currunt, ſed vnus accipit brauium. His itaque, & alijs quamplurimis ſacrarum Scripturarum eloquijs perſpicue docemur, quàm vnitas probabilis ſit: maximè, autem ex præſenti loco, vbi Dominus ait: Porrò vnũ eſt neceſſarium. Sed ſciendum, quòd alia eſt vnitas ſanctorum, quam ex ſcripturis*

iam

iam commendauimus; alia eſt facinoroſorũ,
quæ nihilominus ex iiſdem ſcripturis oſten-
ditur, & improbatur. De hac enim ſcri-
Pſalm. 2. *ptum eſt: Aſtiterunt Reges terræ, & Prin-*
cipes conuenerunt in vnum aduerſus Domi-
num, & aduerſus Chriſtum eius. De hac ite-
Matth. 22. *rum Euangeliſta: Adeuntes Phariſæi, con-*
ſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſer-
Ioann. 11. *mone. & iterum: Collegerunt Pontifices, &*
Phariſæi concilium; vt quid hoc? ſicut Ioan-
nes teſtatur, vt interficerent Ieſum. Quàm
verò pertinax ſit iſta reproborum vnitas,
docet ipſe Dominus, qui de corpore Diabo-
Iob. 41. *li ad beatum Iob loquitur, dicens: Corpus il-*
lius, quaſi ſcuta fuſilia, & compactum
ſquamis ſe prementibus: vna vni coniungi-
tur, & ne ſpiraculũ quidem incedit per eas:
vna alteri adhærebit, & tenentes ſe, nequa-
quam ſeparabuntur. Talis vnitas, immò
verò peruerſitas ſolet eſſe aliquorum fratrũ
tepidè, ac remiſsè conuerſantium: quibus, ſi
quid honeſtatis, aut inſigne cuiuſquam bo-
næ cõſuetudinis perſuadere velis, promptio-
res ſunt maiori diſpendio ac difficultate gra-
uiori reſiſtere, quàm facili compendio aſſe-
qui velle quod rectum eſſe conſtiterit: per-
uerſa, & execranda talis vnitas. Hæc er-
go à cordibus, & ſermonibus noſtris exclu-
ſa, illam quæ bona eſt, & tantum bonorum
eſt, proſequamur; & ipſa gemina eſt: alia
eſt enim quæ iuſtificat, alia quæ glorificat:
illa meritum, iſta præmium eſt. Denique
Act. 4. *de illa ſcriptum eſt: Multitudinis creden-*
tium erat cor vnum, & anima vna. De
1. Cor. 6. *hac autem: Qui adhæret Domino, vnus ſpi-*
ritus eſt: & quoniam in futuro magis ſpe-
randa eſt (res eſt enim futuri temporis ma-
gis, quàm præſentis) eam interim omitta-
mus, & à Deo ſperemus potius, quam tra-
ctemus. Illam verò, quæ iuſtificat, quæ
etiam nunc potiſſimum neceſſaria eſt, in
vſum noſtri operis aſſumamus. Ipſa eſt
enim Deus ſuauitatis, quam dulcedine ſa-
Pſalm. 132. *cra inſonat Pſalmiſta: Ecce quàm bonum,*
& quam iucundum habitare fratres in
vnum. Cuius vnitatis cùm deſcripſiſſet ſer-
mo Propheticus pulchritudinem, eius etiam
non tacuit vtilitatem: Quoniam illic, in-
quiens, mandauit Dominus benedictionem,
& vitam: hic ſcilicet benedictionem, & in
futuro ſæculo vitam æternam. Ipſa eſt (in-
quam) vnitas, quam ſumma diligentia
obſeruandam tradidit Apoſtolus dicens:
ad Epheſ. 4. *Sollicitì ſeruare vnitatem ſpiritus in vin-*
culo pacis. Seruatur autem hoc vnitatis bo-
num duobus modis ab his, qui curam gerunt
ſeruandi: debet quiſque perfectus vnitatem
habere ad ſeipſum, debet & ad proximum:
ad ſeipſum, per integritatem, ad proximũ,
per conformitatem. Omnis quippe creatura,
& maximè rationalis debet ſuum principiũ
imitari. Si ergo Deus noſter, vnus eſt, di- Deuter. 6.
cente Moyſe: Audi Iſrael: Dominus Deus
tuus, vnus eſt; ſed & ille cùm ſit vnus, &
idem, atque in ſeipſo perfectus, nec vllo in-
digens, ineſt ei tamen benignitas erga nos,
& amor ex beneuolentia in nos veniens, de-
bemus, & nos quiſque ſibi vnus eſſe, per in-
tegritatem virtutis, & vnum cum proxi-
mis, per vinculum dilectionis. hactenus
Diuus Bernardus.

Alij tandem rectè putant per hoc vnũ, intellexiſſe Chriſtum Dominum, tranquillitatem, & pacem animi, quam contemplationi vacans adipiſcitur e diametro oppoſitam turbationi, quam in miniſterio vitæ actiuæ Martha ſuſtinebat. Quam expoſitionem non obſcurè indicat: quod illud vnum, quod Chriſtus Dominus neceſſarium eſſe dixerat, *optimam partem* appellauit, per quod omnes fatentur prætuliſſe vitam contemplatiuam actiuæ. Ego ſanè in tantorum Patrum, & grauiſſimorum doctorum opinionum varietate, illud ſolum addendum duxi, verba Chriſti Domini tot ſacramentis grauida eſſe, vt facile mihi perſuadeam, omnes illos ſenſus complexum fuiſſe, nullumque illorum ab eius mente fuiſſe alienum.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. §. VII.

QVia multi perperam autumarunt, verba illa nullam importare compa-
rationem, nonnulli ſecuti Diuum D. Auguſt.
Auguſtinum ſermone 26. de verbis Do-
mini, & Caſſianum lib. 1. collationum c. Caſſianus
octauo vertunt: *Maria meliorem partem*
elegit. Quibus conſentiens Philaſtrius in Philaſtr.
hæreſi veteris teſtamenti multa improbante legit: *Maria maiorem ſortem elegit*. Ceterum ita planum D. Ambroſio viſum eſt ſermone 11. in Pſalm. 118. Dominum per comparationem fuiſſe locutum, vt diceret,

ret, verbum cognoſcere, maius opus eſſe
D. Ambroſ. quam miniſtrare. Diuinæ authoritate ſen-
tentiæ definitur id, quod adeò verum eſ-
ſe cenſeo, vt nihil prorſus referat ad hanc
veritatem aſtruendam, ſi legatur: *opti-*
Græc. interpr. *mam: meliorem vel bonam partem elegit.*
Vnde Græcus interpres, omiſſo compara-
tiuo, & ſuperlatiuo, vſus eſt poſitiuo di-
cens; *Bonam partem elegit.* Eſt autem fre-
quentiſſimus vſus in ſacra Scriptura, po-
nere poſitiuum pro comparatiuo. Etenim
1. Cor. 7. D. Paulus 1. Corint. 7. *Dico nuptis, & vi-*
duis: bonum eſt, ſi ſic permanſerint; ideſt,
Pſal. 113. melius eſt & in Pſal. 113. *Bonũ eſt confide-*
re in Domino, quàm confidere in homine:
bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare
Eccl. 20. *in Principibus.* & Eccleſ. 20. *Quàm bonum*
eſt, arguere, quàm iraſci. Sic enim annotat
Euthimius. Euthymius poſitiuũ hoc loco vim habere
comparatiui, iuxta praſim Hebraicam.
Praſ. Hebr. Etenim quia Martha Mariam à propoſito
remouere tentabat, quaſi præferens offi-
cium ſuum officio Mariæ, Chriſtus Domi-
nus, oblata occaſione, docuit eam, & nos
omnes in illa, munus Mariæ præferendum
eſſe miniſterio Marthæ. Quo exemplo
Apoſtoli. Actor. 6. prætulerunt prædica-
Act. 6. tionem verbi miniſterio erga pauperes;
dicentes: *Non eſt æquum nos derelinquere*
verbum Dei, & miniſtrare menſis. Quare
ſenſum germanum verborum Chriſti, hũc
eſſe cenſeo: Martha, non eſt, quòd quera-
ris de ſorore, quòd ſolam te reliquerit mi-
niſtrare, quaſi in hoc minus bene fecerit.
Scito optimam partem elegiſſe ſororem
tuam: bonum eſt, quod tu facis, melius
tamen quod facit Maria: præſtat ſpiritua-
le corporali, & cibus mentis cibo corpo-
ris. Videtur planè mihi Chriſtum Domi-
num nomine partis hic vtentem, apte ſa-
tis metaphoram ſumpſiſſe ab hæredibus,
quorum maior natu, apud Romanos qui-
dem, & apud multas deinde gentes, hæ-
reditatem in partes, quam maximè po-
terat æquales diuidebat: minor verò acci-
piebat quam volebat primus; vt Author
Senec. lib. 6. declam. 3. eſt Seneca. Nam nomen, quo vſus fuit
Euangeliſta, Græce eſt in ſacris litteris, hę-
reditatis propriè partem ſignificat. *Pars*
Pſal. 12. *mea, Deus in æternum; & hæc eſt pars ho-*
minis impij; & alia ſexcenta, quæ lectori
paſſim occurrent, quæ ex Hebraica phraſi
ad verbum expreſſa ſunt *chelek* quod pro-
prie de hæreditate dici ſolet. Conuenie-
bat hoc in Martham, & Mariam: nam &
ſorores erant, & Chriſtum, quaſi hæredi-
tatem ſuam diuidebant: altera enim in ip-
ſo, altera extra ipſum, eum quærebat. Mar-
tha major natu, quodãmodo fecerat par-
tes, & Maria natu minor, cuius erat elige-
gere, optimam elegit partem: quia Chri-
ſtum in ipſo, non extra ipſum elegit.

Reſtat iam, vt ſequentia verba explice-
mus: *Quæ non auferetur ab ea.* Cardina-
lis Toletus ſic exponit illa: *Hæc pars* (in- Toletus.
quit) *Chriſtus, quæ eſt ad meos pedes ſedere*
ad audiendum verbum, non auferetur ab ea.
Quaſi apertius diceret: nunquam ego illi
dicam, vt deſerat quod facit, & adiuuet te.
Non debet, quod maius eſt, dimitti propter
id, quod minus eſt. Hanc nouam expoſitio-
nem, quam nullius antiqui doctoris aucto
ritate confirmat Cardinalis Toletus, licet Card. Toletus.
alioquin non improbabilem, miror valde
doctiſſimum Maldonatum in Commenta- Maldonatus.
rio huius loci, acriter adeò dilaceraſſe, vt
non vereatur, illam vocare ridiculam, ine-
ptam, & ex mente Caluini ortam. Verba
eius ſunt hæc: *Ridicula mihi, & inepta in-*
terpretatio videtur, quæ Caluino valde acu-
ta viſa eſt. Sic enim exponit, quaſi Chri-
ſtus reſpondeat ad id, quod Martha rogaue-
rat: Domine non eſt tibi cura, quod ſoror
mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo
illi, vt me adiuuet. Senſuſque ſit: nolo di-
cere, vt te adiuuet: optimam enim partem
elegit, à qua eam non decet remoueri, vt cor-
porali vacet miniſterio. Non auferetur ab
ea: ideſt, non patiar, vt auferatur, non
patiar, vt à me diſcedat, vt adiuuet te
nimis in miniſtrando ſollicitam, & occu-
patam.

Verùm ego non iudico hanc expoſitio-
nem tam graui cenſura dignam, quin po-
tius cenſeo illam probabilem. Etenim cũ Sent. Author.
Martha peteret à Domino, vt Mariæ iube-
ret ab audiendo verbo deſiſtere, eamque
in miniſterio iuuare, reſpondit Dominus
ſe hoc nolle facere, cùm melius, ac perfe-
ctius eſſet hoc, quàm id cui Martha incũ-
bebat: *Non* (inquit) *auferetur ab ea*; &
vis eſt in verbo auferendi, quaſi diceret:
dum ipſa voluerit, non eam cogam iuben-
do, diſcedere; nec ex hoc infertur: à te
autem auferetur, quod facis. Non hoc
inquam ſequitur, immo confirmat Mar-
tham in eo monendam, ne ſuperfluo labo-
re fatigetur. Erga plurima (inquit) tur-

baris,

baris, cùm vnum eſt neceſſarium. Huic vni, ideſt, vni cibo præparando incumbe, & ſola perficies; nec erit opus, quòd Maria te adiuuet. Fateor tamen, ſi rem altius perpendamus, ſublimius tendere Chriſti Domini verba. Volebat quidem,
D. Hieron. vt docent D. Hieronymus in cap. 3. Hieremiæ,
D. Greg. D. Gregorius lib. 8. moralium c. 28.
Beda, & Teo. & homil. 14. in Ezech. necnon Beda, & Theophilactus in Comment. huius loci, ex effectu, & fine docere, quid inter Mariæ, & Marthæ intereſſet partem: illa theſaurizabat ſibi, vt Chriſtus Dominus ait, Matth. 6. theſaurum in Cœlo, *vbi neque*
Matt. 6. *ærugo, neque tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur:* hæc theſaurizabat in terra, *vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur.*
D. Auguſt. Vnde D. Auguſtinus prædicta verba exponens ſermo. 27. de verb. Domini, propoſitam intelligentiam his verbis exhibet. *Attendamus igitur occupationes noſtras circa multa: neceſſarium eſt miniſterium corpora reſecturis: quare hoc? quia eſuritur, miſericordia miſeris neceſſaria eſt. Frangis panem eſurienti, quia inueniſti eſurientem? Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hoſpitalitatem? Tolle nuditatem, cui præſtas veſtem? non ſit ægritudo, quem viſitas? non ſit captiuitas, quem redimis? non ſit rixa, quem concordas? non ſit mors, quem ſepelis? in illo ſæculo futuro non erunt iſta mala: ergo nec iſta miniſteria. Ergo Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc enim elegit, quod ſemper manebit: ideo non auferetur ab ea, circa vnum ſe voluit oc*
Pſal. 72. *cupari. Iam tenebat: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. Nec iuuat quicquam,
Card. Tolet. vt contendit Card. Toletus præcitato loco, Diuum Auguſtinum loqui ſecundum ſenſum ſpiritualem, non litteralem: nam huiuſmodi reſponſionem apertiſſimè refellunt verba, quæ de Martha loquens, infe-
Idē D. Aug. rius ſubiunxit dicens: *Circa multa occupata. Porrò, vnum eſt neceſſarium: iam hoc ſibi Maria elegit. Tranſit amor multitudinis, & remanet charitas vnitatis. Ergo quod elegit, non auferetur ab ea. A te autem, quod elegiſti, vtique hoc ſequitur, vtique ſubintelligitur: à te, quod elegiſti, auferetur. ſed bono tuo auferetur, vt quod melius eſt, detur: auferetur enim à te labor, vt requies detur: tu nauigas, illa in portu eſt.* hactenus Diuus Auguſtinus. Cuius ſententiæ adhærens Diuus Bonauentura ſuper cap. 10. Lucæ, ex doctrina gloſſæ inquit: *Quæ non auferetur ab ea, ex oppoſito* D. Bonauent.
intellige, quod à Martha auferetur pars, quam elegit, quia tranſit labor multitudinis, & remanet charitas vnitatis.

Ad extremum, quia de vita contemplatiua, multa in ſuperioribus homilijs diximus: hoc loco tantum apponam, tanquam vltimos annulos huius aureæ catenæ, quorundam Patrum teſtimonia, quibus vitæ actiuæ deditos, maximè prædicatores, monent non adeò externis occupationibus ſe inuoluere, etiamſi bonę ſint, vt meditationis, & contemplationis obliuiſcantur.

Diuus Bernardus libro primo de conſideratione ad Eugenium, hæc pepetua
memoria digna ſcripſit: *Monſtruoſa res,* D. Bernard.
gradus ſummus, & animus infimus ſedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otioſa: ſermo multus, & fructus nullus: ingens authoritas, & nutans ſtabilitas. Si cor mouiſti: mouenda tibi lingua eſt, mouenda, & manus: Si quod viuis, & ſapis, totum das actioni, conſiderationi nihil, laudo te? in hoc non laudo. Puto, quod & nemo, qui à Salomone audierit: Qui mi-
noratur actu, percipiet ſapientiam. Certè Eccl. 38.
nec ipſi actioni expedit meditatione non præueniri. Si item totus vis eſſe omnium, inſtar illius, qui omnibus omnia factus eſt,
laudo humanitatem: ſed ſi plena ſit, quo- 1. Cor. 9.
modo autem plena ſe excluſo? & tu homo es. Colligat ergo te intra ſinum ſuum: alioquin
quid tibi prodeſt, iuxta verbum Domini, Matt. 16.
ſi vniuerſos lucreris, te vnum perdens? Quamobrem, cum omnes te habeant eſto etiam tu ex habentibus vnus. Vſquequo vadens ſpiritus, & non rediens? ſapientibus, & inſipientibus debitores, & ſoli negas te tibi? ſtultus, & ſapiens, ſeruus & liber, diues, & pauper, ſenex, & iuuenis, vir & femina, clericus, & laycus, iuſtus, & impius participant te: omnes de fonte publico bibunt de pectore tuo, & tu ſeorſum ſitiens ſtabis? ſi maledictus, qui partem ſuam facit deteriorem, quid ille qui ſe penitus reddit inexpertem? Sanè deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines, & iumenta, & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abra-

bæ potum tribuas: ſed inter ceteros, bibe & tu de fonte putei tui. Alienus (inquit) non bibat ex eo, nunquid tu alienus? Deni- que, qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit? me- mento proinde, non dico ſemper, ſed vel in- terdum reddere teipſum tibi. hæc Diuus Bernardus. Eccl.4.

D.Greg. Diuus Gregorius lib. ſexto moralium, capite ſeptimo, tomo ſecũdo, hæc ſcribit: *Ingredieris in abundantia ſepulchrum di- cit: ſepulchrum, eſt contemplatiua vita, quæ nos quaſi ab hoc mundo mortuos ſepelit, dum à terrenis deſiderijs ſuſceptos in inti- mis abſcondat. Actiua quoque vita, ſepul- chrum eſt, quia à prauis nos operibus mor- tuos tegit. Perfectus ergo prædicator eſt, qui propter contemplationis ſtudium operanda non negligit, vel propter operationis inſtan- tiam contemplanda non poſtponit. Hinc eſt, quòd Abraham coniugem mortuam, in ſepul chro duplici ſepelit, quia nimirum perfectus prædicator extinctam à præſenſis vitæ deſi- derijs animam ſuam, ſub bonæ operationis tegmine, & contemplationis abſcondit; vt à carnali concupiſcentia ſub actiua cõtempla- tiuaque vita quaſi inſenſibilis caleat, quæ prius mundi deſideria ſentiens, mortaliter viuebat. Hinc eſt, quod Dominus per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad oratio- nis ſtudium in nocte pernoctat, vt perfectis prædicatoribus innuat, quatenus, nec acti- uam vitam amore ſpeculationis funditus de- ſerant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; ſed quie- te contemplantes ſorbeant, quod occupati er- ga proximos loquentes refundant: ſpeculan- do quippe in Dei amorem ſurgitur, ſed præ- dicando, ad proximi vtilitatem reditur. Vn de apud Moyſen, dum in ſacrificio vacca mactatur, offerri cum hyſſopo, lignoque cedrino bis tinctus coccus præcipitur. Vac- cam quippe mactamus, cùm carnem à la- ſciuia ſua voluptatis extinguimus, quam cum hyſſopo, lignoque cedrino ac cocco offe- rimus, quia cum maceratione carnis, ſacri- ficium fidei, ſpei, & charitatis adolemus. Sed bis tinctus coccus offerri præcipitur, vt videlicet ante interni Iudicis oculos chari- tas noſtra Dei, & proximi dilectione colore- tur; quatenus cõuerſa mens, nec ſic pro amo- re Dei quietem diligat, vt curam proximi, vtilitatemque poſtponat: nec ſic pro amore proximi, occupationi inſeruiat, vt quietem funditus deſerens, ignem in ſe ſuperni amo- ris extinguat.*

Geneſ 23.

Num. 19.

D. Greg. Idem Diuus Gregorius libro ſexto mo- ralium, capite decimooctauo, hæc alia præclara nobis tradit: *Hinc eſt quòd Ia- cob pro Rachel ſeruiuit, & Lyam accepit, eique dicitur: Non eſt conſuetudinis in ter- ra noſtra, vt minores ante tradamus nu- ptijs quàm maiores. Rachel, riſus: Lia au- tem, laborioſa dicitur: & quid per Rachelem niſi contemplatiua, quid per Liam niſi acti- ua vita ſignatur? Vnde & Rachel pulchra, ſed ſterilis: Lia autem lippa eſt, ſed fæcun- da; quia nimirum mens, cum contemplan- do otia appetit, plus videt, ſed minus Deo filios generat: cùm verò ad laborem prædi- cationis ſe dirigit, minus videt, ſed amplius parit. Poſt Liæ ergo amplexus ad Rachelem Iacob peruenit, quia perfectus quiſque ante actiuæ vitæ ad fæcunditatem iungitur, & poſt, contemplatiuæ ad requiem copulatur. Quia enim contemplatiua vita minor qui- dem tempore, ſed merito maior eſt, quàm actiua, duæ mulieres in Euangelio ſignifi- cant, quarum Maria otium contemplatio- nis amans, optimam partem elegit. Sed Marthæ cura, in qua actiua vita ſignifi- catur, non reprehenditur, Mariæ verò etiam laudatur, quia magnæ ſunt actiuæ vitæ me- rita, ſed contemplatiuæ potiora: Vnde nec auferri vnquam Mariæ pars dicitur; quia actiuæ vitæ opera cum corpore tranſeunt, contemplatiuæ autem gaudia melius ex fi- ne conualeſcunt. Quod bene, ac breuiter Eze- chiel Propheta exprimit, cum volantia ani- malia contemplatus ait: Et ſimilitudo ma- nus hominis ſubtus pennas eorũ erat. Quid enim per pennas animalium, niſi contem- plationes poſſumus ſentire Sanctorum, qui- bus ad ſumma tranſuolant, & terrena deſe- rentes ſeſe in cœleſtibus librant? Quid per manus, niſi operationes accipimus? quia eum in proximi amore ſe dilatant, bona, quæ præualent etiam corporaliter admini- ſtrant. Sed manus eorum ſub pennis ſunt, quia actionis ſuæ opera virtute contempla- tionis vincunt.* hæc ille.

Geneſ. 29.

Luca 10.

Ezech. 1.

D. Greg. Idem Diuus Gregorius libro primo, in c. 1. lib. 1. Reg. verſans, & lucidans verba illa: *Affligebat Annam æmula ſua, & vehementer angebat, in tantum, vt expro- braret ei, quòd concluſiſſet Dominus vul- uam eius,* hæc etiam eruditè ſubdit: *Ve-*

lut

lut in pace vtramque vxorem poſſidet, qui nec tempora contemplationi deputat, nec cõtemplationis otia per intentionem operis inquietat. Ab æmula autem Anna affligitur, cum immoderata intentio boni operis turbat quietem internæ viſionis: affligitur, cum ei illa præponitur, quæ eſſe ignobilior comprobatur: & vehementer angitur, quia electæ mentis contemplatio anguſtiatur, dum is, qui in contemplatione ſublimium eſſe deſiderat, ſeſe in actiuæ vitæ operibus immoderatius dilatat. Mentis quippe viſio ſtringitur, cum impedita occupationibus operum, in illa æternæ lucis immenſitate nequaquã dilatatur. Et quia hanc vehementer angere dicitur, notandum eſt, quia etiam boni operis immoderata ſollicitudo contemplationi non parum nocet: Phenenna quippe Annam vehementer angit, quia mens, dum actiuæ vitæ immoderatè impenditur, val de difficile eſt, vt cùm ad diſponenda terrena ſe occupat, in viſione cœleſtium potenter ſurgat. Cui etiam, velut ſterili Phenenna exprobrat, quia dum ex actiua vita, bonorum operum fructus cito proferimus, ad internæ contemplationis gaudia facile pertingere non valemus. Sterilis iſta cernitur, dum rudes de eius fœcunditate deſperamus. Dum ergo pro fœcunditate Phenennam diligimus, Anna affligitur, angitur, & ſterilitatis opprobrio notatur: quia dum bonarum actionum ſollicitudinem non ea, qua debemus, diſcretione reſtringimus, puritatem contemplationis tanto nobis difficiliorem reddimus, quanto nobiliorem vitam excellenti ſtudio nequaquam retinemus. Porro Anna flebat, & non capiebat cibum. In fletu quippe ardens deſiderium diuinæ contemplationis oſtenditur: cibum autem faſtidiebat, ſicut qui dicebat: Renuit conſolari anima mea; quia cibum ſolatij capere de oblectamento rerum conditarum dedignatur, ſed quia epulas deliciarum ſuarum in Deo inuenit, ait: memor fui Dei, & delectatus ſum. hæc Diuus Gregorius.

Pſal. 78.

Pſal. 42.

Diuus Hieronymus libro tertio in cap. 31. Prouerb. tomo 8. hæc nobis tradit in expoſitione illorum verborum: *De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Sicut* (inquit) *totus labentis ſeculi curſus perenni diei, ac noctis alternatione variatur, & dies quidem ad operandum, nox ad quieſcendum naturaliter condita eſt: ſic totum præſentis Eccleſiæ tempus gemino quodam quietis, & operis ſtatu diſcernitur. Quaſi enim nocte quieſcit, cum aliqui fidelium eius, intermiſſa ad tempus ſollicitudine externa, ſibimet vacare, ſeque ipſos ſpiritualiter incipiunt curare, vel lectionibus ſacris, vel orationibus, ac lachrymis ſeſe, vel alijs huiuſmodi ſtudijs ſecretus exercendo. Surgit autem de nocte, cùm in ijſdem ſuis fidelibus ad agendam etiam proximorum curam ſe ſollicitè accingit. Quod fraternæ adminiſtrationis opus duobus modis exerceri conſueuit: quia & eos, qui foris errabant, ad fidei gratiam conuocat: & illos, qui fidei ſacramentis iam ſunt imbuti, vt bonis operibus amplius inſiſtant, excitare non deſinit. Vnde benè dicitur: Deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Dat namque prædam domeſticis ſuis, cùm eos, quos ab antiquo hoſte docendo eripere potuit, ſocietati illorũ, qui in fide præceſſere, conciliat. Dat & ancillis ſuis cibaria, cùm humiles quoſque, & debito timore ſua iuſſa ſeruantes; ne pio labore laſſeſcant, ſuperna mercedis commemoratione reficit. De nocte ſurrexit, cùm ad operandum ſe, poſt quietem præparauit; & ideò aptè dicitur, quod lucerna Sanctæ Eccleſiæ non extinguatur in nocte, quia & cùm à negocio actionis vacat, liberius luci ſupernæ contemplationis adhæret, cumque à publicis ceſſat operibus, curat ſe ardentius, vel auditui ſanctæ lectionis, vel laudibus mancipare diuinis, iuxta exemplum mulieris induſtriæ, quæ non ſolùm interdum neceſſarijs ſolet inſtare laboribus, ſed & nocte ſæpius accenſo lumine partem rei familiaris agere curam.* hactenus Diuus Hieronymus.

D. Hieron.

Ac tandem Diuus Auguſtinus concione prima in Pſal. 30. tomo octauo expon?s titulum illius Pſalmi, nimirum: *In finem: Pſalmus ipſi Dauid, Ecſtaſis*, hæc habet: *Ecſtaſis verbum Græcum eſt, Latinè exceſſum ſignificans. In exceſſu verò mentis, duo intelliguntur, aut pauor, aut intentio ad ſuperna, ita vt quodammodo de memoria labantur inferiora. In hac ecſtaſis menſura fuerunt omnes ſancti, quibus arcana Dei mundum iſtum excedentia reuelata ſunt. De hoc mentis exceſſu, id eſt, ecſtaſi Paulus cum loqueretur ad ſeipſum, inſinuãs ait: Siue enim mente excedimus Deo, ſiue*

D. Auguſt.

Pſal. 30.

temperantes ſumus vobis: charitas enim Chriſti compellit nos; hoc eſt: ſi ea tantum agere vellemus, & ea tantum contemplari, quæ mentis exceſſu intuemur, vobiſcum non eſſemus; ſed eſſemus in ſupernis, tanquam contemptis vobis. Et quando vos ad illa ſuperiora, & interiora infirmo paſſu conſequeremini, niſi rurſum, compellente nos charitate Chriſti, qui ſemet ipſum exinaniuit; & conſideremus, nos eſſe ſeruos, & non ingrati ei, à quo accepimus altiora: propter eos, qui infirmi ſunt, non contemnamus inferiora: & temperemus nos eis, qui non poſſunt videre ſublimia. Tantus fuit exceſſus Pauli, quando raptus eſt ad tertium Cælum, & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, vt diceret: ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit: & cum talia contemplaretur, ad bonum proximorum ſe accommodans, ſobrius erat in illorum bonum, Chriſti maiorem in omnibus gloriam quærẽs, qui cum Patre, &c.

Hæc, & omnia mea, iudicio Eccleſiæ Catholicæ Romanæ libenter ſubijcio, paratus ſi quid eius doctrinæ minimo apice aduerſum quoquomodo ſcriptum ſit, corrigere, emendare, abradere, ac penitus abolere.

Laus & gloria Deo Trino & Vni, Chriſti Domini humanitati, B. Virg. Mariæ eius Genitrici, ac D. Ioſepho chariſſimo eius ſponſo.

INDEX

INDEX
QVINGENTORVM FERE
SANCTORVM PATRVM,
Aliorumq; tum priſcorum,tum recentiorum Authorum, qui in hoc Volumine non ſemel recenſentur.

A

ABraham Abener.
Abrahã Bzouius.
Abrahã Zacutus.
Abulenſis.
Adrichouius.
Aelianus.
Agathias.
Aggæus.
Alanus.
Albertus Magnus.
Albertus de Padua.
Albertus Pighius.
Albuazen.
Alciatus.
Alcuinus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander de Ales.
Alpetragius.
Alphagranus.
Alphonſus Ciacconus.
Altiſiodorenſis.
B. *Amadæus.*
S. *Ambroſius.*
Ambroſius Catherinus.
Ammonius Alexandrinus.
Amphilochius
D. *Anaſtaſius Synaita.*
B. *Andreas Cretenſis.*
B. *Andreas Monachus.*
Angelomus.
B. *Angelus de Pas.*
Anonimus.
S. *Anſelmus.*
S. *Antonius.*
S. *Antoninus.*
Antonius del Rio.
Aponius.
Apollonius.
Aquilinus.
Arboreus.
Arias Montanus.
Ariſtippus.
Ariſtoteles.
S. *Athanaſius.*
Author Pomerij.
Auerroes.
S. *Auguſtinus.*
Auguſtinus Riccius.
Auicenna.
Aymon.
Azarcheles Thebit.

B

BAchonius.
Baptiſta Mantuanus.
Baronius Card.
Barradius.
Barcapha Syrus.
S. *Baſilius.*
Batablus.
Bazayn.
Beda.
Bercorius.
S. *Benedictus.*
Bonradanus.
S. *Bernardus.*
S. *Bernardinus Senen.*
Bernar. de Buſto.
Beroſius.
Bibliotheca SS. Patrum.
Blondus.
S. *Brigitta.*
Brochardus Theutonicus.
S. *Bruno Carthuſianus.*
Budæus.
Burgenſis.

C

CAietanus Card.
Cameracius.
Camfius.
Canus.
Caroletus.
Carpathius.
S. *Caſſianus.*
Caſſiodorus.
Cedrenus.
Celſus.
S. *Chryſoſtomus.*
Chryſoſtomus Luſitanus.
S. *Chryſologus.*
Chriſtophorus Venecchius.
Chronica S. Franciſci.
Clamperius.
Claudius Meriote.
Claudianus.
Clemens Papa.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Romanus.
Clitoueus.
Cœlius Calcagninus.
Cœlius Rhodiginus.
Conc. Tridentinum & alia.
Conſtitutiones Pontificum.
Corduba.
Cornelius Ianſenius.
Cornelius Tacitus.
Coſmas Hieroſolymitanus.
S. *Cyprianus.*
S *Cyrillus Ieroſ.*

D

DEmoſthenes.
Diodorus Siculus.
Diogenes.
Diogenes Laertius.
Dio Caſſius.
S. *Dionyſius.*
Dionyſius Carthuſianus.
Dionyſius Richelius.
Dionyſius Alicarnaſſeus.
Dionyſius Areopagita.
Dominicus Sotus.
S. *Dorotheus Martyr.*
Druthmarus.
Durandus.

E

ECcleſia Romana.
Ekius.
Effren.
Egeſippus.
Elianus.
S. *Eligius.*
Ennius.
S. *Ephrem.*
S. *Epiphanius.*
Eſychius.
Eucherius.
Eudoxius.
Euodius.
Euſebius Cæſarienſ.
Euſebius Emiſſenus.
Euſtachius.
Euthychianus.
Euthymius.

F

FAber.
Ferreolus.
Franciſcus Petrarca.
Franciſcus Suarez.
S. *Fulgentius.*
Fulgoſius.
Fulbertus.

G

GAbriel.
Gabriel Borius.
Gaginus.
P. *Galatinus.*

Galenus.
S. Gaudentius.
Gelaſius Papa.
Gennadius.
Genebrardus.
S. Germanus.
Gloſſa ordinaria.
Gens. Chelius.
Gratianus.
S. Greg. Nazianz.
S. Gregorius Thaumaturgus.
S. Gregorius Nyſſenus.
S. Gregorius Papa.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonenſis.
Gregorius Cedrenus.
Gregorius Nicom Archiepiſc.
Abb. Guarricus.
Guillelmus Stuechius.
Guillelmus à S. Clodoaldo.
Guillelmus Peraldus.
Guillelmus Pariſienſis.

H

Hamerus.
Haylgrinus.
Henricus Schualen.
Henricus Stephanus.
Henriquez.
Herodotus.
Heſiodus.
Heſſelius.
S. Hieronymus.
Hieronymus Ferrarienſis.
Hiſtoria Scholaſtica.
Hiſtoria Tripartita.
Hiſtoria Lauſiea.
Homerus.
Honorius.
Horatius.
Horontius.
Hugo Victorinus.
Humbertus.
Hyerodes.
S. Hylarius.
Hypparcus.

I

Iacobus Bergomenſis.
Iacobus Meddendorpius.
Ianſenius.
D. Ildephonſus.
D. Ignatius Martyr.
B. Ignatius de Loyola.
Illeſcas.
Incognatus.
Incognitus.
Innocentius Tertius.
S. Ioannes Damaſcenus.
Ioannes Gerſon.
Ioannes à Monte Regio.
Ioannes Gagnaius.
Ioannes Caſſianus.
Ioannes Lorinus.
Ioannes Lanſpergius.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Bapt. Signius.
Ioſephus Hebræus.
S. Irenæus.
S. Iſidorus.
Iſidorus Moſconius.
S. Iuſtinus Martyr.
Iuſtus Lipſius.
Iuuenalis.
Iuuencus.

L

Laertius.
Lactantius.
Lampridius.
B. Laurentius Iuſtinianus.
Laurentius Maſelli.
Ledeſma.
D. Leo Papa.
Leo Imperator.
Lippomanus.
Liuius.
Lucianus.
Lucidius.
Lucius Apuleius.
Ludolphus de Saxonia.
Ludouicus Granatenſis.
Ludouicus Viues.
Luiſius Legionenſis.
Lycoſthenes.
Lyranus.

M

Macrobius.
Magiſter Sentent.
Magiſter Hiſtoriarum.
Maiolus.
Maior.
Maldonatus.
Malonius.
Mantuanus.
Marcus Michael Carnotenſ.
Marcus Varro.
Marcus Hiſtoricus.
Marcus Tullius Cicero.
Marcus Paulus.
Marſilius Ficinus.
Martianus.
Martialis.
S. Maximus.
Medina.
Meſfreth.
S. Melitus Epiſcopus Sardenſis.
B. Methodius Martyr.
S. Metildis.
Metrodorus.
Michael Glyca.
Michael Syngelus.
Michael Pedes.
Minæus.
Moyſes Barcaſa.
Mutius.

N

Nannius.
Nicanus.
Nicephorus.
Nicetas.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Copernicus.
Nicolaus Zegerus.
S. Nilus.

O

Olaus.
Oleaſter.
Officina Textoris.
Optatus Mileuitanus.
Origenes.
Oroſius.
Oſorius Iunior.
Otho.
Ouidius.

P

Pauanus.
Pagninus.
Palladius.
Paludius.
Panætius Stoycus.
Panormitanus.
Paraphraſtes Chaldæus.
Paulus Iouius.
Paulus Florentinus.
Pauſanias.
Pererius.
Petrus Bleſenſis.
Petus Chryſologus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Galatinus.
B. Petrus Damianus.
Petrus de Soto.
Petrus Cluniacenſis.
Phauorinus.
Philo Iudæus.
Picus Mirand.
Pierius Valerianus.
Pighius.
Pythagoras.
Pirke Auoth.
Platina.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polyanus.
Pomerius.
Pomponius.
Pontanus.
Porphyrius.
Procopius.
Proculus.
Propertius.
D. Proſper.
Prudentius.
Ptolomæus Gilbertus.
Ptolomæus Peluſienſis.
Pyndarus.

Q

Quintilianus.
Quintus Curtius.

Raba-

R

RAbanus.
Rabbi Abrabã Auenera.
Rabbi Iſaac.
Rabbi Leui.
Rabbi Ioſeph.
Rabbi Moſes Hadarſan.
Rabitius.
Richardus de S. Victore.
Richardus de Media Villa.
Richardus Victorinus.
Richellius.
Richerius.
Robertus Kolkot.
Ruffinus.
Rupertus Abbas.
Rutilius Benzonius.

S

SAlmeron.
Saluianus.
Sambucus.
Sanctius Porta.
Scotus.
Seneca.
Septuaginta Interpretes.
Seuerus Antiochanus.
Sextus Pompeius.
Sigonius.
Simonides.
Simon de Caſſia.
Sixtus Senenſis.
Solinus.
Sophronius.
Socrates.
Sozomanus.
S. Stephanus.
Stobaeus.
Strabo.
Suetonius.
Sulpitius Seuerus.
Surius.
Suidas.
Sillius Italicus.
Syluanus Abbas.
Symmachus.

T

TArgum, ſeu Verſio Chal.
Terentius.
Tertullianus.
Theodorus.
Theodoretus.
Theophilus.
Theophilactus.
Theophrastus.
Thimaus.
Timothaus Hieroſolymitan.
S. Thomas.
Thomas de Chempis.
Tigurina.
Titus Bostren.
Toletus.
Torres.
Toſtatus Epiſc. Abulen.
Tritemius.
Turrecremata.
Tiburtina Lectio.

V

VAlerianus.
Valerius Maximus.
Vaſquez.
Vatablus.
Varro.
Verderius.
Vgo Card.
Vgo Pharſitus.
Victor Vticenſis.
Victoria.
Victorinus Vgo.
D. Vincentius Ferrerius.
Vincentius Lynorenſis.
Vincentius Beluacenſis.
Virgilius.
Viridarius.
Vlpianus.
Volaterraneus.
Vtinus.
Vualdenſis.

Z

ZAccharias Chryſopolit.
D. Zeno.

F I N I S.

IN-

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

qui vel ab Authore, vel ab alijs, ſiue litterali ſenſu, ſiue myſtico elucidantur.

Primus numerus indicat Paginam, Secundus Columnam.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Libro Geneſis.

C.1. IN *principio creauit Deus Cœlum, & Terram*. De Trinitate, & Vnitate Diuinarum perſonarum, & Iuſtitia Diuina. 566. 1. 2

Facta ſunt, vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, non ſunt intelligenda de ſignis humanorum actuum; ſed aliarum rerum ab Aſtris dependentium. 313.1

2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Quòd Chriſtus, & Beata Virgo primi fuere corporei in Cœlo habitatores. 592 2

Faciamus adiutorium ſimile ſibi. De adiutorio Adæ ad filiorum procreationẽ. 299. 1

Miſit Dominus ſoporem in Adam. Docetur quomodo vxor ſit accipienda. 290.2

3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*. De Adamo pœnitente. 336. 2

Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? De ſimplici obedientia. 369.1

Ipſa conteret caput tuum. De B. Virgine Dœmonem proſternente. Iſte locus ab Hæreticorum cauillis vindicatur egregie. 495. 1. 531. 2

Ipſa conteret caput tuum. De reſiſtentia diabolicæ ſuggeſtioni. 556.1.2

Columba ad arcam reuerſa detulit in ore ſuo ramum oliuæ, virentibus folijs. De interceſſione B. Virginis pro nobis. 590.2

6. *Tactus dolore cordis intrinſecus, &c. pœnituit Deum feciſſe hominum, &c*. Qua ratione paſſiones huiuſmodi Deo tribuantur. 430.2. ſeq.

15. *Sume mihi vaccam triennem*. De hilari obediente. 369.1

29. *Habebat verò duas filias; nomen maioris Lya, minor verò appellabatur Rachel: ſed Lya lippis erat oculis, Rachel decora facie, &c*. De vita actiua. 662.2

32. *Dimitte me; iam enim aſcendit Aurora*. Quòd recurrendum ſit ad B. Virginem. 538. 1

37. *Sciſſis veſtibus indutus eſt cilicio lugens filium ſuum multo tempore*. De dolore in filiorum morte. 412.2

Tunicam polymiticam. Hoc eſt colorum varietate diſtinctam. 171.2

46. *Ego ſum fortiſſimus Deus Patris tui: noli timere deſcendere in Aegyptum*. De proſperis fugiendis. 262.2

49. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi leæna quis ſuſcitabit eam*. De Chriſto Domino morte Dæmonem proſternen & poſtea reuiuiſcente. 316.2

Ex libro Exodi.

C.13. S*Anctifica mihi omne, quod aperit vuluam de filijs Iſrael*. De partu Virginis Mariæ. 47.1

23. *Non coques hædum in lacte matris ſuæ*. De fuga Chriſti in Ægyptum. 120.2

25. *Facies arcam Teſtamenti ex lignis imputribilibus*. De incorruptione Beatæ Virginis. 502.2

Ex libro Leuitici.

C.1. O*Mnis oblatio, &c. abſque fermento*. De oblatione Deo facienda. 44.2

Ex libro Deuteronomij.

C.15. E*T omnino indigens, & mendicus non erit inter vos*. Suadetur eleemoſyna. 221. 2

21. *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuoſque duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſque habere vxorem; introduces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt, ſedenſque in domo tua, flebit patrem, & matrem ſuam vno menſe; & poſtea intrabis ad eam, dormieſque cum illa*. De Chriſto animam deſponſante. 316.1

Ex libro Regum.

1.c.1. A*Ffligebat Annam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt expro-*

exprobaret ei, quòd concluſiſſet Dominus vuluam eius. De immoderata intentione ad bonum opus, internam quietem perturbante. 722.2
3. *Virum iuxta cor ſuum.* Latè De Diuo Ioſepho ſponſo Beatiſſimæ Virginis. 157.2
5. *Inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini.* De B. Virgine Dæmonem conculcante. 617.2
14. *Nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.* De vita actiua. 665.1
15. *Numquid vult Dominus holocauſta, & victimas; & nõ potius, vt obediatur voci Domini?* De obedientia Deo præſtãda. 356.2
21. *Venit Dauid ad Achis Regem Geth.* De præſentatione Christi in Templo. 38.2
24. *Dauid percuſſit cor ſuum, eo quòd abſcidiſſet oram clamydis Saul: non enim debuerat mittere manum in Chriſtum Domini*. De obedientia debita Prælatis. 362.2
2.12. *Nihil habebat omnino, præter vnam ouem paruulam.* De manſuetudine vxorũ. 294.1
23. *Sedet in Cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres; ipſe eſt tãquam tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Do Dauidis ornamentis. 251.2
3.11. *Vna autem mulier fragmenta molæ deſuper iaciens eliſit caput Abimelech, & confregit cerebrum eius.* De B. Virgine Eccleſiam à Dœmone tuente. 617.2

Ex lib. Iudicum.

5. S*Tellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Syſaram pugnauerunt.* De concurſu fauſtorum, vel infauſtorum aſtrorum. 343.1

Ex lib. Eſther.

14. C*Vmque depoſuiſſet veſtes Regias.* De pœnitentia. 11.2

Ex lib. Iudith.

12. M*Agnificata eſt hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ mea.* De Aſſumptione B. Virginis. 591.2

Ex lib. Iob.

4. C*Onſumetur velut à tinea.* De cœcitate peccatoris in non cognoſcendo ſe amiſiſſe Deum 228.2
Verſa eſt in luctum Cythara mea, & organum meum in vocem flentium. De mœrore B. Virginis in morte Chriſti. 416.2
7. *Ego habui menſes vacuos*, &c. De aduentu Chriſti. 55.2
Ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas numeraui mihi. De vita hominis laudabili. 172.1.2
13. *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis.* De profectu ſpirituali. 216.2
23. *Et in ſinu meo abſcondi verba oris eius.* De cuſtodiendis mãdatis Domini. 278.1
24. *Si ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* De deuotione erga B. Virginem Dæmones fugante. 538.1
28. *Terra, de qua oriebatur panis in loco ſuo igne ſubuerſa eſt.* De ardenti amore Mariæ Virginis erga Ieſum. 483.1
38. *Concutiens extrema terræ; & excuſſiſti impios ex ea.* De peccatorum vilitate, & abiectione. 229.1
39. *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila, & ponet in arduis nidum ſuũ*, &c. *inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt*, De vita actiua, & contemplatiua. 548.2
42. *Cornuſtibij*. Quod Prophetæ ad fabulas aliquando alludant. & quare. 563.1
Venerunt ad eum amici eius, & obtulerunt ſinguli ouem vnam, & inaurem auream vnam. De Innocentia, & obediẽtia. 366.1

Ex lib. Tobiæ.

14. P*Orta Hieruſalem ex ſaphyro, & ſmaragdo.* De puritate B. Virginis à peccato originali. 382.2

Ex Pſalmis.

E*Go autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Syon Montem ſanctum eius.* Pſal. 2. De B. Virgine, Monti huiuſmodi comparata. 327.1
In mandatis eius volet nimis. Pſal. 3. De obſeruantia præceptorum. 55.2
Lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Pſal. 6. De Purgatorio pœnitentiæ. 14.2
Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius. Pſal. 9. De Chriſto Saluatore. 108.1
Acceptus eſt Regi miniſter intelligens. Pſ. 14. De diligenter obediente. 368.1
Cœli enarrant gloriam Dei. Pſal. 18. De B. Virginis Aſſumptione. 586.1.2
Vermis ſum, & non homo, opprobrium hominibus, & abiectio plebis. Pſal. 21. De opprobrijs, & laboribus Chriſti. 445.2
Dominus regit me pro his, qui commutabuntur. Pſal. 22. De obedientia. 132.2
Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Pſal. 30. De infelicitate. 229.2
In finem Pſalmus ipſi Dauid Ecſtaſis. Pſ. 30. De mentis exceſſu in contemplatione Dei. 723.2
Et vim faciebant qui quærebant animam meam. Pſal. 37. De paſſione Chriſti. 417.2
Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate. Pſal. 44. De exaltatione B. Virginis. 563.2. 593.1. 611.1
Aſtitit Regina à dextris tuis. &c. Pſal. 44.

De

De puritate Mariæ Virginis à peccato originali. 582.2

Ipſe natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Pſal.45. De B. Virgine Caſtello comparata. 529.2

Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Pſal.45. De humilitate Beatæ Virginis. 531.1

Venite, & videte opera Domini quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ. Pſal.45. De partu B. Virginis. 561.1

Deus noſter refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Pſal.45. De peccato originario. 581.2

Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei. Pſal.45. De B. Virginis peccati originarij experte. 583.1

Vacate, & Videte, quoniam ego ſum Deus. Pſal.45. De amore erga Deum. 511.2

Hi fuerunt illic. Pſal.46. De filijs adoptiuis Beatæ Virginis. 614.1

Deus in domibus eius cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam. Pſal.47. De Aſſumptione Beatæ Virginis. 586.1.2

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui. Pſal.47. De oblatione Chriſti in Templo. 46.1

Peccatum meum contra me eſt ſemper. Pſ.50. ideſt, coram me. 228.2

In me ſunt Deus vota tua: quas reddam laudationes tibi. Pſal.55. De bona voluntate. 456.2

Sepulchra eorum, domus illorum in æternũ. Pſal.58. De miſeria peccatorum. 228.1

A generationibus meis adimplemini. Pſal.64. De regeneratione per Beatam Virginem. 614.1.2

Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Pſal.67. De Chriſto in Templo diſputante. 193.1

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentata, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Pſal. 67. De vita actiua, & contemplatiua. 498.2

Mons Dei, mons coagulatus, mons pinguis. Pſal.67. De B. Virgine monti huiuſmodi comparata. 528.1

Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es Auroram, & ſolem; tu perfeciſti omnes terminos terræ, æſtatem, & ver. &c. Pſ.23. De opere noſtræ redemptionis. 537.2

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. Pſ.76 De Chriſto amiſſo inueniendo. 237.1

Recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens. Pſal.77. Quod Deus quærit prius nos, quam nos quæramus illum. 240.2

Cibabis nos pane lachrymarum. Pſal. 79. De pœnitentia. 172.2

Vitem de Aegypto transferens. Pſ.80. De diſceſſu Chriſti ab Aegypto. 174.1.2

Homo natus eſt in ea; & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Pſalm. 80. De Incarnatione Domini. 579.2

Ecce alienigenæ, & Tyrrus, & populus Aethyopum, hi fuerunt illic. Pſal.86. De miſericordia B. Virginis. 542.2

Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me. Pſal.88. De B. Virgine ſceleſtiſſimos quoque peccatores ad eam recurrentes iuuante. 632.2

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Pſal.89. De ſubductione & & raptu appetitus ſenſitiui à rationali in amicis Dei. 485.1

Flagellum non appropinquabit. Pſal.90. De puritate B. Virginis. 555.2

Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio; quia in æternum non commouebitur. Pſal.111. De fructu eleemoſynæ. 696.1

Tuus ſum ego. Pſal.118. Quod Deus nos ipſos exoptet. 282.1

Mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Pſal. 118. Mandata quomodo cuſtodiẽda. 21.1

Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitũ tuum. Pſal.120. De incorruptione Beatæ Virginis. 503.1

Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum. Pſalm. 122. De dirigenda intentione ad Deum in deſiderio, & opere. 216.2

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. De commodo laborum. 172.2

Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ. Pſal.131. De Aſſumptione B. Virginis. 592.2

Ex Prouerbijs.

C.9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem,* &c. De Gymnaſijs Salomonis. 252.1

11. *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis, vir autem ſtultus glutit illum.* De Diuinum Verbum ponderantibus, ac perpendentibus, & obliuioni demandantibus. 710.1

21. *Vir obediens loquetur victorias.* De victoria ſui ipſius. 22.2

Deſideria occidunt pigrum. De deſiderio non operante. 217.1

Teſtis mendax peribit; vir obediens loquetur victorias. De obediente, & inobediente. 357.1

24. *Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, cum ſplendeſcit in vino color eius; ingreditur blandè, & in nouiſſimo mordebit, vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* De huius ſæculi fluxus, & in fine amariſſimis voluptatibus. 399.1

30. *Colubrum ſuper petram, viam nauis per mare, & viam Aquilæ per aëra.* Comparationes de Beata Virgine. 546.1.2

31. *De*

31. *De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*. De vita actiua, & contemplatiua exercēda. 723.1
Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuũ ſuarũ. De vita mixta. 658.1

Ex Canticis.

C. 1. *Nigra ſum, ſed formoſa*, &c. De Purificatione B. Virginis. 7.2
Collum tuum ſicut monilia. De obedientia Beatæ Virginis. 22.1
Murenulas aureas faciemus tibi. De obſeruantia mandatorum. 55.1
Pulchra ſunt genæ tuæ, ſicut turturis. De peccatore pœnitente. 75.1
Collum tuum ſicut monilia. De obediente. 366.2
Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. De dolore B. Virginis in paſſione Chriſti. 434.2. ſeq.
Botrus Cypri dilectus meus mihi in vinea Engaddi. De ſimili dolore. 435.1
Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. De vita actiua, & contemplatiua Beatæ Virginis. 510.2
Introduxit me Rex in cellaria alia verſio. Introduxit me Rex in ærarium, ſiue in theſaurum. De theſauro ſanguinis Chriſti ex eius latere fluente. 421.2
Declarauit me ſol. De coniugio Beatæ Virginis. 155.2
2. *Sub vmbra eius, quem deſideraueram, ſedi*. De fœlici B. Virginis Mariæ coniugio cum Ioſepho. 150.1
Vox turturis audita eſt. De puritate B. Virginis. 74.2
Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus. De Sancto Ioſepho ſponſo B. Virginis. 150.1
Ibi corrupta eſt mater tua: ibi violata eſt genitrix tua. Quòd ſub arbore corrupta fuerit Eua, & Synagoga Hebræa. 431.2
Sub arbore malo ſuſcitaui te. De Chriſti morte in Cruce. 432.1
Sicut lilium inter ſpinas, ita amica mea inter filias. De Beata Virgine Chriſti extinctum corpus ſuo in gremio ſuſcipiente. 455.2
Ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam. De ardenti B. Virg. amore. 484.1
Qui paſcitur inter lilia. De alimẽtis Chriſto præſtitis à B. Virgine, & Ioſepho. 549.1
Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. De Aſſumptione B. Virginis. 589.1
3. *In lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea, & non inueni*. De Virgine Maria Ieſum amittente. 225.2
Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. De Maria Virgine Ieſum inueniente. 235.1
Surgam, & circuibo Ciuitatem per vicos, & per plateas quærens quem diligit anima mea. De B. Virgine amoris æſtu animam exhalante. 485.2
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus. De Beatæ Virginis Aſſumptione. 586.2. ſeq.
4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent*. De Beata Virgine detrahentium morſibus reſiſtente. 35.2
Dentes tui ſicut greges tonſarum. De fœcunditate ſeruorum Dei. 76.1
Capilli tui ſicut greges caprarum. De celſitudine cogitationum B. Virginis. 515.2
Sicut fragmen mali punici genæ tuæ. De ædificatione toti Eccleſiæ præſtita à Beata Virgine. 516.1
Sicut Turris Dauid collum tuum. De eadem ædificatione. 516.1
Abſtuliſti cor meum in vno crine colli tui. De humilitate B. Virginis. 522.2
Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. De operibus miſericordiæ. 550.1
Capilli tui ſicut greges Caprarum, quæ aſcendunt de Monte Galaad. De vita actiua, & contemplatiua B. Virginis. 550.1
Veni de Libano ſponſa mea, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, &c. de cubilibus Leonum, de montibus pardorum. De exaltatione, & diademate Beatiſſimæ Virginis. 610.2. ſeq.
Fauus diſtillans labia tua ſponſa; mel, & lac ſub lingua tua; & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. De aduocatione Beatæ Virginis pro nobis. 623.1
Turris Dauid collum tuum &c. *mille clypei pendent ex ea*. De interceſſione Beatæ Virginis. 628.2
5. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacintis*. De Chriſto Deo, & homine. 353.1.2
Ego dormio, & cor meum vigilat. De Seraphico Mariæ Virginis amore. Item De amore, quo Beatiſſima Virgo ducitur ad miſeris indifferenter, nulla perſonarum facta exceptionem, opem ferendã. 633.1
Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum. De Beatæ Virginis prudentia. 278.2
Terribilis vt caſtrorum acies ordinata. De Mariæ Virginis horribilitate apud dæmones. 544.2
Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora, terribilis, &c. De pulchritudine, prudentia, & fortitudine Beatæ Virginis. 545.1.2
Electa vt ſol. De adiutorio B. Virginis in fauorem peccatorum. 585.2
7. *Collum tuum ſicut turris eburnea*. De fortitudine, & humilitate Mariæ Virginis. 22.2. 26.1. 496.1
Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. De humilitate Virginis. 26. & ſeq.
Item de eius aſſumptione. 593.1

Mane

Mane ſurgamus ad vineas; videamus ſi floruit vinea, &c. De profectu ſpirituali. 212. 1
8. *Quis mihi det ſe fratrem meum ſugentem vbera matris meæ*. De impleto Eccleſiæ deſiderio per oblationem Chriſti in Templo. 42.2
Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum. De fuga Chriſti in Aegyptum. 123. 1
Lampades eius, lampades ignis, & flammarum. De ardenti Chriſti charitate. 409.2
Ego murus, & vbera mea ſicut turris. De fortitudine B. Virginis. 495.2
Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum. De honore à Chriſto Beatæ Virgini exhibito in illius aſſumptione. 576.1

Eccleſiaſtes.

C.11. *MItte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum*. De eleemoſynas pauperibus erogantium lucro. 695.2

Eccleſiaſtici.

2. *OCuli ſapientis in capite eius; oculi ſtulti in pedibus eius*. De iuſtis, & iniuſtis. 103.1
Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. De gratia, & humilitate Beatæ Virginis. 517.1
7. *Ne impie agas multum*, &c. De curriculo vitæ hominis in melius promouẽdo. 138.2
10. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*. De dolore Chriſti Domini ex eius paſsione in Beatam Virginem redundante. 419.2
Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti De laſciuis cogitationibus. 524.1
18. *Eleemoſyna viri, quaſi ſignaculum cum ipſo*. Quod eleemoſynas erogans magis ſibi, quam alteri tribuat. 649.1
Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. De creatis ex nihilo, & ex aliquo à Deo. 340. 1
24. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*. De Diuini verbi communicatione nobis à B. Virgine facta. 533.1
Qui creauit me requieſcit in Tabernaculo meo. De excellentia ſanctitatis Beatæ Virginis. 537.1
Girum Cœli circuiui ſola. De vita actiua, & contemplatiua B. Virginis. 550.2
Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano. De immenſitate & excellentia Gloriæ Beatæ Virginis. 569.1
Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. De excellentia Beatæ Virginis. 582.1
Sicut platanus exaltata ſum. De officijs B. Virginis in fauorem peccatorum. 622.1
47. *Sicut adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſrael*. De ſanctitate Diui Ioſephi ſponſi B. Virginis. 154.1.2

Threnorum.

C.1. *ATtendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*. De dolore B. Virginis in morte Chriſti ceteros dolores longe ſuperante. 423.ad 427
Non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis eius. De acerbitate doloris Mariæ Virginis in paſsione Chriſti. 429.2.*ſeq.*
3. *Magna eſt, velut mare, contritio tua*. De exceſſu doloris Beatæ Virginis, in Chriſti obitu. 423.
4. *Patres noſtri peccauerunt, & nos iniquitates eorum portauimus*; ideſt pœnas. 9.2

EX PROPHETIS.
Iſaias.

C.1. *PRincipes tui infideles*. De Principatu primorum parentum. 612.2
Vide, & ſileas, & cor tuũ ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium. De vxore ſciente virum ſuum alteri mulieri adhærere, ſilere debente. 293.2
16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Syon; & erit ſicut auis fugiens, & pulli de nido euolantes*. De fuga Chriſti in Aegyptũ. 121.2
18. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacbra Aegypti à facie eius*. De fuga Chriſti. 160.2.180.1
24. *Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam* De diabolica ſuggeſtione ad illaqueandas animas. 317.2
30. *Complicabuntur ſicut liber cœli*. Poſt diem ſcilicet vniuerſalis Iudicij. 343.1
Pauebit Aſſur virga percuſſus. De perhorreſcentia Dæmonis in congreſſu cum Maria Virgine. 557.2
35. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli*. &c. De excellentia gloriæ B. Virginis. 585.1
38. *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*. De morte Chriſti in maiori ætate. 137. 2
45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum*. De partu B. Virginis. 155.2
47. *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius*. Damnatur iudiciaria Aſtrologia. 332. 1
Qui ambulauit in tenebris, non eſt lumen ei, ſperet in nomine Domini. De cœca obedientia. 374.2
Canes muti non valentes latrare. De ingrati animi vitio. 61.1
Si vocaueris ſabathum delicatum. De celebrandis feſtis. 257.1

Hiere-

Hieremias.

C.23. *QVid paleis ad triticum: non ne verba mea ſicut ignis, & quaſi malleus conterens petras?* De Diuini verbi virtute. 708. 2

58. *Cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* De virtutibus ſitim animi explentibus. 240. 1

Daniel.

C.4. *ECce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.* De beneficentia B. Virginis in omnes ſe diffundente. 633. 2

Oſeas.

C.11. *QVia puer Iſrael dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum.* De reditu Chriſti ex Aegypto. 171. & ſeq.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. De ſolitudinis priuilegijs. 646. 2

Ionas.

C.4. *AScendit diluculo in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit.* De fluxibilitate bonorum temporalium. 238. 2

20. *Stabat autem in porta.* De cuſtodia à Deo facta in conceptione, & morte Beatiſſimæ Virginis. 579. 1

44. *Porta hæc clauſa erit, & Princeps ipſe ſedebit in ea.* De virginitate, & fortitudine Deiparæ Mariæ. 497. 1

Habacuc.

C.3. *DEus ab Auſtro veniet.* Nomenclatura Beatæ Virginis. 3. 1

Itē de obumbratione Spiritus ſancti. 525. 1

Item de interceſſione eiuſdem Beatæ Virginis apud Deum. 528. 2. 628. 2

Et ſanctus de monte Pharan. De puritate Virginis. 3. 2

Ioſue.

C.6. *RAhab meretrix viuat.* De miſericordia Dei. 543. 1

Sophonias.

C.2. *AZotum in meridiem eijcient.* De ſcandalo. 32. 1

3. *Væ Ciuitas prouocatrix, & redempta.* De ingrati animi vitio. 61. 1

Malachias.

C.3. *IPſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum purgabit filios Leui.* De Chriſto redimente. 14. 1

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

C.2. *VSquequo dicam tibi.* De patientia in aduerſis. 170. 2

Hoc autem totū factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: ex Aegypto vocaui filium meū. De reductione Chriſti ex Ægypto. 175. 1. 2

5. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* De ſcandalo. 30. 1

Beati qui eſuriunt Iuſtitiam. De profectu ſpirituali. 213. 1. 2

6. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* De vitæ actiuæ, & contemplatiuæ ſcopo. 661. 2

7. *Sapiens iſte vir ædificauit ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit.* De Beata Virgine caſtello comparata. 530. 1

9. *Nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, &c.* De immoderata alimentorum cura non habenda. 327. 1

10. *Eſtote ſimplices ſicut columbæ.* De mentis ſimplicitate. 515. 2

Non veni pacem mittere, ſed gladium. De ingreſſu Chriſti in Aegyptum. 164. 2

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet. De Aſſumptione Beatæ Virginis. 590. 2

11. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum.* De obedientia Deo debita, eiuſque ſuauitate. 359. 1

18. *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpēdatur mola aſinaria, &c.* De ſcandali prauitate. 32. 2

24. *Luna non dabit lumen ſuum.* Quòd in die nouiſsimo Maria Virgo ceſſabit à facundo peccatoribus. 541. 2

26. *Facto veſpere dicitis: ſerenum erit, rubicundum enim eſt cœlum.* De ſanguine Martyrum gloriæ ſigno. 574. 1

Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in nocte iſta. Quod Apoſtoli omnes tempore mortis Chriſti in fide nequaquam defecerint. 444. 2

Ex Luca.

C.2. *VT ſiſterent eum Domino.* De grata oblatione Chriſti. 45. 1

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis. An referenda ad Chriſtum, vel ad Mariam Virginem. 52. ſeqq.

Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. De præſentatione Chriſti in Templo. 159. 2

Ecce homo erat in Hieruſalem. De ſancto Simeone. 85. 2

10. *Intrauit Ieſus in quoddam Caſtellum.* De fortitudine B. Virginis. 494. 2

Item de incarnatione Verbi in vtero Mariæ Virginis. 508.1
12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* De morte peccatoris. 138.2

Ex Ioanne.

C. 1. *ECce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* De Chriſti morte in iuuenili ætate. 137.1
2. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilea.* De præuijs Chriſti miraculis. 181.2
Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. De charitate Beatæ Virginis. 568.2
5. *Lucerna ardens, & lucens.* De vita mixta ſancti Ioannis Baptiſtæ. 670.1
7. *Ieſus autem abſcondit ſe.* Inuiſibilem ſcilicet ſe reddendo. 134.1
8. *Ille homicida erat ab initio.* De rabie Dæmonis in Chriſtum infantem. 149.2
12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* De Chriſti paſsione, & gloria. 173.1
15. *Audiuit Symphoniam, & chorum.* Receptionis filij prodigi à patre factæ argumento de minori ad maius, Beatiſsimæ Virginis aſſumptio glorioſa pro humana capacitate demonſtratur. 570.2
19. *Mulier ecce filius tuus.* De incremento doloris B. Virginis in paſsione Chriſti Domini. 430.1
Stabat iuxta crucem Ieſu Maria mater eius. Quòd in paſsione Chriſti B. Virgo ſpaſmum paſſa non fuerit, ſed viriliter ſe geſſerit. 441. *ſeq.*

Ex Epiſtolis Diui Pauli, necnon ex vnica Diui Iacobi.

Rom. 16. *SAlutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis.* De noſtro erga Deiparam Virginem debito. 513.1
Tim. 4. *Ne in ſuperbiam incidant diaboli.* De indignè ad dignitates conſcendentibus. 203.2
Tim. 18. *Iuſto non eſt impoſita lex, ſed iniuſtis.* De impoſitione legis iſtis, & illi. 65.1
Cor. 7. *Qui vxores habent tanquam non habentes ſint.* De mutuo amore coniugum in Chriſto. 292.1
1. Cor. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* De bonis operibus. 75.2
2. Cor. 1. *Idoneos nos fecit miniſtros.* De prædeſtinatione. 566.2
2. Cor. 6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* De profectu ſpirituali. 215.2
2. Cor 7. *Contriſtati eſtis ſecundum Deum, vt in illum detrimentum patiamini.* De contritione peccatorum. 234.2
2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè metet.* De præmio gloriæ meritis æquali. 568.1
1. Iac. 5. *Si in peccatis fuerit dimittentur ei.* De effectu primario remiſsionis non ſecundario. 471.2

Ex Apocalypſi.

Apoc. 2. *QVi vicerit, dabo illi ſtellam matutinam.* De præmio vincenti promiſſo. 157.1
Memor eſto vnde excideris. De profectum non facientibus. 114.2
Apoc. 4. *Beati adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante Thronum.* De Coronis B. Virginis. 613.1
Apoc. 12. *Surge metire Templum Dei, & Altare, & adorantes in eo.* De cultu Templi Dei. 58.1
Duæ alæ datæ mulieri, quæ peperit maſculū, vt volaret in deſertum locum ſuum, vt alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. De progreſſu ſpirituali. 216.2
Et Luna ſub pedibus eius. De Maria Virgine terreſtria bona contemnente. 526.1
Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta ſole. De Aſſumptione Beatæ Virginis. 591.1.7
Apoc. 17. *Dabo manna abſconditum, & calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum; quod nemo nouit, niſi qui accipit.* De S. Ioſepho Beatiſsimę Virginis Mariæ ſponſo. 156.2
Apoc. 21. *Ipſa verò Ciuitas aurum mundum, ſimile auro mundo.* De puritate Beatiſsimæ Virginis. 539.2

Finis Indicis locorum ſacræ Scripturæ.

INDEX VBERRIMVS
RERVM NOTABILIVM
HVIVS OPERIS.

Primus numerus Paginam, ſecundus Columnam indicat.

A

ABrahami obedientia. 20.1
Abrahami doctrina. 250.1
Abrahamus in ignẽ proiectus miraculosè illæſus euaſit. 250.1
Abrahamus primus fuit, qui Deum vnum prædicauit. 250.1
Abraham pater ſublimis interpretatur. 250.1
Adam totalis fuit cauſa perditionis humani generis. 463.2
Adami, & Euæ dolor, terreſtris Paradiſi iactura. 225.1
Adam tradidit Diuinas, humanaſque ſcientias. 249.1
Adeps licet ex ſanguine gignatur, ſanguine non conſtat. 154.2
Admiratio oritur ex cauſæ ignorantia. 200.2
Adoleſcentem ſilere oportet. 191.1
Aduentus Domini duplex, ad redimendum, & ad iudicandum genus humanum. 222.2
Aduerſæ res ad perquirendum Deum compellunt. 262.1
Aduerſitatum fructus. 261.ſeq.
Adulterium eſt alterius pudoris expugnatio. 349. 1
Adulteræ olim lapidibus obruebantur, & quare. 295.1
Adulterij ſuſpicionis ergo olim potio quædã vxori propinabatur, cuius virtute, ſi culpabilis erat, illius fœmur putreſiebat, & vterus rumpebatur. 295.1
Adulteri igne, capite, exilio, alijſq; pœnis plectebantur. 295.1.2
Adulteræ olim ab earum viris, vel conſanguineis impune, quouis mortis genere trucidari poterant. 295.2
Adulteros viuos vrendos eſſe à Saluo Principe Proſonienſe lege indicta, in tale ipſe prolabens crimen, ſpontè ardenti rogo ſe cremandum dedit. 295.2
Adulter nemo in Sparta. 296.1
Adulteri viri priuantur iure pœnas ab adulteris vxoribus exigendi. 296.1
Aduocatus pauperum olim ab antiquis etiam deſtinabatur. 621.2
Aer peſtilens magnis flammis purificatur. 410. 1
Aegyptus ex parte Aquilonari incipit ab Vrbe Pharamis. 146.2
Aegypti de Terra Chanaan via facilior per mare. 146.2
Aegypti via terreſtris, & maritima à Ieruſalem. 146.2
Aegyptus, & Babylonia vitiorum omnium ſentinæ. 163.1
Aegyptus Sanctis Eremitis per multos floruit annos. 164.2
Aegypti Eccleſiæ fundator Chriſtus. 165.1
Aegyptus, & Babylon idololatria ceteras gentes ſuperabant. 165.2
Aegyptiorum irridenda delubra. 165.2
Aegypti mutatio propter aduentum Chriſti. 165. 2
Aegypti regio penè inacceſſibilis, prꝛterquã per mare Occidentale. 167.2
Aegypti confinia, & aer. 167.2
Aegypti locus vbi B. Virgo morã traxit. 168.2
Aegypti fons in veneratione habitus. 168.2
Aegypti fons, vbi B. Virgo Ieſum, eiuſque panniculos lauit, fertiles reddẽs etiam ex aliarum commixtione aquarum hortos. 168. 2 180. 2
Aegypti locus à B. Virg. habitatus perpetua ardenti lãpade à Mauris colluſtratus. 168.2
Aetatum gradus quot, & quanto vnuſquiſque tempore perficiatur, & quali ratione, & corporis facultatibus quilibet polleat. 201.2
Affirmantibus duobus magis creditur, quàm pluribus negantibus. 94. 1
Afflictorum documentum, & conſolatio. 170.2
Agis Rex Lacedæmoniorum quòd effrænatos hominum mores compeſcebat, à ſubditis fuit interemptus. 456. 1
Agnus primus Paſchalis occiſus fuit in Aegypto. 165.1
Agnus quomodo interpretetur. 165.1
Alexandri Magni ſtrenuitas in petulantem effrænemque equum ſibi obſequentem reddendo. 190.1
Alexandro Magno ante Homeri ſtatuam pertranſeunte, eadem ſtatua ſudorem emiſit, in argumentum Homeri etiam inſufficientiæ in eiuſdem Alexandri geſtis rebus enarrandis. 521. 1. 2
Amicitia ſilentio dirimitur. 413.2
Amicitia fidelis eſt, quæ in tribulatione non deſerit. 449.1
Amici fidelitas qualis eſſe debeat. 533.1.2
Amicitia impiorum fugienda. 186.2

Amicitiæ Symbolum, panis. 304. 1
Amicitia apud priſcos, & nunc apud Polonos pane conciliatur. 304.1
Amoris definitio. 62.2
Amoris ſedes, cor 157.2
Amor in aducrſis, & in ſecundis qualis. 159.1
Amator illicitus voluptatibus nunquam repletur. 239.1
Amor coniugalis Deo pergratus, inter tria grata Deo à Salomone recitata. 303.2
Amoris coniugalis demonſtrationes, & exempla mira. 304.& ſeq.
Amoris maius ſignum alteri pro amico, quàm ipſi amico, ſeruire. 675.1
Amatores mundi vera bona negligunt, apparentia inſectantur. 325.2
Amor maternus erga filios ardentior paterno, etiam inter animantia, & quare. 413.ſeqq.
Amoris erga filios deſcriptio apud Aegyptios Vulpanſeris ſimulachrum. 413.2
Amor acquiſitus conſuetudine nutritur. 413.2
Amor honeſtus fortior inhoneſto. 414.2
Amor charitatis omnia vincit, & quodammodo ſubdit ipſum Deum. 415.1
Amoris paterni vis 451.2
Amoris vis ab Alciato lepide deſcripta. 454.2
Amantium ſe amore mutuo, ac mortis hieroglyphicæ demonſtrationes. 455.1
Amor ſenſitiuus erga rem amatam in corde reſidens, cor accendit, abſumitque humidum radicale ad necem vſque. 484.ſeq.
Amoris ſymbolum, pomum mali. 485.2
Angelus Gabriel apparuit Ioſepho monens eum de fuga in Aegyptum. 129.1
Angelus Gabriel nunciauit paſtoribus Natiuitatem Dei. 129.1
Angelus Gabriel Ioſepho quomodo per quietem apparuerit. 129.2
Angelus cuſtos cunctis hominibus datus in defenſionem, & dæmon permiſſus ad inſtigationem vſque ab ortu. 149.1
Angelo cuſtode, & dæmone huiuſmodi Chriſtus caruit. 149.2
Angeli boni, & mali quomodo interna commoueant. 310.ſeq.
Angeli Diuinæ modò voluntati repugnare nequeunt. 366.2
Angeli habent aliquid de vita actiua. 511.1
Anima in maribus, & feminis quomodo infundatur. 9. 1
Animæ ſatietas, dona cœleſtia. 237.1
Anima quibus expleatur. 240.1
Anima triplex. 242.1
Anima qualis eſſe debeat, vt Deo placeat. 310.
Animæ Dei ſponſæ effectæ qualitates. 314.1
Animæ deſponſatio cum Chriſto initiata in ſacro baptiſmo. 314.1
Anima cuiuſque per iuſtificantem gratiam ſponſa Dei fit. 314.2
Anima Religioſa cum Chriſto propriè, & veriſſimè deſponſata dicitur, & probatur. 314.2
Animæ nuptiæ cum diabolo quæ, & quomodo contractæ. 315.1
Animi mores, corporis temperiem ſequuntur. 366. 2
Animi operationes corpori communicantur. 435. 1
Animarum curam gerens qualis eſſe debeat. 655.1
Anima ſciens, & prudens fit ſedendo, & quieſcendo. 706.2
Animal quoddam geſtans in fronte lucidiſſimum pyropum. 210.1
Animantia, & viuentia quæpiam decreſcente plenilunio minorantur. 25. 2
Animantia quædam renouantur, & quomodo. 12. 1
S. Annæ viduitas. 110.2
Anna quomodo interpretetur. 97. 1
Apes nulla inter ſe libidine commiſcentur. 79.2
Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti omnes in eius morte fidem non amiſerunt. 443.2
Apoſtoli, Saluatores participatiuè dicuntur. 463. 1
Apoſtoli, & Euangeliſtæ multa ſcripſerunt à Maria Virgine audita. 513.1.2
Appetitus ſenſitiuus rapitur à rationali in amicis Dei. 485.1
Aqua maris à mari diuiſa fit ſal. 37.1
Aquila vnguibus dilaniat draconem. 553.2
Aquila draconem geſtans, victoriæ ſymbolum. 553. 2
Aquila dominij, & imperij ſignum. 553.2
Aquilæ cuiuſdam mira gratitudo. 554. 1
Arca Domini in templum ingrediente, ſimulachrum Dagonis comminuitur. 166.1
Arca Noë octo animas viuas conſeruauit. 294. 2
Archelaus Iudææ Rex in exordio regnandi blandus, poſtmodum ferox effectus 3000. Iudæos in die Azimorum interemit. 178.2
Archimedis ingenium in cœleſtium orbium vertigines repræſentando. 456.1
Archiſtan abſurde recenſendum oratione coactus, parieti legendum inſcripſit. 15.1
Arioli dicebantur ij olim, qui in aris Idolorũ dæmonum reſponſa recipiebant. 118. 1
Aſtra cœleſtia non agunt immediatè in voluntatem, licet illam inclinent. 340.1.2
Aſtra, & ſigna naturalia nullam habent neceſſariam connexionem cum humanis actibus liberis, ex ratione Theologica. 342.2
Aſtra ſunt ſigna imbrium, tempeſtatum, & aliarum aëris mutationum. 343.1
Aſtra diſponunt ad agendum. 347. 1. 348
Aſtra præbent robur bellicis aggreſsionibus. 348. 2
Aſtrorum corpora quid imprimant in naturalibus corporibus. 347. 1
Aſtrum Veneris circa Veſperã ruborem præſeferens, futuræ ſerenitatis eſt indiciũ. 574.2
Aſtrologia iudiciaria futuros euentus à libera voluntate dependentes præcognoſci poſſe, falſiſſimum. 341. 1
Aſtrologia, Mathematicè metiens ſyderum ſinuo-

ſinuoſitatem, & motus certa. 341. 1
Aſtrologia iudiciaria à ſacris eloquijs impugnatur, & damnatur. 331. 2
Item à ſacris Canonibus. 332. 1
Item à Conſtitutionibus ſumm. Pontificum, & Concilijs. 333. 1. 2
Item auctoritate SS. Patrum. 334. 1
Item à Legibus Imperatorum, & Iuriſconſultis. 335. 2
Item à Philoſophis antiquis, & alijs Doctoribus. 336. 1
Item neruoſiſſimis rationibus huiuſmodi Aſtrologiæ fides tollitur. 338. 2
Aſtrologorum libri olim coram omnibus cōbuſti, prædicantibus Apoſtolis. 332. 2
Aſtrologi vnde dicti. 333. 1
Aſtrolabio vtens Sacerdos quidam ad Authorem furti ſciendum, per annum ſuſpenſus à Diuinis à Papa Alexand. III. 333. 1. 350. 1
Aſtrologiæ vacans Aquila primus ſacræ Scripturæ interpres per Patres ab Eccleſia eliminatur. 334. 1
Aſtrologi in Alexandria habebantur infames. 336. 1
Aſtrologi nonnulli olim grauiter puniti. 337. 1
Aſtrologia à ſapientibus deridetur. 337. 2
Aſtrologiæ iudiciariæ peccatum quibus conſiderationibus coercendum. 338. 1
Aſtrologiam docentes, & ediſcentes puniendi ex Conſtitutione Sixti Quinti. 333. 2
Aſtrologi ſyderum naturas nec ex reuelatione Diuina, nec ex experientia ſcire poſſunt. 338. 2
Aſtrologorum, & Philoſophorum diſſentaneæ ſunt opiniones de Cœlorum, & Vrbium motibus, ſitu, numero, & magnitudine. 341. 1. 2
Aſtrologi ex aſtrorum poſitione nil certi prædicere poſſunt, & quare. 342. 1
Aſtrologorum interrogationes, & reſponſiones circa furta, illicitæ. 350. 1
Aſtrorum ex obſeruatione neque Angeli poſſunt contingentia liberæ voluntatis præcognoſcere. 342. 2
Aſtrologis Cœli motus, & figuræ aſtrorum ignotæ. 331. 2
Aſtrologi quomodo aliquando multa vera ex futuris contingentibus prædicunt. 343. 2
Aſtrologi ſi quid veri prædicunt, id faciunt, Deo mentem, ac linguam moderāte. 344. 1
Aſtrologi vera prænunciantes ſuſpecti de pactione cum dæmone. 345. 1
Aſtrologi quæ prænunciare, tuta conſcientia, valeant, licet incertè. 345. ſeq.
Prænunciare poſſunt aëris, & temporum mutationes, terræmotus, opportunitatem temporum ad culturam agrorum, & ad morbos curandos. ibid.
Aſtrologi iudiciarij quæ prædicere poſſint tuta conſcientia in communi. 346. 1. ſeq.
Aue interpretatur, ſine væ doloris. 417. 1
Auguſto acclamato per Aſtrologum Domino Orbis, fato id ei contigit. 340. 2
S. Auguſtini dolor in morte amici. 417. 1
Aurum, & alia precioſa mineralia quare in terræ aluo occultata. 87. 1
Aurum ebore attrahitur. 234. 1
Auſter pater pluuiarum. 3. 1
Auſter Meridies interpretatur. 3. 1
Auſter Hebraico idiomate idem eſt, quod dextrum. 3. 2
Authoritas ſine veritate nil valet. 504. 2
Auxilia Diuina neceſſaria ad conuerſionem. 504. 2

B

Bacchus quo ſtratagemate Indos ſibi ſubegit. 389. 2
Baptiſmum etiam ſanctificatus in aluo materno ſuſcipere debet. 4. 2
Baptiſmum receperunt Beata Virgo, & Diuus Petrus à Chriſto Domino. 4. 1
Baſiliſci plurimi in Africa. 30. 1
Baſiliſci fugantur galli cantu. 30. 1
Baſiliſcum quis intuens prius quam ab ipſo videatur, illum enecat; ſecus verò occidit ipſe, ſi prius ab illo cernatur. 90. 1
Beati quare magis in dies, atque magis Diuina eſſentia inſatiabiliter delectentur. 484. 1
Beatorum gloriæ menſura. 567. 2
Beatitudo in terris ſperata, in Cœlis verò poſſeſſa. 14. 2
Benedicendi, & gratias agendi differentia. 100. 2
Beniamin filius dexteræ interpretatur. 421. 1
Bonum ex integra cauſa conſurgit; malum verò ex quolibet defectu. 641. 1
Boni circumſtantiæ ſeptem. 641. 1

C

Cæpa in decremento Lunæ fit amplior. 25. 2
Cœpam in cibum Ægyptij non ſumebant, & quare. 25. 2
Cain, ob fratricidium, continua capitis agitatione notatus. 143. 2
Camela ab Ægyptijs pro famis, ſitiſque diutina tolerantia, deſignabatur. 202. 1
Camilla Volſcorum Regina virilis inſigniſq; fortitudinis mulier. 532. 1
Canæ Galilææ locus vbi. 383. 1. 2
Candelarum feſtum ab Hæreticis temere deriſum ab eorum obtrectatione vindicatur. 76. 1. 77. 1
vide in verb. Cerei.
Candelarum feſtum quando inſtitutum, & cauſæ inſtitutionis. 78. 1. 81. 1
Candelarum feſta apud Romanos tria. 78. 2
Candelarum feſtum olim à Chriſtianis menſe Februario celebrabatur; & quare fuerit tranſlatum. 79. 2
Carbones deſolatorij qui ſint. 410. 2
Carbunculi genus librorum folia, & paleas attrahens. 210. 1

Caſtitatem diu ſeruabant Syrij, ob ſolis imaginem per publicas vias humeris deferendam. 291. 1

Caſtè viuere, & non nubere laudabilius, quàm nubere. 300. 1

Caſtitas malè tuta eſt, quæ humilitate non vallatur. 529. 2

S. Catherinæ corpus ab Angelis ſepulturæ fuit demandatum. 491. 1

Cauſas naturales ad proprios effectus adhibere licet. 349. 2

Cæremoniæ Eccleſiaſticæ longiſſimè à ſuperſtitione diſtant. 82. 2

Cæremoniæ antiquæ habebant ſenſum hiſtoricum, & myſticum. 176. 1

Cæremoniarum Eccleſiaſticarum definitio, & vnde dictæ. 380. 1

Cæremoniarum fructus, & vtilitates. 380. ſeq.

Cæremonias priſci quoque Deorum fatui cultores plurimi duxerunt. 381. 1

Cæremoniæ Deo gratiſſimæ, & ab eo commendatæ, & ordinatæ, earumque contemptores odio habiti. 381. 2
vide Hæreticus.

Cæremoniæ virtutibus coniungendæ. 381. 2

Cærei miraculosè in pondere, & numero adaucti, & multiplicati. 77. 2

Cerua catella à canibus inſectata in aurora, & fugiens rore retardatur. 148. 2

Charitas communia pro ſuis habet, & ſua pro communibus. 89. 1

Charitas omnium virtutum maxima. 522. 2

Charitas ex geminatis peccatis venialibus non decreſcit. 215. 1

Charitatis iuxta magnitudinem confertur præmium gloriæ. 568. 2

Charitatis officium eſt, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. 402. 2

Chriſtus in matris vtero per vmbilicarem neruum more cæterorum hominum nutritus fuit per nouem menſes. 6. 2

Chriſtus Dominus in vtero materno ſenſibus, rationiſq; vſu pollebat. 6. 2

Chriſtus ſtatim natus tanqam viſibilium, & inuiſibilium Dominus adoratur. 38. 2

Chriſtus Dominus præ humilitate ſapientiam celauit. 39. 2

Chriſtus Sanctum Deo interpretatur. 42. 1

Chriſtus nomine miſericordiæ ſignificatur. 46. 2

Chriſtus Dominus inter materna brachia in Templum delatus quare. 92. 2

Chriſtus delatus à quatuor perſonis. 97. 1

Chriſtum portare quid ſit, & quomodò portetur. 81. 2. 82. 1

Chriſtus ad quid in mundum venerit. 136. 1. 2

Chriſti mors quare vtilior nobis fuerit potius in grandiori illius, quàm in infantili ætate. 137. 1. ſeq.

Chriſtus Dominus ſimilis fuit facie Ioſepho eius putatiuo patri. 156. 2

Chriſti caro nec viua tabeſcere, nec mortua corrumpi poterat. 161. 2

Chriſtus quo anno Imperatôris Auguſti natus 170. 1

Chriſtus perſæpe in ſacris paginis Rex dictus. 178. 1

Chriſti miracula, ante miraculum commutationis aquæ in vinû in Cana Galilææ. 181. 1

Chriſti operationes communes, & propriæ. 193. 2. ſeq.

Chriſtus Magiſter fuit, & nunquam diſcipulus ſtatim atque conceptus ſapiens. 198. 1. 2

Chriſtus frequentius Diuini verbi incarnationem docuit. 199. 1. 2

Chriſti Domini tanquam Dei, & tanquam hominis operationes. 199. 1. 2

Chriſtus quid egerit ab anno duodecimo vſque ad trigeſimum. 205. 1

Chriſti nomina in ſacris eloquijs. 205. 2

Chriſti profectus de ætate in ætatem quomodo dicatur. 206. ſeq.

Chriſti ſapientia creſcens ætate, ſolis metaphora peraptè commoſtratur. 207. 2

Chriſti ſcientia quotuplex. 207. 1

Chriſtus quare matrem; ſua abſentia torquere voluerit. 210. 211

Chriſtus Dominus infans communes infantiũ fragilitates paſſus fuit. 223. 1

Chriſtus Dominus, dum puer erat, conſultò pueriliter errabat, vt ſe pueris conformem redderet. 223. 1

Chriſtus Dominus quare triduo à matre abſens fuerit. 242. 1

Chriſti geſta in pueritia tradita à Beata Virgine. 177. 2

Chriſtus quoties conuiuijs interfuit, toties conuiuijs ſpirituales fructus fuit impartitus. 288. 1

Chriſtus neque curioſitatis, cauſa neque alicuius curioſi precibus miracula edidit. 321. 1

Chriſtus quædam effecit tanquam Deus, quædam verò tanquam homo. 322. 1

Chriſtus manifeſtius Diuinitatem ſuam miraculis, quam alijs teſtimonijs comprobauit. 327. 1

Chriſtus in nuptijs Canæ Galilææ non creauit vinum, ſed aquam in illud commutauit. 329. 2. 395. 2

Chriſti ſanguis licet ab infinitis ſumatur, nunquam minuitur. 391. 1

Chriſtum ſub fato fuiſſe aſſerere, mendacium, & blaſphæmia. 393. 1

Chriſtus patiens licet in inferiori animi parte torqueretur, in ſuperiori tamen gaudebat. 408. 2

Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis, ratione, & ſapientia ſumma pollebat. 413. 1

Chriſti dolores in paſſione acerbiores quibuſcumque ceterorum Martyrum cruciatibus, ratione eius nobiliſſimæ ſenſibilitatis. 417. 2

Chriſti tunica inconſutilis, fuit à Beata Virgine conſuta, & elaborata. 420. 1

Chriſti è latere mucrone transfoſſo ſanguis, & aqua ſeiunctim miraculoſè effluxere. 431. 2

Chriſti

Chriſti in paſſione cruciatus in Beatam Virginem redundabant. 436.1.2
Chriſti in morte luctus. 431.1
Chriſti depoſitio è cruce quomodo facta, & à quibus. 455.2.459.1
Chriſtus Dominus ſolus, abſque vllo coadiutore, humani generis redemptor fuit. 460.2
Chriſtus à duodecimo anno vſque ad trigeſimum diſtulit nonnulla Diuinitatis ſuæ edere argumenta de conſilio Beatæ Virginis. 533.1
Chriſtus Dominus non ſolùm in deſerto, verum etiam alibi tentatus fuit à dæmone. 556.2
Chriſti conceptio, & natiuitas non fuerunt abſque B. Virginis cauſalitate. 614.2
Vide in verbo. Ieſus.
Circumciſio ante Legem Moyſis erat in vſu. 54.2
Circumciſione nullo feminæ afficiebantur. 53.1.2
Cleopatra Ægypti Regina vnionem Marco Antonio Imperatori in puluerem redactum tradidit ebibendum, valoris aureorum centum vigintiquinque millium, & Deæ Veneri munus obtulit Regno æquiualens. 45.2
Clypea olim in bello amittentes quare grauiter puniuntur. 36.1
Cœli empyrei deſcriptio. 607.1
Cogitationes malæ quomodo fugandæ. 514.1
Columba aggregale eſt animal. 69.2
Columbæ quare ſuper fluentia inſideant. 71.1.74.1
Columba gemendo canit. 71.2
Columba Amoris ſymbolum. 72.1
Columbæ qualitates. 73.1.74.1.75.1
Columba ſymbolum fecunditatis. 74.2.75.2
Columba ſubtractos pullos non quærit, nec de oblatione cruciatur. 228.2
Cometæ quare aliquando Principum mortem portendant. 243.1
Conceptionis eodem tempore, & ſub eodemmet aſtrorum vultu, diuerſa fata quidã acceperunt, moribuſq; diſſimiles fuere. 319.2
Concionatores non debent ad oppidula ægrè diuertere. 705.1
Concupiſcentiæ motus dantur in homine, abſque vlla illius culpa. 554.2
Confirmationis ſacramẽtum Beata Virgo per exuberantem Spiritus ſancti gratiam, recepit. 4.1
Coniugum mutuus debet eſſe amor, & mutua proborum morum, & affectuum conformatio. 304.1
Coniuges quando tranquilli. 306.1
Conſtantiæ deſcriptio, duriſſima rupes varijs maris pulſata fluctibus, cum inſcriptione: eadem ſum ſemper. 447.1
Conſuetudo altera eſt natura ex Ariſt. 62.1
Conſuetudo altera lex à Chriſto ſeruata. 263.1
Contritio requirit propoſitum non reincidendi in peccatum. 234.1
Conuerſio ad Deũ quomodo procurãda. 236.1
Conuerſio non fit abſque auerſione, nec econtra. 377.2
Conuerſio noſtra non ſolum à Deo, ſed ex multis quoque ſecundis cauſis dependere ſolet. 463.1
Cor primum vita informatur. 61.2
Corde tantum Deo ſatis fit. 62.1
Cordis noſtri zelotypiam habet maximam Deus. 63.1
Cor fons vitæ eſt. 157.2
Cor dicitur à cura. 158.1
Cor habet iuxta ſe pulmonem in illud inſufflantem, ne immoderato calore ſuffocetur. 158.2
Cor aſſiduè mouetur. 158.2
Cor in homine ſiniſtram corporis partem obtinet, in cæteris verò animantibus medium corpus. 158.2
Cor duplicem habet ventriculum, & duplices concauitates, aures nuncupatæ. 159.1
Cordis boni ſignum eſt actio velox. 159.1
Corda bina nonnullæ perdices habent. 159.2
Cor nullum repertum in quadam Cæſaris victima. 159.1
Corda hirſuta habebant Hermogenes, & Leonidra. 159.2
Cor faucibus hominis appenſum ſimulachrum probi viri. 159.2
Cor quare ſemper deſiderijs æſtuet. 237.2
Cor humanum quare temporalibus bonis non expleatur, nec quieſcat in illis. 238.ſeq.
Cordis vapores quales. 621.1
Cornu capreæ cremati fumus ſerpentes fugat. 123.1
Corona triplex. 610.2
Corporis humani formatio non pendet ex ſolo puncto conceptionis. 319.2
Corpore frigeſcere incipiente, per reſolutionem flegmatis, aqua in eo generatur. 422.1
Corruptio vnius generatio eſt alterius. 614.2
Creatio opus excellentius eſt, quàm conuerſio. 329.2
Creationis, & generationis differentia. 537.1
Creſus Rex milliones quinque aureorum ex annuis tantum cenſibus percipiebat. 527.1
Culpæ macula nemo deturpatur, niſi velit. 352.2
Currus celebres Antiquorum. 93.1
Cygni pulli, Cytharædis plectra pulſantibus ad concentus euolant, & concinunt, & morti proximi dulcius modulantur. 101.1
Cygni effigiem Aegyptij in tumulo muſici ſenis exprimebant. 101.2
Cygni cantus cur in morte ſuauis. 101.2
Cygnus cur moribundus ſuauius moduletur. 102.1
Cygni nuncij ſunt ſerenitatis, & tranquillitatis maris. 102.2

D

DAniel duodecim annis natus à ſenibus Babylonis pro Iudice eligitur. 190.2

Dato-

Datorem hilarem diligit Deus. 64. 1
Dauidis fortitudo. 450. 2
Decimas Deo dare Diuini eſt præcepti. 64. 1
Decimas etiam Ethnici Deo perſoluebant. 64. 1
Decimas non ſoluentium pœnæ. 64. 1
Decimas non ſoluentes antequam ſoluant non ſunt abſoluendi. 64. 2
Decima inter creata intellectu pollentia, eſt homo. 64. 1
Dei, & hominis hypoſtatica vnio præ ceteris rebus omnibus miranda. 45. 2
Deo Iſrael tanquam Zeloſi quare Romani nullum Templum conſtruxerint. 63. 2
Deus eſt prima omnium operum cauſa. 64. 2
Deo ſeruire, regnare eſt. 65. 2
Deus tam ingentia, quàm parua dona eodem vultu, & pari alacritate recipit. 67. 1
Deus allocutus eſt dæmonem. 144. 2
Deus duplici modo nobiſcum manet, per Euchariſtiam, & per Doctrinam Euangelicam. 198. 2
Deum diligere eſt amare Iuditiam. 213. 2
Dei iactura mors animæ. 227. 1
Deum diligens quaſi Deus eſt. 230. 2
Deus neminem relinquit, niſi prius relinquatur. 240. 2
Deum quærere quis non poteſt, niſi quæratur prius ab eo. 240. 2
Deum inueniendi opportunitas. 241. 2
Deus vbi inueniendus. 242. 2
Deus licet vbique adſit, promptior tamen ad exaudiendum in Templo adeſt. 244. 2
Deus ex nihilo Cœlos, elementa creauit, cetera verò ex illorum materia effecit. 330. 2
Dei natura nulla re aptius explicatur, quam igne. 410. 2
Deus nunquam amare ceſſat. 411. 2
Deus pater per mortem filij non contriſtabatur. 415. 2
Deus non contriſtatur; & quando ſacra Scriptura loquitur de illius contriſtatione, loquitur more humano. 431. 2
Deus ſemper agens ſemper quietus. 511. 2
Dei ſanctitas, & beatitudo eſſentialis. 516. 1. 2
Deus virtutes omnes vnica eſſentiæ ſimplicitate continet; & id peraptiſſimo exemplo commoſtratur. 518. 2
Deo ſeptem Angelici ſpiritus aſſiſtunt. 530. 2
Deus quoſdam merè gratis prædeſtinauit ad gloriam. 566. 2
Deus aromatico fumo olim placabatur. 588. 2
Deo placere cupientes quid agere debeant. 642. 1
Deſiderium, abſque operatione, inutile eſt. 214. 1
Dona auri, thuris, & myrrhæ Chriſto oblata à Magis exiguæ quantitatis fuerunt. 69. 1
Difficile eſt aſſueta relinquere. 79. 1
Dignitates ab ignorantibus nequaquam aſſumendæ. 303. 2
Diſcere quid importet. 198. 2
Diſcretio quid ſit, & quomodo acquiratur. 278. 2
Diſcretionis ſymbolum vngula diuiſa. 192. 2
Diſcretionis tempus in feminis, & in maribus. 118. 2
Diſputatio à Chriſto habita inter Doctores in Templo, cuius materiæ. 191. 2. 199. 2
Diuinationum quatuordecim genera. 338. 2
Diuitiæ amaritudinem generant. 527. 2
Diuitiæ ſpinæ ſunt. 590. 1
Doctores etiam improbi audiendi, probis tamen non exiſtentibus. 245. 1
Dæmones futura quædam contingentia verà dum prædicunt, id contingit ex Diuina tantum reuelatione per Angelos bonos facta, non autem ex eorum ſcientia. 344. 2
Dæmones nonnunquam futura homini prænunciant, id arguentes ex ſignis corporis hominum, ex præparatione cauſarum, & experientia, medio etiam rapido eorum motu. 345.
Dæmonis ingenium in ſubtrahendo de mandatis Dei, ve nos decipiat. 351. 1. 2
Dolor ex amore procedens ad quæ compellat. 411. 2
Dolor amantis in morte amati talis eſt, qualis amor. 415. 1
Dolore ingenti permulti tam mares quam feminæ attriti enarrantur. 423. ſeq.
Dolores læſionis, & compaſſionis quibus è fontibus ſcateant. 434. 2
Dominium quadrupliciter acquiritur. 616. 1
Dona Dei ex negligentia noſtra deteriorantur. 215. 1. 2
Dona Dei quomodo deſiderio, & opere noſtro aſſequantur. 216. 2

E

EBrietatis peccati grauitas, & damna. 389. 1. 2
Ebrietas in layco crimen, in ſacerdote quodammodo ſacrilegium. 390. 1
Ebrietatis effectus praui. 390. 1
Ebrietas euidam cauſa fuit plura deteſtanda ſcelera committendi. 390. 1
Ebrietatis nocumenta. 390. 2
Ebur ſolidiſſimum eſt. 26. 1
Ebur caſtitatis ſymbolum. 496. 2
Eccleſia poſtquam incœpit, nunquam defecit. 441. 2
Eclypſis ſolis quomodo fiat. 210. 1
Eclypſis in Sole, & Luna vno, eodemque tempore non datur. 449. 2
Eclypſis Solis, & Lunæ quomodo fiant. 449. 2
Electio hominis à Deo perſuadetur. 147. 1
Eleemoſyna reſiſtit peccatis. 11. 1
Eleemoſynam pro concionibus non recipere, gloriæ duxerunt D. Paulus, & D. Chryſoſtomus. 21. 2
Eleemoſyna pauperum exigua, apud Deum diuitis theſauro vberior. 118. 1

Vide in verbo Hoſpitalitas.
Elementa ſingula à quibus cœleſtibus ſignis gubernentur. 202.1
Elephantus viſo igne, in audaciam conſurgit. 381.1
Elephantus innatam habet cum dracone hoſtilitatem. 496.2
Emmanuel interpretatur : nobiſcum Deus. 222.2
Epiſtola Sancti Ignatij Martyris ad Deiparam Virginem. 515.2
Epitheta, quibus ſacra Scriptura B. Virginem collaudat. 2.2
Epycheia virtus eſt, ius legale ad naturale reducere. 503.2
Eſther quibus fauoribus Aſſuerus Rex proſequutus fuerit. 576.2
Eſther petitio liberauit Hebræos à morte. 615.2
Euchariſtiæ ſacramentum Beata Virgo ſuſcepit. 4.2
Euchariſtiam ſumere in articulo mortis negligens ſuſpectus de fide. 471.1
Euchariſtiam ſumere per modum viatici non obligatur, qui, eo anno alias ſuſcepit. 473.1
Exiliatorum ſolatium, & leuamen. 142.1.ſeq.
Exilii commoda. 144.2
Exul ille dici nequaquam poteſt, qui in Chriſto manet. 143.2
Exul eſt impius in patria quoque ſua. 142.2
Exules à Deo per peccatum quomodo mulctati. 143.4

F

FAbulis Prophetæ quomodo vſi. 563.1
Familiaritas nimia parit contemptum. 649.1
Februarius menſis vnde dictus. 79.2
Femina inhoneſta rabido cane prauior. 44.2
Femina bis nupta olim non permittebatur nouam ſponſam contrectare. 112.2
Femina pudica bis nequaquam nubet. 113.1. 118.2
Feminæ vultum ſuum albo, vel rubeo colore oblinientes, vitium, non autem decorem ſibi impingunt. 293.1
Femina poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir. 295.1
Vide in verbo Vxor.
Ficus quare à Chriſto maledicta. 76.1
Fides duplex, viua, & mortua. 98.1
Fides, ſine operibus, deformis. 98.2.99.2
Fides voluntatem non impellit. 98.2
Fidei quomodo fiat iactura. 99.1
Fidei amiſſæ damna. 99.2
Fidei definitio. 312.2
Fide ſine, impoſſibile eſt placere Deo. 312.2
Fides indigentium optima diſpoſitio, vt Chriſtus eis opem ferat. 351.1
Figura naturalis actionis eſt comprincipium, & diſpoſitio ad formam. 148.2
Filiorum bonæ, & malæ educationis fructus, & damna. 51.2.52.1
Filij precioſa mulierum ſunt monilia. 93.1
Filius quomodo detur, abſque coitu. 155.2
Filius prodit ſimilis rei à matre fixe cogitatæ. 156.2
Fili idem eſt, quod Amor. 268.2
Filios ſine peccato, primi parentes edidiſſent, niſi in inobedientiam prolapſi eſſent. 299.1
Filiæ pietas erga matrem, eam lacte nutriendo, ne periret in carcere, ex quibus, huiuſmodi pietatis ergo euaſit. 283.2
Filij bene à parentibus ſunt educandi. 297.1
Filiorum procreatio non ſolo Dei nutu fit, ſed maſculo, & femina cooperantibus. 299.2
Fletus, pietatis eſt effectus. 141.1
Fœcundi duodecies in anno lepus, & cuniculus. 202.1
Fœtum Camela duodecim menſibus gerit. 202.1
Forma naturalis actionis eſt principium. 548.2
Fortitudine virtutes omnes exornantur. 530.1
S.Franciſcus cupiens ſuos per vniuerſum terrarum orbem diſperſos Fratres ſimul congregatos videre, id ei miraculosè, ex voto ſucceſſit. 476.1
Fuga Chriſti in Aegyptum vaticinata. 120.1
Fugæ Chriſti in Aegyptum cauſæ, & rationes. 135.ſeq.
Fuga Chriſti in Aegyptum, quare potius per terram, quàm per mare arrepta. 147.1
Fugam Chriſti in Aegyptum contigiſſe in ſecundo eius anno probatur. 129.2
Vide in verbis Aegyptus, Chriſtus Ieſus, Maria, Ioſeph.
Fuga nonnulla diuinitus indicta. 141.1
Fulgur duriora perfringit. 557.1
Furor mentis oculum obnubilat. 311.2

G

GAlli gallinacei innatam habent cum baſiliſco hoſtilitatem. 50.1
Galli baſiliſcum pariunt. 50.1
Generationis initium eſt emiſſio ſeminis. 5.1
Gratiarum actiones antiquorum quot, & quæ. 60.1
Gratiarum actio Deo facta quantum proſit. 60.1
Gratiarum actio quomodo exercenda. 60.1
Gratiarum actione clari Abraham, & Ioſue. 60.2
Grati animi Ioſue pignora in Iordane à Diuo Ioanne Baptiſta ſignata. 60.2
Gratitudinis ſymbolum eſt canis. 61.1
Gratiæ Diuinæ comparatio. 73.2
Gratiarum actio pro acceptis beneficijs per cantica à ſanctis Patribus antiquis modulando reddita. 101.1
Gratiæ Diuinæ curioſus inueſtigator, tanquã cœcus in parietem offendit. 309.1
Gratia Diuina quomodo conſeruetur. 315.2
Gratiam non accipit gratis anima à Deo, vt fiat

fiat illius ſponſa, ſed Deo efficaciter præmouente, & ſecum cooperante. 309. 1

H

Hæreticus quidam ſacros cineres alterius capiti per iocum imponēs, ipſorum cinerum puluere præfocatus, interijt. 381. 2
Hæreticorum à ſacris Scripturis hæreſes extorquentium perlepida comparatio, araneis ex fragrantibus floribus virus excerpentibus. 319. 1
Hebræorum feſtiuitates præcipuæ tres. 255. 1
Hebræorum Meſſiam expectantium dementia. 58. 1
Hebræi dubia à cuiuſcūq; ætatis, & qualitatis auditoribus audiebant, & enodabant. 191. 1
Hercules à muſcis fugatus. 524. 2
Herodes mandauit ſorori, vt poſt eius mortem nobiliores quoſdam Iudæos enecaret, & quare. 173. 2
Herodis infœlix exitium eius immanitati conueniens. 173. 2
Herſilia Romuli coniux in viduitate ſemper vixit. 112. 1
Heua quare facile præceptum tranſgreſſa fuerit. 128. 2
Heuæ nomen quid ſignificet. 634. 2
S. Hieronymi iuxta ſepulchrum, tres mortui ad vitam reſtituti fuere. 480. 2
Homo qualis eſſe debeat. 85. 2
Hominis nuncupatione, qui incapaces ſint. 85. 2. 86. 1
Homo dupliciter fidelis eſſe debet, per naturam, & per gratiam. 86. 1
Homini cognitio boni, & mali inſita à natura. 100. 1
Homo ex quo inexplebilis eſt deſiderij, non mundus paruus, ſed maximus dicendus. 239. 1
Homo in ſui conceptione formatur, & acquirit propriam temperiem. 379. 2
Hominum Deo placentium quatuor genera. 362. 1
Homines quidam à natura ſerui, alij à natura Reges. 612. 2
Horarum duodecim curſu, quæ creaturæ ſingulis quibuſque horis Deo preces fundant. 202. 1
Hoſpitalitas exercenda, præcipuè ab Epiſcopis, cæteriſque viris beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, vigore Conciliorum, illiſque ita mandantibus. 677. ſeq.
Hoſpitalitatem Deus ipſe exercuit. 678. 2
Hoſpitalitas ab animalibus etiam rationis expertibus exercetur. 679. 1
Hoſpitalitatem Ethnici erga inuitos etiam peregrinos exercuerunt, & legibus ſub pœnis grauibus, iniunxerunt, ſummoq. in precio habuerunt. 681. 2. ſeq.
Hoſpitio peregrinos omnes Romam accedentes Decius Sylueſter ſuſcipiebat. 682. 1
Hoſpitalitate cœlum venamur. 691. 1
Hoſpitem quoties ſuſcipimus, toties nos ſuſcipimur à Deo. 691. 1
Hoſpitalitatis cauſa, Theodoſius centies in die parabat menſam; tria valetudinaria conſtituit domicilia; & miraculosè eidem panes, cæterique cibi creuerunt. 687. 1
Hoſpitio quidam paterfamilias peregrinos ſuſcipere ſolitus, Deum ſub peregrini ſpecie recipere meruit. 682. 2
Hoſpitalitatem quidam Britanniæ Rex admodum colens, dapes in diſco argēteo pro eius menſa paratas, vna cum eodem diſco pauperibus diſtribuendas porrexit, à Pontifice aſſidente per dexteram apprehenſus fuit dicente: nunquam inueteraſcet hæc manus; quæ adhuc incorrupta perdurat. 684. 1
Hoſpitio quotidie duodecim ſuſcipiens peregrinos Sanctus Gregorius, Angelum ſupranumerarium die quadam ſuſcepit. 683. 2
Hoſpitio quidam excipiens duos fratres, cum nil haberet pecuniæ, manum immittens in marſupium, duos inuenit argenteos, quibus cibum ſubminiſtrauit eis; poſtea verò ſemper, in remunerationem, quoties manum in marſupium mittebat, toties totidem argenteos inueniebat. 684. 2
Alia huiuſmodi vide. 684. ſeqq.
Hoſpitalitas quomodo exercenda. 696. ſeqq.
Hoſpitalitatis fructus. 696. 1
Humilitate in veteri lege Abraham & Dauid; in noua vero Io. Baptiſta, & Paulus præfulſit. 23. 2
Humilitas Mariæ omnium maxima. 23. 2
Humilitas, citra huiuſmodi virtutis opinionem, apprimè fulget. 24. 1
Humilitas Chriſti voluntate, non iudicio. 24. 2
Humilitatis duo genera. 24. 2
Humilitatem formidant dæmones, præ cæteris virtutibus. 26. 2
Humilitas difficile cuſtoditur. 27. 2
Humilitas in ſingularibus inſignioribuſq; animi ornamentis decoratis mirabilior. 27. 2
Humilitas imitatum charitatem in eo, quod ſit Princeps, & Regina Virtutum. 28. 1
Humilitati tum aduerſa, tum proſpera deſerunt. 28. 1
Humilitas ſimilis ſpeculo curuati centri. 28. 2
Humilitatis comparatio abyſſo cunctas aquas ebibenti. 28. 2
Humilitas generat ſapientiam. 312. 1
Humilitatis proprium eſt, laudibus perturbari. 449. 2
Humilitatis ſedes ſapientiæ; & vnde ſumpta metaphora. 711. 1
Hydriæ ſex lapideæ circūgeſtari inſuetæ, quarum aqua per Chriſtum Dominum in vinum conuerſa fuit in Cana Galilææ, cuius eſſent formæ, & capacitatis. 394. 1. ſeq.
Hydriæ verbum eſt Græcum, quod Latinè ſonat æqualea. 394. 2
Hydriæ aquis plenæ adhibebantur in cōuiuijs Iudæorum, pro eorum purificatione. 395. 1
Hydriarum huiuſmodi allegoria. 397. 1. 2

Iani

I

IAni Templum quale, à quo erectum, & ad quid. 479.2.ſeq.
Ieſus Saluator interpretatur. 94.2
Ieſus puer, præ timore Archelai Iudææ Regis inter puerorum cœtus Hieroſolymæ latitabat. 178.2
Ieſu circumciſa pellicula in oppido Calcatæ propè Romam cuſtoditur. 478.1
Ieſus in Templo diſputans quem locum habuerit. 187.1.ſeq.
Ieſus à parentibus ſubductus, triduo victum quæritauit. 188.1
Ieſus duodecim annos natus, in Templo Doctores inſigniores diſputando ſuperauit, illis obmuteſcendo admirantibus. 189.1.ſeq.
Ieſus Doctores interrogauit. 192.1
Ieſus quare, inſcijs parentibus in templo permanſerit. 193.2
Ieſus in quibus, parentibus ſubditus, & quomodo. 194.1
Ieſus quare in duodecimo ſuæ ætatis anno doctrinam, ac ſapientiam ſuam manifeſtauerit. 200.2
Ieſus puer ſolus remanſit in Ieruſalem, parentibus ignorantibus, & Galilæam petentibus. 220.1
Ieſus à parentibus ſe ſubduxit, inuiſibilem ſe reddendo iuxta quorundã opinionẽ. 210.2
Ieſus manifeſtationem ſui matri ſuæ accelerauit, vt illius dolorem leniret. 226.1
Ignis qualitates. 410.2
Imagines Chriſti, ex quauis conſtent materia, latria adoratione ſunt colendæ. 18.1
Imagines Aſtronomicæ, characteribus admixtis, expreſsè damnantur. 349.1
Imagines aſtronomicæ ad certos bonos effectus naturales expreſſæ, inciſæ, ſeu conflatæ licitæ ſunt. 348.2
Imperatores olim coronandi, togati carcerem ingrediebantur, ad liberandum inibi detentos togam tangentes. 104.2
Imperator Romanorum ſtatim electus, ſui ipſius imaginem ad Pontificem tranſmittit, vt ab eo confirmetur. 424.1
Imperij Romani tripartiti tributa. 79.1
Incarnatio Diuini Verbi, ſummum Diuinę miſericordiæ opus. 46.1
Incarnationis Dominicæ teſtes. 94.1.2
Incarnatio Diuini Verbi duplex nobis attulit bonum. 46.2
Inclinationes humanæ non proueniunt tantum à ſyderum influxu, verum à pluribus alijs proximioribus, & efficacioribus cauſis. 338.2
Incrementum, mutationis eſt argumentum. 188.1
Infans talis valetudine euadit, quale fuerit lac ab eo ebibitum. 297.1
Inferorum pœnitentia infructuoſa. 241.1
Inferorum pœnas quomodo nonnulli euaſerint, ſalua prædeſtinatione. 638.1
Ingenij indicia, carnes graciles. 249.2
Ingrati animi vitium ſeuerè à Deo punitur, tãquam origo omnium malorum. 60.2.ſeq.
Ingratitudinis deteſtationes. 61.1
Ingratitudinis cauſa Adam è terreſtri Paradiſo exulauit. 61.2
Innocentum mors fœliciſſima. 141.1
Innocens pœnam luens immitigabili dolore cruciatur. 417.2
Inobedientia Idololatriæ comparatur. 363.2
Inopia, militia, cæteræque huiuſmodi ſeruitutes non impediunt pietatem. 387.2.ſeq.
Inſomnia, & apparitiones à ciborum vaporibus cauſantur. 124.2
Intelligentia vera eſt, quæ operatur quod intelligit. 310.2
Intentionis illud eſt primum, quod vltimum exequutionis. 62.2
Intentionis rectitudo neceſſaria in bonis operibus. 62.2
Intentionis rectæ defectus in operibus, comparationibus patefiunt. 62.2
Interrogare ſapienter, eſt docere; & aliquoties veritatis firmiſſimum argumentum. 191.1
Ioannes Euangeliſta licet martyr dicatur, verè è dolio feruentis olei vegetior exiuit. 433.2
Ioſeph quomodo interpretetur. 97.1
B. Ioſepho Angelus Gabriel quomodo in ſomnis apparuerit, monens eum de fuga, & vbi. 129.1.2
Ioſeph cum Chriſto, & B. Virgine Nazareth diſceſſit petens Aegyptum. 131.1
Ioſephi obedientia cœleſtibus monitis. 131.2
Ioſeph ſtatim audito Diuino oraculo ſeceſſit cum Ieſu, & Maria in Aegyptum. 133.1.2
Ioſeph & Maria aliorum eleemoſynis non egebant. 147.2
Ioſeph quali amore B. Virginem proſequeretur. 151.1
Ioſephi manſuetudo. 152.1
Ioſephi merita. 152.2
Ioſephi ſanctitatis excellentia. 154.2
Ioſephi Dominium ſupra Ieſum quale. 155.1
Ioſeph pater Chriſti quomodo. 155.1.2
S. Ioſephi ſympathia cũ Spiritu ſancto. 157.2
Ioſephi perturbationes, & ſolatia. 171.2
Ioſeph quare monitus ab Angelo, vt rediret cum prole in Iudæam. 173.1
Ioſeph quare, regnante Archelao, Iudæam petere noluerit. 178.2
Iupiter, iuuans Pater dicitur. 158.1
Iuſti creſcunt paupertate, cordiſque interna preſſione, & humilitate. 218.1
Iuſto, & peccatori qualia dona à Deo deſtinata. 86.2
Iuſtus nunquam de ſua iuſtitia ſecurus. 88.1 106.1
Iuſtus deſcribitur per arborem fructiferam. 150.2
Iuſtorum vita aduerſis, & ſecundis rebus prouide

Digitized by Google

... uidè à Deo accommodata. 171. 1
Iuſtorum labores ſemper iucundi. 172. 2
Iuſti creſcunt de virtute in virtutem. 211. 2
Iuſtus non dicitur ille, cui mala patrari non permittitur. 247. 2
Iuſti proſperis non eleuantur, nec aduerſis ſupprimuntur rebus. 266. 2
Iuſti ſyderibus comparati. 376. 1
Iuſtorum præparatio ad mortem qualis. 469. 2
Iuſtitia quid ſit. 562. 1
Iuſtitia Dei diſtributiua quæ. 566. 2

L

Labiorum rubor pulchritudinem adauget. 516. 1
Lachrymarum maternarum vires, ex Alexandri Magni dicto. 226. 1
Lachrymarum effuſione internus attenuatur dolor. 423. 2
Lachrymæ magis, quã lingua loquütur. 429. 2
Lapis Quirinus in vpuparum nidis repertus, capiti dormientis impoſitus ad ſecreta patefacienda compellit. 390. 2
Latro quidam decem, & octo annorum ad ſupplicium adductus repentè eaneſcit, ſenilemque barbam emittit. 138. 1
Lectio virtuoſa animos ad virtutes eleuat; lectio verò prophana, in prophana deprimit. 140. 1
Legem obſeruantes nunquam mendicaturos, dicit Dominus. 223. 1
Legem quam Deus dedit, ipſe quoque ſeruat. 41. 1. 49. 2
Leges quomodo hac tempeſtate ſint in vſu. 50. 2
Legis eſt authoritas in homines, non hominum authoritas eſt in legem non conditam ab ipſis. 50. 2
Leges confirmare eiuſdem eſt, cuius eſt defendere. 51. 1
Lex quomodo imponatur iuſto, & quomodo iniuſto. 65. 1
Lex Dei Pedagogus vocatur. 65. 2
Lex prohibens eſum vetiti fructus Adamo promulgata fuit ab ipſo Deo, & ab Adamo poſtea Euæ ſignificata. 128. 2
Libanus, candor interpretatur. 496. 1
Liberi arbitrij vſus in initio adultæ ætatis eoo ceditur. 62. 1
Liberta ſpiritus qualis ſit. 90. 1
Libido fuga calcatur. 184. 1
Loquacis ignorantia perlepide comparata. 354. 2
Loqui bene nequit vllus, qui priùs ſilere non didicit. 354. 2
Lucifer licet præ ſuperbia, Altiſſimo ſe æquare velle iactauerit, ſiniſtrum tamen ſibi arrogabat locum, non dexterum, quem tanquam B. Virgini debitum ſurripere non præſumpſit. 1. 4
Luminarium Author Deus. 77. 1
Luminarium feſtum vnde dicatur. 77. 1
Lunæ influxus in piſcem Clupæam in quodam Galliæ flumine naſcentem, quo ipſe piſcis, creſcente luna, albus, decreſcente vero, niger ſit. 145. 2
Lunæ motus cauſat fluxum Oceani, atque refluxum. 345. 2
Lunæ influxus in herbas, & animalia. 345. 2
Luna in pleno eius orbe conſiſtente, mare maiori aquarum copia redundat. 428. 1
Luna triplici modo obtenebratur. 339. 2
Luna primatum obtinet inter ſydera. 540. 1
Luna cæteros planetas curſu antecellit. 540. 2
Luna, ex quo terræ vicinior eſt planeta, citius quam reliqui in eam influit. 541. 1. 2
Luna ſi nocte omnino non radiaret, vaporum condenſatione animalia ſuffocarentur. 541. 2. ſeq.

M

Magnanimi eſt, cum magnatibus certare; ex dicto Alexandri Magni. 189. 2
Magorum nomine etiam Aſtrologi diuinatores intelliguntur. 331. 2
Malum intelligere laudabile, agere verò damnabile. 72. 1
Malum magnum ex malis minimis deſpectis congeritur. 110. 1
Mandata Dei nec per exceſſum, nec per defectum ſunt tranſgredienda. 351. 1
MARIA quomodo interpretetur. 97. 1. 278. 2. 334. 1. 428. 2. 430. 2

De Purificatione B. V. & præſentatione Chriſti in Templo.

Maria Virgo peperit, nullis emiſſis ſanguinis ſordibus, virgineoque clauſtro inuiolato remanente. 5. 2. 47. 2
Maria Virgo non modo mortalibus, ſed ſpiritibus quoque Angelicis, gratijs antecellit. 2. 2. 122. 2
Maria Virgo tres annos nata venit in Domum Domini, vbi vſque ad nubiles perman ſit annos. 20. 2
Maria Virgo ſola, vſque ad extremum vitæ, plenariè Diuinæ voluntati ſatisfecit. 21. 1
Mariæ Virginis dignitate nihil excellentius, præter hypoſtaticam vnionem humanitatis Chriſti cum perſona Diuina. 24. 1
Maria ex humilitate concepit. 24. 2
Mariæ Virginis indumenta innati lanæ coloris erant. 26. 1
Maria Virgo Purificationis lege non comprehendebatur. 5. 1
Item vide in verb. Purificatio.
Maria Virgo, Purificationis cauſas accedens ad Templum, locum habuit inter Virgines. 29. 1
Maria Virgo ad Purificationem acceſſit, vt dæmon eluderetur, & deciperetur. 29. 1
Maria Virgo quare nupſerit. 35. 2
Mariæ Virginis clauſtra virginalia ſemper clauſa remanſiſſe, eſt de fide. 48. 1

Mariæ Virginis amor erga Ioſephum eius virum. 58. 2
Maria Virgo quare in præſentatione Chriſti agnum non obtulerit, iuxta Leuitici legem. 69. 1
Vide plura in verb. Purificatio, & Præſentatio.

De fuga Chriſti in Aegyptum.

Maria Virgo, Ioſeph, & Chriſtus Dominus Ægyptum fuga petentes eſurierunt, & ſitiuerunt. 123.1. 148.2
Maria Virgo Fratres non habuit. 147. 2
Maria Virgo quare nupſerit Ioſepho. 147.2
Maria Virgo non carebat hæreditate. 147.2
Maria Virgo, & Ioſeph fuga petentes Aegyptum, an mendicarint. 147.2.ſeq.
Mariæ Virginis pulchritudo. 150. 2
Mariæ Virginis partus, & mors ſuauis. 161.1
Marianæ Virginitatis conſeruatio in partu perlepide comparatur. 161. 2
Maria Virgo expers fuit inordinatarum animi paſſionum. 162.1
Maria Virgo latuit in ſpecu prope Bethlehem, dum à Ioſepho parabantur neceſſaria ad fugam. 179. 1
Mariæ Virginis lac, durum lapidem irrigans, in puluerem redigit miraculoſum, lac Dominæ noſtræ dictum. 179.1
Mariam Virginem in Aegyptum tendentem, cum Ieſu, latro ille, qui à Chriſti dextris in cruce occidit, aggreditur, ex latrone fit eis donator, & illius filius lepra mundatur. 179. 2
Maria Virgine Aegyptum attingente, arbor latiſsima, præ veneratione, ad terram vſque flectitur. 179. 2
Maria Virgo quamdiu incola fuerit Aegypti. 169. 2. ſeq.
Maria Virgine Aegyptum cum Ieſu peragrante, palma poſt vſque ad humum inflexionem fructus porrigens iterũ eleuatur, ab Idololatris ſucciditur, & ſequenti nocte iterum pullulat, & in priſtinum creſcit, ſignis inciſionum remanentibus. 179. 2
Bruta feraque animalia miteſiunt. 180.1
Volucrum turmæ ſuaue reddebant melos, & Salue Rex, garriebant. 180. 1
Mariæ Virgini Portæ Templi Gentilium ſponte patentes fiunt. 180. 1
Simulachra quoque 365. Idolorum, & ſic omnia defluxerunt. 180. 1
Vide plura in verbis. Aegyptus. Chriſtus.

De B. V. amittente, & inueniente Ieſum in Templo.

Mariæ Virginis cogitationes, & dolor tempore, quo filio orbata manſit. 223.2
Maria Virgo prima noctis hora, poſt deperditum filium, vehementi cœpit dolore cruciari, & in verba prorumpere doloris. 224.2
Maria Virgo quamplures noctes inſomnis pertranſijt, Ieſum in lectulo recumbentem, aſſiduè intuens, & ſpectans. 225.2
Maria, & Ioſeph inuenientes Ieſum indicibiliter lætati. 226.1
Maria Virgo ob amiſſionem filij mœrore perturbata neqnaquam fuit. 266.2
Maria Virgo qua ratione conqueſta fuerit de Ieſu, qui ſe ab ea ſubduxerat. 267.1
Mariæ Virginis quærimonia cum Ieſu: cur feciſti nobis ſic? an ſequuta fuerit, dum Ieſus diſputationem habebat cum Doctoribus, vel poſt. 267. 2
Maria Virgo imaginatione aliqua decipi non poterat. 274. 1
Mariæ Virginis epitheta complura, & laudes. 307. 2. ſeq.
Maria, Mulier, per Antonomaſiam dicitur. 320. 1
Mariæ Virgini præclarior debetur aureola, quàm reliquis Doctoribus omnibus. 350.2
Mariæ fides inconcuſſa, quod omnia filio eſſent poſsibilia. 354.2
Maria Virgo excellenti Prophetiæ dono prædita fuit. 355.1

De nuptijs in Cana Galilææ.

Maria Virgo quare interfuerit nuptijs huiuſmodi. 385. 2
Vide in verb. Chriſtus. Nuptiæ.

De lamentatione B. V. in paſſione, & morte Chriſti.

Mariam Virginem in paſsione Chriſti acerbiſsimè præ cæteris doluiſſe probatur. 402.1.2
422. 1. & ſeq. 429. ſeqq.
Maria Virgo Chriſti paſsionem præcognouit. 404. 1
Maria Virgo quali doloris gladio transfoſſa fuerit in morte Chriſti; & quotuplex ſit gladius in propoſito. 403.2.ſeq.
Maria Virgo in morte Chriſti patientiſsimè dolores ſuſtinuit. 407.2
Maria Virgo licèt ob Chriſti mortem in inferiori animi parte doluerit, in ſuperiori tamen lætabatur. 408. 1
Mariæ Virginis amor erga filium maximus. 413. 2
Mariæ Virginis amor duplex in paſsione Chriſti. 415.2
Mariæ Virginis mœroris in Chriſti morte cauſæ. 417. 1.2
Mariæ Virginis conſiderationes in paſsione Chriſti eius dolorem adaugentes. 417.2 ſeqq. 428. 1
Mariæ Virginis doloris huiuſmodi ſpeciales cauſæ. 419.1.2
Maria Virgo de ſanguine, & aqua ex Chriſti Domini tranſuerberato latere manantibus collegit, eumdemque protinus in latere dolorem, quo ipſe Chriſtus Dominus torquebatur, paſſa fuit. 422.1
Mariæ Virginis dolorem huiuſmodi, cunctos quoſuis dolores, & cruciatus à quibuſcumque perpeſſos vehementer ſuperaſſe probatur. à 423. 1. ad 427
Maria Virgo mari, propter eius dolores, comparatur. 429. 1

Maria Virgo Chriſti exanimatum corpus ſinu ſuo confouens millies amplectebatur, & deoſculabatur. 429. 1
Mariæ Virginis dolor diluuium dolorum fuit. 426. 2
Maria Virgo in huiuſmodi doloribus nec à Deo conſolationem vllam habuit. 430.2
Mariæ Virgini quid in huiuſmodi amaritudinibus conſolationẽ afferre potuerit. 431.1.2
Mariæ Virginis dolor huiuſmodi varijs titulis ſignificatur. 432.2
Maria Virgo vera martyr fuit omnium maxima; quia commartyr Chriſti. 433.1. ſeq.
Mariæ dolor ſufficiens fuit ad mortem ei inferendam. 434. 1
Mariæ Virginis martyrium in anima. 434.1
Maria Virgo à paſsionis Chriſti tẽpore vſque ad eius aſcenſum quotidie illius cruciatus ingenti cum dolore mente volutabat. 434.2
Mariæ Virginis martyrij inſtrumentum, paſſio Chriſti. 435. 1
Mariæ dolor huiuſmodi quare ab Euangeliſtis non enarratus. 437. 1
Maria Virgo lanceæ latus Chriſti transfodientis vulnus ipſa dolore pertulit. 437. 2
Maria Virgo, propter huiuſmodi licet acerbiſsimos dolores ſpaſmum tamen nunquam paſſa fuit. 440.1. ſeq.
Concionatores contrarium prædicantes damnantur. 441. 2
Maria Virgo nunquam morbo aliquo affecta fuit, præ ſingulari eius corporis habitudine, atque temperie. 440. 2
Maria Virgo caruit motibus primo primis. 441. 1
Mariæ Virginis præ dolore humi decumbẽtis imagines Romæ de mandato Magiſtri Sacri Palatij abolitæ fuere. 442. 1
Mariam Virginem quare voluerit Chriſtus morti ſuæ adſtare. 442. 1
Maria Virgo quibus præcipuè virtutibus roborata ſic adſtabat. 443. 1
Mariæ Virginis conſtantia in huiuſmodi doloribus. 447. 1.2
Maria Virgo tantæ erat conſtantiæ, vt iubente Deo, ipſamet filiũ ſuũ immolaſſet. 451.1
Maria Virgo proprijs manibus depoſitioni Chriſti è cruce operam dedit. 456.1. ſeq.
Maria Virgo quid dixerit, atque egerit Chriſti extinctum corpus in gremio retinendo. 456. 2. ſeq.
Maria Virgo copioſas, immò ſanguineas lachrymas fudit. 458. 1
Maria Virgo ſtabat ad partem ſiniſtram crucis. 460. 1
Maria Virgo nunquam receſsit à ſepulchro, donec viderit Chriſti reſurrectionẽ. 459.2
Maria Virgo cooperatrix fuit redemptionis humani generis. 467. 1.2
Mariæ Virgini laudes multæ ſoli Chriſto conuenientes tanquam cauſæ principali, & authoritatiuæ, ipſi Virgini tanquam cauſæ impetratiuæ attribuuntur: quod à multis Hæreticorum telis defenditur. 464. 1. ſeq.

De B.V. morte, ſepultura, & reſurrectione.

Mariæ Virginis ortus, & geſta quare in Canonicis ſcripturis nõ fuerint enarrata. 466.1.2
Maria Virgo verè occubuit, non ex peccato, ſed ex humana conditione. 467.2. 468.1
Mariæ Virginis mors quare fuerit expediens. 468. 2
Maria Virgo confeſsionis, & extremæ vnctionis ſacramentis incapax erat. 469.2
Maria Virgo ante obitum ſanctiſsimam Euchariſtiam à quo ſuſceperit. 473.1.2
Mariæ Virgini mors à Deo reuelata fuit per Angelum palmam ei afferentem fulgentiſsimam, cuius reliquia penes quemdam Comitem Regium aſſeruatur. 474. 2
Mariæ Virginis in morte omnes Apoſtoli in Hieruſalem conuenerunt. 475.1
Mariæ Virginis morti interfuerunt quoque Timotheus, & Hyeroſodus, ſeptuaginta duo Chriſti diſcipuli, & ipſe quoque Chriſtus Dominus. 476. 2
Maria Virgo iniunxit Sancto Ioanni, vt duas tunicas ſuas duabus mulieribus virginibus daret. 477. 1
Maria Virgo reliquias Chriſti, quas habebat, Diuo Ioanni reliquit. 477. 2
Maria Virgo Partem Treuerenſibus à Conſtantini matre denodatum. 477. 2
Mariæ Virginis Annulus deſponſationis in Burgundia reperitur. 478. 1
Annulus alius Peruſiæ exiſtit. 478. 1
à Maria Virgine ſeruata Pellicula, quę in Chriſti circumciſione abraſa fuit in oppido Calcatæ propè Romam aſſeruatur. 478. 1
Mariæ Virginis cũ Chriſto, & Apoſtolis in eius tranſitu colloquia qualia fuerint. 478. 1.2
Marię Virgini mors nullum incuſsit dolorem, & quare. 480. 2
Maria Virgo in morte dæmonem non vidit. 481. 1
Maria Virgo nulla ægritudine affecta fuit. 481. 1
Maria Virgo occubuit ex efferuenti amoris æſtu. 481. 2
Mariæ Virginis qualis fuerit amor erga Chriſtum. 483.2. 485.2
Mariæ Virginis anima ſuſcepta fuit à Chriſto, & tradita Archangelo Michaeli ab innumeris cœlicolis concomitato. 486.1
Mariæ Virginis amor nec morte interruptus fuit. 486. 2
Maria Virgo quo ſuæ ætatis anno obdormierit, quo menſe, die, & hora, & in quo loco. 487. 488. 1. 2
Mariæ Virginis ſepulchrum vbi. 489. 1
Quo tempore repertum. 490. 1
Mariæ Virginis exanimatum corpus ſplendore maximo emicuit, & pergratiſsimos emiſit odores, illudq; deoſculantes benedictione repleti fuerunt. 490. 1. 2
Mariæ Virginis feretrum Lugduni ab annis quingentis reperitur. 490. 1. 2

Mariæ

Mariæ Virginis corpus adhuc extinctum cum Deo ſermonem habebat, & latum fuit à Virginibus. 490.2
Mariæ Virginis corpus Apoſtoli ad ſepulchrū detulerunt. 491.2
Mariæ Virginis feretrum deferentes ſuſtinuerunt SS. Petrus, & Paulus: S. Ioannes ante feretrum palmam deferebat; reliqui Apoſtoli pſallebant. 491.2
Apparuit ſupra feretrum candida nubes; Angelorum agmine referta canticum ſuauitatis concinentium. 491.2
Principi Sacerdotum in feretrum impetum facienti, manus, & brachia exaruerunt; poſtea verò pœnitenti, priſtinæ incolumitati miraculosè reſtituta fuere. 492.1.2
Palmæ ante feretrum B. Virginis delatæ contactu, cœci illuminantur. 193.1
Plura alia miracula vide. 193.2
Mariæ Virginis ſepulchrum quatuor epitaphijs exornatum. 197. ſeqq.
Maria Virgo in humilitate ſtupenda. 499.1
Ex humilitate exaltata. 500.2
Mariæ Virginis corpus triduo, quo tumulatum permanſit, corruptionem non fuit paſſum, nec fœtorem vllum emiſit. 501.2
Mariæ Virginis corpus tridno poſt tumulationem, accedente Thoma Apoſtolo abſente, aperto monumento non reperitur, ſed tantum ſepulchralia lintea inueniuntur. 504.1
Mariæ Virginis corpore triduo in monumento exiſtente, toto illo tempore Apoſtoli apud illud permanſerunt Hymnos Angelicos audientes. 503.2
Mariæ Virginis morti vt adeſſent Apoſtoli, quid Chriſtus eis dixerit. 505.1.2

De Aſſumptione, & Coronatione B. V.

Mariæ Virginis qualia fuerint exercitia in vita actiua. 512.1
Mariæ Virginis epiſtolæ D. Ignatio martyri, Florentiam, & ad Meſſanenſes tranſmiſſæ. pag. 514. 1. 2.
Mariæ Virginis ſedulitas in andiendo verbo Diuino. 515.1
Maria Virgo Triclinium Sanctiſſimæ eſt Trinitatis. 519.2
Mariæ Virginis Euangelica paupertas. 521.2
Maria Virgo munera ſibi dono data pauperibus diſtribuit. 525.2
Mariæ Virginis perfectiones eminétiores perfectionibus cunctis Angelicis. 526.1
Maria Virgo pluribus montibus metaphoricè comparatur. 521. ſeqq.
Maria Virgo in quibus, Angelis ſit perfectior. pag. 528.1.2
Mariæ Virginis fortitudo. 530 2
Mariæ Virginis fidelitas. 532.1. ſeq.
Mariæ Virginis conſilia à Chriſto cuſtodita fuere. 533. 1. 2
Maria Virgo omnes tuetur ab ira Dei. 534.2
Maria Virgo auxilium ab ea implorantibus velociſſimè præſtat. 536.1
Maria Virgo quendam ad ipſam recurrentem publico ſcripto dæmoni deuinctum, illico liberauit. 536. 1
Maria Virgo porta eſt Cæli. 536. 2
Maria Virgo ab inſtanti ſuæ conceptionis ſanctificata fuit. 540. 1
Maria Virgo in die nouiſſimo ceſſabit à protectione peccatorum. 541.2
Mariæ Virginis opem quare omnes, ſumma fiducia implorent. 542.1
Maria Virgo aluit Chriſtum ab eius infantia, vſque ad prædicationem. 549.1
Maria Virgo nunquam præter voluntatem diſtrahebatur. 550. 1
Mariæ Virginis vita actiua, & contemplatiua. 550.1.2
Maria Virgo fomitem peccati non habuit. pag. 554. 2
Maria Virgo à dæmone tentata fuit, nunquam tamen circa libidinem. 556. 557
Maria Virgo hæreſes omnes contriuit. 559.1
Mariam Virginem conuicijs afficiens, vermibus illius linguam corrodentibus decubuit. 559. 2
Mariam Virginem blaſphemantes perduentur. 559. 2. ſeq.
Mariæ Virginis opem exorare mulier quædam recuſans, ſcrofam pro infante peperit. 560.1
Mariæ Virginis heroica virtutum exempla. pag. 565.1
Mariæ Virginis varij in vita dolores. 567.1.2
Mariæ Virginis beatitudo maior omnium Deo fruentium beatitudine inſimul coaceruata, atque congeſta. 569. 1
Mariæ Virginis beatitudo omnium beatitudines intenſiuè, & extenſiuè ſuperat. 570.1
Mariæ Virgini aſſumptæ tota cæleſtis Curia, ordine ſeruato, pſallens, illiuſque trophæa decantans, eamque ſalutans obuiam iuit; pag. 572.1.2
Obuiam quoque iuit Chriſtus Dominus illam alloquens. 575.1
Maria Virgo quantæ in intercedendo ſit potentiæ. 578. 2. 581. 2
Mariæ Virginis deuotio, aſtutia peccatorum. pag. 581. 2
Maria Virgo D. Antonio apparuit, illum certificans de ſua Aſſumptione. 597. 1
Feſti Aſſumptionis initium non reperitur, ſed ex Apoſtolis emanaſſe credendum eſt. pag. 598. 1
In feſtinitate huiuſmodi cerei accenſi non decreuerunt pondere. 598. 1
Mariam Virginem Aſſumptam fuiſſe in corpore glorioſo, quare aliqui dubitauerint. pag. 601. 2
Maria Virgo plena fuit gratia in anima, & corpore. 602. 1.2
Maria Virgo metuit accelerari reſurrectionem Chriſti. 602. 2
Mariæ Virginis feſtum de Aſſumptione percelebre. 603. 1. 2

Mariam Virginem obdormientem in Domino cuncti planetæ, Angelorumq. chori remorari cupiebant. 605.ſeqq.
Mariæ Virginis thronus in cælo Empyreo diuerſus à Chriſti throno. 609.1.2
Mariæ Virginis Diademata. 611.1.2
Maria Virgo ſpiritualiter nos regenerauit. pag. 614. 1
Mariæ Virginis filij, quodammodo Dei ſunt. 614. 1
Maria Virgo ad ſpirituales regenerationes per Chriſtum factas deprecatiuè concurrit. 614. 1
Maria Virgo Terreſtrium, Cæleſtium, & Inferorum Regina. 616. 1
Maria Virgo ſapientiſſima eſt, & pulcherrima. 616. 2
Mariæ Virgini miſericordia eſt à Deo conceſſa. 616. 2
Mariæ Virginis ſollicitudo in veniam pro peccatoribus deprecando. 617. 1
Mariæ Virginis epitheta, eius miſericordiam adumbrantia. 617. 1
Mariæ Virginis Corona, quibus gemmis contexta. 619. 1
Mariæ Virgini à Chriſto Domino in Cruce pendenti officium, munuſq. Aduocatæ tribuitur. 620. 2
Mariæ Virginis intuitu, antequam ipſa eſſet in humanis, plura contulit beneficia. 622.2
Maria Virgo quale aduocando habeat virtutem, atque efficaciam. 624.1
Maria Virgo pro nobis intercedens ſex donorum genera Deo offert; ſicut Albigail totidem obtulit Dauid, vt eius iram mitigaret. 624. 2
Mariæ Virginis potentia talis eſt, vt ea potentia, quæ Deo per naturam conuenit, ipſi conueniat per gratiam. 627. 1
Mariam Virginem ante Deum flexis genibus procumbentem, & pro peccatoribus exorantem viderunt ſancti Franciſcus, & Dominicus. 631.1
Maria Virgo efficaciſſima eſt mediatrix ad ſalutem conſequendam. 632. 1
Maria Virgo nec ſceleſtiſsimos quoque peccatores ad eam recurrentes deſpicit. 632.1
Mariæ Virginis, & Chriſti Domini humanitatibus, præter ſanctiſsimam Trinitatem, plenius delectantur Angeli, quàm quouis alio obiecto. 634. 1
Mariæ Virginis opem Baſsà quidam Turcarum implorans, ſenſit, & in voti ſolutionem, ferrum libertati donauit, quem Domum Lauretanam miſit, cum muneribus & literis, quarum tenor eſt videre. 634. 2
Maria Virgo barbaris quoque gentibus opitulatur. 636. 2
Maria Virgo die eius Aſſumptionis maximam animorum multitudinem è purgatorio eripuit. ibid. 2. ſeq.
ab Inferis etiã nonnullos euocauit. 639.1.2
Mariæ Virginis epitheta eius vitam mixtam denotantia. 673. 2
Martha, & Maria vitam actiuam, & contemplatiuam adumbrant; quæ mirificè In Beata Virgine emicuerunt. 510.1.2
Martyrium non requirit actualem mortem; ſed ſat eſt ſufficientem mortis cauſam, pro fide Catholica, dari. 433.2
Martyres licet in corpore dolorem ſuſtinerent, in animo recreabantur. 435.2
Mathematicorum libros comburi, & illorum auctores ab Imperio expelli voluit Conſtantinus Imp. 336. 1
Matrem offendentis, & expellentis flagella. 285. 1. 2
Matrimonium Mariæ Virg. cum Ioſeph candidius cæteris. 154. 1
Matrimonio coniuncti ſæpè magis, quàm Regulares proficiunt. 219. 1
Matrimonij inſtitutor fuit Chriſtus Dominus. 289. 1
Matrimonium continet myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis, & connubij Chriſti cum Eccleſia. 289. 1. 298.1
Matrimonium adumbrat vnionem hypoſtaticam humanæ carnis cum Diuino Verbo. 289. 2.
Matrimonij laudes. ibid.
Matrimonij magna virtus ab Adamo ſoporato, & per ſpiritum in cælum rapto, cognita; dum Deus vnam ex illius coſtis abſtulit, ex qua ei vxorem finxit. ibid.
Matrimonio Adam cum Eua, Deus ipſe coniunxit ſenſibiliter, modò autem omnes inuiſibiliter conſtringit. ibid.
Matrimonio copulati maſculos gignẽtes olim à Romana Republica præmia conſequebantur. 290.2
Matrimonio obſtricti, quid ſeruare debeant. 290. 2
Matrimonium contrahentes pro libidine explenda, maledicti ſunt. ibid.
Matrimonio copulati ab illius vſu, diebus Dominicis, præcipuiſq. feſtis, & dum acceſſuri ſunt ad ſanctiſsimam Euchariſtiam ſuſcipiendam, abſtinere ſe debent; aliàs enim ex eis quandoq. filij lepra, dæmoneq. obſeſſi prodeunt. 291. 1
Matrimonio innodati, non carnali amore, ſed in Chriſto inuicem ſe diligere debent. 292.1
Matrimonio coniuncti quid attendere debeant. 294. 1
Vide in verbo Vxor.
Matrimonio non conſummato, licet viro, & vxori Religionem profiteri. 298. 2
Matrimonium, ante peccatum, fuit in officium naturæ, poſt peccatum verò, in remedium quoque concupiſcentiæ. 299. 1
Matrimonij fœlicitates ante peccatum, & ærumnæ poſt peccatum. 299. 2
Mendicare eſt, victum quærere, & poſtulare. 221. 2
Mendicare Hebræis interdictum fuiſſe à Deo, falſum eſt. 222. 1

Meretricis in tumulo epitaphium. 44. 2
Meridies interpretatur, medius dies, & merus dies. 3. 1
Meſſiæ aduentus probatur, per præſentationem Chriſti in Templo. 38. 1
Miracula totaliter ordinata ad gloriam Dei manifeſtandam, non exigunt fidem ab hominibus. 351. 1
Miracula Chriſtum glorioſum apud homines reddiderunt. 353. 1
Miracula in Sacris Teſtamentis, ſigna dicuntur. ibid.
Miracula, quæ à Chriſto facta fuerint ad ſuam potentiam manifeſtandam, & quæ ad fidem inducendam. 352. 2
Miracula quare modo perpauca ædantur. 354. 1
Miracula nonnulla à Deo edita, admixtis quibuſdam humano, & naturali iudicio repugnantibus. 355. 2
Miraculum Chriſti conuerſionis aquæ in vinum in Cana Galilææ, fuit primum ex publicè factis miraculis. 399. 1
Miraculorum Chriſti, & Sanctorum diſcrimen. 399. 2
Miſeria maxima eſt, ſui non miſerere. 237. 1
Miſericordia non per portentoſa, ſed per communia media exhibetur. 323. 1
Miſericordia Dei apparet quoque in damnatione reproborum. 618. 2
Montis Olympi faſtigium, præ celſitudine, nulla tempeſtate pulſatur; ita vt literæ in puluere ibi exiſtente notatæ, per totum annum inabolitæ permaneant. 521. 1
Et ex quo iſte mons circumquaque à Sole perluſtratur, & nulla adhibita cultura, ſemper frondoſus exiſtit, nomen cæli ſibi vindicauit. 521. 1. 2
Mons Synai Arabiæ, vbi fuit Dei habitatio, & populus ab eo eruditus, dictus fuit mons Paſchæ, & mons perfectionis. 523. 1. 2
Mons eſt in Creta, Corina dictus, in quo nec muſcæ generantur. 523. 2
Mons eſt quidam in Aethyopia quindecim millium paſſuum altitudine, fontem ſalis emittens. 525. 526
Mons eſt quidam in infimis Indijs tanta magnetis quantitate congeſtus, vt ſi naues illæ ferreis clauis confixæ pertranſeant, protinus detineantur immobiles. 526. 2
Mons eſt quidam, Monacus compellatus, ob figuram Monaci, quam præfert, aſilum ab hoſtibus dictus. 528. 2
Mons Lybani, mons ſerenitatis dictus, aromaticis arboribus omnia venenifera pellentibus, fecundus. ibid.
Montes alij plures memoria digni. 529. 1
Mortis fœlicitates. 469. 1
Mortis timor in impio pulchrè comparatur. 105. 2
Mors quare probis dulcis, improbis verò formidabilis. 105. 2
Mors quare magis formidabilis iuueni, quàm infanti, & ſeni. 117. 2
Moribundis quomodo impuri ſpiritus appareant. 481. 1
Morti quiſquè eſt ſubiectus, niſi ex aliquo ſpeciali dono conſeruetur; propter aſsiduum innati caloris, & radicalis humidi conflictum. 468. 1
Mortui ſunt Sancti nonnulli, abſque vlla præcedente ægritudine. 481. 1. 2
Moyſes, & Helias 40. diebus ieiunantes diuinæ contemplationis nectare depaſti fuere. 480. 2
Mulier cum dolore parit, propter peccatum. 188. 2
Mulier bona rara vt Phœnix. 300. 1
Muliere mala nulla immanior bellua. ibid.
Mulierum cauſa mala plurima emerſerunt. ibid.
Mulieris imprudentis iniquitas. ibid.
Mulieres complures viros ſuos ferro, veneno, proditionibus, conſpirationibus, ſeditionibuſque perdiderunt. ibid.
Mulier quid ſit. 302. 1
Mulieris nomine, tàm virgines, quàm nuptæ comprehenduntur. 319. 2
Mulier dicitur à mollitie. 494. 2
Mulieres quare ad aduocandum non admittantur à lege, præterquam in cauſis pupillorum, & orphanorum. 9211 1
Munera inſignia, & precioſiſsima à pluribus dono data. 45. 2.
Munera, ſeu negocia viris, & feminis immediatè ſunt committenda. 128. 2
Murmuratores contra Religioſos fraternè moneantur. 713. 2
Muſicæ ſonus triplex. 571. 1
Myſteria Diuina, quo magis intellectu celebrantur, eo magis admirationem inducunt. 308. 2
Myſteria excelſa Laconico promuntur ſtylo. 437. 1

N

Natiuitas Chriſti ne ſequeretur, totis viribus dæmon eius ſobolem perdere tentauit. 149. 2
Nauis à duodecim ventis mouetur. 547. 2
Naues quibus modis perdantur. 548. 1
Nazareth ab Aegypto diſtabat tercent. 5 millibus paſs. 146. 1
Nili flumen certis temporibus ſingulis annis creſcit, atque decreſcit. 168. 1
Nili in Inſula ſurgit columna certis ſignis notata, frugum copiam ex aquarum incremento, vel decremento, indicantibus. 168. 1
Nilum prope, ad illius ſciendum incrementum, virgæ olim figebantur, quæ Idolis dedicabantur; modo verò vna ex illis in Chriſtianorum Eccleſia collocata exiſtit. 168. 2
Niniue ſubuerſor quis. 143. 1
Nobilitatis inſignia ex ebure priſci in calceamentis

mentis deferebant. 27. 2
Nominum impoſitio ſignum eſt Dominij. 155. 1
Nominis repetitio inditium eſt dilectionis. 714. 1
Nubes quomodo generentur. 161.1
Nubium effectus qui ſint. 161. 1
Nubes ſunt ad inſtar ſpongiæ. 161. 2
Nubes filijs Iſrael fuit tegmen à Sole, per diem, & per noctem lumen. 162. 1
Nubium nomine quid ſignificetur à ſacra Scriptura. 522.1
Numerus duodecimus in ſacris paginis ſacer admodum; ſicut quoque in prophanis. 201. 1. 2
Nuptiæ ſpirituales tres. 307. 1. 2
Nuptiæ in Cana Galilææ quo die celebratæ. 382. 1. 2
Nuptiæ vnde dictæ. 383.1
Nuptijs Canæ Galilææ qui interfuerint. 383.2
Et quis fuerit ſponſus, & quæ fuerit ſponſa. 385.1
Nuptiæ beatæ ſunt illæ, in quibus Ieſus aſsiſtit. Et quomodo vocetur Chriſtus ad eas. 386. 1. 2
Nuptijs in Cana Galilææ quare Chriſtus interfuerit. 387. 1. 2
Quomodo defuerit vinum. 389.1. 390.2
Quis fuerit Architriclinus. 397.2
Nuptiæ non ſunt obſtaculum ad pietatem. 387. 2

O

OBedientiæ gradus ſeptem. 17. 2
Obedientis deſcriptio facta ab Ægyptijs. 19. 1
Obedientia mater eſt fœlicitatis. 19. 2
Obedientiæ diadema, perſeuerantia eſt. ibid.
Obedientiæ gradus omnes à Beata Virgine celeri curſu peracti fuerunt. 20.2
Obedientia vera qualis ſit. 131.2
Obedire ſubditi debent, non inueſtigando cauſas; dummodo iuſsio iniqua non ſit. 132.1
Obedientia Chriſti Domini erga Beatam Virginem, & Ioſephum. 279.2
Obedire quomodo debeamus Deo, & quomodo hominibus. 351.2
Obedientia Prælato preſtita in re, quam ſubditus credat eſſe malam, meritoria eſt. 352.1
Obedientia debetur Deo, etiam in his, quæ, omnium votis, mala exiſtimantur. 352.1
Obedientia in quocunque hominum conſortio neceſſaria eſt, ad vitæ tranquillitatem. 356.1
Obedientia Religioſis perneceſſaria. 356.1
Vide. Religioſus. Prælatus.
Obedientia victimis præponitur. 356. 2
Obedientia virtutibus omnibus moralibus antecellit. ibid.
Obedientia Religioſi erga Deum qualis eſſe debeat, & qualis obediētia ſæcularis. 357.1
Obedientia victrix eſt hoſtium; & qui ſint eius hoſtes. 357. 1. 2
Obedientia quomodo de dæmone, mundo, & carne triumphet. 357.2
Obedientia non ſeruata à primis parentibus origo fuit rebellionis, & pugnæ carnis aduerſus ſpiritum. 358.2
Obedientiæ effectus. 359. 1
Obedientia eleuat, & beatificat. 359. 2
Obedientia, perfecta opera magis perficiuntur. 361. 1
Obedientiæ vitam æternam pollicetur Deus. ibid.
Obedientiæ Religioſorum maior gloria promittitur. 361.2
Obedientiam Deo, & Prælato non præſtantium punitio. 362. 2
Obedientiæ præconia. 363.2
Obedientia vera, qualis ſit. 379. 1
Obedientiæ voti, proprium eſt cæleſtibus mentibus ſe conformare. 366. 2
Obedientiam perfectam, corpori extincto comparat Seraphicus Pater meus ſanctus Franciſcus. 371.1
Obedientia cœca, quæ ſit. 372. 2
Obedientiæ cœcæ Encomia, ex ſacra Scriptura. 376. 2
Obedientiæ exempla præbent quoque animalia irrationalia, & vita, ac ſenſu carentia. 379. 2
Obedientiæ vis, & potentia. 379. 2
Oblationes à nobis Deo faciendæ tres. 61. 2
Oblatio à Beata Virgine facta in Templo, an fuerit Turturum, vel Columbarum, & quare talis. 68.2. 69.2
Offerens pro peccato, in ſacris Biblijs intelligitur pro peccato proprio. 70.2
Oleum inter maris fluctus effuſum illius tempeſtatem ſedat. 543. 2
Oliua ſymbolum eſt Victoriæ, & Miſericordiæ. 243. 1
Opalus gemma in fluminis Indici littore reperitur quatuor diuerſarum gemmarum faciebus perlucens. 519.1
Oratio corde, & ore facienda eſt. 329. 1
Oratio Congregationum valde proficua eſt. 649. 1

P

PAlma ſignum victoriæ eſt, ac trophæi præſagium. 558.1. 559.1
Palma quouis grauiſsimo pondere onerata non flectitur. 559. 1
Palmæ folia, gladij, rami manuum, fructus digitorum formam habent. 559.1
Palma Solaris eſt arbor; ideoq. quandam quaſi incorruptibilitatem habet. 560.2
Palmæ diſcrimen inter maſculum, & feminam. 561. 2
Partus B.Virginis dolore caruit. 6. 2
Parentes nihili ſunt faciendi in negocijs Diuinis. 270.1. 322.1

Digitized by Google

Parentum gloria, & laudes non ſunt arrogandæ, niſi ab imitantibus laudabilia, & glorioſa eorundem parentum opera. 272.2
Parentes primi in ſtatu innocentiæ errare non poterant. 274.1
Parentibus animantia quoque irrationalia obſequuntur. 283. 1
Parentibus honorem præſtantes diu vivent. 284. 1
Paſſionis Chriſti tempus, hora, in ſacris paginis enunciatur. 325. 1
Patria vnicuique eſt chara. 145.2
D. Pauli charitas. 89. 1
Paupertas Chriſti, & parentum. 69.1
Pax quid ſit. 103.1
Pacis per Simeonem à Deo exoptatæ expoſitio. 166. 1
Peccato originali grauatus fuit Diuus Ioannes Baptiſta, ante eius ſanctificationem. 540. 2
Peccato originario B. Virginem, ante ortum, caruiſſe, indubitatum eſt. 4. 1
Peccati etiam venialis expers fuit Beata Virgo. 4.2. 390.2
Peccatum ſumitur aliquando in ſacris Scripturis pro pœna peccati. 9. 1
Peccantis plebei, & peccantis Prælati, ſimilitudo perpulchra. 35. 1
Peccatum quamlibet maximam Deo oblationem factam contaminat. 44. 2
Peccatorum purgatio quomodo ſit facienda. 57. 1
Peccatum quid ſit. 65. 1
Peccator Diuinæ vocationi renuens prauior eſt diabolo. 144.1
Peccati occaſio fugienda eſt. 182.1.2
Peccatorum abſtinentia bonorum operum eſt initium. 217. 1
Peccatum læthale remouet Deum ab homine. 226. 2
Peccantium pœna, ipſum eſt peccatum. 227.1
Peccati iniquitas qualis ſit. 227.228.1.2
Peccator gratiam ſe amiſiſſe non cognoſcit: ideò non ſtudet vt illam recuperet. 228.2
Peccator verè dicitur pauper. 229. 2
Peccatores varijs brutorum animalium nominibus à ſacris paginis inculcantur. 230. 1
Peccati effectus. 231. 1
Peccator quomodo perquirere debeat Ieſum. 233. ſeqq.
Peccans omnis eſt ignorans. 244. 2
Peccatori conuerſionem differenti increpatio, & monitio facta à D. Baſilio. 246.1. ſeq.
Peccati comparatio fructui Sodomæ. 318. 1
Peccat ſuſpicans aliquid potius malum, quàm bonum eſſe, & illud amplectens. 352.1
Peccati reliquiæ quæ ſint. 471. 1
Peccata, tribulationes à ſacra Scriptura dicuntur. 582.2
Peccatum originale hominem intra vterum maternum latentem inficit. 582.2
Perfectio ſpiritualis requirit corruptionem imperfectionum. 615. 1
Petitio bonorum, quæ non ſint, ſecundùm Diuinam voluntatem, non eſt vitioſa. 321. 1
Pictura gentibus pro lectione eſt. 586.2
Pœnitentiæ lachrymula ad Diuinam indignationem ſedandam maximè præſtat. 13. 1
Pœnitentia in præſenti vita beatificat, & in futura e Purgatorio ſubducit. 14.2
Pœnitentiæ virtus. 236. 2
Pœnitentia quid ſit. 247. 1
Potentiæ nobiliores magis ſunt apprehenſiuæ obiectorum. 417. 2
Præceptum ſeruare glorioſum eſt, ſed glorioſius eſt aliquid ſupra illud agere. 22. 1
Præceptum ſiſtendi primogenitos in Templo, per Chriſtum fuit inſtitutum. 47. 1
Præcepta Diuina nullam æquiuocationem continent. 48. 1
Præceptori diſcipulum errantem non corripienti reprehenſio. 52. 1
Præceptorum perfecta obſeruantia requirit paritionem, quoad ſubſtantiam, & circumſtantias præcepti. 55.2
Prædicatores à Deo miſſi, pedes Chriſti fuerunt. 711. 1
Prælato vno peccante, de cæteris ſiniſtra non eſt habenda opinio. 35.1
Prælato parendum eſt à ſubdito, etiam ſi ipſe ſubditus Prælati præceptum, malum exiſtimet. 352.1
Prælati authoritas quanta ſit. 352.1
Prælati præſertim Eccleſiaſtici Deum repræſentant. 363.1
Prælati mandatum etiam impoſſibilitatem continens à ſubdito eſt pro viribus tentandum, vt executioni mandet. 372. 2
Præſentationis Chriſti Domini in Templo ſolemnitas par eſt ſolemnitati Natiuitatis eiuſdem. 36.2
Præſentato Chriſto in Templo, illud continuò ſummo ſplendore coruſcauit. 37.1
Præſentatio Chriſti in Templo fœlix fuit exordium adoptionis hominum in filios Dei, & argumentum mortis eius pro noſtra ſalute. 40. 1
Præſentatio Chriſti in Templo à B. Virgine facta fuit in ſexta, & nouiſſima eius ætate. 40. 2
Præſentatio Chriſti fontem Diuinæ miſericordiæ reſerauit. 42. 2
Præſentationis præceptum Chriſtum non comprehendit. 47.1
Præſentationis Chriſti in Templo cauſæ. 49.1
Præſentationis Chriſti virtutes, & effectus. 64. 2
Præſentia obiecti fortius mouet potentiam. 444. 2
Principis vitia populis ſunt exempla. 35.1
Princeps bonus leges, quas condit, ipſe ſeruat. 49. 2
Principis legem à ſe latam non ſeruantis comparatio. 50. 1
Princeps legem tranſgrediens alijs tranſgrediendi eſt licentia. 50. 2

Prin-

Principibus ſecundum leges viuentibus, optimè Ciuitas gubernatur. 51. 1
Princeps qualis eſt, tales ſunt ſubditi. 212.2
Profectum ſpiritualem quæ ſuadeant. 213.2
Profectus ſpirituales non facientes deficiunt. 114. 1. 2
Profectus ſpiritualis qua ratione retardetur, abſque Diuinæ gratiæ decremento. 215.216
Profeſſus ſpiritualis eſt Donum Dei gratuitũ; ſed ab ipſo cooperatio noſtra deſideratur. 216. 1
Proficere ſpiritualiter cupiens, ne modicas quidem proficiendi occaſiones prætermittere debet. 217. 2
Profectus modici multiplicati magna merita coaceruant. 217. 2
Proficiendi modicæ occaſiones quomodo non prætermittantur. 218. 1
Profectus viatorum docetur per parabolam à Domino, explicatam à D. Gregorio. 218.2
Profectui quiſque ſtudere poteſt. 219. 1
Proſperitates quæ damna afferant. 261. 1. ſeq.
Pulchros corpore homines Indi, atque Æthiopes in eorum Reges eligunt. 616. 2
Punire improbos æquè glorioſum eſt, ac probos remunerari. 134.2
Purgatorium duplex eſt. 14. 2
Purgatorij animæ, ſolo nomine Mariæ Virginis audito, recreantur. 617. 1
Purgationis dies ex Luc. 2. ad quem referantur. 52.1. ſeq.
Purificatione Beata Virgo non egebat. 4. 2
Purificationis lex non comprehendit Beatam Virginem. 5. 1
Purificationes Ethnicæ tres. 10.2.11.1
Purificationes Chriſtianæ tres. 11.1
Purificationi quare B. Virgo ſe ſubiecerit. 16.1
Purificationis lege, feminæ pro ſe, & filijs holocauſtum offerebant. 54. 2
Puritatis Mariæ Virginis præeminentia. 1. 2
Puritas Mariæ Virginis ſub Deo primum locum obtinet. 2. 2
Puritas Beatæ Virginis talis eſt, vt ipſa reliquorum omnium Beatorum ſpirituum dexteram manum teneat. 3. 2
Pueri concinnè ſunt educandi. 185.1
Pueris qualis reuerentia debeatur. 185.2
Pueri ante duodecimum ætatis annum non pollent vſu perfecti arbitrij. 194. 1
Pueri in duodecimo anno ingenium patefaciunt, & apti ſunt ad litteras capeſſendas. 194. 1. 201. 1
Puerorum prima inſtitutio naturam ſuperat. 257. 2

Q

QVærit nemo, ſine ſpe inueniendi.

R

RAtionis vſu deficiente, liberum arbitrium conuerti ad Deum non valet. 62. 2
Rationale olim pectori ſummi Sacerdotis additum, quid eſſet, & cuius virtutis. 102.2
Regis, & Tyranni differentia. 617. 2
Regula rectè viuendi eſt Virgo Maria. 3. 2
Reipublicæ corruptela ex animorum diuiſione ortum habet. 17. 1
Religionem ingredi volens, parentes negligere, illoſque ſecundum affectum, fugere debet. 194.2. 263. 2
Religioſi conſanguineos frequentantes quæ damna ſibi quærant. 195. 2
Religioſi mortui eſſe debent Mundo. 196. 1
Religioſi prophanis conuiuijs intereſſe non debent. 287.1
Regularibus adeo eſt annexa proprietatis nuditas, ſicut & caſtitas, vt nec etiam Papa valeat contra eas diſpenſare; aut aliquid indulgere. 315. 1.2
Religioſorum ſolemni voto ſummus Pontifex, non facultate humana, ſed Diuina diſpenſat. 315. 2
Religioſorum merita maiora, quàm ſæcularium ſunt. 357. 1
Religioſorum rectè viuentium maior quoque erit gloria. 362. 1
Religioſorum obedientia qualis eſſe debeat; & illius gradus, & circumſtantiæ. 365. ſeq.
Religioſus inobediens fur eſt, & latro. 367.1
Vide obedientia Prælatus.
Religioſi conſuetudinem ſæcularium fugere debent. 647.1
Religioſi non debent ſumptuoſas apponere menſas. 700.2
Religioſi alienas domus ingredientes quid facere debeant. 711. 1
Vide in verb. vita.
Renouatio quorumdam animantium quomodo fiat. 12.1
Reuelatio Diuina eſt interna locutio. 128.1
Reuelatio pro fuga Chriſti in Aegyptum quare potius habita à Ioſepho, quam à Beata Virgine. 128.2

S

SAlomone ad Templum accedente, fores repente clauduntur. 37. 2
Salutis initium eſt notitia peccati. 229.1
Sanctitas vitæ quæ requirat. 80. 1
Sanctum idem eſt quod mundum. 154. 1
Sanguis hinnuli validiſſimum eſt anthidotum aduerſus virulentes ſerpentũ morſus. 123.1
Sampſon ſpecioſus, fortis, & ſanctus fuit. 301.1
Sapiens dominatur aſtris. 347. 2
Sapientia congruo tempore eſt demonſtranda. 189. 1
Scandalum eſt dictum, vel factum occaſionem præſtans ruinæ. 30. 1
Scandalum omni plaga eſt maius. 31. 1
Scandalum ſeuerè à Deo pluries punitum fuit. 32. 1
Scandalizare quis non debet, ſed potius mori. 34. 1

Scan-

Scandala quare graui pœna puniantur. 34. 1
Scandalizans tenetur pro anima ſua, & anima ſcandalizata. 34. 2
Scandalum grauius crimen in illis eſt, quorum vita exemplar eſſe debet. 34. 2
Scientiæ profectus duplex eſt. 208. 2
Scripturæ ſacræ traductio ex Hebraico idiomate neceſſaria fuit. 175. 1
Scriptura ſacra quaſdam nominat perſonas Chriſti figuram præſeferentes. 176. 1
Scriptura ſacra, Sanctiſq; Patres res, quæ immenſitatem quandam continent, varijs titulis repræſentant. 432. 2
Sacra ſcriptura vna eademque re diuerſa multoties ſignificat. 509. 2
Semiramis Reginæ tumulus, illiuſq; memoranda geſta. 501. 1
Senſus litteralis qualis ſit. 176. 2
Senſus myſticus qualis ſit, & quotuplex. 177. 1
Senſus myſtici ab Authore intenti dignotio. 177. 2
Senſus litteralis requiſita. 178. 1. 2
Septenario numero natura gaudet. 510. 2
Sphæricus globus ſuper perfecto plano collocatus, continuò, abſque vlla intermiſſione, mouetur. 19. 1
Sic, aduerbium, exceſſiuum quid ſignificat. 268. 2
Siclus nummus cuius fuerit valoris. 66. 1
Silentij neminem vnquam pœnitet, ſermonis vero ſæpe. 2. 1
S. Simeonis ſenectus qualis fuerit. 83. 2
S. Simeonis genus, & doctrina. 83. 1. 84. 1
S. Simeon an fuerit ſacerdos legis ſcriptę. 84. 1
S. Simeon cœcus per ſuſceptionem Chriſti in vlnis ſuis illuminatus fuit. 85. 1
S. Simeon quamdiu vixerit, poſt iſtam ſuſceptionem, incertum eſt. 85. 2
S. Simeonis merita. 85. 2
S. Simeon præſciuit aduentum Domini. 90. 2
S. Simeon quomodo B. Virginem in Templum ingredientem, illicò Matrem Chriſti eſſe cognouit. 94. 1
S. Simeon non erat vita exceſſurus, prius quam Ieſum videret. 90. 2
S. Simeonis gratiarum actiones Deo redditæ. 101. 1
S. Simeon quare mortem à Deo expoſtularet, & à qua ſanctiſſimæ Trinitatis perſona. 107. 1. 2
Sinapis grana contrita, non ſana, & integra, ardentem mordacitatem oſtendunt. 211. 1
Sodomæ, & Gomorrhæ fœtidis in locis fructus cortice perpulchri, intus verò cinere, fauilliſq; ſaturati prodeunt. 318. 1
Solis influxus in quoſdam flores. 345. 2
Sol, maris compeſcit tempeſtates. 543. 2
Sol ſuperiora, & inferiora illuminat. 543. 2
Solis conæuum in ſpeculum tendentia oppoſitum lignum aridum inflammat. 544. 1
Solis effectus, qualitas, & vaſtitas. 544. 1. 2
Sol quare maior appareat in ortu, & occaſu, quam in meridie. 544. 2
Solis præcipuæ proprietates. 205. 1
Somniorum cauſa. 124. 2. 127. 2
Somniorum genera. 124. 1. 2
Somniorum qualitates naturalem ſomniantis habitudinem indicant. 124. 2
Somniorum augia improbantur. 125. 1
Somniorum iudicia non ſunt ferenda, ante illorum euentus. 128. 1
Somniandi cauſa Ethnicorum, & Lacedæmoniorum ſuperſtitio, & fatuitas. 126. 1
Somnia futilia quæ ſint. 124. 2
Somnia bona, ſeu reuelationes quę ſint. 126. 1
Somnia talia ſunt, quales ſunt curæ. 127. 1
Somnus, Echo eſt vigiliæ. 127. 1
In Somnis quare Deus perſæpe inſtis apparet, & arcana referet. 127. 128
Somnia quam habeant futurorum ſignificationem. 127. 1. 2
Somnium Ioſephi quomodo interpretatum fuerit. 127. 2
Somniorum ſuperſtitio quomodo ſit vitanda. 127. 2
Somniorum quæ licita ſit diuinatio, & quæ illicita. 128. 1
Somnus animalium virium quies eſt. 128. 1
Somnum non capientes, pallidi, viribuſq; imbecilles ſunt. 128. 1
Spaſmus quid ſit. 440. 1
Spaſmi genera quot, & quæ. 439. 1. 2
Spaſmatus quando quis dicatur. 439. 2
Spes dilata affligit animam. 485. 2
Sphœræ mundi quot. 201. 2
Spiritus ſancti dona Beata Virgo vberiora, ac perfectiora habuit, quam cæteri Beati. 4. 1
Spiritus ſanctus eſt nexus amoris inter Patrem, & Filium. 157. 2
Spiritus ſanctus eſſentialiter, & perſonaliter amor eſt. 154. 1
Stella quare Magis in Chriſti ortu apparuerit. 335. 1
Stellæ cœli variæ ſunt, varias virtutes habentes, illiſq; propria nomina, iuxta earum virtutes, à Deo impoſita fuere. 343. 2
Stellæ omnes in cœlo exiſtentes figuram ſtellę habent, non autem Leonis, Piſcis, & ſimilium. 349. 1
Steriles coniuges Hebræorum olim à communibus Aris arcebantur. 290. 2
Sufficientia omnis noſtra ad ſalutem, à Deo eſt. 463. 1
Superbia, opera quantumuis bona inficit. 20. 1
Superbia mulierum qualis. 26. 1
Superbia, & ſapientia non ſe compatiuntur. 312. 1
Syrenæ cantus cur triſtis in morte. 101. 2

T

Tauris inter ſe concertantibus, victor ex illis ſuneſtè mugiens diſcedit. 416. 1
Temperantiæ ſymbolum. 150. 2
Temperati homines malorum pomis olim veſcebantur. 150. 2

Tem-

Templum Dei quomodo ſit colendum. 57.2
Templi violatores perhorrendo ſupplicio puniti. 58. 1
Templi deſcriptio, in quo Chriſtus à Simeone ſuſceptus fuit. 91.2. 2
Quod modò eſt dicatum Saluatori noſtro, eiuſq; Genitrici Mariæ. 92.1
Templi Diuini ſublimia. 243.1.2
Templa prophanantium flagella. 255.256
Templum ingrediens fera quædam, quam canes inſectabantur, canibus introire non valentibus, tuta permanſit. 678. 2
Templum Dei cum fera altera ingrederetur, eamque venator inſequeretur, manu ad feriendum eleuata, illius brachium exaruit. 679. 1
Temporis definitio. 55. 2
Temporis ſymbolum. 188. 2
Temporis Hieroglyphicum. 189. 1
Terra antiquitus, tanquam Dea, in veneratione habebatur, varijſque nominibus compellabatur. 615. 1
Terrena quando deſipiant. 105.1
Timantes pictor, ad Agamenonis ingentem mœrorem coloribus exprimendum, velamine illius caput obtegit. 437. 1
Timor Dei inſignem reddit hominem. 88.2
Timor in morte maximè viget. 102.2
Timor Domini initium ſalutis eſt noſtræ, & radix perfectionis. 217.2
Titiani picturæ artis præſtantiam magis eminus, quàm cominus demonſtrabant. 509. 1
Tribulationes præſentes futurarum fruitionum ſunt præſagia. 171. 1
Tribulationibus in medijs virtutes effulgent. 211. 1
Tribulatio animam virtutibus informat. 211.1
Triſtitia animi corpus dolore afficit. 433.2
Turtures, vel Columbæ à B. Virgine in Templo oblatæ, an realiter huiuſmodi eſſent naturæ, an potius formæ tantum. 68. 1
Turtur ſolitudine gaudet. 69.2
Turtur coniuge orbata, ſolitaria viuit, alteri nunquam ſe commiſcens. 71. 1.2
Turtur gemendo canit, & in hyeme deplumatur. 71. 2. 71. 2
Turtur æſtiuo tempore pingueſcit; & nocte pullos ſuos nutrit. 74. 1
Turtures coniugibus deperditis aſſidue mœrentes gemunt. 75.1
Turtur ſymbolum eſt caſtitatis. 74. 2

V

VEneni cuidam olim propinati tanta fuit vis, vt dum, de more, eius cadauer cōbureretur, cor incombuſtum remanſerit; theriaca verò præſtantiſſima applicata, ſtatim igne penetrante, abſumptum fuit. 709.2
Verbum Dei quare aliquando nil operetur in nobis. 709.2
Verbum Dei ignis eſt. 708. 2
Veri, contingētis, & neceſſarij definitio. 705.1
Viæ Dei quæ ſint, & quæ ſint vię hominū. 224.1
Viduæ non ſunt trahendæ in iudicium, niſi de licentia Epiſcopi. 109.2
Viduæ, ſumptibus Eccleſiæ ſunt alendæ. 110.1
Viduæ trahunt laicum ad forum Eccleſiaſticum. ibid.
Viduæ ſequuntur mariti præmortui domicilium. ibid.
Viduitas virginitati conſimilis. 112.2
Viduas Ethnici quoque honore proſequebantur. 111. 2
Viduarum memoranda geſta. 110.1.111.1
Viduæ maiori cum difficultate caſtè viuunt, quàm virgines. 112.2
Viduæ inſignes quædam. 114. 2
Vidua bona numquam eget. 116. 1
Viduæ quas virtutes ſectari debeant. 116.2
Vidua quomodo interpretetur. ibid.
Victoria illa glorioſior eſt, quæ ab hoſte deluſo habetur. 182.1
Violentas manus in ſe conijcere nemini licet. 30. 1
Vini qualitas ex colore, odore, & ſapore percipitur. 317.2
Vinum quare non fuerit à Deo datum filijs Iſrael, nec turbis in deſerto. 326.1
Vinum ex ſe malum non eſt, niſi malè quis eo vtatur. 326. 2
Vinum deguſtare Romanis mulieribus prohibitum fuit. 327.2
Vir dicitur à vi, ſeu à virtute. 154. 2
Vir probus quomodo ab antiquis deſignaretur. 150. 2
Viri vxorum defectus viriliter ſuſtinere debent. 293. 2
Virginitas B. Virginis, dum inuolui tentatur mirabiliter clarius oſtentatur. 389.2.85.1
Virgines olim Regibus copulandæ quibus cæremonijs vterentur, & quem ſeruarent morem. 309. 2
Virginitas præſtantior illa eſt, quæ nunquam ad coniugium peruenit. 384.2
Virginitas, viror genitus, dicitur. 585. 2
Virtus tenuis diligentiſſimè eſt cuſtodienda. 185. 2
Virtutibus non operantibus, praui affectus reuiuiſcunt. 215. 2
Virtutis deſideria, abſque operibus, nequaquam ſufficiunt. 217.1
Virtutum moralium qualitates, & effectus. 360. 1
Viſio vigilantium eſt. 129. 1
Vitæ laudabilis, vel damnandæ argumenta ex quodam more ab antiquis deſumebantur. 172.1
Vita hominum in melius, & in deterius inopinatè commutatur. 309. 1.2
Vitæ longioris, ac breuioris dignotio ex Planetis. 347. 1
Vitæ actiuæ dediti non debent contemplatiuę immemores eſſe. 498.2
Vitæ actiuæ definitio, munus, & finis. 639.640
Vitæ contemplatiuæ non omnes apti ſunt, ſed tan-

Digitized by Google

tantum vocati: & quomodo quis cognoſcere poſſit, ſe ad eam eſſe vocatum. 642.1.2
Vitæ contemplatiuæ definitio, & requiſita. 643. 1. 2
Vitæ contemplatiuæ officia, & operationes. 644. 1
Vitam ſolitariam ducere cupiẽs, quibus qualitatibus pollere debeat. 645. 1
Vitæ huiuſmodi præconia, & fœlicitates, ac priuilegia. 645.646
Vitam huiuſmodi cùm ſenex quidam, ſeptem vltimis tantùm eius vitæ annis, duxerit, ob illius dulcedinem, ſeptennio tantum ſe vixiſſe, tumulo inſcribi curauit. 647.1
Vitæ cœnobiticæ fœlicitates, & prærogatiuæ. 648. 649.
Vitæ cœnobiticę cultores quo pacto gaudeãt, & participent, vti ſinguli, ex communibus exercitijs, & officijs, atque operibus bonis. 650. 1
Vita ſolitaria quare ab Authore admodum non commendetur. 651.1
Vitam ſolitariam ſectantes viri, & feminæ quædam inſignes. 655.658
Vitæ huius ſectator qualis eſſe debeat. 659.2
Vitæ actiuæ ſcopus, de neceſſitate, eſſe debet gloria Dei. 661.1
Vitæ ſpiritualis tyrones, alios docere ſatagentes, ſibi ipſis obſunt ad progreſſum. 664.1
Vitæ mixtæ definitiones, & miniſteriũ. 668.2
Vitæ mixtæ Magiſter fuit ſanctus Ioannes Baptiſta. 670.1
Vitæ mixtæ exercitia perfecta qualia eſſe debeant. ibid.
Vita mixta præferenda eſt actiuæ, & contemplatiuæ vitæ, ſeiunctim conſideratis. 672.1
Vitam mixtam Chriſtus, Beatiſſima Virgo, & ſancti Apoſtoli coluere. 673.1.2
Vitam contemplatiuam intermittere, ad vacandum charitatis operibus, perfectius eſt opus. 675. 1
Vitæ contemplatiuę perfectio qualis ſit. 706.2
Vita contemplatiua præfertur actiuæ. 719.2
Vnctionis extremæ Sacramentum à B. Virgine ſuſceptum nequaquam fuit. 4.2
Vnctionis extremæ effectus; & ad quid inſtitutum, & à quo promulgatum fuerit huiuſmodi ſacramentum. 471.472
Vnctionis extremę ſacramentum paruulis non confertur. 472.1
Vnio hypoſtatica Diuinæ naturę cum humana inexplicabilis eſt. 308.1
Vnionem iſtam quomodo factam eſſe, credendum ſit. 308.2
Vnio huiuſmodi prophetizata, diuulgata, & ratificata fuit miraculis, & conſummata in paſſione Chriſti. 308.2
Voluntas Dei in actibus bonis prior eſt voluntate hominis in malis; autem totalis cauſa eſt voluntas hominis quoad rationem malitiæ. 226.2
Voluntas hominis prædeterminata à Deo ad actum, liberè operatur. 342.2
Voluntate bõna nihil acceptius apud Deum. 456.2
Volũtas quomodo peccato ſuccumbat. 558.1
Vrſa informes partus à ſe editos, lingua reformat. 613.2
Vulnus in Chriſti latus illatum; theſaurus ſalutis eſt noſtræ, ab ipſo Chriſto Domino, per vmbram capitis ſui in cruce inclinati indicatus. Quod exemplificatur per ſtatuam quamdam à Platina relatam, corruptibilem Theſaurum vmbra pariter indicantem. 421.2
Vxores pulchras quæritantium dementia. 292.2
Vxores, nec etiam ad viri ſolatium, faciem ſuam fuco tingere debent. ibid.
Vxores virorum defectus ſilentio inuoluere, & perferre debent. 293.2
Vxorem perdite adamare non licet. 298.1
Vxor ſocia viri eſt, non autem domina, nec ancilla. 298.1
Vxorem quare ſapientes ducere non ſoleant. 303.1
Vxoris defectus quomodo à viro ſint expiandi. 306.2

Z

Zelus ad quæ impulerit Deum. 83.1.2
Zelus amantem non patitur æmulantem. 62.2
Zelotypici furoris cauſa, plura patrata fuere mala. 63.1

Finis Indicis Rerum notabilium.

REGESTVM.

✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ
Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn
Ooo Ppp Qqq Rrr

Omnes ſunt Terniones, Præter ✱ Quaternionem.



R O M AE,
Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. M. DC. XIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

LEGATORIA

Digitized by Google